This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books


https://books.google.com

IOANNIS GERSONII, DOCTORIS ET CANCELLARII PARISIENSIS,

Tertia pars Operum,

MYSTICAM THEOLOGIAM, & meditandi rationem demonſtrat.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE



PARISIIS,

M. DC. VI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

CATALOGVS EORVM, QVÆ IN TERTIA PARTE OPERVM GERSONII CONTINENTVR.

De conſolatione Theologiæ libri quatuor, fol. 6.
Dialogus apologeticus, pro condemnatione propoſitionum magiſtri Ioannis Parui, 69.
Varia poëmatia, 75.
Joſephina, ſiue vita beati Ioſeph, coniugis B. Mariæ, 81.
Sermo de Natiuitate Virginis Mariæ, 128.
Poëmatia aliquot de diua Virgine, 144.
Proſa in Circunciſione Domini, ibidem.
Centilogium de conceptibus, 145.
Liber de vita ſpirituali animæ, ad D. Epiſcopum Cameracenſem, 160.
De myſtica Theologia, 252.
Carmen de purificatione ſenſuum, 323.
De Religionis perfectione, 324.
De Conſilijs Euangelicis, & ſtatu perfectionis, 335.
De perfectione cordis, 350.
De meditatione cordis, 364.
De ſimplificatione & mundificatione cordis, 370.
De directione ſeu rectitudine cordis, 383.
De illuminatione cordis, 394.
De oculo, eius obiecto, & actione, 399.
De remedijs contra puſilanimitatem & ſcrupuloſitatem, 403.
De diuerſis diaboli tentationibus, 414.
Contra profeſſum inobedientem, 430.
De Zelo & feruore nouitiatus, 433.
Inſtructio pro deuotis ſimplicibus, qualiter ſe in ſuis exercitijs & officio gerere debeant, ibidem.
Documentum notabile de ſacramento altaris, 447.
Octo epiſtolæ Gerſonij ad diuerſos, ſuper diuerſis argumentis, 451.
De paſsionibus animæ, 469.
Carmen, vitam hanc eſſe ſomnium, ad D. Petrum de Alliaco Cardinalem, 490.
De monte contemplationis, 492.
Epiſtolæ tres, quibus ſe aliquandiu ægritudine laboraſſe ſignificat, 531.
De mendicitate ſpirituali, partes duæ, 534.
Epiſtola ad ſorores, monſtrans qua ratione Gerſonius ſingulos dies ſeptimanæ orando & meditando exigeret, 593.
Appellatio peccatoris à diuina iuſtitia ad diuinam miſericordiam, 597.
Tractatus de oratione & eius valore, 600.
Expoſitio orationis Dominicæ, 618.
Tractatus de triplici Cantico, ſenſuali, morali, & rationali, 621.
Varia poëmatia Gerſonij, 682.
Collectorium ſuper magnificat, 694.
Carmen, in quo fratres Gerſonij introducuntur loquentes, 696.
Duodecim tractatus ſuper Magnificat, 697.
Varia carmina ſuper Magnificat, 1010.
Anagogicum de verbo & hymno, Gloria in excelſis Deo Patri, & Filio, & Spiritui-ſancto. 1041.
Epithalamium myſticum theologi & Theologiæ, 1061.
Tractatus ſuper Cantica Canticorum, 1062.
Alphabetum diuini Amoris, Ioanni Gerſonio adſcriptum, 1126.
Expoſitio & meditatio ſuper ſeptem Pſalmos pœnitentiales, 1156.
Donatus moralizatus. 1182.

SVMMARIVM

Digitized by Google

SVMMARIVM LIBRI DE CONSOLATIONE THEOLOGIÆ.

IN procemio notantur quatuor cauſæ theologicæ conſolationis, quæ ſunt ſpes, ſcriptura, patientia & doctrina. In primo metro primi libri defletur miſeria ciuilis diſſenſionis. In prima proſa primi libri colloquuntur Monicus. i. ſolitarius, & Volucer. i. nuncius intermedius, ſuper ſtatu peregrini ſeu viatoris, & de eius conſolatione per theologiã. In ſecundo metro ponitur laus theologiæ in hoc quod eſt efficax conſolari. In ſecunda proſa ponitur primò quod theologia ſuam conſolationem inchoat; vbi & vnde definit philoſophica conſolatio. ſ. quod cuncta agimus ante oculos iudicis cuncta cernentis. Amplius, quod triplex eſt iudicium Dei, vnde conſurgit in nobis ſpes & timor, & quomodo ſe comitantur. Amplius, quod cum ſobrietate poteſt vtiliter recogitari & tradi conſideratio iudiciorum Dei in prædeſtinatione & reprobatione, ſicut fecit Apoſtolus. Et deinde qualiter oritur inde conſolatio intima & ſolis expertis cognita. In tertio metro agitur de ſentimento talis conſolationis. In tertia proſa agitur primo in ſpeciali ſi cauſa ſit aliqua cur Deus iſtum vel illum prædeſtinauerit. Deinde cum qua cautela talis conſideratio in particulari debeat aut poſſit admitti: Demum quo pacto poteſt quietari ſpes in Deo. In quarto metro ponuntur exempla quomodo per tentationes non euellitur ſpes. In quarta proſa traditur primò in quo ſpes conſiſtit, & quod de nullo hic eſt deſperandum. Amplius quomodo per ſummam deſperationem venitur ad ſpem, & quantum ſit vtilis conſideratio diuinæ prædeſtinationis. Rurſus agitur de corroboratione ſpei exemplo ſanctorum, & quomodo ſtat cum libertate, nec tamen plenè poteſt hoc intelligi ſine gratia Dei, quę eſt vnctio docens de omnibus. In quinto & vltimo metro ponitur comparatio cuiuſdam nautæ, qui ex medijs tempeſtatibus exilit in locum tutum & ſecretum.

DE SECVNDO LIBRO TABVLA.

IN prima proſa ſecundi libri fit ſermo de ſtatu peregrini interſerendo de varijs ſpeciebus falſæ ſpei, & addendo quod ex conſideratione diuinæ bonitatis omnia liberè gubernantis ſumitur ſecunda cauſa theologicæ conſolationis. In primo metro reprobatur opinio philoſophorum, quod Deus agit de neceſſitate naturæ, ſicut ſol lumen ſuum. In ſecunda proſa datur ratio cur diuina voluntas non eſt dicenda agere ad extra de neceſſitate naturæ. Quomodo præterea procedit aliter theologia quàm philoſophia. Additur diſtinctio trimembris de voluntate humana, & de conformitate eius ad diuinam. In ſecundo metro declaratur qualiter affectiones & induſtriæ, quæ ſparſim ſunt in brutis animalibus, collectæ ſunt in homine & in eius ratione, cui ſubditur eius appetitus. In tertia proſa fit conqueſtio ſuper difficultate, quam patitur liberum arbitrium in regendo corpus conformiter ad rectam rationem, & de modo conformandi voluntatem humanam diuinæ exemplo Chriſti. Tandem cauſa redditur de varietate iudiciorum humanorum. In tertio metro datur ratio diuerſificationis iudicij per ſimilitudinem luminis viſi per nubes, aut in ſpeculis variatis. In quarta proſa fit inueſtigatio qualiter adiuuatur libertas arbitrij. Et infertur quod nihil eſt caſuale vel fortuitum in ordine ad primam cauſam, & iuxta quem ſenſum ipſa poſſet dici fortuna vel fatum. Additur qualiter ex his quæ Deus inuenitur reuelaſſe & præſciuiſſe pulcherrimæ & ſalubres veritates eluceſcunt. In quarto metro docemur ſub exemplo quadruplici qualiter inſequi debemus voluntatem Dei.

TABVLA TERTII LIBRI.

IN prima proſa tertij libri poſt recapitulationem inchoat ſermo de conſolatione theologiæ per patientiam deſcribendo quid ſit zelus. In primo metro docetur per ſimilitudinem ignis & fuliginis quantum pericoloſus eſt zelus ſi non gubernetur ratione. In ſecunda proſa deducitur hoc idem per affectus humanos dando cauſam cur zelus turbat iudicium velut in ſomnijs. Qualis præterea zelus eſſe debeat tam in habentibus autoritatem regitiuam, quam in carentibus ea. Deniq; notantur plures cauſæ turbatiuæ zeli in rectoribus. In ſecundo metro laudatur vita ſolitaria ſibi vacans. In tertia proſa fit ſermo de il-

Digitized by Google

lorum zelo qui non habent regimen aliquod publicum, docendo ſub quibuſdam regulis qualiter & vbi debeant vti vel non vti zelo ſuo. In tertio metro docemur quod quilibet ſit contentus vocatione ſua, & ſecundum illam bene agat, & ita proderit omnibus nec ſe lædet. In quarta proſa declaratur quomodo ſolitarius poteſt omnibus proficere. Deinde ſubiungitur ſermo de patientia, quod in ea conſolatio theologica reponatur. In quarto metro ponitur vtilitas patientiæ ſub exemplo Iob afflicti.

TABVLA QVARTI LIBRI.

IN quarto libro proſa prima loquitur de trepidatione conſcientiæ humanæ reſpectu iudiciorum Dei. Et quod nihilominus labores aſſumendi ſunt pro republica & adiutorio aliorum fundando ſe in doctrina ſacra. In primo metro datur ratio cur Deus legem naturalem dedit in ſcriptis lapideis, dehinc in euangelica lege repetiuit. In ſecunda proſa ponitur diffuſè diſtinctio de triplici certitudine, addendo qualiter intelligi debeat illud Gregorij: Bonarum mentium eſt culpam ignoſcere vbi culpa non eſt. Et qualiter poteſt hoc ſine mendacio fieri. In ſecundo metro docemur qualiter debeamus ſcrupulis orientibus ex præteritis culpis. In tertia proſa fit iterum ſermo ſuper eadem redocendo quod ſerenatio conſcientiæ per ſentimenta deuota non eſt ſignum efficax diuinæ gratiæ gratum facientis. Additur de modo ſe habendi reſpectu ſcrupulorum conſurgentium circa ea quæ ſunt poſterius agenda, & qualis certitudo ſufficit, & vnde colligitur. In tertio metro loquitur quod præcepta legis naturæ ſunt etiam præcepta fidei ac legis euangelicæ, conquerendo de erroribus contingentibus circa ea. In quarta proſa loquitur incidenter de theologis & iuriſtis, quales eſſe deberent, & quales aliqui ſunt. Concludendo quod in morali negotio non poteſt vniuerſalis ars tradi quæ conferre ſufficiat certitudinem in particulari quolibet agibili, quin conſurgere poſſint ſcrupuli mentis inquietatiui. In quarto metro docetur quomodo pax mentis poſſit aut debeat inueniri. In quinta proſa ponitur ſub perſona theologiæ grandis oratio conſolatoria ſuper caſibus humanis, nominatim illius qui tunc Franciam conturbabat. Concludendo ſupremum conſolationis theologiæ gradum in animi præparatione ad martyrium.

FINIS.

NOta pro intellectu huius dialogi, quod Volucer eſt intellectus diſcurſiuus & ratiocinatiuus. Monicus eſt intellectus meditatiuus & inquiſitiuus. Peregrinus eſt homo contemplatiuus ſimul & actiuus. Pro ſenſu verò literali notandum, quod cum eximius doctor Ioannes de Gerſon ex concilio Conſtantienſi recedens, Franciam propter minas ducis Burgundiæ petere non auderet, ſeceſſit in montana Bauariæ, ibique in Rathemberg oppido, anno Domini. 1418. *conſcripto hoc dialogo introducit Volucrem nuncium à ſe peregrino ad Ioannem monachum fratrem ſuum, qui prior cæleſtinorum Lugduni degebat, proferentem quemadmodum per theologiam peregrinationem ſuam conſoletur. Et ſicuti Boëtium de conſolatione philoſophiæ in forma ſcribendi imitatur, ita etiam conſolationis argumentum vbi ille dimiſit, hic continuare conatur.*

LIBER PRIMVS DE CONSOLATIONE THEOLOGIÆ.

QVÆCVNQVE ſcripta ſunt (ait magnus ille diſcipulus theologiæ Paulus) ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Conuenerunt aliquando ſuper hoc verbo Volucer, curſor leuis explicans vias ſuas. Et Monicus in religione degens, qui vt vidit quod Volucer ſibi notiſſimus ad ſe venit de longinquo, multa quidem ſuper multis, ſed multa plus plurima ſuper aduena quodam germano ſuo conquirere diſpoſuit. Cuius inquiſitionem & alterius reſponſionem ſequens dialogus explicabit, & hoc per quatriduum ſub tetragono cōſiderationum. Quæ licet adinuicem communicent, erit tamen appropriatius prima de conſolatione theologiæ per ſpē in contemplatione diuini iudicij. Secunda per ſcripturam in reuelatione regiminis mundi. Tertia per patientiam in zeli moderatione. Quarta per doctrinam in conſcientiæ ſerenatione. Deus autem patientiæ & conſolationis conſoletur nos in omni tribulatione noſtra, & det ſermonem rectum in ore duorum. Quorum Volucer ſic incipit.

PRIMVM METRVM PRIMI LIBRI ELEGIACVM, IN QVO DEFLETVR

miſeria ciuilis diſſentionis. Concordat in genere carminis primo metro Boëtij de conſolatione philoſophiæ.

Carmina.

SÆpe peregrinans Volucer tranſmiſſus in oras,
Regrediens patriæ mœnia iam video.
Dulcis aue natalis humus, tu Francia felix,
Inclyta Pariſius, nobile palladium.
Heu quid idem? ſæuo Bellonam tumultu
Ciuili furere, ſanguine cuncta replet.

Spiritu

Spiritus in medium miſſus vertiginis errat,
Obtruncant gladijs mutuo ſe proprijs.
Carceribus trudunt alios, aut flumine mergunt,
Membráque torturis plurima dilaniant.
Pars quæuis dici pietas vult, publica curans
Commoda, quæ patriæ viſcera rumpit ouans.
Iuſtitiæ vultus atrox mentitur Erynnis.
Rex iuuó te clamans, regia ſceptra rapit.
Exuperant Syllam, Catilinam crimine vincunt,
Vim pro virtute bellicus horror habet.
Non pater à natis tutus, fratremque perire
Vult frater, ſoceri mors venit à genero.
Clerum, militiam, ciues ſine lege recluſos
Carcere, plebs rabida ſicut oues iugulat.
Nullus adeſt noſter reſpectus religionis,
Iura ſepulturæ denegat impietas.
Quiſquis opes vel diuitias famatur habere,
Obijcitur titulus proditionis ei.
Eligit hic partem neutram defendere, partis
Mox vtriuſque, patet innocuus iugulo.
Nec ſatis eſt alijs vni ſe tradere parti,
Ni ſe flagitijs conſcelerent paribus.
Quid quod te patriam pulchram violare vocatur
Extera gens! hoſtis te lacerando rapit.
Nulla fides pietáſque manet, confunditur omne
Faſque nefas, regnat horrida Teſiphone.
Extremos nonne fuerat iocundius Indos,
Aut glaciale ſolum me penetraſſe prius?
Aduena tu felix, alia te parte receptans,
Namque patent oculis non mala tanta tuis.
Verum monachus hic degit, ſua clauſtra ſubibo,
Ac de fratre ſuo fecero verba ſibi.

PROSA PRIMA LIBRI PRIMI.

Monicus.

EST ne Volucer quem video? Et certè is eſt. Dic precor ô Volucer, vnde venis, quæ noua fers, qualis ad me te modo ſors attulit? *Volucer.* Scito Monice, quoniam in Conſtantienſi concilio generali, cum germano tuo conuerſatus vſque ad finalem ſummi pontificis egreſſum, tandem diuerticula quærens, exiui cum eodem, qui iuxta cognomen ſuum peregrinus effici maluit in terra aliena, quam ad ſuos huc regredi. *Monicus.* Satis eſt ô Volucer, ſi certum me facere potueris quid agit dilectus animæ meæ, quid amor cordis mei: nonne dolet velut exulem ſe fieri in ignota & longinqua regione, vbi linguam quam non nouerat, audit? Nonne ſubtriſtis eſt ſeponi ſub modio, vel in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi, qui lucere ſuper candelabrum fuerat inſtitutus? *Volucer.* Nihil prorſus ô Monice, temporum tempeſtate penſata, proque diuturna animi præparatione, qua ſibi præuiderat omnia quæ occurriſſent, æquanimiter toleráda, gaudet potius in Domino, magnificans eum, & exultat ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo, deputans ſe adiutum meritis & precibus aliorum. Itaq; de ſe ſecurus, & in ſe Domino miſerante tranquillus, deflet miſeriá patriæ propriæ, indigniſſimáq; ſortem. Cuius tamé calamitatis media pars non eſt ſibi nonciata, quam oculis proprijs horrens intueor, quinetiá ſuper cóculcatione veritatis & iuſtitiæ, plorás ingemiſcit. Miſerabilem deniq; ciuitatis celeberrimæ deſolationem (tanquam Hieremias ruinas Hieruſalem)
A lamétatur. *Monicus.* Qua ratione fieri poteſt ô Volucer, quod exul à patria, à parentibus, à propinquis, à notis, & amicis non anguſtietur in corde, non in animo conturbetur? *Volucer.* Monice, nihil difficile eſt volenti; meminiſti puto, vt aduena noſter ſemper in medijs etiam turbis & vrbibus, ſolitudinem ſibi quæſiuit & dilexit: ſolitudinem loquor quæ eſt à curis forinſecis, & hominum calumnijs vacatior, probans illud ſapientis: qui minoratur actu, percipiet ſapientiam. *Monicus.* Scio
B Volucer & expertus teſtor. *Volucer.* Ecce autem nunc elongauit fugiens, & manſit in ſolitudine, expectans eum qui ſaluum ſe fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate, quoniam vidit iniquitatem & contradictionem in ciuitate: euolauit ſicut paſſer erepta de laqueo venantium. Vndique nimirum ſibi parabantur inſidiarum tendiculæ, enatauit vt potuit à naufragio reipublicæ, præſtolans ſi forte poſtmodum ſit ſpes: nihil tandem ſe videns aduerſus currentem furoris impetum nitendo proficere, deſilijt aliorſum à curru duplici
C regiminis, cedens raptui præualentis nequitiæ & malitiæ, quam ad præſens non vincit ſapientia. *Monicus.* Vincet tamen aliquando, crede mihi Volucer, magna quippe & fortis eſt veritas, & ſuper omnia vincit ac præualet. *Volucer.* Veritas ô Monice quãdo vincet neſcio, hoc vnum proprijs oculis inſpicio iuxta vocem Eſaiæ, quod conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas nõ potuit ingredi, quoniam facta eſt veritas in obliuio-
D nem, & qui receſſit à malo, prædæ patuit. Quo contra, videre eſt falſitatem, nõ qualemcumq; ſed hæreticam prauitatem in via mandatorum Dei, quæ perambulat vicos & plateas, erecta ceruice, inſultans catholicę veritati cum defenſoribus ſuis, proterit eos pedibus ſordidiſſimis, ac de ipſis tãquam domina victorioſiſſima triũphare gloriatur. *Monicus.* Proh Dei & hominum fidẽ! dic oro Volucer, vnde talis euerſio, nõne ſancta generalis ſynodus, quæ pro veritatis tutione principaliter inſtituta fuerat, ſe cultricem huiuſmodi veritatis exhibuit
E atq; protectricem? Verum hanc interim querelã omiſſam volo, quoniã cupit animus ex te cognoſcere, quibus exercitijs ſe refouet, quem torpere nequaquam putauerim inerti otio, quibus inſuper armis ſpiritualibus, aduerſus iniquos fortunæ ſæuientis impetus congredi ſolitus eſt, ne triſtitia ſeculi, quæ mortem operatur, ipſum vel deijciat, vel abſorbeat. *Volucer.* De vera & ſolida peregrini cõſolatione tecum ſermonem habiturus, ſignifico in primis, quod eã accipit doctrice theo-
F logia, quæ comitem ſe dedit peregrinationi ſuæ. Ab infantia enim ſacras litteras nouit, neque furor hoſtilis, neque terror peruertere potuit, quin perſequeretur iter ſuum, de qua ſapiens, Attingit ergo ait à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi iam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius (*ſequitur conſolatio*) intrans in domum meam, conquieſcam cum illa: non enim habet amaritudiné conuerſatio illius, nec tędium conuictus illius, ſed lętitiam & gaudium: in cuius pręconium ita libet metro pangere.

SECVNDVM METRVM PRIMI LIBRI DACTYLICVM ALEMANIVM tetrametrum hypercatalécticum. In quo ponitur laus theologiæ, in hoc quod eſt efficax conſolari: Et currit cum 2. metro 1. lib. Boëtij, *Heu quam præcipiti.*

Felix theologus, pulchra ſophia
Cui vult à puero ſe dare ſponſam,
Qua caſtum tenero ſtringit amore,
Eius ſe vocitans iure ſororem:
Caſus ſe ſociam præbet in omnes,
Ac vitæ releuat tædia mœſta.
Solatur reſonans cantica Sion,
Securóque regit limite greſſus.
Spes & vera fides concomitantur,
Et diuinus amor, quadraque virtus,
Prudens, ſobriaque, fortis, & æqua,
Bonorumque cohors, iuncta beatis.
Ad te ſi tribulans ſors vlla,
Duris increpitans torua flagellis;
Perſtes, impauido ſuſcipe vultu,
Nam ſic viuitur, eſt pax in amaro.
Nam ſi flammigeris intonat æther,
Fractus fulminibus, totus & orbis
In ſe diſsiliat, ſi caro cedit,
Mens eſto ſtabilis, ſede retenta.
Nec tu quæſieris Herculis arma.
Nec grandes validis viribus artus,
Plus horrenda ſatis (quàm ſuperarit)
Hac iutrice potes perdere monſtra.
Infandas Erebi carmine peſtes
Vicit quando lyram temperat Orpheus,
Molleſcunt lapides, flumina ſidunt,
Sed ſe non ſuperat victus amore.
At vero, cytharâ dum modulatur
Paſtor, poſtea rex, carminis odas,
Quas aptat phroneſis; ocius exit
Nequam ſpiritus à rege Saüle.
Ergo nemo ſatis theologiæ
Laudes extulerit, tanta patrantis,
Quâ curæ fugiunt, mens hilareſcit,
Quæ virtute ſua monſtra trucidat:
Cuius vi rapitur aduena, degens
Terris, ad nitidum ſcander e cœlum.
Excelſa reſidens cernit ab arce
Fortunam meritò rectus vtramque.

SECVNDA PROSA PRIMI LIBRI

Monicus.

IVRE quidem laudaueris theologiam Volucer: ſed in conſolatione recipienda contra fortuitos caſus, contra vanam mundi felicitatem, cur non ſuffecerit celebris ille dialogus philoſophiæ cum Boëtio, qui prorſus eleganti ſtilo, breui & ſplendido compoſitus eſt, ſententias grauiſſimas atque veriſſimas in ſe tenens? *Volucer.* Noli mirari Monice, ſi theologia philoſophiæ præficitur, quoniam ſicut naturam gratia, ſicut ancillam domina, & diſcipulam magiſtra, ſicut tempus æternitas, ſicut ratiocinationem intelligentia, ſicut viſibilia ea quæ non videntur, ſic theologia philoſophiam exuperat, quam non abijcit, ſed in obſequium ſumit. A Eſt autẽ lex diuinitatis & ordo, vt ſuprema inferiorum, iungantur ad ſuperiorum infima, more concatenationis, veluti Plato loquebatur, quæ in corporalibus argentea, in ſpiritualibus aurea vocabatur. Et planè hanc in ſcala Iacob graduum figurationem accipimus. Propterea ſub compendio procedentes, inducemus theologiã inchoantem verbũ ab illo ſupremo, quo philoſophia cõſolationem ſuam apud Boëtium terminauit. Ita enim recto breuiatóq; ordine procedet theologia, ſurſum machinam ſuæ deductionis erigẽs, ſi phi-B loſophiæ ſibi fundamenta ſubſtrauerit. Quale verò ſit illud quod poſtremum philoſophia poſuerit, puto meminiſti. Magna enim vobis eſt inquit (ſi diſſimulare non vultis) neceſſitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis. *Monicus.* Memini Volucer, & quali principio exordiens, quali præterea medio progrediens, hucuſque proceſſerit retineo, nimirum qui ſtudio libri illius ab adoleſcentia vehementer incubuerim. *Volucer.* Congratulor eruditioni tuæ, ſi C quidem ab hac ſententia qua philoſophia deſinit, theologia ſuam cum peregrino conſolationem initiat, qualis ſentẽtia formaliter in Auguſtini ſoliloquio poſita eſt. Et certè Paulus dum ad Hebræos ſcriberet, collaudaturus virtutem fidei, propoſuit ſymbolum naturæ, quod hominibus pro omni tempore neceſſarium fuit. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. At verò Deus ipſe qualis iudex exiſteret, qualem inſuper remunerationem daret quærentibus ſe, non potuit D philoſophia, neque diſcipuli ſui, ductu rationis inuenire: deficiebat enim volentibus ad altiora conſcendere ſcala creaturarum, per quam ſempiterna Dei virtus atque diuinitas, licet poſſit attingi, non tamen vſquequaq;, vt cognoſcerent quales quantaſve pœnas reprobis Deum cõtemnentibus, qualia porrò præmia ſe inquirentibus, iuſtus iudex tribueret. Quod facere, ſi vel philoſophi vel poëtę tentauerunt, euanuerunt in cogitationibus ſuis, & vix aliud quàm errores fabuloſos, ſibique E diſſidentes fingere potuerunt. Rectam denique mandatorum Dei viam neſcierunt, qua pergitur ad vitam, quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, qualem hic aſſequi neminem poſſe, philoſophia demonſtrat experimentali ratione: ſed vel virtutes vel actus formales, quibus attingatur iſte ſtatus (obiectiuè quidem) in Deo intuitiuè cognitio, philoſophia tradere non valuit. Miſeratus autem deſuper humanos errores Deus, eas veritates neceſſarias & ſalubres, F ad quas euehere non poterat philoſophia, nec tentare debuerat, theologia ſupernaturaliter infuſa (ſicut & humanus ſupernaturalis eſt finis) reuelauit & addidit. Inter quas, non irrationabiliter theologia ſuper iſtam, quòd Deus inquirentibus ſe remunerator ſit (quia videlicet iuſtus iudex eſt cuncta cernens) collocat & adijcit modum iudicij à Chriſto traditi: *Ibunt hi,* (non dubium quin mali) *in ſupplicium æternum: Iuſti autem in vitam æternam.* Neque enim eſt alia veritas, efficacius generatiua timoris Domini quam iſta, claudens in ſe horrendiſſimum illud damnationis tonitru, *Ite maledicti in ignem æternum*

Digitized by Google

æternum. Nunquid non horrendum valde proijci à facie Dei ſummi boni? Sed ad horroris cumulum inexcogitabilem, additur maledictio trudens in ignem, non qualemcunque, ſed æternum. Et hoc, cum diabolo & angelis eius, vbi aſcendet fumus tormentorum in ſtagno ignis ardentis & ſulphuris, vſque in ſæcula ſæculorum, vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Ad hunc auditum, ſi fides admixta eſt, timorem Domini quis non ſibi ſuſceperit? Eſt autem timor Domini initium ſapientiæ, & ab ipſo concipimus ſpiritum ſalutis. Et per eum declinat omnis à malo, illuminantur corda, & in oblectatione venit miſericordia. *Monicus.* Qua ratione fieri poteſt, ô Volucer, quod per timorem & talem timorem veniat quæuis oblectatio? Timor enim pœnam habet, quem perfecta charitas foras mittit. Qualis amplius cõſolatio eſſe poteſt, habẽti præ oculis aſſiduè ſtagnum ignis ardentis & ſulphuris, in quod ne corruat, formidare habet momento quodlibet? nec vnquam dum viuit ab hoc pauore ſecurus eſt? neſcit enim homo finem ſuum, neque ſi amore vel odio dignus ſit. *Volucer.* Rectè cenſeres Monice, ſi Theologia fidelis, nequaquam ad vlteriora per timorem iſtum proueheret; ſi non ad ſpem, quæ non confundit, effugere compelleret: ſi non denique ad Deum, totius conſolationis per dilectionem amplectendum, ſibique adhærendum, velut in locum refugij, mirabiliter induceret. *Monicus.* Vellem audire quo pacto fieri habet hæc inductio verè mirabilis, de timore in ſpem & amorem. Neque enim eadem ſede cordis ſimul habitare poſſe videntur timor & ſpes, licet legam prophetæ iuſſionem regibus terræ, vt ſeruiat Domino in timore, & exultant cum tremore: Et per ſapientem, qui timetis Dominum ſperate in illum: Et iterum propheta, beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, & alibi ſine numero, ſpes timori cõiungitur.

Volucer, Attendendus eſt ô Monice ſolerter ordo iudiciorum ſupremi iudicis Dei, qualem philoſophia non attingit: vnde Theologia velut humano more loquẽs, triplicem Deo curiam, triplicemque thronum deputat: reſidet in prima curia & throno, indulgens gratia: reſidet in altera curia & throno, corrigẽs miſericordia: reſidet in tertia curia & throno, damnans iuſtitia, de qua per apoſtolum, horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Tradiderat homines omnes in hanc mortis damnationem præuaricator Adam, nec erat qui de manu hac iudicantis Dei poſſet eruere, ſi non ſupra naturæ vires, & merita conſtituiſſet nobis iuſtus iudex Deus, per ſacramentum reconciliationis vnigeniti filij ſui Dei, curiam primam & alteram, in quibus gratiam & miſericordiam iudices collocauit; inthronizans quando factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Quando præterea datum eſt hominibus damnatis in curia iuſtitiæ, eam quaſi grauaminis illatricem poſſe declinare, appellando ad ſuperiores curias gratiæ & miſericordiæ, quoniam ſuperexaltat miſericordia iudicium, fitque vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia, quod philoſophia non cognouit.

Monicus. Incipio Volucer grauioribus quam antea ſcrupulis vrgeri, vt omittam quæſtiones interim multiplices, ex tuis habentes dictis ortum, de fide philoſophorum, & aliorum, quo pacto ſaluari ſint aliqui ſub naturæ ſola lege. Tradit itaque philoſophia vix perſcrutabilem diuinæ prouidentiæ viuacitatem, præſertim dum ad eam confertur humani libertas arbitrij, cum certa præcognitione futurorum. Sed ecce ſuperaddit Theologia difficultatem in immenſum, minus inueſtigabilem neque comprehenſibilem, dum quoſdam ex hominibus recipit iudicandos in curia gratiæ vel miſericordiæ, & æternæ beatitudinis participes facit: Alios verò multo plures dãnat in æternum ſua iuſtitiæ ſeueritas, dicente eo, *Multi vocati, pauci verò electi.* Mirum autem, ſi quis in hac recogitatione conſtitutus, non perturbetur, & totus horrore tabeſcat, qualiter abſcondita non eſt conſolatio ab oculis ſuis, iuxta ſcripturæ verbum, dum ita Deus inter fratres diuidit.

Volucer. Fatendum eſt in primis Monice, quod hæc conſideratio iudiciorum Dei, qui terribilis eſt in conſilijs ſuper filios hominum, ſi cum ſuperba curioſitate recenſeatur, præcipitat in illam ſapientis damnationem, qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria, exterminationem bonæ conſolationis virtutem: denique in reprobam de Deo deſperationem, & in odioſas, rabidas, & inſanas blaſphemias demergit & abſorbet, hoc in viatoribus aliquibus, hoc in damnatis omnibus operatur.

At verò conſideratio talis, ſi cum debita humilitate, & reuerentia fidelis & pij cordis aſſumatur. Si cum captiuatione omnis intellectus in obſequium fidei reuoluatur, nullam exiſtimat peregrinus noſter potiorem vel efficaciorem ad conſecutionem legitimæ conſolationis viam diuinitus elargiri. Nonne ſenſerat hoc propheta, dum ſuſpirans ait, Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum: Quam conſolationem neſcio ſi vehementius expreſſit alio loco is qui dixit, Et exultauerunt, id eſt extra ſe ſalierunt, filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Monicus. Obſeruandum eſt obſecro Volucer, ne minus ſobria fortaſſis & inſolens ſit huius doctrinæ traditio; quoniam ſtultorum infinitus eſt numerus, carnalium & arrogantium, qui non capiunt quæ Dei ſunt, ſi non dixeris ea quæ verſantur in corde ſuo, & quæ ſuo ingenio penetrare ſe gloriari poſſint?

Volucer. Corrigit & repellit tuam hanc hæſitationem conſcius arcanorum diuinorum apoſtolus, qui ſatagens contentionem gentilium Romanorum, & Iudæorum, qui ſuſceperant fidem compeſcere, collocauit totius diſputationis ſuæ velut centrum & cardinem ſupremum, conſiderationem diuinæ prædeſtinationis & præſcientiæ, ab illo loco: *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit & prædeſtinauit &c.*

Digitized by Google

Vſque dum exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudi-* **A** *cia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit ei & retribuetur illi?* Illic inſerit quod *non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei eſt, & cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: Et quod non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

Apoſtolus igitur doctor gentium in fide & veritate, inter quas erant inſipientes, multæ carnales, & ſuperbæ; ſi præmiſſam eis conſiderationem, pro ſua ædificatione non timuit exponere (quatenus **B** eas & Iudæos mutuo reduceret ad legitimam pacis & charitatis formam) quo pacto verendum erit inter Chriſtianos (præſertim eos qui de ſua ſalute ſolliciti ſunt) conſideratione iſta vti quæ apud eum, talem de ſua ſalute conſolationem, ſuorumque ſimilium operata eſt, vt aſſereret, Certus ſum enim quod neque mors, neque vita neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, pote- **C** rit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro?

Poterit autem certitudo talis accipi de certitudine reuelationis diuinæ, ſi Paulus de ſe ſolo loqueretur. Sed dum connumerauit alios electos Dei, conuenientius intelligitur hoc eſſe dictum de certitudine ſpei, quæ tranquillitas quantum ſit operatiua, ſatis admodum propheta regius expoſuit, qui dum gloriabundus in Domino dixiſſet, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*; ſubintulit **D** pro cauſa ſpem, dicens, *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

Monicus. Scire velim ô Volucer, quo ſtudio vel induſtria deuenit aduena noſter, vt in hac pace in ipſum frueretur.

Volucer. Accipito verba mea ſobriè, neque enim dicere præſumo, niſi quod aſpirat, & aſpirare ſuadet ad illam pacem in idipſum, cum propheta dicente, Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore; ſi forte aliquãdo deſiderium ſui & ſimilium pauperum exau- **E** diat Dominus, & præparationem cordis eorum audiat auris ſua. Scit enim, quoniam nemo repente fit ſummus; ſcit quoniam munus hoc gratię magis eſt quàm induſtriæ. Nihilominus doctorum deuotorum ſcripta relegens, Theologia ductrice, ſuis vti conatur induſtrijs, ne ſibimet deeſſe putetur, Deumque tentare videatur. Enititur experimento cognoſcere, quæ ſit illa pacis conſolatio, qua ſobriè inebriatus exclamat pſalmiſta, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcon-* **F** *diſti timentibus te.* Signanter ait, abſcondiſti, quia nec ab habente tradi, nec ab eo qui non habet capi poteſt. Eſt quippe nomen nouum in calculo candido ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.

TERTIVM METRVM PRIMI LIBRI GLYCONICVM, CORIAMBIcum; & proportionatur ſexto primi de conſolatione philoſophiæ: *Cum Phœbi radijs.*

Magnum crede nimis bonum
Intus quo valeas frui,
Extra non liceat loqui.
Certè neſcit homo vetus,
Intro quid ſapiat nouus.
Hoc eſt manna reconditum,
Senſus quod capit intimus.
Quæris qualis ei ſapor,
Aurem verbáque quid paras?
Guſta, poſt videas licet.
Degens frater agro ſenex,
Quærit gaudia, quæ domi
Frater iunior accipit.
Cæcus mel Ionathas prius
Guſtat, protinus hinc videt:
Mel nobis ſapidum Deus,
Quo faſtidia tollere
Mundi noxia fas tibi.

TERTIA PROSA PRIMI

Monicus.

OMISERIS interim Volucer verbum, ſuper iſtis affectus deuoti ſentimentis, de quibus ſtat ſapientia quæ in myſterio abſcondita eſt. Hæc eſt Theologia myſtica, de qua tractatus fratris apud me ſeruo, quoſdam latino, quoſdam vulgari ſcriptos ſtylo. Sed ſuper his altera fortaſſis die ſermo fiet: Perge verò proſequi de ſpe, reſpondens ad paucula interrogationes meas, qui ſecretorum aduenæ noſtri conſocius es. Recogitat ne ſupremum iudicem Deum, homines ex maſſa peccatrice prædeſtinaſſe quidem, hos ab æterno ſempiternæ beatitudinis fore participes, alios verò præſcitos & reprobatos, ad ſupplicium perpetuum?

Volucer. Recogitat Monice, & id ſanè frequẽter.

Monicus. Accuſat ne diuerſum huiuſmodi iudicium Dei, tanquam præterea ſit in eo ſæua quædam crudelitas, & indigna bonitate ſua ſumma?

Volucer. Abſit Monice talis aduerſus Deum blaſphemia, neque enim perſonam accepiſſe, neque iniuriam feciſſe dici poteſt, qui nulli debitor eſt: quod notauit apoſtolus, dicens: O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Talis apud homines ſimilitudo plurima reperitur, nedum ſuper rebus vita carentibus, ſed animatis, quibus vtuntur pro arbitrio ſuo, alijs ad mortem, alijs ad conſeruationem, nec arbitrantur ſe vel iniuriæ, vel crudelitati obnoxios eſſe.

Quid ſi vult Deus in magna domo ſua manifeſtare diuitias gloriæ ſuæ, iſtis in oſtenſionem miſericordiæ, alijs in manifeſtationem ſuæ iuſtitiæ, glorificans illos ex miſericordia, iſtos ex iuſtitia

derelin-

Digitized by Google

derelinquens? quatenus reſultet carmē illud pul-
cherrimum ex graui tenore iuſtitiæ, & molli cātu
miſericordiæ, de quali profitetur propheta: Miſe-
ricordiam & iudicium cantabo tibi Domine.
Quod ſi pauciores ſunt qui ſaluantur, manifeſtior
eſt in hoc gratia Dei, quemadmodum inter ſur-
dos & claudos, mutos & mortuos pauciores ſunt
qui miraculo curantur, quam qui propriæ condi-
tioni relinquuntur.

Verum dum ad ſingularia fit deſcenſus & in-
quiſitio, cur videlicet Petrum vel Paulum Deus
elegerit ad ſalutem, Iudam verò & diuitem epu-
lonem dereliquerit? oportet vt humana garruli-
tas apponat digitum ori ſuo, hoc vnum profitens
quod iuſtus eſt Dominus in omnibus vijs ſuis.

Itaque ſicut nulla poteſt aſſignari ratio, cur in-
ter tot res poſſibiles fieri, iſta non, illa facta eſt, nil
beneplacitum Dei. Ita de recreatione ſeu regene-
ratione ad vitam ſpiritualem multo magis dici de-
bet. Neque confugiendum eſt ad illorum merita
vel opera, quos ab æterno prædeſtinat Deus, quia
ſi operibus, iam non ex gratia. Sed neque priorem
æterna Dei voluntas cauſam habet, qui fecit om-
nia propter ſemetipſum, impium quoque in diem
vindictæ. Nihilominus fatendum eſt quod nemo
ſine culpa damnabitur, ſicut abſque gratia ſalua-
bitur nullus.

Monicus. Pergo Volucer inquirere conſequen-
ter, ſi hanc aliquando peregrinus noſter conſide-
rationem ſuper ſe & ad ſe reflectit. Meditans ne
fortè ſit ex numero reproborum, neq; enim glo-
riari poteſt ſe peccatum non habere, neque de a-
lia maſſa eſſe quam cæteros.

Volucer. Dicam illud Monice quod ſentio. Me-
ditatur aliquando ſecum conquerens, quid ſi iu-
ſto Dei iudicio damnandus eſt? Si reperit indi-
ſpoſitum cor ſuum ad humilem huius conſidera-
tionis ſuſceptionem, derelinquit eam, & ad alia ſe
conuertit, quemadmodum fieri conſilium eſt
in tentationibus vel interrogationibus carnalium
peccatorum, vel experientijs earum rerum, quæ
ſunt difficillimæ electionis, vt ſi quærat aliquis à
ſemetipſo? Malles membratim laniatus mori quā
illecebroſæ voluptati mulieris pulcherrimæ con-
ſentire. Si verò percipit affectum ſuum Deo pro-
prio tranquillum, humilem & ſuauem, ſicut im-
precatur apoſtolus: Deus autem ſpei repleat vos
omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis
in ſpe & virtute ſpiritusſancti, ſiſtit pedetentim
tamen & caute in hac recogitatione, ſi forte dam-
nandus eſt. Cuius apprehenſionis nequaquam
remurmurat ſecundum præſentem affectum &
ſenſum de diuina iuſtitia. Sed humiliatus dicit:
Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Nō
quod damnationem eligat. Abſit, quia nec Deus
hoc vult ipſum velle ſicut nec peccare nec deſpe-
rare dum viator eſt. Dicit potius cum Iob: Etiam
ſi me occiderit tamen in ipſo ſperabo. Et conuer-
ſus ad Dominum cum pio & humili affectu. Scio
inquit, æquiſſime iudex, quoniam damnati in in-
ferno te odiunt, te iniuſtum, te inuidum, te cru-
deliſſimum iudicant, te blaſphemant, te ſanctiſq;
omnibus ore rabido maledicunt. Scio quod illic
conſtitutus (heu me miſerum) ſic agerem. At
verò dum interim affectibus tam efferis & bla-

ſphemis careo amo te qui totus es amabilis, te iu-
A ſtiſſimum, te amantiſſimum, te clementiſſimum
dijudicare, te collaudo, tibi ſanctiſque omnibus
tuis ore pio benedico, quicquid poſtremò de me
futurum ordinauerit voluntas tua corde credo &
ore profiteor, quoniam nulla eſt iniquitas apud
te qui ſanctus es in omnibus operibus tuis.

Monicus. Placet Volucer diſtinctus iſte modus
habendi ſe circa recogitationem diuinæ prædeſti-
nationis ſeu præſcientiæ, nam ſicut in primo cu-
rioſitas temeraria, ſic in ſecundo meritoria valde
humilitas exercetur. Videre ſimile eſt in aſpectu
B vel recogitatione formoſæ mulieris, vbi periclita-
retur incontinens, continens verò fortiter habi-
tuatus vteretur ad virtutem. Video quod amor
hic gratuitus eſt, non mercenarius, non recuruus,
hæc affectio filialis vel fidelis ſponſæ quem amo-
rem, quia domus ſua eſt, non acceptare non po-
teſt, quia diligentes ſe diligit. Beatus qui aſcenſio-
nes in corde ſuo diſponēs ad hunc gradum penè
ſupremum peruenit. Sentio deinceps magis ac
magis quo medio poteſt hæc conſideratio pacem
C quandam & conſolationem operari. Ita tamen ſi
ſit apud homines qui peccata iam non iterāt, nam
iteratio peccatorum quid aliud prætendit quam
reprobationem & interitum? Attento quod ſpes
non ex meritis proueniens præſumptio eſt, non
ſpes æſtimanda.

Volucer. Scio ô Monice quoniam nemo eſt qui
viuit & non peccet, quando & ſepties in die ca-
dit iuſtus. Et beatus dicitur à pſalmiſta, non qui
non fecit, ſed cui non imputauit Dominus pec-
D catum. Mirum fortaſſe videbitur quod dicturus
ſum, Inuenire eſt hominem qui quanto pluribus
impugnatur tētationibus, quāto renitens eis plu-
ries euincitur, vel in voracitate gulæ, vel in ſom-
niculoſa dormitatione, vel in ſtimulorum carnis
crebra perpeſſione, & alijs huiuſmodi, tanto fre-
quentius, certius, & ideo fortius, quia humilius,
in Deum ſe proijcit, de Deo ſperat & confidit.
Conſultè quidem dum nullam videt in ſe fiduciā
reſiſtendi vitijs, neque virtutes & ſalutem adipi-
ſcendi repoſitam. Fallor ſi non ita Dauid ege-
E rit inquiens: Impulſus euerſus ſum vt caderem,
ſubdit, cuius innixus eſt auxilio; & Dominus ſu-
ſcepit me. Ruſus cum ab hominibus ſibi deſpe-
ratio improperaretur, quia tulerat ouem & paſto-
rem occiderat; & dicerent, non eſt ſalus ipſi in
Deo eius, ipſe ſolidiori ſpe Deo fiſus reſponde-
bat: Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria
mea, & exaltans caput meum.

Monicus. Vt intelligo Volucer, ita ſe res habere,
quod apud verè humilem quanto minus eſt in ſe
F ſpei, minus in ope aliena fiduciæ; minus denique
vult conſtituere iuſtitiam ſuam, tanto plus ſpei,
plus fiduciæ de Deo concipit, plus quoque iuſti-
tiæ Dei ſit ſubiectus, dicens ex ſententia: Mihi au-
tem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Do-
mino Deo ſpem meam, clamans ei: in tua iuſtitia
(planè non in mea) libera me. Poſtremò magis
intelligere nunc videor, quæ in deuotorum libris
legi, de introductione ſponſæ in cubiculū ſponſi,
de oſculo oris eius poſt oſculum manuum & pe-
dum, de habitatione prætera in adiutorio altiſſi-
mi; non in habitatione vel meritorum proprio-

Digitized by Google

rum quæ vana eſt, vel pœnarum futurarum quæ anxia, vel induſtriarum propriarum quæ timida eſt & incerta. Certa verò qualiter eſſe poſſit in adiutorio altiſſimi, inter tot vitæ diſcrimina, inter tot criminũ lapſus inter tantam electorum paucitatem ediſſeras velim.

Volucer. Rerum iſta conditio eſt ô Monice vt in ſuos fines tendant, quibus adeptis quieſcunt adhærentes eis, hoc de grauibus deorſum, hoc de leuibus ſurſum videre eſt. Eſt autem humani cordis deſiderium & pondus in Deum ſicut in locum ſuum & centrum ferri, eſt ſupremum, poſt quod non relinquitur aliud humanæ peregrinationis refugium. Supereſt igitur nihil infra quod, vel vltra quod poſſit humanum ſe cor deflectere vel fugere, dum pondere ſuo ſe conſtituit adhærere Deo, nunc interim per ſpem, fidem & amorem, neque enim ſibi dat aliter ſtatus præſens. Porrò ſicut aliquis dicitur adhærere certitudinaliter loco alicui vel baculo dum totis viribus ita ſtare vult, non aliter ſpem certam dicimus per deliberatam voluntatis adhærentiam, neque enim ſpes eſt in aſſenſu & vi rationali, ſed deſiderio & expectatione virtutis iraſcibilis tendentis in ardua, quod deſiderium, tendentia vel expectatio reperitur in virtute ſpei cum tanta certitudine per adhærentiam voluntatis, quod per nullius tentationis vel recogitationis inſultum vult ab ea ſemet euellere. Conſurgit ex radice ſimili certitudo in aſſenſu fidei, dum per nullas rationes vel phantaſias fidem impugnantes vult derelinquere quo minus ſtet in fide, ad obeditionem Dei & meriti conquiſitionem.

QVARTVM METRVM PRIMI DIMETRVM IAMBICVM, ET CVRRIT cum metro tertij libri Boëtij: Habet hoc voluptas.

Qua montis alto ſtat iugo
Quercus ſuis radicibus
Defixa nitens fortiter?
Ventos & imbres non timet,
Aſſumit hinc plus virium
Quo plus in imo ſe locat
Concuſſa venti turbine.
Sic ſpes ferens tentamina.
Antheus inuictus fuit,
Dum cautus incubans humi
Non vult in altum ſurrigi,
Elatus ilicò perit.
Quæ collocatur ſaxeo
Domus loco fideliter,
Venti, pluuiæ, flumina
Deſæuiant, nunquam ruit.
Hærere vos ſpe firmiter
Veſtro loco nitamini.
Veſter locus certe Deus.
Quo ſpes reponit certior.

A

PROSA QVARTA PRIMI LIBRI

Monicus.

VIſum eſt aliquibus ô Volucer quod ſpes in præſcitis ſemper ſit erronea. Id enim ſe putant habituros quo carebunt. Alij volentes hanc abſurditatem euadere dixerunt ſpem in hac conditionali exiſtere: Si legem Dei obſeruauero ſaluus ero.

Volucer. Monice, nec hoc vltimum ſufficit ad
B ſpem, ſtaret enim cum deſperatione talis conditio. Nec primum ſobriè dictum eſt, quod Deus obliget reprobos ad errandum, ſicut obligat ad ſperandum: Proinde ſpes ad certam beatitudinis expectationem ſic ſe habet. Ponit ſibi per fidem quod eſt aliqua talis beatitudo; iungit quod ad illam pura liberalitate & gratia Deus ab æterno quoſdam prædeſtinat & eligit: Addit quod ad conſecutionem huiuſmodi finalis beatitudinis, ordinauit media conuenientia varijs modis ſine
C numero: Inter quæ medium præcipuum eſt gratia, quæ ideo dicitur vita æterna, quia pignus eius eſt vel arra. Hanc autem gratiam nulli dedit neque daturus eſt, niſi per medium mediatoris Dei & hominum, quam gratiam pro omnibus meruit ad ſufficientiam, ſed non ad efficaciam niſi incorporatis ſibi per fidem habitualem, vt in paruulis, vel actualem & habitualem quæ per dilectionem perſeueranter operatur, quæ fides minus explicita fuit in prophetis tempore legis ſcriptæ, quam in apoſtolis tempore gratiæ. Et longè minus in phi-
D loſophis & alijs gẽtilibus pro lege naturæ. Quamuis enim omnes accedentes ad Deum oportet credere quod Deus eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, quis eſſet tamen modus quo talis remuneratio conſequeretur, per myſterium videlicet incarnationis filij Dei, ſicut non erat explicitè reuelatum, ſic nec explicita fide credendum. Cæterum ſpes taliter inſtructa per fidem quę ſuus eſt oculus, figit in primis deſiderium ſuum ad beatitudinis adeptionem tanquam ad finem: Et ab
E illo deſiderio nequaquam vult auelli. Deinde deſiderat media quælibet ad huius finis aſſecutionem per Dei prouidentiam ordinata per arma iuſtitiæ ſicut dicit apoſtolus, à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam &c. Fides itaque rurſus dicit ei, quod diligentibus Deum & ſperantibus in eo, omnia cooperantur in bonum, ſicut tradit apoſtolus, quod omnia noſtra ſunt, conformiter ad Chriſtum: Primum quærite regnum Dei, & om-
F nia hæc adijcientur vobis, neque talium aliquis prædeſtinatorum peribit vnquam. Quo contra fit de reprobis quibus omnia cedunt in malum, etiam aliena bona quæ in ſcandalum ſibi vertunt & ruinam. Nihilominus quoniam ignotum nobis eſt quos vult inter homines Deus & qualiter ſaluos fieri, operandum eſt bonum ad omnes, vel orando vel commonendo, vel hortando, vel increpando, vel ab erroribus & vitijs abducere ſatagendo. Ita ſagena charitatis concludit in ſe bonos & malos ſeparandos in die iudicij.

Præterea

Digitized by Google

Præterea ſi ex peccatis electorum, diuina bonitas
poteſt, ſcit, & vult elicere bona, nõ tamen idcirco
mala bona ſunt vel eligenda, ſed cauenda penitus
plangendáque. Collaudandus autem benigniſſi-
mus & omnipotens Deus, qui malis noſtris non
ſolùm non vincitur, ſed ex eis operatur bonum
noſtrum. Sic enim dicitur omnia ſub peccato
concluſiſſe, ſcilicet permiſſiuè, vt omnium mi-
ſereatur. Peccauit Petrus, humilior, cautior &
miſericordior effectus eſt, non actione mali, ſed
miſeratione Dei: peccauit Magdalena, plus
poſtea dilexit, quia multum ſibi dimiſſum eſt, &
in exemplar pœnitẽtiæ cæteris ceſſit: Blaſphemus
fuit Paulus, confitetur humiliatus, quod non ſit
dignus vocari Apoſtolus, & eſt inter peccatores
primus, denique iocundatur pater & epulatur in
receptone filij prodigi: Et gaudium eſt Angelis
Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.
Quis neſciat proinde pauperes dum de ſtercore
peccatorum erigit eos Deus, collocans in glo-
riam cum principibus populi ſui, quod in am-
pliores erga diuinam benignitatem aſſurgunt gra-
tiarum actiones? non quin innocentia præſeruata
ſeruatáque plus habeat dignitatis & gratiæ, cæte-
ris paribus: ſed in reparatione deperditæ magis
eminet miſericordiæ benignitas. Miſerandum
verò eſt quod in reprobis agitur è diuerſo, de
virtute & humilitate ſuperbiunt & gratuitis Dei
donis vel ingrati, vel tepidi ſunt, vel in ſuam &
aliorum perniciem & Dei inhonorationem ab-
utentes vertunt: ita vt eorum quandoque fiat
oratio in peccatum, hic per ingratitudinem, in
inferno autem per blaſphemiam inſaniorem.
Recordantes enim quemadmodum fuerunt ali-
quando ſupplices Deo, hæc & illa bona facientes,
venerantes ſanctos, ſanctáſque omnes cum de-
uotione, quidni rabidiori contabeſcant odio, &
maledictis latrent aduerſus Deum, ſanctos, ſan-
ctáſque omnes? præſertim eos quos præcipuè co-
luerunt, eos inuidos, eos crudeliſſimos, impios, &
ingratos, qui non ipſos à tormentis cum poſſent,
eripiunt, acclamantes. Quid ergo dicemus ad
hæc? faciemus igitur mala vt Deus eliciat bona,
vel bona vitabimus, ne cõtingant mala, qualia te-
tigimus? Abſit, propter id enim quod per accidẽs
eſt, non debet illud quod de per ſe eſt variari.

Monicus. Horreſco Volucer hoc audiens, & vi-
dens te ſuperadmirabili via niti pro conſolationis
adeptione, dum tremendæ & contrariæ deſola-
tionis memoriam ſubinducis.

Volucer. Hic modus eſt, hæc ars theologiæ, credi-
deris Monice, quod ſicut per ſtultitiã & ſcandalũ
prædicationis crucis ſaluos fecit credentes, ſic per
inſipiẽtiam trahit ad ſapientiam, dicente Apoſto-
lo: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſe-
1. Cor. 3. culo, ſtultus fiat vt ſit ſapiens. Nõ aliter vult eadẽ
theologia, per ſummam deſperationem de homi-
ne, trahere ad ſummam de Deo ſpem, & per de-
ſolationem inæſtimabilem & intolerabilem, ſur-
ſum ducere ad ſolidam conſolationem. Addi-
deris nullam eſſe recogitationem, quæ plus iſta
radicaliter euellat ab humano corde ſuperbiam,
de ſe ſemper aliquid magnum præſumentem, cui
reſiſtit Deus, quæ magis inſuper gignat & nutriat
humilitatem legitimam ſub Deo, & ad homines,
vitijs procul expulſis, quæ fert ſecum ſuperbia.
Nam qua fronte poterit aliquis fratrem ſuum
A qualemcumque deinceps vel odio vel ira vel in-
uidia proſequi, imò nec animo, quod reprobus
ſit, iudicare, qui videt ſe de eadem maſſa peccati
in eadem damnatione eſſe, neque ſcit quid ſibi
craſtina pariat dies? Quod ſi voluerit gloriari de
bonis ſuis, mendax eſt ſi non habet, ſi habet, illa
gratis accepit à Deo: quid ergo gloriatur quaſi
non acceperit? Quid præterea iudicat alienum
ſeruum, qui domino ſuo ſtat aut cadit, ſtabit au-
tem, potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Sub
B hoc intuitu dixiſſe putandus eſt Apoſtolus, venit
Deus ſaluos facere peccatores, quorum primus
ego ſum, primus intelligo, quo nullus prior, vi-
dens ſe cum alijs æqualiter filium iræ, & ex eadem
peccati maſſa eſſe, quales venerat ſaluare Deus.

Monicus. Intelligo Volucer materiam hanc de
timore & ſpe latam eſſe, vellem traderetur ſub
compendio modus quo præcipuè ſpes ſtabilitur.

Volucer. Nimirum ſtabilitur à Deo, cuius ſu-
pernaturale donum eſt. Sed ſi particularius ali-
C quid exigis, inuenitur quadruplex meditatio quæ
velut in tetragono firmiſſimo geſtat ſpem: Vna,
meditatio eſt diuinæ iuſſionis vt ſperes: Altera
diuinæ promiſſionis ſi ſperes: Tertia immenſæ
Dei pietatis, ne deſperes vnquam de ſuis miſera-
tionibus: Quarta propriæ fragilitatis, ne ſperes
in te vel in proprijs viribus. Dic igitur cogita-
tioni tuæ ſollicitanti ſpem deſerere, dum non
facis certam vocationem tuam per bona opera,
quotidie corruens de peccato in peccatum, in-
gerenti proinde ne ſis de multis vocatis & non
D electis, ſicut vita tua ſimilis eſt multorum: Dic
reſpondens, quod obedis iubenti Deo, qui mille
locis ſcripturæ ſacræ, præcipit vt ſperes in eo, cui
dicit: Exurge Domine Deus in præcepto quod
mandaſti, proijcio me in te iubente te, non es
crudelis aut fallax vt abijcias me, iuncta præſertim
multiplici promiſſione tua, qua ſperantibus in te
pollicitus es quod liberares eos, eriperes, ſaluares,
& glorificares. Cuius demum tam immenſa pietas
eſt, vt nullis peccatis etiam infinitis (ſi commi-
ſiſſem ea ſolus) vinci poſſit hic in via. Quódque
E interpoſuiſti cum immobilitate conſilij tui iuſiu-
randum, vt per duas res immobiles, ſicut loqui-
tur Apoſtolus tuus, quibus impoſſibile eſt men-
tiri te, nos fortiſſimum ſolatium habeamus ad te-
nendam propoſitam ſpem. Quamuis enim ſis
inobligabilis, à creatura tua rationali, quicquid
agat pro te vel erga te, voluit tamen dignantiſſi-
ma condeſcenſio tua, commercium quoddam
habere cum hominibus, vt bene de te mereantur,
ſi iuſſa tua compleuerint & in te ſperauerint, qui
F fidelis es, & teipſum negare non potes: Hæc tu
ita Deo. Poſtremò dum propria fragilitas obij-
citur vt deſperes, deſperes volo, ſed de te & in te,
qui homo & caro es: Nam maledictus homo qui
confidit in homine, & ponit carnem brachium
ſuum, & à Domino recedit cor eius. Sed hic oc-
currit trepida cogitatio dicens, qua ratione co-
nabor declinare vitia, virtutes acquirere, ſeruare
mandata Dei, ſine quibus ſperare vitam ingredi
iam non ſpes eſt, ſed arrogans & infidelis præ-
ſumptio? Conaberis prorſus, ſed in adiutorio al-
tiſſimi, & millies victus millies coronaberis, &
quidem amplius & certius, quò nulla tibi ſupereſt

Digitized by Google

fiducia de proprijs operibus. Propterea dicturus Salomon finem concionationis ſuæ, dum proferre vellet. Serua mandata, pręmiſit, Deum time, quia videlicet ab ipſo eſt bonum, & velle & perficere. *Prouerb. 7.*

Monicus. Retineo quod in ſoliloquijs ſimilia de ſe confeſſus eſt Auguſtinus; Sperabam, inquit, aliquando in virtute mea, quæ non erat virtus: Et cum ſic volui currere, vbi magis ſtare credebam, ibi magis cecidi, factúſque ſum magis retrò, quàm antè: Dicebam enim, hoc faciam, illud perficiam, fiebátque poſt nec hoc, nec illud, quoniam de meis viribus confidebam. Nunc autem confiteor tibi Domine rex, pater cæli & terræ, quoniam non in fortitudine ſua roborabitur vir, vt non glorietur ante te ſtulta præſumptio omnis carnis.

Volucer. Traducit aduena noſter meditationem hanc etiam vſque ad Angelos, & Sanctos, dum attēdunt horrorem diuinorum iudiciorum in damnatis. Canimus, enim quod tremunt Angeli atque Archangeli, tremunt, intellige non ex formidine ſuæ damnationis, quibus ineſt gloriæ ſecuritas, ſed eò magis ex aliorum damnatione, quaſi ſi tremerent, & pauerent in ſe deficientes, reſiliunt in adiutorem vnicum Deum adhærentes ei, ſe fragiles, & nihilo ſimiles reputantes ſine eo. Addidit de humanitate Chriſti, quod ſicut in eſſe ſuppoſitali, ſic innititur perſonalitati filij Dei, quod propriam deſerit, nec in ſe ſubſiſtit: ita in eſſe gratiæ vel gloriæ innitur Deo, & nullatenus in ſe. Et ita de Sanctis, quantò perfectiores, tantò humiliùs & reuerentiùs in adiutorium Dei reſiliunt. Quò contrà de reprobis, qui magis refugiunt à Deo, & ad ſe confugiunt, quò damnabilius puniuntur, quoniam in ipſis eſt amor ſui vſque ad contemptum Dei, ſicut in alijs eſt amor Dei, vſque ad contemptum ſui. Denique ſpes velut anchora, quantò minùs in arenulis fragilibus & fluidis humani auxilij figitur, tantò ſolidiùs & certiùs ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt, defixa, ſtabilitur. Quod ſi quæſierit aliquis, quid igitur de illis, quos non ſaluat Deus? Reſponſum habeat, quod velut animalia propter homines creata ſunt ad obſequiorum varietatem, illa blandiendo, iſta ſæuiendo, intelligere ſic habemus, propter electorum ſalutem præſcitos eſſe formatos, ſiue nocere, ſiue obſequi conentur, vt non glorietur omnis, vel obſequens electis, vel aduerſans eis. Neque tamen ita ſunt accipienda, quæ dicta ſunt, quaſi tollatur libertas arbitrij, fortificatur ſiquidem magis & inſtituitur, ſed in Deo viuificante per gratiam, quæ eſt velut anima quædam, vitam habens in potentia ad vitam ſecundam, ad meritoriam videlicet operationem. Itaque, ſicut operatio animalis præſupponit eſſe naturæ, ſic operatio ſpiritualis vitam gratiæ. Sed neque audiendus eſt Cicero, qui vt libertatem in hominibus ſtatueret, abſtulit à Deo prouidentiam: Neque rurſus ex aduerſo recipiendus alter, qui diuinam prouidentiam ſic inſtituere voluit, vt arbitrio noſtro neceſſitatem imponeret. Proh nefas! etiam in peccatis dicens Deum velle & facere nos peccare in manifeſtationem gloriæ ſuæ: Porrò viam mediam & regiam tradit theologia reuelata, fide ſubnixa, qua gradiendum eſt, etiam vbi ratiocinationis contrariæ diſſolutio plena non pateret. A

Monicus. Exiſtimo quod has ſententias nec inexperti ſatis capiunt, nec experientiam dare poteſt induſtria, niſi præueniente in benedictionibus dulcedinis, & cooperante Dei gratia, valde ineffabili modo: Et hoc eſt Dei donum ſcire, à quo poſtulanda ſit & impetranda talis gratia. Multa enim dicimus & deficimus, verbum autem abbreuiatum & conſummatum facit ſapientia, B dum in animas ſanctas ſe transfert, delicias ſuas computans eſſe cum filijs hominum, in quibus beneplacitum eſt Deo, quia ſperauerunt ſuper miſericordia eius. Sed ecce iam adueſperaſcit, & inclinata eſt dies, quando ad ſe me vocat opus Dei, ſimul & viæ laſſitudo quietem te petere ſuadet. Expectetur pro reliquis (multa enim quærenda ſuperſunt) ſequens dies.

Volucer. Expectetur placet, ſi priùs audieris ſub exemplari modulamine qualis ſit, vt eum recogites germani tui ſtatus.

C

QVINTVM ET VLTIMVM METRVM PRIMI LIBRI, ALEMAnicum dactylicum, tetrametrum hypercatalecticum currit cum quinto quarti de conſolatione philoſohiæ Boëtij: *Si quis acturi.*

VNVS *è multis nauta, profundo*
D *Dum regit nauem; ventus & imber,*
Et procellarum turbida moles,
Si repentinis motibus vrgent;
Proximam nautis crebro minantes
Naufraga cladem mortis; adeſſe
Nititur ſiſus artę magiſtra:
Nil inexpertum corde pauenti
Segniter linquens; omnia ſolers
Tentat, vt nauis littora captet.
Si mali verò tanta moleſtat
Sæuiens peſtis, iamque latratu
E *Terret auditum Scylla canino,*
Attrahens gulpho cuncta voraci;
Non opem poſſunt ferre ſodales,
Pars & in præceps vltro laborat,
Scitque nauclerum ſtertere puppi.
Obſtupet talis quis, nihil vltra
Viribus fidit, ſpes nec in arte eſt,
Reſpicit cælum, vota Deo dat,
Aut mari ſeſe deijcit alto
Nudus enatans, ſi ſcopuloſum
F *Prominens ſaxum ſuſcipit ipſum.*
Vel ſinu tuti conditur antri.
Laudat excelſum gratior, illi
Dicit, euaſi ſorte benigna.
O reſeruatum ſanctius olim
Obſequi fas ſit Chriſte tibi, me
Rurſus, aut ſi me nauigio das,
Vtar illo fac proſperiore.

Libri primi finis.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

PROSA PRIMA.

Monicus.

ECce nobis ô Volucer altera dies fulſit illa continuaueris precor effari quæ cœpta ſunt. *Volucer.* Meminiſti puto ſub quali ſimilitudine finem accepit heſterna collocutio. Non omnino diſſimiliter nunc aduena noſter ex procella publici ciuiliſque naufragij conſultè fugiens,in locum ſatis abditum velut in quandam ſecuritatis inſulam ſe recepit. Illic more ſolitarij ſedens leuat ſe ſuper ſe, theologiam habens conſolatricem quæ doctrix eſt diſciplinæ Dei & elextrix operum illius, quæ ſobrietatem & prudentiam docet & iuſtitiam & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Hæc erigit ad ſpem futurorum, quemadmodũ tetigimus, aſſerens quod non ſunt condignę paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Addens quod ſpes non confundit, ita tamen ſi ſit vera ſpes, non ficta, non fallax, non temeraria. Eſt itaque repromiſſio nequiſſima fallens quam plurimos blandientes ſibi, vtere mundum ætas florida eſt, conuerti poteris cum voles tanquam videlicet ex proprijs viribus non Dei dono fiat conuerſio. Sunt & alij quos eò periculoſius quò ſubtilius decipit æſtimatio ſua, dum caſus peccatorum varios quos perpetiuntur emendare non curant, vtuntur potius ad ſuperbiam, reputantes ſimile aliquid ſecum fieri cum Apoſtolo, cui datus eſt ſtimulus carnis ne magnitudo reuelationum extolleret eum, eis autem (ſicut aiunt) ne magnitudo virtutum. Ab alijs migrat Iudas, id eſt, confeſſio propter multitudinem ſeruitutis. Tædet enim & pudet eos totiens ad confeſſores deducere lapſus ſuos, à quibus abſtinere vel nequeunt domino permittente vel non ſatis volunt. Sunt quos ſcrupulorũ inquietudo & cordis puſillanimitas ita perturbat, vt vix relictus ſit in eis ſpei locus. Sufficit alijs ſcire de ſpe per intellectum diſſerere, dicẽtibus in Deo ſolo ſpem eſſe reponendam quis neſciat? verum apud tales nullus penè ſpei vel ſenſus vel effectus eſt. Inuenies alios ſperantes in miſericordia Dei, quos ad homines nulla flectit miſericordia: venia nulla patet. Quid quod deſperant alij de Dei bonitate, ſi non ſuauitatem dulcedinis ſuæ experimento iugi guſtent, quaſi iam eſſe velint non ſpe, ſed ipſa re beati, & poſſidere hæreditate ſanctuarium Dei, neque eſſe laboribus hominum, neq; cum hominibus per tentationes flagellari. Alios videre eſt dum eos paululum viſitat Deus in opulento & intimo bonæ ſpei ſenſu protinꝰ extolli, ſibi magnos eſſe propriæ vitæ negligentes, & ſeueros alienæ cenſores, arrogantiores demum vnde humiliores coram Deo & hominibus & ſibi viliores eſſe debuerant. Quid porrò dicemus de duplicibꝰ corde, qui duabus vijs niti volunt, ſpem in mundo ponere, & ſpem in cœlo collocare cupientes: Quid rurſus de ingratis largitori Deo pro omnibus bonis vel naturę, vel fortunæ, vel gratiæ? Qui vtinam ſaperent illam ſapientis grauem vocem? Ingrati ſpes tanquam hybernalis glacies euaneſcet. Aliorũ vox iſta eſt, certus ſum me ſaluandum, neq; enim fecit me Deus vt damnaret, qui vult omnes
A homines ſaluos fieri. Maior eſt iniquitas mea (dicit alius imitator Cain) quam vt veniam merear, quid conabor, quid ſperabo? Laxis habenis vtitur alter certam damnationem ſuam pro incerta faciẽs, quicquid inquit egero bonũ ſit aut malum, quod de me ſtatuit Deus, illud fiet. Mirũ verò cur non vtitur argumento ſimili, dum medicinã vti ſanetur vel cibũ vt viuat ſumere monetur, quia præſciuit vtique Deus quando morietur aut viuet?

Monicus. Beatus eſt Volucer cuius eſt verè no-
B men domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas, quales commemoraſti. Sed reuertor ad aduenam noſtrum. Nonne quæſo retorquet frequens ſuæ conſiderationis oculos ad præterita, quæ vel pertulit, vel aliorum exemplo perferre potuit?

Volucer. Retorquet quidem & id crebrò gratias inter triſtitiam ſimul & gaudium, ſpem & metum agẽs Deo, nihil ſollicitus iuxta monitionem Apoſtoli, niſi vt petitiones ſuæ innoteſcant apud Deũ, pro ſua ſuorúmque liberatione, conſolatione &
C ſalute. *Monicus* Iuſtè verò gratias agit, quis enim non eum fœlicem ex hoc vno ſi cætera deeſſent iudicauerit, quod deformiſſimam & horridam nedum ciuitatis præclariſſimæ ſed totius regni nuper florentiſſimi deſolationem, non dicam experiri in ſe, ſed nec oculis inſpicere compellitur? Nonne legimus Auguſtinum ea tempeſtate qua obſidebatur ciuitas ſua, potius mortem à domino petiſſe & impetraſſe pro magno munere, quam quod mala gentis ſuæ coram cernere coge-
D retur? Hinc & Matathias princeps dum videret mala quæ fiebant in populo Iuda & Hieruſalem. Væ mihi ait, vt quid natus ſum videre cõtritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctę, & ſedere illic cum datur in manibus inimicorũ. Nota eſt hiſtoria de Catone qui mortem cruentam inferre ſibi maluit, quam in diſſidio ciuili viuere, ipſúmque videre tantæ tempeſtatis auctorem.

Volucer. Eſt vt dicis Monice. Ponit nihilominus crebrò præ oculis cordis ſui, quot indigniſſimas ſubſannationes, quot opprobria peſſimorum im-
E mo fortaſſe carceres & vincula multos ex innocentibus charis ſuis, pro fide, pro iuſtitia, pro pace reipublicę, pro integritate regalis dominij perpeti neceſſe eſt. Quinetiam videre ſibi videtur nonnullis hæc accidere, eò duntaxat quod ſibi vel affinitate vel familiaritate vel cauſæ ſimilis defenſione, pariq; zelo coniuncti ſunt. Eis obiectari præterea, quod magna mali radix & origo ab illo proceſſerit & aucta ſit. Veniſſe autem tempus quando iudicium cum ſuis recipiet, immo & re-
F fuga factus, exul, ignominioſus & abiectus, nec aſpectu publico dignus ita recipi.

At verò traijcit has & ſimiles contumelias in ſpem vitæ æternę, ſciens quod nõ eſt ſeruus maior domino ſuo, quem nedum beelzebub appellarunt, ſed ad mortem vſq; perſecuti ſunt. Formidat proinde quod apud Deum nõ ſit dignus habitus, qui cum alijs ſimilia pateretur aut temperauit in illo flagellum ſuum, qui vincitur in martyribus parcendo confeſſoribus. Aut noluit benignitas ſua addere triſtitiam ſuper triſtitiam, ſuis pro ſe orantibus amicis, nec veritatem in eius opprobrio vehementius conculcari. Aut ad extremum

reſeruat ipſum ad alia certamina. Aut ita fieri voluit quatenus in ſolitudine quadam ſegregatus exercitetur liberius, & ſcopat ſpiritum ſuum, recogitans omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, vt ſanctus deinceps ad anteriora ſe extendat. A

Monicus. Spero Volucer vertet omnia in bonum Deus, cuius ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, qualem ei comitem eſſe præmemoratus es.

Volucer. Confidit taliter euenturū ſibi Deo propicio, & in hac meditatione conſtituit alteram ſuę conſolationis cauſam præcipuam quæ verſatur in B reuelatione regiminis mundi per ſcripturam ſacram, quæ Deo dicit, omnia in ſapientia feciſti. Et rurſus: Omnia quæcumque voluit dominus fecit cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, quę voluntas ſicut ſemper efficax ſic & iuſta eſt, ſine qua factum eſt nihil, vſque adeò quod neque folium ab arbore neque paſſer in terram (dicente Chriſto) cadit ſine ea. Vehemens prorſus hæc eſt diuinæ libertatis in omni actione concurrētis expreſſio. Cui volūtati noſtra vt conformetur oportet. Nam quis es ô homo (loquitur theologia) qui C diuinæ voluntati præſumis obſiſtere, vel aduerſus eam temerarius murmurare? Vide quid æquius eſt: Aut te voluntate diuinæ conformando ſubdere, aut quod ipſa tuæ ſubſeruiat volūtati? Hanc ſolidam de diuina prouidentia veritatem ſi philoſophia plenè potuiſſet attingere vel ſuis eam ſectatoribus demonſtrare, theologiam ſuperaddi per reuelationem non ita neceſſe fuerat, quamuis voluerit alios Deus quam philoſophos cognitionis huius ſaluberrimæ participes fieri. Philoſophis D verò ſic euenit vt maior eorum numerus poneret Deum non minori neceſſitate quam ſolem agere quicquid agit. Vnde ſic libet depromere.

PRIMVM METRVM SECVNDI LIBRI DACTILICVM ADONICVM dimetrum catalecticum, currens cum vltimo primi de conſolatione philoſophiæ. Nubibus atris.

SOL radianti E
Luce coruſcus
Lumina fundit
Semper eodem
Miſſa tenore,
Neſcit auaros
Condere vultus.
Non ſibi fas eſt
Quin ſua virtus
Largiter omnis
Inſluat orbi. F
Philoſophantum
Turba priorum
Lege coercet
Hac dominantem.
Libera dicunt
Non ſibi vis eſt
Influa mundo
Qua valeat plus
Aut minus vti
Perpetuata
Lege gubernans
Iugiter vna;
Mens ſua fato
Stringitur arcto.
Ergo rependi
Gratia qualis
Debet eidem
Id quia præſtat,
Præſtet oportet.
Vana quid ores
Flectere quærens
Ad tua vota
Qui manet idem?
Deuius error
Iſte, ſacrata
Religionis
Deſtruit omne
Robur & aufert,
Sed nec egere
Crede ſupremum
Quoque creato.
Sat ſibi laus eſt
Vt placet & vult
Dat ſine motu
Cuncta moueri.

SECVNDA PROSA SECVNDI LIBRI.

Monicus.

PHILOSOPHIA Volucer nunquid non apud Boëtium vtramq; ponit & ſaluat libertatem, Dei videlicet & naturæ cuiuſlibet vtentis ratione?

Volucer. Cōſtitutus in ſuperiori lumine potuit ita videre Boëtius qualiter nec Platonici, nec Stoici in lumine ſolo prophetiæ verſati viderunt. Alioquin perpetuitatem mundi (vt alio modo non attingam) nequaquam demonſtrare conati fuiſſent, ex carentia libertatis ad vtrumlibet primæ cauſæ, de qua canit theologia, dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. Nec mirandum hoc in philoſophis qui perfectionem & actionem primæ cauſæ venabantur ex inſpectione creaturæ viſibilis, in qua non eſt per experimentum reperire, quod aliqua ſit aut poſſit eſſe creatio. Hinc pro principio percrebuit apud eos ex nihilo nihil fieri, ſed hæc alibi latius tractanda ſunt. Et amplectenda theologię traditio per ſcripturam reuelatam quod diuina voluntas agit ad extra liberè, contradictoriè, & ad vtrūlibet ſicut hiſtorialis & propheticus ſcripturę decurſus palā monſtrat. Cuius ratio eſt quam philoſophi vel negauerūt vel neſciuerūt. Deus quippe non ideo vult res ad extra fieri, quia bonæ ſunt, quemadmodū mouetur humana voluntas ex obiectione boni veri vel apparentis. Eſt è contra potius quod ideo res ad extra bonæ ſunt, quia Deus vult eas tales eſſe, adeò quod ſi vellet eas vel non eſſe vel aliter eſſe, id quoq; iam bonum eſſet. Proterea benè enūciauit magnus Ambroſius poſt Baſilium quod voluntas diuina naturæ prima lex eſt. Denique voluntas etiam creata ſi concedatur immobilitari circa volitionē alicuius boni, hoc non eſt niſi reſpectu finis & eorum ſine quibus finis haberi non poteſt. Quis verò negauerit diuinam voluntatem non alium habere finem quem velit niſi ſe, quoniā propter ſe fecit omnia, & propter ſe erat antequā fierent omnia, qualia conſtat non eſſe neceſſariò connexa ad volitionem ſeu conſecutionē finis huius, quare nec neceſſariò volita ſunt.

Secus

Secus in communicatione diuinarum perſonarum ad intra, quæ in ſua neceſſitate conſiſtit ſicut A in ſua neceſſitate vult ſe Deus. Qualis itaque reputanda eſſet diuina perfectio, ſi ex proditione creaturarum dependeret quas in ſui comparatione conſtat eſſe quaſi nihilum & inane. Ita vt mirandum potius videatur immēſam perfectionem fuiſſe dignatam res tantæ imperfectionis, & cuiuſdam vilitatis producere ac regere, quas ſi repente deſtrueret vel in vnum confunderet quis ei dicere poſſet cur ita facis? Quinetiam theologia volens amplius captiuare omnem intellectum in B obſequium fidei, propoſuit in memoriam diuinorum mirabilium eſcam quam dedit dominus timentibus ſe in Euchariſtiæ ſacramento, vbi relucet incomprehenſibiliter quod ſuper omnem ſenſum ſuper omnem naturæ cōmunis ordinem, Deus poteſt, ſcit & vult quotidie mirabiliter operari. Ad conſolationem & igitur aduenæ noſtri pro recogitatis aliorum calamitatibus & anguſtijs theologia ſumit initium à prima & ſuprema cauſa quæ Deus eſt. In cuius ditione cuncta ſunt poſita, & non eſt qui ſuæ poſſit reſiſtere voluntati. De- C hinc ad inferiores effectus ſe deflectit. Philoſophia verò conuerſum vt ſæpius proceſſum retinet ab inferioribus & cognitis ad ſuperiores & latentes cauſas, ductu rationis ſe ſubleuans. Occurrit autem primitus in hoc proceſſu mirabilitas rerum infra labentium variabilitas ſortis humanæ, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet. Denique cōfuſio quædam & imperfectio eorum omnium quæ mundus inferior oſtentat vt ſunt diuitiæ, opes, dignitates, regna, gloria, voluptates, quæ D frequentius in contraria dilabuntur. Sed inchoat protinus ab altero peregrinus noſter fide fultus. Et quoniam ſicut ſolent maiores motus impedire minores, ita grauioris mali recogitatio ſufferentiam leuioris facit æquanimiorem. Vult ecce ſupremus iudex Deus (prout edocet theologia) quod ab initio mundi vſque hodie & in ſecula ſupplicijs infernalibus Angeli multi & homines crucientur, vult alios in purgatorij locis pœnis tradi, conqueri non audes neque debes, vult autem viatores homines tribulationibus multis exer- E ceri. Tu quis es qui querulando cōtradicas. Quid magnum ſi corruunt & pereunt quandoque peritura ſi moriuntur aliquando morituri. Hoc verò magnum eſt elaborare quo fine concludatur vita, ſemper victura vel in ſocietate beatorum vel in damnatorum calamitate.

Monicus. Sentio Volucer quod in alienorum ſicut & in propriorū malorum meditatione contentus non eſt aduena noſter infima ſectari, ſcandit protinus ad ſuprema velut in arcem ſupra quā F non eſt altera, videat autem ne cadat: Eſt enim vt aiunt, lapſus iſte ſapientum de prouidentia Dei cum arbitrij libertate. Videat inſuper nedum fragilibus & caligantibus oculis incircunſcriptibile lumen nititur attingere demergatur in tenebras denſiores exēplo nicticoracis, quod inducit Ariſtoteles ad nitidiſſimam ſolis lucem.

Volucer. Tutatur eum Monice fides illuminans tenebras ſuas, & aciem mentis inualidam ſua luce colluſtrat, vt in tam excellenti lumine figi poſſit, eique ſit delectabile, iocundum & ſalubre videre lumen diuinum, quod abſque ea odioſum foret noxium & triſte. Proinde iam accepiſti quid de cogitatione nedum alienæ, ſed propriæ damnationis agit.

Veruntamen ad intelligentiam huius rei ne vel incredibilis vel ſcandaloſa ſit ad cognoſcendum? Præterea qualiter & in quibus humana voluntas diuinæ debeat conformari, remoranda eſt diſtinctio de triplici voluntate prout ad omnem appetitum nomen voluntatis ſe protendit.

Eſt in ſupremo propriè dicta voluntas rationalis inſita portioni ſuæ ſuperiori, quæ ad leges conuertitur æternas vel ad vnicam potius æternitatis legem ſuam fœcunditate ſeu virtuoſitate multiplicem. Eſt enim iuxta ſapientem Dei ſpiritus vnicus & multiplex. Hæc voluntas ita ſemper conformis eſſe tenetur diuinæ voluntati cognitæ vt aduerſus beneplacitum ſuum nunquam remurmuret, quaſi vel iniuſta ſit, vel irrationabilis, aut incompoſita, crudelis & inuidia. Hæc voluntas in beatis ſpiritus ita diuinæ coniuncta eſt immobiliter, vt ſicut ipſi cum Deo vnus ſunt ſpiritus, ita ſit vnum velle & vnum nolle, quod amicorum eſſe proprium etiam philoſophia tradit. Hinc per Pſalm. Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. Quæ petra Chriſtus eſt & Deus, quia Chriſtus Deus cui ſancti iudices ſeculi ita iuncti ſunt, vt abſorpti videantur in Deo, & vnum facti in communione voluntatum cum eo. Porrò voluntas hæc in viatoribus bonis diuinæ voluntati cognitæ licet mobiliter conformis eſt orans ex inſtituto Chriſti. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Quod in oratione ſua ſeruauit dicens in agonia poſitus: Abba pater, omnia poſſibilia ſunt transfer hunc calicem à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. Conſiſtit in hac conformitate & applicatione voluntatis ad primam & inobliquabilem regulam diuinæ voluntatis rectitudo cordis noſtri, quam conſequitur exultatio, lætitia, pax, iocunditas ac vniuerſaliter omne bonum, quod videns in ſpiritu propheta clamauit: Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde. Quo contra peſſimus iudicatur Deus ab habentibus cor diſtortum, qualiter eſt in hominibus malis hic in via, flexibiliter tamen, in damnatis vero cum obduratione ſempiterna.

Altera voluntas eſt inſerta portioni rationis inferioris, quæ quidem altera dicitur non in ſubſtantia, ſed quia conuertitur ad leges vel res inferiores, elongata quodam modo à prima luce & virtute, eò tenebroſior & debilior effecta, quò magis ac magis in inferiorum oblectatione & viſione ſe conuertit, innectit & demergit. Ita vt nequeat quandoque oculos tenebris aſſuetos in ſupernam veritatis lucem attollere. Sicut oculus carnis poſitus & recluſus vbi ſol materialis occidit vel occaſui proximus eſt, caligat, hanc voluntatem inferioris portionis quandoque vocamus appetitum ſenſualem, non generaliter, ſed prout natus eſt obedire rationi, & ita liber eſt per paticipationē, ſecundū quā voluntatē permittit nos Deus multa velle vel optare fieri, quorū oppoſita vult abſolutè diuina ſua voluntas: vt pius filius bona voluntate vult patrem viuere quem Deus mori ſtatuit. Hæc tamen in tantū recta eſt ſi voluntati ſuperioris rationis ſicut illa diuinæ nequaquam remurmuret.

Tertio modo ſub voluntatis nomine latè ſum-

Digitized by Google

pto, complectitur omnis appetitus qui non coniunctam rationem ſequi habet, vt eſt in hominibus de duplici voluntate priori, ſed regitur & dirigitur tantummodo quaſi regulata ab intelligentia infallibili quæ Deus eſt, qui ſic res ordinat vt eas proprios motus agere ſinat. Propterea voluntas hæc nullo pacto contrario poteſt eſſe vel adverſa diuinæ voluntati, cuius ſolius influxum vel inſtinctum conſequitur. Quo fit vt in brutis non habentibus coniunctam ſibi rationem culpa careant, motus ſenſuales quales in ſingulis variantur ſecundum naturam huius ſpeciei vel illius quos omnes in hominibus quodammodo aggregatos inſpicimus.

SECVNDVM METRVM SECVNDI LIBRI DACTILICVM ARCHILOchium conſtans tetrametro buciolico & tribus trochæis, concordat vltimo quinti libri Boëtij: Quam varijs terras, ſi combinentur lineæ duæ in vnum verſum.

Quot ſubiecta modis animalia
Paſsionibus ſunt?
Crudelis leo, tigris & aſpera,
Trux aper, furore.
Indomitus ſyluas onager colit,
Vnicornix atrox,
Laſciuit vitulus, petulans caper,
Et equus ſuperbus,
Aſtus, fraus vulpi, lepori timor,
Os vorax lupis eſt.
Liuidus eſt catulus, ſus ſordida,
Tardus eſt aſellus,
Vrſa ferox, prudens elephas, ſibi
Caſtitas amica
Turtur fida pari, ſimplex quoque,
Stulta corde perdix,
Pauo glorius & zelotypus.
Eſt auara cornix.
Felle columba caret. canit omnia
Bubo dira plactu.
Eſt apis arguta, mira facit
Arte mel fauóſque.
Prouida ſe formica regit. pigra
Vult cicada ſoles.
Niſus aues, lucius piſces rapit
Eſt odor vulturi.
Pugnaci gallus eſt pectore.
Miluus eſt inerti.
Quis philomela modos veſtros capit?
Ac alauda veſtros?
Tales innumeras animalibus
Inditas videbis
Conditiones, quas natura dat
Alma cuique ſparſim.
Omnia perpulchro regit ordine,
Noxia nulla culpat.
Nullus & error ineſt, induſtria
Cuique mira valde.
Aſt hominis ratio complectitur
Omne tale ſparſim.
Per varias ſpecies rectrix data,
Cui neceſſe cunctos
Affectus iuſto moderamine
Temperet regátque.
Si renuit, peccat, fit ſeruáque,
A *Turpiórque brutis.*
Stet ratio, fiet ſibi ſubditus
Eius appetitus,
Et dominatur ei, quod ſi nequit
Haud ream putato.

PROSA TERTIA SECVNDI LIBRI.

Monicus.

B MISERET me mei vehementer meíque ſimilium crede Volucer dum iſta perpendo, videns iniquitatem & contradictionem in hominum ciuitate vel regno ſpirituali vbi ſumma tranquillitas eſſe debuerat, vbi par erat voluntatem quamlibet inferiorem parere ſuperiori, ſed hoc euerſo turbatóque ordine vt pax abſcedat neceſſe eſt, nam pax quid aliud eſt quam ordinis tranquillitas in imperando & obediendo?

Volucer. Obedit Monice ſi validum fuerit, ſi viuax & efficax imperium, cuiuſmodi viuacitatem
C gratia virtutéſque conferunt, præcipuè iugis exercitatio voluntatis ſuperioris, vt ad diuinam ſe conuertat, videat, obſeruet, inhæreat. Ita enim fiet vt ipſa roboretur & debilitetur inferior in tractu ſuo, aptior effecta ſuſcipere formam vel influxum ſeu virtutem à ſuperiori deriuatam. Imitandus eſt Ieſus factus nobis à Deo ſapientia, qui ſuſcepit & oſtendit in ſe quid agere debeamus, in quo præter voluntatem diuinam (erat enim Deus) triplex quam diximus voluntas inuenta eſt. Voluit ſe-
D cundum primam aſſiduè quicquid Deus voluit laudans & approbans ordinem diuinæ ſapientiæ, bonitatis & iuſtitiæ, in omnibus quæcumque voluit & fecit in cœlo per ſaluationem, in omnibus abyſſis per damnationem, in terra & in mari per quandam ſaluandorum & damnandorum variam agitationem. Nos itaque Ieſum ſecundum hanc voluntatem debemus imitari, & ſi non vſquequaque poſſimus ex æquo, dum hic viuimus, quando nondum confirmati ſumus, quando per alteram ſecundarũ voluntatũ diſtrahi poteſt in nobis hæc
E voluntas & turbari, immo & ab actu ſuo penitus impediri, ſicut & iudicium ſuperioris rationis ſecundum quod dirigitur, poteſt abſorberi. Secus in Chriſto ſicut in beatis, quia ſecundũ hanc portionem beatus fuit in via Chriſtus. Nihilominus hæc voluntas in Chriſto voluit vt inferior duplex voluntas ageret motus ſuos in omnibus abſque peccato, hinc doluit, hinc triſtis & mœſtus fuit, hinc orauit, hinc miſericordia motus eſt ſuper turbas & ægrotos, hinc lachrymatus eſt, hinc conqueſtus
F eſt tanquam ſenſualitatis aduocatus, Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me, quando portio inferior abſque vllius conſolationis redundantia ſuperioris ad eam, demerſa erat in acerbiſſimę paſſionis abyſſum. Nemo autem vnquã carnem ſuam odio habuit. Hinc poſtremò, cum clamore valido & lachrymis Deo ſupplicans expirauit.

Exemplum igitur dedit nobis Deus, vt quemadmodum iuxta hanc duplicem voluntatem fecit, ſecundũ quam erat viator, ita & nos faciamus, tam pro nobis quã pro fatribus ploremus, oremus, triſtes ſimus & clamemus, quia ſic eſt volũtas Dei cui ſuperior noſtra volũtas conformis eſt ſi bona eſt.

Conſurgit

Digitized by Google

Conſurgit inde meritum multiplex ſi non dimouetur à ſtatione ſua, hoc eſt ſi propter motus inferiores illius duplicis voluntatis nihil vſpiam mali agit quod diuinæ ſit aduerſum. *Monicus.* Sed quid aget pauperculus & infœlix viator venundatus ſub peccato, ſentiens cum Apoſtolo aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuitatem ſub peccato, qualem philoſophi experti ſunt? Quis enim viuens expers eſſe poteſt? ſed originalis cauſa tantæ corruptibilis fuit eis incognita, quam theologia reuelauit. Nonne dum conatur animus aſſurgere ilico quaſi paralyſi diſſolutus aut debilitatus coluber relabitur? Væ nobis viatoribus quos fatigat & ſæpius interturbat voluntas inferioris rationis enitens ad ſe trahere ſuperiorem rectricem voluntatem, pondere graui fomitis originalis, grauiori peccati actualis, grauiſſimo inueteratæ conſuetudinis, & ſuper omnem modum ingenti mole obdurationis, qualiter in Chriſto nec fuit, nec eſſe potuit, nec ſimiliter eſt in beatis.

Volucer. Exclamamus Monice cum Apoſtolo: Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius. Subinde reſpondeamus: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Dicamus eidem: fiat nobis domine ſecundum iudicium atque deſiderium, non inferioris ſed ſuperioris rationis atque voluntatis, fiat in nobis ſicut in cœlo fit vbi motus regularis primi mobilis tanquam rationalis temperat obuias reſolutiones orbium inferiorum ſiue planetarum. Porrò contranitamur vt poſſumus retinentes ſaltem in ſuſpenſo quodam liberum arbitrium ne præcipitanter eliciat actum ſuum, quoniam in hac vi ſuſpẽſiua, ſit velle, ſit nolle, ſit actus medius, ſaluatur pręcipuè libertas arbitrij & ſua in nobis vtilitas. Alioquin ſine ſuſpenſione tali vel reniſu voluntas inferior fortificatur aſſiduè, rebellior quoque & indomabilior efficitur vſque adeò quod ſimilis fit iumentis inſipientibus, quæ carent arbitrij voluntate ſuprema, immo verò plurimum differt, quia ſubſternit & ſeruire facit ſuæ libidini dominam voluntatem deterior effecta brutis, quò ſæuiſſima eſt iniuſtitia ferens arma.

Omittamus eos quos ad hanc ſeruitutem malitia pertrahit, loquamur illos qui iudicium rationis (quo libertas radicatur) vel nullum habent vt infantes, & fatui, vel imperfectum vt pueri, vel inualidum vt fœminæ, namque varium & mutabile ſemper fœmina. Quod ſi cauſa cognoſcitur puerorum ſit imperfectũ & mulierum inualidum iudicium, credi non poteſt quantam turbam huiuſmodi puerorum & puellarum inter barbatos homines experimur. Multi multa ſuper hac re locuti ſunt aſtrologi, medici, philoſophi, & hi vario modo Poëtę, Magici, Prophetæ falſi vel idolatræ. Propheta verus tandem dixit de Deo: Qui finxit ſingillatim corda eorũ, qui intelligit omnia opera eorum. Et ſapiens: Cor regis in manu Dei eſt, quocumque voluerit declinabit illud. Qui ſecundum Apoſtolum. Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Theologia verò recipiens ex omnibus priorum dictis id quod probabilius eſt, & improbabilia reijciens, conflat & colligit pro ſtatu viæ & naturæ & deſtitutæ cauſam talem. Itaque ſicut anima rationalis dependet à corporali diſpoſitione vel harmonia non quidem in eſſę, cum ſit immaterialis & immortalis, ſed in operari in
A corpore. Ita ſecundum varias operationes ſuas præſupponit & requirit diuerſas diſpoſitiones harmonicas, vnam habet vt informet & ſuſtentet corpus, alteram vt vegetet & augeat, alteram vt moueat & ſenſificet. Et hoc quidẽ non vno modo ſicut nec vnus eſt tantum ſenſus carnis, ſed eſt exterior & eſt interior multiplex, quas inter harmonias non dubium quin primam in perfectione ſecunda excedat, ſecundam tertia, & ita de reliquis. Neque negat aliquis quin in prædictis ope-
B rationibus vtatur & egeat anima rationalis organo corporeo ſicut eſt forma corporis organici phyſici hominem in eſſe conſtituens.

Verum ſupereſt alia perfectior operatio rationalis animæ ſupra brutales, in qua conuenit cum Angelis, quam operationem dicimus intellectualem, in qua radicatur libertas arbitrij quæ libertas eſt facultas rationis & voluntatis quia nec volũtas ſine ratione eligeret, nec ratio ſine volũtate vellet, libertas idcirco cõplectitur vtramq; vim. Rurſus hæc operatio intellectualis quamuis in ſe non ſit
C organica, præſupponit tamen diſpoſitionem organicam in ſenſibus, præſertim interioribus perfectiorem lucidiorem & quietiorem quam aliqua ſit aliarum, omnem enim intelligẽtiam, ſicut dicit Ariſtoteles, neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari. Quamuis Auicenna & Algazel cum ſimilibus tradiderint intellectum deſuper illuſtrationes ab intelligẽtijs ſine ſenſu præuio vel inſpectione phantaſmatum poſſe ſuſcipere, hinc prophetias & diuinationes tam in vigilia quam in ſomnijs ſaluare
D nituntur, ſicut aliqui tradiderũt phantaſias omnes brutorum & hominum à cœleſtibus corporibus exoriri, longum verò proſequi eſſet opiniones ſingulas. Redeamus ad compendium & dicamus vt cœpimus quod intelligẽdo primitus & ſpecies intelligibiles eliciendo, neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari non certè qualiacumque, ſed ordinata pura & lucida, ſi liberum arbitrium, debeat eſſe perfectum ſtabile & integrum. Cum autem mille modis immo innumeris contingit iſtam quam vſus liberi arbitrij prærequirit harmonicam diſpoſitionem
E nunc totaliter impediri vt in infantibus & fatuis, ebrijs & amentibus multis nunc imperfectam haberi vt in pueris, nunc inſtabilem & variam, vt in fœminis & in omnibus generaliter qui varijs paſſionibus affecti ſunt, tandem integra vix habetur huiuſmodi diſpoſitio ad quæque intelligibilia propter defectum conſurgentem ex naturali vel accidentali complexione. Quo fit vt diuerſi vigeant vſus liberi arbitrij, quidam in iſtis alteri in alijs, & nequaquam in vtriſque. Quid dicimus de
F diuerſis hominibus cum varietatem iſtam diuerſis temporibus, immo eodem die & ferè de momẽto in momentum cognoſcat homo qui ſe diſcuſſerit acriter in ſe ipſo, dũ famelicus aliter iudicat quam repletus, ſobrius quam ebrius, manſuetus quam ira ſuccenſus, vigil quam ſomniculoſus amans quam inuidus, cõtinens quam libidine ſtimulatus, humiliatus quã exaltatus. Et ita de reliquis ſine numero. Neq; tamen adhuc attigimus melãcholicas phantaſias, quas infinitas medici tradunt ex humorum corruptione varia generatas, formata enim, gratia exempli, phantaſia fumis groſſis obtenebrata phantaſmata terroris & horroris, ſicut puer ſolus

Digitized by Google

in tenebris inde clamans & fugiens. Qua ex re ſemper triſtes ſunt aliqui: aliqui è diuerſo iocula-riter læti.

TERTIVM METRVM SECVNDI, DACTILICVM, PENTAMETRVM, ſapphicum. Et currit cum carmine ſeptimo quarti libri Boëtij.

Splendidi ſolis radij videndos
Exhibent ſeſe tuitu fideli
Dum ſerenus ſit medioque purus
Aer, immo perſpicuo refulgens
Guttulæ roris, pluuiæve denſa.
Rarus aut nimbus vel opaca nubes
Pendulum ſi ſe per inane librant,
Frangitur circa radius cathecum,
Viſibus falſas tribuit figuras
Mille protendens oculis colores
Iridis micans pluuioſus arcus.
Halo lunaris, varia vel ortu,
Sol vel occaſu ſpecie niteſcens,
Par in obiectis ſpeculis videre
In quibus diſtant color & figura
Pro ſitu tali variáque forma.
Eſt agens virtus animæ ſuprema
Quæ reluceſcit radians in ima
Parte paſſiua ſpecies in actum
Efficax ducit, ſed ſpeculatur
Per prius groſſi ſimulachra ſenſus,
Spiritus quæ fert cerebri medullis,
Cum quibus fumos recipi putato
Hos vagos, turpes, fœtidos & atros.
Alteris mulcens nitor eſt & ordo
Pulcher, aptatus numero placenti.
En habes cauſas ſapienter aptes
Cur ſit eluſus rationis vſus
Arbitrans plenè nec ineſt facultas.

PROSA QVARTA SECVNDI LIBRI.

Monicus.

INTELLIGO Volucer quam latè pateat iſta de phantaſijs cordis, de fallacibus iudicijs animæ perſcrutatio, ſecundum quam meminiſſe debet homo fragilitatis & imperfectionis ſuæ. Nam qualiter inuenitur aliquis qui præfatis incommodis vel in aliquo non ſit obnoxius, ſed quemadmodum de vitijs Horatius dicit: Optimus ille eſt qui minimis vrgetur, ita liber ille dicendus eſt qui non vltra communem hominum modum melancholicis phantaſijs irretitur. Redeat verò ſermo noſter vnde ſumpſit exordiũ vt conſonus ſibi fiat.

Volucer. Redeat volo, præmiſimus quidem inueſtigando conſolationem aduenæ noſtri ſuper contritione gentis ſuæ, quod eum theologia ad conformandum voluntatem ſuam diuinæ voluntati primitus anhelat. Ita enim habiturus erat cor rectum, ac perinde lętum, pacificũ & tranquillum. Sed quoniam de qua voluntate ſermo fieret ignorare poterat, diſtinctio trimembris de voluntate ſubiuncta eſt. Reddita proinde ratio cur in voluntate præpeditur libertas arbitrij, quò facilius appareret qualiter adiuuatur. Progredientes igitur dicamus quod intellectus poſt quam inſpexerit phantaſmata, poteſt inde ſpecies intelligibiles eli-
A cere, denudando quodammodo eas à naturali conditione & in eis effodiens agalma ſpirituale, hoc eſt ſimulachrum vel conceptum nunc vniuerſalem nunc ſpecificum, quo facto intellectus taliter actuatus iam poteſt ratiocinari nõ inſpecto phantaſmate, iam ſyllogizat, diſcurrit, regulas artium ſibi format generales & infallibiles ad exemplar artis primæ. Neque neganda eſt hæc vis intellectiua, cum de virtute æſtimatiua fateamur quod ex ſenſatis, vt ouis inimicitiam ex figura lupi. At
B verò dum ſemel actuata fuerit per phantaſmata ortum habentia ex aliquo ſenſuum exteriorum, iam poteſt alia ſibi formare talis generis in ſomno vel vigilia, aliter non. Cuius ſignum eſt quod à natura cæci non ſomniant neque phantaſiantur de coloribus, neque de eis ſcientiam habent vllam. Deniq; per contemplationem (vt alibi dicendum eſt) venit mens ad intelligentiam puram & ſimplicem ſine motu vel diſcurſu ad exemplar, licet imperfectum valde ſimplicis intelligentię diuinæ, quæ vnico contemplatur intuitu præſentia, præ-
C terita & futura, & inſtar cẽtri intelligibilis ſtabilis manens dat cuncta moueri, ſic vnica & inuariata reſpicit & intelligit omnia q̃ motui ſubiecta ſunt. Ad hunc ſtatum theologia ſuadet aſpirare, cui quanto proximior tanto ſublimor & liberior eſt voluntas quæ velut ex alto iubet & impetrat ſenſuali volũtati propter cuius tactum ſicut nec propter motum, naturalis appetitus nõ deſerit locum ſuum quo adhæret Deo, ponens in eo ſpem ſuam, fidem atque dilectionem. Quod ſi iuxta ſapientis
D verbum ſicut parturientis cor ſuum phantaſias patitur vt ſit in ſenſualitate non dat illis cor ſuum intellectuale, niſi ab alto immiſſa fuerit viſitatio ſecundum quam regitur agitur atque dirigitur, non quidem fatali neceſſitate ſeu fluctuatione fortuita. Colligimus enim ex immenſa diuinæ cognitionis viuacitate longè ſuper noſtrum cognoſcendi modum ſimul & ex voluntatis libertate, quod apud eam nihil eſt fortuitum, nihil caſuale, nihil inſuper ad extra neceſſarium vel fatale. Ratio primi eſt, quoniam nihil agitur in mundo quin ab æterno
E præuiderit illud Deus, cum tota ſerie cauſarum etiam minimarum. Secus apud homines præter quorum intentionem prodeunt effectus ex variarum ignotarúmque eis cauſarum concurſu, quemadmodum videre eſt in inuentione theſauri dum terra foditur vt excolatur non vt aurum inueniatur. Hinc ortum habuit fortaſſis illud Ariſtotelis quod vbi magis eſt de intellectu, ibi minus de fortuna. Rectè quidem adeò vbi totum eſt præintellectum nihil eſt fortuitum. Si verò fortunam quis
F transferat ad cauſam producentem effectus qui dicuntur in ordine ad nos fortuiti ſic primam cauſam dicere poſſumus eſſe fortunam, quoniam principaliter & immediatè concurrit ad omnem effectum. Dediſſet hoc modo Virgilius verum epiteton fortunæ dicens: fortuna omnipotens, & Saluſtius: Sed perfectò inquit, fortuna in omni re dominatur. Cæterum de fati neceſſitate liquet ex præmiſſis quod nihil in rebus creatis tale ſit facta ad primam cauſam comparatione quæ nulla actionis neceſſitate conſtringitur, neque reſpectu cœli, neq; reſpectu terræ & omniũ quæ in eis ſunt. Coagit tamẽ differẽter in actionibus quæ dicũtur

naturales,

Digitized by Google

naturales, quibus non eſt annexa ratio propria, nec ex conſequenti vllam habent libertatem ſeu contingentiam in agẽdo ex principijs ſuis intrinſecis. Aliter in habentibus coniunctam rationem quibus intrinſeca facultas eſt volendi vel nolendi ſecundum iudicium propriæ rationis. Nihilominus ſi ad primam cauſam naturaliter agentia retuleris illa non neceſſariò ſed contingenter efficiunt motus ſuos, hoc in miraculis factis circa ſolem, circa ignem, circa mare & beſtias perſpicuum fidelibus eſt. Datur itaq; regula quod in omni productione ſi concurrit aliqua cauſa liberè contingenter agens quotquot fuerint naturaliter coagẽtes, effectus ille contingenter producitur. Qua in re patet quod actus elicitus creatæ voluntatis ſortitur contingentiam ex duplici radice, ex ſua intrinſeca, & ex ſuperiore diuina. *Monicus.* Cauſam non inuenio Volucer his qui dicta ſunt repugnandi, neque aliter philoſophiæ verba loquentis apud Boëtium de fatali neceſſitate recipienda puto, ſcis attamen conturbari nonnullos apud quos Deus ita conſideratur tanquam rex ſupremus qui vnico ſemel imperio conſtituerit vniuerſum mũdum, dans vnicuique rei proprium officium, quẽadmodum terrenus rex inſtituit vel exercitum ſuũ vel curiam iudiciorum & legum, aut artifex aliquod horologiũ. Ipſe verò deinceps manet quietus, neque ſollicitus per ſingula. Nituntur hanc æſtimationem ſuam fulcire per vulgatũ illud Auguſtini verbum. Deus ſic res adminiſtrat vt eas proprios motus agere ſinat, qui & prophetico ore dixit. Ego ſum Deus & non mutor. *Volucer.* Ita eſt Monice, redeũt tales ad ſuperius improbatam philoſophantium opinionem quam inſectantur multi ſecularium litterarum ac exiſtimatio vulgarium, quorum videbis aliquos ſi ad ſcripturam ſacram ſe conuerterint nihili pendere aut irridere ſimplicitatem eius, eo quod maxima pars contexitur hiſtorijs, habemus inquiunt aliunde narrationes hiſtoricas, quæ & ſtili ſplendore & rerum geſtarum magnitudine non inferiores exiſtunt. Verumtamen hoc intereſt, quoniam hiſtorias habet ſcriptura ſacra prout in eis contenta reuelauit Deus per prophetas, longè prius antequam fierent. Ex quibus pulcherrimæ ac ſaluberrimæ veritatis eluceſcunt.

Eluceſcit primo diuina omnium præcognitio ſimul & prouidentia regitiua omnium quæ gerũtur tam in cœlo quam in terra, quæ voluntati ſuæ ſeruire facit vniuerſa, nunc per bonos, nunc per malos, aduerſus quam non eſt ſapientia neq; conſilium, adeò quod homines vel dæmones implent prædiſpoſitionem reuelatam Dei, dum conantur illam vel effugere vel fruſtrare. Sunt in exemplũ venditus Ioſeph, & expoſitus cum alijs infantibus in aquis Moyſes, & Dauid à Saule perſecutus, cũ cæteris abſque numero. Eluceſcit præterea quod prænunciationes Dei factæ per prophetas vel ſcripturam conditionem ſæpè recipiunt licet expreſſa non ſit ſecundum varietatem meritorum vel demeritorum apud illos quibus vel pro quibus huiuſmodi prænunciationes fiunt. Hoc de Iona reſpectu Niniuitarum, hoc de Eſaia reſpectu Ezechiæ, & ita de reliquis liquet. Relinquitur idcirco ſemper hominibus dum viatores ſunt pœnitentię locus & piæ orationis atque cõuerſionis effectus, nec ex immutabilitate Dei vel prænunciatione ſuæ deſperationi locus datur. Eluceſcit amplius non eſſe ſeruiendum Deo pro ſola proſperitatis adeptione vel aduerſitatis euitatione temporali, quæ veritas in Euangelio manifeſtius tradita eſt, quam lex antiqua temporalia commoda vel incommoda rememorans exponeret. Eſt equidem præmium pręſtantius merito, nihil autem temporale præſtantius eſt virtute. Sed neque cum Stoicis dicere ſatis eſt virtutum eſſe præmium ſui, ſicut vitium ſeipſum pœnam habet. Alliciendi fuerunt homines ad laborioſa virtutũ opera, & à ſuis voluptatibus vitioſis arcendi per ſeparatum aliquod maius tam præmium quam ſupplicium. Ad quod philoſophia quia pertingere non potuit hic deficit cum ſua conſolatione, deficiunt & illi qui volentes ſuis exhortationibus vel prædicationibus bene inſtituere ad amorem Dei promittunt pro illo quaſi commutationem quandam, bona temporalia, vt diuitias, vt ſanitatem, vt prolem egregiam, aut aliquod ſimilium. Sic enim & cortex literæ veteris prætendebat, quamuis intus prophetici & eleuati viri ſpiritualia ſub his temporalibus promiſſionibus obumbrata conciperent & guſtarent. Sed de hoc latius infra.

Eluceſcit poſtremò ex hac diuinæ voluntatis ad vtrumlibet actione extra ſe liberrimã quę ſolo nutu temperat orbem, quod orationes ſpéſque noſtræ diriguntur non inaniter ad Deum, quamuis immutabilem, quia cætera omnia mutare ſcit & poteſt dum vult. Et hic generalis motus inſitus omni creaturæ, quem obediẽtiam nominare poſſumus, vt eius ſequatur imperium, quemadmodũ de aſcenſu grauis ne vacuũ fiat, dici ſolet. Et profectò ſi Deus ſinat res agere proprios motus, conſequens eſt vt eos poſſit vel impedire vel mutare, alioquin non iam res flueret, ſed agerent, vellet, nollet. Quinetiam miniſtratio nõne reponitur in ordine cauſarum quas ab initio Deus inſtituit, Proprius autem motus Angelorum liber eſt in agendo. Proinde ſicut ſpiritualia potiora ſunt tẽporalibus, tanquam illorum finis ita fit in temporalibus mutatio, prout exigit gratuitum regimen ſpiritualium, præſertim ad finem æternæ beatitudinis conſequendum. In hac autem regione vel ordine ſpiritualium reponuntur diuina chariſmata, præcipuè fides ſpes & charitas, quibus motus inditus & quaſi proprius eſt impetrare miracula dum expedit, vt quod in aquis validis terra appareat arida, in medio fornacis ardentis ſit ventus roris, quod montes transferantur, & quod longè maius optabiliuſque eſt, fit per iſtas virtutes & orationem eius ſubnixam, vt expeditum ſit & alacre liberum arbitrium voluntatis humanæ, ad dirigendum pedes ſuæ affectionis & intentionis, in viam pacis & ſalutis. Ad conformandum præterea diuinæ voluntati ſuam eidémque prorſus inniti dicendo cum propheta: Vt iumentum factus ſum apud te & ego ſemper tecum, tenuiſti manũ dexteram meam & in voluntate tua deduxiſti me. Vnde libet collocutioni diei præſentis terminum dare ſub hoc metro.

Digitized by Google

QVARTVM METRVM ET VLTIMVM SECVNDI, CONCORDAT, *metro ſecundo huius libri: Quot ſubiecta.*

L*VMINIS orbus ſubſidium ſibi*
Quærit à vidente,
Cui plus nititur vt magis audijt
Imminens periculum.
Matrem dum cecidit puer aſpicit,
Ac ei manum dat,
Scit quia non valet ex ſe ſurgere
Quærit hinc iuuamen.
Vulnere fractus qui medicamina
Nouit, hunc requirit.
Potat amaris, vrit & ignibus.
Huic obedit vltro.
Litibus implicitus, ſibi quærere
Iure vult peritum.
Dictáque nec refugit ſua credere,
Conſcius ſuimet.
Cur igitur cæci, pueri quoque
Sauciique valde,
Iuris & ignari nos tradere
Non citò velimus,
Chriſte tibi? qui ritè per omnia
Vis opem referre
Quo ſine nulla valent diſcrimina
Vt vel arte pelli.
Huc petimus quo vis, mora nulla ſit,
Ibit alacris mens
Si caro tardat, pérque pericula
Cuncta te ſequetur
Grata, nec inualido cum murmure
Perget aut trahetur.
Cur peccata ſciens cumulet noua
Dum licet mereri?

LIBER TERTIVS.

Proſa prima.

Monicus. ASSVM Volucer deſiderans rurſus ex te audire verbum ſuper conſolatione peregrini ſollicitam enim ſuper hoc auiditatem ex præuigili cordis mei cura quę te loco temporéque prǽuenit intelligis. *Volucer.* Spes vt dixi Monice ſolatur eum, confugiens ad Deum tanquam ad thronum gratiæ, ad templum & aram miſericordiæ, ad arcam fœderis ad libertatis aſylum, ad firmam petrã & ſolidum littus. A natura ſiquidem ita videmus inſtitutum vt debilior innitatur fortiori, ſicut vitis vlmo, hedera quercui, naufragus tabulæ, puerulus matri. Solatur ipſum præterea ſcriptura ſacra, reuelans decurſum mundani regiminis, à prima voluntate liberrima, cui noſtra conformis eſſe debet. Quemadmodum verò per ſpem vis iraſcibilis, ſic per huiuſmodi conformitatem rationalis ordinatur & ex conſequenti concupiſcibilis dum ita fuerit conformis & ſubdita quod ipſius & Dei ſit vnum velle & vnum nolle, quod amicitiæ proprium eſt. Videns autem quod iraſcibilis per impatientiam conturbatur & per ignorantiam ſeducitur rationalis. Deinceps igitur complebitur ſermo ſuper impedimentis huiuſmodi tollendis primum per patientiam, alterum per doctrinam, vbi nonnulla quæ in prioribus dici potuerant, inſerentur. *Monicus.* Placet quod dicis, quoniam
A & dictorum recordationem ſummariam, & dicẽdorum lucidum ordinem tradis.

Volucer. Locuturus ergo de conſolatione per patientiam rectè mihi videor id agere ſi de moderamine zeli inchoauero, habet itaque zelus inter paſſiones vehementiam multam. Audi ſapientẽ: Dura ſicut infernus æmulatio. Præfert inſuper ſibi ſpeciem iuſtitiæ quo fit efficacior ad nocendũ dum deuiat. Quid enim efficacius ad nocendum quam familiaris inimicus, & quam dæmoniũ meridianum quod in angelum lucis ſe transfert?

B Porrò zelus etſi quandoque ſignificat inuidiã, quandoque odium, aliquando imitationem, vtemur hic zelo prout eſt deſiderium vehemens quo quis incitatur ea tollere quæ rei ſibi dilectæ videntur aduerſa. Sic homo zelat pro vxore ne mœchus abutatur ea, & hinc zelotypa mater pro filia ne violetur, iuſtus pro domo Dei volens ab ea tollere quicquid viderit ſcandalorum. Vnde iſtud eſt. Zelus domus tuæ comedit me. Cuius recordati ſunt diſcipuli Chriſti, dum eijceret vendentes, & ementes de templo ſeu domo Dei, zelum
C hunc vltimum laudauit qui dixit nullum eſſe Deo acceptius ſacrificium quam zelum animarũ. Verè quidẽ ſi comitetur ipſum beneuolentia, diſcretio & conſtantia, quæ tria ſi deſerat aut contẽnat zelus, rectè comparaueris ipſum gladio bicipiti in manu furioſi, igni rurſus & fulmini, ſine obice peruaganti.

PRIMVM METRVM TERTII,
D MONOCOLON CHORIAMBICVM *aſclepiadeum, currens cum primo carmine Horatij: Mecœnas atauis edite regibus.*

I*NGENS flamma rapax libera ſi manet*
Mox ſuprẽma domus peruolitans vorat.
Quo plus abſque modo torrida canduit
Æſtas fulguribus crebrius emicat,
Eliſuſque vapor diſſipat infima.
Eſt igni ſimilis Zelus & æſtuat
Intus cor, ſtimulans quò vehementior
E *Incumbit cohibe, fac teneat modum.*
Collidunt in eo ſe pariter duo
Affectus, nimium ſingulus improbus,
Hinc impellit amor, hinc furit odium
Zelus nam quia rem diligit & colit
Lædi non patitur, protinus incitus
Iram corripitur, recta nec inſpicit,
Odit, perſequitur, nec requiem capit,
Fingit iuſtitiam, tendit in ardua,
Supra poſſe ferror frangitur & ruit,
F *Secum multa trahens quæ pereunt ſimul.*

SECVNDA PROSA TERTII.

NONNE zelus excuſatur ô Volucer propter intentionem boni finis, etiam ſi læſerit, vt dum vult tollere ſcandala à domo Dei, ſatagens ab hominibus vel hæreſes corrigi, vel ſimoniam abijci, vel tyrannidem compeſci? nónne ſuffragatur ſibi verbum Chriſti: Si oculus tuus (qui eſt intentio) fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Monicus.*

Volucer. Audiſti Chriſtum alibi dicentem: Ecce venit

Digitized by Google

venit hora & nunc eſt, vt omnis qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo, quis tamē dixerit quod hæc intentio reddiderit occiſores martyrum abſque noxa? Quid quæſo Iudæos magis excæcauit quam zelus legis antiquæ, quam putabant Chriſtum ſubuertere velle. De quibus apoſtolus: Teſtimonium perhibeo eis quod zelū habent ſed non ſecundū ſcientiam. Proinde multos inuenimus ex hæreticis etiam hac tempeſtate quos fefellit talis zelus tollendi ſcandala à domo Dei, per hanc aut illam prædicationis viam. Hinc hæreſes contra primatū Romanæ Eccleſiæ, ꝙ ſine ea ſtat ſalus, cōtra dotationes vniuerſalis eccleſiæ, quod ſunt vt venenum effuſum ſuper eam omniſque ſimoniæ officina, contra prælatorum ſtatum ſplendidum & amplam familiam quod à ſecularibus eripi poſſunt eis omnia, contra religioſorū obſeruantiam, quod aduerſantur libertati legis Chriſti, & æſtimant quæſtum pietatem, contra omnem generaliter præſidentiam quod nullus præſcitus nullus exiſtens in peccato mortali iuſtè dominatur, neque prælatus eſt, neq; ſacerdos, quoniam in charitatis radice fundatur (vt dicūt) titulus præſidentiæ, & ita de plurimis. Dum enim diſplicuerint mores, ſuborti ſunt errores, dānatus eſt præterea ſtatus, quando diſplicēs in eo cernebatur abuſus, exemplo medici ſtulti deſtruentis ſubiectum, dum conatur expellere morbum.

Cæterum reminiſcaris velim eorum quæ dies heſterna diſſeruit ſuper turbatione iudicij rationis. Addit aduena noſter exemplum aliud, & id planè crebrò. Experimur ait, ſæpius nonnullos qui vigilantes loquuntur ſimilia ſomniātibus, nihil penè dicentes quod ſibi cohæreat, hāc paſſionem phreneſim medici, vulgus phantaſiam vel reueriam, gallicè *reſuerie*, denominat, cuius cauſa eſt, quia phantaſmatibus rerum intus occurſantibus vtuntur pro veris rebus ad extra poſitis, quēadmodū ſomniantes, prȩſertim illi quos exercere opera vigilantiū cōpertum eſt, qui cum expergefacti fuerint, inueniunt ſe deceptos in aliquo ſuo iudicio, quantumcunque viſi fuerint in ſomnijs velut in vigilia ſe geſſiſſe. Profectò non diſſimiliter euenit aliquibus vehementer affectis & paſſionatis, quod in vigilia ſenſibus apertis patiuntur aliquid ſimile dormientibus. Sunt enim conſopiti & ſoporati vel debriati paſſionum radicatarum fumoſitatibus, qui licet eo tunc ſibi videātur ſapiētes & virtuoſi, vt vel liberales, vel magnanimi, vel humiles, vel valde zelantes rempublicā, verumtamen ceſſantibus huiuſmodi paſſionibus, intuētur in vigilia virtutis & veritatis ſe quaſi ſomniaſſe, & in aliquo ſemetipſos notabiliter fefelliſſe. Nempè quibus erat ex aliqua parte ſopitum rationis iudiciū, adeò quod nullis clamoribus ex aduerſo mouentibus poſſent aut vellent expergiſci, nec ſuadētibus obedire. Cur ita? niſi quod ſimulachra virtutum intus fabricata pro veris virtutibus amplexantur in ſomnio vanitatis, vbi mentitur iniquitas ſibi, dicens zelum eſſe qui furor eſt, iuſtitiam quȩ crudelitas eſt, correctionem quæ diffamatio eſt, prudentiā quæ calliditas eſt, & ita de cæteris. Sic ira, ſic inuidia, ſic odium, ſic amor in excellentia iudiciū rationis offuſcat, conſopiunt & excæcāt quādiu durauerint. Durant verò quandoq; plus quandoque minus pro varijs hominū moribus pro conſuetudine, pro cōplexione pro occaſionibus A datis aut acceptis. Odiunt & refugiūt qui hac ſpirituali phreneſi laborant reprehendi, ſicut letargicus expergiſci, ſpernunt aliorū cōſilia, nempe qui plus alijs ſapere ſaltem in hac ſua re, acutiuſq; circūſpicere definitiua apud ſe retinent. Eos præterea qui ſe non ſequuntur, culpant, vel de negligenti torpore circa ea quæ Dei, quæ reipublicæ ſūt, aut de diſſimulatione, vel inordinato timore criminantur & rident. Currunt tanquā aſinus idomitus in omne præcipitiū, relinquente eos in manu B conſilij ſui Deo irato, qui ſuperbis reſiſtit. *Monicus.* Noui tales aliquando quales erant opinor Simeō & Leui, quorum à patre maledictus furor, quia pertinax & indignatio quia dura, eò quod ſint vaſa iniquitatis bellantia. Sed quo pacto veri zeli cognitio præſtabitur audire deſiderio. *Volucer.* Verum zelum eleuatè propriéque deſcripſit qui dixit, illum comedit zelus domus Dei, qui ſcādala quæ videt in Eccleſia tollere vult ſi poteſt, ſi non poteſt, tolerat & gemit, vulgata verò regula habet illud poſſumus quod de iure poſſumus, vbi C nouerimus plurimum intereſſe in eo qui zelat ſi fungitur auctoritate iudiciaria, aut ſi caret illa, vtrobiq; tamen obſeruanda lex illa: Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris. *Monicus.* Vellem ſeparatus ſuper his ſermo fieret, & primò de zelo fugentiū publica poteſtate. *Volucer.* Fiat ita, & quot inſidijs expoſitus eſt iſte zelus, accipe: Inſidiatur impotentia propter quam iubet ſapiens: Noli velle fieri iudex, niſi virtute valeas erumpere iniquitates. Iudex itaque quid aliud agit proferens ſententiam D cuius executionis non habet facultatem, niſi iuſtitiam exponere vel contemptui vel diſcrimini? Inſidiatur ignorantia eorum quæ ſtatus requirit eſſe cognoſcenda, hoc in prælatis plurimis reſpectu legis euangelicæ, hoc in ſeculi iudicibus quoad ciuiles conſtitutiones inuenimus, quales eſſe damnabiles mechanici monſtrant, inter quos non recipitur niſi qui in arte ſua peritus eſt. Turbat etiā in aliquibus litteratis hunc zelum defectus experientiæ, quæ circunſpicere facit omnia, vt tandem eligatur nedum id quod de ſe licet, ſed quod E expedit, id eſt quod expeditè fit, attenta circunſtantiarum qualitate. Turbat alios inconſtantia perſecutionis eorum quæ bene præconſiliata, concluſa, inceptáque ſunt, quos vel ira ſuboriens, vel humanus timor infortunij contra ſe vel affines deijcit à cathedra iudicij.

Quo contra pertinacius obfirmātur alij in malè præconſiliatis & cœptis, fatuo quodam pudore victi, ne vinci videantur, exemplo militum quos in certam vltro mortem vitioſus fugæ F pudor impellit. Quid exiſtimes præterea de conſiliarijs mendacibus & corruptis, à quorum ſeductione vix aliquis in potentatu conſtitutus ſecurus eſt? Quid de notarijs & promotoribus? Sed regeritur culpa in eos qui tales eligunt nec corrigunt, qui ſola inſuper ſibi placentia dici volunt, quale erat Achab. Verum eſt quippe illud ſapiētis. Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.

Efficaciſſimum inſuper corruptiuum zeli boni & debiti notat ſcriptura cum experientia eſſe munerum receptionem à manu, lingua vel obſequio, vnde ſequitur acceptio perſonarum, ſi-

Digitized by Google

mili pro reatu damnans vnum, abſoluens alterum, quæ omnia prohibuiſſe legitur cognatus Moyſi, dum eidem optimè politiæ formam deſcriberet.

Sunt qui ſe ſufficienter exiſtimant rempublicam regere ſi conſtitutionum onera multiplicauerint. Si ſententias pœnales vt excommunicationes fulminauerint, maneant autem ipſi negligentes, ſimiles facti pædagogis reprobis qui negligentiam ſuam & ignauiam purgare ſe putant, ſi pueris ſuis comminationes crebras indixerint, ſi verberibus eoſdem affecerint.

Inuenies alios ſuis ita conſtitutionibus poſitiuis inhærentes vt nullam epikeiæ virtutem admittere velint, ſciant aut poſſint, apud quos ſummum ius, ſæpè ſumma iniuſtitia fit. Alij paſſim hac epikeiæ vel æquitatis regula ſic abutuntur, quod nihil in legibus, nihil in conſtitutionibus & regulis ſuis manet ſtabile, cum tamen præcipuum cuiuſlibet politiæ, etiam in monaſterijs regimen, ex rationabili legum ſuarum ſtabilitate reſultet.

Amplius quid de peruerſis ſcandaloſiſque moribus cenſendum eſt, ex quibus redditur contemptibilis tam vita quam auctoritas regitiua, vnde conſequenter inobedientia ſubditorum prouenit iuſtè prorſus vt in eo Domini puniantur in quo delinquunt. Adam in exemplo eſt cui in Deum peccanti, facta ſunt omnia prius ſubdita rebellia ſimul & aduerſa, ita etiam vt caro propria.

Quid quod aliquando peccata ſubditorum redundant in præſidentes? nec mirum dum conſortes ſunt in malitia committendo vel omittendo, ſicut Heli legimus ad filios. Illud verò magis ſtupendum, exempli gratia in Moyſe qui rector virtuoſiſſimus extitit, cuius hæc verba ſunt: Nec miranda ait, indignatio in populum cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixit. Nec tu ingredieris illuc (non dubium) in terram promiſſionis.

Monicus. Durus eſt hic ſermo pro regentibus ô Volucer. *Volucer.* Durus fateor adeò quod beatos prædicare compellor illos qui ſolitudine ſua contenti ſunt, quales Papa Gregorius ſuſpirauit habentes hanc à Deo gratiam, quod abſoluti ſunt à vinculis publici regiminis.

Præconium itaque ſuum canamus, placet.

SECVNDVM METRVM TERTII DACTILICVM ARCHILO- *chium tetrametrum, vt illud nonum quarti de conſolatione philoſophiæ: Puro clarum lumine Phœbum.*

MONACHA *clauſtri vita recludens*
Semet ſeptis, mortua mundo,
Cuius regimen ferre recuſat,
Pompáſque ſuas deſerit omnes
Animum ſuperans, imperioſa
Regnat cellæ conditur antro,
Regio fit ei manſio cœli.
Nil ſibi vana gloria laudis,
Nil fallacis gratia famæ
Garrula palpans, lubrica nec ſpes
Complacet, horret ferre tumultus
Trepidóſque metus, anxia vota
Qualia medijs vrbibus erant.
Namque aſſiduis turbine vaſto
A *Caditur curis publica vita,*
Quæ præſumit debilis in ſe
Homines proprio ponere dorſo.
Quorum nugas, crimina fraudes
Lites rabidas, vulnera, mortes
Anxia portat, calculus arcta
Dandus ſupereſt cum ratione.
Quid tantis iuuat vltro periculis
Subdere vitam mox perituram,
Scrupulóſque pati iugiter acres,
B *Intro vermem cor lacerantem?*
Ludicra vanáque quanta recurſant,
Quot crudelia, turpia, fœda
Haurit ſenſus diſcholus extra,
Vnde cor vrit Zelus amatus,
Vel dolor aſper, dira vel ira,
Siue libido ſordibus opplens?
Nonne feneſtras claudere mortis
Præſtat & vti ſenſibus imis?
Cœlica cernere mente pudica,
Quam non turbat ſæua remordens
C *Extera populi cura recepta?*
Fera mors ſibi ſit ianua vitæ
Sua ſpes Ieſus eſt, viuit in illo,
De ſanctorum quos coluiſſe
Meminit meritis & prece fidit.

PROSA TERTIA TERTII LIBRI.

Monicus.

D VIDE Volucer ne dum clauſtralem vitam extollis ſis iniurioſus reipublicæ, quæ periret vtique ſine rectoribus. Sed neque caret iſta vita ſuis periculis, ſuiſque tentationibus, tanto maioribus quanto colluctatio crebrior aduerſus principes tenebrarum mundi huius habenda ſibi eſt, & plus quam humana. Denique ſcit damnationē ſerui pigri, qui talentum ſibi creditum abſcondit in ſudario ponítque lucernam ſub modio, nam
E ſapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque? Mandauit quoque Deus vnicuique de proximo ſuo, quem pereuntem qui nō ſaluat dum poteſt, occidit.

Volucer. Hic eſt crede mihi, laqueus magnus quo ſolet zelus improbus ſeducere plurimos vt ambulent in magnis & alienis à ſe, non ſecundum ſcientiam, magna quippe ſibi videtur omnis præſumptio. Qua ſuper re multum diúque noſter aduena ſecum quæſiuit, theologiámque cōſuluit.

Monicus. Ideo audire cupio qualiter hæc zeli
F deceptio cognoſcenda, declinandáque ſit ab illis quos nondum adminiſtratio publica ligatos detinuit, immò & quos habet religio, ne mūdus eos per hanc ſeductionem reſorbeat, quales inuenti ſunt aliqui eò damnabiliores quò primam fidem irritam fecerunt. Patiuntur alij non pauci noxia inquietudines ſubmurmurātes quod dona ſua nequeunt in alios transfundere docendo, conſulendo, monendo, dirigendo iuxta datam ſibi ſciētiam, moleſtè ferentes otiū ſuum, quaſi dicerent, vt quid perditio hæc, quia non habent qui doceat eos iter rectum, quis conſtituat me doctorem ſuper eos, vel ad eos.

Volucer.

Digitized by Google

Volucer. Eſt vt dicis in quibuſdam, qui vtinam docerent ſe primitus ad ſobrietatem ſapere, qui aliorũ fieri doctores tanta auiditate deſiderant, vt cognoſcerent, qua ratione zelus ſuus moderãdus eſt, & quibus terminis coërcendus.

Monicus. Expedit ne quaſdam ſuper hac re dari regulas breues & ſolidas?

Volucer. Expedit, accipe, & in primis certũ habeto, quod poteſtatem regitiuam in Eccleſiaſtica hierarchia, ſi ſuperior non imponit, & iubet eam, nemo laudabiliter & tutè ſuſcipit vel exercet. Tale nimirum ſe glorificat & ingerit, non vocatus à Deo tanquam Aaron. Primũmque locũ veniens ad nuptias impudenter anticipat, deſcẽſurus cum rubore, auditurus etiam, quis te conſtituit iudicẽ ſuper nos? Itaque ſarcinam hãc ſi nemo imponit dicit Auguſtinus, vacandum eſt otio cõquirendæ veritatis, adde, vel ſtudio propriæ ſalutis. Neque enim Deus indiget auxilio noſtro pro ſalute aliorum, vt ſecum laboremus non vocati. Amplius, poteſtatẽ regitiuam nõ cõſequitur aliquis ex ſolo titulo ſcientiæ, vel eruditionis, vel charitatis; imò nec ex perceptione licentię magiſtralis in theologica facultate, quæ licentia nõ obligat ſe ſuſcipiẽtem, ſed idoneitatem eius monſtrat. Proinde, poteſtatem hanc regitiuam, ſi ſuperior legitimus (ſit Deus, ſit homo) iubet & imponit, oportet recipere, quãdo poſt auditas recuſationis cauſas, vt in Moyſe fuit & Hieremia, ſuperior perſtat in ſentẽtia. Refutantẽ enim, quid excuſaret ab inobediẽtia, niſi propriũ fortè iudiciũ, quo ſibi videtur indignus tali miſſione. Sed ſuperiori ſubijcere conuenit, nedũ proprię voluntatis affectũ, ſed etiã intellectus ſui iudiciũ, alioquin puſilanimitas iſta, ſpecie humilitatis ſe pallians, arrogantia dicenda eſt; eò periculoſior, quo ſibi videtur humilior; & quo ſenſum ſuũ præferre nõ dubitat ſenſui iudicióq; ſuperiorũ. Subinde, poteſtatẽ regitiuã poteſt aliquando vel petere vel appetere homo ſibi bene cõſcius, quod nõ præeſſe, ſed prodeſſe vult, ſcit & poteſt, tantũmodo caueat ne mentiatur, vt ſæpè fit iniquitas ſibi. Arbitror hoc intendebat Apoſtolus, *qui epiſcopatũ inquit, deſiderat, bonũ opus deſiderat:* ſed vt iniquitatem abijceret, ſubiunxit: *oportet autem epiſcopũ eſſe ſine crimine, &c.* Sic Eſaias Domino quærenti quem mitteret, reſpondit, *Ecce ego, mitte me,* verũ ſe iam ardenti calculo purgatũ cognouerat. Poterat hæc poteſtas tutius appeti, quando priores ad martyriũ qui præſidebãt ipſi trahebãtur: hodie verò ſuſpecta nimis hæc appetitio, ne gignat eam nõ zelus animarũ, ſed vel prę-ſumptio, vel inanis gloria, vel ambitio, vel inertia, quærens in otio lautè viuere; vel cupiditas, ditare quærens carnem & ſanguinem; aut demũ inexperientia poteſtatis huius regitiuæ, dãs audaciam de viribus proprijs, ſibiq; blandiens, quod efficacius cæteris euelleret, quod deſtrueret, perderet & diſſiparet, & ædificaret, & plantaret. Expertus verò, longè videbit aliter & metuet, videbit quod peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorũ infinitus eſt numerus: Videbit opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit; videbit ꝙ de præmeditatis ſecum & dictis; tũc faciã hoc, tunc faciã illud; fiet poſtmodũ neq; hoc neq; illud: videbit ſe lõgè fieri & cõfundi ab expectatione ſua, velut à torrente rapido aliorſum, ac ratus erat trahi. Animaduertet denique, A aliquando facilius eſſe ſpeculantẽ in cella vel ſtudio, deſcribere ſibi pulchrũ boni regiminis modũ in republica, quã exequendo practicare. *Monicus.* Quid de hominibus cenſes noſtræ ætatis, quęrẽtibus expectationes ad beneficia, quibus annexa eſt aliorũ cura? Pro quibus vel adipiſcendis, vel retinendis, ſe litibus inuoluunt, ſumptibúſq; conſumunt. *Volucer.* Viderint ipſi qualis ſua ſit intentio, & quẽ ſibi finẽ principaliter conſtituunt: poteſt itaque fieri, vt idoneus aliquis ſeruire Deo in regimine publico quærat illud, intendẽs ex conſequenti, & tanquã ſecũdariè, B ſuſtentationẽ vitæ propriæ ſufficientẽ habere, quatenus abſq; mẽdicitate, vel improportionato ſibi labore, ſeruiat in hoc ſtatu liberiori quietè Deo. Nec eſt leuiter hoc imputandũ ſimoniacæ prauitati: ſicut nec dũ frequentantur in eccleſijs horę canonicę ad recipiendũ diſtributiones quotidianas & ſolitas: aut dũ vicarius deſeruit vni curæ ſuſcipiens inde ſtipendium: *Dignus eſt operarius mercede & cibo ſuo.* Dicã amplius, Si profitetur aliquis vitam clauſtralẽ, rationabiliter intẽdens illic C ſufficienter ſuſtentari, alioquin nõ intraturus, neque tamen ſimoniacus eſt, dũ intentio principalis eſt ſeruire Deo, & ſubſtentatio vitæ eſt ad illud finẽ, & ſub illo, vbi autem vnũ propter aliud, iã nõ duo, ſed vnũ ſunt. *Monicus.* Appares loqui fauorabiliter in excuſationẽ ſimoniæ, quã tanta ſeueritate decreta dãnant, quã ampliare ita nitũtur aliqui, quod penè nihil apud Eccleſiaſticos inueniretur (ſi verũ ſentirent) à ſimonia nõ infectũ. Sed hoc interim omiſſo, cum multis quæ magis ſcolaſticè D tractãda ſunt, perfice ꝙ cœpiſti de zeli moderatione per patientiã, reſpectu fraternæ correctionis.

Volucer. Correctio fraterna, cũ ſit opus eleemoſynæ ſpiritualis, datũ ſub affirmatiuo præcepto, *ſi peccauerit in te frater tuus, &c*, ſemper quidẽ obligat, ſed non pro ſemper: omittenda quippe eſt, dum probabiliter apparet, quod fieret vel fruſtra, vel in deteriorationẽ corrigendi: hoc autẽ probabiliter æſtimatur de peccantibus ex malitia, & cõſuetudine peruerſa, nõ ex ignorãtia. Secus in correctione iudiciaria, vbi poteſt cõtemni ſcandalũ E illius qui puniri debet; quia fit pro ſalute nedũ illius ſed totius reipublicæ, & vt punitio ſceleris cedat alijs in exemplum. Poteſt inſuper hæc omitti correctio, dũ probabiliter apparet, quod peccans alio modo per ſe vel per alterũ corrigetur: ſic enĩ famelicus nõ eſt de neceſſitate paſcẽdus à Petro, etiã diuite, ſi veriſimiliter immineat modus quod ſuſtẽtatus per ſe vel aliũ non peribit: qua ſuper re, nemo debet ſibi fabricare leuiter ſcrupulos, tanquã de neceſſitate præcepti, ſicut nec in alijs plu- F rimis, qui vel prætergredi, vel agi poſſũt infra terminos diuinæ iuſſionis. Attento præterea, quod temerariũ frequenter eſſet, & vſurpatũ iudicium, corrigere, fratrẽ quaſi criminaliter operantẽ, vbi poteſt occurrere multiplex excuſationis locus, vel ratione fragilitatis proprię, vt in pueris, & puellis, & ruſticanis, vel quia doctrinis & virtutibus aliũde pollẽt, à quibus eos declinare nec ſe corrigere nõ eſt leuiter præſumendum. Rurſus, attendere debet iſta correctio, ne prætergrediatur vllatenus ordinem hierarchicum, quo inferiores reduci habent ad Deum per ſuperiores, etiã vbi videtur in ſuperioribus vel inertia vel lata culpa, non inde

Digitized by Google

publicam poteſtatem vſurpet aliquis, neque in prædicatione, neque in ſacramentorum miniſtratione, neque in ſuperiorum, coram ſubditis, ſatyrica reprehenſione, quæ non ædificationem morum, ſed indignationem cauſat, & contemptum. Eſt autem ſpecialius aliquid obſeruandum circa eos quorum confeſſiones audiuntur, vt extra neque publicè neque priuatè arguantur inde, imò neque laudetur; ne aperiatur via ſuſpectæ reuelationis in vituperato; vel fictionis aut inanis gloriationis in laudato; vel diffamationis per indirectum, in confitentibus nō laudatis. *Monicus.* Difficile certè iugum pro præſidentibus in vtroque foro, quia ſic obligantur corrigere, ſic ſe gerere quaſi penitus in confeſſione nil audiſſent: ſed ad vlteriora pergens, dic quali moderatione ſit exercenda talis correctio. *Volucer.* Vtique non cum imperio, non cum auſteritate, & minimè cū contumelia, vel improprio; mendax enim in ore cōtumelioſi correctio: ſit exemplo Pauli, cū omni humilitate, lachrymis, & manſuetudine: neq; formidandū eſt hic ne nimia ſeruetur humilitas, vbi nulla eſt quæ frangi timeatur regendi auctoritas. Quid quod in multis diſſimulanda ſunt peccata; vel iuniorum, ne perdant verecūdiam; vel ſeniorū, ne peſſimentur per impatientiam; increpandi non ſunt, præſertim in publico, ſed nec eis delirātibus eſt plauſibiliter aſſentiēdum: modeſtum ſilentium, cum facie ſubtriſti, ſatis erit pro ſua correctione, & noſtra ne peccemus cautione. Porrò, ſi peccata talia ſint, quæ doctrinam Chriſtianæ religionis inficiant publicè, cum ſcandalo puſillorū ſilentium ſoluendum eſt, & tota libertate contradicendum, aut protinus ad ſuperiorem deferendum. Quod ſi compertum ſit in ſuperioribus & inferioribus tantam ſuccreuiſſe perniciem, etiam in his quæ fidei ſunt, (propter deprauationem intellectus, ex inordinato timore cuiuſquam potentioris errantis, alioſque trahentis, hos violentia, iſtos fauoribus, adeò quod nec periti ſanum conſilium, nec iudices rectum iudicium, liberè dabunt, diſſimulabunt potius, aut in veritatis ſubuerſionem impudenter ibunt) hoc caſu, ſi defenſio Catholicæ veritatis exponenda ſit in publico per perſonas priuatas, videtur ambiguū: quoniam vno loco iubet Dominus, *Eſto fidelis vſque ad mortem, & laudatur qui pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem. Et à verbis impiorum nō timuit,* exemplo Ioannis Baptiſtæ. Alio loco vox Chriſti eſt, *Nolite ſanctum dare canibus, neque proÿciatis margaritas ante porcos.* Cuius ratio continuò ſubiuncta eſt, ne dans laceretur, & verbum Dei conculcetur. *Monicus.* Quam vereor ô Volucer, ne tangat hæc conſideratio peregrinum noſtrum, ſua proſecutione in cauſa fidei, nunc coram ordinario iudice, nunc in præſentia ſacri concilij, nam quid inde prouenerit, audis, quid dicitur, quid agitur? *Volucer.* Nolo fiat tibi modo reſponſio, latiorem hac in re iterū ſermonē habiturus ſeorſum: Etenim, qua fronte de ſacro concilio ſuſpicionem, de principiorum moralium veritate dubitationem, de proceſſu iudiciario offenſionem concepiſſet. Sed accipito compendioſum in præmiſſis documentum abſolutos à publicis reſpiciens.

TERTIVM METRVM TERTII,

A MONOCOLON ANAPESTICVM *parthenïacum, dimetrum catalecticum: currit cum metro quinto ſecundi de conſolatione philoſophia:* Felix nimirum.

QVA ſorte vocat Deus, hanc tu
Contentus agas, nec hianti
Zeles animo noua vota;
Quæ ſunt aliena, relinque;
Tractent quibus eſt data cura.
B *Non te nocuis preme gratis,*
Sis ſufficiens tibi, quæſo,
Nec te coquat alterius ſors.
In ſe retinet ſtatus omnis
Quicquam miſerum, graue, durum,
Quod ſcire ſtatus nequit alter:
Experta feres leuiore,
Notáque magis ope fiſus.
Febrem patiens, modò dextrum
Mutat latus huc, modò læuum,
Nunc ventre cubat, modò dorſo,
C *Hinc pace caret; quia ſecum*
Fert intro malum, ſuus omnis
Idcirco locus grauis angit.
Se corrigat, & paret intra
Pacem ſibi, détque quietem,
Qua non aliter potietur.
Gratum referas Domino cor,
Qui dona dedit ſat abundè,
Vtaris eis ſine culpa,
Sic proderis omnibus aptè.

D
PROSA QVARTA, LIBRI TERTII.

Monicus.

QVA ratione fiet ô Volucer vt ſolitarius omnibus proficiat? *Volucer.* Nimirum bene viuendo: an ignoras, quod omne peccatum offendit nedum Deum, ſed omnem imperio ſuo ſubditam creaturā? quæ idcirco armatur, & pugnat contra inſenſatos. Nocet præterea, nedum peccā-
E ti, ſed toti hominum communitati, quæ eſt velut vnum corpus, tanquam acies ordinata, cuius non poteſt ſine læſiua debilitatione quantulacunque pars vel mortificari vel eripi, qualiter fit ex peccato cuiuſcunque. Hinc perpende virtutem vnius, multo magis omnibus proficere, vnde ſumpſit ortum pſalmiſtæ verbum: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Vis inſuper ſcire quantum ſegregatus & orans ſit vtilis? Moyſen orantem in monte, dum
F pugnaret Iſraël, inſpicito: denique quis neſciat vitia efficacius oratione quam per orationē vinci? ſolitarius verò, liberius orat quàm occupatus. Tolle orationes timentium Deum, quid proderit obſecro labor fatigantium ſe, vel prædicando, vel monendo, vel corrigendo; quando medicos etiam monet ſapiens orare, vt opera dirigat ſua Deus: Penſet ergo ſolitarius, quantum poteſt corrigere delinquentes, abſens & tacens, ſi bene vixerit, & orauerit: taliter enim & non aliter, ſibi datum eſt tollere ſcandala ab Eccleſia, ſi crebrò ingemuerit, iuxta viſionē Ezechielis de habentibus ſignum tau in frontibus ſuis.

Penſet

Digitized by Google

Penſet quantum difficultatis habet exterior correctio, quantum ſollicitæ turbationis, puto gaudebit eligere partem Mariæ ſedentis, non Marthæ miniſtrantis, deſeret querelam conuerſam ad Martham, quod non ſollicitum, non turbatum erga plurima, reliquerit eum Ieſus. Itaque, ſi corpus proprium & vnicum, vix aliquis ſufficit obediens reddere ſuo ſpiritui quotidianis increpationibus, continuè monens illud & caſtigans, quid cēſendum putas de tot corporibus, tot capitibus, tot ſpiritibus alienis, nec cōiunctis? Sperat aliquis ſe correcturum hos, & illos verbo ſuo, dicat ſibi primitus, ſeq; corrigat ſi valet, & dum nō poterit, humilius ſapiat. Hæc ſi recogitauerit acriter ſecū ſolitarius, gratias aget, Deo quod non impoſuit homines ſuper caput ſuum, miſerebitur qui conſtitutis in publica poteſtate, non indignabitur, non æmulabitur. Attendet quid Dominus ad Iob dixerit: Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili ſonas, diſperge ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnē arrogantem humilia; vbi docet apertè opus hoc ſolius Dei eſſe. Hinc per Pſalmiſtam iubet, neque zelaueris facientes iniquitatē: quia nec imitandi ſunt tales, nec ſpreto diuinitus inſtituto ordine corripiendi. Quæris exercere zelum contra peccatores, quæris eos de terra perdere, dabo tibi antidotum ſine verborum ſtrepitu, ſine virga, ſine carcere, ſine flagellis aut vulnere, ſine tuo periculo: bene viue tibi, & pro alijs orās, ipſos tolera, & geme, nihil aliud tibi conceſſum eſt. Sed inde gaudeas, quoniam alleuiatus graui faſce, cur alienæ miſceberis rixæ, cur alienum iudicabis ſeruum, cur talento vis vti, in non tibi cōceſſos vſus, quòd palā eſt abuti; Memineris illius qui pecunias alijs partiendas recipere noluit, cauens ſibi, tam ab inani gloria, quam à periculo diſtributionis, vt ſit iniquè, ab ingratitudine & remurmuratione recipientium, & non recipientiū, ab ſui otij denique detrimento. *Monicus* Suades ſalubriter patientiam in zeli moderatione ſuſcipiendū, vnde conſurgit conſolatoria quies multa, prĕſertim his, quos ſuſceptum non ligat officium. Adderes vellem aliqua ſuper eadem patientię virtute: & in primis, cur dictum eſt, patientia autem opus perfectum habet. *Volucer.* Scis perfectionem hominis in Dei dilectione ſuper omnia & propter ſe conſtituit, ideo finis legis dilectio.

Porrò quis neſciat veram dilectionem non in proſperis, ſed aduerſis inſpici. Aduerſitas nempe ſola probatrix eſt ſi quis in proſperitate verus amator ſit. Venit ad te Deus cum auro & argento, cum ſanitate, cum honorificentia, cum quiete, à tentationibus intus & foris, recipis eum, laudas, gratias agis, dubiū mihi eſt ſi munera Dei, nō Deum diligis. Itaque, qui Deum vel amat, vel in eo ſperat pro commodo temporali, tolle commodum, deſperabit & oderit. venit Deus incomitatus his omnibus, ſed cum paupertie, ægritudine, tribulatione, ſi perſtas in amore, ſi in gratiarum actione, modò opus amicitiæ perfectum oſtendis ad Deum, quando nec dolore, nec inopia preſſus diſcedis ab eius amore. Neque enim dolere vitium eſt, ſed propter dolorem nihil vitioſum committere, laus eſt egregia. Sunt apud philoſophiam veræ ſpendidæq; ſuaſiones ad patiētiam, hæc vult animum reddere ſui compotem liberúmque; vitia reprobat, laudátque virtutes, A oſtendit omne peccatum facienti pœnā eſſe, omnis autem virtus magnum ſui præmiū eſt. Addit malos eſſe impotentes, nec adipiſci quod cupiūt: Boni vero deſideriorum ſuorum, quibus appetūt ſummum bonum, compotes ſunt: Nam participatione diuinitatis dij fiunt. Docet rurſus fortunam omnem bonam eſſe, & quod ſæpe plus ad uerſa quam proſpera prodeſt. Denique, nulla poteſt in iſtis inferioribus, mutabilibus, & caducis bonis atq; fortuitis, inueniri vel hauriri felicitas, quæ ſufficientiam, quæ potentiam, quæ reuerentiam, B celebritatem, lętitiā ſtabiliter veras donet. Specioſa quidem ſunt iſta (ait Boëtius) ad philoſophiam, tum tantum cum audiuntur oblectant, ſed miſeris malorum altior ſenſus eſt. Oſtēdenda fuit per Theologiam altior felicitas, quam petere; & infelicitas omnino peſſima, quam refugere deberemus; in cuius reſpectu, præſentem mortem non eſſe timendam aſtrueret: nolite timere ait, eos qui corpus occidunt, ſed eum qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam ignis. Cum C enim ſit triplex malorum pœna, quædam contracta, quædam inflicta, quædam permiſſa: Primam plurimi nihili pendunt; nec aduertunt, quam philoſophia tamen rectè probet magnam eſſe, quia priuat animam magno virtutis bono, tollens ab eo modum, ſpeciem, & ordinem: Inflicta pœna, quia ſenſum doloris infert, plus extimeſcitur & fugitur: Tertiam vt primam, non attendunt peccatores, dum in pœnam priorum peccatorū permittuntur iuſto Dei iudicio ad alia & alia crebrò labi. Theologia verò Chriſtianorū, philoſophiæ D doctrinas, ſi rectæ, ſi veræ ſunt, ſi ſalutares, approbat, vtens eis iure ſuo, & catholicas reddens, ſi tenebroſiores ſūt illuminat: ſi noxijs erroribus mixtæ ſunt, ſeparat præcioſum à vili, illud retinens, aliud extermināſ, quoniam nihil inquinatū, nihil ſordidum, nihil falſum vel noxium ſecum intrat. Non ſiſtit in conſideratione ſola mutabilitatis rerum infra labentium, in variabilitate ſortis humanæ: in imperfectione fallaci eorum omnium, quæ mundus inferior oſtentat, quæ ſunt diuitiæ, E opes, dignitates, regna, gloria, voluptates, quę frequentius recidunt in contraria. Erigit ſe confeſtim altius; reſpiciens veram beatitudinis formā, non ſimulachrum quoddam vel idolum beatitudinis, quale Stoici ponere viſi ſunt, in honeſto quod ſuiipſius præmium eſt, pro cuius obſeruatione mors voluntaria, etiam propria manu, ſicut egit Cato, ſecundum eos quæri poteſt, quam eſſe viam breuem, & expeditam, ſed mendaciter dixerunt ad libertatem. Sileo de porcinis voluptatibus Epicuri: ſed neque primi boni ſola con- F templatio, qualem locutus eſt Ariſtoteles beatitudo dici poteſt: ſublimiorem & æternam dat Theologia. In cuius aſpectu, monſtrat momentaneum & breue hoc tribulationis, ſupra modum immenſum gloriæ pondus operari in nobis, contemplantibus non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Oſtendit ex aduerſo miſeriam inæſtimabilem fine carituram, qualem nullus philoſophantium concepiſſe viſus eſt. Quid autem grauitatis habere cenſebitur pœna temporalis quantalibet, æternæ vitæ, & morti collata? minus certè quam ictus leuis virgæ, ad ſupplicium capitale,

Digitized by Google

vitandum, & regnum conſequendum. Ecce proponatur vtrumque puerulo, quæratur quid eligat A è duobus, mortem pati vel virgam, non dubium quin virgam. Orabit etiam flens, ſi negetur ei, timens & horrẽs propoſitum ſibi è diuerſo, vel ſuſpendium vel incendium. Hinc pueros, dum flagellantur & clamãt, ridere ſolemus, tenentes puto illam ſapientis ſententiam: Virga eum cædis, & animam eius ab inferno liberabis. Nos verò grandiuſculi pueri gemimus, excandeſcimus, murmuramus, ad modicum Dei flagellum: illudque per impatientiam rumpimus vt poſſumus, quaſi B non ab inferno ſimiliter liberare nos quærat pater noſter Deus. Tribularis? quid putas tibi Theologia ſuaſura ſit? ſerui Deo, ſanctóſque ſuos & ſanctas honora, proſperaberis in ſeculo delitijs, diuitijs, pace, gloria frueris ad votum. Sic videlicet docebat ſapiens: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem: ſic apoſtolus, Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto perſecutionem patientur: ſic Chriſtus dicẽs, In me pacem, in mundo preſſuram habebitis: ſic ſancti ſanctæque omnes exemplo monſtrarunt. C Expectandum ita eſt, præparandus animus ad tribulationem, quæ nobis vtique talis fiet, qualis animus erat vtentis, demeruimus millies mortem, & inferni mortem, eruet nos, ſi volumus, tribulatiò, ſi nolumus, puniet nos bis in idipſum. Itaque omnino impoſſibile eſt non flagellari, vel hic ad pœnitentiam, vel in futuro ad exterminationem. Reſpiciamus ſemper ad Dominum flagellantem, ad partem miſericordiarum corrigentem. Si verò non vanè, non ſimulatoriè, non velut in ſomnio D Chriſtiani dicimur & ſumus: Neque enim venire poteſt aliunde tribulatio, tenet quippe ligatum leonem infernalem, ne furiat quãtum vellet, non ille, ſed detinens eum rogandus eſt, non aduerſarius, quiuis alius, ſit homo, ſit beſtia, ſit ignis, ſit aqua, timendus eſt, timeatur moderans illa Deus: Et hinc orietur magna ſecuritas. Nolo dicat hic aliquis, non tentabo Dominum aduerſus illa quę naturalis fert actio: Libertimus enim naturæ rector eſt Deus, vtens illa prout liber ad ſalutem electorum, ad commoditates ſe diligentium, quaE les enumeratæ ſunt à prophetis, & ſanctis diligẽter: erudit per flagella, purgat & medetur, doctrinas in ſcripturis multiplicat, quod prophetæ, quod Boëtius, quod Cicero cũ cæteris inſinuant. Compellit intrare vocatos ad nuptias, lacerans alterius tunicam, illius crus frangens, huic oculum eruens, alium mancum reddens, ſepit vias malas ſpinis, ne quis ambulet per eas in interitum: tribularis & tentaris, iſta communis eſt ſors omniũ viuentium: homo quippe naſcitur ad laborem: F ſi demeruiſti, te æquo animo id ferre æquum eſt, ſit tibi bene conſcius es, gaude, quia maior te merces manet. Quid præterea, quòd abſque tentationibus nullo pacto præſens vita ducitur, quæ militia eſt, tolera quam habes, quia dum deerit, certus eſto ſuccedet altera tibi fortaſſis aſperior. Crede, non eiecit hominem Deus ab horto voluptatis, vt hic nouam conſtitueret, ſed in labore viueret & ærumna. Aufers ais mihi pacem, mihi gloriam, mihi diuitias, mihi felicitatem, non aufero, ſed inuito, monſtrans viam, quia per preſſuram mundi, pax; per infamiam, gloria; & per inopiam, diuitiæ; A per lucrũ & miſeriam, beatitudo; quod eſt omne bonum, comparantur. Ad extremum pró præſenti die & re quam agimus (ſol enim decliuior ſilentium ſuadet) carmen accipe.

QVARTVM METRVM TERTII, MONOCOLON DACTILICVM ALCAICVM catalecticum.

Simile primis duobus carminibus Horatij in oda vltima: *Phœbus volentem prælia me loqui.*

B

INter coæuos Iob vir honeſtior,
Multa refulgens prole beatior,
Simplex, tremiſcens te Deus optime,
Rectus, fidelis, criminis inſcius:
Gentes eoas exuperans nimis
Gazis, & amplo velligero grege,
Bobus, camelis, atque laboribus
Aptis aſellis, plurima turbáque
Seruire debens magnificè fuit.
Talem flagellis expetijt Sathan
C *Tentare duris: non aliter valet*
Vti, malignis viribus vſpiam,
Ni det ſupremus fas Dominus ſibi.
Laxis habenis hinc furioſior,
Tradit ruina protinus omnia;
Septena proles dum bibit ac edit,
Tres & ſorores, obruit hos domus
Conuulſa venti turbine funditus.
Iob verò viua rupe manentior,
Ferri recocti robore durior,
D *Spes cuius altè fixa petra fuit,*
Supplex Deo mox lumina dirigit,
Grates rependens relligioſus:
Si quæ dediſti vis pereant, ait,
Fiat voluntas iure Deus tua.
Hinc edocemur cuncta per aſpera
Ad quem miſellos currere conuenit,
Qui deprecandus? nam Deus vnicus.
Sontes repurgat trux tribulatio,
Ac innocentes roborat, & probat:
Cuiuſque dicat mens bene ſubdita,
E *Quæ commodaſti ſi repetis pater,*
Gratus libenter reſtituo, cape:
Vis per latrones, enſe vel ignibus
Auferre? linquo, gratius accipis
Sic fortè, quàm ſi pauperibus darem:
Si te vocantem non ſatis audio,
Compelle, veſtes dilacerans trahe,
Demum prout vis, dummodo ſim tuus.

Tertij libri finis.

F LIBER QVARTVS, PROSA PRIMA.

Monicus.

PRÆTERITIS diebus locutus, ô Volucer, quemadmodum peregrinus noſter ſuam in Theologia quærit cõſolationem, in omnibus quæ circunſtant eum tribulationibus, nunc per tuam fidẽ edicito, nũquid nõ pœnitet eũ plurimorũ, quæ vel in Frãcia, vel in generali cõcilio geſſiſſe meminit, modo circa ceſſionẽ & electionẽ cõtendentiũ de papatu; ſcribendo

Digitized by Google

ſcribendo de poteſtate concilij, modò circa cauſas fidei eam præſertim quæ deteſtatur homicidia ſine legitima auctoritate perpetrata, cum ſequelis ſuis, quę cauſa totius pœnæ turbationis inclytum Franciæ regnum diſcerpentis (vt aiunt) ſeminarium fuit, quamuis aliam debet alij cupidinem effrenem dominandi vel vindictam expetenti. Nunquid non aliquibus ſaltem ſcrupulis ſua conſcientia remordetur? *Volucer.* Quis gloriabit ô Monice mundum cor ſe habere? quis dixerit, innocens & mundus ſum? Quis non cōſtitutus ſub iudicijs Dei terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, non trepidauerit? Hinc afflictus Iob: Verebar omnia opera mea (ait Deo) ſciens quod nō parceres delinquenti. Et iterum: Si voluerit mecum contendere, non potero reſpondere vnum pro mille. Cui conformis eſt oratio prophetica: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et rurſus. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Porrò quid Eſaias ſecum cæteris inuoluens ſibique vileſcens, humili confeſſione protulerit, legimus: Omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ. Quis igitur iuſtitias ſuas velut gloriabundus oſtētauerit Deo, pluſquam pannum confuſionis ſuæ mulier viro. Quem denique non exterruerit apoſtoli verbum dicentis: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Cauſam reddidiſſe videtur ſapiens: Timidæ ſunt inquit, & incertæ omnes prouidentiæ noſtræ. Et alibi: Prauum cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? *Monicus.* Quid igitur agit pro ſerenatione cōſcientiæ ſuæ vt Deo ſit in pace locus ſuus, ipſéq; dormiat in idipſum. *Volucer.* Doctrinam conſulit quam theologica tradit ſchola, iudicat aliter agendam eſſe de ſcrupulis inquietis orientibus ex his quæ præterita ſunt, aliter ſuper his quæ agibilia futura reſpiciunt fatetur ex præteritis profectò ſe timere, neque timorem hunc abijcit. Auget potius coram iudice Deo, ita tamen ne deſperet ſuper miſericordia eius, ſed in ſolidiorem ſpem aſſurgat. Formidat ne forte poſuerit ſibi laqueos inimicus latentes & abditos in via hac veritatis qua ambulabat. Neq; enim dubius, ſed certiſſimus eſt, id ipſum quod proſecutus eſt veritatem eſſe catholicam. Cuius oppoſitos errores impios atque peſtiferos exterminari quærebat ordine iudiciario. Ita enim ſe iudicat obligatum firmiter credere & nullatenus dubitare de notitia ac intellectu diuinorum præceptorum. Alioquin ſe fidelem quo pacto reputaret cum ſcriptū ſit: Dubius in fide infidelis eſt? quod vtique veritatem habet dum quis illa dubitat quæ per eruditionem ſacræ ſcripturæ certa tenetur & explicata fide tenere. Neque enim generalis ſufficeret crudelitas in multis, niſi particularis adfuerit, plus aut minus iuxta perſonarum & eruditionum qualitatem. Verum ſi iuxta hoc iter veritatis poſuerit ſcandalum angelus ſathanæ, qui ſe transfigurat in angelum lucis, non ita eſt vſquequaque certus, neq; ſcit ſi ſcuto veritatis ita protexerit eum Deus, quod timere non habuerit à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Dæmoniū plane meridianum dixerunt ſancti, quod & fallit, & ſub ſpecie tamen **A** boni nō qualiſcunque, ſed magni boni fallaciam tegit. Hic eſt laqueus magnorum virorum, dum magni non humiles ſunt in oculis ſuis, dum propriæ magis quam alienæ innituntur prudentiæ, dum extollunt ſe in cogitatione ſua ſicut taurus, dum præterea ſic agunt quaſi facto & ſi non verbo dicerent, manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia, quippe dum præuenire monitiones ſuas arrogantia ſuperba, non ſubſequi in humilitate lachrymis & manſuetudine ſæpius inueniuntur. Denique ſupra modum terribile eſt **B** illud ſapientis tonitruum: Eſt via quę videtur homini iuſta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Beatus igitur vir ſapientis teſtimonio, qui ſemper eſt pauidus, quia niſi in timore Dei ſe inſtanter tenuerit, citò ſubuertetur domus ſua. Noli propterea mirari Monice, ſi tales inter recordationes poſitus paueat & extimeſcat, præſertim cum perfectam charitatem quę foras mittit timorem, non ſe præſumet adeptum, vtinam habere ſe cognoſceret minimam vel imperfectam. *Monicus*: Exter**C**ruiſti me talia de timore diſſerens, & in hos me truſiſti ſcrupulos dubiæ quæſtionis, ſi pro proſperitate reipublicæ, ſi pro defenſione veritatis catholicæ, ſi pro errantium vel delinquentium correctione quiuis hominum ſe debeat exponere, ſed ſedere ſolitarium & reputare ſapientem eſſe qui non curat in cuius manu mundus ſit. Nam ſi bene præcipiunt qui docent nihil eſſe agendum quod dubium eſt an bonum ſit, exponunt enim ſe periculo & qui amat periculum (dicit ſapiens) **D** peribit in illo. Quis audeat ſub tanta rerum humanarum in certitudine quippiam deinceps palam proſequendum amplecti. *Volucer.* Audebit ſi certus fuerit ex doctrina ſacra, quod fundata ſit in iuſtitia fidei proſecutio ſua pro qua certandum eſt vſque ad mortem corporis vel in anima deterius moriendum.

PRIMVM METRVM QVARTI LIBRI IAMBICVM ARCHILOCHIVM **E** trimetrum acatalecticum, currit cum tertio metro tertij de conſolatione philoſophiæ quoad primum eius verſum: Quamuis fluente.

Lex in tabellis à Deo binis olim
Inſculpta petrinis eſt, continens decem
Præcepta naturæ, quod idcirco fuit
Legem quod impreſſam per indelebile
Lumen prius noſtris in cordibus fuſcauerat
Nox criminum, nubéſque flagitiorum
F *Obſcura, necnon pertinax ſuetudo,*
Quæ prima circa vera mentiri facit
In moribus, ſecta docent hoc impia.
Illuxit ergo ſummi velle, per fidem
Rurſus iubens ſignis & in miraculis
Mandata ſerues hæc Dei vigil tui,
Si non mori vel perire funditus vis.

Digitized by Google

PROSA SECVNDA QVARTI LIBRI.

Monicus.

SEd cauenda ſunt ô Volucer ſcandala, væ enim homini per quem ſcandalum venit. Obſeruandum eſt præterea in collectione zizaniorum ne ſimul eradicetur & triticum. Tolerari denique mala iubentur, quæ ſi tolli quærerentur, deteriores afferrēt exitus, ſic ethnici, ſic Sarraceni ſic hæretici plerumque dimittuntur, nec impugnantur, immo ſic agere cōſilium eſt, vbi communitas eſt in culpa, ne deterior ſciſſura fiat. *Volucer.* Scandala phariſæorum contemnenda docet veritas. Sinite eos inquit, cæci ſunt & duces cæcorum, talia quippe vitare nec poſſumus nec debemus. Sed neque deſerenda eſt veritas aut vitę aut doctrinę, vel iuſtitiæ, dum certum habemus quod periclitaretur noſtro ſilentio, & oppoſita falſitas firmaretur, iuxta regulam: Error cui non reſiſtitur, approbatur. *Monicus.* Redit ecce ſermo noſter ad materiam quæ de zelo tractata eſt. Cadit præterea in aliam difficultatem, quando & qualiter certi erimus quod defenſio catholicæ veritatis non plus affert nocumenti quam vtilis ædificationis, quoniam ſi plus officit, nonne tenenda erat iuſſio Chriſti ſuperius inducta: Nolite ſanctum dare canibus? Cui parabola de zizaniis non tollendis cōſona eſt. *Volucer.* Adhibenda eſt fateor pro diſſolutione difficultatis iſtius quæ pluries incidit doctrinalis vna diſtinctio. Cuius vel ignorantia vel inaduertentia multos etiam philoſophorum atq; theologorum conturbauit. Itaque certitudo vna eſt ſupernaturalis, altera naturalis, tertia moralis vel ciuilis. Certitudo ſupernaturalis ita ſe habet quod non ſtat aliquem ſic aſſentire & falli. Et hæc iterum certitudo diuiditur, quia quædam eſt euidentiæ claræ & intuitiuæ in patria beatorum. Altera euidentiæ reuelatæ in illuſtratione prophetarum. Tertia ſolius adhærentiæ in ſpeculo & in ænigmate, quæ non euidentiæ rationis innititur, ſed autoritati diuinæ, qualem certitudinem fides habet & præſtat in cordibus fidelium. Eſt enim quælibet huiuſmodi certitudo tanta, quod per nullam potentiam etiam diuinam & abſolutam fallax eſſe poteſt, alioquin Deus negaret ſemetipſum. Hanc philoſophorum ſchola non vidit, neque Stoicorum, neque Peripateticorum, neque Academiorū. Hęc certitudo pro tertio ſuę diſtinctionis membro fidelibus omnibus dum peregrinantur in via conuenit, quos tanta certitudine nedum duodecim articulis fidei, ſed toti ſacræ ſcripturæ credere neceſſe eſt, actu vel habitu, implicitè vel explicitè, qualiter credendo certi ſunt, neque falli poſſunt. Alioquin iuxta quod prætactum extitit, dubius in fide infidelis eſt. Certitudinem hanc in martyribus talem vidimus vt abſque vlla dubitatione mallent relinquere vitam quam fidem. Cæterum Paulus hac ſubnixus, expreſſurus vehementia certitudinis, aſſeruit conditionalem cuius antecedens ſciebat impoſſibile. Etiam inquit, ſi angelus de cælo vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum eſt, anathema ſit. Neque tamen negādum eſt, quin Paulus vltra certitudinem adhærentiæ per fidem, certitudinem habuerit euidentiæ per reuelationis illuſtrationem & quodāmodo in tranſitu ſeu raptu

A per gloriā. Porrò certitudinem alterā quæ naturalis dicitur inuenimus, quæ talis eſt, quod non ſtat per naturam quod aliquis taliter aſſentiat & fallatur. Hanc Ariſtoteles & Peripatetici, hanc & Stoici philoſophi poſuerunt nobis poſſibilem in primis principijs per ſe notis, cognitis videlicet ex ſola terminorū apprehenſione, vt quod quodlibet eſt vel non eſt. Poſuerunt & in concluſionibus demonſtratis, & in euidenti conſequentia deductis per talia principia, quemadmodum dixerunt mathematicam ſciētiam eſſe certiſſimam.

B Academici verò in quibus Socrates, Carneades & Cicero, dehinc poſteriores aliqui nouam viſi ſunt induxiſſe ſcientiam, nihil ſcire, immo nec hoc ſcire quod nil ſcimus, ita tollere voluerunt è medio certitudinem omnem, dicentes de omni re ad vtramque partem ex æquo diſputari poſſe. Et ita neque primam de qua locuti ſumus certitudinem ſupernaturalem, neque naturalem putabant vllam eſſe. Denique certitudo quæ moralis dici poteſt vel ciuilis tangitur ab Ariſtotele vna

C cum præſenti certitudine ethicorum ſuorū principio. Cuius ſententia eſt: diſciplinati eſſe in vnaquaque re certitudinem quærere iuxta exigentiā materiæ. Æquè enim vitioſum eſt inquit, perſuadentem quærere mathematicum & moralem demonſtrantem, nō enim conſurgit certitudo moralis ex euidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus coniecturis, groſſis & figuralibus magis ad vnam partem quam ad alterā. Talem certitudinem ſi penitus negauerint Academici, ſi non eā

D præterea ſufficientem dixerint ad aliquid moraliter operari, viderint qua ratione præſumpſerint aliquid vel agere bonum, vel omittere malum, conformiter ad iudicium rationis, quale debet eſſe certum, ſicut certa eſt in ſe virtus, alioquin virtus non eſt.

Monicus. Animaduerto Volucer, quoniam ex prima certitudine multa poſſumus & debemus nos fideles ſine ſcrupulo corde credere ad iuſtitiam & ore confiteri ad ſalutem, proſequi, defendere & tueri, priuſquam vacillet vel auferatur à

E nobis huiuſmodi certitudo. Intelligo præterea quod in agibilibus humanis quæ tantam habent varietatem dicente Ariſtotele & experientia teſte, vt caſu magis quam arte conſtare videantur, ſufficit tertia certitudo qualis non ſemper ſcrupulos omnes abijcit, ſufficit vt contemnat vel ſuperet, ſic operando quaſi non ſint. Sed qua ratione poſſit hoc fieri ſcire cupio quid aduena noſter in his agat. *Volucer.* De ſcrupulis ſicut prædiximus iudicat aliter agendum eſſe dum oriuntur ex præteritis, aliter dum in eis quæ agenda ſunt occurrerint.

F De præteritis quidē operibus iam amplectitur Gregorij ſententiam: Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere vbi culpa non eſt. Conformiter & ad illud: Iuſtus in principio accuſator eſt ſui. Conſtituens itaq; ſe corā tremendo tribunali diſtricti iudicij Dei, cōſcientiam propriā audit & ſuſtinet accuſantē eum, quanto maiori ſeueritate ſcit & poteſt, quatenus fiat ei ſpiritus contribulatus & ingēs cōfuſio, cōtritio & humiliatio cordis, ita vt cadat à ſe per omnimodā propriæ defenſionis deſperationem, neque enim vult cum diuina iuſtitia contendere, neq; conſcientiæ pro iuſtitia teſti-

teſtimonium ferenti contra ſe reum, ſilentium imponere, ſuadet potius vt clamet vocibus magnis. A Iſte eſt æquiſſime iudex, Deus, iſte qui pro iuſto iudicio tuo damnandus eſt, peccauit enim in talibus & talibus ſuper numerum arenæ maris, ita vt peccata ſua vix totus capere poſſit mundus. Sunt enim abyſſus multa, & tenebroſa nimis, quę altam ſibi damnationis abyſſum meruerunt & inuocant. Et hoc Domine Deus, in voce cataractarum tuarum, hoc eſt viarum tuarum inſcrutabilium, & iudiciorum occultorum, in quibus homo conſtitutus videre non poteſt an odio vel amore dignus ſit, B neque cognoſcere de ſuis operibus quantumcunque iuſta videantur, quo terminetur fine, aut qua diſtrictione iudicentur. Accuſatus inter talia reus non defenſoris, ſed accuſatoris teſtis & iudicis in ſe partes agit exaggerãs quãtum poteſt. Qui etiam ſi totius populi Chriſtiani fudiſſet ſanguinem, ſpera in illo apoſtoli verbo, ſi nos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Quo contra fit in humanis iudicijs, quoniam confitẽti crimen mors infertur, apud Deum verò apud quẽ eſt miſericordia & copioſa redemptio, miſericor- C dia hic dum viuimus ſuperexaltat iudicium, quo fit vt damnandus in curia iuſtitiæ habeat auditum cum fiducia ad thronum gratiæ eius, quæ ſaluat damnantes ſe, abſolutionem conferens in auxilio oportuno, præcipuè ſi dimiſerit homo ex corde debitoribus ſuis, vt participes velit eos fieri gloriæ, neque vindictam quętere cupiat, ſed oret pro ſalute ſua, quò fit vt fidenter dicat Deo, bullas veniæ ſuæ præſtandæ habens, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus no- D ſtris. *Monicus.* Talia frequenter audiui Volucer. Sed qualiter abſque mendacio vel fictione poteſt in multis tale aliquid agi non ſatis apertum eſt. Eſto nempe quod de præteritis operibus ſcrupuli ſint in conſcientia, non idcirco ream ſe iudicare habet. Eſt enim ſcrupulus vacillatio quædam, dubitatio vel formido conſurgens ex aliquibus coniecturis debilibus & incertis. Alioquin ſi ex vehementibus argumentis & probabilioribus pro hac parte quam pro altera dubitatio conſurgeret, iam non ſcrupulus ſolus vel leuis trepidatio dici E deberet, ſed moralis de tranſgreſſione certitudo. Mirum verò neque cautum videretur ſi propter huiuſmodi ſcrupulos conſcientia teſtificationem vel damnationem ferret certam. Nunquid interrogata ab hominibus vel acriter à ſeipſa, neq; mẽtiri ſibi volens reſpondebit propter ſolos ſcrupulos ſe in veritate ream, ſe criminoſam ſe damnandam exiſtere? nonne magis in hoc caſu de merito quam de peccato, & ita potius de ſaluatione quã de damnatione præſumit? Quo pacto fert igitur F contra ſemetipſam damnationis ſententiam? Auget dubitationem apoſtoli dictum. Mihi inquit, pro minimo eſt vt à vobis iudicer vel ab humano die, ſed neque meipſum dijudico, qui tamen alibi ſe primum fatetur inter peccatores. Venit inquit, Deus ſaluos facere peccatores, quorum primus ego ſum. Oro qualem ad iſtam reſponſionem aduena noſter daret. *Volucer.* Qualem nimirum dat apoſtolus, dum ſubdit ad pręallegatum quoddam verbum, qui me iudicat Dominus eſt. Et alibi. Scio quod in me non habitat bonum, conformiter ad illud Chriſti. Qui ex proprijs loquitur, mendax eſt. Certiſſima igitur non ſcrupuloſa ratione tenere debet omnis homo viuens, quoniam ſine gratia Dei damnatus eſt, quapropter humiliet ſe homo quantum potuerit, ſibi vileſcat, ſe deijciat ſe conculcet in recogitatione ſua, quia non haberet quod Deo damnati reſponderet, quid obijceret dicenti: Amice non facio tibi iniuriam, accipe quod tuum eſt & vade. Quid eſt autem illud tuum niſi peccatum, niſi mendacium? Legiſti quod ſanctus abbas Agathon moriens, fratribus interrogantibus an timeret, & an in operibus ſuis confideret, reſpondit: In veritate timeo, neque confido in operibus meis, quouſque venero ante Deum, quoniã alia ſunt iudicia Dei, alia hominum. *Monicus.* Totus crede mihi Volucer, horrore concutior, totus mœrore tabeſco, totus in deſolationem & in quandam velut deſperationem deijcior hæc audiens, nec quid de præteritis nec de futuris agã ſcio. *Volucer.* At verò germanus tuus hac conſideratione ſic vti nititur, vt inter tot præmentia mundi mala, inter tot hoſtiles carnis ac dæmonis moleſtias per ipſam Domino propicio fortiorem aſſurgere quærat in ſpẽ ſolidiorem conſolationem, & in tranquilliori pace quieſcere, cuius rationem & modum collocutio diei prioris expoſuit. *Monicus.* Memini, per deſperationem enim ad ſpem venire docuiſti. Cauſant nihilominus ſcrupuli tales iuquietudinem mentis quam fluctuare faciunt, à qua ſicut muſcæ morientes perdunt ſuauitatem odoris id eſt deuotionis & amoris ſentimentum. Euigilare demum compellunt & exuſcitare dilectam priuſquam ipſa velit. *Volucer.* Accipito conſilium.

Finis.

SECVNDVM METRVM QVARTI, DICOLON TETRASTROPHON, PRIMI tres verſus ſunt trochaſci alemanij dimetri acatalectici: ſicut primus in ſecundo metro quarti de conſolatione philoſophiæ. Quartus eſt dactilicus pherecratius trimeter acalecticus ſicut ſecundus in ſecundo metro ſecundi libri: Pontus verſat arenas. Ad finem fit diſtrophon.

Si tuum tabeſcit in te
Scrupulis exagitatum
Cor, gemens & anxiatum,
Perſta fortius in ſpe.
Filijs ſuis quid obeſt,
Prouida cura patris ſcit.
Pane filiorum ſeruus
Vt quandoque cibatur.
Sic cibo ſerui frequenter
Paruus veſcitur hæres.
Glorietur vt nequaquam,
Et ſperet cor vtrinque.
Proximum ſolet iuuamen
Fieri contribulatis.
Nonne fluctus & procella
Expurgant mare crebrò:
Parturit filium mater,
Sed non abſque dolore.
Lætus alacriſque fies
Morum prole beatus.
Si memor Dei recuſat
Hic ſolamen habere

PROSA TERTIA QVARTI LIBRI

Monicus.

O Ro quis blandimenta mundi ſuperauerit quis adimpleuerit propheticum votum: Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum? Quis ad ſacrificium ſalutis offerendum accedere præſumpſerit, ſi fuerit alienus à dulcedine Dei, ſi aruerit ſicut mons Gelboe, in quo nec ros deſuper refrigerans, nec pluuia rigans & fœcundans cadat, ſed ſit ſibi cœlum æneum & terra ferrea, deſerta & inaquoſa.

Volucer. Plurimos crede mihi, fefellit nimia ſentimentorum huiuſmodi conquiſitio ſeu cupido, hoc in turelupinis & begardis, hoc in quibuſdam deuotis non ſecundum ſcientiam expertum eſt, qui deliramenta cordis ſui pro Dei ſentimentis amplexantes turpiter errauerunt. Alij fruſtra conati ſunt ad nihil paſſionabiliter affici, cum ſentiret apoſtolus aliam legem repugnantem. Alij ita Deo ſe voluerunt tradere, quod omnia Deus ageret in eis tantūmodo paſſiuè ſe habentibus, alij per vnionem apicis mentalis cum ſpiritu ſancto, tradunt habere ſcientiam myſticam de Deo, ita tamen quod Deus non apprehendatur ſub quacunque ratione vel entis vel veri vel boni. Sed ab iſtis & à prioribus inquiritur vbi meritum erit, ſi dilectionis voluntariæ nullus habeatur actus? At verò qua ratione debeat cor tuum medias inter ſcrupulorum ac tentationum agitationes ſe gerere, te doceat exemplum palpabile. Vtuntur nautæ quodam vaſculo, in quo ſuper cuſpidem erectam librata eſt, ex tranſuerſo volubilis acus ferrea, cuius acies affecta eſt per magnetem, quo fit vt in polum arcticum aſſidua ſit ſua directio. Non aliter cor affectum Dei dilectione in fide & ſpe ferri conuenit in Deum. Porrò ſicut ex motu vaſis continentis acum agitatur acus aliorſum, nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum, redit tamen ſemper in idipſum dum quieſcere ſinitur. Conformiter turbationem aut vacillationem cor pati videtur ex ſcrupuloſis motibus, modo per has, modo per illas paſſionum fluctuationes, maneat attamē diuinus amor firmus, ſaltem in habitu, quod ſufficit ſi non penitus eiecerit ipſum homo. Et ita ſufficit vt aliquis inueniatur cōſtantior reſiſtere peccatis, immo corpus exponere martyrio, carens actu talibus ſentimentis quam alius abundanter plenus eis. Quare patet ſignum iſtud ſenſibilis ſuauitatis inefficaciter arguere charitatem Dei ſi non affuerint comites charitatis ſignatæ per apoſtolum: Charitas inquit patiens eſt, benigna eſt, cum reliquis quis ſubiungit. Itaque ſi fides, ſi ſpes, ſi cæteræ virtutes informes eſſe poſſunt, dum deeſt charitas effugiens à facie latentis ſuperbiæ, cur non poterit hæc experta ſuauitas. Guſtas igitur hanc ſuauitatem, vtere cum humilitate & gratiarum actione. Guſtu cares, fer in patientia & manſuetudine, attendens quod aliquando dæmon abutitur naturali bono teneri cordis, vt eſt in mulieribus, ſicut è cōuerſo poteſt gratia naturale bonum tale in adiutorium ſui ſumere, vt vehementior & crebrior inualeſcat ſpiritualis deuotio. Sed dum ſurrepit ſuperbia (quibus enim non inſidietur quæ vexare voluit apoſtolum?) tollitur hæc
A pax interior, reditque collaphizatio tentationis, cuſtos humilitatis, quo caſu ſufficiat gratia Dei. Nec more generationis prauæ & peruerſæ diuinum ſibi deuotionis ſignum quęrat. *Monicus.* Ecce relabimur in id quod ab initio quæſitum eſt, qua ratione poterit aliquis quicquam aggredi ſub dubio conſtitutus, an agat rectè ſi ex interiori conſcientiæ motu ſufficiens certitudo non habetur. Peribit denique omnis ars diſtinguendi veras à falſis immiſſiones propheticas aut reuelationes.

Volucer. Habes ſuper hoc vltimo ſcripta nō pauca
B peregrini noſtri. Primum verò reſpectu eorum quæ futura ſunt (de præteritis quippe iam diximus) ſic obſeruare conuenit: vt non reputetur culpa vbi culpa non eſt. Alioquin cauſatur erronea conſcientia, contra quam ſi quidlibet attentetur fieri, iam culpa eſt ſi fluctu & animus. Præterea ſub hac dubitatione velut ad vtrumlibet neſciens quid acturus ſit, conſilium eſt vt non agat, quoniam exponeret ſe diſcrimini, quo caſu certū habeat quod peccat. Vis igitur quicquam ſecurus
C agere, certus ſis illud eſſe bonum, neque virtuti contrarium. Sed refert qua certitudine, ſufficit nempe certitudo moralis, qualem notauimus, vt vel nō ſis in peccato dum facis quod in te eſt, aut ſaltem peccatum non incurris nouum pertemeritat, exempli gratia celebrandi, orta eſt enim ex diligentia tuæ præparationis excuſatio. Cæterum moralis hæc certitudo per doctrinam colligitur altero trium modorum. Vnus prouenit ex alterius auctoritate. Alter ex propria eruditione. Tertius ab experimentali conſuetudine. Sub primo vi-
D uunt incipientes & animales. Sub ſecundo proficientes & rationales. Sub tertio perfecti & ſpirituales. Conſonat philoſophus tradens tres hominum maneries ad doctrinam inueniri. Pauci per ſeipſos dociles ſunt propter claram ſuæ complexionis harmoniam, addo vel aliam gratiā gratis datam qua faciliter agēda concipiunt, ſcripturas vt Auguſtinus intelligunt. Multi ab alijs erudiuntur recipientes ab eis intelligentiam ſcripturarum, aut ſi nequeunt, credunt ſaltem dicentibus
E & obediunt. Tertium genus deſperatum eſt ad doctrinam, qui neque doceri poſſunt, neque docentibus aſſentiri volunt. Quibus relictis (ſunt enim plus diſcholi quàm multa bruta quę per humanam domantur induſtriam, vt canes, vt equi, vt ſimeæ, vt aues aliquo) fiat ſermo de reliquis.

Putò quod religionum inſtituendarum principalis cauſſa fuit autoritas regiminis, cui magis obedientia præſtaretur, quàm propriæ rationi, quæ in plurimis dubia valde eſt, debilis & incerta. Præ-
F ualere ſimiliter habet hæc authoritas reſpectu iuniorum quorumlibet ad magiſtros vel parentes, quoniam iudicium propriæ rationis vel nullum vel imperfectum habent. Hoc Pythagoræ ſchola ſeruabat. Sic iubet Dominus dicens: Interroga patres tuos & dicent tibi, maiores tuos & annunciabunt tibi. Maiores intelligo qui multis experimentis eruditi ſunt in agibilibus humanis, quorum iudicia tradit Ariſtoteles eſſe recipienda tanquam principia propter multa vidiſſe. Extenditur hoc ad eos qui reſpectu diuinorū propter conſuetudinem exercitatos habent ſenſus, quales iam in ſolitudine tibi viuere ſufficiunt.

Supereſt

Digitized by Google

Supereſt ſanctus doctrinæ modus, propoſito noſtro vicinior, vnde ſumitur in agendis ſufficiẽs & moralis certitudo: oritur modus iſte nutritúrque, ex ſtudioſa perſcrutatione diuinorum mandatorum, qualem ſuadet ſapiens: *quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus.* Et iterum, *nihil dulcius quàm reſpicere in mandatis Dei.* Hinc beatum dicit Pſal. *qui in lege Dei meditatur die ac nocte*, cum cæteris abſque numero cadentibus in hanc ſententiam. Itaque ſemel in ſcripturis ſuis locutus eſt Deus, & idipſum ait Iob, non repetet, quia ſufficienter erudiunt & conſulunt, tantummodo relegantur, puro, fideli, & integro corde. Maleuolis quidẽ & incredulis tenebroſior inde naſcitur errorum caligo, quod in hæreticis olim, neſcio ſi amplius noſtra hac ætate, perſpicuum fuit, quando cæcutientes facti ſunt, multi circa fores principiorum mordalium, quæ ſunt de primis impreſſionibus naturæ, quæ rurſus digito ex proprio ſcripſit Deus in tabulis lapideis, ad indelibilem memoriam; repetens ea tertiò, per fidei traditionem in euangelio: itaque lugere, plangeréque compellimur.

TERTIVM METRVM QVARTI, DICOLON DISTROPHON. PRIMVS verſus iambicus archilochius trimeter acalecticus: ſecundus elegiacus: currit cum tertio tertij de conſolatione philoſophiæ: *Quamuis fluente.*

AEnigma quamuis perferat ſecum fides,
Eſt à fonte tamen lucis origo ſua;
Per hanc, ſophia veritas recondita,
Quam natura nequit inſinuaſſe, patet;
Reuelat ecce paruulis, amans eos,
Atque docens, & cum ſimplicibus graditur,
Sui ſuperbis mente cordis clauditur,
Vult intellectus ſubſit vt omnis ei,
Petitque, ſenſus omnis vt ſe deneget.
Debet homo totus obſequium Domino,
Par nempe beſtijs peccando factus eſt,
Indiget hinc fidei ſubdere colla iugo,
Vt ambulet vita vias, nec offendat.
Pandit qualis ſit finis habendus ei,
Præcepta rurſus inculcat prius data,
Nam mos peruerſus obnubilarat ea.
Vis ingredi vitam, mandata conſerua,
Roborat hic decadem Chriſtus in alta leuans.
Si prima per ſe nota præcepta decem
Mens ſcelerata docet falſa vel ambigua,
In his fides ſi ſit obſcurior, plena
Meridie palpans, amodo quid ſupereſt
Ieſu benigne, quid poteſt magis tuam
Externis legem tradere ludibrio,
Modos & regulas viuendi deinceps
Quos his euerſis plebs tua ſuſcipiet?

PROSA QVARTA QVARTI LIBERI.

Monicus.

HOc eſt Volucer, quod ſtomachabar nuper mecum, dum theologiam eſſetres, vnde ſit quod nonnullos ex theologis expetimur in nullo meliores, vtinam non deteriores cæteris hominibus. *Volucer.* Nolo Monice de aliena vita
theologorum nec aliorum ſcrutator eſſe vel cen-
A ſor curioſus: Hoc vnũ credidi, propter quod &
locutus ſum, quod theologia non admixta fidei,
ſpei, & charitati, inflat & officit, quemadmodum
de philoſophia Romanorum refert Apoſtolus,
quoniam propter ingratitudinem dati ſunt ſuper
alios homines in reprobum ſenſum: cauſſam
reddit, *quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut*
Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt. In-
gratitudinem verò maiorem eſſe in contem-
ptu vel abuſu theologię quàm philoſophię nemo
B dubitauerit; propterea, ſicut apud Ciceronem o-
rator deſcribitur, quod eſt *vir bonus dicendi pe-*
ritus, ita theologum nominamus *bonum virum*
in ſacris literis eruditum; non quidem eruditione
ſolius intellectus, ſed multo magis affectus; vt ea
quę per theologiam intelligit, traducat per iugem
ruminationem in affectum cordis, & executio-
nem operis, quatenus ſapientia, ſecundum no-
men ſuum, ſapida ſit in bonis, ſuauiter & iucun-
dè, in malis triſtabiliter & acerbè; alioquin, tales
inſtar Vriæ, ferunt litteras damnationis ſuæ, dant
C aduerſus ſemetipſos ex ore proprio iudicium,
plus inficiunt exemplo vitæ, quàm inſtruant ver-
bo doctrinæ; ſacras denique literas impudenter
ſuis inquinatis moribus & deſiderijs ſubſeruire
compellunt, ſenſum à ſanctis patribus traditum
diſtorquentes, imò ſæpe neſcientes; neſcia profe-
ctò eſt pars magna talium qui ſe theologiæ pro-
feſſores iactitant, ita vt experiri ſtupor ſit. Ideo
quippe theologiam neſciunt, quia ſe curis alijs
quotidie tradunt: Eſto ſciant, vides quemadmo-
D dum ratio (dos hominum præclariſſima) vertitur
reprobis ad ſuam aliorumque perniciem. Vinum
quoque, quantò melius, tantò furioſiores eos qui
ad ſobrietatem ipſo non vtuntur, reddunt, non
vini vitio, ſed potantium. Dicta ſunt hæc interim,
quatenus animo tuo triſti, mos gereretur, & ſol-
ueretur quæſtio facta: ſimul vt ea quæ de theolo-
giæ conſolatione ſcribimus, qualiter & à quibus
accipienda ſint, vtiliter inſinuaremus. Confido
in Domino, quod apud idiotas, ſollicitos de ſalu-
te ſua, in quibus eſt ſimplex fides, certa ſpes, &
E ſuauis charitas, inſidebunt fructuoſius in animo
theologicæ ſententiæ, (ideo non fruſtra ſunt)
quàm apud repletos literis, gignentibus ſcien-
tiam illam, quam inſtare dicit Apoſtolus: oculum
verò, quis neſciat quantùm turbat aut excæcat in-
flatio?

Sunt alij minus culpabiliter (neſcio ſi minus to-
lerabiliter) errãtes, quos ex doctrina, dum mora-
lem quærũt certitudinem, nullum lumen ratio-
nis mouet ad aſſenſum cuiuſuis agibilis; tantum-
F modo ſatis eſt ſi dicere potuerine, hoc ſcriptum
eſt, hoc talis doctor in lectura ſua ſenſit, hoc alius
ita poſuit: ſimiles aſpicientibus verſo ad ſolẽ dor-
ſo, ſpendorẽ eius in montibus, quos ad aſpectum
ſolis, nullus ſufficit oſtendentis digitus attollere;
cur ita? quia deorſum oculum mergere ſoliti ſunt,
vbi non aſpicitur ſol, niſi circumuolutus caligine.
Planè lucis natura, nedũ ſenſibilis, ſed intelligi-
bilis, ita habet, vt quanto longius ab origine pro-
tẽditur, eò fiat debilior, craſſior, & ſubobſcurior.
Propterea, ſi lumẽ intellectuale, iugiter ad infirma
conſideranda demergitur, groſſeſcit, & craſſeſcit
quodãmodo, ineptumq; redditur ſuperiora, quã-

uis lucidiora conſpicere. Sed neque lumen veritatis accipiunt iſti, niſi circumuolutum ſit, quadā velut caligine traductionis humanæ. *Monicus.* Experimur id ſæpè, quod dicis, ſed quid proinde faciendum ſit inſinua. *Volucer.* Monēdi ſunt ab ingreſſu ſtudij, non ita figere ſolam in cōſtitutionibus ſuis retinendis memoriam, vt plurimum mos eſt, quin exerceant intellectum, rationémque cōſulāt, ex quibus principijs, vel moralib⁹, vel theologicis originentur huiuſmodi cōſtitutiones. Ita enim fiet vt colluſtrentur lumine primorū principiorum, quod ſi vel nolunt vel nequeunt, credant illuſtratis. Recogitent inſuper præſtantiam humanæ conditionis, quæ ad hoc condita eſt, vt totum ſenſibilem mundū (qui per ſenſuum portas ingreditur, imprimendo ſpecies ſuas atque ſimulachra) reducant in primum principium Deū, cum quadam ſimplificatione & puritate. Ita procedens à Deo mundus, fit eò continuè vtilior in ſuis partibus, quò longinquior, prout in elementis videre eſt & in ſolis lumine. Rurſus autē redditur ſpiritualior magis ac magis, per operationē intellectus agentis in phantaſmata corporalia, ex quibus elicit ſua virtute ſpecies intelligibiles, ſimplices, & incorporeas. Et ſicut natum ex carne ſenſuum, caro erat ſuo modo, ſic quod naſcitur ex intelligibili ſpiritu, ſpiritus eſt, adeò quidē vt non dubitauerit Apoſtolus dicere, *qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt cum eo.* Hæc operatio, præcipuè ſpectat ad eleuatos theologos, exercitantes ſe ad theologiam myſticam, quæ per abnegationem tendit in ſimplificationem: verùm, quādo veniendum eſt ad agibilium tractationem, oportet rurſus in inferiora reſpicienda deſcendere: alioquin, fallerentur iſti, modo ad primos contrario, ſi lumini principiorum hærerent adeò, quod concluſionum viſionem omitterent, exemplo aſtrologi cadentis in foueam, dum ambulans reſpicit aſtra.

Denique perfectus erit, qui ſtudioſa circūſpectione, verſabitur in vtroque, hūc iuriſtam theologum, & cum theologo iuriſtam iudicabo: quales fuerunt primi doctores, ex quorum ſentētijs, decretales decretáque compacta ſunt. *Monicus.* Rarò fert ætas noſtra tales, cauſſam ſcire deſidero. *Volucer.* Pauci tolerant laborem ſtudij, in multis vel ætas, vel ingenium, vel ſumptus non ſuppetunt: Euenit præterea quod myſtica Agar ancilla, videns ſe peperiſſe, habet contemptui Saram dominam, quàm ſterilem exiſtimat: Rachel inſuper fortaſſis, lympidos habens oculos, irridet aliquando mordacius ſororis Liæ lippitudinem, cum ſe mutuo iure ſororio conueniat honorare: ipſam quoque Agar, imperio dominæ ſuæ ſubijci, dictatiſque per eam æquum fuerat obedire. Subinde perpendis difficultatem infinitam, quā habet morale negotiūm, dū proſequi quæritur: quia non ſatis eſt intelligere quid verū ſit, & quid rectum (ſicut cadit ſub arte tradere) ſed particulares circūſtantias, quæ variabiles ſunt, neq; ſub arte, neque ſub doctrina veniunt. Circūſpicere neceſſe eſt ſtatum in primis reipublicæ, cū moribus eam regentium, ſi iuxta conſilium ſoceri Moyſi, ſint viri potentes, timentes Deum, in quibus ſit *Exod. 18.* veritas & qui oderūt auaritiam, neq; ſit apud eos perſonarum acceptio, neq; inconſtantia, neq; deprauatum conſilium: Alioquin, non exibit ab eis A iudicium rectum, quantūcunque fuerit poſtulatum, niſi prouiderit ex alto Deus, qui per pueros, per iniquos, per bruta, per dæmones ſæpius exercuit iudicia iuſta: qua in re Tobias ore diuino locutus eſt, dum filium iuſſit conſiliū ſemper à ſapiente perquirere: *Omni inſuper inquit, tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant:* Quæ ſint autem conſilia Dei aperuit Pſalmiſta, loquens ei, *Conſilium meum iuſtificationes tuæ*, non ita tamen vt hu- B manum conſilium deſeratur, quod vtique debet exiſtimari diuinum, ſi ritè, ſi humiliter, ſi deuotè, ſi obedienter fuerit inquiſitum. Quale zelus feruidus, & omnis generaliter paſſio vehemens, ſolet nec petere, nec petito vel ingeſto credere. *Monicus.* Omittamus deinceps ea loqui, quæ ſub eruditione doctrinali non veniūt, neq; enim moralis certitudo (quantum ex dictis colligo) poteſt ſub vna regula tradi, quæ ſufficiat in omni caſu conſcientiā agentis reddere ſecuram ſe non deliquiſſe, quod ex euentu rerum perpēdi ſæpius ſo- C let. *Volucer.* Propterea, conſtitutæ ſunt in figura, *Ioſue 21.* tres ciuitates refugij, fides, ſpes, & charitas, continentes lauacrum pœnitentiæ, & immunitatis aſylum, quatenus pax conturbata (per ea quæ ſe feciſſe formidat homo) reformetur; quæ pax qualiter obſeruetur ſit intelligere.

QVARTVM METRVM QVARTI,

MONOCOLON, VERSVS EST DACTYlicus alemanius tetrameter hypercatalecticus: D currit cum quinto carmine quarti de conſolatione philoſophiæ: *Si quis arcturi.*

Pulchra pax, ſummi munus optimum,
Te voluntati (ſit bona tantum)
Nuncius defert miſſus ab alto.
Nam mala menti qualis erit pax?
Sternitur lecto ſorde repleto,
Complet & ſpinis ſe vitiorum,
Qualium turba dilaceratur,
E *Tracta nunc iſtuc, rurſus & illuc,*
Diſsidet ſecum, ſéque remodet,
Viribus vanis; omnipotenti
Stulta guerram dat, more gigantum.
Pugnat è contra quodque creatum,
Ius ſui regis ſedulo ſeruans.
Si placet fiat vera tibi pax,
Ordinatus ſit primitus omnis
Motus, affectus nec vagus erret,
Quæritans extra poſſe quieto
Se frui mundo, quod nequit eſſe:
F *Pauca pertentet, non alienis*
Litibus ſe det, ſed nec habenas
Senſibus laxet: ſemper anhelet
Legis æternæ iuſſa tenere;
Literis ſacris aſſiduus ſit;
Quippe dat pacem zelus earum,
Pacis æternæ pignus & arram.

PROSA QVINTA ET VLTIMA LIBRI QVARTI.

Monicus.

Monicus.

A ADueniat oro pax iſta nobis: at nondum ſatis explicuiſti quæ ſit apud peregrinum noſtrum conſolatio ſpecialis, deliniens eum in tam confuſibili rerum tempeſtate, qualem in florentiſſimo nuper Franciæ regno, nominatim in celeberrima Pariſienſi ciuitate contigiſſe, non prorſus ignorat, & nos intuemur. *Volucer.* Accipe ſu- *Proſopopœia Theologiæ.* per iſtis doctrinam theologiæ cœlitus immiſſæ, quam deinceps, non me loqui putato. Conquereris ô homo, quod ætate tua multi depereũt, quid quæſo nouum accidit? habet ætas omnis mortuos **B** ſuos, quotidie recipit terra mille modis humanum genus, hos peſtis, illos fames, alios gladius, multos naufragia, morbi, incendia, voragines abſumunt, quippe terra ſunt & in terram reuertuntur. Mentiebaris ô nequam, dum Euæ dicenti, *Ne forte moriamur*, ſubintuliſti, *nequaquam*, omnes ex tunc capitali ſupplicio adiudicati ſunt: Nil refert, quis prior, quis poſterior ſecuri mortis feriatur: vnum dabo tibi quod iure confitear eſſe timẽdum, quo merito vel demerito, vita, iam iam citiſſimè deſitura, finiatur apud iudicem Deum: **C** Scio, mecum fateberis, interrogo te, reſpondeat exiſtimatio tua, mortuos quos immatura violentáque nece defles ereptos, aut iuſta cauſſa perdidit, aut iniuſta: ſi iuſta, cur inculpas iuſtitiam, cur non lætaris lauãs manus tuas in ſanguine peccatoris? Si iniuſta, vide ſi ſobrium eſt eos plãgere, quos pro iuſtitia morientes beatos Chriſtus appellat? Sed dices, potuerant iniuſti viuendo corrigi, iuſti verò plus ad ſuam aliorúmque ſalutem ſuperſtites iuſtificari. Quid ſi ſordidus ſorduiſſet adhuc, ſi **D** ſuæ damnationis aſſiduè pœnas auxiſſet, iuſtus verò, vt ſæpe fit, excidiſſet à iuſtitia? Patet latius iſta deductio, nonne varij ſunt euentus belli, & nunc iſtum nunc illum conſumit gladius? vt non glorietur accinctus vt diſcinctus, quoniam non eſt fortium bellum, dicit Eccleſiaſtes. Sed ad altiora conſcendere noſtræ rationes volunt, quæ nihil caſuale, nihil fortuitum tradunt Deo, cuius conſilia ſuper filios hominum, humana curioſitas cõprehendere per ſingula non præſumat.

E Attingamus tamen aliqua, qualia ex propheticis & hiſtoricis libris noſtris, fas eſt colligere: deſtruxerunt Aſſyrij idolatræ quidem, ſine Deo, Hieruſalem ſanctam ciuitatem cum populo: quid per Eſaiam dicat Dominus audi, *Væ Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt, in manu eorum mea indignatio.* *Eſaie 10.* Sequitur, Ipſe autem non ſic arbitrabatur, & cor eius non ita æſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius. Ecce quod Deus malos de populo ſuo (inter quos non dubiũ fuiſſe quoſdam innocentes) voluit per lõgè deteriores affligere, quales **F** appellat virgam furoris ſui; quãuis obſequi Deo blaſphemi non crederent: quid ſi tale quid operatus eſt modò Deus, qui poteſtatem habet vitæ & mortis, in cuius conſpectu non iuſtificabitur omnis viuens? Nonne frequenter in regimine reipublicę, cupiditas ſe putat charitatem, cùm hęc commune bonum, illa proprium commodum ſemper inquirat? Eſto, ſit charitas, quid ſi nõ adhibuit pro ſui, ſuorúmq; cuſtodiam, contra proditioſas inſidias cautelam, qualem humana poteſt & exigit induſtria? Quid ſi bellaſſent aduerſus infideles, aut aduerſus exteros ſui regis hoſtes, & occubuiſſent, fœlices eos in altera vita nõne iudicares, nec morte turpi functos? Quod ſi præſentem tantum reſpicis vitam, terreat Apoſtolus; *ſi in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quis præterea nouit, ſi aſcenderit in aures Domini Sabaoth, clamor flagitiorum, ſcelerum, & abominationum, quibus vel populus, vel rectores & nobiles, vel vtriq; forſan peccauerant: quos tradidit Deus, non in manus infidelium, vt aliàs plerúmq; (quandóque per Vandalos, & Gomos, & Hunos, aliquando per alios) nominatim propter ſpurciſſimam carnis corruptionem, vt aliquibus reuelatio dixit, expoſuit ſuos modos Deus cladibus bellorum ciuilium, vbi tumultuantur populus contra nobiles, imo ſine lege, ſine ordine nobiles inter ſe cum diſſecatione mutua populorum ſe deſtruunt. Punit (crede mihi) Deus occultiora ſæpe delicta, per flagella patentia: illa etiam, quæ per contritum cor & humiliatum deleta pridem fuerunt quoad culpam, repetit in pœnam. Hinc fit, vt aliquos præſentialiter benè viuentes aliquando comprehẽdat afflictio, aut pro paruo (ſicut putatur) delicto nouo, grandior punitio ſubſequatur: quemadmodum cernere eſt in corporis ægritudinibus, quæ ad occaſionem facilem oriri videntur, aut recidiuum pati. Sed da nullum neque modo, neq; antea præceſſiſſe demeritum, virtus vel exercetur ad meritum, vel ad prœmium coronatur: adde quod, mutat Deus vt placet regna, de gente in gentem, propter iniuſtitias, & varios dolos. Nabuchodonoſor mente captus teſtis eſt, teſtis Troia, teſtis Roma, teſtis Daniel, de diſſipatione monarchiarum quatuor principaliũ. Habet enim quælibet res in terris, quandam ſuæ durationis periodum, atq; viciſſitudini ſubiecta eſt, ſit homo, ſit domus, ſit ciuitas, ſit regnum, ſit imperium. Mutauit pręterea Dominus ſacerdotium *1. Regum cap.3 & 22.* Heli, iuxta reuelationem Samuëli factam: cuius genus Saül exterminauit cũ ciuitate ſacerdotum in ore gladij, viros & mulieres, populos & lactentes. Vbi precor, attende vigilanter (eſt enim propoſito res accõmoda) vide quis occaſionem præſtiterit proximam neci crudeliſſimæ ſacerdotum, ac virorum veſtitorum ephod lineo, cum mulieribus, & paruulis, ac lactentibus, & prorſus innocuis, cum horrenda demolitione ciuitatis. Nonne legis, quod declinauerat Dauid ab Abimelech ſacerdotem, ſumpſerat in neceſſitate famis panes ſanctos cum gladio Goliath, neuter iſtic culpabilis. Et de Dauid teſtis Ieſus in euangelio, licet vſus ſit bona mente reum ſe memorans, executus eſt nihilominus Saül irritatus mala voluntate, deſtructionem quam Dei voluntas optima ſe facturam prædixerat.

Canitur in Pſalmis de Deo, Conuertit cor eorum (non dubium Ægyptiorum) vt audirent populum ſuum, & dolum facerent in ſeruos eius: Cõuertit, intellige, quia materiam odij & doli miniſtrauit in multiplicatione Hebræorum, & miraculorum per Moyſem oſtenſione. Quocirca facilè poteſt eſſe fallax argumentum, prouenerunt ex iſtius operatione ſcandala, maláque ſine numero, egit ergo talis culpabiliter. Nihil enim tam bonum, quo nequitia peruerſorum, nequeat abuti: exemplum in proteſtatione fidei per martyres claret.

Digitized by Google

Et primò in prædicatione Chriſti, qui non venit pacem mittere in terram, ſed gladium? Cuius ortus vtique diuinus, tot innocẽtes per Herodem dedit neci, caſtigat pater filium, medicus egrotũ, ipſi ſe perimunt; nunquid aget pater ſuper filio, medicus ſuper ægroto pœnitentiam, quia mortis occaſionem dediſſe viſi ſunt? non puto. Notaueris & in præſenti re, quemadmodum pugnauerũt filij Iſraël in talibus vicibus contra Benjamin, ob vindictam peſſimi ſceleris in vxore Leuitæ: cauſſa iuſta erat, & quod fortaſſe miraberis, dederat Deus aſſenſum pugnãtibus: victi ſunt primò, & iterum ſecundò, vſque ad internecionem quinquaginta milium pugnatorum ex Iſraël: tertia pugna dederat eis purgatis, & humiliatis, victoriam vſque ad omnimodum pene delectionem Benjamiticæ tribus. Non diſcurrã per plurima, ſcrutanti quippe ſcripturas meas occurrunt talia copioſè, quorum lectio viuax eſt, & quaſi malleus conterens petras, conſolationem denique faciens, cõtra mortalium caſus inopinatos, & qui iuſta Dei bonitate videntur indigni. Si videris (ait Eccleſiaſtes) calumnias egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti iuſtitiã in prouincia, nõ mireris ſuper hoc negotio, quoniam excelſo excelſior alius eſt. Et inſuper, vniuerſæ terræ rex, imperat ſeruiẽti, & ita imperat, vt ſeruiant ſibi etiam neſcientes, etiam repugnantes, & odientes vt dæmones. Vis nullum ex amicis perdere, vis eos poſſidere tranquille, omnes in Deo dilexeris, ſuam vitam, ſuam gloriam, ſuas diuitias in eo reconditas habe: vtique, ſicut non perditur Deus, ſic amicos cum ſua vita, gloria, diuitijs ſemper & vbique poſſidebis. Cæterùm, nemo deſperauit de te Ieſu bone, quoniam *cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis*, tu poſt tempeſtatem tranquillum facis, tu rempublicam per varias agitationes purificare ſcis, velut ex actione mutua elementorum nobiliora gignis mixta. Apud te ſunt innumerabiles modi purgationis & ſaluationis electorum, vnus per ignominiam mortis, qui liberat etiam à purgatorijs ſupplicijs: alius per ablationem totalem temporalium cum corpore, vnde laqueus conteritur omnium debitorum, quorum fortaſſis alio modo non erat benè poſſibilis ſolutio: alij forſitan egerunt tepidè, negligenter cauſſam vel iuſtitiæ publicæ, vel legis diuinæ, aut circunſtantias culpabiles habuit ſua proſecutio, omnia mors abolere potuit, eò efficacius, quò contumelius illata eſt, caruitque ſepulchro: talia quis omnia dinumeret?

Audebo ſublimius vocem attollere plenam conſolationis ſanctæ: itaque deſolationum omnium quas furor hoſtilis operatus eſt, prout conquereris, interrogo qualis aſſignatur cauſſa: ſi libido dominandi, regendíque, ſi vindictæ zelus efferus, ſi diuitiarum vel opum execranda fames, ſi tituli fortaſſis alij, non minus ſcelerati, ſacrilegi, nefandíque: Felices oro nonne ſunt, qui virtuoſis animis obſiſtere conati ſunt, quamuis in oculis hominum ſuperati? Authores verò tanto infeliciores, quanto nihil infelicius impunita licentia, & proſperitate peccantium, qualium miſerearis velim, pro ſua conuerſione, ſalutéque deprecans. Quod ſi cauſſa (iuxta quorundam impudentiam, quæ ſe de pertinacia damnat) aſſignetur defenſio Catholicæ veritatis, vitia quærens & errores corrigens, & hoc coram iudice legitimo, nunc ordinario, A nunc ſupremo, quidni fidenter affirmauerim, beatos eſſe mortuos, qui pro lege Dei ſui certauerint vſque ad mortem, exemplo tot martyrum? Quid ſtupes? quid me reſpicis? nolito mirari ſi habet quotidie martyres ſuos mundus, ſi caro, ſi diabolus; cur non habeat ſuos Chriſtus? hinc Apoſtolus, *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant*, quomodo manifeſti? planè in bonum, ſi legem Dei defenderint ſtrenuè: ſed prorſus in malum, ſi vel malignè impugnauerint, vel impugnantibus fauerint im- B pudenter, ſubdolè, nequiter, ſubuertendo vel negando iuſtitiam. Tales dixeris ſcandalorum cauſſam omnium, qualem egerunt in alios perſequentes aliquos vſque ad coronam martyrij.

Quo pacto inquies? reſpondeo, nonne martyrij cauſſa fuit, vt pro Chriſto, pro veritate, pro iuſtitia, pro vitiorum redargutione mors vndecumque toleretur? Attende quæ cauſſa reddiderit ipſum Abel primum martyrum in lege naturæ, hæc nimirum, quod in odium iuſtitiæ C religioſæ, quæ ſacrificium obtulerat Deo placabile, Cain frater eum nihil tale cogitantem, egredientem in agrum, inſidioſè peremit: vides quo pacto fit aliquis martyr etiam dum ignorat. Omitto de ſeptem fratribus Machabæis in lege ſcripta, qui non ob aliam cauſſam, quàm nè legem in porcinæ carnis eſu violarent, atrociſſimè necati ſunt. Non loquor de Ioanne Baptiſta, qui legis vtriuſque, vt Moyſi & Chriſti miles quidam fuit, cuius martyrium aliam non inuenitur cauſſam habuiſſe, niſi redargutionem publi- D ci inceſtus: Thomas Cantuarienſis, ob defenſionem eccleſiaſticæ libertatis: Leodogarius ob zelum domus Franciæ contra Ebroynum: Agathes, Agnes, & Lucia, propter fidem caſtitatis, glorioſo celebrantur martyrio: & ita de plurimis, quorum exemplis perſpicuum fit, omnem hominem; qui perimitur odio iuſtitiæ, & veritatis, dum ſectatur illam, proſequitur, aut defendit, inſignitur apud Deum verò titulo martyrij, qualecumque fuerit apud homines iudicium. Quid E ſi plus aliquid addiderim? Innocentes quidem occiſos conſidero, quos eſſe martyres nullus qui fidem habet eccleſiæ dubitauit: ſed quæ ratio martyrij? Nunquid alia dabitur quam odium Chriſti, ex ambitione regnandi proueniens? Vbi rurſus colligitur hæc regula, quod infantes, vt pueri (quanto magis prouectiores) quos in odium Chriſtianorum ſeu Chriſti, vel ſuæ legis, perimunt infideles Iudæi, Saraceni, vel Pagani, vel aliqui nomine tenus Chriſtiani hæreticantes, apoſtatæque facti, aut in tyrannidis rabiẽ F verſi, tales martyrio coronantur, etiam mortis timidi, præcipuè ſi non alius criminis obex ineſt actu.

Hæc inſideant animo tuo, ſi abſque fictione meus es diſcipulus: hæc mentis perturbationes radicitus euellant, quoniam altior, ſecurior, ſalubrior, religioſior, & glorioſior non eſt altera cõſolatio, ad quam prouehere poſſit doctrina meæ legis, quàm martyrij tolerantia; per quod deletur in proprio ſanguine quælibet culpa, ſimul & pœna, vt protinus homo liber & expeditus euolet in cœlum, vbi ſtatum habeat omnium bonorum aggrega-

grega-

Digitized by Google

gregatione perfectum. *Volucer.* Hactenus ô Mo-
nice theologia locuta ſit, nos ex ſua, noſtráque
collocutione breuiter epilogantes, ſumamus hoc
compendioſum in omni tribulatione ſolamen;
vt toto corde ſuſpiremus, leuantes oculos in cœ-
lum & dicentes: Deus eſt pater miſericordiarum
& totius conſolationis, in cuius miſeratione ſpe-
randum eſt; cuius ſe voluntati conformandum
eſt, à quo virtus patientiæ, in quo eſt ſerenatio
conſcientiæ. Nos interim, trahere conemur in
affectum, quod ſub quatriduo diſſeruimus per
intellectum. *Monicus.* Fiat ita precor, & pax Dei,
quæ exuperat omnem ſenſum, corda & inteli-
gentias noſtras cuſtodiat in charitate Dei, & pa-
tientia Chriſti, vt per patientiam & conſolatio-
nem ſcripturarum ſpem habeamus. Amen.

Finis.

DIALOGVS APOGETICVS
CVIVS COLLOCVTORES SVNT Vo-
lucer & Monicus, vt in conſolatione theolo-
giæ ſeruatum eſt.

Volucer.

REm inquirimus ô Monice, quam nec paucis
diebus, nec vllis penes verbis explicare fas
mihi eſt. Petis cur terminata per generale conci-
lium non fuerit cauſſa fidei, contra doctrinam
peſtiferam iubentem tyrannos per inſidias inter-
fici, per quoſlibet etiam priuatos, ordine iuris nec
diuini nec humani ſeruato, & confœderatione
qualibet non obſtante. Ego ſynodum non incu-
ſo, quam reuereor & veneror, ſed plurimos in
ſynodo conuerſantes excuſare non valeo, quos
animæ paſſiones & peſtes improbæ (quibus mos
eſt cathedram humani ſubuertere iudicij) fefel-
lerunt, & errare fecerunt alios in inuio & non in
via, alios malè diſſimulare vel negando iuſtitiam,
vel id quod credere debuerant ad iuſtitiam, non
ore confitendo ad ſalutem, alios abſurdeſcere ad
ſalutarem illam Iacobi iuſſionem, *Nolite fratres
in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri
Ieſu Chriſti.* Si quidem fuit apud aliquos impu-
dentiſſima perſonarum acceptio, dum eadem fi-
dei cauſſa, iſti damnati ſunt, alij pertranſiti. *Mo-
nicus.* Fuerat igitur tutius ô Volucer atque con-
ſultius, non quæſiſſe iudicium à talibus, quàm
exponere ſanctum canibus, & proijcere marga-
ritas ante porcos. Quin etiam aduena noſter,
nonne debuerat prius ſedens computare, ſi ſum-
ptus ei, ſi ſuffragia coadiutorum pro re tanta ſup-
peterent? ne cum non potuerit perficere, iure
cecciderit in illud improperium iſte homo cœpit
ædificare & non potuit conſummare. *Volucer.*
Vrges vehementer ô Monice, & in has me trudis
anguſtias, vt quid reſponſurus ſim non ſatis in-
ueniam? Itaque ſi iuſtificationem aduenæ no-
ſtri ſuſcepimus, poterimus id quidem in mul-
tis, ſperamus perficere; ſed ignominiam oporte-
bit & turpitudinem reuelare nonnullorum, quos
colere, quouſque reueteri, quos diligere, ſtatus
ſuus, & ſocietas efflagitat. *Monicus.* Debuerant
circunſpici prius talia diligenter, ne in re tanta,
quæreretur poſt exitum, turpis illa nec admit-
A tenda pœnitus excuſatio, *non putaui.* Eſt enim
circumſpectio pars maxima prudentiæ, quæ ſuæ
conſiderationis oculos circumgyrat, nedum in
illa quæ de ſe licita ſunt, ſed quæ circunſtantijs
omnibus attentis, vt tempore, loco & perſonis
expediunt. Sunt enim quædam licita, quæ cir-
cunſtantijs obſtantibus ideo non expediunt;
quoniam expediri non poſſunt, & ad debitum
conſummationis finem iudici. *Volucer.* Agis ô
Monice, iuxta vulgi prouerbium, Poſt reditum
B à iudicio vel à foro, ſapienter conſulis: quippe ſi
de generali concilio, ſi de hominibus ipſum con-
ſtituentibus, ſi de ſtudijs ac vniuerſitatibus penè
totius Chriſtianitatis, habentibus ibi legatos
ſuos, ſi de coadiutoribus ad proſequendum, ſi de
commiſſarijs ad examinandum cauſſas omnes fi-
dei, ſi de ſacro dominorum cardinalium colle-
gio, ſeu Romana curia ſuſpicandum malè fuerat,
de miniſtratione iuſtitiæ, curreret impugnatio
vel accuſatio, tua, præſertim quia generale con-
cilium fuerat ſpecialiter celebratum ad hunc fi-
C nem extirpationis hæreſeum & errorum, & hoc
ab initio ſic attentatum eſt fieri, vt detinerentur
etiam errantes in carcere, quorum aliqui poſt-
modum ignibus traditi ſunt. Primitus enim Bo-
hemi, dehinc Anglici detulerant errores Vvi-
cleff. Bohemi circiter 45. Anglici plus quam du-
centos. Pro quorum reprobatione, zelauit pu-
blicè aduena, & quantum alter aliorum. Videat
autem prudentia tua, ſi non exiſtimare iuſtum
erat, nec temerarium, non minori diligentia,
zelo, vel conſtantia procedi debere ad damna-
D tionem doctrinæ, magis in motibus & republica
peſtiferæ, & hoc omni tergiuerſatione vel perſo-
narum acceptione reiectis? Adde quod, ſereniſſi-
mus rex Romanorum, præcipuus ab initio pro-
motor extit, vt hæc eadem doctrina, tanquam
principibus planè aduerſa damnaretur, ſicut o-
ſtendit in aſſecutione damnationis vnius articu-
li, vel aſſertionis, continentis totam in effectu
doctrinam hanc, omni publicæ rei capitaliter ini-
micam. Cuius damnationis tenor eſt: *Præcipua
E ſollicitudine, volens hæc ſacroſancta ſynodus, ad extirpa-
tionem hæreſeum, & errorum in diuerſis mundi parti-
bus inualeſcentium procedere, ſicut tenetur & ad hoc
collecta eſt, nuper accepit. quod nonnullæ aſſertiones er-
ronea in fide ac bonis moribus ac multipliciter ſcandalo-
ſa, totiúſque reipublicæ ſtatum & ordinem ſubuertere
molientes, dogmatiZata ſunt; inter quas hæc aſſertio de-
lata eſt: Quilibet tyrannus, poteſt ac debet licitè ac merito-
riè occidi per quemcunque vaſſallum ſuum vel ſubdi-
tum, etiam per inſidias, & blanditias, vel adulationes;
F non obſtante quocunque iuramento, ſeu confœderatione
cum eo, non expectata ſententia vel mandato iudicis cu-
iuſcunque. Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta
ſynodus inſurgere, & ipſam funditus tollere, præhabita
deliberatione matura, decernit, declarat, & definit, hu-
iuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & moribus; ip-
ſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, ſeditioſam;
& ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, per-
iuria, viam dantem, reprobat, & condemnat. Decla-
rat inſuper, decernit, & definit, quod pertinaciter do-
ctrinam hanc perniciosiſſimam aſſerentes, ſunt hæreti-
ci, & tanquam tales, iuxta legitimas & canonicas ſan-
ctiones, puniendi.* *Monicus.* Deum etiam atque etiam

Digitized by Google

recogito Volucer, verba ſacræ ſynodi, quemad-
modum fatetur ſe præcipua ſollicitudine deſtru- A
ctionem hæreſeum & errorum debere proſequi,
quemadmodum præterea ſeueri cenſura iudicij,
damnauit hanc aſſertionem (quæ totam ferè
complectitur doctrinam nouem aſſertionum de-
nuntiatarum, cum propoſitione, vnde fideliter
exceptæ ſunt) non inuenio realem ſuſpicionis
cauſam fuiſſe fingendam, quin & concilium
damnans, & res permanens, & doctorum cœtus
conſulens, debuiſſent ad vlteriora procedere: ſi
autē aliter vel cur acciderit, omitto quærere. Hoc B
ad præſens inquiro, cur aduena noſter præ cæte-
ris in hac proſecutione notatus eſt. *Volucer.* Noſti
Monice, quid ad officium cancellariæ Pariſienſis,
cui deſeruit, ſpectat in fidei materijs; noſti pro-
feſſionem ſuam, expertus es qualemcunq; zelum
ſuum ad ea quæ religionem noſtram reſpiciunt:
ſcis quam liber eſt ab omnibus vinculis munda-
næ neceſſitatis, quatenus poſſit amplius præpara-
to animo pro veritatē certam habere. Talis eſt
inſuper, de quo iuſtitia (ſi nō rectè ambulauerit
ad veritatē euangelij) valeat fieri, abſq; perturba- C
tione aliorum, ſeu reipublicæ, viâ facti, prout aliàs
coram inclita natione Franciç vni militum palam
dixit. Scis nihilominus, quod à Chriſtianiſſimo
rege Frācorum, & à prçclariſſima filia ſua vniuer-
ſitate Pariſienſi, imo & ab eccleſia Gallicana, pro
prouincia Senonenſi, delegatus extitit ad genera-
le concilium, ſub certis inſtructionibus & literis;
quæ proſecutionem materiam fidei, huius aut
nominatim, nec non vnius eccleſiaſticæ, ſed re-
formationis morum in capite & membris, multi- D
pliciter imponebant. *Monicus.* Eſto, ſic fuerit, acce-
pi nihilominus emanaſſe poſterius mandatum à
rege, dum de tractatu pacis in Francia fuiſſet agi-
tatum, quod hçc materia non exponeretur coram
ſacro concilio, ita tamen ſi pars aduerſa vellet de-
ſiſtere. *Volucer.* Monice, iam eſſe res integra ceſſa-
uerat, iam commiſſio tribus dominis cardinalibus
etiam ante aduentum ambaſiatorum regis, ab ad-
uerſa parte petita fuerat & obtenta. Sereniſſimus
præterea Romanorum rex, hanc materiam, vt ſci-
retur veritas, voluit in mediū deduci, ſicut ex lit- E
teris ſigillo ſuo ſignatis, ac per illa quæ palam ope-
ratus eſt, coram iudicibus fidei perſonaliter com-
parans, perſpicuum eſt, & ex prçdicta condemna-
tione, *quilibet tyrannus*, redditur manifeſtum. *Mo-
nicus.* Attende Volucer, ne dum proſecutionem
primò factam iuſtificare vis, culpes eam quæ poſt-
modum facta eſt proſecutionis omiſſionem; ma-
ximè poſt electionem canonicam & legitimam
ſummi pontificis. *Volucer.* Recordare quid antea
dixeris, quod in omnibus circumſpectio tenen- F
da eſt, vt penſetur, nedum quid verum vel iuſtum
ſit, ſed quid expediens: nam variata circunſtan-
tiarum qualitate, verè vel æſtimatiuè, non erit vi-
tioſum, ſi mutetur in diuerſa, vel aduerſa conſi-
lium, quemadmodum Terentianus ſenex ex ſe re-
fert. *Monicus.* Vnde cognitum ô Volucer plus quā
antea, quod non erat expediens proſecutionis
cōtinuatio. *Volucer.* Ah Monice, quæſo ne tale ali-
quid ſcrupuloſè nimis quæſieris, quod vt præno-
tatum eſt, nullis verbis exequi poteſt, nec cū mo-
deſtia, quæ neminem lædere vult, nudè tradi: oro
patere germanum tuum, patere potius morſibus
aliorum, quàm alios ipſe mordere videatur. *Moni-
cus.* Expoſtulatio tua rationabilis videretur, ſi tan-
tummodo de perſonæ læſione vel iactura nunc
ageretur; veritatis verò, & talis veritatis, æquo
animo quis ſuſtinuerit detrimentum fieri, vt per-
ſonarū quarundam operiatur vel ignominia vel
culpa? *Volucer,* Nonne ſatis videtur pro triumpho
veritatis, quod nulla aduerſus eam, poſt tot agita-
tiones & pertractiones, lata eſt ſententia, quæ
præſertim in rem tranſierit iudicatam, quæ præ-
terea diceret, ea quæ veritatis erant, læſa eſſe,
proteſtātibus hoc ipſum per litteras ſuas ad Chri-
ſtianiſſimum Franciæ regem, tribus cardinalibus,
qui circumuenti, prætenſam tulerant ſententiam,
ſuper nullitate ſententiæ epiſcopi Pariſienſis, de
qua re latius alibi. Manet igitur in robore ſuo
deteſtatio falſitatis & hæreticæ prauitatis: manet
approbatio tam ſolennis ſacræ theologicæ facul-
tatis in Vniuerſitate Pariſienſi, cui centum &
quadraginta vnum theologi, ſe manibus proprijs
ſubſcripſerunt: manet ſimilis approbatio præcla-
ræ facultatis decretorum in eadem Vniuerſitate,
quæ ſimiliter in ſe tota pondus approbationis
ſuæ dedit ſub litteris patentibus: manet autenti-
cum valde parlamenti regij decretum vel are-
ſtum, huiuſmodi doctrinæ, cum tota propoſitio-
ne Ioannis parui capitaliter damnatiuum: ma-
nent deliberationes ſolemniſſimorum theologo-
rum de diuerſis ſtudijs, quos peruerſa non ſub-
uertit affectio: Manet denique iudicium ſacræ
ſynodi generalis integrum, qui ſub ſilentio dam-
nationem prædictarum aſſertionum non repro-
bans, approbauit; iuncto quod in damnatione
tam ſeuera huius aſſertionis, *quilibet tyrannus, &c.*
voluit ſatis intelligi, aliàs huiuſmodi, velut in ſua
radiçe, damnaſſe; quæ radix eſt, vt neminem alter
occidat authoritate propria, quantumcunq; ſcele-
ratum, neq; iuſiurandum propter incommodum
temporale ſui vel ſuorum violetur. *Monicus.* Sed
quid de deliberationibus quorūdam mendican-
tium cum magno numero reſpondebis, quos di-
cunt facta in vnum conuentione, ſe cuidam ſche-
dulæ ſubſcripſiſſe, quam ſigillauerunt ſigillis ge-
neralium de quatuor ordinibus, vt prçtendūt, vbi
deliberant (ſed in ſacco & tenebris) aſſertiones i-
ſtas non eſſe iudicio fidei reprobandas, imo ſen-
tentiendum eſſe, quod ad fidei iudicium non
pertinent. Neq; enim in hanc inſaniam auſi ſunt
proſilire, vt apertè dicerent quod veræ ſunt: glo-
riatur tamen aduerſa pars, tanquam eas delibera-
uerint veras eſſe. *Volucer.* O ſi ſcires omnia Moni-
ce, quæ circa proceſſum talem emerſerunt, nunc
iſtis, nunc alijs vijs, imo inuijs & exorbitantijs,
ebiberet ſpiritū tuum vehemens indignatio, qua-
lia nō proſequor, ne ſatyram vel tragœdiā aggreſ-
ſus eſſe videar. Hoc vnum ſcire potuiſti, quod prç-
dicta deliberatio conſpirata, fuit tandem oblata
coram toto cōcilio, tanquā hæreticalis, aut de hæ-
retica prauitate vehemēter ſuſpecta, ſub proteſta-
tione ſolenni facta per aduenā noſtrū, quam tunc
nomine regis, & ambaſiatorū ſuorum propoſuit,
de ſubſcribendo ſe ad pçnā talionis, ſi aliqui, quā-
tūcunq; multiplicati contrariū vellent ſuſtinere.
Quinetiam ſacræ theologiæ facultas Pariſienſis,
dum

Digitized by Google

dum ad ipſam, ſchedula talis delata eſt, pro parte
dicti Chriſtianiſſimi Francorum regis, ſuáque de-
liberatio quæſita, reprobauit eam multiplici ac
efficaciſſima ratione, ſub patentibus litteris, ſigillo
ſuo munitis. Non igitur poteſt aduerſa pars glo-
riari de pluralitate maiori theologorum, neque
numero.

Monicus. Scire velim ſi poſt aſſumptionem
ſummi pontificis, aliqua ſaltem eorumque modo
commemoras, in fauorem cauſæ fidei, regis, ac
vniuerſitatis, fuerint intimata vel ſuggeſta.

Volucer. Nolo Monice de ſanctiſſimo domi-
no noſtro & Chriſto Domini, velut os in cœlum
ponendo loqui, collaterales nihilominus habuit
quos (in hac & ſimiliter materia tangente domi-
nos Polonos) proceſſiſſe dicunt aliqui, minus di-
ligenter, neque ſatis ad zelum & fauorem Catho-
licæ veritatis, qui neque verbis, neque ſcriptis ex-
hortatorijs, ad proſecutionē ſeu terminationem
potuerunt accendi. Teſtis tibi ſit ſchedula multis
oſtenſa, quam hic placet inſerere ſic habentem:
*Conſiderent Zelatores Chriſtianæ religionis & honoris
domini noſtri Papæ, ac huius ſacri Concilij, ſi articulus
ſecundus principalis, conuocationis huius concilij, qui
eſt ſuper hæreſeum & errorum extirpatione, non tra-
ctetur vel expediatur; præſertim in materijs ſolemniter
denuntiatis, & multipliciter agitatis in hoc ſacro Con-
cilio, qualiter hoc varij variæ potuerunt imputare:
Quidam ad negligentiam in re tanta, atque præcipua
ſollicitudine tractanda, prout fatetur concilium, in
damnatione huius;* quilibet tyrannus: *Alij ad
ignorantiam; quod de paucis propoſitionibus, quæ non
ſunt de apicibus fidei, non decreuerunt quid ſecundum
doctrinam ſacræ Scripturæ tenendum ſit, an videlicet
veræ ſint, vel falſæ, ſanæ vel inſanæ, approbandæ vel
reprobandæ: Alij ad perſonarum acceptionem, &
humanum timorem, ſeu formidinem, & ad illorum
(contra quos hic proceſſum eſt in fidei materijs, quem-
admodum ſunt Bohemi) remurmurationem: Alij ad
apertam iuſtitiæ denegationem in materia fidei & mo-
rum, ſeu culpabilem diſſimulationem: Alij ad præ-
latorum & aliorum auaritiam, quærentium in Eccle-
ſiaſtica reformatione, quæ ſua ſunt, vel vtilia, non
quæ Ieſu Chriſti; vel ſpiritualia: Alij ad regum prin-
cipum, & vniuerſitatum, qui promouerunt prædictas
materias, vilipenſionem & indignationem, vt fuerunt
rex Francorum, rex Polonorum, & vniuerſitas ſtudij
Pariſienſis, & plures aliæ: Alij ad authoritatis præ-
laticæ (ſuper hæreſibus extirpandis in ſuis diœceſibus)
eneruationem, & ad curiæ Romanæ in eiſdem erroribus
extirpandis notoriam omiſſionem: Alij ad ſordidam
multorum in hoc concilio, vno vel alio modo corruptio-
nem: Alij ad omnium quæ facta ſunt in concilio ſcan-
dalizationem, vel infirmationem: Alij ad legatorum,
regum, & vniuerſitatum, qui ex iniunctione vel in-
ſtructione facta eius promouerunt, & promouere de-
buerunt prædictas materias, negligentiam culpabilem:
Alij ad Theologorum & prædicantium veritatis fidei
periculum, & depreſſionem, vbilibet per Chriſtiani-
tatem, maximè dum errantes fuerint potentes & prin-
cipes: Alij ad homicidiorum, proditionum, periurio-
rum, ſeditionum nutritionem, ſeu iuſtificationem, ma-
ximè dum bella fundantur in ſuſtinendis erroribus:
Alij ad hæreticantium & errantium non emendatio-
nem, ſed obſtinationem, nec ad fraternam ſeu iudicialem
vel paternam correctionem, ſed violentiorem effrenatio-*

nem: Alij ad obedientiæ generalis præſtari debitæ modò
A *ſummo pontifici (fortaſſis quod abſit) periculoſam dila-
tionem, apud multos Chriſtianitatis principes aut populos:
Alij ad clericorum apud laicos, imo & apud fideles, &
paganos, & præcipue Petrum de Luna & ſuos fautores
ſubſannationem, vel irriſionem; quod in materijs vulgo
notiſſimis, quæ ſunt ipſa præcepta moralia, aliter patiun-
tur errare, & diuerſa ſibi inuicem pertinaciter aſſerere,
in præſentia generalis Concilij, in tantùm vt ſub ſummo
pontifice, quem omnes pro extirpatione errorum præſtola-
bantur, maior diſſimulatio ſuboriri videatur: Alij*
B *denique (quod omnium grauiſſimum eſt) ad offenſam
Dei, in deſertione defenſionis Catholicæ veritatis, imò &
fautoriam hæreticæ prauitatis, dum ſcilicet error cui non
reſiſtitur, approbatur.* Teſtes autem inuocant huius
ſchedulæ compoſitores, cœlum & terram, quod
non ad diffamationem cuiuſcumque, vel irritatio-
nem, ſed ad propriarum animarum liberationem,
& ad obuiandum prætactis & conſimilibus ſcan-
dalis (ſi non hoc durante concilio occurſum fue-
rit) euenturis, iſta ſcribunt, atq; notificant; parati
voce publica, latiùs hæc omnia deducere, ſi ita
C placitum fuerit domino noſtro Papæ.

Monicus. Qualis data eſt ad inconuenientia
prouiſiua reſponſio.

Volucer. Nulla prorſus, ſed in deteriora conti-
nuè res lapſa eſt, vſque adeò, quod pro parte do-
minorum Polorum, interiecta eſt tandem appel-
latio ad futurum concilium: Cui appellationi
cum reſpondendum eſſet, lecta eſt vt dicitur in
cōſiſtorio generali & publico, quod vltimo Con-
ſtantiæ celebratum eſt, minuta quędam ſub forma
D bullæ; deſtruens (vt aſſerunt qui legerunt eam)
fundamentale penitus robur nedum Piſani, ſed
Conſtantienſis Concilij, & eorum omnium quæ
in eis, præſertim ſuper electione ſummi pontificis,
& intruſorum eiectione, attentata factáve ſunt.
Continebat itaque, in nullo caſu licere appella-
tionem à Papa facere, nec eius iudicium in cauſis
fidei declinare, planè contra legem Dei, decretá-
que concilij. Sed tam cæca ſemper eſt affectio,
quæ non zelat veritatem, tam ſemper ſibi contra-
E rians, & diſſona veritati mens aduerſa.

Monicus. Vellem pleniùs agnoſcere, qualis ex
integro fuerit hæc Polonorum cauſa, neque enim
illa leuiter crediderim quæ poſtremò ſubintuliſti,
quamuis de occiſione omnium Polonorum fa-
cienda, abſque lege vel ordine, ipſis nec auditis,
nec defenſis, audierim.

Volucer. Poſſum quæ breuibus perſtrinxi verbis,
ea ſcriptis multiplicibus edocere, quorum aliqua
ſuis titulis ſeorſum notabo. Res enim prolixa eſt,
& ad alia te vocat ſentio præſens dies: dabo præ-
F terea titulos quorumdam ex opuſculis germani
tui, plurimis omiſſis, quæ vel memoria non tenet,
vel vtilitas non tanta eſt. Ita enim fas erit tibi vel
alteri, cui placuerint illa ſub collectorio vno ſeu
pluribus, ſcriptis dare.

Monicus. Gratam mihi rem feceris Volucer, di-
cito nihilominùs antea, qualis de natura concilij
ſit fratris exiſtimatio, inſtructus quippe eſt, nedum
ex literis vel hiſtorijs, ſed ex ipſa quæ doctrix eſt
efficax experientia, vtpote qui nouiſſimo huic
Conſtantienſi Concilio, continuus aſtitit, quod
numeroſitate conuenientium, quod agendorum
arduitate, quod ſui præſertim duratione maximū

ſupra cætera fuit; quoniam per triennum cum ſex fere menſibus protenſum eſt.

Volucer. Si pondus doctrinæ vel eruditionis haberet exiſtimatio peregrini noſtri apud alios, qualem facit amor apud te, rem exigeres cognitione non indignam, nec inutilem fortaſſis poſteritati: ſed neque plenè didici ſuam in omnibus quæ geſta ſunt vel opinionem, vel ſententiam, quamuis plurima ſcriptis reliquerit, de poteſtate concilij & ipſius qualitate. Sua fuit inſuper conuerſatio aſſiduè cum illo præceptore ſuo, quem ſapientiſſimum & prudentiſſimum nemo dubitauerit (cardinalem Cameracenſem dico) poterit ille multo doctius & ſalubrius cum authoritatis pondere ſuper hac re, vel verbo, vel ſcripto tradere, qui cognouit. Hoc vnum ſcio, quod zelus habendæ vnionis in ſchiſmate tam deſperato, tantiq; temporis, fecit multa tolerari, quæ fuiſſent aliunde nec tolerabilia toleranda. Video quod Eccleſiæ reformatio, nunquam fiet per cõcilium, ſine præſidentia ductoris affectati, bene prudentis ſimul, & conſtantis; prouideant ſibi dum ſciuerint, & potuerint membra, per prouincias aut regna, non quidem in multiplicatione conſtitutionum nouellarum, hoc magis interturbat quàm adiuuat, ſed per executionem viuacem, & virilem earum legum, quæ iam latæ ſunt abundantiſſimè, ſuperuacuis etiam reſecatis vel omiſſis. Video quod in doctrinis quæ fidem, quæ religionem, quæ bonos & ſalubres reſpiciunt mores, vix inuenietur in hac tempeſtate (rebus vt ſunt manentibus nec habito forti fauore patientiæ ſecularis) terminatio debita, vel expedita iuſtitia. Experto crede, neque deductionem pro nunc aliam pete, neque de remedijs apponendis, verbum feceris ſurditati; vbi non eſt auditus, iubet ſapiens, non effundas verbum, his interim contentus. Habes enim de theologica conſolatione grandius opuſculum: tecum habita, gratus Deo qui te ſegregauit ab his ſollicitudinibus, & pro cæteris in poteſtate conſtitutis, ora compatiens, flens, & lugens.

Monicus. Conceſſerit ita Deus, bene vale Volucer, præcauens viæ caſus: ſalutaueriſque nomine meo fratrem, monens eum ſedulo, circumſpicere vigilanter, quemadmodum in medio nationis prauæ viuendum ſit.

Volucer. Et tu bene valeto Monice, noſtri memor in orationibus tuis.

FINIS.

SEQVVNTVR NONNVLLA Carmina Ioannis de Gerſon, quæ & præcedentibus & ſubſequentibus tractatibus connexionem aliquam habere videntur.

CARMEN AD IOANNEM GERmanum ſuum de cauſa canendi.

LOQVITVR ADVENA AD MONICVM.

HEV perurgent Monice, Monitæ.
Anni nefaſti ſanguinei & necis,
Ciuilis enſis cuilibet imminet,
Qui iuſtè viuit, vera vel edocet.

Reſpondet Monicus.

Meme fruaris aduena conſule
Hac in ruina peſtifera vicis,
Ad te redito ſolus in otia,
A *Eſto virilis, vim facio tibi,*
Mens in ſuperna ſe leuet ocior,
Odas canoras pſallat alacrior,
Quales ſophiæ dictat amor pius,
Non quas libido ſordida ſuggerit,
Quas muſa garrit ſcenica crebrius.
Vt cor malignis vrat amoribus,
Curæ coquentes anxia pectora,
Triſtes abibunt, credito, longius,
Nam ſpiritus cor viſere cælitus
B *Gaudet quod almum perſonat Deum.*

Opponit aduena.

At cum ſodales mors mihi ſuſtulit,
Cum Pallas arcem vix habitet ſuam,
Quæro ſonabunt cui meæ cantica
Nerui loquentes, quod lyra temperat.

Reſpondet Monicus.

Omitto muſas, Angelus audiet,
Sanctique tecum, nonne ſatis tibi,
Nec prorſus omnes mors tulit efferа.
Petrus ſuperſtes, quem ſapientia
C *Totum repleuit, cardo dedit ſibi*
Nomen, ſtatúmque, ſufficit vnicus
Carmen melodum cui reſonet tuum.
Viuit Gerardus, quis rogo par ſibi,
Qui veritatis exul amore ſit?
Noſtri clamengis dulce ſapit ſtilus,
Ætas nouellam progeniem dabit,
Pro patribus, quos perdidit atropos.

D

ALIVD EIVSDEM ASCLEPIADEVM CATALECTICVM.

VErnum tempus adeſt, fac hilareſce
Cor tepens gelidæ frigore brumæ,
Surſum ſurrige te more volucris,
Quæ vires reparat ſole repenti.
Odas dulciſono gutture formant,
Alternántque modos, cernis alaudam
Se pennis liquidum librat in æthra,
Senſum peruolitans, deſerit ima,
Extra ſe rapitur ebria cantu,
E *Aſſarique Deum læta videtur,*
Huic ſpaſmata cadens vt redit ad ſe,
Iam degit ſolitis ſobria terris.
O ſi te rapit hæc extaſis alma,
Felix, ſi iubilans excidis à te,
Hac ſemper ſtolidas incolis oras.

CARMEN LVGVBRE PRO DESOLATIONE VNIVERSITATIS Pariſienſis propter bella ciuilia.

F

ANgeli pacis gemitus amaros
(Si cadunt in vos) facitote toto
Mentis enſu, reboate cæli,
Pallada flete.
Palladis templum domus, arx, aſylum
Gaudium veſtrum, decor omnis orbis
Corruerunt à ſcelerum miniſtris,
Pallada flete.
Ecce fons riuis Helycon cruentis
Manat, hinc ſacræ fugiunt volatu
Præpeti muſæ reſonántque triſtes
Pallada flete.

Garriunt

Digitized by Google

Garriunt picæ reprobis agreſtes
Vocibus, liuens odium perurget,
In malo lætus ob eam querelam
Pallada flete.
Cælicus cætus datus vt ſupernam
Percolas iugi ſtudio Mineruam,
Lugeas pectus feriens & hortans,
Pallada flete.
Non tua pridem cecidere docta
Pallas Athenæ ſimili ruina,
Peior hæc ſors eſt, cupidi ſophiæ
Pallada flete.
Te quis ô te collegium celebre
Par habens nullum phreneſi ſacratum
Aſpicit qui non miſerando dicat,
Pallada flete.
Ordo te trinus decorabat amplè,
Cum ſacerdotum cuneo decenti
Sterneis vulgi manibus ſceleſtis,
Pallada flete.
O leonidam rabiem, tyrannos
Horrida cunctos ſuperans nefandi
Criminis noxa furit en cernis,
Pallada flete.
Horror ſeu ſæuus, nihil ô deinceps
Linquitur tutum, nihil aut inauſum,
Res en humanas ſupereſt perire,
Pallada flete.
Stabit aduerſans hæreſi quis vltra,
Sontibus quis non trepidus reſiſtet,
Quis bonos mores volet edocere,
Pallada flete.
Papa qui Chriſti vice ſummus vti
Gratularis, vos pariterque mundi
Cardines, fidei cecidit columna,
Pallada flete.
Filiam tu rex nimium decoram
Prolem fecundam recolens videto,
Plangit orbam ſe viduámque clamant.
Pallada flete.
Inclytum regnum tua clara doctrix,
Chriſtianum quæ titulum ferebat
Monſtra non gignens iacet, indecora,
Pallada flete.
Canones, artes, medicánſque phyſis.
Et ſophia vultus lachrymis rigate,
Deperit vobis ſtudioſa turba,
Pallada flete.
Palladis Troiæ referunt ima
Cuſtos ablata ſibi dat ruinam
Franciæ caſum ſimilem timentes,
Pallada flete.
Inuicem fœdus ſociale ſeruant
Clerus & miles, patiente clero
Nobiles veſtro ſtatui cauentes,
Pallada flete.
Regij ſceptri rogitamus hæres
Clare Delphine repares ruinas
Hoſtica cladis miſeris vel odis,
Pallada flete.
Tale qui rurſus renouare quæret,
Viuito felix quater & beatus,
Ceſſet vt plangor doloroſus iſte,
Pallada flete.

A CARMEN IN LAVDEM DVCIS
Auſtriæ & ſtudij eiuſdem.

SORS miſeranda nimis te Francia diua fatigat,
Pluſquam cuiuſuis vox reſerare queat.
Olim præſcriptos pro libertate tuenda,
Próque fide paſſos, mos releuare tuus.
Senſiſti Thoma proprijs dum truſit ab oris,
Anglia te ſanctam ſenſit & eccleſia.
Heu pietas, heu priſca fides, coguntur alumni
Francigenæ mortes exiliúmque pati.
B *Summe Deus pro lege tua quam ſub decachordo,*
Mentibus impreſſam ſcribis & in tabulis.
O quot theologi, quot pontifices periere,
Carcere quos clauſos dira necat rabies.
Effugit altera pars alienis incola terris,
Tutior exilio, ſed ſpoliata bonis,
Inter quos vnus qui cancellarius almi
Pariſijs ſtudij eſt, cedit & aduena fit,
Auſtria tu felix, felix ſtudioſa Vienna.
Dux quibus eſt talis traditus in regimen,
C *Zelo qui fidei feruens, ob eam fugitiuum.*
Huic miſerans, offert vltro refrigerium,
Aſsignátque locum cum libertate, ſuique.
Patribus egregij commoda collegij,
Sis ſua magna Ieſu merces pro cuius honore
Doctorem recipit diſcipulúmque tuum.
Gloria, laus & honor dux inclyte te reſonabunt,
Dum pietas terras ſancta fidéſque colent.

ALIVD CARMEN DE MVLTI-
D PLICI MARTYRIO.

MORS martyrum laudabilis,
Præ cæteris optabilis,
Baptiſma ſupplens ſi deeſt
Omne reatum diluit.
Mors pro fide viriliter
Suſcepta reddit martyrem.
An ſub fide lex ponitur,
Quam litteræ ſacræ docent?
Quare beatus omnis eſt,
E *Pro lege quem Dei ſui*
Certando contingit mori
Quicumque det caſu necem.
Corona fratrum ſeptena
Refulget ob legis zelum.
Martyr Ioannes an fuit
Culpans nefas adulteræ?
Ergo beati viuite,
Quos tertius multo ſcelus
Damnando, martyrium publicum
F *Occidit atrox carnifer.*
O pulchra mors coram Deo.
Iocunda, plena gloria,
Conſpuat hanc vulgus licet
Nequam, prophanum, malignum.
Ætas an hæc felicior
Quod martyres habet ſuos
Culpanda, vel forſan magis
Nefanda pro tyrannide.
Culpanda pro paſtoribus,
Luporum, qui vices gerunt,
Tyrannidem diſsimulant,
Immo fouent, augent, probant.

Digitized by Google

O veritas patris Ieſu
Obſecramus verſa vicem,
Vt veritas victrix eat,
Cruoris expers & necis.
Si vis vt in martyribus
Vincat, pateſcat omnibus.
Laus detur & palam tibi
Patri ſanctóque flamini.

CARMEN PRO VIRTVTE PATIENTIÆ.

Aſpera quis fortuna poteſt tua dinumerare
Proſpera quæ tribuis, licet inſcia.
Inſcia, non eſt tamen ea patris cura benigni
Pro virga qui re manibus gerit.
Non aliter quam vult, nec acerbius ipſa flagellas,
Fortis ob hoc remanet patientia.
Murmure non lateat te promittentis honore,
Fert homines librans oculos ſibi.
Abba pater clamat, magno pro crimine nati,
Sat ſit patri ſupplici, parum.
Letiferum pando peccatorum putre vulnus,
Vt placet vre, ſeca modo deprecor
Nolis in æternum parcendo tradere mortem.
Eſſet in hac pietas, furor efferus.
Sicut ſanctus amor placite conquirit amando
Omnia quæ faciunt alij bona.
Sic tolerando ſuum patientia vertit in vſum.
Omnia quæ mala reſpicit vndique.
Cur igitur diues patientia non erit inter
Aſpera fortunæ tot tantáque.
Verbere ſolatur, gelidóque rigore caleſcit,
Potat eam ſitis, eſuries cibat.
Ex alijs ſoluit loculo ſua debita clauſo,
Exilium patriam reputat ſuam.
Preſſuram mundi facit in Chriſto ſibi pacem
Docta, foro requiem medio capit.
Carcere cum vinclis ſit libera, quid moror vltra?
Vertitur in vitam mors vltima.
Eſt patiens melior forti, patiens quia vincit
Sæpius hoc hoſtem ſine vulnere.
Non tamen eſt aſino ſimilis patientia laudi,
Stercoris & culpæ tolerans onus.
Excutienda magis totis hæc ſarcina neruis,
Perpetienda prius mors corporis.
Hæc eſt ſanctorum patientia vera, probat
Corde ſuum toto quod amat illum.
Durior inferno, nec aquis frigeſcit in vllis,
Stigmata ſigna ſui regis gerit.
Infert vim cælo, rapit aſtra iure triumphi,
Hic fructus ſuus, hæc poſſeſſio.
Materiam dat ei fors aſpera quæ malus in ſe
Sæuit, abutitur amens enecat.

CARMEN AD GERARDVM DOMINI Delphini confeſſorem.

ORO triſtitiam repelle ſeculi,
Mortem crede parit Gerarde duplam
Stringit noxia, cor premit, necátque
Ex hac letifero plagatur ictu.
Culpæ ſpiritus, & tabeſcit in ſe.
Nil mortale fleas, nihil caducum.
Cur perdas lachrymas nihil iuuantes?
Obſunt, nec reparant peracta damnat.
Quod mutare nequis, feras oportet,
A *Deduc in meritum neceſſitatem.*
Damnum temporis ad perenne confert.
Si te pœnæ breuis dolore torquent.
Ex hoc conijce quam dolenda culpa.
Vis lugere, dolor beatus iſte eſt.
Conſolatur enim Ieſu docente.
Plora flagitium, memento finis.
Luctus mixtus erit ſapore dulci.
Ob ſpem quod gemitu reatus iſto
Deletur, manet & corona cælo.
Vltoris gladius ferire iuſſus,
B *Saluat luctificum thau gerentes.*
Vult nos plangere lachrymoſa vallis,
Nil plus purificat cor aut ſerenat.
Quam luctus vehemens amaricanſque,
Hoc merſus Pharao mari peribit.
Tellus melle fluens dehinc patebit,
Quam ros hic pluuius rigans venuſtis
Ornat floribus, ac perinde multos
Fert fructus lapidos decore grato.

C
ITEM ALIVD CARMEN AD EVNDEM.

QVID Gerarde fit in nobis?
Hærent crimina quædam
Intro cordis in medullis
Cum radice profunda.
Quæ licet minora dicant
Homines ad ſuperandum,
Prorſus excuti nequibunt
D *Vix dux vixeris à te,*
Flebis vbertim diúque
Culpans córque remordens.
Vt graui mole depreſſus
Euites recidiuas
Fortis alacriſque pugil,
Proſternes grauiores
Sub iugo peſtes, eas vix
Alij vincere quibunt.
Gratiam fateri Dei
E *Eſto certus oportet,*
Ordinem videto ſuum,
Prouidus omnia librat
Sub modi ſub ponderiſque
Menſura ſapienter.
Vincis hoc vel illud ſcelus,
Sibi victoria detur.
Millies cadens reſurge,
Semper ſuſtine, ſpera.
Flens manus patri porrige,
Lachrymis eſt ſua lingua
F *Non te deſeret in finem.*
Tandem è ſtercore tollet.

FINIS.

CARMEN DE PVRITATE SACRÆ ſcripturæ reſpectu aliarum.

Montibus altis *Exoritur fons*
Purior auro, *Vnda nec vllo*
Spurcida cæno *Lumine ſolis*
Obice fulget. *Tu bibe tutus,*
Te ſpeculeris *Te tua nunquam*
Fallet imago. *Plurimus inde*

Riuulus

Digitized by Google

Riuulus exit
Putrida tellus,
Sordibus opplet
In quibus anguis
Bufóque ſerpunt,
Si ſitis vrget
Vis ſpeculari
Vix ſimulachrum,
Terreat hoc vos
Fonte ſophiæ

Lapſus ad ima
Quo mage diſtant
Noxia miſcens,
Ranula vermis
Mors latet vndis
Cautior eſto.
Reddere verum,
Turbida poſſunt.
Quos derelicto
Terrea potant

IOSEPHINA IOANNIS DE GVERſon, carmine heroïco decantata.

TITVLVS BREVIS CONTINENS. XII. libros iuxta. 12. materias principales.

CLare Ioſeph Ioſephina tuo pro nomine carmen
Narrat vt is Memphim, ſeptem illic conficis annos,
Nazareth inde redis operans, vbi virginis olim
Conceptum noras, & ea cum virgine nubis,
Idque redit nupta te per montana volente,
Das latriam infanti nato, nomen Ieſus addis,
Suſcipis hinc reges, puerum poſt ſedulus offers,
Inuenis hinc templo, tandem moriens requieſcis.

PROOEMIVM.

FOntem ſueuerunt veteres celebrare poëtæ
Sacratum Muſis Parnaſi monte ſubhortum
Quem pes fodit equi, ſed habet ſapientia montem
Noſtra alium fontem & muſas, quibus altera vox eſt
Fons vitæ, verbum domini ſublimibus exit
A cælis iugi, puro, ſalubrique meatu.
Cryſtalo ſimilis manans à ſede ſuperni
Montibus æternis, muſas nec curat agreſtes.
Quæ mortale ſonant, quæ noxia carmina texunt,
Quæ ſolas vanis demulcent corporis aures.
Nec dant arentem ſedare ſitim, ſed adurunt
Potandum aſſiduè mellitis corda venenis.
Fons noſter nitidus, ſapidiſque ſalutifer vndis,
Quem ſuperirradiat, vbi ſol diuinus apertis
Omnia crede notis mundi ſpeculi vice monſtrat.
Pura tamen lux hæc hebetans diuerberat omnem
Viſum mortalem, veluti ſol materialis
Lucidior tuitus obſcurat nycticoracis.
Multa videre tamen fidei mediante berillo
Conceſſum nobis in ænigmate vocéque certa
Mira loquar, facies ſpeculanti quattuor offert
Fons hic vt ſpecula quadam, ſic Ezechielis
Viſio dat vultus animalibus eſſe quaternos.
Quattuor ancillis facies ſapientia donat.
Senſus bis binos verbo nam monſtrat in vno.
Littera geſta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia,
Hæ penetrant aures mentis dulcore latenti
Tetralogo ſimul ac vno ſermone loquentes.
Principio fons hic perfudit myſticus Adam.
Poſt terris legitur fluuiis fluxiſſe quaternis,
Irrigat & totum riuis felicibus orbem
Te torrente replet fæcundius ô ſtudiorum

Mater Pariſius, paris expers, maior Athenis,
A *Maior & Ægypto prior eſt tua philoſophia*
Pura, nec errorum cæno permixta nocenti,
Sola cares monſtris, nec habes portenta deorum
Quidam theoſophus iſta nutritus in vrbe,
Gratia cui nomen, cognomen & aduena fecit,
Hunc iuxta fontem viridante in ceſpite ripæ
Fructifero vitæ ſub ligno membra locauit
More ſuo, lenire viæ faſtidia quærens,
Oréque cordis aquas fontis guſtare beati
Dulce refrigerium contra tentaminis æſtum.
Eſſe peregrinis ſignis erat agnitus aptis,
B *Caſsidulum dextro fartum dependet ab armo*
Ad latus oppoſitum, celſum caput orbicularis
Pileus obnubit ſoles quo pellat & imbres.
A vultu infeſtos baculúſque teres regit artus,
Ferrea cui cuſpis, munitur ſuro coturno.
Scutum læua gerit, ſapphyro, cæloue ſereno
Concolor, hic auro ſeptem radiare planetas
Inſpiceres, medio cor pennatum velut ignis
Emicat, & thau rutilo ſibi ſignat in auro.
Ægide theoſophus hac hoſtica tela retundit.
C *Nec caret angelico duce, ſed caro viſibus obſtat,*
Sedulus hunc catulus vt Tobiam comitatur.
Vidi equidem ſynodum Conſtantia dum generalem
Colligit eccleſiæ fieret ſibi paſtor vt vnus
Veſper erat gelidas protendens longius vmbras
Aduena labenti iocundo murmure riuo,
Lumina dum figit meditans, de fonte canora
Viſa loqui ſibi vox proprijs accommoda votis.
Vita peregrinis quæ te premit exul in oris,
Vult libertatem patriæ te quærere cælis.
D *Hoc Moyſes, hoc ipſe leui, dum nomina Gerſon*
Dant primogenitis ſignant multis aliorum.
Niteris exemplis, ſed quod Deus accola terras
Venit in has fieri, nihil hoc hortamine maius
Terrigenam petere quod te cæleſtia cogat.
Ergo fides cum corde pio vult carmine dici,
Quomodo terrenæ voluit regionis ad ima
Deflecti, claudique Deus ſub ventre Mariæ.
Quem natum Ioſeph in Memphim geſtare peregré
Iuſſus, vbi ſeptem fugitiuos conficit annos.
Inde relatus ſit (mirum ô) ſibi ſubditus vltro,
E *Donec cum ſenio mors exoptata recepit.*
Theoſophus gaudet, dum vox ſymphonica talis
Inſonat aure ſua, tollit ſuetudo timorem.
Quamuis miranda vox eſt phroneſii, quia tetras
Eſt ancillarum, datur & ſua cuique loquela,
Qua dinoſcatur, velut in fidibus cytharœdi,
Organicis ſiue modulis ſeu carminis odis
Commodat ipſe pias dictis ſolertior aures
Senſibus ac imis, res eſt non parua, reponit,
Quatenus aut referet audita ſodalibus ore,
F *Inſerat aut chartis, ſupplex prius inchoat orans,*
Alme Ioſeph Patriarcha ſacer pro cuius honore
Noſtra canit phroneſia, tu virgo, tu Ieſus olim,
Vos tres vna domus anguſtis incola terris,
Quos immenſa locant modo cælica regna felices
Noſtráque ſit facite pietas accepta camena
Ancillans fidei, nulli præiudica vero,
Multa probabiliter ſuadens, temeraria nuſquam
Apta peregrinum cor ſurſum attollere cœlis.
Hactenus hac ſubeat primum narratio, fugit
Cur Ioſeph à patria, ſponſa comitante Ieſúque,
Exemplum primis magis id ſe ſenſibus offert.

DISTINCTIO PRIMA.

MEmbra Ioſeph ſomno recreans defenſa labore
Corde vigil iuſſa quæ nūciat Angelus, audit
Triſtia, ſurge Ioſeph fili Dauid, accipe matrem
Cum puero, fuge neu tardes, Ægyptia rura
Feſtinus pete, nam puerum trux quæret Herodes
Perdere, proh pietas, laxat tremefactus & horrens
Mox grauidos artus humili ſtatu exilit, atque
Virgineum ſponſæ thalamum mæſtiſſimus intrat.
Forte Maria Ieſum quem cunis ſomnus habebat,
Tunc vigili blandè cura deuota fouebat.
Ut vidit ſponſum cui non mos nocte venire
Inſtantis præſaga mali, conclamitat, ô vir
En quid id eſt, quid habes, quæ fert te ſors rogo pande.
Eheu ſurge eſto puerum rape, quæritur infans
Perdi crede mihi, per reges dirus Herodes
Se dolet illuſum, propera, modo nuncius alto
Demiſſus cœlo iuſſit, nec fingo repente
Sic fieri, tibi tunc animi quid virgo fuiſſe
Crediderim noua tunc inuenisque puerpera pauper,
Simplex, ſueta domi, regionum neſcia, tales
Tete dum voces vrgent, ſed filia Deo mox
Comploſis manibus lachrymiſque per ora volutis
Triſtis, vtrumque genu ante ipſa in cunabilia nati
Flectens te ſternis, ſtupido fixóque parumper
Hæres intuitu, quem contemplata benignè
Plurima corde gemis, tandem prorumpis amaro
Suſpirans animo, quid amor meus ô tener infans
Ac vteri dilecte mei, quid tu, quid agemus
Iſte tuus cuſtos, & ego qua parte feremus?
Quà te patebit iter, vbi ſunt Gabriel tua dudum
Nuncia dicta mihi, dominus ſedem Dauid illi
Crede dabit Iacob ipſe domo regnabit in æuum?
En it in exilium, fiendi chariſſma non eſt
Hora modo, vir protulit anxius, effugiendum
Parendúmque Dei iuſſis, reducem (bene ſpera)
Promiſit puerum & faciet, quia dux, via, vita eſt.
Exitus his infans, oculiſque ſerenus apertis
Iocundo viſus riſu cognoſcere matrem.
Tunc animum ſtrinxit teneræ pietatis imago
Vigineum gladius pertranſiit intima cordis.
Mox ruit in faciem pueri, ſuauiſſime fili
Acriis exclamat ſingulans mater, abire
Ac migrare ſtatim, notos patriámque laréſque
Linquere cogimur arrides, non noſtra voluntas,
Sed domini fiat coniunx dilecta Ioſeph vir
Grandæuus replicat, lacta cuniſque reſolue
Infantem, pannis inuoluens, noſter aſellus
A me ſternetur gerulus puerique tuique.
Pater mater, nec mora nocte fugam capiunt clam
Hoſtiolis poſt ſe clauſis, nulláſque ſalutes,
Nulla vale tota vicinia chara recepit.
Mirandum maius inter ſpectacula quale
Conſpicies anima, caſus nunquid fuit alter
Aſperior, ſummáque magis pietate ſtupendus.
Ergo compatere ſaltem pro cuius amore
Omne fit hoc, Deus eſt fugitiuus & aduena pro te,
Virgo tenella Ioſeph grauis æuo vixque bimeſtris
Infans, ignota peragrant ac dura viarum.
Sat procul exierant à Nazareth haud ſine multo
Continuóque metu neu quis ſentiret euntes,
Sine pedum ſtrepitu ſeu flentis ad vbera matris
Vagitu pueri, vel ab occurſu vigilantum,
A Aut aſini ruditu, latratu ve canino.
Vertice monticuli faciem conuerſa retorſit
Virgo ſuam, ſimul ipſe Ioſeph deuotus vterque
Subſtitit inde domum, villam, templúmque ſalutant.
Nuncia iam ſolis rutilans aurora decorum
Spirabat lumen, virgo doctiſſima legis
Humano partim ſtudio, partimque ſuperno
Largius afflatu dedit has (fas credere) voces.
Magnifico te ſumme parens ſpes vna ſalutis
Certa mea mihi magna potens agnoſco dediſti
B Grata fatebor enim, memori iugique repoſtum
Corde gerens ancilla hominis parebo iubenti,
Per medium quamuis vmbra mortis ſit eundum,
Nulla timebo mala, quoniam mecum Deus es tu.
Túque puer diuine Ieſu, quem ſanctus obumbrans
Spiritus ex me formauit, te Sara virumque,
Te Iacob atque Ioſeph, Iudith, Heſter, téque Suſanam
Saluauit dominus & Hebræos per mare duxit,
Per deſerta trahens, cæli quibus eſca parata.
Non attrita fuit veſtis, quid quod Danielem,
Et Dauid eripuit rugientis ab ore leonis,
C Quid quod per coruos fugientem pauit Heliam,
Dux Raphael Tobiæ, dux Michael Synagogæ.
Quid moror exemplis Gabriel mihi dux Deus illa,
Quæ voluit fecit omnis ſibi poſſibilis res.
Nullus liuor ei, ſapiens tamen omnia ſummus
Diſponit numero, menſura, pondere, non vult
Tentari, proprios ſed agi motus rationis.
Quos valet vt deſunt præſto ſibi ferre iuuamen.
Hinc hominem fugimus ſubitò cui tollere vitam
Omnipotens poteras, vis pauper & aduena fiat
D Filius iſte tuus mundo qui regnat olympo.
Fratribus vt ſimilis ſoluet, moréſque reformet,
Vis ſcutum cordis nobis præbere laborem,
Vis fieri memores aliam nos quærere vitam,
Eſſe peregrinos, deberéque triſtia lætis
Semper miſceri, lachrymarum valle maligna.
Dux igitur rectórque, comes, protector & altor
Eſto peregrinis nobis altiſſme regum,
Cui rex mortalis obſiſtere, cui nequit obex
Vllus velle tuo ſtatui promiſſio noſtris
Dicto olim patribus Abraham cum ſemine fiat
E Dulce vale, natale ſolum, valeant & amici.
Túque Hieroſolymis in Sion vertice templum.
Dixerat hinc alacres animo Ioſeph atque Maria
Contorquent greſſus & ſemita capta tenetur.
Nazareth in villa multum iam plebe ſubortum
Murmur erat fugiſſe Ioſeph, fugiſſe Mariam
Cum puero, grandis cognatos cura fatigat
Quærere quò pergunt, quales petiere latebras,
Scita fugæ cauſa tandem compeſcuit omnes.
Veſper defeſſos ambos, aſinum quoque laſſum
F Sera domi locat, in qua diuerticula villæ
Commodiora Ioſeph reputauit, protinus vlnis
Excepit puerum proprijs terræque reclinat.
Ipſe ſinu matris ereptus vagit, & inde
Vir dat opem dominæ ſatagens deſcendat aſello
Collapſu facilli, hoſpes dat ſtabulum paleáſque,
Augent ligna focum, gremio mox virgo receptum
Faſciolis euoluens infantem igne, manuque
Blanda contrectans refouet quis & ô ſpecioſum
Forma præ natis hominum pulcherrime, quis te
Virgineóſque tuos artus, faciémque decoram
Cui ſacros oculis deitas afflabat honores
Cernere tradiderit: da lac, da balnea virgo,

Perſice

Digitized by Google

Perſic cætera vir, ita ſis poſt ambo legumen
Appoſitum ſumunt frugaliter, hymnis ab ore
Grato poſt reſonat, ſurſum frons corda leuantur
Secretum ſurgens hinc virgo cubile recepit.
Se ſuper oſtiolo clauſo ſcilicet & vacat orans,
Donec dormiatis cuius ſemper vigilat cor.
Quem prius ipſe Ioſeph blandum complexus adorat,
Dátque vale matri, ſeruatur ei locus alter,
Sedulus intrat ibi, primum orans deinde quieuit.
O quid ais nimias quærens ambitio pompas,
Splandida quotidie tibimet conuiuia magnas
Inſtructáſque domos, turbam multam famulantum
Te pudeat, te pæniteat, dum talia cernis
Parua crede domo minor eſt dolor anxietáſque,
Sed noſcitura placent placet inſaniúſque tumultus
Hactenus vna vice decurſa dies manifeſtat
Quid valeat pius in reliquis animus meditari,
Oro prænideat diſcrimina plura viarum.
Plures hoſpitibus fraudes, riſúſque malorum
Solerter mentis oculus, quò progrediendo
Plus ignota ſubit, plus horrida ſæuáque tellus.
O quotiens latro, quotiens ſitis, algor & ardor,
Atque fames potuit inopes vexare viantes
Amborum, ſed mens virtutis in arce locata
Deſpiciens ima, fugiens ad fœderis arcam
Veram non tipicam, te ſemper Chriſte petebat
Confugium, vt Moyſes, & libertatis aſylum.
Adde quod omnis eos acies comitata tegebat,
Terribilis virtutum donorúmque beata
Certa fides, ſpes firma, Dei dilectio pandens,
Sobria iuſtitia pollens, ſuper omnia fortis.
Quid quod diuinæ legis tu virgo canoros
Dulciſona poteras hymnos cum voce referre,
In non parua via ſolamina, cantica Syon
Nam ſimul his typicè poteratis vocibus uti.
Eſto peregrinis nobis cantabilis alma.
Lex domini reuelet quæ tædia dura viarum
Nam triſtes citius abeunt per inania curæ
Carmina dum diuinus amor modulatur amœna.
Ergo caligena miſeris mens aduena terris,
Sis pſaltes, facito, ſis odis debita diuis,
Non ita te totam terrarum carcere tetro,
Se poteris poſitam reputare ſereno
Corde pio, ſapiens tua deuotius meditetur
Virgo Maria, virgo data verba recepta viciſſim
Partem aliquam ſancti noſtras referatis ad aures,
Blanditias iunge pueri, formoſus, & ipſe
Iocundus ſolo aſpectu triſte omne fugabat.
Addideris quam multa Ieſu ſolamina præbet
Tota creatura, præmemorata beati
Primæuique ſtatus hominis dum cuncta fuere
Sub pedibus ſubiecta ſuis volucréſque feræque,
Imperio quamuis non ſæpius vtitur iſto.
Vtitur ipſe tamen, nam quadraginta diebus,
Noctibus & totidem legitur manſiſſe ferarum
Deſerto, ſocius eſſe cuiuſlibet expers,
Beſtia nulla ferox nocuit ſibi, tutus abundè
Iuſtitiæ dono primæuæ ſic fidei dat
Plurima virtutum doctus miracula Paulus.
Maiori ſuus eſt microcoſmus finis in orbe,
Dum mutatum homo mundus varietur oportet
Pro meritis varijs iuſtorum ſiue malorum.
Neque creatori famulantur cuncta creata,
Quando malis pœnas vult reddere præmia iuſtis.
Ergo certa fides & ſpes, oratio iugis,
Gratia quid diuina poteſt, tu mente capeſce,

Nam bonus & ſapiens factus dominaberis aſtris.
A Quid quod & ipſe Deus dat ſi tentatio ſurgit
Prouentum, Ioſeph hoc ſub imagine ſciſſe putetur,
Noctibus eſt vultu ſibi viſa virago minaci,
Spinoſum exagitans manibus de more flagellum,
Verberibus ſæuis ſemper torquere parata,
Ex re nomen habet tribulatio, ſerua tremendi
Iudicis hæc hominum cuſtos, dux atque probatrix
Pœnarum multa dextris & multa ſiniſtris
Turba comes, nemo tranſcurrere nomina poſſet.
Contremit ipſe Ioſeph, ſed mens interrita quærit,
Dic precor vnde venis, quo tendis, vbi ve moraris?
B Tres inquit, tecum comites habitare memento,
Prima fides, alia ſpes, tertia gratia quæ te
Triplici de dubio quod quæris certificabunt.
Viſio diſparet ad ſéque redit Ioſeph, inde
Lux oritur, ſurgunt, incedunt limite cœpto
Virgóque Ioſeph ſimul, Ioſeph omnia viſa recenſet,
Virgo Deum laudans, oculóſque ad ſydera tollens,
Sis benedictus ait, tentatio cui famulatur,
A te namque venit quaſi ſummi nuncia regis,
Ad te deducit, teſtis ſpes, gratia porrò
C Electas inter docet hanc habitare viantes
Suſcipienda pijs animis, tentatio namque
Eſt hominis vita, Iob iudice, militat ipſi,
Cedit & in varios fructus, & fine coronat
Vltima pœnarum, nam mors fera terribiliſque
Corporeos ſoluit nexus, & vincula carnis,
Spiritus vt liber petat alta palatia cœli.
Omne procul murmur pellant patientia foris
Certa fides & ſpes, & veri zelus amoris.
Quid fortuna vaga, quid inexorabile fatum
D Ponitur, omnia ſint à libertate ſupremi
Deductu arbitrij ſapienter & ordine recto.
Nec ſua libertas perit, hinc nec noſtra voluntas,
Cauſarum quia ſunt numero vel in ordine iunctæ:
Sed quia ſæpe latent cauſæ, fortuna vocatur
Terris omnipotens, & quod dominatur in omnes.
Omnia miramur, ſtrepitum trepidamus ad omnem,
At qui ſupremam domini cognouerit artem,
Omnipotens immenſa quod eſt, nec ſcibilis vlli,
Nil admiratur effectus dum videt imos,
Ni miretur cum res tam producere viles,
E Philoſophis & Theologis diuerſa notatur,
Et quaſi conuerſa ratio, nam philoſophia
Scandit ab effectu ſatagens cognoſcere cauſam,
Flectitur à ſummo, ſed theologia deorſum
Occurrit ſub ea nil mirum, nilque timendum.
Vera refers domina, vir ait, ſed credita paucis
Scis ſolet aduerſus dominum conſurgere clamor.
Quod labor eſt iuſtis, & iniqui pace quieſcunt.
Hoc fit clare Ioſeph, quoniam præſentia ſolum
More vident pecudum, quæ ſunt cæleſtia nolunt
F Cernere per fidei lumen, ſperare futura.
Adijce quod ſolitis naturæ legibus hærent,
Dicunt quod proprios curſus non deſerit vnquam
Gratia quæ præſit naturæ, quod dominatrix
Sit dux & rectrix eius, non mente capeſcunt.
Senſibus vtuntur ſolis, cum ſpiritualis
Regio nobilior ſit corpore moderatrix.
Continet infuſa virtutum hæc regio dona,
Gratia quæ format, quæ dirigit, aptet & ornat,
Dat motus agere quæ ſunt miracula nobis,
Naturæque vices vertit, ſic gratia dudum
Nonne maris rubri velut vtre coercuit vndas?
Manna pluit patribus, peruerſos terra dehiſcens

Abſorbet, proprias vires ſuſpendit & ignis,
Omnia quis numeret? natura eſt gratia victrix
Ut cithara nerui plectro moderante ſonori,
Plus-ve minus tenſi varias dant cernimus odas,
Vtitur haud aliter hoc toto gratia mundo,
Carmina dans rebus concentu harmonica mira
Finis habet ſummus vnum ſolidúmque tenorem
Poſtulat vt finis moderari cætera debent,
Cum ſit in humanis cæleſtis gratia finis.
Multiplici medio petit illum gratia ductrix.
Confiteor tentare Deum vult gratia nunquam,
Quod tentata nequit natura, hoc gratia ſupplet.
Spemque tibi de te dum deſperaueris affert,
Matris more ſuos erudit prouida charos,
Verbera multiplicat patrati criminis vltrix.
Juſtitiæ decus, vt peccati turpe reformet,
Aut vt præſeruet, auget quandóque flagella,
Sæua ne ſit pietas? quæ curans parcere perdit,
Exercet iuſtos tentatio pro meritorum
Maiori cumulo & ne gloria vexet inanis.
Hic Ioſeph, ô domina quæra tentatio ſi ſit
Utilis vt loqueris, quo pacto tot pereuntes
Cernimus aſsiduè per eam, primos ne parentes
Perdidit & tantis ſubiecit cladibus orbem?
Quomodo talia mens permiſit prouida ſummi?
Sed ſatis huiuſque dictum, decliuis olympo
Veſpera compellit recipi mox hoſpitio nos.
Plurima ſunt ſuper his alijs repetenda diebus
Doctus ſermo via reuelat fallitque laborem.
Omnia colluſtrans proprios reuolutus in orbes,
Sol reuehit repetitque dies, quibus alma Maria
Cum Ioſeph eloquitur noſtræ ſecreta Mineruæ.
Quæ Sion templo didicit quaſi Palladia arce,
Prodijt vnde noua toli lex poſteritati
Cordibus inſcripta, tabulis non ſculpta petrinis,
Quam docet explanans ſacra ſchola theologia,
Quæ licet immenſum ſit diuulgata per orbem,
Urbe tamen noſtra cumulo maiore reſedit.
Quam repetas lector, quia vult anguſtia metri
Tantorum arctari doctrinas myſteriorum,
Qualia virgo virum potuit docuiſſe viando.

DISTINCTIO SECVNDA.

POST iter emenſum duri multique laboris
De procul inſpicitur quæſiti terra Canopi.
Hinc horror ſubitus amborum corda pauorque
Concutit, ipſa licet mens inconcuſſa reſiſtat.
Vir prior alloquitur ſponſam, cognoſco decora
Quis ſis ô domina, gens iſta libidine feruens,
Fædis vrgetur ſtimulis, ſi ſciuerit vxor
Quod mea ſis, mihi quid niſi mors ô virgo paratur,
Atque pudicitiæ tibi diſcrimen? Pharaonis
Ducet ad aſpectum mox te manus improba ſerui,
Sors indigna nimis, nos ô tibi quid faciemus
Blande puer fugimus ne te vnum perdat Herodes.
Deſerimus dulcéſque lares charóſque propinquos,
Ecce quod irruimus in tanta pericula ſoli
Ignoti atque inopes, linguæ ignari, Deus alme
Nobis quid facere voluiſti? quæſo Maria
Filia dic mea ſis, hoc ætas credere verum
Suadebit? reliquum auxilio committo ſuperno.
Iure quidem dilecte Ioſeph nobis ita ſemper
Sperandum ſicca lachrymas trepidus pauor abſit
Virgo refert, nonne memori nos mente tenemus
Ætatis priſcæ miracula, qualiter Abraham,
Qualiter & Saram dominus ſaluauit & auxit,
A *Eſt oportuno protector tempore ſummus.*
Omni corruerant Ægypto vana deorum
Nuper portenta, venturum ſic Eſaias
Prædixit, ſignum quoque virginis hoc paritura
Carmina Memphitum ſeruabant addita vatum.
Tale fuit templi pacis tibi Coma ruina
Prodigium, æterna firmum quod ſede putabas.
Emotis igitur ſimulachris hinc Pharao rex
Hinc in ſe Memphis, fas credere, tota mouetur,
Plurimus hinc aditu explorator quolibet aſtat,
Inuigilans gentémque locúmque requirere ſolers,
B *Dum penetrare ſuos aliquis vult aduena fines,*
Scire volens vbi nam virgo peperiſſe refertur.
Eminus inſpiciunt ambos te virgo virúmque,
Cum puero properant occurrere protinus alter
Cernit in alterutrum, fit ſermo mutuus, ipſis
Nutu correptis diuino, ô quam ſpecioſa,
Quam ſpectabilis hæc & quam formoſa puella
Diuini vultus, quam vir comitatur honeſtus.
Pone metum domina, dixit cui copia fandi
Prima fuit, faciem regis viſura beatam
C *Te reputa, tantum dic qua regione veniſtis*
O bone vir, coniunx ne tua hæc, vel filia, fare
Quis pater infantis, qui formoſiſsimus alto
Sanguine ſe natum, vultus ſplendore fatetur.
Pauca Ioſeph gratáque refert doctiſsimus heros:
Vobis Memphitici nullas impendere dignas
Sufficimus grates, quorum dignatio tantum,
Pandit in occurſu primo ſolamen opémque,
Iſrael à terra, nos ſors infeſta coegit.
Has oras petere infelix quam cernitis huius,
Infantis mater mihi filia ſola relicta eſt,
D *Namque pater pueri reſidet regione remota.*
Fama loquar aulam regis citó garrula totam
Ægypti impleuit celebri veniſſe puellam
Vrbe Hieroſolyma, cuius decor atque venuſtas
Tanta erat, vt nil ſupra, cætus clamitat omnis.
Ergo ſtatim veniat, veniat, videatur, adoret
Regem, ſitque ſuis vxoribus annumerata.
Vrbis in ingreſſu certatim cura videndi
Conglomerat populos, variant hi verba viciſsim,
Hi nutus, ad regem alij comitantur euntes
E *Coram quo poſiti, tu virgo, Ioſephque, puerque*
Poplitibus flexis ſolitos defertis honores.
Sic licet idolatra, ſit flagitioſus, in ipſo
Solus adoratur Deus à quo cuncta poteſtas.
At rex contemplatus eos, interprete lingua
Multa petit, cauſáſque viæ, ſortem, genus, ortum,
Si qua præterea virgo peperiſſet Hebræa?
Virgo licet demiſſo oculo, verbum capit heros
Grandæuus, ſanctúſque mouet ſua ſpiritus ora:
Rex in ſempiternum viue, ſalus tibi, qui nos
F *Afflictos, inopes, oculo ſpectare benigno*
Dignaris, tua ſit qui condidit omnia merces.
Eſt nobis ô rex tellus Galilæa propago
Fertilis & diues, fuit in qua nobile regnum,
Reges inſignes, ſed nil mortalibus vſquam
Tutum vel ſtabile eſt, alienigeno dominatu
Nunc premitur, dicunt tamen his oracula vatum
Regem venturum priſcorum ex ſanguine regum,
Quorum præcipui Dauid & Salomon numerantur,
Quos genuere patres Abraham Iſaácque Iacóbque
Hæc cui prædiues olim fuit hoſpita terra.
Ad ſortem, ſed rex venio quæ compulit iſtam,
Et me cum puero fugitare ferocis Herodis

Imperium,

Digitized by Google

Imperium, qui cuncta timens deſæuit in omnes,
Et modò dum regnet confundit fáſque nefáſque.
Huius obinde pater infantis cedere iuſsit
Hanc miſeram, me dans comitem, parere moleſtum.
Sed quid non pietas valet extorquere paterna?
Aufugimus noctu per totum diſcrimina rerum,
Tot varios caſus, Deus huc nos appulit, ô rex
Ergo tuum per ſceptrum & maieſtatis aſylum,
Regia per ſi iam clementia capit egenos
Atque peregrinos mitti tractare fauore,
Rex fer opem profugis, petit hanc infantulus iſte
Cum gemitu, petit hanc noua nupta puerpera pauper.
Nulli nos erimus oneri, panem neque gratis,
Sed partum proprijs manibus quæſiſſe voluntas.
Tam nitidè lachrymas percuſſa mente dederunt
Rex iubet, exemplo detur domus & locus aptus.
Nil durum fiat, vis nulla, iniuria nulla,
Porrò memor repetit, partus ſi virginis vllus
In Iuda fuerit? ita verbum temperat heros,
Vt neque ſcire neget, neque ſe cognoſſe reuelet.
Nuper ait varius ſuper hoc rumor fuit ortus
Vrbe Hieroſolyma, ſcribarum turba ſacrorum
Cauſa fuit, relegens vatum reſponſa ſuorum,
Tempus eis dubium, ſed præſtolatio certa,
Offert ſceptrum rex tangendum, munera donat,
Imperat vt ſurgant, deducantúrque domum, mox
Aulica tota cohors reſonat, plaudit, benedicit,
Implet iuſſa libens, regem collaudat ouanter
Cum fremitu vario, Ioſeph admiratur ab iſto
Facundus, laudat alter ſpeciem mulieris,
Alter compatitur puero blando atque decoro.
O pater omnipotens quis non ſperauerit in te,
In cuius ſunt corda manu regúmque hominúmque.
Quò vis inflectens ea, rex en lubricus, aſper,
Plebs incompoſita, fugitiuos ſuſcipiunt, &
Aſpiciunt gratis animis, tractántque pudicè,
Hoſpicium præbent, quo tu te virgo receptas
Cum ſponſo & puero, pro ſeruo cedit aſellus,
Ligna cibum, menſam vir præparat, at pia mater
Infantem lactat, euoluens balneat, inde
Cuius aptatus dormit, quas tempus in iſtud
Dant laudes penſa, quotiens ô corda leuarunt
Cum manibus domino poſt tanta pericula tuti.
O quotiens vertunt ad templum Sion ocellos,
Sic Salomon docet, hoc Daniel Babilone peregit.
Quiſquis es ad ciues patriæ cæleſtis anhelans,
Sic age, ſic retinens meditare quod aduena tu ſis
Exemplum tibi ſint Chriſtus, Ioſeph atque Maria,
Fortibus omne ſolum patria eſt, vos viuite fortes.
Poſtea lux oritur, ſurgit Ioſeph officioſus
Mox intrat venale forum, ſibi comparat apta
Inſtrumenta quibus vti conſueuerat, artis
Namque fabrilis erat in ligno, femina fortis
Quæſiuit lanam & linum, vicinia tradit
Vt paret, inque filios ſubtiles protrahi: inde
Textrino mandet operi doctiſsimus artis
Virgineus digitus, domus otia nulla recepit,
Tranquillus paſcit labor ipſos, liber, honeſtus
Qui benedici vult, qui manducare laborat,
Omne cor inficiunt, occidunt otia pigrum.
Creuerat ipſe Ieſus, binos euaſerat annos,
Mater ei tunicam polimitam neuerat, & iam
Stare licet tremulo poterat pede verbáque grato
Nondum perfecta balbutit lingua ſuſurro,
Suauior hinc multo blanditur vtrique parenti,
Arridet, ruit in vlnas, gremióque locatur,
Brachiola attollens vult nectere colla parentum,
A *Amplexu tenero vult oſcula figere caſta,*
Inſerit atque manum manu tibi virgo Ioſéphque,
Pérque domum ſequitur hunc & te diſpare paſſu,
Quæque videt mirans ſciſcitatur vt omnia noſcat,
Fortè interturbat veſtrum quandóque laborem,
Penſa colum calathos, ſerras, paruáſque ſecures
Contrectans vltro ve petens ſeſe baiulari.
Dixerit hoc aliquis totum puerile relatu
Nullo, ſed riſu dignum, puerile fatemur.
Sed puerile Dei, ſed ſtultum, & debile maius,
Fortius & ſapientius iſto eſt, credite mundo.
B *Nil duro corde peius, nil tetrius, at quid*
Maiori pietate facit, moleſcere corda,
Quam dum certa fides cernit pueréſcere ſummum
Propter nos homines miſeros noſtrámque ſalutem?
Vult ſimilis fieri nobis, vult ſit puero par
Scandere qui ſatagit cæli faſtigia paruus.
Innocuus, purus, humilis, ſuper omnia ſimplex.
Infantes quaſi nunc geniti lac poſcite, nempe
Lacteſcit vobis virtus, ſapientia vita.
Iam puer ipſe Ieſus numeroſis integra format
C *Verba ſonis, iam cum paribus colludere geſtit*
Cum pueris puerit, ſimilis ſimiles ſibi quærit.
Inter ludendum puer vnus corde maligno
Improperat tibi forte Ieſu, miſer aduena quod ſis
Ignotus, patriámque patrem qui dicere neſcis,
Dat palmam tibi, das maxillam percutienti.
Flens redis ad matrem, gremio te blanda receptans,
Cur ploras? quid habes interrogat, oſcula iungit,
Exſiccat lachrymas, animus ſi mater amarus
Sit mihi, quid mirum, proprium quid neſcio patrem.
Nec patriam, ſi vera mihi nunc improperantur.
D *Ergo Ioſeph ne pater mihi? nonne hæc patria nobis?*
Mater ad hæc ſtetit immoto vultu ſine voce,
Secretum cordis intrans, multúmque diúque
Secum confert, ſi vel quid reſpondeat ipſe,
Qui nihil ignorat, cum ijt verba caro factum,
Cunctantem puer amplius ad reſponſa perurget
Non quod neſcius eſt, verum experientia certos
Ferre modos poterat, humano more ſciendi,
Sic didicit pœnas opprobria, vulnera mortem,
Plurima ſic vult affatu cognoſcere matris.
E *Ergo rogat totus matris ſuſpenſus ab ore,*
Os reſerat tandem ſuſpirans talia fatur.
Heu mihi care puer ſentis iam probra, dolores,
Pœnas immeritus deplorans hoc Hieremias,
Et probris inquit, ſaturabitur, heu mihi fili,
Crimina iam noſtra defers noſtróſque reatus.
Suaue fuit pomum vetitum quale Eua momordit,
Sed tibi qui non peccaſti nimium ſit acerbum,
Chara luis proles quod commiſcere parentes,
Et quia vis fili, prima ſub origine rerum
F *Altius exorſa repetam quæ mente reponas.*
Principio cælum, terras Deus ipſe creauit,
Spiritus Angelicus nullo cum corpore merſus
Protinus impleuit cælum, poſt quinque diebus
Corpora diſtinxit ornauitque omnia librans
Pondere, menſura, numero, digitis quaſi ternis
Namque potentia menſuram, ſapientia rebus
Dat numerum, bonitas cunctis ſua pondere reddit
Sic ſpecies, modus, ordo, Dei veſtigia ſignant.
Hunc ex quo, per quem ſunt in quo cuncta creata,
Hinc mirum molitur opus, deliberat ambas
Nectere naturas, fit homo deitatis imago
Pulchra minor mundus natura nullius expers,

Digitized by Google

Mens regit organicum corpus ratione capaci.
Quæ contempletur vultu cæleſtia recto,
Libertate potens æterna fortis orizon.
Iuſtitia pollens, quæ ſpirituale quietè
Regnum hominis poterat ſeruare ſub ordine pulchro.
Callidus inuidit ſerpens, à dæmone cuius
Lingua mouebatur, fili dæmon fuit olim.
Angelus omnino pulcher, qui ſcandere montem
Dum vult aſsimilans alto ſe mente ſuperba.
Corruit hinc ſibi ſit mens conturbata furore,
Liuore ac odio vult extolli ſuper omne
Quod Deus eſt ac dicitur, hinc mors venit in orbem,
Primum peccarunt, hoc decipiente parentes.
Vult homini vitam quam perdidit ipſe patere
Omnes membra mali ſua ſunt, omnes & iniqui,
Per quos inſequitur iuſtos, conturbat & angit,
Te petit ex cunctis, ô quot pueros per Herodem,
Iam dedit innocuos ferro gladióque necandos,
Quot tibi præparat inſidias, tentamina, fraudes!
Retur enim timidus, nec fallitur affore tempus,
Quo generi humano pandetur porta ſalutis,
Captiuis miſeris ſpecioſa redemptio fiet.
Heu pretium tua mors erit ô ſacratiſsime fili.
Horriſonum ad mortis nomen concuſſa dolore
Virgo flet atque gemit, rupit plangore querelam.
Porro tuum mox alme Ieſu cor pulſat acerbus
Hic matris dolor & diræ præuiſio mortis,
Mens immola manet, lachrymæ voluuntur amare.
Qualiter hoc fieri valeat conquirere dignum
Spiritus & ratio ſunt, ſi diſtinxeris aptè
Senſus, & infanti, deitas ſimul, ergo voluntas
In Chriſto quadruplex fuit, in diuerſa moueri,
Non aduerſa ſolens, nam ſpiritus & Deus vnum
Semper idémque volunt, animæ verò inferior pars
Et ſenſus ſubſunt paſsiuæ conditioni,
Mortalis noſtræ fortis miſeræ, inde ſumuntur
Naturæ in proprios motus ſe ferre licenter
Hinc ſperat, metuit, gaudet, dolet iſte beatus
Infans ex vtero non cogitur, hoc facit vltro.
Dum videt in puero lachrymas modo virgo decoras
Vberior gemitus pia viſcera torquet & angi.
Forte Ioſeph rediens operis precium referebat,
Senſit in ingreſſu primo lachrymas vtriuſque
Sic facies, ſic vox, ita geſtus ſignificabant.
Omnia ſic didicit tandem referente Maria,
Acriter ingemuit & flens cum flentibus inſit
Æquo ſors animo quæcumque ſit vſque feratur
Incola dum ſic vis Deus hæc nos terra receptat,
Expedit hoc dilecte Ioſeph patientia cuſtos
Optima virtutum meritis diteſcit opimis.
Incipit hanc monſtrare viam puer indole prima.
Fors aliquando Ioſeph miſcet dum verba coæuis
Edoctis grauibúſque viris, grandæuior vnus
Intulit annales ſimilis tibi nominis hoſpes.
Hic referunt vnum priſcis habitaſſe diebus
Cuius prouida mens magnam eſt operata ſalutem
Ægypto toti, natus de gente tuorum,
Alter vt inſtructus erat aſtris forte Mariam
Dum gremio puerum geſtare, Ieſúmque vocare
Viderat, & quod erat prolixi virgo capilli
Munda, decens meminit aliquid de virgine ſigno,
Quale ferunt alta cæli regione videri.
Quid ſuper his dicet Ioſeph expectant remoratus.
Ille parum, tandem ſapienti protulit ore.
Clari Memphitæ, mihi ſemper iure colendi
Hoſpes enim tractor tanquam ſim ciuis apud vos,
Geſta Ioſeph cuius meminiſtis ſcripta tenemus,
A *Legifer edocuit Moyſes ſcripſitque quod iſtum*
Progenuit Patriarcha ſenex Iacob, ampláque fratrum
Turba ſibi fuerit, ſed amabilis ille parenti
Plus alijs, liuor fratres conuertit in hoſtes,
Somnia quæ retulit odij fomenta dedere.
Nam prætendebant dominum Ioſeph eſſe futurum,
Sicut erat fraterna cohors molitur amaram
Mortem, ſed voluit aliter mens prouida ſummi
In cuius ſunt corda manu quæ ſingula vertit,
Finis ad obſequium primo quem vidit ab æuo.
Venditur ergo Ioſeph dominus ne fiat, & ecce
B *Fit dominus varia per tentamenta probatus,*
Tetragono fultus virtutum, iuſtus in omnes
Res domini, caſtus domina ſuadente nefandum
Concupidum, fortis quia contempſiſſe furentem
Suſtinuit, prudens quia ſomnia clauſa reuelat,
Septemnique fami condit frumenta futura,
Iudicat Ægyptus quod ſit ſaluatio mundi,
Mutato ſed rege capit reſpublica motum.
Nam Ioſeph hic tantus, tantum veneratus, & omnes
Promeritus laudes, oblitus poſteritatis
C *Excidit à corde, pertranſeo plurima tandem.*
Nos de gente ſua dominus ſic iuſſerat, oras
Iudææ petimus, deſerto lege recepta
Per prius in Sina Deus vnicus eſſe colendus
Traditur, & nobis fieri ſimulachra vetantur,
Aſtra nec vlla coli ſolum veneramur amantes.
Plures eſſe Deos hoſpes nolito negare
Mox dixere ſenes, memorant Apis Iſidis aras,
Idola multiplici confirmant numine plena
Mira quidem facere, prædicere ſæpe futura,
D *Sontes punire, cultoribus auxiliari.*
Vana ſuperſtitio quod Apis veneratur & Iſis
Ille refert ſtatus dæmon ſe miſcet in iſtis
Vltro, nec vt fingit eſt vllo carmine tractus,
Eſt equidem liber vult diuinos, ſed honores
Inde ſibi tridui vult veſtræ illudere genti,
Dum miranda facit ſignis fallacibus vtens.
Porrò quod cælis vos dicitis eſſe figuram
Signantem partum cuiuſdam virginis olim,
Nil cæli libris conſcriptum tale putetur.
Ordo namque duplex rebus fuit inditus, vnus
E *Naturæ ſeruit, de quo fateamur oportet,*
Quod ſcriptus cælo eſt voluit mens prouidæ ſummi
Temporibus ſibi complacitis ſeruare patranda.
Supra naturæ ſolitas miracula vires,
Quæ cælum neſcit, nec cælis inditus ordo,
Credite tempus erit, nec tardum è virgine natus
Quando patebit homo, cuius ſe ſubdere legi,
Ægyptus tota volet, expulſis ſimulacris.
Iam nec Apis, bos, nec mulier venerabitur Iſis,
His ſuper atque alijs docto ſermone putandum eſt
F *Diſſeruiſſe Ioſeph de vera religione*
Cum ſenibus Thanaos, ſed nec te virgo beata
Septenni toto cum vicinis ſiluiſſe
Crediderim, ſed eas de lege ſacra docuiſſe,
Quæ ventura forent & quæ credenda tenerent.
Vnde probabile ſit multos ad ſuſcipiendam
Diſpoſitos tunc eſſe fidem dum fertur ad ipſos
Poſt mortem domini poſt te Iudæa relictam.

TERTIA DISTINCTIO.

DVM *voluit puerum Deus Ægypto reuocare*
Iuxta vatidicas voces, prius ipſe reuelat

Myſterium

Myſterium tibi iuſte Ioſeph, iam tertio ſomnis
Angelus apparens denunciat, accipe matrem
Cum puero, terra rurſus repetatur Hebræa.
Mors etenim rapuit puerum qui morte parabant
Perdere, conſurgit lætus mox viſa reuelat,
Læta fuit coniunx, lætus puer, haud ſine quadam
Triſtitia, notos etenim iam linquere mæſtum
Sanguinis ac patriæ, tum eſt vis ſuauior intus,
Tum diſceſſuros triſtis vicinia viſit,
Portantur maneant ſecum, nil deforè ſpondent.
Dum nequeunt retinere, diu comitantur euntes,
Interualla viæ dum cogunt longa reuerti.
Tunc mixti gemitus, plangor lachrymæque viciſsim
Plurima ſuſcipiunt, redduntque vale, ſociantur
Dextræ cum dextris, amplexus oſcula gratis
Qualia dant animis nemo proferre valebit.
Quis tibi ſeptenni puero modus ingradiendo
Tunc fuerit dubium eſt, baiulandus vtrique parenti
Tu non appares ſat idoneus, aſpera ferret
Quomodo longa viæ diſpendia pes tener, atqui
Non aſino tua membra ſatis ſuffulta locares
Curriculus ne vehit, forſan te virgo Ieſúmque
Conſcius in quales modo vir fabre fecerat vſus,
An ſuper ætatem diffundit gratia vires
In corpus, vel iter peragat breuiore diæta
Virtus Angelica, nec deeſſe miniſtra putanda eſt.
Quis dederit peregre tales vidiſſe viantes,
Alloquióque frui? facundia quem ſatiaſſet
Grata Ieſu? puerilis nam ſolet ætas
Promptula velle loqui quicquid non antea nouit.
Si videt aut audit ſyluis vel in aere pictas
Dulciſono volucres modulantes gutture voces,
Si grandes aquilas aut ſi qua ſaltibus amplis
Beſtia conſpicitur vel reptile, ſiue decoris
Floribus ornatos vidit ſplendeſcere campos,
Tempore vel pluuio formoſum fœderis arcum
Cuncta velut mirans ſciſcitatur vtrumque parentem.
Multa ſibi ratio quærendi vult puerilem,
Et veram carnem ſe ſuſcepiſſe videri,
Vult ex ſenſatis ita commonuiſſe parentes,
Ad inſenſata ſublimi corde petenda
Exterius quærit, ſed ſolus perdocet intus.
Tandem poſt caſus multos varióſque viarum
Incolumes doctore Deo terram Iſraël intrant,
Audito vir quod illic Archelaus hoſtis
Regnaret, timuit illo ire, petit Galilæam
Se ſedens ita commonitus per ſomnia rurſum
Angelico alloquio, iam tandem proximus fit
Nazareth opidulum, veluti in caligine quadam
Cernitur, an noſtram fili dulciſsime villam,
Protendens illac dexteram faciémque retorquens
Ad puerum mater gaudens ait, hæc tibi lætum
Florentémque dedit ortum, florentis obinde
Hoc eſt Nazaræi præſaga vocabula ſumes,
Applaudit manibus hilaris, geſtúque reuidet,
Gaudet & ipſe Ioſeph, ſalue dulciſsima tellus
Protulit illachrymans grandi pietatis amore,
Salue noſtrorum cognatio ſancta parentum.
Qualis verò fuit generatio talis habemus
Anna ſacerdotum ſacra, de ſtirpe refulgens
Bethleemita fuit, ipſi Ioachim ſociatur,
Regia cui ſeries dedit, & cui Nazareth ortum,
Anna licet primo ſterilis, tamen ipſa Mariam
Poſtea: ſic voluit virtus diuina, beato
Germine progenuit, ablactámque reliquit
In templo Sion, ſacra de lege docendam,
Annáque poſt mortem Ioachim, nupſit Cleophe, qui
A Frater erat tibi iuſte Ioſeph, ſponſare Mariam
Iſque tibi voluit Anna de coniuge natam.
Ex Anna Cleophe fuit orta ſecunda Maria,
Virque Thadeus ei fertur genuiſſe quaternos.
Hi Iacobus minor atque Ioſeph cum Simone Iudas
Qui fratres domini, quia cognati, vocitantur
Ex Anna Salome rurſus vir tertius vnam,
Tertia quæ ſubijt fertur genuiſſe Mariam.
Ex qua tu Iacobe maior, tuque virgo Ioannes,
Fratres exorti Zebedæo patre fuiſtis,
Frugalem quibus ars dat piſcatoria victum,
B Tale fuit tibi Chriſte genus Ioſeph atque Mariæ,
Non dubium pluries alijs pars mortua parſque
Tunc nondum exorta, nec villula protulit vna.
Lætior occurſu primo plebecula clamat
Cum puero veniſſe Ioſeph, veniſſe Mariam,
O qui complexus, quæ gaudia, quot lachrymas hic
Exorſit pietas, ſternunt conuiuia, plaudunt,
Totus & ipſe dies vario ſermone repletur.
Quale peregrinis iter obtigit, hoſpita tellus
Septenni toto, quali ſub ſorte peracta eſt,
C Conquirunt, pariter miſcent reſponſa viciſsim.
Sero domos repetunt, laus & benedictio poſtquam
Reddita grata Deo, deuoto corde, pióque.
Digna peregrinis datur hic ſpeculatio nobis
Qui patriam petimus cæleſtem, quantus adepta
Cordis dulcor erit, qualis iubilatio mentis,
Quantus & applauſus cunctorum illic habitantum.
Plurima credo Ieſus fecit, fecere deinceps
Conuictu caſto iuncti Ioſeph atque Maria
Quæ non ſunt ſcripta, non totus (credo Ioanni)
D Scribendos caperet mundus per ſingula libros.
Nil ſuper ignotis igitur meditatio noſtra
Affirmet temerè ſola, ſuffecerit vti
Coniecturarum topica ratione modeſtè
Ex ſcriptis inferre poteſt, non ſcripta, pia mens
Cum ſtudio, ſic certa fides incerta reuelat
Qualia ſunt acta, vel quæ fieri potuere.
Credis quod puer iſte Ieſus, Deus eſt benedictus?
Fœmina materno regit ipſum iure, Ioſephque
Vir ſuus eſt, credis quod vir caput eſt mulieris?
Quanta putas ex his, & quam miranda valebit
E Contemplatiuus animus deducere ſolers.
Vt ſuus affectus ſancto rapiatur amore,
Mens quoque ſuſpenſa in ſpectacula tanta ſtupeſcat.
Vrbe Hieroſolymæ feſtiuum paſcha quotannis
Venerat aſcendunt illic vtrique parentes
Cum puero, certum hoc legitur luſtriſque duobus
Binos addiderat Ieſus annos, quando remanſit
In templo, medius doctos interrogat omnes
De ſacra lege, ſua ſunt reſponſa ſtupori.
Inuentus redijt, ſubiectus vtrique parenti.
F Ex his fas fuerit paucis deducere multa
Qualia non credit, ſed nec reprobare neceſſe
Si ſubiectus erat vt erat tibi virgo Ioſephque
Chriſtus, quid ſibi vult oro ſubiectio talis?
Obſequium nonne vobis præſtabat? verùmque
In medio veſtrum ſicut qui ritè miniſtrat,
Sæpe focum, crebróque cibum parat officioſus,
Vaſa lauat, baiulat vndam de fonte propinquo,
Núncque domum ſcopit, paleas vel aquam dat aſello,
Vicinis fert matris opus quod texuit ipſa
Exercenda datur ars crebrò paterna fabrili
In ligno vario, fuit hinc faber ipſe vocatus,
Fiſſile per lignum trahitur dentata viciſsim

Digitized by Google

Serra, forant ſcamnum terebro, planántque feneſtras,
Linea caſtigat vel regula, quæque videntur
Aſpera nec directa ſatis, fiunt tripodéſque
Cum menſis, arcæ, currus vel aratra, quadrigæ,
Nauiculas forte quæ ſint piſcantibus aptæ
In ſtanno Genezar, mare cui nomen Galilææ
Compingunt, pix linit eas, liquidumve bitumen,
Cum muſco & clauis partes iunguntur hiantes,
Cum puppi clauum, cum malo vela coaptant.
Talia qui recolis, quò plus ſeruilia, plus ſunt
Myſterio plena, Chriſti dignatio quantum
Pro nobis fuerit, humana benigna patenter
Inſinuans pudeat igitur, pigeátque ſuperbos
Horrori quibus eſt hominum labor, otia ſummum
Qui decus eſſe putant, qui liberatis honorem
Si ſine ſudore vultus iam pane fruuntur
Emendicato præſertim fraude doliſque.
Inuenit quandóque Ieſus ſolum ferientem
Sabbata dum ſeruat patriæ, dum clauſa ſeorſum
Virgo manens orat, blando puer intulit ore.
Mi pater oro, tuum neu me celaueris ortum
Et genus & vitam, gaudet grandæuus, & ipſum
Mox puerum rapit in vulnas, gremióque reponit
Fili, patre Iocob, Cleophas & ego generati
Carne ſumus legalis Heli dictus pater, ob quod
Ex vxore ſua frater dederat ſibi ſemen.
Lex etenim fieri ſic promulgata iubebat.
Porro Iacob rex illuſtris Dauid ordine longo
Progenuit, Dauid ex Abraham natus patriarcha eſt,
Longa licet ſeries interfuerit mediorum,
Iſtis à domino dudum promiſsio facta eſt,
Ad benedicendas in eorum ſemine gentes,
Iſrael & totus erit hoc in ſemine ſaluus,
Inſtruor à puero ſacræ dinoſcere legis
Iuſtitias, præcepta ſimul dominum reuereri,
Hunc vnum colere, fugere idola, cuique benignúmque
Qui mihi proximus eſt, atque æquum reddere fratri
Inculcant mihi crebro pater, mihi talia mater,
Cum Deus eſt ſolus, ſolus timeatur, ametur.
Cum verax, eius in vanum ſumere nomen
Noli, cum bonus eſt, facito ſibi ſabbata ſoli,
Tu venerare patres, non occiſor, nec adulter
Nec fur, nec fueris mendax, ambire caueto
Vxorem, res, ancillam, quæ ſunt aliorum,
Eſto ſorte tua contentus, diſce labore
Viuere de proprio, totum committe te Deo,
Aduena ſic poteris vitam ſperare beatam,
Promiſſam patribus Abrahámque, Iſaácque, Iacóbque,
Atque Dauid, clara de quorum ſtirpe refulges.
Cereus atque recens animus dum pectore puro
Verba ſigillatur ad talia, mox ſibi totus
Vileſcit præſens mundus, cæleſtia captat,
Sperne iocus fili, luſus & ludicra, blandas
Illecebras, & vt ipſe vides inſiſto labori,
Oro frequens, dum grandis in his adoleuerat ætas,
Hanc vitam noſtram mirans cognatio dicit.
Eſt ducenda Ioſeph (ita lex te petit) vxor
Sic petimus, tua gens patrio de more Dauidque,
Regia nobilitas vult hoc parere neceſſe eſt,
Aduerſor, refugit animus molleſcere tactu
Fœmineo, cupit amplexus caro, nec mea tales
Fingere me plebs iſta putat, neſcit quod amænus
Spiritus vt guſtatur, ei caro deſipit omnis,
Cælebs ergo diu mea ſat mihi vita placebat,
Inuidia nec erat fratris mei vita mariti,
Non homini ſemper licet vt vult eſſe fatebor
Chare puer, ſponſam domino mandante Mariam
A *Iure mihi dominam, tibi matrem conſociaui.*
Nec doleo, reliqua per eam nouiſſe licebit,
Ore puer blando petit, inſtat vt omnia narret.
Cernitur interea thalamum reſerare Maria,
Tota ſibi facies fulgore nitebat honoro,
Difficile eſt cor deuotum non prodere vultu,
Lumine cor diuo plenum, fortis emicat, inſtar
Lampadis accenſæ, Moyſi teſtis faciès ſit,
Illi aſſurgit vir reuerenter, eámque locauit
A dextris capit ipſa Ieſum, medióque reponit
Sermones veſtri qui ſunt, interrogat, audit,
B *Sicque refert, nunquam fili diuine cupiui*
Virgo virum, ſed cur fuerim ſponſata petenti
Vera tibi referam, quorum iam conſcius eſt vir.
Vrbe Hieroſolymis in Sion vertice templum
Ponitur, eſt illic tam ſedes regia, quam lex,
Sancta parens iſtic me tradidit erudiendam,
Virginibus ſocians alijs de ſemine regum,
Deque ſacerdotum, ſic mos inoleuerat, ipſas
Sanctius in templum nutritum iri dare, quare
Meſsias quod erat tali de ſtirpe creandus,
C *Tempora partimur, cedit pars vna labori,*
Nere labor noſter, varias & texere veſtes,
Sacra ſacerdotum geſtamina, cuique dabatur
Biſſus, bis tinctum cocum, linum ſericúmque,
Pars cognoſcendæ ſtudio datur altera legis,
Obſcuras vatum & ſacras reſerare figuras,
Orando pars vna venit, pſalmiſque canendis
Indulget tempus reliquum ſomnóque cibóque.
Templo ſancta frequens, affinis Elizabet, almus
Virque ſuus, ſteriles ambo, me viſere crebro,
D *Me multo doctóque ſolent ſermone monere,*
Filia tu noſtræ ſtirpis clariſsima proles,
Fac vt eam pulchra virtutum nobilitate
Exornes, ſis noſter honor luménque decorum,
Nos ſteriles (ita iuſte Deus vis) cernere fructum
Da nos ex iſta benedictum poſſe puella,
Cuius ſis rector, cuſtos, inſtructor, amator,
Verba ſacerdotes, alij ſcribe, ſenſores,
Vt, Symeon iuſtus, octogenaria ſanctis
In viduis Anna, nobis inferre ſolebant,
Talia non nuptis in laudem virginitatis
E *Credite vos vates, Eſaias præcinit, ecce,*
Virgo concipiet, pariet puerum, ſibi nomen
Emanuel, quod nobiſcum Deus inſonat, hoc eſt
O ſi talis erit inter vos virgo reperta.
Vt faciat aurora conſurgens humida rore,
Garritu vario cæli reſonare volucres,
Nam vitæ fontem præſaga voce ſalutant
Vicinum ſolem, qui dat cantus numeroſos,
Cæleſtes homines ita, complet mox oriturus
Iuſtitiæ ſol, à quo vita nouabitur omnis,
F *Inde tot audire eſt diuorum carmina vatum.*
Talibus accenſa monitis propono manere
Virgo, Deus ſi non aliud decreuerit, hinc iam
Horreo miſceri ludentibus, horreo quicquid
Turpe loqui, quod vel geſtu vel dedecet actu.
Nobilis at poſtquam nobis aduenerat ætas.
Virginibus de ſtirpe ſacra, nos nubere cogit
Cura ſacerdotum, maledictam lege loquuntur
Iſrael in populo, niſi ſemen liquerit vllum.
Quid facerem? quæ verba darem? committo ſuperno
Me totam arbitrio, ſpes hæc mihi ſola relicta eſt,
Cumque timore Dei conſentio ſumere ſponſum.
Traditur ipſe Ioſeph coniunx, qui moribus vltro

Conſonat

Digitized by Google

Conſonat rectè meis, ſancto caſtóque pudore.
Antea notus erat propter genus, & quia feſtis
Ut mos, me templo veniens ſermone fouebat.
Plurima reſtabant vt eas exponere cauſas
Coniugij talis, cum virginitatis honore
Myſteriúmque ſacrum, Gabriel quod miſſus ab alto
Nunciat, & quod iuſte Ioſeph ſomnis didiciſti.
Forte ſuperuenit extraneus, ac ita captum
Rumpitur alloquium, ſed id infra littera ſupplet
Ancillans phreneſi cui conſonat allegoria,
Moralis ſe iungit eis ſimul anagogia,
Nunc illa ſolers, nunc has ſecernito voces.

DISTINCTIO QVARTA.

MOS apud antiquos pro religione verenda
Creuerat iſte patres, dum ſponſo ſponſa daretur,
Antea quam celebri fierent ſolemnia ritu
Fædera coniugij, mora temporis vna fluebat,
Qua ſponſa, mores ſponſus dinoſcere poſſet,
Hiſque Dei poſſent interpellare diebus
Numen & auxilium, digna pro prole futura,
Próque diuturno conuictu pacificóque,
Tobias hoc ſacra, ſimul fecere minores,
Hoc tu clare Ioſeph, hoc docta Maria ſciebas,
Hinc templo ſponſata prius, poſt tecta ſubintras
Nazareth ad chari pia contubernia ſponſi,
Diſcreti vobis thalami, tunc conuenientes
Dum cibus accipitur, domus aut diſponitur intra
Dum ſimul alloquia cordis deuotio miſcet.
Sæpius incluſa tamen oras virgo Maria,
Tecum habitans, tua ſit vt conuerſatio cælis.
Vernum tempus erat, quidam bis quarto Calendas
Signant Aprilis, quo veſpere paſcha colebat
Iſrael, vt dicunt virgo diuinius intrat
Mentis in arcanum, ſuſtollit ſeque ſuper ſe
Alta ſuperrapitur, cælos ſupereuolat omnes,
Cuncta creata ſilent, fruitur caligine diua,
Nullum interturbat tantam phantaſma quietem,
Excedit mens acta Deo, loquitúrque ſilenter,
Intus & introrſus valde, vt non audiat intra
Iuncta ſibi ratio, ſenſum hæc omnem ſuperat pax,
Sibulus hic tenuis Deus in quo cernitur auræ eſt,
Felix hic ſomnus, qui ſomnia mira reuelat,
Ebria ſobrietas, mors, viuens lux & obumbrans.
Tunc aliqui paſcha bis ſex vnóque Calendis
Aprilis numerant, ita dicere computus vrget,
Si natale Dei, ſi mors numeretur & ætas.
Aſt credenda manent ſit calculus iſte vel alter
Exurgens tandem à ſomno hoc, lucémque reuiſens
Corpoream, virgo ſibi ſobria, dum redit ad ſe
Ingemit, hinc curat humanam orare ſalutem.
Alme pater totiens hominum miſerate labores,
Nunc miſerere precor, etenim tempus miſerendi
Venit, quo diræ frangatur ianua mortis,
Quo cælos reſeres, vtinam diruperis illos,
O cæli rorate, pluant ô nubila iuſtum,
Germinet & terra ſaluatorem benedictum.
Concurrunt pariter ſacrorum carmina vatum,
Quod dominus prope, quod gens quem deſiderat omnis
Aduenìet propera, iam non tardaueris oro,
Iam ſceptrum à Iuda ſublatum, iam Danielis
Viſio complenda, iam virgo puerpera fiet,
Iámque virum mulier circundabit Emanuelem.
Sic Symeon, ſic Anna ſenes dixere recenter.
Et Zacharias vir, & Elizabet vxor anilis,
Dum me deifici templi ſecreta tenerent,
A Myſterium prægrande nimis, quis nouerit illud?
Quis capiet? ſed certa fides præſtanda prophetis.
Temperis articulo tali delapſus ab alto
Præradians Gabriel totus feſtiuus, eo quod
Mittitur ad talem deferre ſalutem,
Gratia qua cælis, qua pax ſit reddita terris,
Infirma quæ iungat ſummis, Deus ac homo fiat,
Virginis ingreditur thalamum cum luce coruſca,
Cum pulchro nimirum vultu, cultúque decoro.
Qualiter ex facili corpus ſibi ſpiritus aptat,
B Aëreum declarandum conformiter ad rem,
Sic Moyſi, ſic & Abrahæ, ſic pluribus olim,
Angelus innotuit, naturam carne, figuras
Suſcipit vt varias aër denſatus, vt iris
Mille trahit pulchros aduerſo ſole colores.
Virgo tremit, nunc plus ſolito ſplendeſcere lumen
Angelicum tremit & ſpem, quoniam ſpecioſi
Præ natis hominum, quia dicere venerat ortum
Formoſo nimis ornatu vultúque niteſcit,
Adde quod inſtantis ſuſpecta crepuſcula noctis
Eſſe ſibi poterant, licet hora nouiſſima mundi
C Qua Ieſus aduenit, ſub veſpere rite notetur.
Quid quod & ipſe ſathan credi vult angelus eſſe
Lucis, & hoc ſcit virgo, tamen ſuper omni terret
Mentem humilem, dum dicit aue, dum gratia plena,
Dum dominus tecum, benedictáque tu mulierum,
Cogitat hanc quæ ſit ſecum turbata ſalutem.
Pauper vt ancilla ſi forte videre ſupremi
Regis coniugium fama referente veniret,
Neſcia qua fieret vxor, ſi miſſum ad illam
Nuncius à rege, præter ſpem quæreret eius
D Conſenſum, turbaret eam dignatio tanta.
Aſt Gabriel trepidam ſolatur & inſtruit ipſam,
Qualiter abſque viro complebit ſanctus obumbrans
Spiritus arcanum hoc, naturam gratia vincet.
Aſſenſum da virgo tuum, noli eſſe recuſans,
Non ingrata Deo dicit, tu crede, volenti
Velle tuum tribue, Gabriel te reſpicit, omnis
Expectat mundus, cælum, tellus & abyſſi.
Aude magnanimis, quia magna fides operatur,
Audet, iámque fides qualem dilectio format
E Verbigenam reddit animam, dum protulit ore:
Ecce ancilla Dei, fiat miſſum mihi verbum.
Verborum inſtanti primo non eſſe Maria
Exceſſum quendam patitur, quaſi ſit ſopor, ex qua
Formatur ſubitò nouus atque nouiſſimus Adam.
Immenſúſque Deus minimos ſinuatur in artus.
Hanc verſam mirare vicem ſub origine prima,
Coniugium mirare nouum, deitas vbi nubit
Humani generis limo, fit virgo deinceps
Nullus apta viri complexibus, hoc quia corpus
Sacramentum domino, ſolos ſibi ſeruit in vſus.
F Audijt vt Gabriel reſponſa fidelia, nouit
Virginei ventris thalamo virtute repente
Quod verbum caro factum eſt, illud pronus adorat,
Atque peracta videns mandata, receſſit ab illa
Glorificans dominum, cæleſtis eum comitatur
Multa chors iubilans, hymniſque corona melodis
Gloria ſit cælis domino, ſit pax bona terris.
Mater & ipſa noua grato noua gaudia corde
Læta canit, iam magnificat ſecum orſa retractat.
Hac hora ſe paſca puer Ieſus obtulit vltro
Humani generis precium factúſque ſacerdos.
Et caput eccleſiæ, paſtor ſeu papa ſupremus,
Vnctus & in regem ſummum, agnoſce Mariam,

Jnuenit vt ſua mens cum lætis iungere mæſta
De puero aſsiduè, ventura conſcia mortis
Mæret, lætificat virtus præſcitáque nati
Gloria, dum premit exilium, nos hanc imitemur,
Triſtia ne frangant animos, neu læta reſoluat.
Porrò quid faciat virgo tantum ne reuelet
Sponſo myſterium? fac dicere, quomodo credet
Da, celet, quo pacto Deo, tibi gratia videtur,
Et ſponſo, cui res tandem manifeſta patebit,
Saltem coniugij ſacrum dum fœdus inibunt
Solenni ritu, nec enim clam fœdera iungent,
Affines venient, vicinia tota videbit,
Tempore quo ſi forte tumens verus videretur,
Ambo probroſa fierent in cantica vulgi.
Quid quod cognatam prægnantem ad Elizabet ire
Nec decet aut licet hanc, niſi vir conſenſerit ante.
Sed neque conſenſum niſi cauſæ conſcius addet,
Dicendum eſt igitur conceptum quid dedit, addet
Ipſe fidem ſponſo, dubitatáque ſcandala tollet.
Ceciliam dum prima thori ſecreta tenerent
Cum ſponſo, legimus forti diuinitus auſu
Integra virgineum dum vult ſeruare pudorem
Sponſo dixiſſe iuuenis gratiſsime pando.
Sanctus crede Dei mihi cuſtos angelus aſtat,
Tangere polluto (me zelat) amore caueto.
Permaneas & tu, caſtus, te diliget vt me,
Credidit, & caſtum poſt firmat ſanguine votum,
Maior nonne fuit auſus tibi ſpéſque Maria?
Credulus ipſe tibi quod vir ſanctiſsimus eſſet,
Quódque Dei tali caſu tibi numen adeſſet.
Feſta dies aderat quod plebs ſua ſabbata ſeruat
Ergo more ſuo cum ſponſo ſponſa quieto,
Secretóque loco concedit, vbi ſacra legis
Dogmata colloquio ſecum pariter referebant.
Tum virgo intuitu ſolito plus ſupplice vultum
Librans ad ſponſum, ſimplex conuertit, aitque:
Clare Ioſeph cui ſum domino ſponſata volente
Eſt mihi ſecretum, quod pandere conuenit & te
Participem fieri, nos vno magnificemus
Ore Deum, voto ſimili, ratione paríque,
Sponſa poteſt dilecta loqui quodcúmque placebit.
Audiſti iam crebro Ioſeph, ſermóque frequenter
Jnter nos talis habitus, citò quod veniet rex,
Ortus ſtirpe Dauid, populum ſaluare potenter,
Et quod concipiet puerum virgo, pariétque,
Iſrael hoc omnis deſiderat, optat & orat.
Orabam nuper & ego paupercula, quæ ſum
Et cinis & puluis, dum me dijudico ſollers,
Ille tamen cuius oculis humiles placuerunt,
Qui tollit pro velle ſuo de puluere tales,
Qui laſſo requiem, panem, veſtem dat egeno,
Qui facit vt ſterilis gaudens fœcunda domi ſit
Grata, fatebor enim, ſic me reſpexit, & ipſe
Fecit magna mihi cuius nomen benedictum.
Elegit gratis, ita crede Ioſeph parituram
Me fore Meſsiam cum virginitatis honore,
Angelus hæc mandata Dei iam pertulit ad me,
Spiritus & iam me grauidauit germine ſacro.
Obſtupet ad verba hæc ſubito grandæuior heros
Et refugit, quid ais? quis erit tecum oro deinceps?
Exi à me domina, non hoc ſum dignus honore.
Petrus vti vidit multi miracula piſcis
Retibus incluſi, ſtupor exclamare coëgit,
Exi à me domine, peccator enim nimius ſum.
Sic viduam legimus orbam quod dixit Heliæ,
Quid mihi, quodue tibi veniſti? commemorentur
Vt peccata mea, puer inde meus, moreretur.
A Corripit hinc ſe vir thalamo ſolúmque recluſit,
Cor trepidum vario curarum fluctuat æſtu,
Eſſet cum iuſtus ſponſam traducere nolens.
Iniuſtum reputabat enim ſe ducere talem,
Scandala ſed metuens voluit clam linquere, facto
Iuſtus vtrinque ſuo, ſecundum tale volutat
Mentis litigium, ſopor irruit, Angelus aſtat,
Confortans loquitur, ſacramentúmque reuelat:
Clare Ioſeph, filique Dauid, nolito timere,
Coniugij, ſed iure ſacri tibi iunge Mariam,
Natum quicquid id eſt in ea, de pneumate ſancto eſt,
B Concipiet puerum, quem ritè Ieſum vocitabis,
Ipſe ſuum ſaluans populum peccata remittet.
Virgo puto vigil orabat precibúſque ſuiſque
Pro meritis ſponſo date viſio cælitus iſta,
Suſpicione carens quod homo formauerit illas,
Voces ſomnus enim ſenſus ligat exteriores.
Tunc vbi vult ſpirat ex alto ſpiritus, aures
Intellectiuas reſerans pulſis ſimulachris,
Lumine diuino radians ſecreta reuelat,
Vel de præterito, præſenti, ſiue futuro,
C Ecce Ioſeph diuinum aliquid de virgine natum
Intra cognoſcit, quódque eſt paritura ſalutem
Humani generis, deitas vbi panditur aptè,
Namque Deus delere poteſt peccamina ſolus.
Splendida virginitas niueo ſplendore refungens
Angelico compar conſors, & amica decori,
Cuius propoſitum eſt nunquam ſenſiſſe, voluptas
Qualis ſit carnis tactu, fœdata pudendo,
Hæſitat, Angelica póſtque mandata capeſcit,
Ipſi namque Ioſeph aderat, cui talia fatur:
D Quid mihi, quid vobis almi Ioſeph atque Maria,
Quid cum coniugio quod prolis cedit in vſum
Jura ne ſunt eius veſtro contraria voto?
Mutua nam duplicis fit ibi tranſlatio ſexus.
Ergo coniugium vos vel derelinquere oportet,
Vel me, quo pacto fidei parebitis ambo,
Vana ne vel mendax fieret tranſlatio talis.
Vana quidem minimè fiet puriſsima virgo
Docta refert phroneſis ſupremi filia regis
Deſuper alapſa, pectúſque amplexa iacentis
Blanda viri, nec erit mendax, nec copula vana
E Legitimas inter perſonas diſpare ſexu
Mutua, qua dabitur in corpus vtrumque poteſtas,
Ac indiuiduè morem vitæ retinebit
Non quod carnalem poſt hæc precedat in actum,
Obſtabit votum, prout eſſet cernere, ſi quæ
Virgo virum, poſtquam nupſit cum virgine verbo
Præſenti, conſtat poterunt emittere votum
Mutuo, quod carnale nihil poſt hæc repetetur
Immo conditio conſenſum ſi præit iſta,
An licet atque decet, ſi non præiudicet vſus
F Et lex eccleſiæ laqueos cauet atque pericla.
Iure licent aliqua fieri non expedit illa,
Raro quidem fomes diuino nec niſi dono
Extinctus repetitur, & hinc conuentio talis,
Talis conuictus quam magnum rete pararet
Illecebris, faceréṫque frequens effringere votum,
Sed neque coniugiis alij ſpiramine ſolo,
Edere vult prolem Deus abſque viro, velut iſtic
Edita iam crede eſt, dicetur & hæc tua proles,
Cur? quia facta tua & ſponſæ corpore, quale eſt
Iure tuum, ſemen ſanctus tibi ſpiritus almum
Suſcitat in fratris vice, tu legalis haberis.
Hinc pater infantis nutritio ſola patrem te

Non

Non faciet, ſed nec propria commixtio carnis.
Plaude Ioſeph quia de domino tibi fas erit olim
Dicere, filius ecce meus, diuinius oro
Quid ſublimius oro & præclarius attulit ætas?
Filius atque pater nunquid non grandis amoris
Nomina ſunt, & præcipua pietatis imago?
Obligat hæc te laus titulo fundata paterno
Infantem, cum matre ſua ſeruare deinceps,
Cauſa ne coniugij talis tibi parua videtur,
Vt ſudore tui vultus tua pane fruatur
Vxor, & illius ſis cuſtos fidus in omni
Temporis articulo, ſis teſtis virginitatis.
Debeat & poſſit cui credulitas adhiberi,
Proderit atque tua trepidatio poſteritati,
Concludent quod tu iuſtus nunquam violatam
Duxiſſes ſponſam, puniſſes vindice lege.
Adde quod in nobis Eſaiæ, verba valebunt:
En habitabit (ait) iuuenis cum virgine, ſponſus
Sponſáque gaudebunt, vos hi Ioſeph atque Maria,
Quid quod celandus erat infantis nouus ortus
Coniugis ob famam, nam perfidia quando malorum
Plebs Iudæorum puerum ſine ſemine natum
Crederet, innuptæ nec parceret impia matri.
Adde, ſathan fallendus erat, reliquas ego cauſas
Prætereo, cur coniugio iungenda Maria
Præcipuè tibi virgo Ioſeph, vir iuſte ſenilis
Ætas quem nondum frangit, vel reddit ineptum
Curandæ ſoboli cum matre, laboris & exors
Non es, non fidei, te nulla libido titilat,
Ante quidem, nec poſt partum cognoſce cupiſces
Vxorem, nec enim templum temerare ſacratum
Effractis votis fas eſſet, & vnica proles.
Hæc ſat erit nuptis cum virginitatis honore,
Candida virginitas, phroneſis dum talia fatur
Aſſenſit, ſomnúſque viri mox deſerit artus.

DISTINCTIO QVINTA.

EXurgens Ioſeph à ſomno, ſibi iuſſa peregit,
Vxorémque ſuam verbo præſente Mariam
Accepit, nec eam voluit cognoſcere donec
Primò parit genitum, nomenque Ieſus dedit illi.
Non quod poſt partum (procul hoc) cognouerit ipſam,
Donec enim negat hic tempus quandóque futurum,
Scandala ne tibi dent ſcripturæ reddere paſſum
Cum paſſu ſtudeas doctorum more priorum.
Angelus iſta ferens Gabriel ſi creditur eſſe,
Non horret ratio, cur non vtrique miniſter
Aſſiduus fuerit, diſcretio ſpirituum dat,
Et ſapor internus quod non ſit viſio vana.
Credo recenſenda ſunt verba priora Matthæi.
Eſſet cum ſponſata Maria Ioſeph pia mater.
Antea quam conueniſſent, de flamine ſacro
Prægnans inuenta eſt, inuenit vir ſuus ipſam
Vt prius eſt poſitum, quæ ſit conuentio talis
Neſcio, ſi non ſolennis ritus celebriſque
More ſuæ gentis, velut in Chana Galilææ
Adfuit ipſe Ieſus, & cum multis ſua mater,
Lætificans miro conuiuas germine vitis.
Quæ gens oro probat clam matrimonia facta,
Illam palam iungit, igitur conuentio talis
Dicitur hic acceptio, non iucundius vllum
Coniugium, rituue ſacro plus concelebrandum
Regia nobilitas inſignit nempe parentes,
Iunge ſacerdotes, patriarchas, iunge prophetas
Progeniem veterem, vicinos adde decenti

Lætos pauperie, gazas exuperat omnes
A *Ipſe Dei timor, his cultus & victus honeſti,*
Conueniunt alacres quos ipſe citauerat heros.
Angelicis parens monitis cum virgine votum
Virgineum prius emiſit, reuerenter adorans
Hac in matre Deum, dominam reputat, neque poſt hæc
Fomitis illectu ſcit fas cognoſce ſacratam.
Se dat cuſtodem, teſtem, comitémque fidelem.
Littera tale canit, cui concinit allegoria,
Non ſecus eccleſiæ, tu Papa daris vice Chriſti
Sponſus pro paſtore pio violare pudicam,
B *Crede nefas, ſed eam te cuſtodire neceſſe eſt*
Diuina ſub lege datam, vel cedere ſedi,
Scandala ſubiectis vel ſchiſmata ſi ſtatus affert
Senſimus hoc hodie, tempúſque locúmque notemus
Mille ſemel, centúmque quater, ſeptémque decémque
Orbibus in proprijs Phœbus confecerat annos
Biſque decem, bis térque dies peragrando leonis
Iulius in ſigno dederat, tunc ſchiſmatis altos
Peſtiferi, Petrus de luna cedere nolens,
Eijcitur ſede papali voce ſub vna.
C *Vrbs dum concilium retinet conſtantia ſanctum,*
Balthaſar eiectus fuerat, iam ceſſerat alter,
Triceps hoc monſtrum fuit, vt ſunt cerberus hidra
Vnum nullo modo contentio rumpit ouile.
Legimus ſupereſt ſponſus, paſtórque credetur
Vnus in eccleſia cui totus pareat orbis.
Virgo tuis fac hoc precibus meritóque potenti,
Ipſa tuo celebres gratiſſima ſpero quotannis,
Fæcundo prolis cum virginitatis honore
Coniugio, ſponſóque Ioſeph ſacrabit honores
Natali ne tuo ſic olim octaua dicata eſt?
D *Hoc prior inſpira tali nos munere dotes.*
Alma redemptoris mater, cui lege ſuperna
Vir iuſtus, virgóque Ioſeph cum virgine nupſit,
Da celebrem dignúmque tuo perſoluere cultum
Coniugio, fac nos ablutis ſordibus omnes
Poſſe Deo iungi, fidei qui fœdere puras
Deſponſas animas diuino germine complet
Mentis caſtus amor nomen non inuenit vllum
Suaue magis penetrans liquefactis corda medullis,
Quam ſponſi & ſponſæ, Salomonis cantica cantant.
E *Verum ſi fœdis affectibus obſita mens eſt,*
Diſcrimen timeas carmen tam molle retractans.
Plurimus aſt animalis homo eſt, ſed ſpiritualis
Rarior, hæc patres potuit mouiſſe priores.
Hoc ne coniugium ritus popularis haberet
Concelebrare ſacrum? tractare pudica pudicè
Vix valet impurum vulgus petulans & ineptum
Inſanit gaudens, furit iratum, medium nil
Sabbata neu cumules populo, malè fungitur illis.
Sobrius eccleſiæ mos eſt, ideo vetus illud
Olim pro Druidum phano memorabile templum
F *Carnoti, titulus cui virginis eſt paritura*
Hoc modo coniugium celebri de more colendum
Capit, & exemplum deuotio ſancta ſequatur,
Poſt euangelium miſſus ſunt ordine recto.
Exurgens autem Ioſeph, exurgénſque Maria
Miſſus Mercurij poſt de lucia decoro,
Cultúque per legitur ternum veneriſque ſequenti
Dat clerus, mediúmque iouis nouus obtinet vſus.
Miro Pariſijs templum molimine ſtructum eſt,
Annulus eſt illic duplex, cui gemmula duplex
Auro conſeritur tenui, quos virgo ferunt te
Cum digitis aptaſſe tuis, eſt abdita zona
Incertum tibi vir ſi tradidit iſta ſubarrans.

Digitized by Google

Felix coniugium quo proles eſtque fideſque,
Eſt tibi res ſacra quæ ſignant myſtica trinas.
Coniugij ſpecies ſibi nam connectere noſtram
Naturam voluit æterno de patre natus.
Illam ſuppoſitans, idiomata miſcet vtrinque,
Nubit & eccleſiæ proprio cum ſanguine Chriſtus,
Agnus in aſpectu fidei ſub origine prima
Peccantis mundi præuiſus morte cruentus.
Nubit & ipſe Deus animæ quam gratia format,
Quæ ſit verbigena ſit virgo filia mater
Triplex coniugium, triplex patriarcha figurat,
Primus Abraham, poſt hunc Iſaac, Iacob alter, & illi
Sponſas duxerunt vos Sara, Rebecca, Rachélque
Cum Lya, carbo tu Sara, Rebeccáque multum
Diceris accipiens, vitam ſignatis vtrámque
Contemplatiuam Rachel, actiuam Lya ſignas,
Ignis cum carbone facit iunctus velut vnum,
Sic deitas carmen ſuccendit & vnit, & inde
Exoritur riſus Iſaac, quæ plura recepit
A ſponſo ſponſa quam quæ Ieſus eccleſiæ dat
Tot ſacramenta virtutes dona beata.
Hinc variæ ſortis fratres, Eſaúque Iacóbque
Naſcuntur, bonus hic ſimplex, ſed eum fætus alter
Perſequitur, ſemper bonitas odioſa malignis.
Huicque Iacob tot ſunt virtutes, quot patriarchæ.
Extremi tu chare Ioſeph, tu Beniamin infans
In primo creſcens diſcretio ſignificatur,
Accuſans alias virtutes vt moderentur.
Contemplatiuus eſt Beniamin, huius in ortu
Mater obit ſpecioſa Rachel, quia deficit ipſa
Mens contemplantis, ratióque ſagax alienum
Tranſit in affectum, leuat & ſeſe ſuper altos
Migrat in exceſſus, hoc ſit ſoror anagogia
Conſpicitur clara caligo lucida nubes.
Spiritus effari ſecretum nec valet intro
Quod ſentit, ſcit id & donec experientia ſola.
Spiritus ac anima ſcinduntur, magnificat vox
Eſt animæ, ſed ſpiritus exultare refertur
Aptè virgo tuum carmen ſecreuit vtrunque.
Ignis ad exemplum qui diuidit heterogenea,
Iuncta ſimul mixtis omogenea cogit in vnum.
Namque vides crudis vitrum, focus elicit herbis,
Hoc in calce peccatum, hoc multa liquamina monſtrant
Ignea, conſcendit ita thuris virgula fumi,
Sic animam quæ pars hominis terrena notatur
Corporeis nexam membris, vis cogit amoris
Spiritui ſubſtrare ſuo, volat ima relinquens.
Vniri totus diuino ſpiritui vult.
Purus pura petens, cordis compunctio fontem
Lotio quo fiat emundans crede miniſtrat.
Feruida cum luctu lachrymiſque rigata profuſis.
Hinc fit theoricus exceſſus & extaſis alma,
Quam praxis ſequitur zelans operoſa ſalutem
Alterius, ſeſe tum circa plurima verſat.
Pax intus tranquilla manet, quia mens in idipſum
Sæpe redit, ſemper oculis diuina tuetur
Cælitus æternis à montibus irradiata.
Ac operando frequens primæuam conſulit artem
Rarum hominum genus in terris ô dixeris, hoc eſt
Angelica hæc vita eſt, ſic eſt, ſed proſpice tecum.
Ignibus in medijs quidnam Laurentius vſtis
Carnibus eloquitur, quidnam Vincentius egit.
Quid ſacer obſeſſus turbis Antonius vrbis,
Alta quies erat illis in ſublime leuatis
Gratia cor ſtabilit & miro robore firmat.
Talis crediderim fueris tu virgo Maria,
Dum poſt conceptum Iudæ montana petiſti,
A Obſequioſa ſeni cognata myſtica facta es
Martha, Maria ſimul vna quoque Lya Rachélque.
Nonne Ioſeph tractans operánſque fabrilia crebro
Deſuper æthereos hauſiſſe putandus odores?
Dum ſibi certa fides, Deus eſt abſconditus inquit,
Hoc in virginei fructu ventris benedicto.
Qui fructus ſuus eſt vxoris carne creatus.
Inde Ioſeph pater eſt quaſi legis iure vocandus,
Et Ieſus eſt hæres verus, nec adoptio ſola
Dat titulum hunc, ſecus eſt vbi prodit adultera proles
Abſque viri iuſto conſenſu, dicere non eſt
B Quod prolem vir alat vel eam ſuccedere ius ſit.
Eſt aliud quod corde capi nequeat niſi puro,
Effarique petit verbis ac ore pudicis,
Quando coniugij fit conſumatio, fiunt
Vna carne duo, ſit homo tanquam caro, totus
Aſt in coniugio quod ſpirituale vocamus,
Deſipit ipſa caro, Deus & mens ſpiritus vnus
Fiunt, & maior ac purior inde voluptas
Sentitur, quanto coniuncta potentia digno
Dignior obiecto eſt, premat heu niſi ſarcina carnis.
C Zelotes dominus & totus amabilis vltro,
Sponſum vult anima ſe tradere, verbigenámque
Reddit, deliciáſque ſuas dignatur habere
Sponſam cantauit qualem Salomonis ab ore.
Sed quæres ſi coniugium Ioſeph atque Mariæ
Sit ſacramentum magnum, te Chriſte figurans
Eccleſiæ ſponſum, quia copula non fuit vlla
Carnalis, ſed carne Deus conformis habetur
Eccleſiæ membris, an forſan carnea proles
Hoc in coniugio ſignum ſuffecerit eſſe?
D Vnde fuit nexus niſi morte ſolubilis vnquam,
In quali nexu ſit virgo puerpera, natus
Sic parit eccleſia nec virgo deſinit eſſe.
Porrò velut matrem dominus cuſtode carentem
Linquere non voluit, ſic quam plus diligit vnam
Eccleſiam remanere vetat, cuſtodis egentem
Primus qui pater eſt ſponſique vicarius almi.
Amplius ipſe Dauid rex vxori, ſunamiti
Caſtè conuiuens quam non cognouit amatam,
Coniugium ſignat rectè Ioſeph atque Mariæ,
Non tamen ex æquo, nec enim volo crediderit quis
E In ſponſi gremio ſic conuixiſſe Mariam,
Diſſuaſit fieri reuerentia debita matri.
Tale aliquid plus quam formido libidinis vlla,
Vel quod adhuc iuuenis Ioſeph eſſet, namque iuuentus
Ad quinquaginta perhibent, producitur annos,
Infra quos poterat partus velamen habere
Virginens, nec ſic effectus ſi ſenio vir
Eſſet, & hinc vates iuuenis cum virgine deget.
Corrupto nunquid fuerat ſocianda puella?
Quæ grandæua fuit ſoli commiſſa Ioanni,
F Quò magis Heluidi blaſphemum os crede ſpuendum.
Ergo Ioſeph reputaſſe ſenem fecere ſeniles
In ſe virtutes, vel neu carnalis haberet
Suſpicio de te quiſquam carnale Maria,
Donec virginitas tua fixa fidelibus eſſet
Cordibus, inde minor eſt mentio de Ioſeph acta
Non ſubitò totam ſe monſtrat gratia mundo.
Nunc ſecus eſſe decet dum toto creditur orbe.
Copula virginea vobis ſine labe fuiſſe,
Munda, decens, cauta cæleſti par & honeſta.
Heu quam diſſimiles habet ætas perdita mores
Moralis ſoror hinc conclamat quæſo cauete
Fœmineos fugite conuictus, nam latet ignis

Interius

Digitized by Google

Interius viuens, cur ſtuppa immittitur igni?
Credite quinetiam ſub religionis amictu
Sæuit amor cæcus, plus fallens illiciénſque.
Quanto puto turpem citius celare pudorem
Credit ſe primo tutam deuotio, ſenſum
Verba dat, & geſtus, quibus eſt laſciuia iuncta,
Ac ita paulatim fœdo irretitur amore.
Tum ſe flagitijs tradunt, pulſo rubore
Horrida committunt meretrix quæ non aget effrons
Naturæ iura dicunt nihil eſſe pudendum.
Et libertatem reputant ſi quod placet, audent,
Ut peccata tamen celent, foris aſpera fingunt,
Secta flagellantum docet hoc, docuere Begardi
Philoſophi tales olim dixere caninos.
Sed neque coniugibus violare debet honeſtas,
Hactenus hæc, euangelium iam litera narret.

DISTINCTIO SEXTA.

EXurgens autem ipſa Maria diebus in illis
In montana abijt feſtina, domum Zachariæ
Cum ſubijt, meruit ab ea cognata ſalutem.
Vt reputo prius accepit te virgo beata
Vxorem vir, quam cognate tecta ſubires.
Et quam ventre ſuo notus fieret tumor vllus
Hōc tua poſcebat, hoc clari fama mariti
Quod ſi prægnantem, ſi confeſtim parituram
Dum profeſſurus, & dum numiſma daturus,
Sollicitus voluit te vir transducere ſecum
Bethleem in villam turbis & frigore plenam,
Quid noua nupta tibi, quid delitioſa puella
Nunc facere iuſtus, dum longius inſtat eundum
Quomodo deſeret te ſolam, nec comitatam?
Quid quod paſca ſacrum vel erat vel adeſſe parabat
Quando Hieroſolymis mas quilibet eſſe tenetur.
Ergo poteſt ex his concludi ſufficienter.
Quod dominæ, fidus cuſtos tantíque recenter
Conſcius arcani, dederit pariter comitem ſe.
Primò petis templum, hinc affines viſere curas,
Fœcundos nouiter qui his duo millia diſtant.
Vrbe Hieroſolymis, vbi ſors eſt Beniamini atque
Totius eſt regni Iudæ metropolis alma
Eſto, forte Ioſeph cauſa quacumque remanſit
Nazareth, ipſe tamen progreſſum virginis ante
Nouit, & adiunxit conſortia fida parentum.
Non quod formidet crimen Zelotypus vllum,
Sed dare ſoliuagis non vult exempla puellis.
O quali cum lætitia, dulcedine quanta
Cordis deuoti, circumſpicit omnia templo
Ætatis totos vbi flores virgo peregit.
Crediderim ſocias videt hic, notóſque miniſtros
Leuitici generis, gerſonitas caathitas
Atque meraritas, & multos carne propinquos,
Omnia picta prius ſecum memorata retractat,
Surgit odorato domino quem magnificat, cui
Pleno corde pias ſatagit perſoluere grates.
Vtque ſubit primum Zachariæ limen, anilis
Occurrit cognata ſibi quæ manſerat intro
Menſibus abdita ſex, & vt exaudita ſalutis
Virgo tua vox eſt, mox exultauit in eius
Infans viſceribus, impletur Elizabet almo
Flamine, proclamat magna cum voce puellæ
Dicens, tu benedicta inter omnes mulieres
Sis felix, fructúſque tui ventris benedictus.
Atque hoc vnde mihi, domini quod venerit ad me
Mater celſa mei? tua protinus ecce ſalutis
Auribus vt vox facta meis, vtero meus infans
A Geſtijt exultans & gaudens, plaude beata
Quæ ſic credideris, in te quia perficientur
A domino tibi dicta, Maria refert igitur ſic,
Magnificat anima Deum mea, ſpiritus almo
Iure ſalutari meus exultauit, & altus
Ancillam vidit humilem, ex hoc ecce beatam
Me dicent omnes, quia magna potens mihi fecit
Eſt in progenies reuerentes ſæpius omnes,
In virtute ſua perfecit magna potenter,
Cordis & ipſe ſui diſperſit mente ſuperbos,
B Exultans humiles, deponit ſede potentes,
Implet & hic inopes, dites dimiſit inanes,
Suſcepitque ſuum puerum Iſrael, vt memoratus
Eſt pietatis quam noſtros prædixerat olim
Ad patres Abraham cum ſemine iugiter eius.
Scire velim totis quid virgo menſibus egit,
Namque tribus manſit quibus & tu nutibus vſus,
O Zacharia ſis cognata lætus adepta.
An ſcriptis aliquando notas quod corde repoſitum eſt?
O quotiens tibi virgo ſenex cognata recenſet
Lecto dum recubat, vtero ſenióque grauata
C Geſtorum ſeriem, gaudet ſermone ſenectus,
Sede ſedes humili ſuſpenſa loquentis ab ore.
Quam magnus dominus & quam laudadilis oro eſt,
Talia qui fecit nobis miracula ſolus,
Iamiam namque ſenex ſteriliſque puerpera fio
De ſene, tu grauida eſt de ſolo flamine virgo,
Hoc equidem noui, non te referente tumentem
Non vterum video, Deus eſt ſecreta reuelans,
Implet quæ cecinit vatum præſaga priorum
Plurima vox, veniet promiſſa redemptio plebis,
D Hoc Zacharias, hoc & ego depoſcere crebro
Et tu nec dubium ſoliti, ſit quanta videmus
Orandi virtus, bona quæ plus publica curat,
Obſequioſa Deo, cuius mandata tremiſcit,
Iuſticiáſque facit legis, vitátque querelas.
Orat dum Zacharias pro vicis ordine ſanctum
Ponit & incenſum templo, Gabrielis honorus
Inſpicitur vultus & vox auditur, eundem
Exauditum eſſe, linguam dubitatio plectit.
Obmuteſcit enim, plebs extra tota ſtupeſcit,
Et mihi quis reputas timor affuit angor & horror?
E Donec myſterium nutu talamóque repandit
Pandit vt è nobis infans naſcetur & omne
Vinum non bibet aut ſiceram, virtus ſed Heliæ
Splendeſcens in eo mirabilis vſque patebit.
Qui quantum fuerit victu vel veſte ſeuerus
Noſti, quam lucens ardénſque lucerna potenter.
Concepi vt cernis (in peccato tamen) infans
Hic meus ex vtero promiſſus ſanctificari,
Senſit in occurſu noſtro quid protinus actum eſt,
Senſit & illuſtrata mei iubilatio cordis.
F Multa mihi dicenda tibi cognata ſuperſunt.
Qualis diuinus doctor legíſque ſacerdos
Vir meus edocuit ritus cultúſque ſacratos.
Non decet in templo ſolis nos ſenſibus vti,
Mente opus eſt ô quanto ſub velamine ſignant
Sacrifici ritus ea quæ nondum pateſiunt,
Informes formare volunt quam plurima mores.
Nonne notat ſus luxuriam, carniſque lutoſas
Illecebras, ideo noſtrum non cedit in vſum,
Sic lepus & vulpis veſci ſic bubo vetatur.
Inuenit in vetitis in conceſſis rationem,
Ad mores aliquam, quiſquis traduxerit aptè,
Myſtica ſunt veſtes, ornatus fœderis arca,

Digitized by Google

Sic ars natura libros picturáque præbent
Multos ſtolidus eſt qui non ſe dat vel in vno.
O ſi me priſcos dominus reuocaret ad annos,
Qualis eram cum me templi ſecreta tenerent,
Quali me cura quanto-ve ardore ſciendi
Tradiderim ſtudio, quædam ſcio, plurima noſſem,
Præſciat ô iuuenis precij ſapientia quanti eſt,
Ne doleat ſenio pigeat quoque temporis acti.
Aſt ſupereſt magnum chariſſima magnificare,
Sed ſuperat laudes linguas ſuper effigit omnes,
Quis dederit cognata mihi gratiſſima, natus
Filius ex te dum fuerit complectar in vlnas,
Attolam manibus ac toto pectore ſtringam,
Officio fungor gerulæ figam oſcula fronti,
Ludat & in gremio noſtro, ludántque coæui
Infantes tuus atque meus, ſed fata ſenilem,
Terrent, non ideo mihi præſtolatio certa.
Viue beata nimis quæ ſis viſura quod opto
Pluráque dum fuerit ætas grandæuior illis.
Huic deſiderio congaudet virgo benignè,
Sit licet introrſus merens, quia conſcia ſortis
Venturæ eſt, mauult ſecum ſecreta tenere
Talia, ſcit quoniam lætis refouenda ſenectus,
Eſt ſenium morbus, læſis non læſio danda,
Fœmina nec prægnans verbis oneranda moleſtis.
Surgit ad obſequium cognatæ virgo ferendum,
Affert ipſa cibos cunctantem hortatur ad eſum,
Prægustans hilaris verbis vultúque ſereno.
Iámque dies natus ſterili veniebat ad octo,
Certatim accurrit omnis vicinia plaudens,
Ac de montanis Iudæa tuis ſimul adunt
Mirantur, gaudent, plaudent & vtrique parenti.
Forte tuis puerum virgo baiulaueris vlnis,
Oſtentans alacri plauſu, vos cernite quantus
Eſt decor infantis, quam gratáque gloria vultus.
Credo etiam quod te grauidam catus benedicit.
Namque tuo iam ventre facit Ieſus ipſe tumorem.
Et tu forte Ioſeph aderas reduci comitem te
Præbens vxori, poſtquam tu Sion in arce
Legis more ſacram pentecoſten coluiſti.
Felicem tali te coniuge proléque dicunt,
Simplicitas aliqui quod ſit tibi virgo columba,
Quódque pudicitiam vultus geſtúſque loquuntur,
Collaudant, quia non vrit decor iſte videntum
Lubrica corda virum, ſed in ipſis temperat æſtum
Frigidus è facie quaſi ros ſpirauerit intro.
Gaudia multa nimis omni de parte pateſcunt
Vox laudis, cordis iubilatio, carmen & hymnus.
O Gabriel tua vera patet promiſſio, multi
Gaudebunt eius natali, gaudia vitæ,
Eius pro meritis nobis ſint ſpiritualis.
Quis ne putas erit iſte puer dicunt, manus ipſo
Nam domini puero ſignis ſe monſtrat apertis,
Cernitur en præter naturam corpore robur.
Aut aliquis forſan vſus rationis in illo eſt.
Vnde pater ſibi decantans, & tu puer inquit,
Perfectum perfecta decet formatio, mirus
Mira facit dominus, naturam gratia vincit,
Vendicat hic cæli nil conſtellatio iuris,
Deſerti puer hic hominem ſuper incola manſit,
Illa luce puer ſit circumciſus, & ipſi
Dant nomen Zachariæ, mater ſancta Ioannem
Vult appellari, ſcripto pater aſtruit illud,
Spiritus implet eum ſanctus, mox ore ſoluto,
Sit benedictus ait, dominus Deus Iſrael, hic nam
Viſitat & redimit plebem, cornúque ſalutis
Erigit in nobis Dauid ipſe domo, prout olim
A Ora prophetarum prædixerat ipſe ſuorum,
Hoſtibus ex noſtris qui nos odere ſalutem,
Cum patribus noſtris eius pia gratia fiat,
Atque ſui ſancti teſtamenti memoretur,
Iuſiurandum quod Abraham iuraſſe daturum,
Se legitur patrem ad noſtram, nos quatenus illi
Serui ſancti iuſti libertate perenni,
Hoſtis ab incurſu pulſa formidine ſimus.
Tu puer vates ſummi vocitaberis, ibis
Ante ſuam faciem, calléſque parabis eidem.
Sicque ſalutifera dabitur ſapientia plebi,
B Et peccatorum completa remiſſio fiet
Viſcera per vidua pietatis, viſitat alto
Nos quibus exoriens, venit illuſtrare ſedentes
In tenebris, & in vmbra mortis carcere cæco
Noſtros dirigere greſſus in limite pacis.
Virgo redit, reſidétque domi, ſecundum retractat.
Nunc Zacharias quæ cecinit modóque variorum
Vocibus audierat, apicem nec iota relinquens
Confert corde ſuo, neque paſſim quæque reuelat
Aut hic aut illic, ſatis eſt vir conſcius vnus.
C Viue beate Ioſeph cui myſtica tanta pateſcunt
Præuenis obſequio dominum, Deúmque vocat te,
Alter in alterius pariter congaudet honore.
Quomodo verbigena mens ſit, docet anagogia,
Nam ſanctæ menti Gabriel dum nunciat, hoc eſt
Intimus inſtinctus dum ſuggerit, vt paritura
Sit verbum domini, quod virtus alta ſupremi
Imprægnabit eam fœcundans germine ſancto.
Syndereſis conſentit ei, virgo licet expers
Sanguinis & carnis, neque vir cognouerit illam.
D Vir ſuus eſt intellectus, vis cuius in iſtum
Nunquam pertingit partum, ſed ſufficit ipſa
Gratia verbigenam ſupremam reddere mentis
Particulam, quæ ſe dat ei paſſiua miniſtram.
Conceptus eſt iſte tui, typus alma Maria.
Aſt pars inferior animæ, quæ non ita virgo
Quæ de ſe ſterilis & quæ corrupta frequenter
Eſſe poteſt, te ſignant Elizabet aptè.
Parturit hæc fructum virtutis ritè Ioannem
Dixeris, eſt in eo quia gratia, proſpice rurſus
Nunciat vt prægnans corrupta virgo ſalutem
E Gaudet, ſolatur ita mentis portio ſumma
Dum ſit verbigena, partem deſcendit ad imam,
Lætificans ipſam, cum morum prole beata
Portio ſic maior venit obſequioſa minori,
Sic fert actiua contemplatiua iuuamen.
Porrò ſi tantas præſentia virginis offert
Iocundas dotes in vtróque parente Ioannis,
Quid de te præclare Ioſeph fas eſt meditari.
Virginis in reditu totis ſex menſibus actum,
Quorum fine Ieſus oritur quod litera tradit,
F Significátque locum, reſerans quid gratia fatur.

DISTINCTIO SEPTIMA.

PAX erat, & Martis hortentia bella quierant,
Creuerat Auguſti iam quadraginta duobus
Annis imperium, totus deſcribitur orbis
Ipſius edicto, pax talis tantáque diui
Muneris eſt pridem à ſanctis promiſſa prophetis.
Quiſque ſuam pergit vt profiteatur in vrbem,
Inde Ioſeph cum ſit iuſtus parere iubenti
Vult regi, quamuis ſit flagitioſus & exlex.
Hoc exemplari confunditur improba ceruix

Quæ

Digitized by Google

Quæ ſubijci renuens erronea tradit in ipſis
Abſque fide populis, quod nec poſſeſſio iuſta eſt
Nec regnum, quaſi ius naturæ gratia tollat.
Certè vult dominus, iniuſtis tradere iuſta
Imperia & regna quæ transfert, tollit & addit
Vt placet, hac ſua pro titulo eſt pro iure voluntas,
Munera ſed iuſti ſoli maiora capeſcunt.
Coniunx ſit licet ad partum iam proxima, pergit
Et grauidam ſuus omnino non prægrauat infans
Alleuiat potius, geſtat ſe namque gerentem.
Bethleem intrarunt, quæ voce interprete panis
Dicitur eſſe domus, ſecumque conſiderat alma
Mox fore complendum, quod dixerat ante Micheas,
Exiet ex te dux populum reget Iſrael, eius
Fiet & egreſſus æterno à ſorte dierum.
Sit natura licet expers propriæ rationis,
Diuina regitur, quæ nunquam fallitur arte.
Hinc nidos auis, inde fauos apis efficit aptè,
Gratia quanto magis ad fines omnia, librat
Quæ proſunt media, venit Ioſeph, & dominus fit
Cirus & expoſitus perdendus dente ferarum,
Scandit ad imperium, Moyſem ſubmerſio ſaluat,
Bethleem ecce Ioſeph veniens, oracula complet
Sic à fine regit, vſque ad finem ſapienter
Gratia, fortiter atque ſuauiter ordine miro
Singula diſponens, res omnes ad bona vertens.
Hæc tua ſpes, hoc conſilium, fiducia tota
Quicquid agas, aut proponas, te dirigat ora
Bethleem haud dubium eſt multi tibi virgo propinqui
Materno ex genere, diuerticulo tamen vti
Paupertatis amor facit atque locus nimis arctus,
Et datur exemplum quod nos mundus premit iſte,
Veſper erat primam quod dat poſt ſabbata lucem,
Dicere quam domini ſolis-ve diem ſolet vſus.
Menſe Decembri iam bis quartóque calendas
Se diuerticulo retrahit ſolámque recludit
Virgo, Ioſeph cedit, fęlicem poſcit vterque
Partus euentum, Deus hoc vult, nec minus orant.
Ac prope te virgo ſunt ignis, balnea, panni.
Pro cuius præſepe, tibi ſoli Deus aſtat
Multa viri ſubijt vt ſit medicatio mentem.
Miratur quod non ſentit faſtidia partus
Coniunx, nec monſtrat vllos plangere dolores
Viuidus in facie color eſt, nec liuidus ore
Pallor vt in grauidis, ſibi geſtus, greſſus alacris.
Soluitur in leuem ſomnum lapſúque ſilenti,
Complexúque ſacro demulcet pectus amicum
Gratia, quam diuinus amor genuit peperitque
Gratus amor vel amans, hinc gratia dicitur aptè,
Cui facies formoſa nimis geſtúſque benignus,
Veſtis purpurea, cæleſtem os ſpirat amorem.
Hæc ſibi viſa loqui non verba ſimillima, ſomno
Mirari nolito Ioſeph, ſi magna potenter
Magnus & omnipotens vult atque poteſt operari.
Gratiam nam ſupero naturam, iudiciúmque
Iuſtitiæ ſuperexalto, ſum fortior eius
Communi lege proprias mihi condere leges,
Ius reputo videas quot habet miracula mundus,
Qualia nemo ſatis miratur, ſed ſolet vſus
Solis in raris laudem præciumve putare
Si cælo, terris, ponto, cunctis & abyſſis.
Inferior me tot, natura facit faciétque.
Cur non virgineum mihi fas erit edere partum
Quo dolor omnis abeſt, nec fractus ſit pudor vllus?
Sol radium genuit, radius vitam penetrauit,
Emicuit botrus, ruptum nil inde videbis

Porrò iuſtitiam ſine qua pax affore nollet
A *In terris, primum placandam noueris eſſe,*
Ipſa tenax veri, ſua ſtat ſententia mortis
In genus humanum pro crimine iuſta parentum.
Fiat paruulus hic qui mox naſcetur oportet
Vobis iuſtitia, ſapiens ſanctúmque redemptor.
Curas depone, dominum benedicito lætus,
Virginis inſtantem conceptum ſignificare
Et potui & volui redimens perfectius ipſam
Præueniens caſum, quam ſit releuaſſe iacentem.
Tota fuit pulchra, nulli vnquam obnoxia culpæ.
Abſit vt attritus ab ea ſerpens caput eius
B *Antea contriuit peccati ſub pede fædo.*
Abſit ex hoc fuerit & membrum dæmonis vnquam,
Gratia ſuppleo iuſtitiam quam perdidit Adam.
Vix mihi maior ineſt, licet omnes tollere pœnas
Non ſoleam, nulla premet hanc anguſtia partus,
Cur? quia nulla fuit in concipiendo libido.
Interea peragrat medium nox algida curſum,
Virginis è clauſa tunc porta prodijt infans.
Sermo Dei omnipotens regali à ſede beatus,
Mox pannis inuoluit eum ſola & pia mater,
C *Præſepéque locat, præbet latriam prior illi.*
Vult infans primam nobis ſimilem dare vocem
Lugubrem, vagit vagitum, cuius vt audit
Soluitur à placido vir ſomno, lætus & intrat
Ad te ſancta parens, tibi collætatus adorat
Poplite deflexo, natum puerum dominúmque
Stringit & ad pectus, te te tradente fouendum,
Deficit hic ſenſus, ratio ſtupet, omnéque mentis
Caligat lumen, dum te vir cernere tali
Conor in obſequio, quid dicam neſcio, voces
D *Nullas inuenio, tua quæ præconia dicant.*
Nonne Dei verbum cuſtodis, cernis & audis
Contrectans manibus, attollis lætus in vlnas?
Sentiat hic quod quiſque volet, mihi ſuadeo nullos
Inter dilectos domini vixiſſe priorem,
Qui teneros Chriſti totiens ita ſenſit amores.
Pectore tu domini recipis ſecreta Ioannes,
Sed ſemel hoc fruitur quotiens hoc iuſtus honore.
O benedicta cohors te virgo Ioſéphque Ieſúmque,
Conſocians, ô quis ſpectacula tanta videre
Etſi non oculis, poterit vel mente fideli?
E *Dum vos lætificat ambos modo paruulus ortus,*
Dum blanda flentem cura refouere ſtudetis;
Paſtores celeri concurſu Bethleem intrant,
Conquirunt vbi ſit nouus infans ortus in illa.
Ad diuerticulum veniunt, aut indice quoquam
Inſtinctu ſignóue aliquo diuinitus acto,
Hic non grande ſpecus vbi bos aſinúſque ligati
Sunt ad præſepe, medio Ieſus eſt reſupinus,
Atque voluminibus ligat ipſum faſcia ſtrictis.
Heros miratur, fremitum primò ſtrepitúmque
F *Turbæ aduentantis, quæ pulſans clamitat an ne*
Fœmina parturijt intus, petimus, videamus.
Dic nobis bone vir, ſi quid cognoueris ipſe?
Nam Ioſeph exierat ad eos, intrate, videte.
Reſpondet, veniunt, puerúmque vident & adorant.
Vnde ſit hoc vir paſtores interrogat, ô vos
Felices aiunt, ô tali prole beatos.
Omnis plebs plaudat, populus congaudeat omnis.
Ecce quod Angelica prædixit viſio nobis,
Viſio quæ qualis-ve precor dum vir petit, omnes
Enarrare volunt, tandem ſermo datur vni,
Inchoat, ac puerum certatim eſt cura videndi.
Fertilis & lætus ad paſcua campus abundans

Digitized by Google

Ad triplex miliare ſitus, grex multus in illo
Quem vigiles dum cuſtodimus nocte profunda.
Tempore ſolſtitij quo ſol meat in capricorno
Angelus aſtitit, & lux circumfulſit in omnes
Clara micans, tremimus, magnóque pauore ſtupemus.
Angelus eſt nobis, nolite timere, locutus
Ecce euangelizo vobis gaudia magna
Omni pro populo, quia vobis eſt modo natus
Saluator mundi Chriſtus dominus, Dauid vrbe.
Addidit & ſignum nos quale videmus apertè.
Et ſubito facta eſt cæleſtis multa cohortis
Militiæ vox, quæ dominum laudat, reſonátque
Gloria ſit cælis domino, pax reddita terræ
Humano generi quibus eſt non praua voluntas.
Talia mirantur hi quorum venit ad aures
Sermo, ſuo cuncta conſeruat corde Maria.
Conſeruátque Ioſeph, & ſecum audita recenſent.
Paſtores abeunt, collaudant, glorificántque
Omnibus his dominum quæ cernere contingit ipſos.
Credet forte aliquis, quod de grege munera cætus
Paſtorum gratus tranſmiſerit aut ob honorem
Diuinum, vel quod fuerit miſeratus egentes.
Non aurum vt reges, ſed mel, lac ſiue butyrum
Vellera vel nenda vel oues agnóſque tenellos.
Et quid nos agimus? nunquid non glorificare
Ac laudare decet dominum, cognitio maior
Eſt quibus indulta de Chriſti religione?
Naſcatur noſtro puer hic in corde, fidéſque
Sit ſemen, ſit pneuma pater, ſint gratia ſpéſque
Obſtetricantes, aſt mentis portio ſumma
Inuiolata manens, ſit mater filia virgo
Dum mens verbigena meditando parturit ex ſe
Diuinum nouiter verbum, ſuffecerit illud
Panniculis tegere, ſi defuit aurea veſtis,
Pro ſe fulget enim, cultu non indiget vllo.
Non tamen ornatum reijcit quando datur vltro.
Plus gaudet veſte quæ verbis texta ſacris eſt,
A ſolis quam ſi fuerit depicta politis.
Gratia multimodè patitur dona per omnes.
Qualiter ingratos tamen accipe gratia culpat.
Euoco te mortalis homo, reſponde vocantis
Gratia ſum, tibi contulerim quam magna videto,
Tu redimendus eras, quia perditus exul, & arcta
Mortis in imperio poſitus, ſed ſoluere ſolus
Hoc poterat precium Deus, æternalis & altus,
Quem fruſtra capere tentaſſes ſiue videre.
Feci quod ſimilis fieret tibi, tempore factus
Immenſus menſus, & paruulus atque videndus
Obijcitur tibi ſacco veſtræ carnis opertus.
Palpandúſque datur, ſi formidabilis eius
Viſa prius fuerat ſapientia, flagitioſos
Accuſans, ſi iuſtitiæ damnatio terrens
Conturbabat te, ſi deinde potentia ſæuis
Horrida tormentis formidine concutiebat
Iuſtè damnatum, nunc reſpirare memento.
En ſapientia fit infantia, fit quaſi non ſans.
Porrò iuſtitia damnatur, iuſticiatur
Vt ſoluat pœnas tanquam rea, criminis omnis
Iudice me, per me proſtratur ſumma poteſtas.
Do legem iuſto, vinclis aſtringo potentem
Denique concludo verbum ſapientis in ore.
Victrici datur ergo mihi de iure triumphus.
Omnis ingrata ſi non ſit gratia talis
Grata tibi, quid ſi multa maiora rependi,
Pauper eras, pro te ditando diues egenus
Efficitur, mirum ſi non ſunt ſufficientes
Diuitiæ talas, infinitúſque theſaurus.
A *Amplius efficio mens quod tua cælica verbi*
Eſſe poteſt ſummi ſancto ſpiramine mater
Væ tibi, ſed rarò perpendo ſigna nitere,
Infantis nati virtutum te quia panni
Faſcia nec religant diſciplina, nec in imo
Vis inclinari, nec te puero ſimilem das.
Vis altus, diues pompoſus, grandis haberi.
O reſpice videns infantem & vtrunque parentem,
Funde preces ad eos, pete natum qui tibi natus
Eſt hodie, nec enim pueri mos eſt reminiſci
Iræ, rancoris, odijue, nec impia fiet
B *Erga te mater pietatis, mater amoris,*
Nec Ioſeph inuidus eſt, nullam patiere repulſam
Iuſtitia, ſi iudicium formidine terrens
Prægrauat appella, pete me, mea ſuſcipiet te
Curia, ſaluus eris, ſi te damnaueris vltro,
Parabúntque tuam cauſam Ioſeph atque Maria.
Immo tuas Ieſus accipiet pro iudice partes.
Dum ſedeo propera, ſi ceſſero clamor inanis
Fiet crede, meis etiam ſub legibus eſto.
Vis tibi idem veniam parcens, alijs veniam da
C *Paſtores imitato gregis cuſtos vigil vt his*
Grex tuus hic ſenſus & motus colligit omnes.
Auribus intende cordis, quid turba canoro
Cæleſtis reſonet hymno, pariter cane, vita
Concordat voci, non ſit ſimphonia diſcors.
Gratia plena ſatis hominem monuiſſe putetur
Addidit, infantis dum circumciſio fiet
Cum lachrymis & cum valido clamore ſalutis.
Nomen quod Ieſus eſt capiet, ſub propinqua,
Quo ſine nulla patet homini ſaluatio terris.

D

DISTINCTIO OCTAVA.

POST ortum pueri fulgere dies properabat
Octauus iam bifrontis primóque calendas,
Aſtanti tibi iuſte Ioſeph ſic virgo locuta:
Mi vir, mi domine ſit circumciſus oportet
Infans iſte, ſuis vt fratribus aſsimiletur,
Legibus aſtrictos vt ſaluet lege ſubeſto,
Quamuis ſit dominus non legi obnoxius vlli.
E *Dixerat & faciem detorquet virgo benignam*
Ad cunas nati, leui quibus ipſe ſopore
Forte quieſcebat fili ſuauiſsime dixit.
Iam fundendus erit ſanguis tuus atque tenella
Cultro præſcindenda caro, nudaberis acri
Vulnere ſaucius, & frigus tolerabis iniquum.
Vndabit lachrymis facies ſpecioſa, dolenti
Vagitu, ſimul & valido clamore replebis
Aures aſtantum, me me penetrabit acutus
Plangoris gladius, maternáque viſcera rumpet
F *Parendum tamen eſt, fuerit quæcumque voluntas*
Abba pater tua, tu modo mi vir ſancte miniſtros
Accerſi legis, fiat, nec erit mora crede
Reſpondit iuſtus tremula cum voce tremorem
Incuſsit luctus, quo fit turbatus, amatæ
Vxoris pueri matriſque vicem miſeretur.
It mærens ſecum meditando plurima voluit.
Aſt poſtquam mater cum ſolo clauſa remanſit,
Tum lachrymis tota verbiſque relaxat habenas.
Quid loquar aut ſileam? quando puriſsime fili
Innocuum ſine peccato te cerno reatus
Humani luere generis, maledicta parentum,
Primorum noxa potuiſti conditor alme,

Ne caderent ſeruare prius, vel vt hi cecidiſſent.
Nunquid non poteras aliter ſeruare cadentes
Sanguine quam geniti pœnis & atrocibus eius?
O Gabriel memini mihi te dixiſſe ſalutem,
Ecce dolore premor, omnis quia criminis expers
Diras peccati tenero fert corpore pœnas.
Aſt ita vult fieri, quæ ſum? quæ murmura contrà
Velle ſuum dederim quamuis dolor vrget amarus
Extorquétque meo molli ſuſpiria corde.
Soluitur interea pueri ſopor, hinc ad apertis
Paulum palpebris lucem quærens prope cernit
Aſtantem matrem, vultum quæ protinus eius
Inclinata petit delibans oſcula fronti,
Dat lachrymas quibus ipſe ſuas immiſcuit infans.
O cor duriciem ſolidi ſuperans adamantis,
Quod non emollit tantæ pietatis imago.
Affore virgo notans horam quam tradere oportet,
Exhibet, effertur, noménque Ieſus datur ipſi,
Præmonet id mater, ſibi dixerat angelus ante,
Dixerat atque viro, fieret quia cauſa ſalutis
Dulce Ieſus nomen, ex quo tu virgo ſubortos
Compeſcis gemitus, cor contemplatio ſurſum
Subleuat, & gaudes toto orbe venire ſalutem,
Gaudia compenſant paucos æterna dolores.
Romani veteres poſuere ſalus tibi templum,
Vera ſalus Ieſus eſt, ſine quo ſaluabere nemo.
Vexillum fuit hoc nomen tibi Paule per orbem
Cuius ſunt fidei ſtrati virtute rebelles.
Eſt cordis iubilus Ieſus, exultatio mentis,
Eſtque triumphale nomen vicens ſceleratas
Peccatorum acies Ieſus, ergo mihi Ieſus eſto
O dignare, ſalus tua ſum mihi dicere ſeruo.
Nomen ad hoc Ieſus in cælis, terris & abyſſis,
Cuncta genu flectunt, tentatio diffugit omnis.
O celebrande Ioſeph, cui nomen tale reuelat
Angelus in ſomnis, quotiens nomen Ieſus ore
Suaue tuo ſonuit, verbo dum faris amico.
Sæpe ſibi quanta dulcedine cor recreatur?
Gratia naturæ dominans, hodie benedicit
Anni principio, ſunt hæc encænia nobis
Magna nimis, non quæ ſolita eſt præbere viciſſim
Vana ſuperſtitio, nobis modo gratia donat.
Valde ſalutiferum ſacro cum ſanguine nomen,
Ergo redde vicem, præbe ſibi quod petit à te,
Namque tuum cor crede petit, cor trade petenti.
Quis neget ingratus donatum, nemo retractet
Cara Ieſus cordis poſſeſſio, pars benedicta,
Adijce quod thronus meus in quo gratia verſor
Eſt puer iſte Ieſus, cuius gerulus Ioſeph aſtat.
Accedas ad eum pete me ſecurus ab ipſo,
Aude, quid refugis? incredulus eſſe caueto.
Flecte genu cordis, ſit ſimplex, ſitque fidele,
Pacis amans humile, domini quod verba tremiſcat,
Tale cor implere mihi credito magna voluptas.
Forte Ioſeph meditans quid circunciſio ſignet
Myſtica, quæ cordis reſecare ſuperflua nouit.
Incircunciſum nam cor vetat eſſe propheta
Mente videt, quoniam lugens contritio cultrum
Seu compunctio fert moralis, & alma ſacerdos
Gratia, mittit eam vitioſos tradere mores
Notum quo pacto, poſt hanc videt allegoriam.
Errores gladio fidei præſcindere cordis
Altior & potior eſt circunciſio, qualem
Intellectus agens in nobis efficit vtens
Abſtractiua vi, quaſi celte vel enſe ſecando
Materiæ partes, vt ſpirituale ſeorſum,
Separet & phantaſma loco phantáſmaque motu
A Intro ſuſceptum denundans materiales
Abſtrahat à formis vi forti conditiones,
Sicut vbi, quando, quantum, vel quale relatum.
Verum abſtractiua vis hæc hebetata frequenter
Redditur à carne, ſed eam meditatio feruens
Vt eos exacuit, ſi circunciſio duplex
Facta prior fuerit, quam mos dat & allegoria.
Exemplar dignum factor ſtatuæ tibi monſtrat,
Ex ligno informi pulchrum qui format agalma,
Adijcit ipſe nihil, fit ibi detractio ſola
B Partis multiplicis, formoſa reſultat imago.
Sic quaſi materiam cui pulchram vis dare formam,
Entis phantaſma confuſum, vel vnde, quale
Corde tuo facile retines, & quod prius intrat
Accipito, nihil addideris, ſpecies latet intro
Eradas facito quicquid perfectio non eſt
Entis in hoc verbo concluſum quod vagus affert
Secum conceptus, vt dicimus eſſe creatum
Eſſéque dependens, cui iuncta potentia tempus
Aut priuatio ſit, vbi, quale, relatio, quantum,
C Hæc abſtractiua virtutis diſtrahe celte,
Protinus erumpet entis pulcherrima forma,
Cortice purgata, deformi, nuda remotis
Turpibus inuolucris omníque quod accidit enti,
Conſpicies quod ſit vnum parúmque neceſſe
Æternum, nec habens aliquid cauſabile, rerum
Principium, finis, exemplar, forma, ſigillum.
Conceptus tamen hic vel imago viſio non eſt
Clara, ſed abſtracta quaſi circunciſa per omne
Quod notat imperfectum ſi nudaueris entis
Nomen vt edocui, propriè tunc conuenit vni
D Supremo ſolíque Deo, dicéſque quod hoc ens
Eſt infinitum pelagus ſubſtantia dictum.
Nomen ſignat idem tetragrammaton appropriatè,
Nam neque reſpectum gerit ad res quáſque creatas.
Hæc contemplatus ſecum Ioſeph, æſtimo ſponſam
Vult fore participem, quid non communicet illi?
Doctor illa quidem ſuper his ea comprobat, addens
Abſtrahit ens vt ait dum mens ſibi forma agalma,
Sed capit ipſa boni formam dilectio, quæ non
Permanet intra ſe, nec imagine ſiſtitur entis,
E Concupit ire foras, in amatum ſibi prorſus
Vult transformari, vult ſe transfundere totam.
Fortis enim quaſi mors, amor, eſt vt flammeus ignis
Ac velut accenſa rutilans fornace liqueſcit
Aurum, fitque potens omnem tranſſumere formam,
Nec propria ſiſtit, ſic mens ignita ſuperno
Cum deſiderio ſemper liquefacta mouetur,
Donec fine boni primo requieſcat amato.
Eſt equidem bonitas hæc fornax ſpiritualis
Illius ignis, quo debet ferueſcere tota
Mens in amore Dei, quoniam ſolus bonus eſt, &
F Hoc nomen bonitas proprium ſibi quod Ieſus aptè
Denotat excelſo demiſſum nomen olympo.
Ordine procedunt amor & ratio quaſi verſo,
Ens ſibi conſimilat ratio, ſed amor fieri vult
Ipſe bono ſimilis, notat hoc puto carmen amoris,
Dilectus meus eſt mihi, ſum ſibi, conſimilamur,
Intellectus enim mihi ſe, ſed amor ſibi me dat.
Sed nec amor motus eſt diſcurſiuus, vt eſſe
Vult ratio, ſatis eſt vno ſi ſiſtit amato.
Tunc requies ſibi, tunc ſomno plaſmata quieſcit
Se premit in ſolido cum toto pondere centro.
Ergo potens ſit circunciſio vim per amoris
Iunctus ſit fidei, ſit amor virtus rationis

Digitized by Google

Non ita laudat, quia conquiſitio ſenſum
Multos in reprobis dedit agnouiſſe dabatur.
Quod Deus ens primum, quod mens ſuper omnia præſtans
Glorificare, tamen meritis nec reddere laudes
Non latriæ cultum bene viuendo voluere,
Quin libertatem ſibi detraxere docentes
Ingrati, quod eam fata parere neceſſe,
Aut quod fortuito fluitarent omnia caſu
Legibus orba Dei mores, idcirco nefandos
Ac execrandos pulſo fecere pudore.
Flagitioſa ſui cordis commenta ſecuti
Functi ſine malo, ſed amor ſtudet obſequioſus
Eſſe Deo, refugit ſcrutari plurima credens
Conteſtante fide, Deus eſt quod liber & omne
Quod voluit, fecit cælis, terris, & abyſsis.
Quo ſine nec paſſer cecidit, nec ab arbore ramus.
Hic pater eſt noſter merces quærentibus ampla,
Quamuis propter ſe ſit totus amabilis vltro.
Iſta fides ſe ſimpla bono defigit in vno.
Sit licet infirma ratio, ſit deforis, intrat
Intima fortis amor dilecti fidit, & audet,
Suppremum nec iam penſat dominum ſed amicum.
Aſt aliis tantus rationis, tantus amoris
Erga diuina defectus, ſpirituale
Nil capiunt, vita merguntur compare brutis.
Cauſat & hanc phreneſum carnalis virus amoris
Quod reputant animas vel nullas vel perituras,
Noſtra tamen quia vis intellectiua capax eſt
Numinis æterni, concludit perpetuam ſe
Credit & indignam ſe carnis ſternere legi.
Hoc aperitur ſi ſit circunciſio cordis,
Præcipuè per cauterium cæleſtis amoris,
Additus & ſi ſit luctus, lachrymoſus & vngens
Et cor dulcorans quod conſolatio linit.
Iam ſatis eſt domina Ioſeph intulit, ecce per orbem
Neſcio quis rumor auditur, video quid ſit
Orta quidem ſuper aduentu vaga fama magorum.
Præpetibus pennis nunc hac nunc euolat illac.
Interea dat lac puero, dat balnea mater.
Nondum erat in carne pueri curata cicatrix
Præputij, pellis hæc portio ſciſſa refertur
Terris manſiſſe, negat hoc alius, quia Chriſtus
Inquit ſurrexit cum carne & ſanguine totus.
Totum quicquid erat nos ſurrexiſſe fatemur
Integrans hominis naturam, pellis adempta
Si cruor effuſus, ſint talia, crede reſumpta.
His ſuper atque aliis ſenſus ſit ſobrius, & tu
Dic ita quod fidei pietas non deroget vlla
Conſilium tale dat litera, deinde ſubinfert.

DISTINCTIO NONA.

VRBE Hieroſolyma Iudææ regia ſedes,
Ac ſtudium legis templúmque iure colendum
Extitit à docti Salomonis tempore regis.
Nunc alienigena ſua ſceptra tenebat Herodes,
Vnde Iacob patris oracula vera videntur
De ſuper aduentu Meſsiæ gente cupiti,
Venerat ille quidem, gentes regionis Eoæ
A Balaam doctæ qui Iob memoratur amicus.
Qui maledicta parans ſuper Iſrael addere, vertit
In benedicta, potente Dei virtute coactus.
Ex Iacob hic cecinit orietur ſtella refulgens,
Stella fuit formata noui prænuncia regis,
Conſpiciunt illam reges, veniunt & in vrbe
Sancta, dum ſiſtunt, conquirunt, eſt vbi natus
Iudæorum rex, hæc vrbem quæſtio turbat,
A Te perturbato nimium crudelis Herodes
Iugiter anxia fit dominandi ſæua cupido.
Et qualis rector vrbis tales habitantes
Vel ſunt vel fingunt, rationem plebe requiras
Inuenies nullam, vento eſt plus mobile vulgus.
Turba ſacerdotum, ſcribarúmque agmine multo
Commoniti veniunt, & dant reſponſa petenti.
Naſcetur Chriſtus in Iudæ Bethleem vrbe,
Sicut diuina depromiſit voce Micheas.
Auxilio nimis humano qui fidere quærunt,
Perdunt diuinum, fit in vrbe recondita ſtella.
B Deforis inſpicitur, Reges præcedit ad vſque
Clara domum ſupra pueri, conſiſtere viſa,
Congaudent valde, crudelis clam prius ipſis
Rex accerſitis fallax condixerat, ite,
Quærite de puero, vt veniens deuotus adorem.
Mentiris, fraus ficta tibi, nam perdere quæris
Non colere infantem, ſic ſe perquirere verum
Fingit hypocrita, vult expugnare repertum.
Inueniſſe Ioſeph paſtores littera tradit.
Mentio nulla fit hic, ſed qualiter huius honoris
C Huius myſterij manſiſſe putabitur exoras?
Præſertim reges qui non ceſſere repente
De reditu vetito, nam ſomnis viſio facta eſt.
Quid quod muneribus erat aptus ſuſcipiendis
Atque recondendis, an ſola relicta videtur
Mater cum puero, quando vaga fama per vrbem
Inſonuit totam, reges veniſſe potentes
In dromedarijs in pulchro & diuite cultu.
Quid quod fortaſsis prægrandis fulgida ſtella
Viſa fuit multis, ſigno quæ ſtella peracto,
Materiam redit vnde fuit formata priorem.
D Tantos nonne Ioſeph tecum miraris honores?
Nunquid non matri congaudes triſtia paſſæ
Multa prius, puto quid vult hæc veneratio quæris?
Reſpondet virgo vates memorata priores:
Mi vir, mi domine, ſaluandas credito gentes,
Et ſua perfundet fidei luſtratio corda,
Primitiæ veniunt, inter miracula nullum
Maius prædictum eſt, totóque implebitur orbe.
Fiet & eccleſia de gentibus, aſt ſynagogam
Magna pro parte cæcauit deuius error.
E Diuitias reges & opus cumulare cupiſcent,
Addent ornatus templis cum dotibus amplis,
Plurima dona ferent, quæ myſtica plura docebunt.
Nox venit & iuſtum Ioſeph admiratio grandis
Mentis in exceſſum rapit, & ſecum meditatur
Secluſus ſolus humili caſtóque cubili.
Conquirit ſi forte magi ſtudio rationis
Edocti veniunt, vel tractu legis in aſtris.
Nam deduxit eos radiantis ſtella nitoris,
Dicitur an ne magus magicas quia nouerit artes
F Decidit in ſomnum ſenſim dum talia penſat
Viſa loqui grandæua parens natura decorum,
Aſtriferúmque caput illi quod ſignifer ornat
Circulus atque orbes ſeptem, totidémque planetæ,
Continet hæc vtero cunctarum ſemina rerum,
Semina ſunt elementa ſibi quæ temperat, & quæ
Influa conciliat vis cæli, mixta perinde
Profert aſsiduè ſpecies diſtincta per omnes.
Noli clare Ioſeph dubiam deducere mentem,
Quærens forte meis ſi feci viribus illam,
Quæ ſtetit hic ſtellam, ſi me ductrice magorum
Venerit iſta cohors rationis lumine viſa.
Scito tale nihil cælis vel in aëre geſto

Digitized by Google

Funereas cognoſco meum formaſſe cometas
Flammiferáſque faces ſimiles radiantibus aſtris.
Quas admirantur ſubitò per inania labi.
Huic alius motus, huic perduratio diſpar,
Nunc circa puerum (nec denego) plurima fiunt,
Quæ noſtras ſuperant leges, perquirere cauſas
Non noſtrum, domino parere neceſſe iubenti,
Sed neque nobis eſt hominum ſubiecta voluntas,
Libera nunc illuc, nunc huc conuertitur vt vult.
Idcirco leges nequit experientia certas
Colligere humanos dum ſub me reſpicit actus.
Cur? quia nec cælum nec ego cauſauimus illos.
Iunge quod humanus ſupra me finis habetur
Gloria dicta beans, ad quam dux gratia ſola
Non ego, nec media diſponere ſufficiens ſum
Aſt aliter fuerat hominis formatio prima,
Nam nemini per cuncta ſibi dedit officioſam
Me dominus, iuſſit illi poſt eſſe rebellem.
Sed maiora dedit, valeat quam noſtra poteſtas,
Dum reparare placet, & eam vult eſſe redemptam
Myſterium fateor, hoc neſciò, nam ſua reges,
Non mea ſtella trahit, peperit ſine ſemine virgo
Abſque dolore carens, paſtoribus & data lux eſt
Romæ oleum fluxit, cecidit pacis modo templum.
Non meus hic terris, non cælis inditus ordo,
Gratia mea ſupereſt, illam pete, perdoceat te.
Nec inter ſomnus elabitur, & Ioſeph omnem
Peruigil vxori ſeriem docet atque retexit,
Viſa probat, robúrque ſuo ſuperaddidit ore.
Poſt hæc legitimum dum tempus adeſſe dierum,
Quos quadraginta numerat lex, ſenſit ab ortu
Iam pueri, ſponſo loquitur, noſtri quia templum,
Non ſine muneribus nos viſere conuenit, infans
Eſt etenim primogenitus, redimatur oportet,
Non quod eum vel me legis cenſura coarctet,
Sponte placet ſubdi, fiátque oblatio noſtra
Pauperibus ſimilis, mores humiles doceamus.

DISTINCTIO DECIMA.

Reſponſum Simeon accepit deſuper olim,
Non te mors rapiet niſi Chriſtum videris ante.
Chriſtus vbi venit quid gratia ſuggerit audit
Gratia cæleſtis radians bonitatis imago.
Ecce ſuum venit ad templum dominus dominator,
Iuſte ſenex timorate Dei, quem ſpiritus implet
Interno afflatu, fac occurras venienti,
Vlnis accipito puerum, benedicito dicens,
Dimittis domine me nunc in pace, ſecundum
Verbum ſancte tuum, qui ſum ſeruus tuus alme,
Namque tuam propriis oculis nunc cerno ſalutem
Siue ſalutare, quod cunctorum populorum
Ante paras facilè, lux gentibus alta reuelans,
Iſrael ipſe tuæ laus eſt, & gloria plebis.
Membra ſenex ergo quamuis languore grauata
Corde vigenti mouet, templum petit, ornat ouanter,
Nunc ea, nunc illa loca templi, ſuadet alacris
Sic faciant alij, quia mox veniet dominator,
Proſpicit ex aditu templíque per atria, quando
Promiſſus veniet, vidit procedere tandem
Bethleem ex vrbe te virgo, Ioſeph puerúmque
Agmine cum ſancto vicinorum atque parentum
Spiritus ex templo ſanctus ſibi prodidit, hic eſt
Exilit & iubilat, non ſe capit, atque iuuentus
Eſt aquilæ viſa, mens in domino renouatur.
Turturis illic par duplicatus ſiue columba
Pullus pro puero datur, huic qui ſacrificatur
A Obtorto collo, guttur dirumpitur vngue.
Sanguis & effuſus diuina altaria tingit,
Pluma veſiculáque cineres mittuntur in atrôs.
Vidit & ingemuit noua virgo puerpera noſcens
Paſſuri hanc pueri pro nobis eſſe figuram
Infantem redimens vir ciclos quinque dediſti.
Forte ſacerdotum ſancta de ſorte beati
Tunc aderant cum te puero venerande Ioannes
Vir Zacharias & olim ſterilis ſua coniunx,
Venerat Anna ſenex octogenaria vates.
B Déque Ieſu cunctis multo ſermone loquuntur;
Intulit & Simeon tibi matri virgo Maria
Voce prophetali, poſitus puer iſte ruinam
Eſt id multorum, multiſque redemptio fiet
Iſrael ex populo, ſed erit cui dicere contra
Continget ſignum, gladius tranſibit acerbus
Crede tuam mater animam, ſic corda patebunt.
Singula corde ſuo retinet virgóque, recenſet
Dictáque facta ſimul, cum lætis triſtia confert.
Túque Ioſeph, nec enim memorem non eſſe decebat;
Mos erat in templo diſtinctis ſedibus vti,
C Virginibus nuptíſque peto qua ſede reſedit
Virgo die tali, puto nuptis aſſociatur,
Ipſa humilis ſecreta tegens, & Eliſabet illi
Conſignare locum ſatagit cognata propinquum
Concordant aliquæ, fors quaſdam liuor inurit
Diuitias reputas ſolas plebs multa colendas.
Poſtquam compleruntlegem Ioſeph atque Maria
In templo Sion, redeunt ad Nazareth vrbem.
Quærit eundo prout fit conſolando laborem
Vir puerum propriis vlnis ad pectora geſtans
D Faſciculum velut myrrhæ, quaſi cordis amorem
Quid ne putas domina ſibi vult dictum Simeonis?
Hic erit in ſignum cui contradictio fiet?
Præſertim quia prædixit mihi viſio certa,
Quod foret iſte puer populorum cauſa ſalutis,
Mi vir, mi domine vitijs contraria virtus
Virtus in medio rectum tenet; aſt vitiorum
Sunt torta extrema, falſi conuentio nulla
Cum vero, nec quæ fidei natura capeſcit,
Nec videt inflatus oculus, nec crimine lippus
Signa petit Iudæa, placet ſapientia Græcis,
E Stultitiam verba reputabit Græcia Chriſti,
Signáque quæ faciet, Iudæi ſcandala dicent.
Si de corporeis ratio vix redditur vlla,
Ni Deus illuſtret; capiet cæleſtia nemo.
Infans iſte Dei dicetur filius, ô quot
Philoſophi ſimul & Iudæi tale videntes
Corpus quod peperi; quod nos geſtauimus ambò
Dicent, quid cum carne Deo, quis filius illi
Eſſe poteſt; cum ſit ſimplex, æternus & vnus?
At cum dicent de virgine natus; & abſque
F Contactu cuiuſque viri, quod vagijt infans
Lac quod ei dederim quod tu nutriueris illum
Scandala ſtulta vides fidei ſi lumina deſint.
Non aliter quam nicticorax ſi fulgida ſolis
Lumina contendat tenebroſo cernere viſu.
Aut ſi quis varia per nubila denſáque lunam
Inſpiciat, fallunt ipſa radiante colores.
Eſt oculus mentis tetra omnis paſſio nubes,
Paſſio iudicium varium variata rependit
Practica, præcipuè ratio diiudicat vt ſit
In deſiderio tractus nunc iſte vel ille.
Hinc oculus trahitur oculo, velut orbibus orbes.
Quid quod care Ioſeph ſenſiſti ſurgere multum

Digitized by Google

Murmur iam populo, quod noſter erit puer hic rex,
Conſortem non regna volunt, non ampla poteſtas
Vrbe Hieroſolyma ſcis quæ turbatio facta eſt.
Ecce ſed ô mi vir natiuum cerno propinquum
Nazaret oppidulum, verbis iam terminus eſto
Mutua poſterius ſuper his collatio fiet.
Complacet, inquit vir video concurrere noſtros
Affines, læti veniunt applaudere nobis,
Próque puerperio, pueróque tuo, reditúque
Sic erat, ô quam mens venturæ neſcia ſortis,
Fient in luctum quæ ſunt modò gaudia mæſtum.
Interea nam ſe reputans truculentus Herodes
Regum reſponſis deluſum perfurit amens.
Ergo regnabit alius? regnóque repellar
Iudææ: fiet aliter, pueros nece perdam
Bethleem in tota, placet hoc, regione morantes
Hoc ita propoſuit primo, ſed pergere Romam
Vrget notorum delatio facta ſuorum.
Hæc inter Ioſeph eſt Ægyptum pergere iuſſus
Cum matre & puero, ſicut deſcripſimus ante.
Sic dominus ſæuo ſapiens eſt vſus Hærode
In bona, omnia mala ſcit conuertere geſta malorum.
Rex redit & mandat crudelia iuſſa per omnes
Bethleem heu terræ fines, nullúſque bimatum
Attingens puer, ac infra delinquitur expers
Mortis, & in proprios gladius deſæuijt æquus.
Regnantis natos, hinc Cæſar, porcus Hærodis
Eſſe malim quam filius, heu deſcribere tale
Quis poterit facinus, quis fando æquare dolorem
Matrum è complexu pueri rapiuntur, & ipſos
Vbera lactantes fodit crudelior enſis
Excerebrant alios, elidunt corpora petris,
Innocuo matrum lac tingere ſanguine gaudent
Membratim excerpunt alios, pes proterit iſtos
Improbus & matrum lachrymas iuſtóſque dolores
Atque preces, geſtus humiles riſiſſe voluptas.
Quid tibi vis Cæſar terreni ambitio regni?
Non eſt conſilium non eſt prudentia contra
Crede Deum, placito Deus omnia fine coërcet.
Dixerit hic aliquis matrum infelicia fata,
Sed felicia ſunt, nec enim longæuior ætas
Profuerit quantum mors contulit accelerata.
Ecce tuum Simeon verbum iam verificatur,
Fit puer iſte Ieſus multorum dura ruina,
Corpore dura quidem eſt, animæ vos viuite læta.
Non etenim Ieſus aduenit concedere terris
Pacem, ſed gladium quo pax conquiritur alma.
Felices pueri quos circuncıſio puros
Primitus effecit, ſacrat proprius modo ſanguis.
Heu quantum miſeris mortalibus horrida ſors eſt
Perdere quando malis fas vitam impune bonorum
Cuilibet eſt, ſi fas ſæuos iugulare tyrannos.
Cur ſceleratus, cur truculentus viuit Herodes?
Sed non fas, tibi vindictam Deus alme reſeruas,
Solis quos ſtatuis eſt exercenda miniſtris.
Corporeas verò ſi mortes has puerorum
Horreſcit meditans, quam tetrior illa tyrannis.
Quæ genitas nouiter animas iugulare requirens.
Ridet, & exempli gladio ſecat improba calcans
Sub pedibus, modò ſuffocat hos, modo ſtrangulat illos,
Mens noua verbigena dum ſe transferre iubetur
Ægypti tenebris, hoc eſt caligine diua
Tutandum, ſimulachra ruunt, phantaſmata cedunt,
Dirigit ipſe Ioſeph, hoc eſt diſcretio greſſum,
Neu cadat in præceps petulantis carnis aſellus.
Perfurit interea ſathanas, qui perdere perdens
Multa, nequit puerum ignota regione repoſtum.
A *Hactenus hæc mentis oculos dum retro reflecto*
Inſpicióque diem qua templo ſiſtitur infans.
Februus intrabat menſis quo more celebri
Romam cum facibus populus luſtrabat ouanter
Vana ſuperſtitio, fidei dum Roma recepit
Lumen mutata feſtiuo ceſſit honori.
Virginis atque Ioſeph pueri Simeonis & Annæ
Hinc candela manu portatur cerea multa
In templis hodie prudenti conſilio fit,
Quod popularis mos, qui tolli vix potuiſſet
Funditus, in finis melioris vertitur vſum.
B *Auguſti ſic prima tuis data petra catenis.*
Sic ſano poſſunt encænia facta colorem
Sumere virtutis, nobis datur ergo ſalubris
Regula, dum mores popularia corda replerunt
Vana ſuperſtitio quibus eſt ſeu deuius error
Tollere cum facile nequeas, mutare doceto
Fine bono, ſit eis melior directio cordis.
O quam lata patet hæc regula, quæ vitioſos
Actus innumeros virtutes reddere poſſet.
Dum nummos recipit quis ſacramenta miniſtrans
C *Tollite proclamant ſunt, Simeonis omnia plena.*
Quis numeret? quot dant vſuræ nomina rebus
Quicquid eis vanum, quicquid vel diſplicet acri
Iudicio feriunt, mortali crimine damnat,
Plura tamen fieri poſſunt aliquando merendo
Talia, ſi fuerit prudens directio cordis,
Nec tamen hæc noſtrum ſit ſingula tradere metris.
Sed redeo, non Roma modo luſtranda priore
Nec veneranda ſibi ſunt idola muta deinceps
Cum face ſuccenſa, ceſſit iam ſereus addens
In decus eccleſiæ, nomen candela diei
D *Multiplicata dedit, flammanti ſplendida luce*
Quæ fert lætitiam, quæ myſtica multa figurat
Igne vigor, fulgor, ardor ſunt appropriatè.
Patre vigor, fulgor genito, ſuauiſſimus ardor
Pneumate ſunt ſacro, virtutis ſit vigor in te,
Fulgeat in mente ſapientia ſerpat, amoris
Ardor in affectu, deuotio ſancta coruſcis
Luceat exemplis, ſi cordibus ignea lex eſt.
Nam Ieſus atque ſui nobis exempla parentes
Religioſa ſatis liquerunt, quando quotannis
E *Iſſe Hieroſolymis referuntur viſere templum.*
Annuus erat puero biſſextus quando remanſit
Per triduum in templo, redijt ſubiectus vtrique.

DISTINCTIO VNDECIMA.

SCIRE velim præclare Ioſeph præclara Maria
Dum Ieſus à templo rediens ad Nazareth vrbem
Tramite protenſo plus quam miliaria bis ſex
Cum puero quis ſermo fuit, nec enim ſiluiſtis.
F *Quis dederit trilogus fuerit notus mihi veſter.*
Ambulat vt medius Ieſus inter vtrumque parentem
Nexa manuum manui repetit ſuauiſſima mater.
Fili quid nobis feciſti perdite totum
Per triduum, quæ verba tibi, quæ facta fuerunt?
Enarres placeat, via nam ſermone leuatur.
Prima ſacerdotes & ſcribas viſere mater
Templo cura fuit, de lege interrogo multa.
Multa ſuper ritu ſacrorum, ſi cito regem
Venturum ſperant meſſiam, cuius & ipſe
Natus erit? qualiue loco naſcetur, & anno?
Diues vel pauper? quæ vita? quis exitus illi?
Quiſque refert vt doctus erat, ceciniſſe prophetas

Libris

Digitized by Google

Libris in varijs, ergo veniſſe ruinæ
Dictis & proprijs Meßiam viuere terris
Mirantur, ſe reſpiciunt pariter, nec habentes
Reſponſum ſolidum, me reſpondere perurgent.
Talibus intentum reperiſti ſedula mater
Inter eos, reliquo cum notis tempore verſo
Quos genus affines reddit, nutritus ab illis.
Incola quid faciat deſerti noſter in annis
Par, ſciſcito, vitæ cui cælica forma Ioannes
An nos blande puer nimis anxia cura coquebat,
Mecum matre tua, rurſus ne perdere tete
Quæreret impietas charißime ſæua tyranni
Quid ne putas agimus primæ dum nocte diei
Vna domus recipit nos ambos, te ſine fili?
Namque viros mos à mulieribus ire ſeorſum,
Aſt pueris aderat fas iſtac ire, vel illac.
Hic ego cum matre te mecum pergere credit,
Nonne fuit tecum petimus, querimúrque vicißim?
Fit nobis nox vna vigil, flemúſque precantes.
Primo mane citò conſurgimus, atque propinquos
Nunc hos, nunc illos inter te quærere cura eſt.
Téque die tota fili non inuenientes.
Quando tertia lux oritur, repetamus ad vrbem.
Heu nimirum triſtes defeſſus anhelat vterque
Iſtum, ſed remouet inuentio læta dolorem,
Oramus fili ne taliter egeris vltra.
Nec faciam, remanebo domi, parebóque vobis
Reſpondit puer, hinc fuit proxima Nazareth illi.
Intrauere domum, fuit illis cœna paranda,
Non erat intus aqua vicino fonte petenda eſt,
Protinus vrceolum puer accepit obſequioſus,
Ad fontem properat, laſſus licet Gabriel quid
Iſta videns reputas tecum, enim Deus ecce
Seruit & obſequitur terris, quem regia cæli
Tota cohors tremit, & ſupplex veneratur adorans.
Quid dices hominis ignaua ſuperbia nullum
Dignans obſequium, tollerans nec pigra laborem?
Amplius exemplum pulchrum de religione,
Quódque parentibus & humilis ſubiectio danda
Seruitiúmque frequens pueris dominus Ieſus offert,
Sedula non minus hic ſpeculatur cura parentum,
Quanto cum ſtudio nati ſeruentur oportet
Corpore ne pereant, animæ ſaluatio cura
Conquirenda, tamen maiori ſollicitáque
Inſuper hoc ſpeculo cor deuotum meditetur
Quid quærat, quid agat, quando declinat in iram.
Quando perditus eſt ab eo Deus, & Ieſus extra
Diffugiens fictum, vel de virtute ſuperbum,
Fac tibi diſcurſus, & per loca cælica quære
Cum pedibus mentis manibúſque repens, pauor ingens
Vrgeat, & dolor anxius, omnes impete ſanctos,
Sis importunus, nec deſine ſæpe repulſus.
Irrue tu quaſi mentis inops vel ad hos vel ad illos,
Pandite, dic vbi ſit fugiens dilectus, & illum
Reddite, non fas eſt vobis, ô languor, & horror.
En morior, proſtrata pedes nec deſero veſtros,
Ni redeat mentis vtero de pneumate ſacro,
Quem peperi mater, eſt totus amabilis ille,
Væ tibi mens tumida talem quia reijcis à te
Pœnitet heu heu, nunquid eum pœnitentia reddet?
Quò quæram? quid agam, ſi non inuenero cæli
Templo, quo fugiam, vel vbi moribunda quieſcam
Dic rurſus precor alme Ioſeph, tibi ſupplico virgo,
Ambos obteſtor, memores eſtote priorum
Curarum, & deſiderij quod torſit vtrumque,
Et quot circuitus, quota quæſtio facta per omnes

Quærendo puerum, cum declamare parumper
A *A vobis voluit quærentibus, vt miſereri*
Forſan ſciretis, miſeros miſeret miſerorum
Ergo Ioſeph ſicut viſus tibi durior eſſet
Quærenti puerum, ſi quis celaſſe repertus
Nec iuuiſſe volens fuerat, mihi mollior eſto
Condeſcende pijs votis ſi recta requiro.
Ætas in puero, ſapientia, gratia coram
Mundo creſcebat, & in illis proficiebat
Ac ita ſe geßit, triginta donec ad annos
Venit, continuè Ioſeph vt patrem veneratus
B *Secum habitans patrem quod plebs exiſtimat omnis.*
Aſſerit hoc Lucas, notat hoc & ſermo Philippi:
At Nathanael ſe Chriſtum reperiſſe loquentis,
Quem ſcripſit Moyſes à Nazareth ex Ioſeph ortum,
Deſerto veluti ſtuduit latitare Ioannes
Tempus ad hoc celat ita cura domeſtica Chriſtum
Vera repentinè non vult ſe prodere virtus
At Ioſeph incuruus ſenio ſua membra bacillo
Suſtinet atque regit, labor huic non conuenit vllus
Vir factus reſidere domi, quandóque benignus,
Vt Ieſus inſpexit, conſedit proximus illi,
C *In primis reprimit aſſurrexiſſe volentem,*
Hinc loquitur: Dilecte Ioſeph fidißime cuſtos,
Ætas dum tulerat tua iure colendo miniſter
Exercendum opus eſt, pro quo ſum miſſus in orbem,
Nec reſidere domi, tibi nec ſocialis adeſſe
Hactenus vt feci, potero tolerare labores
Quos habiturus ero, poteris nec dura viarum
Forte nec inuidiam, mea quæ bene geſta ſequetur.
Flet Ioſeph, ac imo ſuſpiria pectore trahit
Ergo mori præſtat, inquit, ſpes vnica vitæ.
D *Tu ſolamen eras nobis. Quid vita deinceps*
Profuerit, cùm ſit mortalis lex omnibus vna,
Proxima ſed ſenibus venit, & mortale quid vltrà
Concupiam? quid amem ſi non conuiuere fas eſt?
Sed vereor domine, fili ſanctißime, quando
Nomine dignaris hoc me vereor ſceleratos
Iudææ multos homines ſimul & Galilææ
In quibus & verax verbum & virtus odio ſunt.
Quæ tibi ſola placent, horum ſi carpere vitam,
Si mores formare bonos tentaueris, eheu
E *Mox volet, vt priſcis, te liuor perdere nequam.*
Et volet agnoui, Ieſus intulit, ecce videmus
O grandæue parens modo quod nos deligit omnis
Nazareth hic populus, ſed noueris affore tempus
Hac noſtra quando Phariſæi me ſynagoga
Torti rancore dum verba prophetica de me
Scripta legam, quod me dominus tranſmiſit & vnxit
Deſuper hoc monte me præcipitem dare quærent.
Sed mihi cedet mons, veſtigia montis relinquam
Mollior humana lapidam natura patebit.
Hi mea peruertent miracula, dogmata ſpernent,
F *Et dicent, medice temet curare memento.*
Plurima ſubticeo, Sed quidquid erit peragendum eſt
Intrepidè mihi, quod ſtatuit diuina voluntas.
Sit labor atque dolor, afflictio, vulnera, carcer
Sit gelidus, ſit crux, domino parere neceſſe eſt
Mors etiam toleranda pijs: patientia vincit,
Et cæli regno tribulatio multa coronat.
Æqua mente feras quidquid tolerare neceſſe,
Nec mihi nec domino pater aſſentire recuſes.
Hæc ait, & ſolens lachrymoſa voce querentem
Liquit, & huic celerem prædixit adeſſe quietem.
Hæc ſuper introijt coniux ſanctißima, quærit,
Mi vir, mi domine quid habes? plangore dolorem

Nempe ſuum ſenſit, lachrymiſque per ora volutis
Hic ſilet, ac tandem potuit qua voce recenſet
Singultu mixto, prænuntia triſtia Chriſti
Condolet afflicto, vultum tamen ipſa ſerenat,
Verbáque dat blanda, premit alto corde dolores,
Scit quoniam triſti confert affabile verbum.

DISTINCTIO DVODECIMA.

Venerat illa dies quæ vitam morte pararet
Perpetuam tibi iuſte Ioſeph, quod inclyta proles
Chriſtus adeſt cum matre pia, quibus officioſè
Seruieras, vultu placido ſolantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleuerit intus obortis
Naturalis amor, etenim ſat credere fas eſt
Quod patrem Ieſus, & ſponſum fleuit morientem
Virgo benigna ſuum, fidi cuſtodis amato
Procumbit lecto, complexans membra pudicis,
Oſcula dat labijs, mî vir, conclamat, abiſne?
Deſeris & viduum paſſuram dira relinquis?
Velle tamen Domini fiat, dilecte valeto
Nil timeas, dominus placida te ſede locabit
Protinus ipſe Ioſeph precioſa morte quieuit.
Lugubres recipit veſtes viduata Maria
Exequias reddunt deuotas Nazareth vrbe
Tota virum flet plebs qui vixerat abſque querela
Omnibus in commune bonus ſanctiſsimus herus,
Certa Dauid regis & præclariſsima proles.
Nec tamen eſt obitus ſat certa dies, quia ſignant
Hancvarij variè pro religione colendam
Eſt februarius, eſt & Martius, éſtque December
Primi nona dies, cum dena nona ſecundi,
Alterius decima & per quoſdam nona notatur.
Sic quæcunque dies ſua nobis mors honoranda,
Caſte velut turtur ſi compare ſit viduata
Sola volat repetens arentes arbore ramos.
Pro cantu reſonat planctu gemebundo pudico,
Sic dolet abrupto vitæ ſocialis amore
Virgo gemens deflénsque virum plangore modeſto.
Vt ſemel vt ſenſit ſubtriſtem filius eius,
Solans alloquitur, ſecretáque plurima pandit,
Atque futurorum ſeriem breuiando recenſet.
Chara mihi in primis mater, nolito doloris
Accumulare tibi cauſas; ſed reſpice mentis
Interiori òculo fidei cum lumine, quales
Collegio patrum bene qui vixerit priorum
Applauſus iubilóſque dedit cuſtodia amici,
Decedens anima, dum limbum ingreſſa, propinquam
Sic etenim nouit denuntiat eſſe ſalutem.
Nam ſaluator adeſt, ego ſum ſaluatio certa.
Porro te ſolam mater cuſtode carentem
Neu reputes ſubeo curam iam diſcipulorum
Plurimus adſtabit numerus mihi, iam mulieres
Sanctæ gaudebunt ſeſe præbere miniſtras.
Audis vt affinis noſter pius iſte Ioannes
Hactenus hæc deſerta colens, modo flumine cœpit
Iordanis baptiſma nouum, baptiſmate cuius
Abluar, vt ſit aquis recreandis ſpiritibus vis
Me populo oſtendet, digito monſtrabit, & agnus
Inquiet, ecce Dei, qui mundi crimina tollit.
Namque columbina ſpecie ſuperaſtitit almus
Spiritus, & manſit in eo dum tingitur vndis.
Vidi equidem & noui, cæli teſtantur aperti,
Vox ego clamantis in deſerto, paret omnis
Dirigat & colles domino populus venienti.
Quemque ſui pigeat ſceleris, quia propimat
Regnum cælorum, trunco eſt affixa ſecuris
A Crebrius & hæc plura feret, quæ conciliabunt
Auditorum animos, mihi gens ſociabitur vltro,
Carcere claudetur, volet hoc immitis Herodes,
Quem timor & liuor ſtimulus agitabat acerbis
Publicus inde mihi ſermo procedet ad omnes
Iudææ terras, per ſabbata, per ſynagogas,
Deſerto tamen ipſe prius remanebo diebus
Bis viginti, me deducet ſpiritus illuc
Tentandum à ſathana, rabida qui turbidus ira
Plurima perplexa ~~ſecum ratione reuoluet~~:
Hicne Deus qui iam potuit ieiunia per tot
B Ferre dies? de quo ſunt multi tanta loquuti
Quod veniet noſtrum ſpolians violentus auernum,
Si verò Deus eſt, modò qualiter eſurit? ibo
Tentaturus eum, comites aderunt mihi peſtes
Tres Eribi furiæ, gula prima, ſuperbia deinde
Mente tumens, alia rerum ſcelerata cupido,
Turpes celabunt vultus ſub imagine pulchra
Virtutum ſub fallaci fictóque decore.
Debita ſum, dicet gula ſuſtentatio carnis,
Altera fide Deo, dicet, quid ſanctius hoc eſt?
C Tertia quod toto diues dominabitur orbi.
His potui monſtris primos ſuperare parentes,
Nunquid & hunc alijs ſimilem ſubuertere poſſum?
Iſta ſathan ſecum: ſed erunt certamina fruſtra,
Diuini gladio verbi confoſſus abibit.
Denique multa mihi mater dilecta trienni
Tempore patranda, quorum tu conſcia fies,
Nam præſens aderis ſub me cuſtode deinceps,
Conſpicies oculis tandem me ſcandere cælos,
Scandet & ipſe Ioſeph & mecum regnet in æuum,
D Regnabis pariter fuerit dum vita peracta,
Nomen, laus & honor dabitur per ſecula vobis.
Procumbit mater, genibúſque affuſa rependit
Grates, & repetit: fiat tua nate voluntas,
Debeo ſolari rurſus viſura Ioſeph te.
Et nos Chriſticolæ talem veneremur, amemus,
Fundamúſque preces ſibi ſupplice carmine tales.

ORATIO.

E Illuſtris patriarcha Ioſeph Dauid alta propago,
Iuſtitiæ cultor, claris numerande prophetis,
Virgineo ſplendore micans, cuſtóſque Mariæ,
Teſtis, nutritor, & Chriſti fide miniſter,
Conſcie myſterij, quod neſciuere priora
Secula, tu verbum vitæ quod erat caro factum
Geſtaſti manibus, etiam ibi ſubditus vltro
Dignatus fieri nutu qui temperat orbem.
Tu vir, tu dominus matris domini dominorum,
Magne peregrine dudum terris, modo regnas
Felix in cæli patria, ſecurus, & omnis
F Expers terroris, labor, anxietis procul abſunt.
Quæſumus intende nobis, miseróſque benignus
Inſpice nos oculis, quos tanta pericula turbant.
Eſto peregrinis fautor, dux, auxiliator,
Defeſſos refoue, tot ſcandala tolle viarum,
Dirige cæcos, erige lapſos, optima detur
Gratia dux, baculúſque ſpei firmiſsimus adſit
Pax in credendo, cordis meditatio ſuauis,
Tentamenta, ſathan, mundi, carnis ſuperemus
Te protectore, peccatores nec abhorre,
Pro quibus à domino dignatio talis oderta eſt
Erga te, ſponſámque tuam Dei genitricem.
Sic age pro cumulo meritorum & laude tuorum

Aduena

Digitized by Google

Aduena quod fueris & Gerſon myſticus olim
Multis implicitus curis meminiſſe precamur.
Ex his quæ paſſus es noueris vt miſereri
Campatiens eſto, nos heu retinet tenebroſa
Torquet & Ægyptus, ſis ſaluator velut alter,
Egregius patriarcha Ioſeph frumenta recondens
Prouidus, ô iam iámque fame refoue pereuntes.
Iſta fomes noſtras animas, non corpora perdit,
Alter laudatur Ioſeph inſignis quia Chriſtum
Conſepelire ſuo legitur curaſſe ſepulchro.
Dignus & alter erat dici cognomine iuſtus
Filius Alphei Iacobus cum Simone, Iudas
Hinc fratres domino aſtines comitéſque fuere.
At noſter Ioſeph hic quotiens & quot tibi Chriſte
Præbuit obſequia viuo, plus plurima iuſtus.
Iuſtus in omnimoda atque beata
Sit ſua iuſtitia nobis, protectio nobis;
Pro meritis nobis, nobis ſaluatio fiat.
Cyprius aſt alius Ioſeph extitit, hic ſua vendens
Ante pedes poſuit primorum diſcipulorum,
Cognoménque fuit ſibi quod ſolamina præfert
O noſter petimus conſolator Ioſeph eſto.
Tu Ioſeph accreſcens dictus, quia ſemita iuſti
Creſcit ad vſque diem perfectum, creſcere fac nos
Virtutum gradibus, donec dominus videatur.
Gloria non tollit naturam, perficit ipſam
Plus ea dignificans quæ modo digna fuere.
Ergo ſi dederit natura & gratia terris,
Incola dum fueras tibi munera tanta quod altus
Cælorum dominus eſt dignatus tibi ſubdi.
Quid modo gloria dat, quanta ô fiducia, quanta eſt
Vis impetrandi, quia dum vir, dum pater orat
Vxorem & natum velut imperium reputatur.
Cui non blaſphemus ſermo precor hic videretur
In terris? & quæ miracula gratia fecit.
Perſonas inter ſimiles eſt nexus amoris
De Ioſeph aſt ratio ſuadet ſua quod facialis
Forma Ieſu formæ ſimilis reputanda fuiſſe eſt.
Si non, quo pacto pater eius creditus eſſet?
Qualiter omnimoda matris ſeruaſſet honorem?
Diſparitas vultus prolis cum patre putato?
Gratia naturæ fieri vult conſona ſæpe.
Nonne minor Iacobus fratre Domini perhibetur?
Valde ſibi ſimilis quod gratia non caro fecit.
Nuper in auſtra vir relligione probatus,
Dum peragrabat iter ſub finem noctis opacæ
Ventis ac pluuia ſimul ac errore viarum
Turbatus, veſtri meminit Ioſeph atque Maria,
Orans hoſpitium, mox villa petita pateſcit.
Poſſumus hoc ſigno portum ſperare ſalutis.
Corpora multa Ieſu Domino moriente ſepulchris
Exurexiſſe & veniſſe feruntur in vrbem
Sanctam, ſi tu iuſte Ioſeph patriarcha beate
Ex illis vnus fueris, ſi téque videndum
Vxori dederis mœſtæ, definitio neutrum
Re ſuper hac, ſatis eſt animos pulſaſſe fideles.
Certum quod magno eſt venerari dignus honore
In terris, immenſa tenet quem gloria talis.
Eſt etenim Chriſte tecum tuus iſte miniſter,
Eſt & cum ſponſa ſponſus clariſſimus alma.
Virgineoſne tuos ſedes loca æqua parentes?
Sic tamen hac in re ſimplex meditatio noſtra
Sanctis ſaluus honor, volumus, alijs ſuus eſto
Quos de priuatu contentio nulla fatigat
Magne Ioſeph magno velut imperioſe patrone
Cum deſiderio petimus fer opem, noſtri miſerere,
Cælica ſuſcipiat nos tandem patria tecum.
A *Talis dum fieret oratio corde fideli*
Viſa videt radijs intus ſplendere coruſcis,
Fulgurat vt ſubito colliſus nubibus ignis
Flammea rima micat, cælos plebs credit apertos
Tali ſub radio mentem capit anogogia
Empyreum in cælum, videt illud vt angelus implet
Iam non ſolus ei, ſed plurimus adſociatur
Spiritus humanus, patria qui regnat adepta.
Ergo impetrandi nobis fiducia maior,
Interceſſores quo plures gratia donat.
B *Neſcio quid corde meditor, mirabile dictu*
Diſſerat hoc pietas, terris tu nonne viatrix
Virgo diu degis, poſtquam conſcenderat aſtra
Filius, atque patres ſancti, inter quos patriarcha
Sponſus erat cuſtóſque Ioſeph fidiſſimus olim?
Nunquid non deuota preceps, deuota ſalutes
Crebro ſibi mittis, quas lætatus ſpeculatur
Clarius in verbo, te forſan nonne reuiſit
Et cælis agilis terris delapſus ad imas,
Angelico more, cur hoc non credere fas ſit?
Vt de Martino, quem tu, quem Tecla, quem Agnes
C *Degentem in terris viſiſtis, pluribus ídque*
Contigit in mundo hoc miseræ ad ſolamina vitæ,
Aut pro doctrina, vel quodam pignore vitæ
Iam iam ventura, ſeu contra dæmonis aſtus.
Addit ad hæc pietas quod amoris cantica ſponſæ
Mutua cum ſponſo Salomon quæ concinit apte
Conueniunt tibi ſponſe Ioſeph, tibi ſponſa Maria
Quam felix, illa puro qui corde recenſet?
Supra mel ſupráque fauum prædulcia menti,
Qualis guſtare, quam verbis promere præſtat.

FINIS.

D ANNOTATA FVERE VERBA quæ ſequuntur in extremo margine eius exemplaris, vnde hæc correximus, & quædam manu ipſius Chriſtianiſſimi viri Ioannis de Gerſon correcta M. CCCCXVIII. Iulij in commemoratione ſanctæ Annæ à Rathenberg, quando compilabat de conſolatione theologiæ.

ARGVMENTVM PRO ORDINE REI GESTÆ NON VT SCRIPTA eſt hoc carmine.

E *Alme Ioſeph Ioſephina tuo de nomine carmen*
Narrat, vt angelica conceptum viſio pandit
Virgineum, celebri ritu connubia iungis.
Idque redit ſponſa te per montana volente
Das latriam infanti nato, nomen Ieſus addis,
Suſcipis inde magos, puerum tu poſtea templo
Siſtis, & inde fugis in Memphim, ſeptimus annus
Illic tranſierat, redis; iuuenis, hinc duodennem
F *In templo puerum, placido poſt fine quieſcis.*

FINIS.

A DOMINO GVILHELMO SCISſoris Carthuſienſis, prius ſcholari Nauarræ, in Maio M. CCCCXXIIII. recepta ſunt hæc metra Lugduni.

Sicut es humanæ Gerſon diuæque peritus
Legis & eloquij, Ioſephinam ſenſibus altam
Auribus in noſtris cecinisti gutture dulci
Quam duros paruique Ieſu, matriſque Mariæ
Et Ioſeph vna domus fuerit perpeſſa labores
Dum fugit aptantem lethalia tela tyrannum
In mortem pueri, noctem dum captat opacam,

Digitized by Google

Dum petit Ægyptum, dum viuit gente ſub ipſa,
Dum natale ſolum repetit, cum virgine natum
Arte Ioſeph quanta rexit, quam iuſtus vtrique
Cuſtos, egregiè ſcripſiſti; donec adultus
Ac fieret Ieſus, ac animam Ioſeph adderet aſtris.
Illic ſine Ioſeph, illic Ioſephina quienit
Virgo Ieſu, virgóque Ioſeph, virgóque Maria,
Nunc domus ætherea, nunc orbis ſumma poteſtas,
Tunc inopes, tunc terricolæ, nam carmine ſacro
Diſſerit, vt nobis grauis extitit hoſpita tellus,
Compenſate vices, in regna vocate Ioannem,
Veſtra precor, veſtrum date cœtum, ſit date veſter,
Te Ioſephina polo Gerſon doctiſſime, ducet,
Quæ tam pulchra ſolo te dictatore relucet.

ISTA PROSSA CANITVR CONformiter ad iſtam: Mittit ad Virginem non quemuis nuncium.

Primum.

Ad Ioſeph mittitur *In ſomnis nuncius*
Iuſtum alloquitur *Spirans interius*
Aſſenſum numini *Noli metuere*
Proles Dauidica *Sponſam accipere,*
Iuſſa te cælica *Nubunt huic virgini.*

Secundum.

Tibi rex gloriæ *Mariam copulat*
Mira vis gratiæ *Pudicum poſtulat*
Hoc matrimonium. *Crede magnanimis.*
Audi, nil hæſites *Hæc ſunt magna nimis.*
Cur nouum cantices *Epithalamium.*

Tertium.

Sis licet conſcius *Quod habet filium,*
Fac iuſſa citius *Dum ſcis myſterium,*
Noli hoc prodere, *Exurge, nuncia,*
Dic ſponſæ protinus, *Tibi me Maria*
Nam vult hoc Dominus *Virum do propere.*

Quartum.

Virgo ſuſcipias *Dei diſpoſitum*
In quo perficias *Voti propoſitum*
Cum prolis gratia *Volo quod nuncias,*
Refert humiliter *Virgo dans gratias.*
Ergo ſolenniter *Iungunt connubia.*

Quintum.

Nubunt angelicis *Choris canentibus,*
Plaudunt ſanctificis *Parentes luſibus,*
Caſtè tripudiant, *Dulce canentium*
Hymen inſeritur *Vehens ad gaudium,*
Quod cælo geritur, *Et illis inhiant.*

Sextum.

Cognatam viſita *Virgo celeriter,*
Vis me Ioſeph ita? *Vult, & dat pariter*
Fideles comites, *Clam & Elizabeth*
Plauſus infans edit *Propheta qualibet,*
Virgo tandem redit, *Parit, neu dubites.*

Septimum.

En Ioſeph paruulum *Decorum aſpice,*
Dat Ioſeph oſculum, *Fer, foue, refice.*
Qualis ô gloria. *En tibi ſubditur*
Qui cælis imperat, *Seruit, obſequitur,*
Qui mundum temperat *O mirabilia.*

Octauum.

Tuum dic filium *Iam iuris corpore,*
Ius habes proprium *Conſenſus robore*
Dati coniugio, *Sanctus ſe ſpiritus*
Dedit vicarium, *Fœcundans cælitus*
Vxoris gremium *Te voluntario.*

Nonum.

A *Virgo verbigena,* *Virgo fons gratiæ*
Nos nos gens aduena *Pleni miſeriæ,*
Plenique vitio, *Te virgo petimus,*
Te Ioſeph inclite, *Veſter quem colimus*
Ieſus nos placidè *Locet in gaudio.*

FINIS.

O veneranda Trinitas *Ieſus, Ioſeph & Maria,*
Quam coniunxit diuitas *Charitatis concordia.*
Mater virgo puerpera *Facit in diuerſorio,*
Cui Ieſus ſugit vbera *Gaudet Ioſeph obſequio*
B *Hic virgo ſeruit virgini* *Humili benignitate.*
Sed virgineo gemini *Amplius charitate,*
Magna laus humilitatis, *In Ioſeph, ſed in virgine*
Maior, & in deitatis *Prole laus eſt in culmine,*
Hunc humilitatis thronum *Trinis diſtinctum gradibus,*
Tantóque gratiæ donum *Nunc extollamus laudibus,*
Vt humilitatis vitam *Suis ſequi ſuffragijs,*
Donetur & per gratiam *Æternis frui gaudijs,*
Amen dicamus ſinguli, *Huic ſacro cœtui trino*
Laudes canentes ſeruuli *Vni trinóque domino.*

C

SERMO DE NATIVITATE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ,

Et de commendatione Virginei ſponſi eius Ioſeph Magiſtri Ioannis de Gerſon in concilio Conſtantienſi.

IACOB autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur. Originaliter Matth. 1. & recitatiuè in euangelio præſentialiter lecto.
D Inuocandum te iudicamus in primis ô Maria, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus. Neque enim laus altera præclarior tibi dari poteſt, quàm quod ex te natus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus. Tibi quoque fuit vir Ioſeph iuſtus & virgo tuæ teſtis & cuſtos virginitatis. Iacob inquit, genuit Ioſeph virum Mariæ; tu hodie regali ex progenie orta refulges; cuius precibus nos adiuuari mente & ſpiritu deuotiſſimè poſſimus. Fac nos, obſecramus in hac ſacratiſſima natiuitate tua mo-
E ri peccatis, mori mũdo, viuere & renaſci Deo, fac naſcatur in nobis per gratiam Ieſus qui vocatur Chriſtus, quemadmodum prius in te natus eſt per fidem & amorem, dicente Auguſtino, quàm naſceretur per corporalem incarnationẽ, cui diuinæ incarnationi faciendę conſenſiſti, ſalutata prius ab angelo ſicut & nunc te ſalutamus implorantes & dicentes: *Aue Maria, &c.*

Iacob autem genuit Ioſeph, &c. Natiuitas eſt hodie ſanctæ Mariæ virginis, patres celeberrimi, patres apoſtolici, domini ſapientiſſimi & ornatiſ-
F ſimi viri. Eius eſt inquam, hodie natiuitas, cuius laudes inclitas conabor vt potero deducere modo quodam ſcholaſtico plus quàm declamatorio vel accurato ſermone, & hoc ex præaſſumptis euangelij verbis tanquam ex principijs noſtræ fidei firmiſſima credulitate tenendis. Sic enim philoſophi ſolent ex principijs naturaliter cognitis ad eliciendas concluſiones, nunc ex euidenti, nunc probabili conſequentia procedere. Offerunt autẽ nobis ex præaſſumptis Matthæi euangeliſtæ verbis duo noſtræ fidei principia.

Primum, quod ex Maria natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus, & ita fuit mater Dei, quia Chriſtus eſt

Digitized by Google

eſt Deus. Alterum, quod Ioſeph fuit vir Mariæ, & ita caput eius, quia caput mulieris vir, ſecũdum Apoſtolum. Ex hoc autem duplici principio concluditur alterum duplex. Vnum, quod docuit, vt Maria tãta puritate niteret, ſicut dicit Anſelmus, qua ſub Deo maior nequit intelligi. Alterũ quod docuit vt Ioſeph, tanta prærogatiua polleret, quæ ſimilitudinem & conueniẽtiam exprimeret, talis ſponſi ad talem ſponſam Mariam de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus. Vnde ſicut laus Marię eſt laus Chriſti filij ſui, ita laus Ioſeph in præconiũ redundat in præconium vtriuſque, Ieſu & Mariæ. Sic ex aduerſo, dicit Sapiens, quod dedecus filij eſt pater ſine honore; ſimiliter dedecus ſponſę eſt ſponſus ſine honore derelictus.

Soluitur ex his quæſtio, cur de Mariæ, cur de Ioſeph præconijs, dignitatibus & excellẽtijs, virtutibus, operibus & geſtib. ampliora non tradit ſacra ſcriptura? Neque enim mundus ipſe caperet omnes, qui ſuper his ſcribendi eſſent libros.

Sed ex hoc quadruplici principio velut fœcundiſſimo quodam, copioſiſſimo & ampliſſimo laudum ſeminario habet deuoti contemplantis animus, vnde faciliter aſſurgat ad laudes quãtaſlibet Mariæ & Ioſeph, quomodo ſic rectè aſſerat eis per ſufficientiam aut virtualem continẽtiam laudes quas in alijs creaturis etiam angelicis conſiderat. Nam habet hoc hierarchicus ordo ſecũdum Dionyſium vt inferiores virtutes ſint in ſuperioribus perfectori modo repoſitæ, quemadmodum ſapientia perfectior eſt in Seraphin quàm in Cherubin. Eſt autem Maria ſuper choros angelorum per gratiam & gloriam ſublimata, quale aliquid de ipſo Ioſeph negare non audeo, ſed nec affirmare præſumo. Erunt ergo in ambobus perfectiones cæterarum creaturarum irrationabilium & rationabilium etiam angelicarum eminenti quodam modo reperibiles & attribuibiles. Ex hoc quàm latè pateat ad commẽdationem vtriuſque perſpicuum eſt ſolenter intuenti, & per conſiderationem intranti campos ampliſſimos omniũ virtutũ, donorũ, beatitudinũ, fructuũ ſpiritus & ſimilium.

Colligamus tamen ex his principijs laudes virtuteſque Ioſeph ſcilicet & Mariæ, coarctando ſermonem circa ea quæ in benedictiſſima natiuitate Mariæ concurrunt, interſerendo de iuſto Ioſeph virginali ſponſo ſuo, quia laus eius, Marię laus eſt, & hoc ſub quadruplici cõſideratione fiat. Agetur in prima de nobilitatis origine Mariæ & Ioſeph. Agetur in altera de ſanctificatione vtriuſque. Agetur in tertia de fomitis repreſſione in vtroque. Agetur in quarta de multiplici natiuitate Chriſti reſpectu Ioſeph & Mariæ. Erit autem deductio noſtra imitatrix ſanctorum ac deuotiſſimorũ patrũ, qui ad commouendum piarum mẽtium deuotionem dixerunt multa de ſanctis & diuinis. Quę & qualia magis ex coniecturali quadã probabilitate, quàm ex fidei neceſſitate tenenda ſciebant. Sic eorum quæ dicẽtur, plurima volo potius intelligi, ita vt non tam quæ facta ſunt, quàm quæ fieri potuiſſe pia quadã religioſitate credi poſſunt abſque vlla aſſertionis temeritate, & ſine præiudicio ſententię ſeniorum referantur.

Prima Conſideratio.

Maria (de qua natus eſt qui vocatur Chriſtus) ſicut fuit regali ex progenie Dauid

orta, ita Ioſeph virum Marię docuit & legimus de
A domo Dauid eſſe progenitum. Hoc ex euãgelica traditione certũ eſt. Sed poterat hic ſermo multus de nobilitate fieri, quid ſit, & quid vel quantũ laudis habeat. De moribus inſuper nobilium, ſicut apud Ariſtotelem, apud Ciceronem, apud Saluſtiũ, apud Boëtium & alios plures inuenimus. Etenim cum nobilitas ſit quædam de meritis veniens laus parẽtum, hoc in ipſa nobilitate bonum eſt, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Alterum nobilitatis bonum, quia probabile eſt ſecundũ Ariſtotelem ex
B bonis bonos naſci, pręſertim vbi diſciplina bonarum artium & virtutũ iam cõfeſtim à puero tradi poteſt & debet nobilibus, & hoc ſi vero & non ficto nomine nobiles velint haberi. Colant in primis pręcipua ſollicitudine Deum, cuius oraculum ad puerulum Samuelem tale factum eſt: Qui me contemnunt erunt ignobiles. Neque enim faciũt nobilem antiquatæ diuitię, vt videtur Ariſtoteles deſcribere, neque dominatio ſuper cęteros aut aliquod huiuſmodi tẽporale dat nobilitatem, ſed
C ſeruitus Dei, cui ſeruire regnare eſt, cuius agi frenis ſumma libertas eſt. Sic Agata theologizãs gloriabatur inter opprobria dicens: Sũma ingenuitas iſta eſt in qua ſeruitus Chriſti comprobatur. Ex quibus elicere protinus fas nobis eſt Mariam & Ioſeph ſumma nobilitate præditos fuiſſe. Quæ ratio? Nimirum quia ſupremã eos in Dei obſequio etiam corporali ſeruitutẽ exhibuiſſe credi debet. Nobiliores igitur quàm nobiliſſimus regũ Dauid, ſicut eo ſanctiores & timoratiores in Dei fuerunt
D ſeruitio, quamuis illa fuit mirabiliſſima ſtupendáque nobilitas Dauid, dum reſpondit ipſi Michol irridenti & contemnenti eum in corde ſuo: Viuit Dominus & Iudam ante dominum, & vilior fiam plus quàm factus ſũ, & ero humilis in oculis meis. lib. Regum VII. Porrò ſi de nobilitate corporis quàm dare videtur harmonica complexionis diſpoſitio bona loquimur, inuenimus Mariæ corpus miraculoſè compoſitum, quoniam ex vtero ſterili formatũ eſt ab illo cuius perfecta ſunt opera, qui ideò perfectè materiam diſpoſuit, ex qua Mariæ
E corpus formatum organizatumque eſt. Ac proinde colligimus quod neque maleuolus aſpectus cuiuſlibet ex planetis nocuiſſe credendus eſt in ipſo cõceptionis aut natiuitatis exordio, ſicut nec huiuſmodi formatio ſubijciebatur cælorum influxibus, quia quidquid agebat, hoc totum gratiæ magis erat quàm naturæ.

Sumeretur hoc loco efficax argumentũ contra ſuperſtitioſa, neque fraudabilem aſtronomorum de iudicijs circa natiuitates hominum traditionẽ,
F quod plurima quæ aſſerunt, quoniam gratia Dei & libertas arbitrij ſic dominum obtinent ſuper naturales influxus, quod per experiẽtias ſumptas ex hominum operationibus nullæ poterunt regulæ tradi certæ & vniuerſales. Sed hæc omittamus, quoniam ad alia ſermo deproperat.

Inquiri verò poteſt de Annæ ſterilitate vnde erat. Non enim videtur quod ex ſenectute vel ſenio, licet auus appelletur dũ de Marię cõceptione fit mentio. Conſtat enim ex hiſtorijs & Hieronymus teſtis eſt, quod Anna poſt genitam Mariã ex Ioachim duobus viris nupſit Cleophe & Salome,

Digitized by Google

& à primo Mariam Cleophe, ab altero Mariam Salome ſuſcepit,quarum genealogiæ metris comprehenſę ſunt:

Anna tribus nupſit Ioachim, Cleophe,Saloméque
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias,
Quas duxere Ioſeph,Alphæus, Zebedæúſque
Prima Ieſum, Iacobum,Ioſeph,cum Simone Iudam
Altera dat, Iacobum dat tertia, dátque Ioannem.

Inueniuntur proinde doctores aliqui ſatis moderni,vt dominus Armacanus,conquiſitionē facientes de nobilitate Ioſeph & Mariæ,an videlicet illa talis fuerit & tam proxima ipſi Dauid ſecundum rectam genealogiæ legem, quod vel ipſa Maria vel ipſe, Ioſeph hæreditario ſucceſſionis iure debuerant in regnum temporale Dauid ſublimari. Et an Ieſus benedictus fructus ventris Mariæ fuerit iure ponēdus ſuper ſedem Dauid & thronum eius, tanquam rex temporalis & ſpecialis Iudæorum? Vnde conſequēter inquiritur ab aliquibus, ſi muliebri ſequi deficiente maſculino apud reges ius ſucceſſionis ad regnum debeat etiam iure diuino & inuariabili & impræſcriptibili competere? Quæ diſceptatio non paruam inter duo regna Chriſtianorum clariſſima Franciæ & Angliæ vel fecit vel fouit controuerſiam, ſicut ex opuſculis hinc inde confectis ſciri poteſt, quorum ſententias omittere decreuimus pro præſenti. Puto tamen probabilius quod regnum Chriſti ſuper Iudæam non fuit temporale, ſed ſpirituale, ſicut in aliis regionibus. Dicitur autem ſpecialiter rex Iudæorum, quia eis in perſona propria regale ſacerdotium exercuit prædicando; propterea dicit: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierūt domus Iſrael. Hæc enim fuit præcipua cauſa deceptionis Iudæorum circa Chriſtum verum Meſſiam, quoniam omnia quæ de Chriſti regno dicuntur in ſcripturis, accipiunt carnaliter ſeu temporaliter, cùm tamen verè Pilato dixerit: Regnum neum non eſt de hoc mundo. Sed & alteri quærenti: Dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem, reſpondit: Quis me cōſtituit iudicem ſuper vos, & ita de pluribus. Et fatendum tamen eſt quod ipſe eſt rex regum & dominus dominantium iure & titulo multiplici, quemadmodū declarat inter cæteros quidam doctor Anglicanus, probare volens quod falſum & blaſphemum eſt dicere,quod Chriſtus mendicauerit, imo quod potuit mendicare. Etenim inquit, mendicare ipſum mendicantem petere de ſolo debito naturali, ſine omni dignitate, iuſtitia ſeu debito perſonali habito ad petitum. Fuit autem impoſſibile Chriſtū aliquid petiiſſe ſeu mendicaſſe oſtiatim, vel aliter de ſolo debito naturali ſine omni dignitate, iuſtitia ſeu debito perſonali. Hoc enim faciendo fictus extitiſſet & falſus,cum ſibi competiuerit dignitas perſonalis ex iuſtitia & debito, quam dignitatem repudiare non potuerat ſecūdum veritatem. Fictio autem longè erat ab eodem. Mendicitas enim defectum dicit, quia mens defectus eſt. Aut igitur mendicans habet dignitatem aliquam perſonalē, aut aliquam iuſtam cauſam ad petendum id quod petit, vt quia miniſtrauit illi ſpiritualia, ſcilicet prædicationem orationem vel miſſam, vel temporalia, ſicut obſequium, & ſic non petit ex ſolo debito naturalis indigentiæ, ſed habet debitum & obligationē iure perſonalis dignitatis, aut alicuius alterius meriti perſonalis,& ita nō vere mendicat. A Et ſi mendicare ſolo dicit,fingit,hoc eſt mentitur. Si autem non habet titulum dignitatis aut alicuius meriti perſonalis, & eſt in neceſſitate poſitus, fatendum eſt quod in hoc caſu veraciter & licite mendicus eſt. Si verò deficit vtrumque, vt quia non indiget, vel ſi indiget poteſt retribuere, vel retribuit meritum perſonale, & ſic mendicat, iſta eſt prorſus ficta & hypocritatis mendicitas. Spiritus autem ſanctus effugiet fictum, nec hypocrita placebit Deo; ergo mendicare non conueniebat Chriſto. Quàm latè pateat hæc materia, viderit B doctor prædictus, viderit & veſtra beatitudo.

Sed oritur dubitatio, cum Maria & Ioſeph fuerint de regia ſtirpe progeniti, quo pacto voluit ipſe Ioſeph ſeruilibus operibus intendere? Fuit enim faber lignarius. Similiter dicit Hieronymus Mariam operi textrino operam dediſſe. Reſpondemus mirandum non eſſe ſi paupertatis honeſtę prædicator & amator Ieſus voluit in honeſta paupertate naſci, & laborioſiſſimus cum laborātibus educari, dans in hoc exemplum omnibus etiam C nobilibus,ne vacent inerti otio, quod eſt fomes, fons & origo omnium vitiorum, quoniam multā malè docuit otioſitas. Recogitēt inſuper nobiles & ignobiles illud Pſal. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Agerem hic de mēdicitate,niſi quod ad alia feſtino.

Cæterum plurima ſuppetebat hoc loco querimonia contra quoſdam ſuperbè & eneruiter otioſos præſertim eccleſiaſticos & religioſos, ſed aduerſus eos ſatis ſit volumen iſtud egregiū quod D de opere monachorum compoſuit Auguſtinus, à quo poſterius multa Hugo de Sancto Victore ſumpſit, & explicādo diſſeruit. Itaque illud quod de forti muliere prędicat ſapiens Mariæ conuenit, quæ panem otioſa non comedit,ſed quæſiuit lanā & linum,& operata eſt conſilio manuum ſuarum. Ideo rite ſubinfertur myſticè de Ioſeph viro ſuo, quod nobilis in portis vir eius.

Et hæc de nobilitate Ioſeph & Mariæ dicta ſufficiunt. Sequitur de vtriuſque in vtero ſanctificatione.

E

Secunda conſideratio.

MAria (de qua natus eſt Ieſus) ſicut fuerat in vtero ſanctificata priuſquam naſceretur, ita de Ioſeph virginali viro ſuo pia credulitate credi poteſt, quamuis non omnino ſimiliter. Poteſt forſan hæc diſſimilitudo notari in hoc quod Ioſeph poſt originale cōtractum ſanctificatus eſt in vtero baptiſmo flaminis, ſicut Ioānes Baptiſta & aliorum plurimi. Sic enim in officio Hieroſolymitano de Ioſeph compoſito continetur, & ex F præmiſſo quadruplici principio ſequi videtur. Mariam autem ita præuenit gratia ſanctificans, vt quamuis lege communi teneretur, obnoxia peccato originali, iuxta cauſas vniuerſales generationis ab Adam traductæ; non ſic autem filius eius Ieſus, quia non ex virili concubitu genitus eſt; nihilominus ipſa Maria lege priuata ac priuilegiata ſic præuenta eſt vt nequaquam illud generale contraheret, quoniam hoc vt potuit & docuit fieri, vt perfectiſſimus ſaluator filius eius perfectiſſimum in ſua matre modum impenderet, taliter eam ſanctificando à peccato, vt in illud in quod aliquando caſura erat, ipſo ſanctificāte & gratiam infundente

Digitized by Google

infundente non caderet, & ita contereret caput ſerpentis antiqui nunquam ab eius pede contrita. Longius eſſet ſermo, ſi cuncta proſequi vellemus de hac ſanctificationis materia, quã ad benedictæ conceptionis ſuæ feſtiuitatem remittimus, eliciẽtes religioſum ac morale documẽtum pie & crebrò prædicandum.

Conſtat itaque Deum miſericordiam ſaluationis ſuæ non ita legibus cõmunibus traditionis Chriſtianæ non ita ſacramentis ipſis allegaſſe, quin abſque præiudicio legis eiuſdem poſſit pueros nondum natos extra vterum intus ſanctificare gratiæ ſuæ baptiſmo, vel virtute ſpiritusſancti.

Debent igitur mulieres prægnantes, ſimiliter & viri ſui per ſe & alios diligentius preces fundere Deo, & ad ſanctos angelos cuſtodes hominũ, etiã puerorum in vtero, debent ad cæteros ſanctos ſanctáſque omnes confugere, quatenus infans nondum natus ſi forte moriturus eſt, priuſquam ad baptiſmi fluminis gratiam peruenire valeat, dignetur ipſum dominus Ieſus ſummus pontifex baptiſmo ſpiritusſancti præueniẽdo miſericorditer conſecrare. Quis enim ſcit ſi forte exaudiat Deus, imo quis non deuotius ſperare valeat, quod orationem humilium & in ſe ſperantium nequaquam deſpiciat? Proficit hæc cõſideratio ad excitationem deuotionis in parentibus, proficit ad leuiandum eorum anguſtiam dum ſine baptiſmo decedit puer, quia non omnis inde ſpes ablata eſt. Sed neque abſque reuelatione datur (fateor) certitudo. Sed oritur in hac conſideratione ſecunda & in ſimilibus dubitatio theologica ſalubriter coram hoc ſacrõſancto concilio & publice pertranctanda. Neceſſitas enim maior incumbit vt hoc fiat quàm crediderã. Dicit quippe noſtra cõſideratio, quod Maria fuit in vtero ſanctificata, imo & ipſe Ioſeph. Conſtat autem quod in hoc ſcriptura ſacra quæ eſt canon bibliæ neque continetur explicitè, neque in contentis in eadem educitur euidẽter. Eſt igitur quæſtio ſi de neceſſitate fidei tenenda eſt veritas noſtræ conſiderationis ſecũdæ. Et hoc eſt inueſtigare ſub generali regula, quæ veritas eſt certa fide & de ſalutis neceſſitate tenenda, quæ de ſola probabilitate, quæ de pietate fidei, & quæ ſit impertinens? Reſpondere propoſueramus per vnicam diſtinctionem ſeptuplicem collocando virtutes pertinentes ad religionem Chriſtianam ſub ſex gradibus ad inuicem ordinatis, inferendo breues & paucas propoſitiones corollarias, quæ forſitan minus habent prædicationis locum, quàm exercitium ſcholaſticum reſpiciunt, quale exercitiũ poſterius habere ſperantes, nos hac dubitatione relicta tranſibimus ad reliquas conſiderationes tertiam & quartam.

Tertia Conſideratio.

MAria (de qua natus eſt Ieſus) ſicut habuit repreſſionẽ fomitis originalis, ne in vitioſam excãdeſceret concupiſcentiam; ſic de Ioſeph virginali ſponſo ſuo intelligi piè poteſt, præſertim dum matrimonialiter eidem coniũctus eſt. Vnde ſicut Maria potuit ex ſententia dicere illud Saræ vxoris Tobiæ iunioris filiæ Rachaelis: Tu ſcis domine, quod nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia, virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea cõnſenſi ſuſcipere. Sic ipſe Io-

ſeph potuit apud Deum gloriari, ita enim piè te- A neo: Tu ſcis Domine quia nunquam concupiui fœminam, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia; vxorem autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere. Teſtis & aſſertor huius ſententiæ nobis eſt Hieronymus libello de perpetua virginitate Mariæ contra Heluidium &c. Similiter & Hugo de ſancto Victore in tractatu de coniugio beatæ Mariæ, & alij ſanctorum plurimi. Hieronymus enim Ioſeph permanſiſſe virginem non dubitat aſtruere. Ioſeph igitur priuſquam iungeretur cum B virgine Maria corruptus vel vxoratus non fuerat. Et hoc maximè concludimus ex eo, quia ſi matri ſuæ dominus iam prouectæ neminem dare cuſtodem voluit niſi virginem, ſcilicet Ioannem euãgeliſtam, quanto magis exiſtimandum eſt quod hoc fieri voluit in adoleſcentiori ætate? Similiter filius Ieſus ſicuti non voluit naſci, ita nec nutriri niſi in puritate virginali. Potrò Ioſeph ſi ab vxore poſt immediatum tempus nuptiarum continuit ſemetipſum, ſicut euangeliſtæ teſtimonium C habet, quod non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum, & hoc propter reuerentiam tanti ſacramenti tantíque myſterij. Hic aptiſſimè datur intelligi quod nec poſt partum cognouit eam, quoniam vrgentior erat ratio tunc quàm prius, vt ab eius cognitione ſe temperaret. Et hoc nobis non vt dubium, ſed vt certa fide tenendum nunc iniungitur, ſic quod Maria poſt partum inuiolata permanſit. Addamus quod Ioſeph cum eſſet vir iuſtus, cum præterea fomitem originalis peccati vel repreſſum vel extinctũ D haberet (ita enim decebat fieri ne Mariæ ſpecioſitas vel familiaritas ſibi cederet in ſcandalum vel ruinam) ipſe ex cõuictu & cohabitatione familiari Mariæ non mouebatur ad libidinem, ſed ad caſtitatem tam ex repreſſione huiuſmodi fomitis in ſeipſo, quàm ex Mariæ virtute & merito, quam ex diſciplinato conuerſationis modo. Hic figuraliter poteſt illud de Sunamite quæ erat puella pulchra nimis, & dormiebat in ſinu Dauid, qui tamen non cognouit eam, nec in eius concupi- E ſcentiam quomodolibet exarſit. Sic enim certiſſimum eſt de Maria coniuge ſua, quod ex conuictu ſeu aſſociatione viri nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus, nulla illecebra præueniens rationem, vel inobediens ſibi vexabat eam. Alioquin peccaſſet ſaltem venialiter, quod Auguſtinus negat, negant & doctores, quia gratiæ plenitudinẽ habuit ad vincendum ex omni parte peccatum, plus quàm Adam ex originali iuſtitia. Tradit dominus Bonauentura hoc ſe habuiſſe à Iudæorum F fideli narratione, quod nullus ex aſpectu glorioſæ virginis, quamuis eſſet pulchra nimis vrebatur aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiſcentiã, ſed eam potius extinguebat ille diuinus aſpectus, quaſi frigidus quidam ex oculis ros virgineus ſpiraret vel efflueret à mente ſua caſtiſſima. Sic ex aduerſo de peccatrice ac petulãti muliere verum eſt illud Horatij: Et vultus nimiũ lubricus aſpici. Sic de talibus notauit Iacobus: Oculos inquit, habentes plenos adulterij & inſatiabilis delicti, vnde conſurgit faſcinatio quædam illecebroſa in aſpicientes.

Memini me latius aliàs cum de conceptione

Virginis ſermo fieret, materiam hanc per ſimilitu-
dines & rationes pertractaſſe, vt de ſamina herba, A
cuius & aliorum quorundam pretioſorum lapidũ
mouet aſpectus ad caſtitatem. Elicio protinus ad
confirmandum Mariæ perpetuam virginitatem
cum Ioſeph. Non oportet credere ipſum Ioſeph
iuſtum virum Mariæ ſenio fractum, debilitatum
aut frigidum fuiſſe dum nupſit Mariæ adoleſcen-
tulæ ad ſaluãdum caſtiſſimum atque pudiciſſimũ
cum ea cõuictum. Potuit vtique plus operari ſpi-
ritusſanctus in conſeruãdo caſtitatẽ ipſius Ioſeph
per repreſſionem vel extinctionem fomitis origi-
nalis in ipſo, quàm ſenectus vel ſenium operetur. B
Etenim quis neſciat quoſdã ſenes ſeptuagenarios
aut octogenarios ſpuriſſimis libidinibus exarſiſſe
euntes poſt deſideria ſua & in adinuentionibus
ſuis turpiſſimis, quales etiam vel cogitares, vel di-
cere pudor & fœtor eſt, computreſcentes. Senſit
virginitatis gratiã qui dixit: Scio enim quod con-
tinens eſſe nõ poſſum, niſi dederit Deus. Sic autẽ
exiſtimo Ioſeph fuiſſe iuuenem, ſicut iuuentutis
terminos ponit Iſidorus, quos extendi à vigintio-
cto annis, vbi terminat adoleſcentiam, vſque ad C
annum quinquageſimum, quo tempore ætas tũc
ſenectutis inchoat. Fuit igitur Ioſeph dum primo
deſponſatus eſt ſub quinquageſimo anno conſti-
tutus. Nec vrget in oppoſitum libellus de infantia
ſaluatoris, quia iure damnatus eſt. Mouet autẽ ad
hoc piè tenẽdum multiplex ratio. Primò propter
myſterium propheticum, quo dicitur in Eſaia.
Lætabitur ſponſus ſuper ſponſam, & habitabit iu-
uenis cum virgine, vbi gloſſa interlinearis & ordi-
naria dicit: Ioſeph cum Maria. Mouet hiſtoriæ D
conſideratio, quia Cleophas ſecundus maritus
Annæ, ex cuius filia ſorore Mariæ virginis geniti
ſunt quatuor fratres: Iacobus, Ioſeph, Simon &
Iudas, habuit fratrem ipſum Ioſeph virum Mariæ
filiaſtræ ſuæ. Nõ igitur videtur probabile quod in
ætate tantum diſtarẽt Ioſeph & Cleophus fratres.
Mouet tertiò finis & ratio diſpenſationis Mariæ
cum Ioſeph. Quę ratio duplex principaliter aſſi-
gnatur. Vna propter miniſterium & obſequium
præſtandum ipſi Mariæ & puero Ieſu euntibus in
Ægyptum, illic manentibus & inde redeuntibus, E
& conſequenter vſque ad perfectam ætatem. Cõ-
ſtat autem quod talia non fuiſſet idoneus homo
ſenio confractus & impotens, qualis eget amplius
vt ei miniſtretur quàm miniſtret, qualis præterea
oneroſior Mariæ quàm obſequentior extitiſſet.
Altera ratio fuit ad conſeruandam Mariæ famam
apud perfidos Iudæos, & ad incarnationis myſte-
ſtium celandum dæmonibus, quę ratio ceſſaſſet
prorſus, ſi Ioſeph ſenex, frigidus & quaſi malefi-
ciatus palam apparuiſſet. Talis enim quo pacto F
credi potuiſſet alicuius pater infantis? Quæreret
igitur aliquis, cur ſenex depingitur? Reſponſio,
depingitur alicubi ſenex propter mentis & caſtita-
tis virtutem, ſicut dicit ſapiens, quod ętas ſenectu-
tis vita immaculata. Quo contra dicit propheticus
ſermo, quod maledictus puer centum annorum.
Vel ideo pingebatur ſenex ab initio naſcentis ec-
cleſiæ, dum Mariæ perpetua virginitas nõdum, vt
modò, radices fixerat in cordibus fidelum, ne ſuſ-
pirarentur carnale aliquid de Ioſeph & Mariæ.
Hinc fortaſſis omiſſa eſt ſolennizatio celebris de
tam venerando lætóque coniugio. Depictum
tamen inuenimus Ioſeph velut in ætate iuuenili
qualem prędiximus, ſicut in hac Alemania crebrò
notaui. Vel dic illud Horatij:

Pictoribus atque poëtis,
quid libet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Suggerebat hoc loco religioſa ſtudioſitas pluri-
ma conquirere de caſtiſſima & ſanctiſſima cõuer-
ſatione Ioſeph cum Maria, de confabulationibus
ſuis diuiniſſimis in loco peregrinationis ſuæ ſuper
myſterijs noſtræ redemptionis, ſuper canticis ip-
ſius Mariæ, Zachariæ & Simeonis. Super his præ-
terea omnibus quę dicebantur de puero Ieſu, &
quæ videbantur in eo, & quę reuelabantur ab an-
gelo, imo & quę felici experimẽto tu Maria didi-
ceras. Vnde ſicut docuit Mariã vt ſumma purita-
te niteret, ſic docuit vt haberet ſuo modo parem
ſponſum puriſſimum, qui cum perpetua virgine
virgo prius & poſterius permaneret. Vterque re-
gali progenie renitens & illuſtris. Vterque ſancti-
ficationem in vtero recipiens cum Maria plena
gratia fomitem reprimente mãſit Ioſeph repletus
gratia, peccatum ſaltem mortale quodlibet ſupe-
rante. Vouit Maria virginitatem, vouit & ipſe Io-
ſeph ſecundũ doctores, cui voto non repugnauit
vera matrimonialis coniunctio, neque corporum
mutua tranſlatio. In quo matrimonio proles fuit,
fides atque ſacramentum. Nouit Maria myſteriũ
incarnationis à ſeculis abſconditum angelo nun-
tiante, nouit & Ioſeph & admonitus ſuper hæc
in ſomnis, vt exiſtimo, piè prius edoctus familiari-
ter à Maria, ſicut beatum Ceciliam legimus Vale-
riano ſponſo ſuo dixiſſe: Eſt myſterium quod re-
uelem amãtiſſime iuuenis, ſi tota illud fide cuſto-
dias &c. Quidni fuerit audentior diuino confi-
dens auxilio Maria erga ſponſum ſuum Ioſeph
pudiciſſimum, cùm eſſet iuſtus, quàm Cecilia erga
Valerianum, quem vrgebat impetus nuptiarum?
Turbata eſt Maria in Angelica ſalutatione, ſed nõ
cõturbata vel incredula. Turbatus eſt ipſe Ioſeph
ad ſtupendum tantę nouitatis miraculum, ita vt
nollet Mariam traducere, non tamen conturba-
tus vel culpabiliter incredulus, ſed ſtupor quidam
apprehenderat eum, ſicut de Petro legimus dum
ait ad Ieſum: Exi à me Domine quia peccator
ſum, Ioſeph ſimiliter coniungi coniugio tam ex-
cellentiſſimæ virginis Mariæ iudignum ſe iudica-
bat. Propterea non ex credulitate ſuſpicioſa, ſed
ex profundiſſima humilitate videtur Mariam tra-
ducere noluiſſe, ſed quaſi dixiſſe: Exi à me Do-
mine, quia peccator ſum. Hinc angelus ad eum:
Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam
coniugem tuam, non dixit: noli incredulus eſſe.

Viſitauit Maria Zachariam & Elizabeth, non
dubium quin de licẽtia & conſenſu viri ſui Ioſeph
iam de ſacramento incarnationis inſtructi. Viſita-
uit & Ioſeph vel illo tunc tempore, vel in ſolenni-
tate paſchali quæ proxima erat, & ad quam ire iu-
bebat lex Hieruſalem. Decantauit canticum Ma-
ria, cecinit & ipſe Zacharias. Non dubium quin
particeps & conſcius canticorum iſtorum Ioſeph
extiterit. Congratulata eſt Maria cum cæteris pa-
rentibus & cognatis ipſi Elizabeth puerperę, dum
Ioannem enixa eſt, à qua gratulatione Ioſeph alie-
nus non fuiſſe putandus eſt. Recogitabat Maria
ſignum datum ipſi Acham de virgine paritura in
ſe completum fuiſſe. Gloriabatur & hoc ipſe Io-
ſeph

Digitized by Google

ſeph magnificans Deum in corde ſuo, & aſſiduè gratias agens. Obediuit Ioſeph edicto quod facit Cæſar Auguſtus, obediuit & Maria. Scriptum eſt enim quod Ioſeph iuit in Bethleem cum Maria vxore ſua prægnante. Sciebat enim obediendum eſſe poteſtatibus ſublimioribus, quoniam ſic eſt vo luntas Dei. Maria filium ſuum primogenitum mox vt natus eſt adorauit eum gaudio & exultatione. Ioſeph ab hoc adorationis gaudio & exultatione nequaquam alienus fuiſſe credendus eſt. Maria con ſeruabat omnia quæ dicebãtur de puero Ieſu per pa ſtores, per tres reges, per Simeoné, per Annam, p er cæteros, conferés ea in corde ſuo & admirans, non ex ignorantia, ſed ex inſolita myſterij reuerentia, Ioſeph ſimiliter. Nam ſcriptum eſt, quod erant pater Ieſu & mater admirantes ſuper his quæ dicebãtur de puero. Obediuit Ioſeph angelo iubẽti in ſomnis vt acciperet matrem cum puero, vt fugeret in Ægyptum. Obediuit & Maria noua illa puerpera & delicata iuuencula nocte conſurgens. In qua peregrinatione laborioſiſſima dicere poterant vterque ad dominũ: Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Vnde quidam metricè ſcribit velut ex perſona peregrinantium & pſallentium de lege domini:

Eſto peregrinis nobis cantabilis alma,
Lex domini releuans tædia dura viæ.
Nam fugiunt triſtes citius per inania curæ,
Carmina diutius dum modulatur amor.
Ergo cæligena miſeris mens incola terris
Sis pſaltes, lyricis iugiter apta modis.
Sic non te totam lachrymarum valle moleſta,
Sed cælo poteris dicere te poſitam.

Et ô bone Ieſu, ô ſalutifer Chriſte quis ſufficiẽter exiſtimare poſſit egreſſum, progreſſum & ingreſſum peregrinationis illius ſeptennalis, quantus fuerit hinc labor, dolor & timor, quantus inde diuinorum ſapor & dulcor. Et vnde? Nimirum ex diuina conſolatione quæ facit etiam cum tentatione prouentum. Ex mutua ruſus collatione & allocutione Ioſeph cum Maria & amborum cũ puero Ieſu. Ex cogitatione tandem diuini conſilij ſuper redemptione generis humani, ſicut Auguſtinus confitetur, quod non ſatiabatur dulcedine mirabili ſuper altitudine conſilij diuini in redemptione generis humani. Quis det interfuiſſe collocationibus huiuſmodi? Quis peregrinantibus his conceſſerit aſtitiſſe? Quis œconomiam illam honeſta paupertate gratiſſimã viri & vxoris cum filio, vbi pro famulo dabatur aſinus, ſecundum originem conſiderare poterit? Vnde ſi vetus illa mater Elizabeth exclamauit propheticè ad vnicã Mariæ ſalutationem, ſi exultauit præ gaudio Ioãnes infans in vtero ſuo, quid ex cõtinua cohabitatione & allocutione cum Maria & puero Ieſu iuſtus Ioſeph acceperit diuinæ conſolationis & illuminationis dici nequit. Quis det hymnum de canticis Sion ex Maria ſuauiter audiuiſſe in terra aliena? Quis det eam baiulantem in vlnis, ſpecioſam forma præ filijs hominum, quæ blandiebatur arridenti, quę condolebat vagienti, quæ frequenter tibi viro ſponſo ſuo Ioſeph baiulandum, fouendũ oſculandũmque tradebat vidiſſe? Legimus præterea puerum Ieſum dum duodecim annorum factus eſſet, ſubditum fuiſſe Ioſeph & Mariæ, quę ſubiectio ſicut inæſtimabilem notat humilitatem
A in Ieſu, ita dignitatem incomparabilem ſignat in Ioſeph & Maria.

Porrò legimus in tranſitu Mariæ ipſum aſtitiſſe. Hoc enim Hieronymus argumentatur. Sic & in obitu felici Ioſeph rectè credendum eſt Mariam ſponſam & filium Ieſum corporaliter adfuiſſe. Ante enim Chriſti paſſionem defunctus eſt alioquin enim cuſtodia matris alteri commiſſa non fuiſſet. Hinc metricus quidam:

Venerat illa dies qua vitam morte pararet
B *Perpetuam tibi iuſte Ioſeph Dauid inclyta proles,*
Chriſtus adeſt cum matre pia, quibus officioſè
Seruieras, vultu placido ſolantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleuerit intus obortis
Naturalis amor, etenim ſic credere fas eſt,
Quod patrem Ieſus & ſponſum fleuit morientem
Virgo benigna ſuum, fidei cuſtodis amator
Procumbit lecto, complexans membra, pudicis
Oſcula dat labijs, mi vir conclamat, obiſne?
Deſeris & viduam paſſuram dira relinquis?
C *Velle tamen fiat domini, dilecte volo mi,*
Ecce Ieſus tuus in placida te ſede locabit.
Protinus ipſe Ioſeph precioſa morte quieuit.

Legimus Chriſto moriẽte multa corpora ſanctorum ſurrexiſſe & veniſſe in ſanctam ciuitatem Hieruſalem & apparuiſſe multis. Hinc forte dicit Apoſtolus: Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos, Recogitet oro prius animus, ſi iuſtus Ioſeph vnus eſt ex illis putandus fuiſſe, qui Mariæ apparuerit chariſſimæ ſponſæ, qui eam
D conſolatus ſit, qui tandem Chriſto in cælum aſcẽdente ſimul & aſcendit glorificatus, non dubium in anima, ſed an & in corpore neſcio, Deus ſcit & collocatus eſt à dextris ipſius Ieſu, hoc eſt in potioribus bonis ſuis.

Concluditur ad extremum pro præmiſſis & alijs inenarrabilibus iuſti Ioſeph præconijs, quàm rectè, quàm religioſè faciunt & fecerunt, qui celebritatem de virginali coniugio Marię & Ioſeph, qui feſtiuitatem ſolennem de beato tranſitu eiuſdem Ioſeph peragere ſenſerunt tam verbis quàm
E ſcriptis ſuis, quæ ſcripta, quoniam vel habentur vel faciliter haberi poſſunt, ea breuitatis amor linquit & ad vltimam ſe transfert conſiderationem, quæ poſt verbum de mobilitate Ioſeph & Mariæ in prima conſideratione. Dehinc de ipſorum ſanctificatione in altera, ruſus de fomitis repreſſione in tertia loquitur de multiplici natiuitate Ieſu, & de habitudine quam habet ad Mariam atque Ioſeph huiuſmodi natiuitas.

Felix illa dies toto celeberrima mundo,
F *Sacra docens læta, qua ſcandit ad æthera virgo*
Mater, & angelicos ciues ſuperuolet omnes
Huc tibi virgo Ioſeph, Ioſeph et tua ſpõſa propinquum
Credere fas ſtatuunt, ſolium tales ob honores
Concinimus, facile nobis hæc gloria detur.

Quarta Conſideratio.

DE Maria natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus, nedum corporaliter, ſed ſpiritualiter quidem. Et de virginali ſponſo ſuo Ioſeph ſuo modo dici poteſt. Non equidem dici poteſt quod de Ioſeph natus ſit Ieſus, modo quo blaſphemat

Digitized by Google

Iudæus infelix qui dicit Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum, procul hoc à pietate fidelium.

Sed attendo triplicem natiuitatem Ieſu Chriſti, attendat & veſtra beatitudo, ſcilicet æternalem, corporalem, ſpiritualem vel mentalem. Naſcitur enim æternaliter ex patre, quemadmodum naſcitur ſplendor ex luce coæuus luci. Hinc eſt illud eccleſiæ canticum. Oriens ſplendor lucis æternæ. Et in perſona ſapientiæ increatæ dicit eccleſiaſticus: Ego ex ore altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Et Eſaias: Generationẽ eius quis enarrabit. Et in Pſal. Ex vtero ante luciferum genui te. In hac æternali natiuitate Chriſti Ieſu fuit corporaliter in mundo ex virgine, de qua angelus ad Mariam: Spiritusſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcetur ex te ſanctũ, vocabitur filius Dei. Et hoc factum eſt quando cõpleti ſunt dies Mariæ vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum. Et in hac quidem natiuitate ſola Maria materiam miniſtrauit. At verò quia corpus Mariæ fuit ipſius Ioſeph iure matrimoniali, quo fit mutua tranſlatio corporum viri ad mulierẽ, & è contra; videamus ſi cum intelligentiæ ſobrietate dicere fas nobis ſit, quod ex corpore & carne Ioſeph natus eſt Chriſtus Ieſus. Et hoc dici forſitan poſſet, niſi piarum aurium timeretur offenſio. Animaduertamus tamen ex lege veteri, quod ſi frater deceſſiſſet ſine prole, frater ſuperſtes ducebat vxorem defuncti, vt ſuſcitaret ſemẽ eius. Ac natus inde puer dicebatur filius, non quidem naturalis, ſed legalis illius qui iam obierat fratris. Sic enim concordat euangelica ſeries genealogiæ Chriſti, dum Ioſeph legitur habuiſſe duos patres, vnum quem Matthæus nominat Iacob, alterum quem appellat lucas Hely, qui legalis fuit pater, Iacob verò naturalis. Quorſum iſta? Nimirum pro intelligentia literæ, ne pateat irriſioni vel ſcãdalo neſcientium morem ſcripturæ, quaſi Ioſeph habuerit duos patres naturales, vel quod Euangeliſtæ mentiti ſunt, prout ponit Iulianus. Proinde quatenus daretur intellectus quomodo Ioſeph dictus eſt pater Ieſu Chriſti, nedum à Iudæis hoc putantibus & carnaliter ſentientibus ſcilicet ab ipſa etiam virgine Maria: ſibi inquit, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Fuit itaque Ioſeph pater Ieſu reputatione, fuit pater curatione, quia nutricius. Fuit tertiò pater generatione, non quidem ſua, ſed Mariæ vxoris ſuæ, cooperãte ſpiritusſancto, & quodammodo vices Ioſeph gerente, non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Propterea pater quidem Ioſeph non naturalis, ſed legalis pueri Ieſu dici poteſt, cui ſpiritusſanctus ſuſcitauit ſemen carnale. Valentius. Natus eſt igitur Ieſus in terra ſeu fundo ipſius Ioſeph, de qua terra clamat Eſaias: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra & germinet ſaluatorem. Et in Pſal. Veritas de terra orta eſt. Quidni competat igitur ipſi Ioſeph ius aliquod legale vltra cæteros homines in benedicta pueri Ieſu formatione, quoniam natus eſt in ea & ex ea carne cuius dominium iure matrimoniali verè tranſlatum erat in ipſum Ioſeph.

Vnde non confundebatur Maria vocare Ioſeph dominum ſuum, quemadmodum de Sara ad Abraham ſcribit Apoſtolus Petrus. Vnde & præponit eum ſibi, vt prius: Ecce pater tuus &
A ego quærebamus te. Nimirum quia Maior in Maria quam Sara humilitas, & Ioſeph dignitas Abrahæ dignitatem ſuperabat. Fuit autem hæc procreatio pueri Ieſu in te Maria per ſpiritumſanctum, de conſenſu verò vel interpretatiuo viri tui Ioſeph. Volebat enim quod fieret voluntas Domini per omnia, cum eſſet iuſtus. Hæc autem dicimus ad excludendos partus adulterinos vxorum, in quibus mariti vel non conſentiunt, vel conſentire rationabiliter nequeunt. Nulla idcirco
B ius paternitas in talibus filijs, licet in fundo ſuo genitos, vendicare poſſunt. Libet hic exclamare. O miranda prorſus Ioſeph ſublimitas tua. O dignitas incomparabilis vt mater Dei, regina cæli, domina mundi appellare te dominum non indignum putauerit. Neſcio, ſanè patres orthodoxi quid hic amplius habeat, mirabilis vel humilitas in Maria, vel in Ioſeph ſublimitas, quamuis incomparabiliter exuperet vtrumque puer Ieſus benedictus in ſecula, de quo ſcriptum & iam dictum eſt, quod erat ſubditus eis. Subditus fa-
C bro is qui fabricauit auroram & ſolem. Subditus fœminæ textrinæ, cui flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Cuperem mihi verba ſuppeterent ad explicandum tam altum & abſconditum à ſeculis myſterium, tam admirandam venerandámque Trinitatem Ieſu Ioſeph & Mariæ. Velle mihi quidem adiacet, ſed poſſe non inuenio, ac in ipſo conatu deficio. Vnde cum gratia ſimiliter & gloria naturam non tollat, ſed extollat & perficiat, recogitemus pia
D deuotione quod ſi vinculo quodam naturali obligatio conſurgit filij ad matrem & matris ad ſpõſum ſuum, & vtriuſque ſcilicet filij & matris ad fideliſſimum, vigilantiſſimum & ſedulum cuſtodem & nutricium Ioſeph, qui fuit caput Mariæ, habens inde authoritatem aliquam, principatum dominationem vel imperium in Mariam, ſicut & Maria ſuo modo in filium ſuum Ieſum iure naturalis maternitatis, quantus exiſtimandus eſt iuſtus ipſe Ioſeph nunc in gloria & in cælis, qui talis ac tantus inuentus eſt hic in miſeria & in terris.
E Profectò ſi non mentiebatur Ieſus qui ait: Vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Ille proximior videtur collocandus in cælis qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior atque fidelior poſt Mariam inuentus in terris.

Sed hæc hactenus de ipſa natiuitate corporali Ieſu Chriſti, cuius particeps quemadmodum Ioſeph extiterit ſupra cæteros viros, & de ſublimitate ſua aliqualiter apertum eſt honore ſanctorum ſanctarúmque omnium, inter quos non eſt con-
F tentio, quis eorum videatur maior eſſe, ac intelligentiæ ſobrietate ſemper ſaluis. Nunc de tertia nobilitate quæ ſpiritualis eſt & omni deuoto viuenti communicabilis ſermo loquatur, de qua Chriſtus apud Ioannem ait: Oportet vos naſci denuo. Et iterum, Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. In hac autem natiuitate viciſſitudo mirabilis eſt, quia dum naſcitur Ieſus in anima deuota per fidem & gratiam, fit ipſa verbigena, hoc eſt verbum generans & mater Dei, quæ tamen anima nedum per naturam, ſed per gratuitam adoptionem eſt filia, verum ſit de qualibet tali anima quod ipſa

eſt

Digitized by Google

eſt virgo, mater & filia. Itaque quod mater ſit, teſtis eſt omni exceptione maior qui ait: Qui fecerit volūtatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater ſoror & mater eſt. Porrò de filiatione quid Ioannes, quid Paulus dixerit, ſcimus. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, inquit Ioannes. Et quo modo? Subdit quod per fidem, quia his qui credunt in nomine eius. Eodem enim teſte. Omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus ex Deo natus eſt. Sequitur aliud quod pertinet ad animæ verbigenæ Dei matris & filiæ virginitatem. Qui non ex ſanguinibus ait, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Neſcio dicere quod ſentio, neſcio ſi ſatis aſſequor verbis, ſuppleat imperfectum meum ſapientiſſima beatitudo veſtra. Itaque conſideratur in anima rationali indiuiſibili quidem ſubſtantialiter portiuncula quædam virginalis, quę nec obnoxia poteſt eſſe violationi.

Hæc appellatur quandoque à doctoribus ſynderiſis, quandoque apex mentis, quãdoque ſcintilla rationis, quandoque naturalis inſtinctus in bonum. Hanc autem ſynderiſim nec ipſi violatores & conſtupratores animarum dæmones corrumpere poſſunt etiam in inferno, quin ad bonū ſtimulet, & ad malum remurmuret. Hinc naſcitur acerbiſſimus ille vermis qui non morietur. Hinc rixa diſcerpens & diſſipans ſupra quam cogitari poteſt, animam infelicem dum ſynderiſis impellit ad dilectionem Dei, ſed reproba voluntas toto odiorum conatu reſilit in aduerſum. Sed quid iſta de ſynderiſi? Certè vt oſtēderemus eam ſemper virginem eſſe, quæ dum caret obumbrante & fœcundante ſpiritu ſancto, manet infeliciter ſterilis. Dum autem adeſt idem ſpiritus viſitans, gratificans & fœcundans, fit ipſa verbigena hoc eſt verbum pariens, & hoc ſine corruptione, quia non ex ſanguinibus corporalium phantaſmatum, neque ex voluntate carnis deſideriorum carnalium, neque ex voluntate viri, hoc eſt ex poteſtate liberi arbitrij, ſed ex Deo eſt, quidquid hic natum eſt. Nec tamen excluditur ſynderiſis rationiſque conſenſus. Sed dum nunciatrix gratia afflatu ſecreto & intimo veluti clauſo ſuper animam oſtio ſuggerit aduentum verbi in mentem; Reſpondet ſynderiſis humili genuflexione: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundū verbū tuū. Deinde viſitat Elizabeth ſenem & corruptã, per quam myſticè deſignatur inferior portio rationis ſe conuertens ad corporalia & terrena, vnde quodammodo violatur, ſed ex munere diuino Ioannem in ſe recipit, hoc eſt gratiam participat. Et ita gaudium Mariæ verbigenæ in Elizabet grauidam partu tali gratiæ deriuari rectè memoratur. His igitur breuiter & pro captu tantæ rei tenuiter expoſitis de hac virginali natiuitate & filiatione dum in anima naſcitur Ieſus qui vocatur Chriſtus, nulli dubia relinquitur veritas noſtrę huius principalis quartę conſiderationis, quod ſcilicet tam ex Maria quàm ex Ioſeph natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus. Quod ſi traducere placuerit verba thematis ad hunc anagogicum intellectum, poterimus cōuenienter aptare, quod Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ. Quid enim per Iacob (qui ſupplantator appellatur) rectius accipitur quàm lucta & ſupplantatio vitiorum quod fit in actiua in qua primum cōtemplatiuum exerceri neceſſè eſt. A Oportet inſuper vt actiuus poſt ſe gignet ex ſe meditationem. Eſt autem meditatio vehemens animi applicatio ad diuinum aliquod inueſtigandum, cognoſcendum & deguſtandum, quæ meditatio rectè per Ioſeph exprimitur, quia Ioſeph creſcens interpretatur. Neque enim poteſt aliter anima melius excreſcere ſpiritualibus augmentis, quàm per meditationem fortem & ſalubrem per quam aſcendit anima de virtute in virtutem, reiecta vel ſuperata fluxibilitate inanium cogitationum & B volutabro deſideriorum carnalium euacuatio. Hæc inſuper meditatio quia robuſta eſt neque fluida vel eneruis, ſicut eſt ipſa cogitatio rectiſſimè vir dicitur. Sed cuius vir? Vir vtique Mariæ, per quam omnis mens illuminata vel illuminatrix diuinitus intelligitur. Audi meditationem illuminãtem: In meditatione mea (inquit Pſalmiſta) exardeſcit ignis, ecce ſplendor illuſtrãs. Ex hac autem Maria myſtica naſcitur per cōtemplationem Ieſus qui vocatur Chriſtus, non quidem ex commixtione viri ſui, qui eſt meditatio, ſed prout C expoſitum eſt, myſtico ſpiramine, dum ſpiritus ſanctus obumbrat animam ad terrena non conſpicienda, refrigerans ab ardore illecebrarum carnalium. Illuminat autem ad diuina libero intuitu lōgè lateque contemplãda cum deguſtatione quàm ſuauis eſt Dominus. Hæc eſt illa beata natiuitas in qua caſtiſſimis amplexibus tenetur & deoſculatur puer Ieſus, in qua paſcitur & nutritur lacte deuotionis vt melle contemplationis, in qua dulcor & ſplendor eſt. Quin etiam verſa vice renaſcitur D anima Chriſto, vt ita ſe mutuo condeceant adoleſcens & adoleſcentia in mentis exceſſu & dicat ad dilectum ſuum dilecta: Dilectus meus, ſupple condecet mihi & ego illi.

Hæc eſt gratioſa verè deſideranda natiuitas, ſic enim naſcēs ſuccedit Deo patri in nobilitate, quia Deus efficitur ip ſe participatione diuinitatis. Sic deducit Boëtius. Et propheta ait in perſona Domini: Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes. Adeò quidem Maria fuit diuina vt ea quę de ſapiētia increata ſcribit Eccleſiaſticus eccleſia transfe- E rat ad Mariam, vt eſt illud; Ab initio & ante ſecula creata ſum. Succedit præterea talis Deo in dilectione. Videte inquit Ioannes, qualem charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Succedit in ſtrenuitate, quia omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et iterum: Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat. Nonne tibi magna videtur ſtrenuitas vincere mundum & non peccare? Succedit demum in hæreditate, quia ſi filij & hæredes, &c.

F Legitur Ariſtotelem dixiſſe: Gaudeant bene nati, gaudeant planè, quia non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt modo dicto. Quo contra maledicit Iob, maledicit & Hieremias natiuitati ſuæ, repræſentantes illud Apoſtoli: Omnes naſcimur filij iræ. Hæc eſt natiuitas naturæ corruptæ, quæ ſecluſa gratia miſerabilis eſt. Iob: Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs. Et Eccleſiaſtes laudauit magis mortuos quàm viuentes, & feliciorem vtroque qui nondum natus eſt. Qua in re ſtultiſſimum eſt ſolennizare natiuitatem hominum,

Digitized by Google

quemadmodum fecit Herodes diem natalis ſui celebrem, in quo Ioannes occiſus, myſticè gratia perdita. Hinc rectè facere traditur gens Thraciæ quæ natiuitates hominum deplorat, congaudet morientibus. Dies verò natiuitatis ſpiritualis dum homo regeneratus eſt per gratiam baptiſmo vel fluminis vel flaminis, ſub intentione celebrari poteſt, nedum ſine culpabili reprehenſione, ſed cum laudabili gratiarum actione apud Deum qui taliter dedit naſci denuo. Propterea poſt celebritatem natiuitatis Ioannis Baptiſtæ ſacratiſſimam & iocundam, quia ſine peccato natus eſt per ſanctificationem inſtituit eccleſia natiuitatem beatæ & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, celebriter fieri admonita prius miraculo. Addidit conſequenter octauas propter adipiſcendam (ſicut hiſtoriæ tradunt) eccleſiæ pacem. Hinc in oratione natiuitatis eiuſdem dicitur: Famulis tuis domine cæleſtis gratiæ munus impartire, vt quibus beatæ virginis partus extitit ſalutis exordium, natiuitatis eius votiua ſolennitas pacis tribuat incrementum. Si verò propter finem conſimilem congruat huic ſacroſanctæ ſynodo laudis aliquid vel honoris inſtituere pro virginali ſponſo Mariæ Ioſeph, cuius honor redundat in ipſam & in eum qui de ea natus eſt Ieſus Chriſtus, viderit veſtrę beatitudinis ſapientiſſima deuotio. Non quod multiplicationem feſtiuitatum apud vulgus quod de labore manuum viuere habet ſuadeamus, eſſet vtinam apud tales huiuſmodi numerus feſtiuitatum minor, ſicut in reformatione hic in concilio notatum eſt, ſed apud eccleſiaſticos & de eccleſiaſticis talia loquimur dum de celebritate virginalis coniugij Ioſeph cum Maria, vel de ipſius felici tranſitu fieri ſolennitatem exoptamus. Ad quid iſta? Quatenus ita Mariæ meritis & interceſſione tanti támque potentis & imperioſi quodammodo patroni apud ſponſam ſuam de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus, reddatur eccleſia vnico viro vero & certo ſummo pontifici ſponſo ſuo vice Chriſti. Nos denique ſinguli Deo renaſcamur felici natiuitate, hic per gratiam & in futuro per gloriam, quæ eſt natale ſanctorũ. Intercedente te & ſi fas eſt dicere, quodam iure tuo iubente glorioſiſſime Ioſeph vir Mariæ, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.

VERSVS AD PRÆDICTA.

ALma redemptoris mater, cui lege ſuperna
Vir iuſtus virgóque Ioſeph cum virgine nupſit:
Da celebrem dignúmque tuo perſoluere cultum
Coniugio, fac nos purgatis ſordibus omnes
Poſſe Deo iungi, fidei qui fœdere puras
Deſponſans animas, diuino germine complet
Porrò naturæ, præſtantior eſſe Maria
Creditur, hæc cælis, hæc mundo dignior ipſo,
Gratia nam ſuperat naturam, gratia quæ ſe
Diuidit in reliquos, iſtam fontaliter implet
Quæ clauſit gremio, quem totus non capit orbis.
Olim, nam cæli Gabriel feſtinus ab arce
Præradians, alacer, totus iucundus ad ipſam
Nazareth vrbem Galilææ mittitur, illic
Deſponſata viro, Dauidis de ſtirpe, Ioſeph qui
Dictus erat, clauſo reperitur virgo Maria
A *Oſtiolo, cui dixit Aue, cui gratia plena,*
Cui tecum dominus, Gabriel quæ verba ſalutis
Virgo ſilens cogitat, animo turbata, quouſque
Nuncius arcanum diuo ſermone retexit.
Hoc natura ſtupet, ſtupet hócque Ioſeph, reputans ſe
Myſterijs tantis indignum, voce modeſta
Clamat, id vnde mihi? quis ſum? te deprecor à me
Mox exi Domina, nec enim mihi nubere tecum
Fas video, dum multa Ioſeph trepidus cogitaret,
Soluitur in ſomnum, cui iuſſio cælica dixit:
Aude clare Ioſeph, vxori trade virum te
B *O nimium dilecte Deo, cui ſponſa frequenter*
Blanda Ieſum gremio poſuit, fidenter adimus
Hunc thronum, reſidet vbi gratia ſaluificans nos
Mira Ioſeph iuſti virtus, laus mira, Mariam
Cui Deus vxorem ſociat, mirare ſacratum
Fœcundum prolis cum virginalis honore
Coniugium, faber ô minus cui ſubditur vltro
Auroram & ſolem qui fabricat, húncque benigno
Nominat ore patrem, tali quoque gaudet alumno
Regia ſtirps & ſacra Ioſeph te reddit ab ortu
C *Claris inſignem titulis, te læta decenter*
Pauperies manuúmque labor nutriuit, obinde
Strenuus & liber ac pſalmo teſte beatus.
Hinc vxor tua tecum ſicut vitis abundans
Te dominum ſponſúmque vocat, nos redde beatos.

CARMEN EIVSDEM DE DIVERſa immunitate à peccato Chriſti & matris ſuæ.

D *NOſtram dignatus naturam ſuppoſituræ*
Filius æterna ſaluificare volens,
Circulus vt fieret coniunxit ad ima ſupremum,
Virginis eſſe ſatus abſque viro voluit
Virgo caret culpa peccati, pœna remanſit,
Natus vtrumque tenet, attamen impariter.
Virgo neceſſariam naturæ lege ſubiſſet
Culpam, ni dominus ſanctificaret eam.
Sed caruit Chriſtus prima ſub origine culpa
Peccati, pœnam ſponte ſubire volens.
E *Ad peius ſubiecta fuit non ſponte Maria,*
Quamuis virtutis traxit ad obſequium.
Indiguit redimi non filius, ergo redemptam
Perfectè fieri, matris honor voluit.
Copula legitima fuit, & ſemen benedicti
More ſacro potuit, feſtus & eſſe dies.
Omnis iam virtus primo decorauit ab ortu,
Certatim dotes qualibet accumulat.
Edocuit noſter ſermo vulgaris id ipſum
Totam qui pulchram magnificauit eam.
F

PROSA IN CIRCVMCISIONE DOMINI COMPOSITA PER PRÆDIctum egregium doctorem, quæ cantatur in cantu Veni ſancte ſpiritus.

APPARVIT HODIE MIRA VIRTVS GRATIÆ QVÆ DEVM CIRcumcidit, Nomen ei cælicum, nomen & ſaluificum, quod eſt Ieſus, indidit.

NOMEN

Nomen ſalus homini, nomen quod os domini, ab æterno nominat. Dudum patri numinis, A hoc & ſponſo virginis angelus denunciat.

Tu nequam vim zabuli, tu peccatum ſeculi, nomen ſacrum ſuperas. Ieſu noſtrum precium, Ieſu ſpes mœrentium, mentes ſalua miſeras.

Quod deeſt in homine, ſupple tuo nomine, quod eſt ſalutiferum. Tua circumciſio cordis fit præciſio, efficax cauterium.

Sanguis fuſus ſordidos lauet, riget aridos, mœſtis det ſolatium. Anni nunc initio bono pro encoënio da te Ieſu præmium. Amen.

B Fratres igitur chariſſimi, ad Mariam exultantes, ſit deuote iubulantes dicamus vna pariter.

O Maria maris ſtella, alma cælorum regina, in huius mundi procella, ad nos virgo te inclina.

Nunc gaudeas & lætare, quæ meruiſti portare Deum roſa ſpecioſa, ſuper roſam tu formoſa.

Tu es roſa ſingularis, ſola roſa tu vocaris, tu liliũ & viola gaudo plena fauis & ſuauis.

Blanda charis, nulli grauis, cordi noſtro coniungaris, mentem noſtram alloquaris, fac vt ſpernamus friuola. C

Gaude vernans paradiſus, in qua viget noſter viſus, de qua ſurgit flos decoris, de qua fluit fons amoris, & omne quod eſt optimum.

Gaude dulcis philomela, cuius vox amore plena, tua ſuauis cantilena, laus ſanctorum eſt amoëna, & gaudium angelicum.

Gaude roſis coronata, omni flore purpurata, ante thronum ô decora, dulcem prolem pro nobis ora, vt ſe nobis det in præmium. Amen.

Dulcis virgo atque mater, quam elegit Deus pater Aue plena gratia. D Tuum natum ora Chriſtum, vt coronet chorum iſtum in perenni gloria. Amen.

CENTILOGIVM DE CONCEPTIBVS MAGISTRI IOANNIS GERSONIS *Cancellarij Pariſienſis & eximij profeſſoris in ſacra pagina.*

PROOEMIVM.

CONCEPTVM de virgine magnificantes & implorantes cum illa quæ mente prius quàm carne concepit, cuius nomen ſanctum, qui ſe de per Salomonem loquitur in perſona ſapientiæ: Necdum erant abyſſi & ego iam concepta eram. Agamus pauca de conceptibus obedientes conſilio Ieſu filij Syrach. Præcurre autem inquit, prior in domum F tuam & illic aduoca te, & illic lude & age conceptiones tuas, non in delicijs & verbo ſuperbo. Sic agebat aſſiduè illa cui dictum eſt per angelum: Ecce concipies in vtero & paries filium. Nam conſeruabat omnia verba de filio conferens in corde ſuo. Conferens & cum virginali ſponſo & cuſtode ſuo Ioſeph. Sæpéque reiterans canticum ſuum nouum: Magnificat anima mea dominum. Procedemus per verba centum, & partes octo, propicijs Ieſu, Ioſeph & Maria.

Primum Verbum.

CONCEPTUS in ſua generalitate dicitur actus concipientis in vtero proprio vel alieno ad diffuſionem ſeu communicationem bonitatis per amorem. Sic conceptus prout & generatio reperitur in omni re, ſicut & amor ſecundum Dionyſium. Hinc oritur illa naturæ deſcriptio, quod eſt vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans vel concipiens. Conceptus entis eſt primus omnium conceptuum, quos concipit primus Deus, ſit ad extra. Ad intra quidem de filio: Ex vtero ante luciferum genui te. Hic ens principium de principio. De creaturis verò loquitur per prophetam: Portaui in vtero meo & geſtaui à vulua ſeu matrice mea. Eſaiæ xl. Et in Geneſi. Hæ ſunt generationes cæli & terræ. Conceptio entis primi actiua non eſt niſi Deus ipſe cõcipiens, ſit ad intra ſit ad extra. Sed conceptio paſſiua dicitur ipſa res concepta, ſit ad intra ſit ad extra. Nec oportet ponere in creaturis cõceptionẽ eſſe relationẽ mediã realẽ inter Deũ concipientẽ productione, & rem conceptam ſeu productam. Eſſet enim talis relatio creatura dependens cùm non eſſet creatrix eſſentia. Et ſi non eſſet ſua dependentia, proceſſus eſſet infinitus, aut æqualiter ſiſteremus in prima depẽdentia creaturæ. Conceptio in diuinis actiua quæ eſt pater concipiens dicitur ſecundum poſitionem aliquorum diſtingui ſeipſa à conceptione paſſiua quæ eſt filius. Sic de ſpiratione actiua & paſſiua dicerent. Quæ ſpiratio non æquè propriè vel vſitatè conceptio nominatur, nec aliquo modo generatio dici debet, ſed ſpiratio. Conceptus entis in vniuerſali rerum vtero, ſicut & amor incitans ad concipiendum multiplex inuenitur. Diuinus, angelicus, rationalis, animalis, vitalis & pure naturalis. Conceptus entis relatus ad primum concipientem Deum ſemper eſt bonus, pulcher, nobilis & generoſus, nec aliter eſſe poteſt. Secus ſi fiat relatio ad creaturas quæ concipiunt & concipiuntur, præſertim ſi rationes ſint & liberæ, conceptus enim peccatorum ſunt ignobiles, E degeneres & ſpurij ſeu baſtardi. Conceptus diuinus interior primus eſt & ſolus & neceſſarius. Cæteri ſunt temporales, quia nihil in æternum niſi ſolus Deus contra Platonem ſpecialiter & alios philoſophos imo & theologos quoſdam, qui vniuerſalia etiam realia poſuerunt æterna. Quos & regula fidei & Pariſienſis damnat articulus. Quidquid enim eſt vel & creatura vel creatrix eſſentia. Æternum autem nihil eſt niſi Deus vel in Deo, in quo certè nihil eſt quod non ſit Deus.

Conceptus creaturarum tot modis varia nobilitate quot modis in ſua perfectione & bonitate & concipiendi manerie diſtinguitur, ita quod nomen Ieſu ſecundum humanitatem primum eſt & ſuperexaltatum, deinde nomen Mariæ matris ſuæ. Deinde ſunt angelorum nomina ſecundum hierarchias ordinata. Lucifer verò cæterorúmque nomina ſecundum ſubſtantiæ ſuæ claritatem nomina ſunt Dei, ſed ab eis per priuationem lucis gratiæ deformata ſeu contenebrata vileſcunt. Conceptus quanto ſunt intimiores & intra manentes,

Digitized by Google

tanto ſunt perfectiores, & è contra cæteris paribus, quàm conceptus extra prodeuntes, quemmodum diuinus conceptus eſt prorſus immanēs & conſubſtantialis. Cęteri ſunt in creaturis per reſpectum ad Deum velut extra prodeuntes, tanquam nomina ſeu voces ex verba Dei. Sunt etiam inter ſe diuerſi realiter & ſi fuerint intra manētes, ſunt ſæpe accidentales. Quidquid ſit de ponentibus quod eſſentia rationalis animæ germinat ſuas vires & potentias conſubſtātiales, cuiuſmodi ſunt intellectus & voluntas, quas eſſe accidentia connaturalia quidam tradunt. Conceptus primi concupientis ad extra non poteſt totaliter eſſe æquiuocus, nec penitus vniuocus, ſed analogus dici poteſt propter aſſimilationem aliquam ad formā entis, quam communicat primus concipiens vel ex nihilo, vel ex vtero materiæ primæ, vel ex vtero potentialis potentię, quę latior eſt in omni re. Conceptus entis tanto nobilior eſt, atque generoſior quanto plus habuit de actualitate, & minus de potentialitate, quę tribuitur materiæ, ſecuſ de poſſibilitate virtuali quæ formę tribuitur, quæ quanto eſt multiplicior tanto eſt vnitior, & per pauciora ſuam conſequens perfectionem. Contra de mutiplicitate ex materia conſurgente. Conceptus habiti de Deo poſſunt ſub ordine quintuplici notari. Primus eſſentialium ſpectantium ad eſſe. Secundus eſſentialium ſpectantium ad actiones. Tertius obiectorum, vt intelligibile, volibile. Quartus eſſentialium ſpectantium ad perſonas vt intellectus potens per intelligibile adæquatum, & voluntas volibile infinitum. Quintus eſt conſurgens ex priori ordine, vt ſcilicet identitas, æqualitas ſimilitudo. Et quia totum neceſſario pręcedit poſſibile eſſe intelligamus ex iſtis producta intelligibilia volibilia ad extra, qualia continet ratio deitatis, non ſicut ſubiectum paſſionem, ſed ſicut cauſſa effectum ſub triplici genere cauſſæ, quas in Deo ſemper coincidere neceſſe eſt, quę ſunt efficiens, formalis nō intrinſeca & rei conſtitutiua, ſed exemplaris & finalis cauſſa.

Secunda partitio de conceptibus animæ rationalis vel hominis in ſpeciali.

Conceptiones in omni creatura reperibiles reperiuntur in homine, qui propterea dicitur omnis creatura vel minor mundus. Hæ ſunt conceptiones intellectualis, ſcilicet rationis, animalis, vitalis & purè naturalis. Æquiuoca inſuper virtute & analoga, libera quoque & ſeruilis, moralis denique artificialis.

Conceptus cognitiui formaliter, de quibus ſolis deinceps erit ſermo, cum affectiuis ſunt in triplici genere ſecundum tres animæ rationalis vires ſeu potentias principales in vtero ſuo, quę ſunt mens ſuperior prima. Ratio vel ſenſus interior ſecunda. Et ſenſus exterior tertia. Conceptiones in ventriculis animę rationalis ſolent geminos fructus ſeu conceptus afferre. Quoniam aliqui ſunt cognitiui vel apprehenſiui, alij verò affectiui. Concipere autem dicitur quaſi ſimul capere, & intelligere quaſi intus legere, & reperire in memoria quaſi iterum parere. Conceptiones in vtero ſenſus exterioris ſunt in genere quintuplici, A ſecundum quod habet vterus iſte quinque ſinus principales, quos dicimus, viſum, auditum, olfactum, guſtum, tactum, de quibus non eſt hic dicendum per ſingula, vt ſi ſenſus ſint eiuſdem ſpeciei in omnibus perfectis animalibus, & quę ſunt propria cuiuſlibet ſenſus obiecta cum ſimilibus. Conceptus exteriores iſtorum ſenſuum talem habent primitatem & coordinationem ad reliquos interiores nobiliores, quod nequeunt abſque ipſis gigni. Quoniam omnis noſtra cognitio & diſciplina intellectiua fit ex præexiſtente cognitione ſenſitiua ſecundum philo- B ſophum qui dat hoc ſignum: Quia deficiente nobis vno ſenſuum à natura deficit & noticia propria de ſenſibilibus illius ſenſus. Conceptus exteriores ſenſus in ſuis quinque ventriculis ſunt initiales & quaſi ſubſtantiales reſpectu conceptuum ſuperiorum, vnde prodeunt omnes philoſophicæ conceptiones quas in tria genera diuidimus, naturalem, rationalem, moralem. Quarum ſunt multæ ſpecies à philoſophis ordine miro traditæ. Vt ſub naturali metaphyſica de eſ- C ſentijs rerum. Mathematica de numeris & figuris. Phyſica de motibus. Sub rationali ſeu ſermotionali grammatica, logica, rhetorica. Sub morali ethica, œconomica, politica. Quibus additæ ſunt conceptiones artium mechanicarum variæ, nec hic numerandæ.

Conceptus exteriorum ſenſuum nequeunt fieri per reflexionem concipientis ſupra conceptum ſuum. Non enim eſt ſenſus virtus ſupra ſe reflexiua. Sicut oculus non videt ſe videre, nec au- D ris audit ſe audire, & ita de reliquis. Sola enim virtus intellectiua ſe ſupra ſe perfecta reditione reflectit & reducit. Quod maximè patet in intellectu primo qui Deus eſt, vbi monas gignit monadem, & in ſe ſuum reflectit amorem, quæ reductio perfecta eſt, nec aliter eſſe poteſt ne ſit otioſa. Conceptus exteriorum ſenſuum ſicut ſunt ſimplices abſque compoſitione enunciatiua, ita nulla eſt in eis falſitas qualis in conceptibus complexis & iudicialibus inuenitur. Et ita viſus aſpiciens baculum in aqua non fallitur, ſed phan- E taſia vel ratio ſi iudicet ipſum factum. Conceptio in matrice quinque ſenſuum ſemper eſt naturaliter pulchra, quia modum habet, ſpeciem & ordinem prout aliæ res omnes quæ non producuntur abſque numero, pondere & menſura, & hæc dicitur veritas vel nobilitas naturalis indelibilis re ſtante. Secus de veritate complexa ſigni ſignificantis ad placitum per operationem intellectus. Conceptiones ſenſuum exteriorum dant occaſionem frequenter ſenſui interiori & rationi vel F menti iudicanti, quod errent in ſuis conceptibus, vt falſi, deformes, monſtroſi & ignobiles, falſitate ſcilicet & ſigni & deformitate vitij, & hoc pro ſtatu naturæ poſterius deſtitutæ, non primitus inſtitutæ, quomodo homo non fuiſſet deceptus nec vigilans nec ſomnians, domino prouidente & intellectu regulante reſpectu omnium potentiarum in tota generatione conceptuum.

Conceptus exteriorum ſenſuum ſunt ſimplices & experimentales geniti naturali neceſſitate ab obiectis ſuis proprijs vel communibus actualiter manentibus per ſpecies ſuas impreſſas etiam dum obiecta pereunt vel ſubtrahuntur.

Exempla

Digitized by Google

Exempla ſunt plurima de ſono & de viſibilibus radioſis. Conceptiones exteriorum ſenſuum iudicantur falſæ, turpes & diſtortæ ex tribus principaliter, quorum primum eſt indiſpoſitio organi vel ventriculi quo fit conceptio. Alterum eſt indiſpoſitio medij per quod ſpecies obiectorum tranſeunt ad ſenſus. Tertium eſt diſtantia obiectorum per propinquum aut remotum improportionata.

Tertia partitio de conceptibus interiorum ſenſuum.

COnceptiones plures & nobiliores fiunt in ſecundo animæ rationalis vtero interiori organico, ſicut traditiones quas recipit à ſenſationibus tanquam ſemina, ſunt ſpiritualiores, & potentia concipiens illic amplioris virtutis eſt. Vtrum verò ſola rationalis anima ſit ſubiectum inhæſionis omnium conceptuum ſuorum, vel totum compoſitum ex organo & anima, problema videtur prout de ſubiecto materialium accidentium. Dicunt aliqui quod ſolam materiam informant, quamuis totum compoſitum denominent. Sic viſio quæ cauſatur ab anima rationali vtique indiuiſibili inhæret ſibi ſoli, quamuis totum oculum vel hominem videre denominet. Conceptiones interiores & organicæ quamuis fiant originaliter & radicaliter à corde, tamen perficiuntur in cerebro velut in triplici ventre, ſecundum tres capitis particulas aut cellulas. Quarum anterior quæ maior eſt continet vim ſenſus communis cum imaginatiua. Secunda verò quæ mediocris eſt, continet formatiuam ſeu cogitatiuam cum æſtimatiua. Tertia verò poſterior & minor continet retentiuam cum memoratiua. Dicuntur alijs nominibus ſinciput, occiput, interciput ſeu medium in capite. Conceptiones ſenſus communis ſunt tot ſimul quot fiunt per ſenſus exteriores ſingulos, etiam in animalibus perfectis. Ex quibus conceptionibus aliæ & aliæ pullulant imagines & formæ per aſſociationes & combinationes varias factas tam in ſenſu communi, quàm in phantaſtica & æſtimatiua virtute. Quod ingenium eſt à natura propter procreationem neceſſariorum ad vitam, dum non habent animalia perfecta alimentum coniunctum, ſicut plantæ & animalia ſolum tactum habentia, ſicut patet in conchis & oſtreis. Conceptiones virtutis formatiuæ cum æſtimatiua præcellunt in multiplicatione conceptuum etiam in brutis ſuper virtutem ſenſus communis, quia multiplicius ſeparare & coniũgere poſſunt imagines cum intentionibus & vtraſque ad inuicem per vim æſtimatiuam quæ ex ſenſatis elicit inſenſata, vt ouis ex figura lupi elicit inimicitiam. Niſi dicamus hoc purè naturaliter fieri, quemadmodum ab igne fugit aqua in lignis viridibus, & exteriores ſenſus qui ſimplices ſunt horrẽt contraria, per naturam ſenſus vel naturalem inſtinctum. Conceptiones in hoc ventriculo mediæ cellulæ cerebri poſſunt conturbari in brutis, & plus in hominibus ex conturbatione prioris cellulæ, qua priori non impedita poteſt nihilominus iſta ſecunda multipliciter conturbari vt non concipiat vel eliciat niſi mon-

ſtroſos partus, maxime dum accipit rerum ſimili- A tudines pro rebus veris ad extra vt facit ſomnitas. Poteſt inſuper ventriculus tertiæ cellulæ concludi ne pariat memorãdo exiſtentibus primis ſanis. Conceptiones in vtero phantaſiæ brutorum animalium & irrationalium variantur per diuerſas induſtrias ex variatione complexionum harmonicarum, adeò quod perueniunt ad rationis induſtrias quodammodo percipiendas, iuxta regulam Dionyſij, quod ſuprema inferiorum iunguntur infimis ſuperiorum. Conceptus irrationa- B lium non ſunt nobiles vel ignobiles formaliter, quia non habent vt homines coniunctam rationem per quam regulari poſſint aut debeant, ſed impetum motionis obiectalis inſequuntur & pulchri ſunt, vt ira in carne & in vulpibus aſtutia. Conceptiones in ſecundo rationalis animæ ventriculo plus per auditum diſciplinæ & nobilius multiplicantur quàm per alios ſenſus, quamuis viſus in ſe ſit nobilior quàm auditus. Conceptiones vltimæ & poſterioris cellulæ cerebri quæ memoratiua dicitur ſumuntur cum circumſtantia præteriti. Et illic ſpecies quaſi ſopitæ dicuntur niſi C fuerint excitatæ per vias ingenitas à natura, vnde phantaſmata fluunt & refluunt de cellulis anterioribus & medijs in poſtremam & è contra. Cõceptus formari poſſunt ab anima rationali mediante ſpiritu animali, qui eſt proximum animæ inſtrumentum in cellulis cerebri, & hoc rebus ad extra non ita ſenſatis ſicut concipitur mons aureus & colores medij in nubibus & iride, immo quidditates ſubſtantiarum per diſcurſum & D reſolutionem ſic formantur in ventre rationis, quia pro ſtatu viæ non intuitiuæ cernuntur. Alioquin intellectus cognoſceret panem non eſſe in hoſtia conſecrata. Conceptus poſſunt gigni ab anima rationali in cellulis cerebri, qui propter coniunctionem rationis & imperium eius dicerentur liberi non intrinſecè, ſed denominatiuè, quorum aliqui ſunt nobiles & actus imperatiui virtutum, Alij ignobiles vitiorum. Conceptiones naturales ſeu ſermonicales de qualibet ſcientia poſſunt formari in cellulis cerebri per E verba exteriora ad placitum ſignificantia cum nutibus & ſignis, quemadmodum videmus in pluribus qui garriunt de diuerſis ſcientijs, de quibus intelligunt propriè nihil plus quàm cæci de coloribus, quales dicebat Apuleius philoſophari ſolis auribus, & de quibus accipi poteſt dictum Chriſti ſumptum à prophetis, quod audientes non intelligunt. Tales philoſophus vocat incontinentes tempore paſſionis, qui loquuntur Empediocleas id eſt ſententias graues quas men- F te non ſentiunt prout ebrij & pueri ex ſola phantaſia multa dicunt, & alij multi qui carent iudicio rationis.

Quarta partitio de conceptu entis in ſpeciali.

COnceptus entis ſimplex primus eſt inter omnes cõceptus tam in Deo quàm in creaturis. In Deo quidem dum pater communicat eſſe ſuum & eſſentiam, quæ idem eſt filio. Et ipſe cum filio communicat ſpirituiſancto. In creaturis autem communicatur prius eſſe, quæ commu-

Digitized by Google

nicatio eſt quoddam concipere, his quidem clarius, his autem oſcurius. Conceptus ſimplex entis eſt primum principium incomplexum apud vtẽtes ratione vel intellectu. Nec aliquid verè & ſyncerè concipitur niſi reſolutio fiat ad hoc eſſe. Cõceptus ſimplex entis ſyncerus & elicitus non habetur in via naturaliter & de communi lege, niſi per multas abnegationes & reſolutiones factas ab intellectu qui fundat ſe in hoc lumine diuino ſignato ſuper eum, quo omne imperfectum neceſſariò reducitur ad perfectum, ſicut potentia ad actum, & priuatio ad habitum. Conceptus ſimplex entis recipitur multipliciter in ſe & in paſſionibus ſuis primis, quæ ſunt vnum, verum, bonum, pulchrum, nedum in intellectualibus, rationalibus & cognitiuis, ſed ſuo modo generaliter in omnibus creaturis. Conceptus ſimplex entis in viatoribus hominibus recipi poteſt & gigni tot modis, quot modis in cæteris quibuſlibet creaturis. Vnde concipi poteſt ens primò naturaliter, ſicut amor & bonitas. Secundò potentialiter, vt memoria meminit ſui ſecundnm Auguſtinum. Tertiò habitualiter, ſicut per habitum acquiſitum vel infuſum. Quintò obiectaliter per ſpecies proprias ſenſibilium. Quintò obiectaliter per ſpecies alienas componendo, diuidendo, ratiocinando, abſtrahendo. Sextò ſpecialiter in homine per nomina ad placitum ſignificantia. Tandem intuitiuè in patria. Conceptus ſimplex entis genitus per intellectum viatoris in vtero puræ intelligentiæ ſi diu perſiſtere poſſet ſine commixtione vel inuolucro ſollicitudinum, phantaſmatum & concupiſcentiarum, ille meritò ſyncera veritas diceretur, & agalma pulcherrimum, & precioſæ margaritæ claritas fulgens in mente. Et tamen appellabat Auguſtinus pro ſtatu viæ ſynceram veritatem, quæ mox inſtar coruſcationis vt illuxerit reſorbetur & inuoluitur nubeculis phãtaſmatum, ſi non ſtabiliatur mens. Conceptus ſimplex entis accipitur hic in via de communi lege non intuitiuè, ſed ſeptem alijs modis in genere, ſcilicet per experientiam & reſolutionem ſeu depurationem quinque modis, & duobus per impoſitionem & authoritatem ſeu fidem alterius ſeminantis. Conceptus ſimplex entis acceptus per experientiam eſt aliquando purè vagus & confuſus, vt hoc ens, quia qui dicit hoc eſt, immo qui dicit non ens, dicit ens, & ita de ſimilibus entis acceptionibus cum imperfectione, vt ens in potentia, ens analogum ſecundum quid, & contingens creatum & dependens. Conceptus ſimplex entis acceptus per abſtractionem & reſolutionem purior eſt & determinatior quàm pręcedens. Et habet quatuor gradus: Vnus eſt dum accipitur ens communiter & analogicè ad ens creatum & increatum. Secundus eſt ad ens increatum & ſubſtantiam creatam. Tertius eſt ad ens creatum carens imperfectione qualicunque. Quartus eſt ad ens ſimplex vnum & perfectum quo nihil maius ſeu melius cogitari poteſt, verum eſt quod præſuppoſita fide poſſunt haberi conceptus altiores etiam per intelligẽtiam de beatiſſima Trinitate, & per affectionem anagogicè ſublimatam de torrente voluptatis fontis vitæ. Conceptus ſimplex entis habitus per impoſitionem, vt apud philoſophos, vel per fidem vt apud Chriſtianos, ſignificat & repræſentat aliquid, quidquid illud ſit quo melius cogitari non

A poteſt, & hæc eſt cognitio quid nominis ſeu quid nomen ſignificat, cum qua ſtat ignorantia vel dubietas ſi res ſignificata ſit aut quid ſit. Sed nequaquam dum habetur conceptus rei per intelligentiam nedum intuitiuè ſed abſtractiuè modis dictis. Conceptus ſimplex entis iſte quo maius cogitari non poteſt dicitur pelagus quoddam eſſentiale infinitum ſecundum Damaſcenum, quod neceſſariò eſt eſſe ſuum & ſolum neceſſe eſſe per eſſentiam & vnum & verum & pulchrum & bonum.

B Cætera autem omnia per participationem & quandam imitationis analogiam. Et ſunt hæc ita certa de Deo apud illos qui concipiunt reſolutiuè purum eſſe quod dubitare non poſſunt, quia ſunt per ſe nota intellectis terminis talium. Nihilominus teneatur regula Dionyſij ad Caium, quod ſi quis videns Deum intellexit quod vidit, non ipſum contemplatus eſt, ſed aliquid eorum ab ipſo exiſtentium & cognitorum, hoc verum eſt de communi, quia non videtur intuitiuè hic & nunc. Conceptus ſimplex entis nullo mo-

C do poteſt eſſe verus, bonus, & pulcher niſi characterizatus, ſeu ſigillatus & formatus, & quodammodo viuificatus ſit ab ente primo ſimpliciter, quo maius excogitari non poteſt, cuius nomen eſt vnicum, ſanctum & benedictum in ſecula. Concurrunt autem in Ieſu duo nomina, prima & ſuprema. Vnum increatum, quod eſt ipſum eſſe purum Dei ſibi & ſoli comprehenſibile. Aliud creatum quod eſt humana natura, quæ ſicut & perfectiſſima creaturarum,

D ſic eſt nomen exaltatum & magnificatum ſuper omne aliud nomen. Sortitur autem Deus plura nomina per negationem intellectus, prout in opuſculo de modis ſignificandi habet dici. Deus ſecundum Bonauenturam in breuiloquio dicitur lux, vt eſt ratio cognoſcẽdi viſa approbata dicitur exemplar, vt eſt ratio cognocẽdi prædiſpoſita. Dicitur liber vitæ reſpectu rerũ redeuntium. Exemplar vt exiſtentium. Speculum vt euntium. Lux reſpectu omnium. Et ad exemplar ſpectat idea, verbum, ars & ratio. Idea ſecundum actum præ-

E uidendi, verbum ſecundum actum proponendi, ars ſecundum actum proſequendi, ratio ſecundum actum perficiẽdi, quia ſuperaddit rationem finis vel intentionem. Cognoſcit inſuper contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præſentialiter, temporalia æternaliter, quia per ſeipſum eſſentialiter.

Quinta partitio de conceptibus complexis.

F

CONceptus complexi quos orationes dicimus capiunt euidentiam & quaſi vitam immortalem & æternam per viuificationem entis primi ſimplicis, ſecundum triplex genus cauſſæ, efficientis, formalis vel exemplantis, & finalis. Recipientes vt ab efficiente vnitatem, modum & menſuram, recipientes vt ab exemplante ſeu formante ſpeciem, numerum & veritatem, recipientes vt à finiente ordinem, pondus & bonitatem. E quibus omnibus neceſſariò conſurgit pulchritudo de qua laudatur pulcherrima mulierum in canticis canticorum.

Conceptus

Digitized by Google

Conceptus complexi quos dicimus rationis dicũtur per ſe noti, dum cõceptus ſimplices ex quibus componuntur apprehenſi reddũt protinus complexionem euidentem in lumine rationis intellectiuæ, vt de quolibet eſſe vel non eſſe, cui non contingit intellectis terminis diſſentire. Tales vtique ſunt communes animi conceptiones vt hebdomades & primæ impreſſiones & prima principia. Conceptus complexi dicuntur euidentes qui recipiuntur ab intellectu non ſolum ſuperiore per lumen intelligẽtiæ, ſed etiam ab inferiori per certitudinem ſenſualis experientiæ, vt quod ignis eſt calidus, & quod abſinthium eſt amarum. Conceptus complexi omnes medij dicuntur qui non recipiunt euidentiam niſi per reductionem ſeu reſolutionem ad conceptus experimentales primos vel ſecundos, quę dicuntur cõcluſiones ſicut habetur in prima philoſophia & in prudentia & arte, & in omni ſcientia. Et hoc non intelligitur de cognitione Dei, quæ nullatenus eſt diſcurſiua aut compoſitiua, nec de angelica cognitione, quę à multis ſimiliter ponitur non diſcurſiua, ſaltem in pluribus non oportet. Secus in nobis hic in via. Conceptus complexi ſicut & incomplexi reperiuntur in hominibus pro ſtatu naturæ deſtitutæ frequenter abortiui vel turpes & ſpurij propter indiſpoſitionem matricis animæ rationalis ex mala diſpoſitione corporis vel praua conſuetudine, vel aliunde multis modis. Proſunt autem ad fœcunditatem & decorem, ingenium clarum, exercitium electum, & otium ſanctum ſeu deuotum & ſobrium. Conceptus complexi tanto ſunt deformiores, ignobiliores & vituperabiliores, quãto propinquiores ſunt primis conceptibus euidẽtibus, qui per experientiam ſuperiorem vel inferiorem accipiuntur, dum degenerant ab ijs, nec imitantur eos aſſimilatione perfecta, quemadmodum culpabilior eſt errans in ianuis & meridie quàm de nocte, & turpior indicatur ſimia quæ deficit ab hominis figura quam videtur imitari. Cõceptus complexi in vtero mẽtis geniti per ſemina primorum principiorum complexorum vel incomplexorum ſunt nobiliores & generoſiores cæteris paribus, quàm geniti per ſemen experientiæ ſenſualis Propterea ſcientiæ morales quæ reſpiciunt particulariores actus hominum ſuper omnes minus habent certitudinis. Similiter & ſcientiæ non abſtrahẽtes à motu & à materia. Sed mathematicę propter abſtractionem huiuſmodi ſunt in primo certitudinis gradu quoad nos & pro iſto ſtatu. Conceptus complexi poſſunt in vtero mentis vel rationis gigni pulchri, nobiles & certi per ſemen experientiæ ſenſualis, ſed non abſque ſemine conciliante ſeu fouente primi luminis intellectualis, in quo videntur prima principia practica moralium, vt quod nemini eſt iniuria facienda, vnde poteſt elici ſcientia purè ſpeculatiua de virtutibus per deductionem rationis logica mediante, quæ ad hoc inuenta eſt ne paralogizando falleremur. Conceptus complexi variantur in nobilitate & ignobilitate moraliter per varios gradus, quales ſolent aſſignari in certitudine veritatum ſub numero quintuplici ſecundum acceſſum vel receſſum à primis principijs moralibus per ſe notis. In primo gradu ſunt prima principia. In ſecundo concluſiones euidenter conſequentes. A In tertio propoſitiones & articuli ex auctoritate diuina ſuſcepti. In quarto concluſiones inde certitudinaliter deductæ. In quinto ſunt concluſiones probabiles, & de fidei pietate. Conceptus complexi in diuinis & ſpiritualibus ſunt ex ſe via naturæ generoſiores & robuſtiores quam de creaturis ſi capacitas vteri rationalis & intellectualis ad eorum ſuſceptionem & nutritionem haberet harmonicam & expeditam diſpoſitionem, quia quæ ſunt prima in natura, ſunt in ſe certiſſima. Conceptus complexi formantur in vtero rationa- B lis animæ nobilius & generoſius per ſemen fidei ſimplicis & incorruptæ, quam per ſemen ſolum philoſophię triplicis, naturalis, rationalis & moralis, quamuis hoc ſemen adiuuetur vehementer ſi conceptum fuerit congruenter. Conceptus cõplexi ſolent gigni ſatis conformiter in ſecundo vẽtriculo vel ſinu matricis animæ rationalis, quorum vnus dicitur cognoſcitiuus recipiens ſemen entis, alius dicitur affectiuus recipiens ſemen bonitatis. De quorum quolibet erit ſequens ſer- C mo.

Sexta partitio de conceptibus intelligentiæ in vtero non vtentis organo corporali.

Conceptus in vtero rationalis animæ in ventriculo intelligentiæ non vtentis organo corporis proximi ſunt conceptionibus angelicis, ſicut ſuprema inferiorum iunguntur infimis ſuperiorum, non quin intellectus immediatè forme- D tur à Deo, non ab alia intelligentia ſecundum errorem aliquorum, & hoc quoad tria, quæ ſunt natura, gratia & gloria. Conceptiones aliquæ dicuntur immediatè fieri in vtero intelligentiæ humanæ, non quin requiratur obiecti præſentatio & luminis ſpiritualis irradiatio, & ſpecies intelligibilis, quæ mediat inter potentiam & obiectum, ſicut in viſione corporali mediat ſpecies coloris inter colorem & viſum, nec minus dicitur color immediatè videri, quia nihil mediat inter potentiam viſiuam & actum ſuæ viſionis, quod E ſi contingeret, viſio mediata diceretur aut reflexa. Sic in propoſito, conceptiones intelligentiæ qualiſcunque præter primam quæ Deus eſt, ſunt accidentia vel actus ab intelligentia diſtincti, quia ſecundum articulum Pariſienſem, nulla intelligentia creata eſt ſua intellectio. Vnde patet quod intellectus poſſibilis ponendus eſt in angelis, qui idem eſt eſſentialiter cum agente, ſed diuerſi ſunt reſpectus. Itaque ſic angelus malus ſua eſſet beatitudo, quod eſſe non poteſt. Conceptionis in- F tellectus humani non fiunt ab intellectu agente in intellectum poſſibilem, tanquam intellectus agens fiat cognitio poſſibilis intellectus, quatenus ſint idem intellectus realiter, quæ ſecundum eccleſiæ determinationem eſt propria hominis forma, agens conceptiones ſuas in ſeipſo eſſentialiter ab eo diſtinctus. Conceptiones intelligentiæ humanæ non fiunt hic naturaliter in via niſi coniuncto vel præuio phantaſmate. Secus de miraculo vel priuata lege, vt in Paulo & in Moyſe, & in Virgine benedicta.

Alioquin raptus & prophetię tã in vigilia quàm

Digitized by Google

in ſomno poſſent accidere naturaliter, vt Auicenna mentitus eſt, in fauorem ſectæ Machometi epileptici, & contra dictum ſancti Petri, quod voluntate humana non eſt allata prophetia. Conceptiones intelligentiæ humanæ non fiunt per impreſſionem idearum ſeparatarum, quæ non ſunt Deus, vt Plato dicitur poſuiſſe. Nec per ſolam inſpectionem phantaſmatum, vt Ariſtoteles dixit, nec per influxum ſolum intelligentiæ vel ſeparatarum intelligentiarum, vt Auicenna poſuit, nec per actualem incluſionem rerum intelligibilium in anima, vt alij fabulati ſunt; ſed conflatur ex omnibus verus catholicorum modus, quod anima in ſui prima creatione eſt ſicut tabula raſa, & quod capit ſcientiam ſuam à ſenſibus & à phantaſmatibus per abſtractionem ab hic & nunc, & à materia, & proinde ſcientia eſt de neceſſarijs & æternis & impoſſibilibus aliter ſe habere, quia non accipit intellectus res vt in actu, ſed vt in aptitudine, quæ aptitudo neceſſaria eſt, non quidem in ſe, vt ſonat poſitio Ariſtotelis, ſed in Deo, quia nihil eſt æternum niſi Deus, vel in Deo. Et in hoc concederetur poſitio Platonis ſecundum interpretationem Auguſtini, quod Deus eſt æterna cauſſa rerum omnium in eſſendo, ſupple aptitudinaliter, & ratio æterna cognoſcendi, ſupple exemplaris vel idealis, & æternus ordo viuendi, tanquam cauſſa finalis. Conceptiones humanæ intelligentiæ poterant pro ſtatu naturæ inſtitutæ fieri de inſenſibilibus per abſtractionem à motu, & à materia, & à ſuis appendentijs. Et in illis conceptionibus potuiſſet homo ſynceriter perſtitiſſe. Hinc Auguſtinus: Quæ cauſſa cur primam lucem acie fixa videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? Et quis eam ibi fixit niſi vtique iniquitas? Conceptiones intelligentiæ pro ſtatu naturæ inſtitutæ videntur potuiſſe fieri nedum per aſpectionem vel inſpectionem phantaſmatum, vt hic in via, ſed per irradiationem à ſuperioribus intelligentijs, & fortaſſis ſenſibilibus creaturis aliter quam per ſenſum, vt per intelligentiam quæ virtualiter & eminenter continet vires ſenſitiuas. Conceptiones animæ ſeparatæ videntur aliter fieri poſſe frequenter quàm per miraculum, per ſuſceptionem ſpecierum tam ab intelligentijs quàm à ſenſibilibus per naturalem ſui luminis irradiationem, licet imperfectius multo quàm in angelis aut in ſtatu innocentiæ. Conceptiones humanæ intelligentiæ hic in via de primo ente triplices eſſe poſſunt. Quædam faciales & intuitiuæ, ſicut in Paulo, Moyſe & Maria, licet in raptu quodam. Quædam ſpeculares & ſynceræ ſine phantaſmatum inuolucro, licet tranſitoriè & raro. Quædam coniunctæ phantaſmati & continuò. Conceptiones humanæ intelligētiæ ſpeculares & ſynceræ vidētur potuiſſe fieri per reflexionem intelligentiæ ſuper actus viſionis intuitiuæ, qualis fuit in Paulo, immo qualis eſt in beatis. Eſt autem viſio ſeu cognitio vnitiua in experientia obiecti præſentis in ſe, vel in ſua ſpecie propria, vel in ſupra eminenti repræſentatione, qualem Deus habet. Cōceptiones humanæ intelligentiæ ſunt omnes vel intuitiuæ vel abſtractiuæ, videant qui tale aliquid ponere voluerunt, forte quod ſunt aliæ & aliæ conceptiones obiecto præſente vel abſente.

A SEPTIMA PARTITIO DE CONceptionibus voluntatis in ſpeciali.

Conceptiones in vtero vel matrice rationalis animæ tot modis poſſunt multiplicari quoad potentiam appetitiuam, quot modis variātur quoad apprehenſiuam ſeu cognitiuam. Conceptiones appetitiuæ nobiliores & liberiores ſunt in ſuo genere, cæteris paribus quàm cognitiuæ, niſi degenerent in vitium, ſicut dicitur de peccatore, quod concepit dolorem & peperit iniquitatem, quæ duo pertinent ad effectiua. Conceptiones
B affectiuæ nequeunt fieri ſine præuia cognitione ſeparata vel coniuncta. Separata Deus eſt, cōiuncta verò ratio. Cōcurſus autem Dei generalis non impedit libertatem, immo cauſat, fortificat & actuat, quamuis non neceſſitet, quia tolleret primum motum ſuum. Conceptiones affectiuæ poſſunt gigni & continuari facta præſentatione obiecti diligibilis per cognitiuam, quamuis indiſtinctè etiam vel confuſè. Obiectalis autem
C præſentatio ſiue agat in voluntatem & cum voluntate ad productionem volitionis & nolitionis, ſiue non vt aliqui volunt, quod corpus non agit in ſpiritum. Nihilominus nulla conſurgit inde neceſſitas illibertans voluntatem. Cōceptiones affectiuæ conſequentes ad affectū primi entis ſerenum & purum, ſunt nobiliores, ſynceræ & delectabiles ſupra humanum ſenſum. Vnde beati prędicantur mundo corde, & qui guſtant de duodecim fructibus ligni vitæ. Conceptiones
D affectiuæ tanto nobiliores ſunt & iocundiores, quanto ſe magis imprimūt & coniungunt primo enti, vice contraria ad conceptiones affectiuas de ſenſibilibus, quæ ſunt impuriores fœtidioréſque, quo ſunt intimiores coniunctioréſque, vt tactus & guſtus, propterea iocundiſſima ſunt & caſtiſſima diuini amoris, cantica quæ ſuum reſonant amplexum, oſculum & guſtū, ſed non infectis corde. Cōceptiones affectiuæ nobilitatem & libertatem ſuſcipiunt ab intrinſeca rationalis animę libertate, quæ eſt liberum arbitrium, id eſt liberum de ratio-
E ne iudicium conſiſtens ex tribus, quæ ſunt facultas, ratio & voluntas. Vnde patet quod actus voluntatis duplicem contingentiam ſortiūtur, dum effectus naturaliter prodeuntes habeant niſi tantum vnam reſpectu primæ cauſæ. Conceptiones affectiuæ rationales adeò ſunt liberę ex vi ſuæ origineis, quod ſeruili neceſſitate nequeunt ab anima procedere, quamuis aliquæ neceſſariò formentur vt primæ complacentię, conſequentes primas apprehenſiones quæ non habent laudem
F & vituperium ſicut nec formalem arbitrij libertatem. Conceptiones affectiuæ rationales & intellectuales, vt rationales ſunt & intellectuales differunt in nobilitate & libertate à brutalibus, quæ ſeruiles ſunt impetus conſequentes obiectales. Non ſic illæ procedunt, ſed à libertate voluntatis, non qualicunque, ſed arbitrij voluntate, quę poteſt agere & non agere, aut in ſuſpenſo ſe tenere poſt præſentationem obiecti, quamuis hęc conditio non ſit de libertate voluntatis ſimpliciter, ſed ex imperfectione conſurgit in actibus ſuis, qui poſſunt eſſe & non eſſe. Propterea libertas arbitrij non ponitur in Deo ad intra, ſed bene ad extra.

Fit autem

Digitized by Google

Fit autem ſuſpenſio vel negatiuè nihil volendo, vel poſitiuè ſe ad alia diuertendo, vel ſecundum aliquos per actum experimentalem medium inter velle & nolle. Conceptiones affectiuę duos habẽt ſinus vel ventriculos in vtero rationalis animæ, qui nominantur à philoſophis & theologis concupiſcibilis & iraſcibilis, vnde gignuntur & prodeunt omnes animę paſſiones, circa quas ſunt virtutes ſub temperantia & fortitudine conſtitutæ, dum per prudentię directionem fiant conformes rectæ rationi, quę regula eſt agibilium humanorum. Conceptiones affectiuæ poſſunt circa rem eãdem diuerſificari, & circa diuerſis vniri virtute animæ rationalis, ſicut in cognitiua ſic in affectiua, nec in iſtis eſt mendacium. Determinatio autem voluntatis ad primum velle non fuit niſi à ſeipſa per formale illud velle, ſicut determinatio diuinæ voluntatis ad extra reſpicit determinationem in affectu, propterea ſi futurus ſit effectus, dicitur determinatè quod erit, ſed non de poſſibili quod ſemper ante poſitionem fieri non poſſit. Conceptiones affectiuæ vehementiores ſunt & efficaciores cæteris paribus quàm cognitiuę, imo ſine eis languidi ſunt conceptus cognitiui velut inertes & mortui. Et ideo nobiliores dici debent ſicut & voluntas in hominis regno principatur, propterea lex & prophetę dependent ex dilectione ſeu charitate de corde puro, & conſcientia bona & fide non ficta.

Octaua & vltima partitio appropriate conceptibus mentis ſecundum cognitionem practicam.

Conceptus hominis vt homo eſt dicitur propriè de conceptu mentali cognitio, licet ad effectum extendatur. Conceptus cognitiuus ſimplex eſt actus entis, & verbum eius naturaliter repræſentans obiectum, & nomine eius declarans obiectum ipſum. Sic inueſtigauit Auguſtinus per verbum ſeu conceptum intelligentiæ noſtræ verbum in diuina Trinitate, hoc verbum non eſt alicuius idiomatis, ſed ſimile apud omnes, nec in ipſo cadit æquiuocatio qualiſcunque. Conceptus interiores in vtero mentis naturaliter ſignificãtes non ſuffeciſſent pro ſtatu naturæ deſtitutæ ad cõſecutionem ſententiarum philoſophicarum ſi non fuiſſent inuenta nomina ad placitum ſignificãtia, vnde grammatica, logica, rhetorica ſumpſerunt initum proceſſit inde diſtinctio de intentionibus primis & ſecundis in anima. Dicuntur enim conceptus eſſe intentiones, quaſi intus tentiones. Intentio ſecũda dicitur quæ repræſentat conceptus, vt genus & ſpecies & nomina conceptuum. Conceptus mentales ab exordio habiti ſunt non per ſolam obiectorum appræhenſionem naturalem, ſed etiam ſupernaturalem infuſionem, ex quibus potuerunt formari varij conceptus complexi interius, & hinc exterius nomina ad placitum ſignificantia inſtitui propter ciuilem inter homines communicationem in amore fundatam. Conceptus verò talium nominum ſunt naturales, nec repræſentãt ad placitum niſi per diſcurſum quamuis imperceptibilẽ, quia dum percipitur vox extra meminit intellectus ad quid ſignificandum fuerit impoſita, de quo conceptum nouum formauit. A Confirmat hoc verbum textus geneſis de Adam qui vocauit res adductas nominibus ſuis. Conceptus metaphyſicales præceſſerunt via naturalis cognitionis vel acquiſitionis conceptus grammaticales vel logicales, licet è conuerſo ſit via diſciplinæ ſeu communis deductionis. Eſt autem proceſſus naturalis acquiſitionis in primis inuentoribus, quia primò per ſenſus acceperunt accidentia cum ſubiectis ſecum inuolutis, ſecundò abſtraxerunt quidditates rerum ab hic & nunc, B & denudarunt ab accidentibus ſubſtantias, tertiò impoſuerunt apud ſemetipſos verba mentalia, quæ quidditates huiuſmodi repræſentarent. Et ita fuit in eis logica quædam mentalis prius quàm vocalis aut ſcripta, immo & grammatica prius ita compoſita eſt, quæ minus aſpicit res quam logica, quia fundat ſe & ſuos modos ſignificandi in conceptibus, qui ſunt primæ intentiones vel ſecũdæ, conſequenter ars imitata eſt naturam in vocibus & ſcripturis, immo & nutibus & ſignis ſenſibilibus ad placitum inſtitutis. Concipiens aliter rem C quàm ſit decipitur dum abſtrahit, diuidit aut cõponit ſua fictione ſine correſpondentia in re. Super qua deceptione recurſus habendus eſt ad primam philoſophiam quę metaphyſica nominatur. Concipiens rem penitus eandem diuerſis conceptibus, non ſynonimis fallitur ſi non fundetur huiuſmodi diſtinctio ſuper diſtinctione perſonali relatiua, qualis eſt in diuinis, & non altera in creaturis, quæ cognoſcitur ex hoc velut à poſteriori, quod Deus poteſt huiuſmodi res ſeparare & D ſeparatas conſeruare, vt duos homines aut duas qualitates, aut generaliter omne accidens à ſubiecto. Et ita non oportet ponere in relationibus aut reſpectibus diſtinctiones eſſentiales à ſuis fundamẽtis, ſicut nec vniuerſalia realia diſtincta à ſingularibus, ſed ſufficit quod per negationẽ intellectus tales relationes, reſpectus & vniuerſalitates conſurgant ex rebus intrinſecis, ne ponatur pluralitas ſine neceſſitate, aut proceſſus in infinitum, aut diuinæ potentiæ derogetur. Denique ſic diceretur nec quod puncta indiuiſibilia, nec inſtantia ſunt E in corpore vel tempore præter omnem operationem intellectus. Concipiens diſtinctionem in diuinis vel in creaturis minorẽ ex parte rei quàm ſit diſtinctio perſonarum diuinarum, fallitur, ſiue dicatur diſtinctio formalis ſiue relatiua, ſiue modalis, niſi tantummodo rationis, quæ diſtinctio qualiter fiat & ſignificetur ex modis ſupponendi & connotandi in conceptibus vel terminis ſciri debet à logico vel grammatico, quia à metaphyſico trahũt ſcientiam, quia nomen bene & propriè F nequit imponi rebus, eſſentijs earum incognitis. Quæ ſuper relatior erit ſermo in opuſculo de modis ſignificandi. Conceptiones diſtinctionis ſeptuplicis quam aliqui ſe trahere dicunt ex Scotiſtis referri poſſunt ad tres duntaxat modos iuxta Orchamiſtas, quorum vnus ſolus reperitur in diuinis, quæ eſt relationis realis, alius ſolum reperitur in creaturis, quæ eſt eſſentialis diuerſitatis, tertius eſt modus diſtinctionis rationis quam fabricat intellectus tam circa Deum, quàm circa creaturas modis innumeris. Nominantur hi ſeptem modi, primus rationis, ſecundus ex parte rei,

Digitized by Google

tertius formalis, quartus realis, quintus eſſentialis, ſextus ſe totis ſubiectiuè, ſeptimus ſe totis obiectiuè. Conceptus diuerſorum modorum dicendi per ſe & per accedens, & per ſe primò & per ſe ſecundò, & per ſe ſecundum quod ipſum id eſt conuertibiliter fundatur ſuper diſtinctione rerum eſſentialiter diſtinctarum in creaturis, & relatiuè in diuinis, vt iſta non eſt primò conuertibiliter, eſſentia eſt pater generans, ſic enim omne quod eſſet eſſentia eſſet pater. Et inde conſurgit quod hęc eſſentia non poteſt eſſe medium in ſyllogiſmo expoſitorio in diuinis, quia non reſoluitur à dici de omni, id eſt per ſe primò conuertibiliter, quod oportet in medio ſyllogiſmi expoſitorij & in alijs ſimiliter. Cognoſcitur autem diſtinctio rationis, quæ formalis dici poteſt, & conſurgit ex parte rei, quando & vbi ratio definitiua vel deſcriptiua vnius termini non eſt ratio alterius, vel è contra. Vnde conſurgit quod prædicata contradictoria verificantur de terminis vel conceptibus illis, immo & congruitas tollitur & variatur. Dicimus enim quod materia appetit formam, & cum materiæ appetitus non ſit niſi materia, nihilominus incongruè diceretur, quod materia materiat formam. Nec dicimus quod intellectus vult & voluntas intelligit, & ita de eſſe & eſſentia, de albedine & ſimilitudine propter modos ſignificandi alios & alios. Concipiens res naturales modo doctrinali poteſt duabus vijs quaſi contrarijs incedere, & ordinem ſcientijs dare. Vna via eſt ex parte rerum cognoſcibilium à priori, altera via eſt ex parte cognoſcentium à poſteriori, qualis tradita eſt per philoſophos in omnibus ſcientijs à grammatica vſque metaphyſicam per ſcientias intermedias, ſicut docet ordo pulcherrimus ſcientiarum. Non autem ſola voluntate vel à caſu progrediens, ſed in rerum natura fundatus, vt in de modis ſignificandi habet tradi. Conceptus intellectuales rationaliter & ſufficienter à philoſopho numerati ſunt dum diuiſit eos in ſapientiam & intellectum, & in ſcientiam & prudentiam, & in artem, quorum conceptuum ratio & diſtinctio alibi ſatis apertè tradita eſt. Similiter de ſubiectis & obiectis omnium ſcientiarum ſingillatim, & quemadmodum impreſſum gerunt veſtigium beatiſſimæ Trinitatis, quæ cunctis eſt cauſa eſſendi, ratio intelligendi & ordo viuendi. Conceptus habiti de ſcientijs vel actibus ſubalternis faciliter inueniuntur erronei ſi contenti non fuerint terminis ſuæ inquiſitionis, aut niſi tranſeant aut ſe reſoluant ad conceptus ſcientiæ ſubalternantis, præcipuè ad metaphyſicam ſpectat ſcire an abſtractiones quas facit materia ſint ita in re ad extra vel in ſolo conceptu. Nec ad medicum ſpectat ſi anima ſenſitiua diſtinguatur ab intellectiua, nec ad aſtrologum vt talis eſt, ſi motus eſt res diſtincta à mobili, & ſi ſint veraciter expicicli vel intelligentiæ à cælo diſtinctæ, & ita de ſimilibus ſcientijs ſuo modo. Vtrum verò metaphyſica contentetur in ſuis explicationibus grammatica & logica, vel ſi latius accipit ens ſub diuerſis analogijs non eſt noſtrum inter formaliſtas & terminiſtas tantam componere litem, quæ profectò ſæpe procedit ex æquiuocatione quid nominis, quæ non patitur in quauis diſputatione fieri poſſe concordiam. Eſſet igitur vtraque via à ſcholaſticis cognoſcenda. Conceptus ſpeculatiui faciliter tranſeunt in affinitatem practicorum & è contra, ſicut verum & bonum in ente conuertuntur, immo nulla eſt ſcientia vel ſapientia quin ad dilectionem Dei debeat ordinari, vbi ſua ſtat perfectio, libertas & nobilitas. Secus in amore ſenſibilium vel eorum factione. Concipiens quicquid eſt ſcibile naturaliter per intellectum vel adeptum vel aſſimilatum ſeu diuinum iuxta modum traditionis Platonicorum, Peripateticorum, non ob hoc dicendus eſſe verè felix, immo ſe fundat in principijs erroneis de intellectu humano & intelligentijs, vnde confinxerunt idololatræ & dæmonicalæ theletas & theorgiam pro purificationibus animarum ad conformitatem intelligentiarum & tandem Dei. Sed defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, & mentita eſt iniquitas ſibi. Concipiens anima diuinum verbum hic per fidem, ſpem & charitatem, dicenda eſt felix initiatiuè & virtualiter. Adipiſcitur beatitudinem conſummatam per partum verbi in gloria ſi perſeuerauerit vſque in finem. De quo partu theologizantes magna dicunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Ipſi ſoli gloria in æternum & vltra. Amen.

FINIS.

PRÆFATIO MAGISTRI IOANNIS GERSONIS, *in librum de vita ſpirituali animæ.*

REVERENDO in Chriſto patri & ſacræ theologię profeſſori eximio domino Petro Cameracenſi epiſcopo, eius diſcipulus Ioannes Cancellarius indignus eccleſię Pariſienſis pro ſe humilem obedientiam & pro communi ſalute ſapere ea quæ recta ſunt.

Poſtulare dignata eſt beneuolentia tua præceptor inclite, quatenus ſcripto tibi traderem vnam ex lectionibus meis, cui præſentiam tuam præſtare non erubuiſti, nec inſolitam hanc rem effugiſti, tu ſcholæ theologiæ iubar radioſiſſimum, tu iam doctor emeritus. Erubui fateor, immo & tota ſchola obſtupuit ad hunc humiliationem dignitatis & ſapientiæ tuæ, quaſi lumen ſol à ſtella, mare aquam à fluuio, lanam ouis à capra mendicare videretur. Sed ita verum eſt, vbi ſapientia, ibi humilitas, ſicut è conuerſo teſtis eſt ſapiens, ibi ſapientiam eſſe vbi reperitur humilitas. Tu denique quanto maior es (iuxta eiuſdem conſilium) humilias te in omnibus. Minus quoque nunc mirandum eſt ſi illam, quantulacunque eſt, meam eruditionem diligis & amplecteris, cuius tu nutritor, fotor & autor hactenus extitiſti. Quod fecit quiſque tuetur opus, vt ait Naſo. Ita hoc in loco Chriſti verbum non ineptè iungitur: Doctrina mea non eſt mea ſed eius qui miſit me patris. Et certè tu pater me miſiſti, quia me per te licentiatum in ſacræ theologiæ facultate feciſti. Tu per te & ſub te magiſtralibus me inſignijs decoraſti. Te inſuper motore

Digitized by Google

motore in cancellariatus officium tibi ſucceſſi, quamquam non meritis æquis. Feci autem cumulatius quàm quæſiſti. Sequentes itaque lectiones eiuſdem materiæ mittendas decreui, non quidem ad te docendum, ſeorſum hæc præſumptio, ſed vel ad obedienter complacendum, vel ad pręſtādum iuſtum aliquem veteris otij oneroſis curis tuis, vel quod modeſtius eſt ad corrigendum perficiendúmque imperfectum meum quod viderunt oculi tui. Attamen quò facilius ignoſcat noſtra huic opuſculo, ſi quis forte lector alius in ipſum coniecerit oculos & ſi offenderit eum ſermo incultus, nec ſatis perfecto & pulchro vt tractatum decuerat ordine cōtextus, recogitet prius interpres alium pro lectionibus, alium pro tractatibus ſtylum eſſe, ſciat non ita cohærere quæ varijs temporibus prolata ſunt, quemadmodum illa quæ elaborata ſub vno tenore dictauit oratio.

Nihilominus his lectionibus morem tractatus nunc impoſui, quod quantum fas extitit, diuidēs eas in tres partes ſecūdum materiam principalem triplicem, & conformiter ad hæc tria Apoſtoli verba infra commemorata, & quaſi ad quoddam thema: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Viuimus enim in Deo viuificatione gratiæ, mouemur in eo & ad eum pondere operationis meritoriæ, & tandem circulo quodam intelligibili ſumus in eo veluti in centro noſtro per quietem contemplationis ſtabilis & ſerenæ. Primum eſt omnium in gratia exiſtentium quaſi incipiētium, ſecundum proficientium, tertium perfectorum. Primum in baptizatione fluminis vel flaminis, ſecundum in tentatione peregrinationis, tertium in conſolatione angelicæ adminiſtrationis. Sicut Chriſtus primò baptizatus eſt, poſtmodum tentatus, deinde conſolatus. Sicut ipſe eſt vita animās, via mouens, veritas ſtabiliens, alpha & ω, principium, medium & finis. In quo viuimus per fidem formatam, quia iuſtus ex fide viuit, & hoc in vi rationali. Mouemur per ſpem deſiderantem quæ ſurſum ſunt in iraſcibili. Sumus per charitatem radicatam in concupiſcibili. Prima ergo pars opuſculi quæ latior eſt & per lectiones diſtinguitur agit de vita animæ & de morte ipſius, & de ægritudinibus ſpiritualibus, inquirendo quidditatem peccatorum à radice, & eliciendo moralia documenta inde ſequentia. Secunda tractat de vita ſecunda animę, quæ eſt motus eius vel inſtinctus, inquirendo diſtinctionem inter bonas inſpirationes, & immiſſiones per angelos malos, in diuerſis materijs, & de modo tentationes ſuperādi. Tertia loquitur de vita animæ per contemplationes ſtabilitæ & conſolatæ. Bene valeas pater in Chriſto, & oremus pro inuicem vt ſaluemur.

Lectio prima de vita ſpirituali animæ.

EGo vos baptizaui aqua, ille vos baptizabit ſpiritusſancto. Antiqua iam atque nouiſſima patrum traditione compertum habemus quid operabatur baptiſmus Ioannis, & quid baptiſmus Chriſti. Nam cum baptizari ſit naſci denuo, ſicut Nicodemo dicebat Chriſtus, tantum intereſt inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, quantum ipſa diſpoſitio ad vitam differt ab introductione eiuſdem vitæ ſpiritualis in nobis. Eſt itaque nobis baptiſmus Ioannis præparatorius ad vitam A ſpiritusſancti complexandam in ſuſcipientibus, ſed Chriſtus ſolus verè viuificabat, quia ſolus verè baptizabat ſpiritusſancto. Placet autem vt amiſſa interim pertractatione literali ſuper hoc duplici baptiſmo, quoniam notiſſima eſt, vertamus conſiderationem noſtram ad loquendum de vita animæ quam ſpiritusſanctus operatur in nobis per baptiſmum, qui vſitato iam nomine dicitur eſſe flaminius. Ille enim baptiſmus per ſe efficax eſt, abſque eo autem nec baptiſmus fluminis nec ſanguinis prodeſt quicquam. Dicebat B Paulus Athenienſibus allegans vnum ex eorum poëtis dum de Deo loqueretur: In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus, Act. XVII. Quæ verba ſi quis ad corporalem & hanc viſibilem vitam, motum & exiſtentiam referat, nihil eum errare crediderim, quoniam ſicut vas aquam continet & figurat, ita vt verum ſit quod aqua plus in vaſe quàm in ſe figuratur, ſic multo intimius in ipſo Deo tanquam in vaſe omnem creaturæ labilitatem continente viuit quidquid viuit, moue- C tur quidquid mouetur, & omnis exiſtentia ne defluat in nihilum in ipſo eſt atque conſeruatur. Sed de ſpiritualibus & inuiſibilibus locuturi dicamus quod anima rationalis habet in ſpiritusſancto ſuam vitam, ſuum motum, ſuam exiſtentiam. Eſt quippe hoc proprium ipſi creaturæ rationali ſuper cæteras, quod capax eſt vitæ alicuius gratuitæ & diuinæ, ſimiliter & motus & exiſtentiæ, vltra id quod eſt in ſe naturale. Et quemadmodum materia prima, & ſi de ſe non ſit nihil, capit tamen D ſuum eſſe principalius per formam. Sic & anima in eſſe ſuo naturali conſiderata, imaginanda eſt tanquam materia nudata, quæ fieri poteſt ſubiectum quaſi deferens ipſum ſpiritumſanctum tāquam eius veram vitam non quidem formalem, hoc enim dudum per magiſtros noſtros damnatum eſt, ſed formali non prorſus diſſimilem. Et quomodo fiat iſtud ſi forſan interrogas. Reſpondeo quod per baptiſmum ſpiritusſancti, cui tamen præuius eſt aut natura, aut tempore baptiſmus aquæ viuæ & mundæ tanquam qualitatiua E diſpoſitio prærequiſitæ ad vitæ huius formalis introductionem. Eſt autem baptiſmus iſte gratiæ & aliarum virtutum infuſio aſperſióque intima, animam abluens & reddens idoneam, cui ſpiritusſanctus ſeipſum, vitam & modum & eſſentiam inſpiret & donet. In ipſo viuimus vt in vita, mouemur vt in via, ſumus vt in veritate. Et vide ſi non ita cortex literæ abſconditum habet in myſterio. Nam ſi Ioannes interpretatione ſua gratiam ſonat, & baptiſmus ablutionem no- F minat, quid Ioannis baptiſmus niſi gratiæ ablutio deſignatur. Et hæc (vt prædiximus) ablutio non niſi præparatio eſt in anima ipſa vt ſpiritusſancto viuat, moueatur & exiſtat, quemadmodum dicebat diuinus Paulus: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Fatendum eſt nihilominus eſſe quaſdam diſpoſitiones frequenter in anima quæ longinquæ ſunt ab iſtius vitæ, ſpiritus ſcilicet infuſione. Ita enim videmus quod in naturali generatione animalis plurima præcedunt ad propinquam diſpoſitionem quę formam inuehit materiæ. Iſtas diſpoſitiones appellant theologi in adultis operationes informes, quibus peccatrix

Digitized by Google

anima intendit facere quod in ſe eſt, ſe diſponit ad vitam, non quod iſta diſpoſitio ſufficiat, vtpote quæ longinqua eſt, & nihil de vita ſpiritus habens in ſe, ſed quia nihil interim anima maius habet quod faciat, quàm vt bene vtatur ſuis naturalibus potentijs, & donis quibuſdam gratuitis licet non viuificatis. Quo facto ſicut credis animam introduci in materiam naturalibus tantummodo actionibus qualificatam, non quidem in virtute huiuſmodi qualificationibus, ſed de ſola liberalitate omnipotentiſſima creatoris, non aliter exiſtimes in ipſa vitæ ſpiritus infuſione. Qualeſcunque enim & quotcunque præceſſerint diſpoſitiones, ex ipſo conatu animæ ad hanc vitam ex morte tendentis, nihil ſunt, nihil attingunt, niſi miſeratus ex alto ſpirituſſanctus vltimatam complexionis harmonicæ ſpiritualis qualificationem infuderit, cum qua & in qua ipſe qui verus eſt animæ ſpiritus, ipſam viuificat ſuo illapſu & afflatu ſecreto, qui afflatus baptiſmus flaminis dicitur & baptiſmus in ſpirituſſancto.

Et hæc dicta ſunt pro conſonantia literæ ad ea quæ tractare proponamus ſuper animæ vita in ſpirituſancto. Iam ex præmiſſis attendamus quod anima rationalis vitæ quadruplicis capax exiſtit. Eſt enim vita naturæ, eſt vita gratiæ, eſt vita actionis meritoriæ, & eſt vita confirmationis ſtabilitæ, & hoc dupliciter, vel in via vel in patria.

Vitam naturæ in anima dicimus puritatem ſuæ eſſentiæ cum integritate ſuarum potentiarum. Attribuuntur etiam huic vitæ alia quæcunque acquiſita vel infuſa, citra gratiæ gratificantis ſtatum. In tantum ergo perfectiorem vitam hanc naturalem aſcribimus ipſi animæ, quanto præcellentior fuerit & viuacior in ſuis naturalibus, & ſi cæteris gratuitis fuerit ſpoliata. Altera vita eſt vita gratiæ, quæ ideo taliter nominatur, quia ſpirituſſanctus qui ſua dignatione & beneuolentia animam viuificat vt potens ſit ad vitam tertiam, de qua dicendum mox ſupereſt, gratiam gratum facientem præinfluit in animam, velut diſpoſitionem quandam harmonicam de lege neceſſariam. Præſupponitur autem huic vitæ prior quæ naturalis dicitur, tanquam ſuum naturale ſubiectum. Cæterum per vitam tertiam non aliud intelligo quàm actionem meritoriam vel gratificam, ab hac vita ſecunda deriuatam, ſicut operatio qualibet viuentis nominatur à philoſopho primo de anima vita ſecunda eiuſdem. Poſtremò vita quarta non tam vita altera propriè dicta eſt quam duplicis vitæ prioris ſtabilitio atque confirmatio, quod fit vel in via per abundantiam ſpiritualium chariſmatum animam à morte contraria prohibentium, vel in patria ex conditione beatitudinis & ſtabilitate felicitatis. Et attendamus precor ſi apoſtolica verba à philoſophis vſurpata inſinuare nobis poſſint hanc triplicem vitam animæ ſpiritualem, quia de prima quæ naturalis dicitur, parum nunc loquendum eſt. In ipſo (inquit) viuimus, ecce vitam primam gratiæ, mouemur ecce vitam ſecundam, & ſumus, ecce vitam tertiam, quæ eſt confirmationis ſtabilitæ & permanentis exiſtentiæ. Et has vitas nõne in myſterio exemplauit nobis Chriſtus in ſuo baptiſmate, quoniam primo venit baptizãdus, tanquam bene vtens vita naturali, deinde baptizatus eſt, tanquam vitã gratiæ adepturus, quam A tamen in veritate prius habuerat, poſtmodum aſcendit de aqua oſtendens vitam tertiam actionis virtuoſæ, tandem mãſit ſuper eum ſpirituſſanctus in ſignum vitæ quartæ, quæ eſt confirmationis permanſiuæ.

Dicamus adhuc quod huic vitæ quadruplici opponuntur totidem mortis genera. Nam eſt mors naturæ, quæ fit ſeu per annihilationem eius totalem, ſeu per ablationem eorum quæ naturæ ſuæ debita ſunt, ſeu per immiſſionem contrariorum habituum prohibentium liberũ exercitium huius B vitę, quemadmodũ eſt peccatum originale quod fomes mortis dicitur, & tyrannus membrorum, & lex peccati, & à quo proueniunt cætera incommoda, vt debilitatio virium, ignorãtia, hebetudo & ſimilia etiam poſt baptiſmum. Iuxta hoc dicamus quod eadẽ anima poteſt ſimul eſſe, particeps vitæ naturalis & mortis naturalis. Mortis dico quę non eſt per annihilationem ſed aliunde modis dictis. Si de vita ſecunda quæ eſt vita gratiæ loquamur, inuenimus mortem ei contrariam quæ con- C tingit ex corruptione debitæ illius harmoniæ quã in gratia gratum faciente conſiſtere poſuimus. Quemadmodum enim ſi corrumpitur corporalis illa complexio reſultans ex qualitatibus primis cõtemperatis ad inuicem, animam abſcedere neceſſe eſt, ſic deficiente gratia, non remanet ſpirituſſanctus animæ vitam præſtans. Porrò vitæ tertiæ contrariatur actio peruerſa aut ceſſatio ab operatione tunc debita. Videmus enim quod natura abhorrens otium pati nequit animam diu eſſe in D materia abſque proprijs & debitis actionibus. Nõ minus poteſt eſſe diu ſpirituſſanctus in anima quę vel criminaliter vel nihil operatur. Dęmum nulla eſt mors corrumpens quartam vitam confirmationis ſtabilitæ, & hoc in eadem anima ſed obſtinatio in peccato quæ peccatum dicitur ad mortẽ. Et hæc vita conditiones habet oppoſitas in diuerſis. Addamus rurſus dicentes quod impoſſibile eſt animam ſola vita naturali viuentem operari ſalutem ſuam. Cuius oppoſitum Pelagianus error aſſerebat. Itaque ſi non poteſt corpus mortuum E vitales operationes exercere, quomodo dicet aliquis animam vita ſua carentem quæ eſt ſpirituſſanctus in opera vitæ ſpiritualis exire poſſe? Non enim eſt anima rationalis par alijs viuentibus, quibus ſicut non competit niſi finis vnus naturalis, ſic vna vita eſt ſufficiens. Animæ verò rationali præparatus eſt finis quidem ſupernaturalis. Quis ergo negare poterit ſupernaturalem ei vitam & operationem eſſe neceſſarias vt pertingat ad eum qui ſuper ipſam eſt beatitudinis finem & terminũ. F Nolo tamen negare quin anima poſſit ex ſua vita naturali bene moraliter agere, & faciendo quod in ſe eſt, ſe ad vitam gratiæ diſponere. Et primò ſi anima nulla morte ſit infecta, habẽs naturalium integritatem, in nullo æſtimo fieri ambiguũ quin habeat in ſuo arbitrio cauſare opus bonum de genere moris, veſtiendo ipſum omnibus circunſtantijs quas ipſa bonitas moralis exigit tam in fine propinquo quã in obiecto & intẽtione, alioquin homo ſine culpa exiſtẽs, miſerabilior eſſet omnibus animantibus. Cur ita? quippe cętera animalia poſſũt in operationes ſuę naturę debitas ſuppoſito Dei generali auxilio, non ſic homo poſſet.

Sed

Digitized by Google

Sed quid dicemus de anima quæ mortem circumfert ſecum vel peccati originalis vel criminis actualis. Fuerunt qui dicerent animam tali morte preſſam, non poſſe ad actus bonos morales aſſurgere, quemadmodum eſt celebris de ipſis dæmonibus & damnatis opinio, quod bene moraliter neque velle poſſunt neque agere. Rationem aſſerunt ſic ponentes etiam in viatoribus mortificatis per peccatũ abſque vita gratiæ. Tanta eſt inquiũt, incuruatio & deprauatio ſeu corruptio & mortificatio vitę naturalis in animabus talium, vt potius trahantur in malum quam in bonum. Nam violentior eſt in eis tractus mortis quam vitæ, propterea dicũt quod omnia ad turpitudinem ſuam, quæ eſt mors ſua, referunt ex conſequenti omnia opera mortua ſunt, vtpote à morte procedentia. Addunt pro confirmatione quod in omni actu peccatoris deeſt circũſtantia gratiæ, bonum verò quia ſubſtat ex omnibus ſuis conditionibus, ſicut ex vnica ſi deſit reſultat malum, ſecundum dicta Dionyſij, nihil ſimpliciter bonum eſt quod ab arbore mala & à radice vitiata gignitur. Hæc verò ſententia & ſi talibus aliiſque plurimis apparẽtijs fulcita videatur, pridem tamen repulſa eſt tanquam dura, & plus ad deſperationem quam ad ædificationem proficiens. Quis enim non obſtupeſceret, audiens quod abſque gratia honorare parentes, eleemoſynas dare eccleſiaſtica præcepta de ieiunijs facere, immo per attritionem ſe ad gratiam diſponere eſt mortaliter delinquere. Non enim requiritur quod in omni actu noſtro agamus ex gratia aut quod gratia illum informemus niſi pro quanto, & dum mereri tenemur per aliquem huiuſmodi actum. Reliqui verò actus ſi fiant circa materiam bonam de genere, & cum intentione debita finis immediati, ponendo alias circunſtantias bonas moraliter, & ſi non ſint meritorij vitæ æternæ, ſunt tamen boni moraliter, & bonum temporalium meritorij, ad gratiam de cõgruo præparatorij, quia per eos homo facit quod in ſe eſt. Nam facere quod in ſe eſt, intelligo hoc facere quod homo poteſt ſecundum vires quas actualiter habet. Hoc loco diſtinxerunt aliqui de gratia. Nam ſi gratiam appellamus omne illud quod à Deo liberaliter datur ſine meritis, totum eſſe noſtrum & viuere inter gratuita numeratur & in nobis & in brutis, quamquam plus in nobis, quia beatitudinis capaces ſumus, & pro ipſius adeptione datur nobis quicquid datur. Nunquid Deo cura eſt de bobus, inquit apoſtolus. Non de brutis, ſed de hominibus ait, quod omnia cooperãtur in bonum &c. Hoc modo omnis tribulatio, omnis infirmitas, immo & ipſę tentationes inter gratuita numerãtur. Cuius ratio eſt, quia Dei bonitas quãtum eſt de ſe nobis immittit aut euenire permittit ad bonum noſtrum ſi non peruerſè renitimur abutimúrque. Ex iuxta hunc acceptionis modum de gratia, perſpicuum eſt nihil nos boni poſſe abſque gratia. Si verò gratiam nominemus donum aliquod infuſum diſtinctum ab anima ſupra vel vltra vires ſuas naturales & induſtrias, nulla videtur neceſſitas dicere talem gratiam eſſe neceſſariam ad hoc vt bonum de genere agamus per liberum arbitrium, plus quam nõ ponimus talem gratiam ad cognoſcendum verum circa naturalia per intellectum. Deinde dici poteſt quod impletio præceptorum vt in multis quantum ad ſubſtã-A tiam præcepti non coexigit gratiam gratum faciẽtem, quamuis intentio præcipientis non conſeruetur ſi non fiant in gratia vel ex gratia. Intentum quippe eſt in omni præcepto, vt per illud mereamur ad vitam ingredi. Sed hanc intentionem nõ ſemper ponimus eſſe obligatoriam ſimpliciter ad peccatum ſi non obſeruetur. Tantummodo conditionaliter obligat, vt ponit Durandus ſi mereri voluimus aut dum mereri tenemur, quemadmodum contingit in ſuſceptione ſacramentorum, B aut dum ad gratiam reſurgere vel ex ea iam habita debemus operari, hoc modo intelligunt illud Chriſti. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.

Decurſis aliquibus circa primam vitam quam habemus ante baptiſmum gratiæ factum à ſpiritusancto, & quidem ſub multa breuitate, quia per doctores plurimos materia hæc & ſimiles incidẽtes latius tractatæ ſunt. Pergat noſtra conſideratio ad loquendum de vita vera gratiæ quæ eſt baptiſmus in ſpiritusancto, & per quam fit vt viuamus in ipſo. Et ſimul tractabimus vitam alteram per C quam ſumus & ſtabilimur in eo. Nam & ſimul dictum eſt in ipſo viuimus mouemur & ſumus. Hoc etiam tractabimus de illis quæ vitas iſtas vel alteram earum funditus extingunt & enecant. De illis inſuper quæ illis tantummodo debilitant & in ægritudines trahunt & hoc eſt quærere ſub terminis vulgatioribus, quid eſt peccatum mortale & quid veniale, & quemadmodum contrahuntur. Circa quam materiam licet vſitata videatur intendo particularia quædam afferre, in omnibus tum difficultas tum vtilitas pro conſcientiarum ſereni-D tate verſantur. Placet autem vt neglecto interim vel temperato ſtilo, nos per propoſitiones & corollaria procedamus. Hic enim modus accommodatior eſt ſcholæ, & inquiſitioni tali ſpeculatiua veritas ſæpe præciſior atque lucidior inuenitur. Erunt autem primitus duæ materiæ principales pertractandæ, vna de quidditate & quantificatione peccatorum per quæ vita animę vel tollitur vel impeditur. Altera de quidditate primæ legis diuinæ & iuſtitiæ, prout nobis ex ſcriptura E & alijs innoteſcit. De noticia quoque ad differentiam peccatorũ penes illam legem ſic ad extra diriuatam, tractando principaliter quid propriè debeat dici de iure diuino, quid de naturali, quid de humano, inferendo qualiter ſtatuta religionum & communitatum obligant. Et ſi ſemper vota, iuramenta & pręcepta communicationes quoque ſeu interminationes mortis æternę aſtringant ad mortale.

Pro prima materia ſit hæc vnica concluſio cum F ſuis corolarijs. Omne peccatum prò quanto eſt offenſa Dei, & contra legem eius æternam eſt de ſua conditione & indignitate mortiferum ſecundum rigorem iuſtitię & à vita glorię ſeparatiuum. Ratio eſt, quoniam omnis offenſa in Deum poteſt iuſtè ab ipſo iudice Deo puniri pæna mortis tam temporalis, quam æternæ, immo annihilationis pæna. Eſt igitur de ſe mortifera. Aſſumptum deducitur ex hoc quod nulla pæna talis eſt ita mala, quantum mala eſt ipſa offenſa. Et ex alio, quia potius toleranda eſſet omnis mors pęnalis & annihilatio, quam committenda eſſet quantumlibet parua offenſa in Deum, da oppoſitũ. Iam offenſa

Digitized by Google

Dei licitè fieri debet in caſu. Præterea, quælibet offenſa Dei niſi remitteretur, repelleret à gloria Dei, perpetuò & abſque termino puniretur, alioquin maneret dedecus culpæ ſine decore iuſtitię, quod autem offenſa dimittitur aut remittitur eſt ex pura liberalitate Dei remittentis & non amplius imputantis. Denique non minus eſt fugibilis offenſa Dei, quam ſit eligibile illud bonum pro quo adipiſcendo nullo modo deberet committi, ſed pro infinito bono non deberet fieri offenſa Dei, & ſi quis infinita bona poſſideret, poſſet iuſtè omnibus à Deo ſpoliari ſi caderet in offenſam Dei. Et his radicibus argumentorum quæ poſſent in latius ramificari, videtur licet ſufficienter deductum, quod omnis offenſa Dei eſt mortifera ex ſua cõditione & indignitate, immo quod eſt infinitę fugibilitatis & imputabilitatis, addendo vel intelligendo quod ſit in iniuriam boni infiniti, & quantum in ſe eſt, abijcit ab homine Deum tanta elongatione quod nunquam poterit niſi per ſolam & meram gratiam illi proximus eſſe. maximè per vitam gloriæ. Patet etiam de veniali. Sed diceret aliquis quod Deus ideo quia dominus eſt ſuæ creaturæ in ſupremitate pleni dominij ad faciendum de ea quicquid voluerit & quomodocunque voluerit procedunt rationes prædictæ ad oſtendendum quod poteſt pro aliqua offenſa pœnam quantamlibet poſſibilem infligere, nec poterit ei quiſquam dicere, cur ita facis? Hoc autem diceretur ita de iuſtiſſima creatura, aut non peccatrice quod ipſa ſubiacere poteſt cuicunque afflictioni & pœnalitati, abſque hoc quod oporteat dicere eam eſſe in aliquo culpabilem. Reſpondetur quod Deus poteſt abſolutè & iuſtè dare qualemlibet afflictionem ſuę creaturæ, immo virgini Mariæ. Sed hoc non erit in pœnam & punitionem cuiuſcunque delicti, & ita quamuis ſit afflictio iuſta: non tamen eſſet tibi iuſta pœna ſeu punitio, nec etiam iniuſta, quia nulla ibi poneretur ratio pœnæ, cum pœna & culpa correlatiuè dicantur ad inuicem, igitur &c.

Primum corollarium.

Nulla offenſa Dei eſt venialis de ſe, niſi tantummodo per reſpectum ad diuinam miſericordiam quæ non vult de facto quamlibet offenſam imputare ad mortem, cum illud poſſet iuſtiſſimè. Et ita concluditur quod peccatum mortale & veniale in eſſe tali non diſtinguuntur intrinſecè & eſſentialiter, ſed ſolum per reſpectum ad diuinam gratiam quæ peccatum iſtud imputat ad pœnam mortis & aliud non. Omne enim peccatum culpabile ex ſui indignitate mortiferum eſt modo dicto. Addidi culpabile, quoniam peccatum eſt in agentibus naturalibus, vbi tamen nulla culpa vel offenſa reperitur, quamquam in materia hac ſynonimè capiantur vt plurimum peccatum & culpa.

Secundum corollarium.

Si nullum infinitum vel infinitè tale poſſit altero eſſe minus, nullum peccatum in eſſe offenſæ eſſet minus alio, quoniam omne peccatum eſt infinitè offenſiuum. Non eſt tamen concedendum quod peccata omnia ſimpliciter ſint æqualia, prout dixiſſe Stoicos referunt Seneca & Tullius & alij. Si enim per imaginationem poneretur linea infinita in longitudine & ſuperficies infinita in latitudine & longitudine & corpus in trina dimenſione. Vel ſi à linea recta protraheretur lineæ recurue in infinitũ vel in caſibus ſimilibus multis, non oporteret dicere omnia iſta eſſe æqualia, vel in dimenſione vel in curuitate, quãuis eſſet quodlibet in ſuo genere infinitum. Sic non offenſas etiam infinitas oporteret ponere æquales eſſe, ſed vna eſt grauior altera & multiplicior, quare &c.

Tertium corollarium.

Obligamur Deo ad gratificationem & gratiarum actionem ex hoc quod peccata noſtra venialia non imputat ad mortem, ſicut tenemur ex remiſſione mortalium, quoniam vtrobique cõcurrit miſericordia Dei non imputans peccata niſi ad pœnam temporalem, quæ de ſua indignitate imputabilia ſunt ad mortẽ, vnum de poſſibili, aliud de lege ſtatuta. Immo forte ita diceretur de omnibus iuſticijs noſtris, quæ quantum de ſe ſunt, ſunt ſicut pannus menſtruatæ, præſertim poſt peccatum, aut abſente gratia.

Quartum corollarium.

Peccans venialiter ex deliberatione, abutitur Dei miſericordia, quæ conceſſit peccatum illud eſſe veniale, non mortale. Relucet inſuper miſericordia Dei in hoc quod abuſus ille deliberatus nõ eſt niſi venialis, iuxta regulam magiſtralem, quod conſenſus in veniale non eſt niſi venialis, intelligendo de veniali ex ſuo genere & non de eo quod veniale dicitur, ex eo quod per ſurreptionem aut infirmitatem aut ignorantiam aut actus imperfectionem committitur. Oppoſitum enim dicere, eſſet damnare omnes homines præſertim eos qui mentiuntur etiam iocoſè, quia deliberatè faciunt actum quem ſciunt eſſe culpabilem. Regula verò illa quod nullum peccatum eſt adeò veniale, quin fiat mortale dum placet, intelligitur de venialibus ſecundo modo dictis, quæ ideo ſunt venialia, quia ſine pleno conſenſu rationis perpetrantur, ad quę ſi conſenſus perfectus & placens aduenerit nil mirandum ſi redduntur mortalia, quamquam non ſint iam idem actus qui prius, ſed bene ſimiles in ſpecie, ex alia tamen radice, videlicet à libero conſenſu procedentes. Vel intelligẽda eſt talis regula, ſi & dum peccatum veniale placeret inquamtum peccatum eſt & Dei offenſiuũ abſque aliquo quocunque motiuo vel allectiuo ad peccandum. Iſtud enim videtur eſſe diabolicæ obſtinationis proprium quod impugnetur Deus & odio habeatur gratis. Sed vbi quis habet actum quem ſcit eſſe venialem, non motus quia offendit Deum, ſed quia delectat ſe, & non vellet ipſum agere ſi Deus ad mortem & animę ſuæ perditionem imputaret, agit quidem malè, ſed non mortaliter de lege. Si rurſus obijcitur quod agens contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, diſtinguendum erit de qualitate ipſius conſcientiæ ſi ſit de mortali vel veniali, & ſecundum hoc reſpondendum eſt.

Quintum corollarium.

Nullus idem actus numero elicitus bonus aut meritorius eſt peccatum etiam veniale. Huius oppoſitum oppinati ſunt aliqui, ſed iudicio meo falluntur, aut quia loquuntur de actibus exterioribus quæ non ſunt niſi reſpectiuè boni aut mali, vbi idem actus eſt optimus & peſſimus diuerſis reſpectibus, ſicut paſſio Chriſti quæ erat actio Iudæorum.

Aut

Digitized by Google

Aut ſi loquantur de actibus intrinſecis elicitis à voluntate, nō habebunt quod eadem volitio quæ eſt mala venialiter ſit bona meritoriè, quamuis illa quæ ſimilis eſt, & quæ velut imperceptibiliter poteſt ſuccedere ad eam magni valeat eſſe meriti apud Deum.

Sextum corollarium.

¶ Veniale peccatum ſi nō remittitur, punitur ſe ſolo vel cū mortali pœna æterna, hoc eſt quia Deus taxauit de lege ſibi certam pœnam, qua ſoluta remittitur offenſa totalis contracta. Et ita poteſt vtraque opinio ſuſtineri, tam illa quæ ponit peccatum veniale cum mortali puniri æterna pœna in foro iuſtitiæ infernalis, vt dicit Præpoſitiuus, quā illa quæ dicit oppoſitum, ponendo quod offenſa venialis bene remittitur ſoluta pœna abſque remiſſione mortalis, ſicut de pœna vel pœnitentia debita peccato mortali dimiſſo, probabilis eſt opinio dicens illam pœnitentiā quandoque finiendam etiam in inferno, ſicut & ſoluitur in hac vita homine exiſtente in mortali peccato, & vocatur pœnitentia ſoluens non reconcilians. Oppoſitū ſenſit aliorū ſententia, ſed hæc mitior eſt. Et pro intellectu præmiſſorū conſiderandum eſt, quod in omni peccato actuali tria ſunt ſaltem diſtincta ratione. ſ. auerſio à Deo bono incommutabili, & iſta vocatur offenſa eius, ad quod ſequitur neceſſariò imputabilitas ad pœnam quæ vocatur indignitas, quamuis poſſet non imputari, & dū imputatur vocatur reatus, & hoc eſt ſecundum. Tertiū eſt conuerſio ad bonum cōmutabile quod ſecum importat maculam & obſcuritatem, quoniam anima quanto amplius inhæſerit per cupiditatem rebus mutabilibus, tanto plus maculatur & fœdatur & ab illa luce ſuperna decidens in tenebroſa demergitur.

Dicamus igitur ſeptimò, quod peccatum quodlibet ſicut eſt finitus actus, ſic eſt finita conuerſio, & finita talis macula ſeu tenebroſitas, & iuxta hāc conuerſionem libidinoſam maiorem vel minorē, dicit ſanctus Thomas, proportionari pœnam ſecundum intenſionem & remiſſionem acerbitatis, vt quantum glorificauit ſe in delitijs, tantum proportionabiliter habeat & tormentum. Ad hanc peccati conditionem aſpiciunt (vt opinor) illi qui ponunt quodlibet peccatum eſſe ſolum finitæ maliciæ. Sed non video eos ſaluare poſſe quod non debeatur ſibi pœna infinita ſecundū acerbitatem, ſi natura eſſet capax, vel Deus hanc vellet infligere, quoniam hoc agendo Deus non ſolum iuſtè ſed & miſericorditer ageret cōſeruando naturam. Et ſanè implicatio eſt dicere quod abſque miſericordia poſſet peccatum aliquod per finitam pœnam aut infinitam ſufficienter puniri. Nā quātumcunque daretur de pœna pro peccato, niſi Deus miſericorditer remitteret offenſam, ſemper remaneret dignū puniri vt prius, immò quod talis pœna ſit remiſſiua & deletiua peccati, eſſe nullo modo poteſt abſq; Dei miſericordia liberaliſſima.

Si verò attendamus peccatū ſecundum ita primam & ſecundā rationes, cōſtat quod peccatum mortale quodlibet auertit à ſummo bono, & eſt obiectiuè infinitum, ſimiliter imputatur etiam de lege ad pœnam æternam & infinitam duratiuè.

Sed de peccato veniali an propriè debeat dici offenſa ſtante lege, quia non priuat amore, licet

ipſum quodāmodo lædat, an etiam de facto A imputetur ad pœnam æternam ſecundū forū iuſtitiæ infernalis iam aliqua dicta ſunt, & poſtmodū tractabitur dum inueſtigabimus ſi peccatum veniale ſit contra præceptum Dei. Dico tamen generaliter de omni peccato illud eſſe ad pœnam infinitā imputabile, & quod non imputatur hoc agit miſericordia copioſiſſima redemptoris.

Octauum corollarium.

Implicat Deū punire ad condignum ſi per hoc intelligamus ſic eum punire quòd iuſtè non poſſit B amplius. Si autē dicamus punire ad condignum, quia punit quantū recta ratio & iuſtitia exigunt & taxant, de facto tale peccatum eſſe puniendū, tunc omne peccatum punitur aut punietur ad condignum, quia ſcilicet tantū punitur quantum puniri Deus vult & ordinat rectiſſima iuris ratione.

nonum corollarium.

Nullum peccatum poteſt remitti niſi per hoc ꝙ Deus liberaliter non imputat illud ad peccatum. Hoc propheta vidit dicens: Beatus vir cui nō imputauit Dominus peccatū, quaſi exponens illud C quod promiſerat: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Nam hoc poſito peccatum tollitur, hoc remoto nunquā amouetur. Qualiter verò fiat iſta non imputatio variantur doctores. Quidam dicunt nihil aliud eſſe Deum non imputare peccatū quam illud non imputare ad pœnā. Deus vtique cum ſit immutabilis inquiunt, non dicitur nūc imputare & poſt non imputare ad pœnam, niſi per reſpectum ad extrinſecum & relationē ad pœnā; Tales cōſequenter habet concedere quod nullum D peccatū totaliter remittitur quouſque pœna tota perſoluatur, neque mortale neq; veniale, licet dicatur remitti mortale quando deſinit imputari ad mortem æternam tanquā principalem. Aliorum eſt poſitio quod ſi etiā nulla pœna vnquam fuiſſet ſtatuta à Deo pro peccatis, nihilominus poteſt adhuc committi peccatum, & poteſt etiā remitti, nō quidem ex mutabilitate Dei, ſed quia in æternitate ſua decreuit pro tali tunc ſic agente eſſe indignum ſuo amore & ſua iuſtificatione & dignū punitione quantalibet, etiam poſito quod nullum vellet E infligere, & pro alio tunc quia talis mouetur aut alio modo ſe habet quam prius ſaltem ex decurſu temporis dignificat iſtū ſuo amore, & tollit omnē indignificationem ad pœnam. Et ſi quæritur ratio, ſit pro ratione voluntas. Nam hoc honore dignus eſt quem rex voluerit honorare. Sequitur ex hac poſitione quę probabilior videtur, nullam eſſe abſolutam neceſſitatem ponendi charitatem diſtinctam pro iuſtificatione impij, & ſaluatur commodè verificatio contradictoriorum ſine F Dei mutatione prout tactum eſt.

Decimum corollarium.

Probabile eſt nullū actum creaturæ de per ſe & intrinſece eſſe bonum bonitate moris aut meriti, aut ſimiliter malū, niſi per reſpectum ad diuinā rationē & voluntatē, quia videlicet diuina volūtas & ratio dignificat hominē pro tali actu, & pro alio indignificat, immò dicimus ꝙ ſiue actu quocunq; poſſet dignificare creaturā, vtrū verò eam poſſet ſimiliter abſque quacunq; actione aut omiſſione, aut pro quocūque actu cuiuſcunque generis indignificare, nō ita eſt mihi perſpicuū, quamuis ſi attendatur dominantiſſima Dei virtus reſpectu ſuæ

Digitized by Google

creaturæ qualitércunq; ſe habentis in agendo vel omittendo, non videtur vſquequaq; euidens eſſe A quod hoc nō poteſt, ſicut exemplum videtur eſſe Apoſtoli de figulo, qui ex eadem maſſa format vas in honorem, aliud in contumeliā. Si autem attenditur Dei ſapientia & bonitas, iſtud dicere nō videtur congruum. Ideo nihil hic pono nec aſſero, magis tamen inclinor aſſentire ſecūdo, quā primo & cauſa patebit in dicēdis in materia de obligatione. Et iuxta hoc conſequenter habetur facilis manuductio ad videndum quomodo nihil eſt malū niſi quia prohibitum, & nihil bonum niſi quia à Deo acceptū, & Deus nō ideo actus noſtros vult B vel approbat quia bonos, ſed ideo boni quia approbat. Similiter ideo mali, quia prohibet & reprobat. Nemo tamē murmuret, nemo coqueratur quoniā iuſtus eſt in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Sap. 12. Quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti?

Quod ſi dicatur aliquem actum eſſe malum, ꝙ nullo modo poteſt eſſe bonus & è contra, ex quo videretur quod talis actus, vtpote odiū Dei, eſſet intrinſecè malus: Reſpondetur hic per ſimile de C actu exteriori procedente ab interiori. Nam & ſi ſit aliquis actus exterior ita malus, quod ſtantibus eiſdē circunſtantijs omnibus, nullo modo poſſit eſſe bonus, nihilominus dicitur extrinſecè malus, & poteſt eſſe non malus, ſi per ſe poneretur, vel à quibuſdam circunſtantijs ſuis eſſet denudatus. Dicendum eſt ſimiliter de actibus interioribus comparatis ad primam regulam. Nam actus odij Dei elicitus à dæmonibus vt elicitur cū omnibus ſuis circunſtantijs, non poteſt non eſſe malus, poteſt D tamen non eſſe malus ſi per ſe poneretur aut alijs circunſtantijs veſtiretur. Et ſecundum hoc tractaretur hic & ſolueretur quæſtio de diſpenſabilitate vel indiſpenſabilitate legis diuinæ reſpectu creaturæ, & quomodo poteſt vel non poteſt Deo obligari.

Corollarium vndecimum.

Omnis rectitudo moralis ipſius volūtatis reſultat ex conformitate eius, aut ſuorum actuum vel omiſſionū ad diuinam legem & eius rectā rationem, ſicut actus exteriores non dicuntur boni niſi E per conformitatem ad interiores elicitos. Iuxta ꝙ poteſt eſſe pulchra deductio, qualiter nihil eſt verū, nihil pulchrum nihil potēs, nihil appetibile, niſi pro quāto primę veritati & pulchritudini & potentiæ & ſuauitati conformātur & ita de ſimilib⁹. Et proportionabiliter de falſo, turpi & fugibili, hoc eſt quod antiqui dicebāt nihil eſſe verū niſi à prima veritate. Hoc modo ſæpè deducit beatus Auguſtinus nominatim in ſuis confeſſionibus ꝙ volūtas quælibet in ſuis operationibus quęrit imitari Deū, quantumcunq; erret aut malè ſe habeat, F quemadmodū in illa furtiua comeſtione pomorū in ætate ſua puerili dicit quæſiſſe non voluptatē, ſed ſimilitudinem quandam omnipotentiæ & libertatis diuinæ primo confeſſionum. Similiter de Catilina quem Saluſtius dicit gratuitò malū fuiſſe deducit. Hæc oſtendunt quod bonitas creaturarum & earum veritas & pulchritudo & ſimilia nō ſint aliquid maius intenſiuè cum Deo, quā Deus ſolus, licet poſſint dici plures bonitates impropriè & quaſi extenſiuè. Exemplum de ſanitate vrinæ & corporis & de bonitate actus interioris & exterioris. Palam eſt ergo quod in ipſo viuimus, mouemur & ſumus.

Corollarium duodecimum.

In eodem actu concurrere poſſunt multiplices rectitudines aut bonitates, vna naturæ, alia moris de genere altera gratiæ, altera gloriæ, & hoc eſt ſecundum diuerſas habitudines conſiderandi eūdem actum conformari multipliciter diuinæ legi ſeu bonitati. Non quod in Deo ſit aliqua diuerſitas in ſuis legibus quæ dicatur realis vel formalis, ſed quod ipſam eandem concipimus diuerſimodè & conſideramus ſecūdum habitudines diſtinctas realiter ad creaturas, quæ habitudines nō ſunt ipſe Deus ſolus, ſed ipſe & creatura ſic relatæ & conſideratæ à quibus diſtincti conceptus ab intellectu formantur & abſtrahuntur per potentiā longè fortiorem quam ſit æſtimatiua ouis, quæ ex ſpeciebus lupi ſenſatis elicit inimicitiam non ſenſatam. Et quamuis conceptus abſoluti non connotent, tamen quia à tali multiplicatæ cōnnotatorum eliciuntur & abſtrahuntur, retinent in ſuis modis repræſentandi virtualiter illos modos repræſentatiuos rerum diuarſarum ex quibus ſumpti ſunt & cauſati, ſicut eſſentia vita & intellectus in Deo & ſapientia & iuſtitia & fortitudo, &c. non dicunt niſi Deū ex parte rei penitus eundem, quamuis operatio intellectus diuerſimodè negocietur circa eum ex his quæ videt in creaturis & ex habitudinibus earum ad Deum & ad inuicem. Dicitur vlterius quod Deus intuitiuè viſus ſufficit cauſare tales conceptus diſtinctos & abſolutos abſq; hoc quod neceſſe ſit ponere in motiuitate obiectali, quæ Deus eſt, aliquam diſtinctionē ex parte eiuſdem. Si autem in oppoſitum allegetur Auguſtinus de idæis, quod alia ratione conditus eſt homo alia equus, & quod illæ rationes ſunt incōmutabiles & æternæ, remitto ad intellectum quem dat Occam in hac materia ſuper primo ſententiarum, in qua explicatione ſi rudis iudicetur, neſcio quid appellabitur ſubtilitas. Notetur hic quod doctores etiā ſancti ſunt magis reuerenter gloſſandi in multis quā ampliandi, quoniam non omnes ſemper aduerterūt aut aduertere cogitauerūt ad proprietatē locutionis. Improprietas autem non ampliari debet, ſed ad proprietatem reduci, alioquin quid mirum ſi augetur deceptio.

Sequitur poſtremò quod non eſt in poteſtate libera voluntatis creatæ facere aliquod bonum morale aut gratuitum niſi ex dignificatione voluntaria primæ legis.

Et ſiç patet primò quod nulla poteſt eſſe creatura rationalis impeccabilis per naturam, aut naturaliter rectitudo honeſtatis. Patet inſuper neceſſitas ponendi gratiam eſſe neceſſariam ad omne bonum ſupra gratuitam largitionem bonitatis naturalis, quam bonitatem conſtat non eſſe ſtāte re ipſa, quamuis non ſit bonitas niſi pro quanto fluit à primo bono, & exemplariter eidem cōformatur. Sapien. 12. Virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt. Dico igitur quod ſicut omnis actus poſitiuus habet conformitatē naturalē ad primū bonū, & ideo bon⁹ eſt ſaltē bonitate naturali, ita ſi ille act⁹ ſit liber, tantū habet de bonitate honeſtatis quantum habet de conformitate ad primam honeſtatem. Sed iſtam conformitatem non poteſt elice-

elicere nuda natura voluntatis, niſi communicata ſit ſibi facultas & gratia in producendo alia, quam A ſit illa ſolum reſpiciens ſubſtantiam actus & non cæteras circūſtantias, quemadmodū ſunt circunſtantiæ finis & directionis, intentiones & ſimiles. Ex quibus conſequenter deducitur neceſſitas humiliationis noſtræ ad Deum, & quod non glorietur ante eum ſtulta præſumptio omnis carnis, nec apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram. Ex hoc inſuper Pelagiana hæreſis & ingratitudo ſuperba confunditur. Denique perſpicuum eſt quanta neceſſitate deſperare debeamus de viribus noſtris, B nec ponere carnem brachium noſtrum, nec cōfidere in homine, ſed proijcere totam ſpem noſtram in Deum ne confundamur, ſed liberemur & nutriamur & glorificemur, innitamur igitur ſibi tanquā ſummæ potentiæ & glorioſiſſimæ maieſtati quoad appropriatum patri, & hoc per vim iraſcibilem cuius obiectum eſt bonū arduum & honorificum. Innitamur ſibi tanquam primæ & infallibi veritati quoad appropriatum filio, & hoc per vim rationalem. Innitamur ſibi tāquam bono optimo & ſuauiſſimo indefectibili C quoad appropriatum Spiritui-ſancto & hoc per concupiſcibilem. Iſtas verò innitentias operantur & ſolidant tres ipſæ virtutes theologicæ, fides ſpes & charitas, hæc tria profectò miraculoſiſſima opera cauſant in animabus iuſtorum fidelium.

Nonne miraculum ingens eſt taliter inniti veritatibus incognitis & ineuidentibus præter aut cōtra omnem rationem naturalem, quod citius diſſentiret homo verè fidelis primo principio, prout dicit Guillelmus Pariſienſis, quam alicui articulo quantumlibet ineuidenti. D Hoc enim eſt contra ſapientiam Græcorum & ſcandalum Iudæorum, & ſæuitiam tyrannorum, & corruptelam vitiorū originalium. Propterea bene enunciauit Apoſtolus quod fides eſt donum Dei, ne quis glorietur ſi credit, aut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cæterum non minus eſt in ipſa ſpei certitudine miraculum. Nam qualiter obſecro inter tot fluctus humanæ fragilitatis & viciſſitudinis incertiſſimæ poteſt dicere aliquis cum Apoſtolo: Certus E ſum quod nec mors, nec vita &c. me ſeparabit à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu. Qualiter inter hæc poteſt ita certificari anima & quietari vt dormire dicatur & requieſcere in idipſum, quoniam ſingulariter in ſpe conſtituit eam Dominus, quemadmodū pulchrè declarat Bernardus ſuper cantica ſuper illo? Introduxit me rex in cubiculū ſuum. Cogita ſi potes & quantum potes. Tu hoc hic eſſet miraculum grande fateberis. Porrò de charitate quid dicemus, quale eſt in ea quantumque miraculum, F purificat hominem & gratum reddit Deo, ambulantem in omnibus mandatis eius ſine querela. Nihilominus dicere facit ex affectu homini qui eiuſmodi eſt cum Apoſtolo: Venit Deus ſaluos facere peccatores, quorum primus ego ſum. Non vtique mentiebatur Apoſtolus ſtudio humilitatis, ſed ita de ſe ſentiebat reputatione propriæ fragilitatis & indignitatis, cui tamen dignus non erat reliquus mundus. Si quærat aliquis à me, quomodo poſſunt hæc fieri? Nō me interroget, immò nec quemquam aliorū, quoniam ſolus Spiritus-ſanctus horū miraculorū ſpiritualium ſicut eſt operator ſolus, ita ſolus eſt doctor. Præparet homo ad hæc capienda mentis puritatem non oris loquacitatem expectet. Vis ergo ſecretum cognoſcere, transfert te à theologia intellectus ad theologiam affectus, de ſcientia. ſ. ad ſapientiam, de cognitione ad deuotionem. Hæc eſt theologia illa quam magnus Arſenius vir Græcis & Latinis litteris tunc eruditus, fatebatur ſe neſcire, immò nec primam literam alphabetici ſui didiciſſe, quæ theologia vtinam nobis omnibus qui theologi nominamur, tam familiaris eſſet quā extranea eſt ignotáque. Poteram diutius ac longius iſta protrahere, præſertim ad collaudationē ſpei collocandæ in Domino. Sed nimia fortaſſis eſſet digreſſio & in ſanctorum opuſculis laus huius virtutis abūdè poſita eſt. Nominatim in Guillelmo Pariſienſi de virtutibus, & in illa compilatione ſatis vulgata & certè fructuoſiſſima, quæ de virtutibus ſimiliter intitulatur, quam compilationem ita conſonare verbis & ſententijs cum eodē Guillelmo Pariſiēſi experior quod perſuaſum habeo vnam ſummam ab altera ſumptam eſſe, aut vnum vtriuſque authorem extitiſſe. Ad hæc ſcripta & ſimilia vos remitto, quoniam etiam materia & quæſtio poſt prandium diſputanda, poterit nos eleuare magis ad capiendum miracula & myſteria huius ſpei. Eſt enim quæſtio, vtrum inter omnes virtutes theologicales virtus ſpei ſit nobiliſſima ſiue perfectiſſima, &c. Hæc de lectione prima.

LECTIO SECVNDA.

ASSVM promiſſioni meæ, nam pollicitus ſum ſi meminiſtis, me proxima lectione inueſtigaturū pro viribus, Qualis eſt illa lex cuius tranſgreſſio vitam ſpiritualem quam dat baptiſmus Spiritus-ſancti adimit & mortis æternæ reum facit. Hæc nimirum dubitatio non parua eſt neque inutilis, vbi non eſt de lana caprina (ſicut loquitur ſatyricus) ſed de anima, non de paupere regno, iuxta verbū Statij, ſed de vita beata ſit quæſtio. Si Socrates omnem philoſophiæ rationem ad mores tranſtulit, & hinc laudatus eſt à Tullio, Seneca & Auguſtino. Si præterea philoſophi ferè omnes præſertim Stoici, immò & ipſi (quod vix credideris) Epicurei ſolam bene viuendi cognitionem cæteris prætulerunt, tanquam ea ſola teſte Apuleo vituperabiliter ignoretur. Quid aget Chriſtianus cui repromittitur æternitatis ſpes pro prœmio bonæ vitæ ipſe ſuper vacuis & inutilib' inueſtigādis, quo pacto ſe totum impendit omiſſis quæ ad vitam ſunt neceſſarijs, quaſi non ex alto iubente audiat quæ tibi præcepit Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operib' eius ne fueris curioſus. Vnde & Iudæis quamquā carnalibus & minus capacibus cœleſtiū dicebat Dominus de lege ſua Deuteron. 4. Hæc enim eſt ſapientia veſtra & intellectus coram populis. O quiſquis adeſt qui de ingenij acumine gloriatur, qui præter ſubtilia & difficilia nihil inueſtigare dignatur: vertat huc aciem ſuæ rationis velim, ſuum hic ingenium exerceat. Affirmo multam hic eſſe profundam & vberem ſtudioſiſſimis quantūlibet ingenij laude præditis, perſcrutationis materiam etiā ſuper eas

ſteriles quas nonnulli ſolas mirari ſolent imagina-
tionum varietates. Propterea nō me dignum ar-
bitratus ſum qui difficultatis huius nodos ad inte-
grum valerem euoluere. Nihilominus aliquid di-
cere vel imperfectum, tū neceſſitas, tū vtilitas om-
nium pluries impulerunt. Mecum ſiquidem & cū
alijs ſæpè recogito, multas ex ignorantia huius ne-
gotij ſuboriri turbationes in politijs tam Eccleſia-
ſticis quam temporalibus. In hominum præterea
conſcientijs modò ſcrupuli vani contemnēdi ſur-
repunt, modò contemptus inſurgit temerarius &
audacior quam ſatis eſt, fit inſuper (quoniā igno-
ratur virtus legis diuinæ) frequenter irritum man-
datum Dei propter traditiones hominū. Fit am-
plius de leui iugo Chriſti & lege libertatis iugum
ferreū & onus graue, premēs ceruices Chriſtiano-
rū, dum. ſ. aliqui ſuas omnes leges, ſuas inſtitutio-
nes, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt acci-
piendas eſſe ſicut præcepta legis Dei, ad æternæ
mortis interitū ſi prætereantur mergētia. Has ve-
rò traditiones hominū quis cunctas dinumeret, in
canonibus ſummorū pontificum, in conſtitutio-
nibus ſynodalibus prouinciarū aut dioeceſium re-
ligionum regulis, in vniuerſitatum collegiorū &
Eccleſiarū ſtatutis, in edictis imperatorū & prin-
cipū in plebiſcitis communitatū. Quarum plures
ſub interminatione latæ ſētētiæ, aliæ ſub intermi-
natione diuinæ indignationis, aliæ ſub voto, aliæ
& ferè omnes ſub iuramenti aut fidelitatis debito
ſtringūt & obligant. Quod ſi Adā vir talis & tātus
vnicū diſciplinæ præceptū habens, in illo corruit,
nos inter innumerabilia poſiti qualiter euademꝰ?
Vix poteſt imbecillitas noſtra diuinas leges ad nu-
merū paruum gratuita ſub benignitate reductas
implere. Viam igitur obſitā tot ſpinis conſtitutio-
nū ſemet inuoluentiū & obumbrantium quis in-
offenſo pede trāſiliet? Scimus quid dixerit Petrus
Apoſtolus Actuū 15. Quid tentatis Deū impone-
re iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod ne-
que nos, neque patres noſtri portare potuimus.
Hoc animaduertens & pia cōpaſſione deplorans
egregius doctor Auguſtinus ad inquiſitionem Ia-
nuarij, ipſam inquit religionem noſtram quā ma-
nifeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationū ſacramē-
tis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſeruilibus
premunt oneribus, vt tolerabilior ſit conditio Iu-
dæorū qui legalibus ſacramentis nō humanis præ-
ſumptionibus ſubijciūtur. Si tuo tempore ſic do-
lebas ô ſapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate
dixiſſes? vbi pro varietate & motu capitū, incre-
dibilis eſt varietas & diſſona multiplicitas onerum
huiuſmodi ſeruilium & humanarū prout loqueris
præſumptionū. Inter quas velut inter laqueos ani-
marum & ligantia retia, vix quiſpiā ſecurus & in-
deprehenſus inceſſerit. Hæc eſt querela qualem o-
lim apud deuotum Bernardum detulerunt quidā
ex monachis, & propter quam compeſcendā ſicut
modò nitimur agere, ſcripſit volumen pulcherri-
mum de præcepto & diſpenſatione, qui liber huic
operi noſtro pro fundamento ſupponatur.

Denique quicquid dixero accipiatur non deter-
minatiuè, ſed inquiſitiuè poſitum, præſertim vbi
determinationem præcedentiū ſanctorum, & do-
ctorum expreſſam non inuenero. Mihi quidem
occaſionē ſtudioſis miniſtraſſe ſuffecerit. Et pro
intellectu dicendorū ſunt deſcriptiones & diſtin-
ctiones per modum conſiderationū præmittēdæ.

A Lex diuina præceptoria eſt ſignum verum reue-
latum creaturæ rationali, quod eſt notificatiuum
rectæ rationis diuinæ volentis teneri illam creatu-
ram, ſeu ligari ad aliquid agendum vel non agen-
dum, pro dignificatione eius ad æternam vitam
conſequendam, & damnationem euitandam.

Deſcriptio hæc cauſalis eſt, aut ad cauſalem re-
ducibilis. Cuius rationabilitatem nō melius ſua-
dere valemus, quā per deſcriptiones partes ſi diſ-
curſum habeamus. Ponimus igitur ſignum pro
B genere, quia Deus ſe ſolo non obligat creaturam
rationalem niſi per notificationē ſuæ rationis re-
ctæ, dictantis & volentis creaturam ſic teneri ſeu
ligari. Et quia notificatio iſta fit aliquādo per vo-
ces, nunc per ſcripturam, nūc per internam inſpi-
rationem. Horum ſignorū aliud eſt vocale, aliud
eſt ſcriptū, aliud mentale, dimitto concordantias.
Quod autem creatura rationalis nō propriè obli-
getur niſi per notificationem, qualē prædiximus,
apparet, quia niſi ſic dicatur eſſe poſſibile natura-
liter fatuos & inſenſatos obligari, immò nulla vi-
C deretur ratio cur non etiam brutis talis obligatio
poſſet imponi, cuius tranſgreſſio eſſet imputabi-
lis ad pœnam aut præmium, quod nullus con-
ceſſit. Non negamus tamen quin res quælibet in-
diſpenſabiliter tendat in Deum & in qualibet re
lex quædam inuenitur, prout dicunt Baſilius in
Hexaemeron, & ſequax eius Ambroſius in ſimili
libro, quod voluntas Dei lex naturæ eſt. Et Boe-
tius hunc habet vſum loquendi in pluribus, &
Commentator dicit naturam agere tanquam re-
D memoratam ab agente infallibili. Si quis obijciat
de paruulis quos obligauit Deus ad baptiſmata
ſuſcipienda, & taliter quod in vtero materno ſi
moriantur abſque huiuſmodi baptiſmo, quem
conſtat eos non ſolum ignorare, immò nec ha-
bere poſſet, damnabuntur. Reſpondemus quod
nec ibi eſt præceptū quale loquimur, cuius tranſ-
greſſio ſcilicet imputetur ad culpam nouā actua-
lem. Sed eſt ibi quoddam ſtatutum diuinum, quo
non obſeruato, non redditur hæreditas in Adam
amiſſa. Ex quo protinus eliciendum videtur co-
E rollariè, quòd nulla creatura rationalis poteſt eſſe
indigna Deo, tanquam propriè peccatrix abſque
commiſſione vel omiſſione libera rei illicitæ, ad
cuius oppoſitum erat obligata. Obijceret aliquis
de politia humana quæ à diuina exemplata eſt, in
illa enim quandoque ligantur ignorantes in eis
quæ iuris ſunt. Reſpondetur quod nullus qui po-
teſt ignorantiam inuincibilem ſufficienter allega-
re, poteſt tranſgreſſor legis appellari, neque quo-
ad Deum, neque quoad homines. Plerumque
F tamē præſumitur apud homines aliquis eſſe ſciēs,
quia non poteſt iuridicè per teſtes iuſtam ſuæ
ignorantiæ cauſam aſſignare, propterea condem-
natur aliquando per homines ille qui verè inno-
cens eſt apud Deum. Sequitur ſtatim ex his
quod apud facientem illud quod in ſe eſt, nulla
eſt ignorantia inuincibilis, neque iuris, neque fa-
cti in lege diuina, vel agens ex ignorantia tali nū-
quam peccat. Primam partem tenuerunt docto-
res excellentes, vt Guillelmus Pariſienſis. Con-
tra quos ſunt validæ rationes præſertim de igno-
rantia facti, nam & in talibus Eccleſia etiam fal-
lere poteſt & falli abſque peccato, vt concubitus

Digitized by Google

Iacob cum Lya nō inculpatur, & ita de ſimilibus. Pro parte altera ſunt alij vt Guillelmus Antiſiodorenſis, qui talem ignorantiam iam præſertim facti aut iuris humani dicunt poſſe contingere, & eam inſuper carere peccato. Et eas ſimiliter actiones non eſſe culpabiles quæ proueniunt ex ipſa, & hoc fit quando ſi non eſſet ignorantia talis, nō fierent huiuſmodi actiones. Secus vbi agens nō minus efficeret id quod agit ignorantia tali non extante. Denique dicitur ſignum verum, quoniam ſigna falſa & ſi ligare quandoque dicantur de peraccidens vt conſcientia erronea, nihilominus de per ſe & propriè legis obligatoriæ vim non habent. Subiungitur in deſcriptione, ſignū reuelatum creaturæ rationali. Etenim ſola rationalis creatura obligabilis eſt, quia ſola capax eſt diuinorum præceptorum cum ſubiectione. Vnde poſſet eſſe aliqua creatura rationalis non eleuabilis ad cognitionem huiuſmodi, vt infantes ſunt de facto pro tempore non eleuati, ideo non obligati, aut ſi eſſet pax & ſi non eſſet ſubiecta Deo, quemadmodum Spiritus-ſanctus non eſt ſubiectus Patri & Filio à quibus procedit & cognitionem immenſam accipit, talis non eſſet propriè obligabilis. Et quoniam præcepta diuina prout ordinant ad Deum vt beatificatiuus eſt cognoſci non poſſunt à creatura rationali ex ſolo lumine naturali, neceſſe fuit concurrere reuelationem quocunque modo fieret, ſiue per Angelos, ſiue per homines, ſiue per internam illuſtrationem, ſicut Apoſtolus loquitur de philoſophis, quibus dicit fuiſſe reuelatum illud quod occultū eſt Dei. Sic enim ſentiunt doctores, quod nemini deeſſet Deus in quocunque loco poneretur, qui faceret quod in ſe eſt, vtendo ſcilicet bene donis iam habitis, quin eum de neceſſarijs ad ſalutem diuinitus illuſtraret ſicut dicit Petrus Actuum.

Sequitur in deſcriptione quod eſt notificatiuū diuinæ rationis rectè volentis teneri illam creaturam, vel ligari ad aliquid agendum vel non agendum, quia fit à quibuſdam quæſtio quæ ſit ratio obligatoria in Deo vel recta ratio vel voluntas? Ponitur hic vtrumque, quia nec recta ratio ſine voluntate, nec è contra ſunt in Deo obligationis complementum. Præterea quātumcunque notificetur voluntas ſui ſuperioris, niſi per illam velit ligare non conſurgit obligatio ſecundū deductionem. Durādi in hac materia, vbi quærit an teneamur in omnibus conformare voluntatem noſtrā voluntati diuinæ. Si enim ſorte leuat feſtucā, ſcit theologus quod hoc vult Deus, & ita de quocunque effectu qui producitur. Non oportet tamē vt videtur quod theologus talis obligetur velle ſimiliter, quamuis fortè in his quæ peccata non ſunt teneatur non ſe difformare remurmurando aut contranitendo volūtati efficaci Dei plenè cognitæ, quemadmodum forte Guillelmus Antiſiodorenſis & alij ſentientes oppoſitum prioris ſententiæ intellexerunt. Attamen hæc conſequentia nō valet. Iſta voluntas eſt iuſtiſſima, vel iſta inclinatio & tendentia ſunt rectiſſimæ, vtputa inclinationes naturales, ergo conformans ſe per actum liberum tali voluntati aut inclinationi in re volita aut in obiecto ad quod eſt inclinatio, nunquā peccat. Stat enim quod Deus præceptum ad oppoſitum dederit, vt quod actualiter volūtas nihil eliciat. Fatemur tamen quod ſi actus elicitus eſſet omnino talis, qualis eſt actus naturalis, ille nunquam eſſet deformis. Nam hoc claudit repugnātiam, ſed hoc dicere vel parū vel nihil eſt. Tandem ſubinfertur in deſcriptione pro dignificatione ad æternam vitā conſequendam, & damnationē euitandam. Memini me legiſſe in Durando, quod ſi nulla fuiſſet facta reuelatio huiuſmodi de ſua beatificatione ſupernaturali aut damnatione, non incurriſſet peccatum faciēs ſeipſum reū damnationis æternæ, & ita nullum fuiſſet peccatū mortale. Hoc dictū de lege ſtatuta veritatem habere videtur, ſed de poſſibili nequaquam. Nonne videmus quod dans operam rei illicitæ, poteſt ad pœnam humanarū legum quamuis ſibi prius incognitam iudicari. Et quicquid ſit tamen de poſſibili ita de facto ſe res habet omnem obligationem diuinæ legis apud viatores ad finem tendere vt dignificetur homo ad vitam æternam, & infernalem mortē euitet. Iuxta quod ſaluant aliqui nō improbabiliter qualiter apud damnatos vel beatos non ſunt leges præceptiuæ, quales loquimur, ad quas. ſ. voluntas diuina velit teneri ſaluatos aut damnatos ſub nouis præmijs aut pœnis, quia in ſaluatis nō eſt neceſſe. In quibus maximè habet locū illud Apoſtoli. Iuſto nō eſt lex poſita, & in dānatis eſſet inutile. Alioquin dicendum eſt vt videtur damnatos continuè mortaliter demereri, quamuis autem dignificatio ad vitam æternam præcipuè cōſurgat à Deo dignificante vt à cauſa ſuprēma & dominantiſſima, ſicut & lex quælibet à prima lege profluit vt emanatio quædam luminoſa. Nihilominus dignificatio formalis fit per gratiam ſeu charitatem, & meritoria per actionem bonam præceptorum impletiuam ad præcipientis intentionem quam explicauit cum ait: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Si non erramus in deſcribēdo legem præceptiuam, tam affirmatiuam quā negatiuam, prout nō erraſſe putamus, aperta eſt nobis via non mediocris ad pergendum quò tēdimus, plurimum quoque lucis allatum eſt aciei noſtræ mentis ad inferendum cognoſcendúmque ſequentia.

Corollarium primum.

Non ideo dicitur aliqua lex appropriatè vel purè de iure diuino, quia ad illam obligat Deus. Facilis eſt declaratio, quoniam ſicut nihil fit abſque Deo cauſante, & nihil eſt verum abſque prima veritate. Nam omnis ſapiētia à Domino Deo eſt. Nihil præterea bonū abſq; prima bonitate, nihil pulchrum neque ſuaue, & ita de alijs prout lectio præcedens diffuſius oſtendit. Ita omnis obligatio caſſa eſt nec alicuius roboris vel momenti, ſi nō à Deo imperatore ſupremo vires habuerit. Nō eſt poteſtas niſi à Deo, inquit Apoſtolus, verūtamen nec omnis effectus dicitur appropriatè diuinus, nec omnis veritas pertinet ad fidem, nec omnis bonitas ad adorationem. Cur non ſimiliter poterit eſſe obligatio aliqua à Deo quæ non ob hoc appropriatè ſpectabit ad legem diuinam?

Corollarium ſecundum.

Non ideo præciſè dicitur aliqua lex diuina ſeu de iure diuino appropriatè, quia illam creatura rationalis per reuelationem accepit. Itaque fieri poteſt ſicut in antiqua lege teneo fuiſſe in pluribus, quod Deus reuelet & tradat imme-

Digitized by Google

diatè aliquas leges pro ſolo regimine politico &
ciuili quemadmodum de obligatione legis Iſraël,
de taxatione pœnarum ciuilium & ſimilium diceretur,
& tales appellantur à doctoribus leges iudiciales,
quia tamen leges tales non immediata &
directa intentione ordinant in finem vltimum &
ſupernaturalem, deficit vna conditio deſcriptionis
antedictæ. Pro cuius elucidatione & vt dicti
huius rationabilitas magis innoteſcat aduertendũ
eſt, quod homo qui ſubſiſtit ex duplici ſubſtantia,
vna ſpirituali, æterna diuináque, alia corporali
& mortali, duplicem habet finem, vnum ſupernaturalem,
alium naturalem, qui humanus poteſt
dici ſeu politicus & ciuilis. Nunc pro conſecutione
primi finis datæ ſunt leges à Deo proportionatæ
ad finem illum, de quibus eſt noſter
principalis ſermo, & illas appellamus appropriatè
diuinas ſeu theologicas, ſeu de iure diuino,
quemadmodum non omnes virtutes, ſed eas duntaxat
quæ ad Deum immediatè dirigunt, theologicas
& diuinas nominamus, fidem, ſpem atque
charitatem. Proinde ad conſequendum finem
alterum qui humanus quandoque dicitur, quandoque
ciuilis & politicus, leges aliæ latæ ſunt, &
vt plurimum per humanam inueſtigationem impoſitæ.
Illæ verò quamuis ordinentur finaliter ad
finem beatitudinis æternæ ſicut ea quæ corporis
ſunt, & corpus ipſum propter animam factũ nullus
ambigit, eas nihilominus diuinas nequaquam
dicimus, alioquin leges & regulas medicinæ quo
pacto non eſſe diuinas cenſebimus? Illæ ſiquidem
reſpiciunt ſanitatis harmaniam & viuacitatẽ ſenſuum
integram, quibus læſis nonne anima ab vſu
virtuoſorum actuũ diuinorum impedita torpeſceret?
illas tamen leges ſeu regulas eſſe de iure diuino
nondum quiſquam dixit, quãuis teſtetur ſapiens
medicinam ab altiſſimo creatam, quamuis
deniq; ſint in ea vel eſſe poſſint concluſiones plurimæ
per reuelationem magis quam per humanã
inueſtigationem inſertæ. Perſpicuum eſt igitur arbitratu
meo legem aliquam non idcirco dici appropriatè
de iure diuino quia Deo reuelante ſuſcepta
eſt. Huiuſmodi autem corollarij cognitio
prodeſt non parum ad elucidationem materiæ
præſentis tam circa legem antiquam quam in
noua.

Corollarium tertium.

Circa quod deducitur vlterius quod non omnes
canones ſummorum pontificum vel decreta
ſunt de lege diuina. Patet hoc ex radice præmiſſa,
quamuis aliæ non deſint inferius aſſignandæ. Sũt
itaque plures huiuſmodi canones ad politicã ſolũ
conuerſationem accõmodati. Quod ſi dicat aliquis:
Nõne bona Eccleſiæ omnia ſpiritualia ſunt,
quia ſpiritualitatem reſpiciunt & ad ſpiritualitatẽ
inducunt? Reſpondemus ſub alia diſtinctione,
quod in politica conuerſatione hominum ſicut
ſunt quidã ſpecialiter deputati & dedicati ad obſequendum
Deo, qui antonomaticè eccleſiaſtici
dicuntur ſeu religioſi. Alij quãuis ad Deum tendãt,
quia tamen ſuũ magis eſt officium tractare ea
quæ ſunt ſecularis politiæ, ideo ſeculares nominãtur.
Non aliter dicuntur bona primorum eſſe ſpiritualia
licet ſint res merè temporales, & corpus
conſeruantes ſicut in alijs. Simili ratione leges ordinantes
Eccleſiaſticam politiã dicuntur plerumque
ſpirituales ſeu diuinæ, quamuis impropriè, &
A aliæ ciuiles & humanæ. Et hoc loco falluntur &
fallunt crebrò quidam canoniſtarum, præſertim
in materia quam tractauimus de ſimonia, vbi ſpiritualia
iudicant illa quæ eſſe carnalia & materialia
nullus neſcit.

Corollarium quartum.

Lex aliqua non ideo dicitur diuina appropriatè
quia ex principijs iuris diuini deducitur. Primò,
quia ſicut omne verum omni vero conſonat, ſic
omnis lex quantumcunque poſitiua & humana
B conſonat diuinæ legi, immò ex ea deducitur, ſaltem
à Deo & beatis. Amplius nulla eſt lex quæ
non innitatur principijs iſtis, Deo iubenti obediendum
eſt. Authorizatis à Deo parendum eſt.
Superioribus ſuis in eo quod ſuperiores ſunt non
eſt inobediendum, & ita nulla eſſet lex purè humana,
contra id quod veritas habet & vſus communis.
Et pro manuductione capiamus ſimile in
eis quæ dicuntur fidei. Nõ enim fidei aſcribimus
omnem veritatem quæ ſequi poteſt ex veritatibus
contentis in ſacra ſcriptura. Sed illas tantum-
C modo veritates ſibi damus quæ ſpecialiter reuelatæ
ſunt & datæ ad credendum pro beatitudinis
fine conſequendo. Scimus inſuper quod nõ omnia
quæ per ſummos pontifices, immò nec per eccleſiam
approbata ſunt, eſſe cẽſentur de fide, alioquin
obligarent ad ſui credulitatem opuſcula ſanctorum
omnium doctorum quæ per Eccleſiã approbantur,
ſicut de multis expreſſum eſt in decretorum
diſtinctionibus. Hoc autem dici nequit,
quare nec omnis lex appellabitur, de iure diuino
D quam tullit vel ſummus pontifex vel Eccleſia, vel
princeps quilibet authoritatem habẽs Dei in ſubditos.
Si verò quæritur numerus veritatum taliũ
quæ approbatæ ſunt de fide. Remitto nunc ad
ea quæ tractauit Occam in ſuo dialogo libro 2.
quamuis aliqua pro incidentali declaratione ſum
dicturus.

Corollarium quintum.

Sequitur ex præcedentibus coaſſumptis quibuſdam
veris, quod eadem lex dici poteſt de iure
diuino & naturali, & humano ſeu poſitiuo, ſed
E alia & alia ratione reſpectu diuerſorum. Et quidem
qualis eſt legis diuinæ ratio dictum eſt.

Lex verò naturalis præceptiua talem habet rationem,
quod eſt ſignũ inditum cuilibet homini,
non impedito in vſu debito rationis notificatiuũ
voluntatis diuinæ volentis creaturam rationalem
humanam teneri ſeu obligari ad aliquid agendũ
vel non agendum pro conſecutione finis ſui naturalis,
qui finis eſt felicitas humana & in multis
debita conuerſatio domeſtica, & etiam politica,
F homo enim natura animal ciuile eſt.

Lex humana ſiue poſitiua præceptiua purè &
appropriatè deſcribitur quod eſt ſignum verum
humana traditione & authoritate immediatè cõſtitutum,
aut quod non infertur neceſſaria deductione
ex lege diuina & naturali ligans ad aliquid
agendum vel non agendum, pro conſecutione finis
alicuius humani. Si quis particulas harũ deſcriptionum
diſcurrat, agnoſcet tum differentes
rationes triplicis huius legis, tum conuenientiam
in re eadem. Et quidem lex diuina differt à cæteris
in duobus ſpecialiter. Primò, quia innititur
principaliter reuelationi diuinę, lex verò naturalis
inni-

Digitized by Google

innititur dictamini rationis, quod eſt inſitum cuilibet homini non impedito in vſu debito rationis, A quod impedimentum fit aut per immerſionem cum ſenſualitate nimia, aut per læſionem virium naturalium ſenſitiuarum, aut per deprauationem radicatorum vitiorum & conſuetudinum peruerſarum. Lex autem humana principaliter innititur traditioni humanę aut quaſi humanę, & hoc quaſi humanæ dicimus propter illas traditiones purè iudiciales, quas per Moyſen dedit dominus, & quæ non innititur principaliter reuelationi vt reuelatio eſt, nec ex reuelatis aut ex dictamine purè B naturali conuenienti deductione paterent apud omnes, ſi non accederet ſuperioris alicuius determinantis auctoritas. Exemplum de iſta lege: Princeps in hac terra conſtituendus eſt per ſucceſſionem hæreditariā, principi dabuntur annuatim mille talenta auri pro tributo & ſimiles, quæ nec deducuntur apertè ex veritatibus legis diuinæ & naturalis, nec tamen illis cōtradicere cognoſcuntur, alioquin illæ non tam eſſent leges dicendæ quam ſæuæ & iniquæ tyrannides & veritate carentes. Secunda differentia legis diuinæ ad na- C turalem eſt, quia lex diuina principaliter reſpicit finem ſpiritualem, lex naturalis naturalē, humana verò lex poteſt ad vtrumque dirigere propter diſtinctionem quæ data eſt in tertio corollario de canonibus ſummorum pontificum, quorum aliqui ſunt purè humani, reſpiciūt tamen immediatè finem ſupernaturalem beatitudinis ſempiternæ. His declaratis patet ſecunda pars corollarij. Sed primam manifeſtò nominatim de hoc præcepto: Non furtum facies. Nam & à Deo reuelatum eſt D ad conſequendum finem vltimum, & inſitum eſt cuilibet homini non impedito in vſu debito rationis ad conſequendum finem naturalem. Nihilominus reſpectu quorumdam hominum impeditorū in vſu debito rationis, potuit repeti tanquam humana tantum auctoritate latum eſſe, quamuis non debeat ſimpliciter humanū nominari. Ex hoc nihilominus patet quod apud aliquos excellentis ingenij & multarum litterarum, ſicut poteſt vna propoſitio dici fidei propriè quę non ſpectaret ad fidem explicitam exemplificatam alterius. Ita de E legibus fatendum eſt. Hac de cauſa miſericordia quaſdam leges quæ naturaliter eſſent notæ, ſi non per peccata obliteratæ & quaſi delectæ fuiſſent decreuit rurſus innouare, & innouando communitati hominum tradere, vt eſſent inexcuſabiles, & vt per eas finem conſequerentur, non naturalem tantummodo, ſed æternum.

Corollarium ſextum.

Sequitur quod non abſurdè concedi poteſt omnia principia iuris naturalis eſſe de lege diuina F propriè dicta, licet diuerſa ratione, hoc perſpicuū erit ſi attendimus quemadmodum omnia principia iuris naturalis Deo reuelante ac iubente continet lex tam antiqua quam noua ad finem beatitudinis æternæ. Et aliunde forſan iſtud ſuadere poſſumus, ex hoc quod taliū principiorum indita eſt notificatio creaturæ rationali per immediatam diuinæ lucis irradiationē, quemadmodum tradiderunt Auguſt. & alij doctores eleuati, & olim ſuper hoc fuit articulus Pariſienſis tempore Guilelmi Pariſienſis prout legi in beato Thoma, & Bonauentura declarat pulcherrimè in itinerario mentis in Deum, oſtendens nullum eſſe dictamen rectę rationis ſolidum & obligatoriū niſi in prima lege & luce ſtabiliatur. Propterea philoſophorum maximi & præcipui inter quos floruerūt Socrates & cęteri Academici, ingenuè profeſſi ſunt, nihil in rebus mutabilibus ſe ſcire, nullam in eis reperire veritatem, & nullū eſſe dictamen rectum rationis; quod ſi per hoc omnē à nobis veritatē & rectum dictamen ſimpliciter excludebant, errabant intolerabiliter, quod de tantis inueſtigatoribus veritatis ſentire nefas eſt, niſi pro quanto forſan Deum non ſicut Deum glorificantes, neque gratias agentes, quia quę abſcondita eius erant, manifeſtauerat eis, dati erant iā in reprobū ſenſum, & deficiebant ſcrutantes ſcrutinio. Sentiebant igitur ſi benè ſentiebant in hac tanta confeſſione ignorantiæ, quod ſolus Deus ſicut eſt immobilis, ita eſt veritas ſtabilis, & lex certa & conſtans, in qua videmus quæ bona ſunt & vera, conſonantes in hoc prophetæ eximio, qui poſtquam præmiſerat, multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Reſpondens ſubintulit: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Alienum ſubinde non eſt dictum Apoſtoli pluries allegatum, quo dicit in Deo nos viuere & moueri & eſſe. Omnis quippe cognitio veritatis in nobis nonne precor quędam motio eſt? vt igitur in Deo ſic oportet confiteri. Et hic eſſet ſpeculatio gratiſſima ſi non ad alia properaret intentio.

Corollarium ſeptimum.

Sequitur ex præmiſſis notanda valde diſtinctio ad aperiendum illud magis & magis, quod quærimus. Aliqua eſt lex purè diuina, aliqua pertinens ad diuinam, aliqua impertinens. Nihil hic nouum fingo diſtinxerunt itaque in ſimili doctores ante nos, quod veritas aliqua eſt purè de fide, aliqua ſolum pertinens ad fidem, quæ dici poteſt de pietate fidei, aliqua impertinēs, quę dici poteſt apocrypha. Sicut in contrario aliqua falſitas eſt hæreſis, aliqua ſapiens hæreſim, qui dici poteſt error, aliqua omnino impertinens, ſaltem quoad nos viatores & noſtram deductionē. In lege purè diuina poteſt quadruplex ſignari gradus.

In primo gradu reponuntur leges immediatè reuelatæ à Deo pro tota communitate hominum aut principaliori parte ſcriptæ in Biblia, & præſertim in Euangelijs à Chriſto latis ad conſequēdum beatitudinem & ex hoc ſtatim patet quod in plus ſe habet veritas quā lex purè diuina, propter illud quod prædictum eſt de multis legibus purè iudicialibus antiquæ legis & quia multæ veritates ſunt quæ non ſunt imperatiuæ, & ex hinc non obligatiuæ. In ſignum autem quod leges iudiciales antiquę legis non eſſent propriè de iure diuino, ſicut nec deducebant de directo immediatè in finem beatum. Chriſtus legiſlator perfectiſſimus volens concedere legem digniſſimam & beatificatiuam omnes tales leges ordinantes hominem ad finem humanam & politicum, reliquit ad arbitrium prælatorum & principum, ita tamen vt ſemper meminiſſem poteſtatem eis datam pro veritate, non contra veritatem, & ad ædificationem, non deſtructionem prout loquitur Apoſtolus, quod ſi contentioſè quiſpiam obnitatur & dicat leges huiuſmodi iudiciales fuiſſe de iure diuino propriè? Reſpondeat ergo quomodo diſpenſabiles erant, & non ſolum mutabiles, ſed mutatæ, & quod

multis earum licebat abſque damnationis periculo contraire.

In ſecundo gradu reponentur leges diuinæ, quę ex præcedentibus ſolis in conſequentia euident, aut ſaltem reuelata & propriè credenda deducuntur. Dixi notanter ex iſtis ſolis & in conſequentia euidenti aut ſaltem propriè de fide, quoniam ſi neceſſariò coaſſumeretur propoſitio alia quę non eſſet propriè de lege diuina aut de fide, aut ſi conſequentia eſſet euidens nec propriè de fide, concluſio non eſſet propriè de fide ſecundum mox dicenda. Addidi in conſequentia reuelata & propriè credenda propter determinationem Eccleſię ritè factam, quam ſuppono in his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria errare non poſſe.

In tertio gradu reponentur leges diuinæ immediatè à Chriſto traditæ, aut ab eis dicto modo deductæ, quæ per ſucceſſiuum relationum Apoſtolorum & aliorum ad nos æquiualentum ſcripturæ canonicæ notificatæ ſunt, vt fortè eſt iſta lex, vniuerſalis Eccleſia pontifici Romano ſubiecta ſit. Non enim poſſet euidenter aut per conſequentiã purè de fide ex legibus primi generis humana deductione fulciri, quod tamen ſit lex purè diuina patet, quia niſi ſic, poſſet humana traditione primatus iſte caſſari.

In quarto gradu ſunt leges ſpecialiter inſpiratæ & reuelatæ quibuſdã ſingularibus perſonis pro ſe aut pro paucis ad hoc electis. Similiter quicquid ex talibus legibus deduceretur modis prædictis in ſecundo gradu, de his legibus notatur in decretis. Ex his aperitur intellectus qualiter dicta Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti ſunt alterius auctoritatis quoad aliquid, etiã purè de fide quam ſucceſſorum ſuorũ, quoniam primi à Chriſto doctrinam immediatè ſuſceperunt, eius inſuper facta viderunt, & ad expreſsè dictum eſt. Qui vos audit, me audit. Et rurſus: Quæ dico vobis in tenebris, prædicate ſupra tecta. Ilę præterea ſunt in Euãgelijs poſitæ & à Chriſto immediatè traditæ. Petrus fuit Apoſtolus. Petrus accepit auctoritatem ligãdi & ſoluendi. Petrus edoctus eſt in die Pentecoſtes à Spiritu-ſancto de omni veritate neceſſaria ad ſalutem. Tales autem de quocumque ſucceſſorum Petri formatæ, non ſic habentur à Chriſto & in ſcriptura ſacra, præſupponunt enim ſemper ad minus iſtam, quod talis ritè ſuccedat Petro per electionem aut aliter, & hoc eſt humana traditione ſolum cognitũ. Niſi forſan quis diceret quod vniuerſalis Eccleſiæ auctoritas à Spiritu-ſancto ſpecialiter inſpirata determinauit de quibuſdã quod Petro in Papatu ſucceſſerũt, vt Clemens, Syluester & Gregorius, quamuis in eis quæ ſunt facti, non ſit neceſſe Eccleſiam non poſſe errare. Conſequenter deducitur quomodo maior fuit primitiuæ Eccleſiæ auctoritas quoad prædicta quam nunc ſit, & quod non eſt in poteſtate Papæ aut concilij aut Eccleſiæ immutare traditiones datas ab Euangeliſtis, & à Paulo, ſicut quidã delirant. Nec habent quoad hoc quod eſt facere aliquid eſſe purè de fide parem auctoritatis firmitatem. Vnde quantum licet dubitare de iure alicuius in Papatu vel Epiſcopatu, tantumdem licet ſuas inſtitutiones in dubium reuocare. Hanc materiam tractat Durandus. Et hic aperitur modus intelligendi illud Auguſtini: Euangelio non crederem niſi me auctoritas Eccleſiæ cõpuliſſet. Ibidem enim Eccleſiam ſumit pro primitiua congregatione fidelium eorum qui Chriſtum viderunt, audierunt & ſui teſtes extiterunt.

A

Declaramus nunc poſtmodum quid ſit lex pertinens ad diuinam, & quid impertinens. Et dicamus quod illa lex eſt pertinens ſolum, quæ licet deduci non poſſit à veritatibus ſolis diuinæ, deducitur tamen ex eiſdem coaſſumptis aliquibus veris probabilibus, quæ piè & rationabiliter negari non poſſunt. Quia etiam ſecundum regulam magiſtralem, concluſio ſemper inſequitur debiliorem partem alicuius præmiſſarum, quæ neceſſariò coaſſumitur ad ſui illationem. Aut etiam ſi conſequentia ſit ineuidens, nec propriè de fide, conſequens eſt vt concluſio illa ſignans talem legem nõ dicatur propriè lex diuina, ex quo vel vna præmiſſarum vel conſequentia deficiunt à rectitudine fidei vel euidentiæ. Sic enim verũ eſt quod propoſitio copulatiua ex vna contingente, dicitur tota contingẽs, & ex falſa vel impoſſibili tota falſa vel impoſſibilis iudicatur. Ignorantia autem iſtius diſtinctionis multos plerumq; turbat & inuoluit. Impertinens lex erit ad legem purè diuinam, quæ non plus ex eadem deduci poteſt quam oppoſita, vnde nulla eſt propoſitio quæ ita purè ſit fidei, quin ipſa poſſit coniungi cum alijs impertinentibus ad fidem, & ita totum reſultans erit impertinens fidei vt iſta propoſitio eſt purè fidei: Euangelium Ioannis eſt verum, dicendo tamen ſic, hoc Euangelium Ioannis ſcriptum à Roberto eſt verum, erit iſta propoſitio impertinens ad fidem, ſicut eſt iſta quam concludit: Robertus ſcripſit hoc Euangelium. In legibus ergo non purè diuinis aſſigno quatuor gradus.

B

C

D

Primus gradus continet leges quę licet latæ fuerint à Deo immediatè vel ab autorizatis immediatè ab eo, tamen hoc non conſtat niſi per hiſtorias aut reuelationes quę propriè non ſunt in fide, quamuis ipſæ negari nequeant abſque ſcandalo & proteruia manifeſta. Exemplũ de iſta lege: Electio ſancti Clementis ſpectabat ad Petrum. Non enim dubitatur quin Petrus ex quo ita fecit habuerit ſuper hoc auctoritatem immediatam à Chriſto, & quod ita fecerit, licet rationabiliter negari non poteſt, tamen negans ab hæreſi ſe defenderet, nec vt talis eſſet puniendus, ſed benè vt proteruus & ſcandaloſus & inciuilis, & quouſque ſe purgaſſet aut expoſuiſſet, deberet de hæreſi ſuſpectus vehementer haberi & tractari.

E

Secundus gradus habet leges quæ non latæ ſunt immediatè à Deo, tamen coaſſumptis aliquibus quæ rationabiliter & abſque ſcandalo negari non poſſunt, illæ inferuntur à legibus purè diuinis. Exemplum de iſta lege: Electio ſummi pontificis ſpectat ad Cardinales, rebus ſtantibus in Eccleſia vt ſtant, & ſede vacante. Ex iſta enim lege purè diuina quod electio ſummi pontificis ſede vacante debet celebrari, coaſſumpta iſta quę rationabiliter negari non poteſt pro nũc, quod Eccleſia cõmiſit hanc poteſtatẽ cardinalibus, ſequitur lex prędicta, tamen de negante iſtam diceretur ſicut prius.

F

In tertio gradu ſunt leges quæ ad ſui deductionem per leges diuinas requirunt propoſitiones dubias, quæ tamen plus incitant & ædificant ad deuotionem & religionem quam oppoſitæ, aut

quas

Digitized by Google

quas tutius eſt concedere quam negare. Exempla multa & quotidiana ſunt in canonibus ſummorum pontificum & decretalibus. Illi quippe canones aut epiſtolæ decretales innituntur legibus diuinis, vtpote talibus vniuerſalibus. Qui vos audit, me audit. Obedite præpoſitis veſtris. Quæ dicunt facite, & ſimilibus. Sed ſubſumendo pro minori propoſitione aut in conſequentia coaſſumuntur ſæpius propoſitiones, quæ non ſunt de lege diuina, aut quæ dubiæ ſunt aut non prorſus certæ quod proficiunt obſeruantibus, tamen in multis tutius eſt eas concedere nec pertinaciter impugnare. Exemplum de iſtis, quadrageſimale ieiunium obſeruandum eſt, excommunicationes timendæ ſunt, & ſimiles. In hoc gradu reponuntur conſtitutiones multæ prælatorum & canonizationes Sanctorum, quoniam faciunt ad pietatem fidei coaleſcendam, nec eidem ſunt aduerſæ.

Poſtremus gradus continet leges quæ ex legibus diuinis non plus deduci poſſunt aut minus quam oppoſitæ. Exemplum iſtius talliæ magnæ & tributa concedendæ ſunt huic principi, & ſimiles, & cæt. Similem diſtinctionem de lege purè naturali & de lege pertinente ſolum ad naturalem aut impertinente concipere poteſt quilibet vel mediocriter inſtructus. Gratias Deo qui fundamenta ſolida & decentia dedit nos iacere ad id ædificandum vtilius quod ſupereſt, qui præterea de tenebrarum quodam inuolucro lucem harum deſcriptionum & diſtinctionum fecit ſplendeſcere ad intuendum limpidius ſecutura.

LECTIO TERTIA.

PERGERE feſtinabamus ad reſpondendum quæſito principali per vnicam concluſionem poſt has terminorum elucidationes. Sed reclamauit veſtigiaque retorſit affinis valde materia ei quam tractauimus, eã quippe inſequitur. Figamus ſic pedem poſt pedem. Hæc materia eſt quid ſit ius, & quotuplex eſt, & quid diuinum vel Euãgelicum vel naturale vel humanũ? Similiter de politia. Quærentes itaq; quid prælati poſſunt & principes? conſequens eſt iſta nõ neſcire. Expediemus autem ſub compendio & dicemus. Ius eſt facultas ſeu poteſtas propinqua cõueniens alicui ſecũdum dictamen rectæ rationis, ita quam tota & finalis reſolutio materiæ noſtræ ad dictamen rectæ rationis terminatur. Recta ratio & dictamen ſuum eſt primò originaliter & eſſentialiter in Deo, & an ſit idem omnino quod voluntas eius remitto ad difficultatem de formalitatibus, & ad Braguardinum in ſumma, conſtat quod in praxibus moralib' recta ratio non eſt prior voluntate, vt non ideo Deus vult dare leges ſuas creaturæ rationali, quia prius recta ratio ſua iudicet hoc eſſe fiendum, ſed è contra potius. Videtur igitur poſitio eſſe magis Catholica & expedita, ſi dicamus neutrũ prius eſſe altero in Deo ſicut in ſimili, non ideo, quia ſic eſt in re extra, quod ſortes ambulabit Deus ſic iudicat, nec propriè è contra, ſed correlatiua ſunt, & concomitantur quodammodo ſeſe inferentia, ita in propoſito & multis ſimilibus. Recta ratio conſequenter & participatiuè ſolum cõuenit rationalibus creaturis. Ponitur in deſcriptione facultas ſeu poteſtas, quoniam conueniunt ſecundum dictamen
A rectæ rationis aliquibus quæ non dicuntur iura eorum, vt pœna damnatorum, vt punitiones viatorum. Non enim dicimus aliquem ius habere ad eius nocumẽtum, tamen non eſt penitus alienum à ſcriptura ſacra, quod ea dicantur quæ diuina prouidentia ſapienter ordinat, ſicut 1. Reg. dicitur, quod hoc erit ius regis, &c. Et dæmones dicimus habere ius ad punitionem damnatorum? Ponitur propinqua, quoniam multa poſſunt alicui competere ſecũdum dictamen rectæ rationis,
B quæ ſecundum idem dictamen facto ei de nequaquam cõueniunt, vt exiſtens actualiter in peccato mortali habet facultatem ſeu poteſtatem mœrẽdi vitam æternã, non tamen propinquam, vel vt dici ſolet, non ſecundum præſentem iuſtitiam. Videtur autem hoc nomen facultas dictum à fas congruentius eſſe hoc nomine poteſtas, vt hic loco generis ſtatuatur, & hęc poteſtas ſeu facultas aliter titulus iuris vocaretur. Deinde ſicut dicta ratio participatiuè in creaturis rationabilibus diuidi ſolet à doctoribus in portionem ſuperiorem &
C inferiorem, ſic ſunt eius dictamina multiplicia quædam ſunt circa vniuerſalia principia, quæ apprehenſis cognitiſq; terminis mox non cognoſci non poſſunt nec poteſt eis ratio diſſentire. Etiam vbi ſecundum opinionem probabilem aliquorum poſſim ad tempus ſuum aſſenſum ſuſpendere. Alia ſunt dictamina circa concluſiones ex eiſdem principijs deducibiles. Ex primo officio nominatur ipſa ratio ſinderesis, quæ ſemper virgo hoc eſt inuiolata perſeuerat? Rurſus ipſa ratio
D poteſt iuuari lumine ſuperiori & ſupernaturali irradiatione ad aliqua practicè cognoſcenda ſupra communem curſum creaturis rationalibus, vt puta hominibus conſtitutum vel modo non vſitato naturaliter hoc modo nominari poteſt ipſa ratio diuina, dum diuinæ reuelationi principaliter innixa cognoſcit. Dicamus igitur, quod omne ens poſitiuum quantum habet de entitate & ex conſequenti de bonitate, tantumdem habet de iure ſic generaliter definito. In hunc modum cœlum ius habet ad influendum, ſol ad illumi-
E nandum, ignis ad calefaciendum, hirundo ad nidificandum, immo & quælibet creatura in omni eo quod benè agere naturali poteſt facultate. Cuius ratio perſpicua eſt, quoniam omnia talia conueniunt eis ſecundum dictamẽ rectæ rationis diuinæ, alioquin nunquam perſiſterent. Sic homo etiam peccator ius habet ad multa, ſicut & aliæ creaturæ naturis ſuis derelictæ. At verò ius tale quamuis ita ſæpius à metaphyſicis capiatur & ad euitandum ęquiuocationem illud ſic aperire con-
F ueniat. Contractior tamen eſt eius acceptio apud politizantes vt ius dicatur ſolum de illis quę competunt creaturis rationalibus vt vtuntur ratione. Præterea ratio quælibet ſicut eſt munus diuinum deſcendens à patre luminũ, ita poteſt dici diuina. Propterea non abſurdè concedi poſſet nihil alicui competere niſi iure diuino, quẽadmodum nulla eſt facultas aut poteſtas propinqua conueniens alicui abſque dictamine recto diuinæ rationis. Nihilominus iterum ſumitur ius diuinum limitatius ad ea quæ vel ex reuelatione vel modo reuelandi per miraculum ſupra communem naturæ curſum immediatè per Deũ ratio recta creata cognoſcit.

Digitized by Google

Notetur id quod diximus ex reuelatione vel modo reuelandi, quoniam nulla eſt veritas ita naturaliter cognita quin in ſuperiori lumine ſuperinfuſo diuinitus poſſet agnoſci. Hoc liquidè conſtat in decem præceptis iuris diuini, quę & ſimul ſunt naturalis iuris principia, prout in ſuperioribus iam habitum, &c.

Nunc ſupereſt oſtendere qualiter ex iure ſic deſcripto multiplices ſaltem ſecundum rationem oriuntur politiæ & multiplices iuriſdictiones & diuerſæ dominationes, regna vel imperia, quorum nomina & ſi frequens vſus habeat, & ſi prætereà ſatis concipiantur à multis qualis in hoc vel in illo ſit politia, iuriſdictio vel damnatio, veruntamen hæc generali deſcriptione non ita cognoſcuntur, ſed ſolis exemplis quæruntur fieri perſpicua, docet hoc initium decretorum. Quamobrem ſtudui in re quam tractamus ipſam de nobis verborum reſoluere atq; de tenebris nubiloſarum varietatum latentem elucidare veritatem, non quidem alia dicturus quam alij, quamquam fortè aliter, nec mediocriter hoc prodeſt prout nec ſtatim facile eſt datis hoc modo principijs generalibus deſcriptiones elicere, atque ordine catenato connectere propoſitiones ſubſequentes, quoniam multas & prima facie vix conceptibiles concluſiones quando poſſet aliter Geomiter vel Arithmeticus in lucem prodere, & ad eis aſſentiendum commouere. Eſt itaque politiarum, quædam diuina, quędam naturalis, quędam humana. Et ſimiliter iuriſdictionum, alia diuina, alia naturalis, alia humana. Sic de dominijs, aliud eſt dominiū naturale, aliud humanum. Politia diuina vel vſitatius loquendo Eccleſiaſtica propriè dicta eſt communitas viuens ſub iure purè diuino, vel ſecundum id regulata. Sub hac deſcriptionis generalitate comprehenderetur politia beatorum, ipſi enim iure diuino cuius ſuprema lex eſt charitas, regulantur. Sic appellatur noua Hieruſalem ciuitas ſancta regnum & æternum, immo ſic fortè diceretur beatiſſima Trinitas eſſe politia. Aſt apud politicos reſtringitur ius ad ius practicum obligatorium ſeu coërcitiuum, qualiter negare videtur Apoſtolus iuſto eſſe legem poſitam. Amplius verò & ſi in damnatorum horrenda confuſione regnet ius diuinæ ſeueritatis, & ſi ſub hoc reſpectu diceretur illic eſſe politia ſub iure diuino, quia tamen damnati non habent facultatem regulatam ad illas pœnas inflictas, nec per eas ſe regulant, ipſi omnino negantur habere diuinam politiam habent potius diuiſionem ſempiternam. Porrò non minus diceremus politiam quandam eſſe naturalem inter animalia aut res quaſlibet ſi ius generaliter eſſet acceptum. Vel etiam inter tyrannos quos regnare permittit Deus propter peccata populi & in interitum ſui. Sed loquamur deinceps de politijs creaturarum rationalium non quarumlibet, ſed hominum non omnium ſed viatorum. Politia Eccleſiaſtica eſt communitas ſecundum leges purè diuinas obligantes vel conſulentes aut mouentes principaliter regulata. Dixi principaliter, quoniā & ſi quædam ſint decreta & ſtatuta ſpiritualem ſtatum regulantia, illa vel innituntur immediatè legibus purè diuinis vel minus principaliter intenduntur. Sub hac politia iuris debet eſſe viator quilibet, & de facto ſub ea ſunt omnes Chriſtiani tam laici quam clerici. Nihilominus vt æquiuocatione

A

non fallamur, rememoranda eſt diſtinctio de eis, quæ ſpiritualia propriè dicuntur, & quę ſolum attributiuè, quemadmodum ſunt beneficiorum Eccleſiaſticorum reditus, & ſimilia certè carnalia ac temporalia, niſi quod ſpiritualibus ſubſeruiunt eiſque dicata ſunt. Hęc autem adinuentio annexæ ſpiritualitatis turbationes plures quam ſcribi poteſt traduxit in Eccleſiam. Politia naturalis eſt communitas ſecundum leges purè naturales principaliter regulata. Politia humana, eſt communitas ſecundum leges purè ciuiles vel humanas

B

principaliter regulata. Dixi vtrobique principaliter, eadem de cauſa qua prius. Non autem iudicamus hic difficultatem eſſe an aliqua ſit politia ſolum naturalis inter viatores, aut ſolum diuina, aut aliqua duntaxat humana, ſic quod vna nequaquam alterius participationem aſſumat, ſatis eſt nobis diſtinxiſſe rationes, & vt à prædominantibus in politia legibus denominatio capiatur.

Conformiter ad hæc habet viam vnuſquiſque expeditam à vepribus ambiguitatum pergere vlterius

C

ad deſcribendum, iuriſdictiones vtráſque. Nam cum iuriſdictio nihil aliud ſua interpretatione ſignificet quam iuriſdictionem, hoc eſt poteſtatem iuris, vnuſquiſque tantumdem habebit & taliter de iuridictione ad aliquid quantum habet & qualiter de iure ad illud, ſi non contraxerimus more loquēdi politicorum iuriſdictionem ad poteſtatem non qualemlibet, ſed coërcitiuam, quæ ſcilicet in alterum vel tanquam in alterum poteſt exerceri, etiam inuitum. Hoc itaque fa-

D

cientes ſecernimus poteſtatem ordinis à poteſtate iuriſdictionis. Habeat licet ſimplex ſacerdos poteſtatem ex iure diuino ad ea quæ ſunt ſacramenta & alia plurima quæ poteſtas eſt vtique poteſtas ſeu iuriſdictio magna, nullus tamen ei ad talia iuriſdictionem dicit eſſe vſus, alioquin abſq; iuriſdictione eſſet nemo, & cæt. Erit igitur iuriſdictio Eccleſiaſtica poteſtas coërcitiua ſecundum ius diuinū politicū. Iuriſdictio naturalis ſecūdum naturale. Et iuriſdictio humana illa erit quæ humano iure collata eſt. Poſtremò par erit domi-

E

niorum diſtinctio, Euangelici, naturalis humani vel ciuilis. Dominium Euangelicum eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias vel vt alias in ſui facultatem vel vſum ſecundum regulas iuris diuini propriè dicti. Dominium naturale eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias vel vt alias in ſui facultatem vel vſum ſecundum regulas iuris naturalis. Dominium humanum eſt poteſtas propinqua aſſumendi res alias, aut tanquam alias in ſui facultatem aut vſum ſecundum regulas politicas & ciuiles iuris humani. Conſequenter videre fa-

F

cile eſt quando & qualiter iura iſta & iuriſdictiones in eadem perſona concurrunt, quamquam diuerſis reſpectibus.

Ex his etiam patet diſſolutio illius difficultatis quæ multos turbat, an iniuſtus poſſit iuſtè dominari, & an ex quocumque peccato mortali perdatur continuò dominium. Similiter quomodo apud religioſos & quomodo non maneat dominium ſupra res communes? Nihilominus quia nonnulli materiam hanc tractantes, nominatim dominus Armacanus accipere videntur dominiū, diuinum vel Euangelicum & etiam naturale con-

ſtrictius

Digitized by Google

ſtrictius quam ſupra ſcripſimus. Nos ad intelle-
ctum ſuæ poſitionis & elucidationem clariorem
præmiſſorum notemus, quod ſicut non eſt po-
teſtas niſi à Deo (dicente Apoſtolo) ſic poteſtas
quælibet dicitur donum Dei, Deus verò in donis
ſuis donare ſe dicitur creaturis. Ita loquitur Apo-
ſtolus, quod Spiritus-ſanctus datur vnicuique,
diuidens ſingulis prout vult. Hæc autem liberalis
& dignatiua donatio Dei, quo pacto concipi po-
teſt abſq; iure & dominij alicuius collatione apud
creaturam cui donatur, quoniam recta ratio di-
ctat vt illud ſit debitum & ſuum creaturæ quod
Deus eidem conferre voluerit. His præſuppo-
ſitis aduertamus deinceps Deum ſe donare crea-
turis multipliciter, nominatim quadrupliciter,
ſcilicet pro ſtatu naturæ inſtitutæ, deſtitutæ, reſti-
tutæ, & glorificatę.

Primò modo dat ſe in donis naturæ integræ, in
eis prætereà quæ naturam illam vt talis eſt conſe-
quuntur, quemadmodum eſt originalis iuſtitiæ
donũ in homine ſecũdum opinionem benè pro-
babilem. Non enim videtur benè poſſibile quod
natura humana integra ſit à iuſtitia originali, quæ
dicitur integritas & obedientia animæ virium in-
feriorum ad ſuperiores deſtituta. Et ita titulus do-
minij naturalis fundamentum habet in hac origi-
nali iuſtitia, ſiue illa dicatur donum aliquod gra-
tuitum ſuperadditum naturæ, ſiue ſit natura ipſa
connotando rectitudinem quæ dicta eſt. Erit igi-
tur naturale dominium donum Dei quo creatura
ius habet immediatè à Deo aſſumere res alias in-
feriores in ſui vſum & conſeruationem pluribus
competens ex æquo & inabdicabile ſeruata origi-
nali iuſtitia ſeu integritate naturali. Hoc modo
habuit Adam dominium ſuper volucres cœli &
piſces maris, & ad comedendum de omni ligno
quod erat in paradiſo, ſecluſo ligno ſcientiæ boni
& mali, hinc appellata eſt poteſtas hæreditas ſua.
Ex quibus mox infertur quod dominium origi-
nale non erat neceſſariò in charitate fundatum.
Ad hoc dominium ſpectare poteſt dominium li-
bertatis, quæ eſt facultas quædam liberè reſultans
ex dono Dei liberaliter ſe donante ad agendum
vel non agendum cum anima rationali in produ-
ctione ſuorum actuum elicitorum, vel eorum ſuſ-
penſione ad finem beatiſſimę fruitionis obtinen-
dum. Et hoc dominiũ tanto liberius eſt & latius,
quanto minus poteſt in malum, & quanto per bo-
nos habitus eſt ad bonum vel bono ſtabilitum.

Secundo modo dicimus Deum donare ſe crea-
turæ rationali pro ſtatu naturæ corruptæ in donis
quibuſdam ſeu naturalibus ſeu gratuitis, non ta-
men gratum facientibus, & in eis quæ inde ſe-
quuntur. Cum enim natura nunquam ſit ita deſti-
tuta quin ea permanente Deus ſe det eidem plus
aut minus. Nullus erat ita peccator quin habeat
aliquod dominium quod dici poterat naturale
vel gratuitum gratis datum, habet ſaltem domi-
nium libertatis in actu vel habitu. Harum verò
gratiarum diuerſæ ſunt ſpecies ſicut diuerſimodè
deitas ſeſe cõmunicat, & immutabilem ſe reddit,
nunc ſecundum potentiam nunc ſecundum glo-
riam, nunc ſecundum ſapiẽtiam, nunc ſecundum
opulentiam, & ita conſequens erit dicere, quod in
dono tali qualibet tanquam in titulo fundari po-
terit dominium abſque hoc quod ſic dominans
habeat charitatẽ. Nec perdet illud dominium niſi
A perdendo ſuum in quo fundatũ eſt donum. Exem-
pli gratia, præſuppoſito peccato & violentijs inde
ſequentibus neceſſe fuit alios alijs præferri, vt ho-
mines quietè viuerent, & ſuum vnicuique ius tri-
bueretur, quod fieri non potuit ſi nõ arceretur im-
probitas malignorum. Donauit igitur Deus ali-
quibus poteſtatem hãc ſuper alios regitiuam atq;
coarctiuam ſeu per ſe immediatè, ſeu per medium
aliorum ſub aliquo ſigno cognoſcibili, quale eſt
electio, aut quale eſt hęreditaria ſucceſſio, aut qua-
B le eſt voluntaria ad eum ſubiectio, aut quale eſt
quandoque prudentia magna potentiáque ciuilis
ſuper alios idiotas, aut quale eſt habitudo pater-
nitatis ad filium, & viri ad vxorem, ſapientis ad
ſtultum ſimilium. Propterea manifeſtum eſt quod
abſque charitate poteſt tale dominium retineri,
quoniam non in ea, ſed in alio dono fundatus eſt
ſuus titulus, nec perditur huiuſmodi dominium
niſi perdito dono ſeu titulo quod ipſum ſuſtenta-
bat fundabátq;. Erit igitur dominium tale gratis
datum ius ſeu facultas in alterum conſequens ſeu
C reſultans ex dono aliquo naturali vel gratuito gra-
tis dato. Iſto modo ſunt apud infideles & pecca-
tores iuſtiſſima dominia dominorum ad ſeruos,
patrum ad filios, virorum ad vxores, & omnium
generaliter ad ſuas hæreditates & ciuiles poſſeſ-
ſiones ſecundum leges humanitus inſtitutas.
Vnde ciuile dominiũ ſeu politicũ (quia de illo
vſitatior eſt ſermo) ſic deſcribitur quod eſt domi-
nium occaſio peccati introductum, non cõpetens
pluribus ex æquo, retinibile & abdicabile ſeruata
D vel non ſeruata charitate. Abdicatur autem ven-
dendo, donando, negligendo, permutando.

Deinde tertio modo dat ſe Deus in dono cha-
ritatis ſeu gratiæ gratum facientis, quæ propria &
vera dicitur donatio, quoniã fit per eam adoptio
filialis, ius præbens hæreditarium ad omnia bona
Dei poſſidenda, quemadmodum dicit Apoſtolus
pluries: Omnia noſtra eſſe, omnia nobis data eſſe
abundè ad fruendum, quod prætereà ſumus quaſi
nihil habentes & omnia poſſidentes, & ſi proprio
filio ſuo inquit, non pepercit, ſed pro nobis omni-
bus tradidit illum, quomodo non etiam nobis
E omnia cum ipſo donauit? Et rurſus: Si filij, &
hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Chriſti. Deſcribitur autẽ iſtud dominium quod
appellatur à multis euangelicum, quod eſt domi-
nium immediatè à Deo inſtitutum, compatiens
ſecum ex æquo quotlibet dominos & inabdica-
bile ſeruata charitate. Transfert verò multotiens
ſacra ſcriptura ſub tropis metaphoricis dominium
ciuile cum ſuis attinentijs ad hoc dominium cha-
F ritatis, dum nominat illic venditiones eſſe & em-
ptiones & donationes & commutationes ſpiri-
tuales cum Deo, quaſi videlicet numiſma legiti-
mum ſit charitas dans precium actibus noſtris, per
quos ex digniſſima ſeu dignantiſſima condeſcen-
ſione Dei mercamur cum eodem de regno cœlo-
rum cum fœnore multo. Et quamquam omnia
quæ damus eidem ſint de ſuo & ſuſcepimus ea
de manu ſua, & ita dare propriè nequimus quid
pro quo; Nihilominus ipſe totus deſiderabilis ac-
ceptat bona noſtra ex valore huiuſmodi numiſ-
matis, tanquam noſtra eſſent appropriatè & non
ſua. Reddit quoque & abſque vlla commutatione

Digitized by Google

ciuili, ſed emptione grauita vinum compunctionis, lac deuotionis, immo & ſeipſum & regnum cœlorum, ita vt ibi ſit longè fœcundior commutatio quam in ciuilibus, quoniam illud quod venditur fit amplius & multiplicitius de poſſeſſione vendentis, quam ſi retineretur, immo quanto plus commutando datur, tanto perfectius & cumulatius poſſidetur. Hoc dominium tantæ eſt latitudinis & immenſitatis, vt proſpera omnia & aduerſa ſint in eius ditione, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Tantæ inſuper ſtabilitatis vt tolli nequeat ab inuito, tantæ deinde puritatis vt nihil criminaliter coinquinatum ſtet cum eo, quia lex eius lex immaculata eſt conuertens animas. Perdens autem huiuſmodi dominium fit proditor & reus læſæ maieſtatis, & infamis corā Deo & Angelis eius, & in tota curia beatorum, quamquam non ita ſecundum leges ciuiles vt iudicetur neceſſe eſt.

Poſtremò ſu[illegible]aliæ donationes Dei non ita ad præſens propoſitum, & hoc pro ſtatu naturæ glorificatæ & confirmatæ, ſecundum diuerſos excellendi modos, vt Deus ſe dedit humanitati Chriſti per vnionem hypoſtaticam; & plenitudinem omnis gratiæ tanquam capiti in membra influenti quicquid habuit vitæ ſpiritualis, & tanquam imperatori omnia iudicanti & regenti. Dedi inſuper Virgini beatæ auctoritatem maternalem vt dicatur habere ius maternale in Deum per communicationem idiomatum, quaſi Deus ſit ſubditus ei ſicut filius matri. Nec dubium eſt quin multæ cōditiones præclarè & poteſtatiuè conſequantur ad has donationes mirabiles ſupra cæteras creaturas quas omnes nequaquam cognoſcimus etiam longè vltra cæteros beatos, quorum tamen in corpore glorificato & anima admirabiles dotes erunt & ſtupendæ poteſtates, vt quod agilitati corporum nihil reſiſtet, nihil obſtabit quod eorum viſum latebit, quod erunt quaſi ſpecula & libri lucidiſſimarum inſcriptionum liberè ſeſe præſentantes & ſimilia. Aduertitis exiſtimo quoniam modus iſte elucidandi naturam atque diſtinctionem dominiorum reducit ſe tandem ad diuinam voluntatem, liberaliſſima dignatione donantem ſe vario modo creaturis. Alter verò modus ad dictamen practicum rectæ rationis diuinæ ſeſe reſoluebat, ſed in eandem prorſus cadunt ſententiam.

Nunc ex præcedentibus aliqua concludamus.. Et primò quod definitio iſta iuſtitiæ. Iuſtitia eſt perpetua & conſtans voluntas ium ſuum vnicuique tribuens, competit principaliter iuſtitiæ diuinæ in ordine ad ſuas creaturas, Deus nempe ſolus eſt qui voluntate perpetua & conſtanti dat vnicuique quod ſuum eſt, ſuum inquam non ex debito rigoris, ſed ex liberaliſſima & dignantiſſima condeſcenſione aut donatione creatoris. Rurſus quia omnia propter ſeipſum operatus eſt dominus, ipſe omnium habet ſolus plenarium dominium & eſſentiale. Dum ergo quæritur radix diuini dominij ſuuſque titulus, faciliter inueniretur in dictamine rectiſſimo ſuæ rationis & beneplacito voluntatis, ſed & fontale principium cuiuſlibet dominij apud patrem reperitur, quamquam Filio & Spiritui-ſancto collatum ſit idem penitus cum patre, & à patre per emanationes internales, tam ex dictamine rectæ rationis ſuæ,
A quam ex beneplacito ſuæ voluntatis. Porrò ſi nomen iuſtitiæ transferre placeat ad iuſtitias participatas in creaturis, eſſent iuxta varietatem creaturarum & donorum diuerſæ deſcriptiones iuſtitiæ, conſiderando quod iuſtitia ſit quodammodo actus à iure habitus vel tanquam habitu proueniens. Aut fortè conuenientius eſt transuertere quod iuſtitia ſit habitus vel tanquam habitus conformis diuinæ iuſtitiæ, eiuſdemque imitatiuus per participationem & ius actus ſit vel vſus vel
B effectus talis iuſtitiæ. Iſto modo diceremus aliam eſſe iuſtitiam originalem, aliam gratuitam non gratificantem, quæ in membra plura ſecernitur, maximè in ciuilem iuſtitiam & politiam, tam canonicam quam legalem. Altera deinde eſt iuſtitia gratiæ gratum facientis. Altera poſtremò gloriæ beatificantis. Iſtarum iuſtitiarum quippe quælibet eſt habitus vel quaſi habitus, quo redditur huic vel illi quod ſuum eſt, prout exigit talis iuſtitia, protendendo etiam nomen iuſtitiæ ad naturam ipſam, vt à Deo iuſta liberalitate donatam.

C Cæterum dimiſſa interim protractione de iuſtitia & dominio & iure pro ſtatu naturæ integræ, ſimiliter pro ſtatu naturæ glorificatæ, loquamur aliquid de ſtatu naturæ lapſæ, & de ſtatu naturæ per charitatem reparatæ hic in via, oſtendentes quantum interſit inter ſua dominia, & præſertim inter illa quæ vſitatius inter doctores ventilantur. Et iam deſcripſimus dominium ciuile ſeu politicum. Similiter dominium charitatis, quod antonomaticè euangelicum quidam appellant.

D Ex quorum deſcriptionibus tres differentias elicimus inter dominium ciuile & euangelicum hoc modo ſumptum. Nam qui aliter nonnunquam accipitur, vt patuit prius cum ipſum deſcribebatur eſſe poteſtas propinqua aſſumendi res alias in ſui facultatem vel vſum, ſecundum regulas & leges iuris propriè diuini. Hoc enim modo conuenit plurimum cum ciuili, nec eſt in ſolo charitatis titulo ſtabilitum vt dicetur. Itaque dominium ciuile inſtitutum eſt occaſione peccati originalis & aliorum inde conſequentium, qui-
E bus non extantibus dominium tale defuiſſet. Dominium verò charitatis non præſupponit peccata, ſed eſt immediatè à Deo deriuatum ſicut ipſa charitas. Ciuile autem magis humana adinuentione & vtilitatis publicæ reſpectu ſtatutū eſt. Nimirum propterea ſi radicem infectam habens illius ſaporem contrahit, & ſi vix exercetur & tenetur abſq; contaminatione per aliquod delictorum. Radix verò dominij euangelici eſt charitas quæ patiens eſt, benigna eſt, &c.

F Secundam differentam inuenimus, quoniam dominiū charitatis (quia non quęrit quæ ſua ſunt) poteſt ex æquo cōpetere quotlibet dominis propter ſui ſpiritualitatem abſque ſui diminutione, quemadmodum Deus ſuum dominium communicat Angelis & hominibus nec inde minoratur. Sed dominiū ciuile tū propter ſui materialitatem, vt ſic dicamus, tum propter appropriationē quodammodo auaram & quærentem quæ ſua ſunt, nequit ex æquo pluribus conuenire, nam quamuis eueniret quod habeant dominium ciuile rex & vaſallus vel Burgenſis ſuper eandem hęreditatem, hoc tamen non eſt ex æquo, neque eodem iure,

neque

Digitized by Google

neq; ſimili plenitudine ciuilis poteſtatis. Poſtremò diſtinctionem tertiam habent, quia ciuile eſt retinibile vel abdicabile ſeruata charitate, non ſic euangelicum, vnde quia ciuile politicis legibus innititur & inſtitutionibus, vt quod quilibet rē ſuam poſſit alienare vel vendere vel commutare, eam inſuper defendere iudicialiter atque repetere, aut modis alijs conſeruare. Et talia agere magnam ſæpe habet ſollicitudinem annexam, propterea dominium hoc ſollicitum eſt, anxium & pęnale, & poteſt abdicari à ſe, poteſt nihilominus iuſtè retineri & exerceri, etiam extra charitatem ſecundum mox dicenda. Charitatis verò dominiū quis abdicare, aut vellet aut iuſtè poſſet, quoniam illud nihil aliud eſt quā filialis adoptio Dei, vel aliquid conſequens ad illam. Idcirco iure nequit abdicari, ſicut nec charitas repudiari iuſtè poſſit. Atverò quoniam altercantur multi an ciuile & generaliter omne dominium pręſupponat pro fundamento charitatem. Notandum eſt conformiter ad præmiſſa quod ſicut liberalitas diuina ſe cōmunicans, nō communicat ſe ſecūdum omnē plenitudinem ſuā, ſed dat ſingulis prout vult, ita dū ſubtrahit ſe à ſua creatura iuſto iudicio quia peccauit ei, non ſubtrahit ſe penitus, quin aliqua donorum ſuorum miſericordi & dignantiſſima liberalitate reſeruet eidē creaturæ, alioquin flueret in nihilum. Quamobrem abſque vllo dubietatis ſcrupulo dicemus, quod dominium ciuile & politicum non præſupponunt vt inſit iuſtè alicui per titulū charitatis, vnde quāuis creatura rationalis non ſit ſimpliciter iuſta ſine charitate, eſt tamen in caſibus iuſtus Dominus ciuilis aut politicus, & hoc rationabiliter à ſuprema iuſtitia ſtatutum eſt, ne dominia ciuilia apud homines ſemper incerta & dubia, mutabiliq; fluitatione vacillarent, nec aliquid haberent vtilitatis, roboris vel momenti. Nunquid Dauid perdidit ius in regno, quia adulterij crimine pollutus eſt? Nunquid apud infideles quos totiens ſcriptura reges nominat, nullus omnino iuſtè politizat? Abſit. Quid mirum ſi non quodlibet crimen tollit ius dominādi ciuiliter, quando per ipſum ius nō tollitur corpus Chriſti conſecrandi, & cætera exercendi digniſſima ſacramentorum myſteria. Quod ſi quis contenderit iſta nō fieri prorſus iuſtè extra charitatem, videat ne quid nominis eum fallat de hoc quod eſt aliquid iuſtè fieri. Et breuiter iſta eadem eſt penitus difficultas & ſimiliter enodanda, qualis eſt illa, an abſque charitate poteſt aliquis bene moraliter operari, nam & iuſtè dominari ciuiliter morale eſt. Addamus præterea quod ſicut ciuilia dominia ratione peccati, & pro extrinſeca vtilitate reipublicæ ſolum inducta ſunt, & non conferuntur regulariter abſq; ſignis exterioribus, ſic non perditur eorum ius regulariter abſq; peccatis manifeſtis, nec ex quibuſcunq;, ſci. ex illis quæ ſtare nequeunt cum debito vſu talis dominij in republica, & dum per ſententiam definitiuam talia eſſe monſtrata ſunt & damnata. Exempli gratia. Vaſallus aliquis habet ex dono Domini. B. hæreditatem ad fidelitatem ſibi præſtandam, vaſallus iſte non pro quocunq; delicto perdet hæreditatem, immo pro nullo interiori, ſed nec pro exteriori, niſi contrarietur fidelitati debitæ Domino, & adhuc ante ſententiam definitiuam non e-rit ab hæreditate ſpoliatus, quamuis prius ita ſpo- A liari meruiſſet, aliud quippe eſt demereri iure ſpoliationem hæreditatis, aliud de facto ſpoliationis & perditionis pœna plecti. Exhinc perpenditur quod nulla hæreſis occulta, nulla ſimonia mentalis, nullum denique crimen occultum tollit ciuile dominium, ſiue illud ſit canonicum & ſpirituale, ſiue legale & tēporale. Neq; conſequēs eſt ſi tales cōmittunt in ſupremū dominū Deū crimē læſæ maieſtatis & eidē proditores exiſtūt, quod omnia perdāt cōtinuò quę ab ipſo ſuſceperunt, prout ſupra deductum eſt. Alioquin peccator mox anni- B hilatione puniretur. Huiuſmodi autē ignorantia fallit multos, & nominatim quoſdam ex doctoribus Anglicanis, & longè deterius quoſdā ex hęreticis qui omnē à prælatis ſi non ſint charitate tollendam eſſe dicunt obedientiam, tanquā ius omne ſuperioritatis amiſerint. Errant præterea circa dominium ſummi pontificis illi, qui pro quolibet delicto occulto, aut etiam pro publico non contrario directè vſui ſuæ poteſtatis, ab eiuſdem obedienti tanquam à non papa diſcederent. Cur au- C tē addimus tanquā à non papa, infra docebimus.

Ex his perſpicua eſt tertia differentia dominij charitatis à dominio ciuili, quoniam Deus ſe ſolo immediatè dat titulum charitatis, ad omnia propinquo iure aſſumenda in ſui facultatem fruendo vel vtendo licitè & meritoriè, quo titulo ſtāte illud inabdicabile eſt dominium, quo ſublato repente tollitur, vt verum ſit quod Iacobus Apoſtolus ait: Qui in vno peccauerit factus eſt omnium reus. Cur autem dictum ſit propinquo iure alias D docuimus, quoniā peccator ius tale ſed remotum habet ante obſtinationē, dū faciēdo quod in ſe eſt ad illud pręparare ius ſe habet. Sed in ciuilibus dominijs ſicut alij tituli ſunt ea fundantes, ita remanent manentibus titulis ſuis in integritate ſua quouſque per leges ciuiles ſecūdum quas illa dominia regulātur & robur aſſumūt caſſantur, quēadmodum rex Franciæ regnum habet titulo ſucceſſionis hæreditariæ ex primo conſenſu ciuium ſuorum. Sunt autē quædam publica crimina propter quæ leges ciuiles iudicarent hūc ſucceſſionis E titulum annullandum fore ex oppoſito ciuiū diſſenſu. In alijs titulis eſt communis electio, leges verò certæ ſunt quæ electionem hanc vel nullam ipſo facto, vel annullandam & caſſandā eſſe dicerent vel ab ea recedendū decernerent, quēadmodum expreſſa decreta ſunt de electione ſummi pōtificis, quod hæreſis tunc aut poſtmodū poteſt ad inualidationē electionis aut electi deſtitutionem operari, ſicut dicit expreſsè Bern. in quadam epiſtola de ſchiſmate Petri Leonis, quod electio vicioſa debet prius examinari ratione, & caſſari F iudicio. Quod qualiter & quando verum ſit, iſtud ex iuriū expreſſa declaratione cognoſcitur, quoniam ſi paſſim pro volūtate cuiuſlibet liceret diſcedere à ſuo ſuperiore abſq; ſententia iudicij, ratione huius vel illius delicti quod eidem quis imponit quis non videat omnia dominia protinus fore miſera confuſione turbanda? Rurſus ex aduerſo ſi ſuperiores pro ſua libidine poſſent inferiores deijcere, conculcare, affligere & perdere, & quod eorum violentiæ ſe opponere neq; facto neq; verbo liceret, malè irent reſpublicæ, pro quarum vtilitate poteſtas omnis ſtatuta eſt.

Digitized by Google

Malè prætereà eſſet quibuſdam perſonis ſingularibus vbi ſuperiores ſui via facti,ſpreto omni iuris ordine, eis vim inferrent, ſi vim illam per vim repellere nefas foret,quod vtiq; fas foret immutabili iure naturali, ſi modeſtia in repellendo vim vi conſeruetur. Seruatur autem quando reſiſtitur, quantum requiritur & ſufficit ſecundum qualitatem iniuriæ declinandam,& intentione præcipua ſeſe conſeruādi. Qua in re ſtatum apparet multos caſus eſſe poſſibiles,in quibus aliquis gerēs ſe pro papa, & pro tali habitus ab eccleſia, poterit à ſubdito licitè occidi vel incarcerari, vel per modum quædam appellationis ab eo vel ſubtractionis à poteſtate ſuæ obedientiæ declinari,niſi forte quis oſtenderet conſtitutionem aliquam reuelatā obſtare,quia humanum ius hoc naturale tollere non potuit, fundatur enim in titulo naturalis exiſtentiæ cōmunicatæ à Deo ipſi creaturæ rationali, ad quem titulū conſequitur ius defendendi ſe & noxia repellēdi, hoc eſt vim vi repellēdi modo prius expoſito:vel in titulo charitatis ad quem cōſequitur ius refugiēdi omne peccatū mortale vt caſtitatem ſuam conſeruandi. Hoc verò ius nō extenditur ad innoxios,ſic quod ex eorum morte poſſim vitam meam prorogare, nec ad iudices qui via iuris me condemnarent etiam innocentem.Sed neque tenet vbi via iuris abſque tali via facti aperta eſt. Aut vbi libidō regnat alium impetendi magis quam ſe defendendi. Nunc apertior via eſt ad inueſtigandum qualis ſit habitudo dominorū ciuilium ad ſubditos & ècōuerſo,in omni politia tam eccleſiaſtica quam ſeculari. Eſt enim apud quālibet politiam ſuum ius naturale. Eſt prętereà ſuum ius diuinū ſeu in charitate ſeu in alijs gratuitis donis fundatum, quæ iura & dominia inde conſequentia nulla poſſunt humana conſtitutione deſtitui, vt quod politia tendat ad ſui conſeruationem,& ne ſuæ deperditioni vijs congruis obnitatur,quod nihil agat contra leges æternas mortaliter delinquendo & conſimiles ex quibus palā infertur de politia qualibet ſicut de perſona ſingulari modo dicebatur quod contrà ſuperiorem ſuum quemlibet impetentem eā via facti,ius habet vim vi repellere.Exēpli gratia. Papa de quo minus videretur,ſi via facti vellet ignes ſpargere per domos Chriſtianorum per ſe vel alios improbos,aut mulieres violare,nō propter hoc deſineret eſſe papa. Attamen nulli dubiū eſſe debet quin huic viæ facti eccleſia vel eius pars poſſet via facti demolitioni ſuorum bonorum violationi vxorum reſiſtere etiam per incarceratiōe realem papæ, vbi tūc aliter neq; via iuris neq; via facti obſtare relictum eſt, quāto magis hoc agere fas haberet eccleſia vel pars eccleſiæ vbi ſua caſtitas ſpiritualis in legis diuinæ obſeruatione, aut ſua vnitas in qua vita ſua poſita eſt ab aliquo papa via facti certiſſimè violari quæreretur. Quod ſi quis in oppoſitum mille decretales vel decreta produxerit, tanquam papæ in nullo caſu dicere liceret, cur ita facis?tanquam inſuper ſuperior ſit tota eccleſia vel tanquam à nemine poſſit iudicari. Reſpondemus quod poteſtas ſuperioris nihil poteſt ſtatuere aduerſus veritatem legis naturalis & diuinæ, quod inſuper poteſtas eorum data eſt non in deſtructionem, ſed in ædificationem, quibus improbe agentibus modis ſimilibus ad prætactos,ſi reſiſtitur iam non poteſtati, ſed eorū improbitati reſiſtitur. Scimus tamen quod cum modeſtia magna & timore, & non niſi cogēte manifeſta neceſſitate talia attentare ſecurum eſt. Quo in loco nimis delirant quidam iuriſtarum, qui textibus ſuis adeò fixi, adeò preſſi cohærent, quod ad leges naturales & diuinas ſecundum quas adęquari humanas atque moderari neceſſe eſt non aſſurgunt. Denique mixtio atque concurſus variorum dominiorū in eadem perſona papæ multos facit paralogizare, dum illa à ſeipſis, ſecernere vel nolunt vel neſciunt.

Habet itaque papa primò dominium ſuperioritatis à Chriſto ſupra totam eccleſiam cum plenitudine poteſtatis in eis quæ ſpirituale regimen eccleſiæ propriè dictum reſpiciunt. Habet prætereà ſecundò poteſtatem canonicam ſuper res eccleſiæ quæ dicuntur impropriè ſpirituales, quemadmodum ſunt collationes quædam beneficiorum & iuriſdictionum quaſi temporalium atque prouentuum. Habet tertiò poteſtatem ex conſenſu tam principum, præſertim imperatorum, quam aliorum ſubditorum in quadam temporalium appropriatione,quam ei conſtat iure diuino nequaquam conuenire, quoniam & ſi diceretur Dominus eſſe omnium in temporalibus, non tamen omnimodam dominationem ciuilem haberet in eis, quin aliquis modus poſſidendi eidem poſſet nouiter aduenire, ſicut de facto Cōſtantinus aliquo modo contulit imperium Romanum, quomodo papæ antea nequaquā debebatur. Habet quartò poteſtatem qualem iure naturali ſuperior habet ad ſubditos.His verò poteſtatibus correſpondent ſibi mutuo ſeruitutes ad quas obligatur ex iſtarum aſſumpta qualibet poteſtatum.Neque enim eſt dominatio in quocunque præter Deum, abſque proportionabili obligatione ſeruitutis,propterea ſicut papa eſt ſuperior omnium ita omnium ſeruus,non ficta humilitate, ſed metaphyſica & morali atq; theologica veritate nominatur,vt ſi glorietur, in domino glorietur, & nō de poteſtate tumeat, ſed timeat de annexa ſeruitute.Prima poteſtas cognoſcitur ex euāgelijs & actibus apoſtolorū, & ex eis quę per ſucceſſiuam relationē eorū ad nos tāta certitudine ſunt deuoluta,vt meritò temerarius & ſcādoloſus imo ſchiſmaticus iudicetur qui poteſtatem hāc vel abolere vel diminuere præſumpſerit. De hac poteſtate ſunt ius conuocandi concilia vniuerſalia. Ius determinandi cum concilio quæſtiones fidei per modum articulorum omnes generaliter obligantium. Correctio inſuper prælatorum inferiorum & eorum ſi demeruerint totalis deſtitutio, & ſimilia, quæ vel vniuerſalem eccleſiæ ſtatū tāgunt, vel finalem ſuprēmáque determinationem reſpiciūt. Et hæc poteſtas in eccleſia immobilis perſeuerat quātumcunque perſona papæ per mortem naturalem vel ciuilem mutaretur, aut quātūcunque vſus talis poteſtatis à papa remanēte tolleretur in parte vel in toto, ſeu per ignauiā ſeu per aliā ſicut poſsibile eſt iuſtam rationem. Chriſtus enim optimus legiſlator, ſi non taliter eccleſiæ ſuæ in eis quæ religionis ſunt prouidiſſet, ipſe politiam eccleſiaſticam non optimè(quod nefas eſt ſentire) conſtitutam reliquiſſet. Sed & textus euangelicos,& cōciliorum generalium determinatio, & eccleſiæ vniuerſalis conſenſus, tantus

&

Digitized by Google

& aſſertio, immò & ratio naturalis præſuppoſita fide pro hac ſuperioritate tam aptè faciunt, vt contra eum qui ſe pro catholico gerit negantem hoc, magis ſit deſtitutione quã diſputatione certandum. Huiuſmodi ſunt qui dicũt quemlibet in ſua dioceſi eſſe papã ſupremum, aut quod plures eſſe papas licet vel expedit, aut quod non oporteret quærere papam vnum pro eccleſia, & ſimiles. Hæc poteſtas tam immediatè à Deo collata eſt, vt tota eccleſia illam neq; deſtruere, neq; nouiter ſi tolleretur, ædificare valeret, ea tamen cõceſſa poteſt ad ipſam quis aſſumi ſecundum leges poſitiuo iure canonico latas per electionem hanc vel illam ſic vel ſic celebratam. Amplius verò ſecunda poteſtas papæ per canonicas inſtitutiones, quę ſunt humanæ & variabiles, robur habet. Hæ poteſtates duę tantum differunt: vt quidam (nominatim ipſi græci) primam concedentes, ſecundam abnegent. Errant quoq; illi qui miſcent hanc coæquationem quadam cum pręcedenti. Etenim quis neſciat Chriſtũ & Petrum ſucceſſores multos abſq; tali proteſtatiuo exercitio circa tẽporalitatem eccleſię in papali culmine plenè fuiſſe ſtabilitos? Vt ergo talia exercitia ad papã diuino iure ſaltem immediatè non competant dicere, conſequens eſt. Magis verò de tertia poteſtate iſtud diceretur, cum qua poteſtate & eius exercitio in cõſeruando eam, quoniã permixta eſt poteſtas excõmunicationũ, quæ iure diuino & primo cõpetit papę ſubſecuta eſt magna turbatio & horror quidam eccleſię nimis officiens. Demũ quarta poteſtas naturali iure papę cõueniẽs, habet & requirit vt tãquã ſuperior & tutor atq; cõſeruator honoretur & iuuetur ab omnibus, quã poteſtatẽ poſſet eccleſia ſi deeſſet, ordinare aut aliter cõmutare, ſicut alterius politiæ mos habet. Papa verò qui nec impeccabilis eſt, neq; confirmatus in gratia, ſubditus eſt legibus diuinis & naturalibus, & in quibuſdam ad leges humanas obligatur. Propterea ſi peccet, corripi poteſt iure diuino & naturali fraternaliter. Huic enim legi diuinæ ſubditus eſt, & ſi nollet corripi, poteſt tandem denunciari eccleſię, pręſertim vbi denunciatio illa nõ plus afferret detrimenti quam vtilitatis, vbi præterea vitia talia eſſent, quę notabili ſcandalo perturbarent eccleſiam. Quod ſi requiſitus nolit legitimè concilium celebrare, & nihilominus perſeueret in delictis, poteſt ipſe haberi tanquam verè pertinax, nõ paratus audire eccleſiam. Quod verò papam caſus iſte & conſimiles ſubijciant eccleſię tãquã minor ſit iure diuino, quicquid humana verba ſonarent, liquet ex hoc quod membrum deuiabile & potẽs infici minus eſt corpore reſiduo, quod à ſanitate nequit totum deſtitui. Similiter perſona deuians regulam habere debet & iudicẽ indeuiabiles, quibus mediantibus ab exorbitatione poſſit arceri. Regula hęc indeuiabilis eſt lex diuina. Iudex incorruptibilis ſaltem circa ea quæ iuris diuini ſunt, eſt eccleſia aut concilium generale eccleſiam repræſentans. Porrò vbi perſona papa mortua eſſet, aut morte corporali aut morte ciuili, quam pertinacia notoria & conuicta in ſuo crimine deſtruente eccleſiam manifeſtat, cõciliũ generale robur haberet ex ſede apoſtolica & Chriſti approbatione, qui in neceſſitate tali vellet nobis non deeſſe. Hoc forte intelligunt qui dicunt connexionem membrorum eccleſię ad vnum caput A Chriſtum eſſentialem eſſe, & non ad eius vicarium papam, qui eſt caput ſecundarium, quoniam ipſo deſtituto nihilominus manet vnitas eccleſiæ, quamquam referri poteſt hæc vnitas ad vnitatem ſedis apoſtolicæ, quæ in ſuo formali iugiter perſeuerat, iuxta dictum cuiuſdã diſtinctionis ponẽtis in papatu aliquod eſſe formale, quod eſt papalis dignitas, aliud materiale, quod eſt perſona dignitatem hanc repreſentans. Cæterum de poteſtate ſecunda & tertia papæ, dicimus eam per eaſdem cauſas poſſe deſtitui, per quas exorta B eſt, vtputa ſecunda per concilia generalia, & tertia per diſſenſum dominorũ temporaliũ, cauſis occurrẽtibus legitimis pro vtilitate manifeſta.

Diutius ſpe noſtra tenuit nos ſermo de hac poteſtate ſummi pontificis, quoniam tempeſtas præſens ad hoc impulit, pro qua magis neceſſe eſt poteſtatem hanc ad clarum dinoſcere atque ſecernere quam olim antea, præſertim ad videndum ſubtractionis factæ iuſtificandæ vel caſſandę rationem præſuppoſitis eis quæ facta ſunt. Nunc C tandem de abdicatione dominij quædam ſubiungamus quantum hoc liceat vel expediat: oſtẽdentes & in primis rememorandum eſt ex prioribus, quod neque dominium charitatis quod ab aliquibus euangelicum dicitur, neq; dominium naturale, neque originale, neque beatificum cadit ſub abdicatione voluntaria & licita, de ſolo igitur dominio politico & coërcitiuo, ſiue illud ſit naturale ſiue diuinum, ſiue humanum ſermo habendus eſt. Et quidem vniuerſali verbo dicere poſſumus, quod omne dominium tale politicum D licenter in caſu vel renuitur vel abdicatur. Et de papatu, quia quondam fiebat dubitatio illa per determinationem expreſſam ſopita eſt. Cœleſtinus itaque reſignauit, & dignitatem quoq; illam beatus Gregorius & aliorum plurimi quantum in ſe fuit nonne leguntur depuliſſe? De regnis præterea & alijs dominijs abdicatis certa & approbata exempla ſunt. Attamen abdicationes iſtæ ſuis veſtiri circunſtantijs debent vt fiant ſicut oportet, & quando oportet, & autoritate qua oportet, ne- E q; enim pertinaciter & abſq; alia lege priuata ſpiritusſancti renitendum eſt ſuperiori ſarcinã alicuius dominij ceruicibus illius qui ſibi ſubditus eſt rationabiliter imponenti, alioquin periret humilitas, periret obedientia, periret quandoq; rei publicæ vtilitas. Cæterum abdicatio cuiuſlibet dominij & ciuilis & appropriationis hæreditariæ in proprio & communi fieri poteſt cum merito, ſic quod ſolo vſu pio & titulo naturali & charitatiuo taliter abdicans contentus ſit, ſicut dicimus titulum naturalẽ ad quem conſequitur ius nutrien- F di corpus ſic quod in eius neceſſitate omnia ſibi ſint ad hoc communia. Non eſt autem neceſſitas ſi per ſe poſſit de victu ſufficienti prouidere ſibi per laborem, quãquam & in hoc caſu mendicare neceſſaria vitæ ſuæ ſit res licita de genere, qui meritoria fiet ſi nulla ex circũſtãtijs adhibẽdis defuerit. Hæc autem abdicatio totalis in proprio & cõmuni de ſe plus habet ſimilitudinis ad ſtatum innocentiæ & patriæ, & priorum quorundam eremicolarum, quãuis non habeat mendicationẽ de neceſſitate coniunctam. Patuit hoc in eremitis qui viuebant ex labore, nihil tamẽ appropriantes

Digitized by Google

ſibi, ſed erant quaſi nil habentes, parati ſci.omnia relinquere prius quam pro eis repetendis iudicialiter aut aliter decertarent. Stat enim abdicatio talis cum quantalibet bonorum vbertate, quæ ſibi in nullo animus pauper appropriat, nec ſecundum leges ciuiles eadem occupat, cum obligatione ſcil. vel non ad repetendum ea cum iurgio, vel aliter ſi raperentur defendendum, ad hoc quoque voto ſeſe poteſt aſtrinxiſſe. Quamquam igitur abdicatio cuiuſlibet proprietatis in proprio & in communi, ſimilior ſit perfectiſſimis ſtatibus humanæ creaturæ, nihilominus præſuppoſito peccato & modo rerum ſe habendi in politia eccleſiaſtica, qualem experimur viuere de proprio & communi, videtur regulariter eſſe ſtatus ſalubrior atque ſecurior. Itaq; multa decent vnum ſtatum, vt puta ſtatum innocentiæ, quę alteri nequaquam expedirent, vt viuere in nuditate, filios procreare, nullum coërcere ad bonum, & ſimilia honeſtabant naturam prius inſtitutam, qua lapſa in peccatum contraria his quædam decent, quædam expediunt, quædam exiguntur. Propterea fallax eſt argumentum. Status iſte perfectiſſimis ſimilior eſt, ergo pro imperfectis expedientior. Aliter enim opinio Socratis quod omnia ſint communia videretur ſuſtinenda. Qualiter verò ea quę habentur in communi, liceat à quolibet ſuum dicere, aut quomodo repetere ſi auferantur, & ſimilia digreſſionis nimiæ formido ſuadet ne tractetur. Sed & de onere prælationum per tales proprietarias, tum iuriſdictiones, tum poſſeſſiones, quod onus imperiti & inexperti honori & exonerationi deputant, & quouſq; teneatur prælatus pro talibus tuendis vel agendis iudicialiter contendere, cæteris omiſſis ſpiritalibus exercitijs. Simili ratione pertranſimus profecto diuinitus, vel enunciatum eſt vel enunciari potuit de talibus, venenum eſt effuſum in eccleſia Dei.

LECTIO QVARTA.

POSTQVAM deſcriptiones atq; diſtinctiones materiæ neceſſarias præcedentes lectiones poſuerunt, tũ de lege purè naturali, tum de lege purè diuina præceptiua, tum de lege ſolũ humana, & ſimul oſtendimus quę leges & quot ſunt diuinæ, quę & quot ſunt pertinentes ad diuinam, & quæ impertinentes. Superaddimus quid & quot modis ius & dominium & iuriſdictio vocarentur. Supereſſe video vt ad declarationem vnicæ concluſionis noſtræ cum ſuis ſequelis diuertat ſermo noſter.

Erit igitur hæc cõcluſio. Anima rationalis ſicut à Deo ſolo inſpirante & influente habet vitam gratiæ, quæ eſt baptiſmus in ſpirituſancto, ſic ipſo deſerente ſolummodo perdit anima vitam huiuſmodi præhabitam dum præceptiuæ legis ſuæ pręuaricatrix inuenitur. Prima pars de ſe perſpicua eſt, & ante deducta in ſecunda lectione. Secundam partem ſuademus ex hoc quod alius à Deo ſicut non habet poteſtatem infundere gratiam, ſic nec eripere. Ipſe præterea ſolus habet claues vitæ & mortis æternæ, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Iſta verò concludunt, quod ſolus poteſt dare præcepta affirmatiua aut

A negatiua ſub pœna mortis æternæ, quia illam infligere ſolus poteſt, nullus ergo perdet gratiam, nullus reatum damnationis æternæ incurrit, niſi pro quanto diuinæ legis præceptiuæ tranſgreſſor extiterit. Ad hoc eſt autoritas Auguſtini deſcribentis peccatum actuale cõmiſſionis. Peccatum inquit, eſt dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam. Ad hoc inducitur illud Apoſtoli: Stipendia peccati mors.

Corollarium primum.

Nulla tranſgreſſio legis naturalis aut humanę vt naturalis eſt vel humana, eſt de facto peccatum

B mortale. Et appellamus hic peccatum mortale, quod pœnæ æternæ reatum operatur ſecundum curſum à Deo iam inſtitutum, non qui poſſet inſtitui. Addimus prætera vt naturale eſt vel humana, quia eadem lex talis ſępe communicat cum diuina, patet corollarium ex præmiſſis. Et ex alio, quia lex naturalis & humana vt tales ſunt, non poſſunt attingere ad cognitionem æternitatis in pœna vel præmio, non ergo feruntur ad finem talem ſupernaturalem, & pluſquam humanum.

C Rurſus fruſtra darentur leges cũ appoſitione pœnarum, quas legiſlatores infligere nequirent, immo nec de eis in foro ſuo cognoſcere. Alioquin poterit legiſlator omnes ferè leges ſuas ſub pœna quantalibet poſſibili vel impoſſibili, quam abſurditatem dicere quis auderet? Sic eſt de quacũque lege naturali vel humana, quod neq; natura, neq; homines, prælati vel principes poſſent tranſgreſſores ſuarum legum plectere pœna damnationis æternæ, nec de ea ad examen ſuum per teſtes aut

D aliter deducere. Hac ratione fulciunt ſe doctores nominatim Durandus, ponentes præceptum nõ poſſe imponi per prælatos aut principibus ſuper actibus intrinſecis & occultis, quia videlicet illos traducere nequirent ad forum iudicij ſui, quod non niſi publicum eſt & de manifeſtis. Itaque ſecus agere velle eſſet hominum proprium officium ignorantium & fruſtra conantium, immo & diuinum iudicium temeritate culpabili damnabiliter vſurpantium. Ex hoc conſequenter inferunt, quod actus confeſſionis ſacramentalis in-

E quit, directè cadere ſub præcepto eccleſiæ ſed indirectè, dum iubet aliquid ad quod dignè exequendum requiritur confeſſio de lege diuina, cuiuſmodi eſt ſuſceptio corporis Chriſti ſemel in anno. Idem dicimus de quolibet actu interiori aut de exteriori, quæ taliter ſecretus eſt, quod publicari licitè non poteſt per teſtimonium duorũ aut triũ. Iudices verò qui de taliter ſecretis interrogare & cognoſcere præſumunt, errant vt diximus, præſertim vbi nihil aliud de publicis actibus accuſat politiam ſuam lædentibus, ex quibus iſta

F ſecreta, rationabili & vehementi præſumptione cõcludant, ſicut eſt fama publica vita, quamquam nec ſi fas habeat iudicialiter addicere ſupremo ſupplicio non conuictos neq; confeſſos, diuino ad hoc obſtante pręcepto.

Corollarium ſecundum.

Nullus legiſlator eccleſiaſticus vel ciuilis habet directè autoritatem præceptiuam ſuper iſtud, vt interiori actu diligatur Deus ſuper omnia, aut quod in eum ſperetur vel credatur, patet ex immediatè præcedentibus. Et ex conſequenti dicimus,

Digitized by Google

dicimus, quod quantuncunque legiſlatores intendant per ſuas leges ſuos ſubditos debere fieri meliores interius & ſanctiores quoad diuinum forum occultum, tales tamen intẽtiones ſuæ non cadunt ſub eorum pręcepto. Itaq; ſi fiant actus exteriores ſuorum iuſſorum etiam cum peruerſiſſimis intentionibus & finibus occultis, nō erit ibi tranſgreſſio humanæ legis vt humana eſt ſed diuinæ. Et ita ſi dicā horas meas canoninas cū quacūq; mentis euagatione & nulla attentione. Si ieiunem in quadrageſima tantummodo vt ſanior fiam, vel vt poſtmodum voracius & inde voluptuoſius comedam. Si feram tonſuram clericalem vel vadam dominicis diebus ad eccleſiam auditū miſſam pro vana gloria aut fraude alia. Similiter de alijs actibus extrinſecis præceptorum, ago quidem malè apud Deum peccans in legem ſuam, me tamen pro tranſgreſſione humanorum pręceceptorum nullus accuſabit. Et hic accipiunt fundamentū dicentes, quod in caſibus præmiſſis non teneretur aliquis horas iterare, ſicut nec aliā miſſam audire: ſed ſufficit de peccato in Deum commiſſo conteri confiteri & ſatisfacere ad arbitrium confeſſoris. Hæc autem ſententia mitis eſt pro ſcrupuloſis circa humanorum obſeruationem præceptorum, quos iugiter inquietat conſcientia de iterando, ſi id quod faciunt non ſemper attentè & deuotè perficiant.

Corollarium tertium.

Stat ſimul aliquem obſeruare pręceptum humanum, & tamẽ peccare mortaliter, ſicut aliquis merendo apud Deum poterit humani præcepti violator accuſari. Patet primum in caſibus prioribus, vbi fit actus præcepti humani ad finem peruerſum. Patet ſecundum, vbi aliquis habens excuſationem ſufficientem interius, de qua tamen nō poteſt facere fidem exterius, omittit aliquid de operibus præceptis per eccleſiam quemadmodum damnatur ab eccleſia ille qui non vult redire ad ſocietatem mulieris quam fictè deſponſauit in facie eccleſiæ. Sed obijcitur per illud apoſtoli: Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Reſpōdemus quod alio & alio reſpectu Deus ipſe iuſtificat & condemnat, vult quippe legiſlatores publicos de publicis tantummodo ſententiare, & ad iudicium ſuum occulta reſeruari, propterea idem opus eſt occultum eccleſiæ & manifeſtū Deo, ſic aliter & aliter poterit iudicari. Sed iterum fortius opponitur. Nullum eſt iudicium rectum niſi pro quanto legi diuinæ conformatur quod eſt dictamen primæ regulæ & rectę rationis. Quis autem dixerit diuinam legem falſam eſſe, aut quis dictamen rectę rationis crediderit erroneum. Vt igitur quælibet lex vera ſit neceſſe eſt, aut ſi falſa erit, lex non erit. Eſt autem falſa ratio dum iudices errant, vt quod Petrus quem ſupponimus apud Deum innocentem, ſit pro homicida condemnandus, & quod Petrus ſit compellendus reddere debitum non vxori ſuæ, quod exiſtens in charitate, & ex hinc de ſocietate ſanctorum ſit excommunicatus. Sentit hoc idem deuotus Bernardus in de præcepto & diſpenſatione, qui ſimplicem oculum quo totum corpus operationum lucidum fiat, dicit oportere rectum & verum eſſe, quia nec veritas ſine recta intentione: nec recta intentio ſine veritate ſufficiunt. Alioquin nō inculpaſſet apoſtolus quoſdam qui habebant zelum nō ſecundum ſcientiam, nec Chriſtus condemnaſſet interfectores martyrum qui arbitrabantur ſe obſequiū præſtare Deo. Huic oppoſitioni reſpondentes cōcedimus pro regula, quod nullum dictamẽ particulare practicum quo imperatur actio eſt rectū niſi ſimul in veritate ſubſiſtat. Sed quoniā ex falſis bene ſequitur verum, concedimus multa eſſe iudicia practica vera quę ex falſis deducuntur. Exēpli gratia, fiat hoc argumentum, omnis homicida patris eſt ſuſpendēdus, Petrus eſt homicida patris, ergo Petrus eſt ſuſpendēdus. Maior eſt lex humana vt ſupponitur. Minor probata eſt per falſos teſtes, qui tamẽ repelli non poſſunt, vt etiā ſupponitur, & concluſio ſequens eſt dictamẽ iſtud, Petrus his ſtantibus eſt ſuſpendendus, quod vtiq; verum eſt apud concedentes ignorantiam inuincibilem in eis quæ facti ſunt aut iuris humani. Altera eſt reſponſio & forſan rationabilior, & magis ad intentionem B. Bernardi, dicentis minorem præcedentis ſyllogiſmi aut alterius ſimilis non eſſe iſtā: Petrus eſt homicida, ſed iſtam, Petrus probatur homicida per teſtes inconuincibiles de falſitate, & hæc vera eſſet apud eos ſicut maior. Si igitur concluſio vera ſit talium, nullus mirabitur. Veruntamen hoc loco pro diuerſitate opinionū de ignorātia ſi ſit inuincibilis aliqua, aut ſi nulla, eſſent cōſequenter varietates reſponſionum. Et quicquid ſit de ignorantia facti aut iuris humani & naturalis poſitiui, concors eſt ſententia. Nullam in his quæ legis diuinæ ſunt cadere ignorantiam inuincibilem, quoniā facienti quod in ſe eſt Deus ſemper aſſiſtit paratus illuſtrare mentem quantum oportebit ad ſalutem, & erroris euitationem. Quocirca palam eſt ratio cur martyrizantes apoſtolos credendo ſe præſtare Deo obſequium, oculum ſimplicem non habuiſſe culpantur, ſicut nec illi quos apoſtolus arguit habere zelum non ſecundum conſcientiam. Iuxta hæc aperitur intellectus ad cognoſcendum ſi fides inclinare poſſit ad falſum, & charitas ad malum. Conſtat quod non immediatè & ſub falſi & mali ratione. Sed an mediatè conſideret ſtudioſus inquiſitor. Ex incidēti dicimus quod nullus fidelis credit articulos de futuro cōtingenti ſic abſolutè quin ſciat Deū id poſſe non facere. Deus ergo ſi per potentiam abſolutam faceret nihil fore futurū, non videtur ex hinc aſſenſus fidelium falſificari, qui potentiam non abſolutam, ſed ordinatam iuxta legem datam intendunt, quemadmodum falſæ nō fuerunt aſſertiones Ionæ ad Niniuitas, & Eſaiæ ad Ezechiam, nam ſubuerſio ad demerita Niniuitarum, & mors Ezechiæ ad curſum naturæ communis referebantur, non enim miſericordiam Dei ad correctos, & potentiam ſupra curſum naturæ hi prophetæ ſecludebant. Ita nec catholicorū fides excludit potentiam Dei abſolutam ad non faciendum ea quę fieri ordinata eius potentia ſtabiliuit.

Corollarium quartum.

Omiſſio horarum canonicarum, tranſgreſſio ieiuniorum eccleſiaſticorum, & generaliter omnium ſtatutorum & regularū & canonum, nūquā eſt mortale peccatum, niſi pro quāto diuinæ legi præceptiuę diſſonans inuenitur. Et ita quantū lex aliqua habet admixtū de lege diuina præceptiua tantundem & non amplius eſt eius tranſgreſſio

Digitized by Google

mortaliter vitioſa. Quamobrem decernere de legibus omnibus manifeſtum eſt ſpectare principaliter A ad theologiam, velut ad ſcientiam ſuperiorem architectonicã, quatenus recta ratio ſepararet illud quod iuris diuini eſt in eis ab illo quod humanum eſt ſiue poſitiuum, tanquam ſi aurifaber peritiſſimus ſecernat aurum ab argento, & argentum à plumbo, & quoniam multi hanc præcipuam artificem theologiã vel ignorant vel negligunt vel ſpernunt, quę tamen de ſeipſa dicit legũ conditores per eã iuſtè decernere, ideo turbationes in politijs & conſcientijs ſæpe oriri cõpertum eſt. B Idcirco prętereà legiſlatores eccleſiaſtici & ciuiles plerumq; ſua poteſtate autoritate noſcuntur abuti, præſertim eccleſiaſtici illi qui quicquid ordinauit, quicquid monent, quicquid præcipiunt, volũt pro diuinis legibus haberi, par æquale quoque robur habere per interminationem damnationis æternæ. Neque tamen accuſauerim omnes legiſlatores taliter & talia loquentes. Pręſumo enim quod ad rectam regulam & diuinam ſapientiam ſermones ſuos voluerunt gloſſari, interpretari & recipi, quod ſi non hoc intenderunt, pro- C nũcio non ego ſed Apoſtolus, quod nihil poſſunt contra veritatem, ſed nec contra charitatem. Deniq; ſuum eſt talibus vti verbis in ſuis inſtitutionibus, quod à vero neq; deuient, neq; ſimplicioribus & ignaris timores & ſcrupulos vanos ingerant, quaſi videlicet ipſi ligentur vbi liberi ſunt, tanquam prætereà graui iugo premantur, vbi ad iugum leue & ſuaue vocauit eos Chriſtus.

Corollarium quintum.

Ex hoc quod aliquis peccaret mortaliter tranſ- D grediendo conſtitutiones aliquas humanarum traditionum, non ſufficienter concluditur quod illæ conſtitutiones obligent ad mortale delictũ. Declarabimus iſtud argumentantes à ſimili vel minori. Sit aliquis peritus medicus ordinatus pro republica, dicat ille: Petre do tibi legem pro tua ſanitate, quam ſi tranſgreſſus fueris, ſtatim diſſoluetur corpus tuum, quod eam cõſeruando conualeſcet. Non bibas vinum purum hoc triduo. Nullus neſcit quod medicus vt medicus caret facultate condendi leges obligantes ad peccatum E mortale, & tamen in caſu tranſgreſſor huius legis ſuæ damnationem incurret. Ponetetur ſimile in materia de ebrietate aut furiæ periculo. Si medicus denunciet ignorantibus, tale vinum ne biberitis, alioquin vel in ebrietatem vel furiam incidetis, quis neſcit tranſgreſſores temerarios criminaliter delinquere? non quidem propter medici pręceptum, quamuis in caſu ſi non ita præcepiſſet, non peccaſſent, excuſante eos ignorantia. Sed quia præuaricatores ſunt horum præcepto- F rum diuinorum & ſimilium: Nolite inebriari vino, nolite vos occidere &c. Non prorſus diſſimiliter eſt in propoſito. Quamuis enim leges humanæ & ciuiles vt tales ſunt, ſint ſolum pro ordinatione politiæ humanæ, eccleſiaſticæ vel ciuilis in eis quæ corpus reſpiciunt, & ita ſolum merentur punitionem temporalem violatores earundem, & obſeruatores proemio temporali donantur. Nihilominus ex conſequenti & mutua colligatione ac mixtione quam ad leges diuinas habent, reſultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipſos contemptores.

Corollarium ſextum.

Si aliqua lex humana, canonica vel ciuilis non poſſit concludi ex lege diuina niſi coaſſumendo propoſitionem vel conſequentiam legi diuinæ impertinentem, conſequenter impertinens eſt. An treſgreſſio illius legis ſit mortalis an non mortalis, patet ex præcedentibus. Quod ſi quis prælatorum vellet huiuſmodi legem aut dicere habere robur legis diuinæ, ſibi fas eſſet per theologos aut alios hoc recognoſcentes reſiſtere in facie, & dicere quod non rectè ambulat ad veritatem euangelij. Ex quo amplius videtur non eſſe ſecurum aſſerere tot leges & canones & regulas, quot reperiuntur omnes obligare ad peccatum mortale, tum ex multis cauſis inferius aſſignandis, tum nominatim, ex eo quod multæ huiuſmodi conſtitutiones impertinentes ſunt legi diuinæ, quæ in euangelijs cum ſuis expoſitionibus ſufficienter tradita explicatáque eſt. Et hic notandum eſt pro reſolutione materiæ, ſecundum quam reſolutionem omnia dicta & dicenda volo intelligi, quod præcepta affirmatiua Dei, quamuis obligent ad ſemper, non tamen pro ſemper, vt eſt communis regula magiſtrorum. Obligant ergo ſub quadam diſiunctione ad hoc faciendum, vel illud pro iſto vel illo tempore, prout caſus incidit & ſapiens determinabit. Sicut exempli gratia.

Occurrentibus duobus in extrema neceſſitate famis, quorum ſoli poſſum ſuccurrere, teneor ſuccurrere iſti vel illi ſub diſiunctione, & non ambobus ſimul. Et quoniam in communitate Chriſtianorum pauci ſunt qui ſcirent iudicare de tempore certo, quando præcepta affirmatiua facienda ſunt, propterea prælati qui ſapientes ſunt, limitant illa præcepta tanquam ſub quadam diſiunctione obligantia ad certa opera & tempora determinata. Exempli gratia. Lex diuina vult vt aliquando cultus latriæ exterior Deo perſoluatur, ne igitur peccarent homines, aut per ignorantiam, aut per deſidiam & inaduertentiam, limitauit eccleſia certum tempus & certum modum exequendi præceptum ſcil. diem dominicum, & ceſſationem ab operibus ſeruilibus, & miſſæ auditionem. Quoad impleto impletum eſt præceptum illud affirmatiuum, quod ſi peccat quis mortaliter, tranſgrediendo limitationem iſtam eccleſiæ, hoc non eſt propriè ex hoc quod eccleſia ſic præcepit, ſed quia ſic limitare expediebat pro cõmunitate. Et iã homo fit contemptor diuini præcepti & ſuorum ſuperiorũ quibus ſpõte ſe ſubmiſit, aut ſubmittere debuit pro vtilitate ſui & cõmunitatis, cuius eſt pars, quamuis adhuc in talibus limitationibus quædã adducuntur magis ad quandam decentiam quam præcepti neceſſitatem. Et nõ poteſt vniuerſaliter dari regula niſi vt ęquitas quę à philoſophis dicitur epikeia iudicabit, verum eſt enim illud Pſal. Omnia mandata tua æquitas.

Corollarium ſeptimum.

Nulla lex appellanda eſt neque ferenda tanquam neceſſaria ad ſalutem æternam, quæ non eſt de iure diuino in aliquo quatuor graduum, quos lectio pręcedẽs expoſuit. Oppoſitũ ſentientes aut facientes moliuntur iugum imponere grauiſſimum

Digitized by Google

grauiſſimũ ſuper ceruices hominum, & ſpargere laqueos pedibus eorum lapidem & ſcandalum. Quamobrem theologia quæ eſt lex euangelica (dicam melius, eius doctrix & explicatrix) debet in omnibus præcedere prælatos eccleſiaſticos in ſuis conſtitutionibus & decretis, ne vel obſint præceptis Dei propter multitudinem oneroſam, iuxta improperium Chriſti factum phariſæis: vel ne credatur ligare ad pœnam æternam vbi pœna ciuilis ſola reperitur. Doctrina hæc præcipuè locũ habet in materia excommunicationum latæ ſententiæ. Nam qui pro ſolis incommodis temporalibus euitandis, aut commodis politicis conſeruandis æternam vult infligere mortem, cui quæſo ſimilis erit? Illi nimirum qui volens abigere muſcam à fronte vicini, eam ſecuri percutiens vicinũ ſtolidus excerebrauit. Aut ei parem dixerim qui ſtudens curationem modici vulneris in pede equi ſui, pedem confeſtim abrupit & ſcidit, equúmque peremit. Sola itaque cõtumacia vera vel præſumpta, renuens ſtare iudicio eccleſiæ, reddit hominem pro Chriſtiano ſe gerentem dignum excommunicatione. Nam ſi paratus eſt audire eccleſiã, qualiter velut ethnicus nobis erit & publicanus? Porrò differt plurimum qualis eſt contumacia & quam damnoſa eccleſiæ, pro qua materia & circa quã incurritur. Nam peior eſt contumacia in materia fidei & religionis, quam puſillæ quæſtionis de paucis denarijs vbi nunquam tantum prodeſt obedientia, quantum obeſt excommunicatio ſeparatiua à ſpiritualibus ſuffragijs & ſocietate ſanctorum. Ita vt longè mitior ſit proceſſus qui fit in curijs ſecularibus per punitiones corporales ſeu temporales, quam vbi per prælatum præſcindi quæritur anima à Deo vita ſua, & dari ſathanæ in interitum, non ſolum carnis, ſed ſpiritus, ne iam ſaluus fiat ab aliorum auxilijs deſtitutus.

Corollarium octauum.

Occurrente dubio probabili de aliqua lege, vtrum diuina ſit aut diuinę connexa ſeu pertinens, tutius eſt legem illam pro diuina ſuſcipere, quam humanam negligere. Tene certum (conſulit Auguſtinus) & dimitte incertum. Eſt itaque regula magiſtralis, quod exponens ſe diſcrimini peccati mortalis peccat mortaliter, & hanc fundat dictũ ſapientis: Qui amat periculum, peribit in illo. Non tamen de omni dubio, ſed probabili & vehementi hoc verum eſt. Totam in hoc loco materiam de conſcientia erronea, quomodo ligat & quomodo non. Et de perplexitate an ſit poſſibilis, & de ſcrupulis quomodo fugandi ſunt aut deponendi tractare pertinens eſſet, niſi quod alium locum habent & ad euentum feſtinamus. Hoc vnũ generale damus documentum, credere ſcilicet faciliter ſapientiorum & bonorum iudicio, & contra communes eorum ſententias non leuiter ſibimet formare ſcrupulos anxios & timidos, fallor, ſi non ita iubet ſapiens: Fili ne innitaris prudentiæ tuæ. Et rurſus: Noli tranſgredi terminos quos poſuerunt patres tui. Hoc præcipuè neceſſariũ eſt apud religioſos reſpectu ſuperiorum ſuorum, hoc & apud ignaros diuinarum legum, quin etiam iuniores, quamquam theologicis literis imbuti, talem debent reuerentiam ſenioribus, is quibus vita cum ſcientia concordarunt, vt vix propter aliquas nouas ſuaſiones quantumcunque apparentes pertinax vnquam feratur citò contra determinationes eorumdem aſſertio, virtus quippe qualem habebant genitam ex multis experientijs, longè certius arte iudicat & operatur. Porrò iudicium rationis ſicut obtenebratur, & lumina eius radiatio diuerſis vitiatur apparentijs per interpoſitionem nubiloſarum paſſionum & prauorum affectuum etiam in litteratis iuxta ſimilitudinem ſolis viſi per nubes. Sic per paucam inſtructionem intellectus in ſcientijs præſertim diuinis, cauſantur nonnũquam errores in eis qui ſe totos deuotioni tradere dediderunt, dum voluerunt plus ſapere quam ſibi ſatis erat. Ad præsẽs corollarium inducamus exemplum iam inductũ de medico, cuius conſilio aliquando parere debemus ſub pœna peccati mortalis, dum ex tranſgreſſione ſui conſilij vel ſcimus, vel probabiliter & vehementer credimus nos inebriandos, & cõſequenter & tranſgreſſuros legem Dei.

Corollarium nonum.

Saluberrimum eſt ſapientis documentum, quo ait: Quæ tibi præcepit Deus, illa cogitata ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Etenim propter ignorantiam diuinorum præceptorum quam plerumque gignit ſuperuacua occupatio circa traditiones humanas, aut curioſa inueſtigatio rerum penitus inutilium conſurgunt ex conſequenti faciliter tranſgreſſiones diuinæ legis, quod ſi hoc damnabile ſit apud omnes, quantam precor donationem ſibimet accumulant culpabiles in hoc vitio vel eccleſiaſtici rectores, vel religionum profeſſores? Miratus ſum aliquando qua ratione ipſi eccleſiaſtici præſertim ordinati & religioſi prohibentur à ſcientia medicinæ, & non remouentur de facto à ſtudio traditionis humanæ. Nam corpus longè melius eſt quam terrena ſubſtantia, cuius traditiones iſtæ deſeruiunt, quod ſi per alios corpus poteſt curari, nonne ſimiliter per vicarios & alios de eccleſia contemptibiles, prout iubet apoſtolus poſſent temporalia miniſtrari. Nõne ſanctus eſt eccleſiaſticum per ſe Deo ſeruire & mundo per vicarium quam ordine conuerſo, immo peruerſo vicarijs conſtitutis pro ſpiritualibus ſeipſum negare Deo, & tradere totum mundo? Prorſus ita.

Corollarium decimum.

Veritates omnes vniuerſales in quibus fundatur legiſlatorũ hominum poteſtas, ſonãtes quod parem habent autoritatem traditiones ſuæ cum lege diuina, & qui eas ſpernit, Deum ſpernit & Deo reſiſtit, neceſſario debet intelligi ſi & quãdo poteſtate ſua non abutuntur, & dum legibus diuinis ſufficienter innituntur. Autoritates quoque ſanctorum & canones pontificum ſummorum quotquot allegentur ſicut & abſque numero poſſunt induci, nihil aliud poſſunt confirmare. Quãobrem dicimus pro regula, quantum & qualiter licet dubitare de poteſtate alicuius propter defectum debitæ electionis ſuæ, aut abuſum ſuæ autoritatis tantumdem & aliter licet dubitare de obligatione traditionum ſuarum vt ſuæ ſunt, præciſè. Addimus adhuc quod nulla traditio vel regula vel lex vel determinatio puri hominis qui in talibus fallere poteſt & fallit, obligat, vt præciſè talis eſt ſubditos ad credendum eam tanquam veritatem fidei, aut diuinam legem, licet obligare poſſit

Digitized by Google

ſub pœna politica,ad exteriorem eius præceptionem & ad nō impugnandū eam.Exinde patet via ad inueſtigandum particulariter quid operentur determinationes ſummorum pontificum, quid condemnationes articulorum Pariſijs vel alibi factæ. Poterit ſiquidem fieri vt abſq; peccato mortali, immò cum merito magno,ſit aliquis theologus vel alius prudens qui diſſentiat corde ab humanis determinationibus aut traditionibus, qui tamen obligabitur propter euitationem ſcandali vel aliter non repugnare exterius. Nam poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatio permitti. Volumus tamen vt notetur vigilanter modus loquendi noſter de traditionibus hominum vt talium præciſè ſunt,qui fallere in illis & falli poſſunt, quoniam determinationes eccleſiæ vniuerſalis in eis quæ fidei ſunt ab hoc numero ſecluduntur, in quibus nec fallere poteſt nec falli. Fieri quoque poteſt vt determinationes aut leges humanæ participent cum diuinis,& hac ratione eas eſſe pro diuinis ſuſcipiendas neſcit nemo.

Sequitur deinceps quod ſicut ad fidem, ita ad legem diuinam præceptiuam non poſſet aliquis prælatorum quicquam adijcere, quod non eſſet prius de fide vel lege diuina, quamuis non eſſet hoc autoritatiue declaratum,aut humano præcepto ſancitum.

Corollarium vndecimum.

Traditiones eccleſiaſticas & humanas ſicut fatuum eſſet omnes pro lege purè diuina ſuſcipere, ita nihil in omnibus velle de diuinis legibus agnoſcere nequaquam ſcandaloſa temeritate vacaret. Secūda parte,quia notiſſima eſt & conceſſa ab omnibus indiſcuſſa. Ad primam partem inducamus id ſapiētis: Noli eſſe nimis iuſtus,quia qui nimis emungit,elicit ſanguinem. Et vt Terentianum prouerbium eſt: Nonnunquam ſummum ius ſumma iniuſtitia fit, & ſic eſſe in propoſito planè docebimus. Nec audiat ego,ſed Chriſtus, qui mandatum Dei dixi phariſæos fuiſſe tranſgreſſos propter mandata hominum. Dixit inſuper eos alligare onera grauia & importabilia ceruicibus ſubditorum, & claudere eis regnum cœlorum. Verum eſt quippe Iulij Cæſaris apud Salluſtium, vbi intendentis ingenium valet, à qua ſententia vulgatus verſus non diſcordat: Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Subditi verò ſimplices & timorati quando tot traditionibus intendere compelluntur à ſuperioribus ſuis,quid mirum ſi minus capaces redduntur diuinorum præceptorum? quia & minus in eiſdem edocentur,nunquid non acerrimo ſupplicio aut acerbiſſima obiurgatione punietur quandoque pro paruula inobedientia legis humanæ,& abſque omni reprehenſione peccare quotidie contra legē Dei enormiter permitteretur. Non habemus neceſſe exemplis immorari, crebriora cernimus quam vellemus. Ex his eliceo pro doctoribus theologicis doctrinam ſalubrem, ne ſint faciles aſſerere actiones aliquas aut omiſſiones eſſe peccata mortalia, præſertim ſub verbo vniuerſali,& dum prædicandum erit ad populum, à literato quodam & experto viro accepi pernicioſā eſſe in omni arte vel doctrina aſſertionem audacem & extremam maximè vbi obſeruatio communis obnititur,obuiatque. Itaque debet quilibet nunquam obliuiſci quam incerta eſt ſcientia noſtra,ita vt idē ſæpe homo breui momento temporis, nunc in hanc nunc in oppoſitam feratur ſententiam. Fit prætereaquandoque vt per tales aſſertiones publicas nimis duras generales & ſtrictas,præſertim in non certiſſimis nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum,ſed in illud profundius, quia deſperatius immerguntur. Variæ præter ea ſuboriuntur & quaſi infinitæ circunſtantiæ,pro quarum diuerſitate diuerſificari debet iudicium,ita vt vix poſſit aliqua in moribus generalis regula tradi, quæ in particularibus caſibus exceptionem non admittat. Denique generantur ex hinc ſcrupuli inquietatiui conſcientiarum ſimplicium vt in eis ſit ſolidum nihil. Nam & ſi beatus vir qui ſemper eſt pauidus, & qui veretur omnia opera ſua, obſeruandum eſt tamen ſummopere illud Terentianum, ne quid nimis. Et vt idem loquitur, ne in ſcirpo nodum quærant, ne quoque eis improperetur illud eiuſdem: Quid ſi cœlum ruat? Demum quid prodeſt, immo quid non obeſt coarctare plus iuſto mandatum Dei,quod eſt latum nimis? Quid inſuper expedit amarius grauiuſque illud reddere iugum Chriſti, quod ſuaue eſt, & onus eius leue? Nam & ſi contemptus ex hac laxatione & dulcedine apud quoſdam improbos maior oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem. Aſt apud alios bene inſtitutos gratiarum reſonabunt actiones. Præſtabitur etiam ſedulius obſequium Domino & patri tantæ manſuetudinis, cuius mandata grauia non ſunt,& qui vult non tentari & non grauari ſupra id quod poſſumus.

Corollarium duodecimum.

Sicut pœnæ reſtringendæ ſunt, ita leges humanæ grauiter pœnales non ſunt, abſque manifeſta vtilitate multiplicandæ. In prima parte concors eſt omnium iuriſtarum traditio, quos tamen aliquando miratus ſum, dum eos audiui rationem reddentes cur nomen hoc excommunicationis ſi ſolum ponitur,maiorem ſignificat excommunicationem. Excommunicatio inquiunt, non pœna eſt ſed medicina. At verò ſi excommunicatio non eſt pœna, quid aliud pœnam appellabimus? Neſcio verè. Non ſolum pœna eſt,ſed damnoſiſſima pœna. Nec obſtat huic dicto,quod medicinalis eſſe debet,hoc nempe proprium eſt omnis pœnæ,præſertim non exterminatiuè. Secūda pars ſequens ex prima iunctis prioribus condemnat eos qui tanta leuitate ne dicam temeritate, fulminant excommunicationes & irregularitates, cum innumerabili multiplicatione ſtatutorum, quæ vix aliquis non dicam adimplere,non dicam retinere, intelligere & concordare, ſed vel legere tota vita ſufficeret. Vtinam attenderemus omnes & imitaremur benignitatē ſaluatoris noſtri Dei. Poterat (nec eſt dubium) exigere à nobis iuge ſeruitium in præceptis longè pluribus grauioribuſque, ſed condeſcendens fragilitati noſtræ certum & paucum numerum dereliquit præceptorū, quæ ſi compleuerimus quamquam inutiles ſerui ſumus præſeruant à morte. Et quicquid ſupererogauerimus conuertit ad deletionem præcedentium delictorum aut cumulata gloria remunerat. Teſtatur ſapiens per timorem Dei hominem recedere à malo. Ita ſanè melius

quam

Digitized by Google

quam per auſteritatem humanarum legum. Nolumus tamen nec debemus inculpare deuotioné religioſorum, qui perfectionis viam aggreſſi tãto præcepta diuina diligentius implent, quanto cõſilijs & alijs obſeruationibus ſalutiferis ſemet aſtrinxerunt. Sunt fatemur vincula talium alligatura ſalutaris quorum diſcretus vſus non impedit, ſed expedit gradientes viam mandatorũ Dei. Attamen qui poteſt capere capiat, quia non omnes capiunt verbum iſtud. Idcirco aliud de communitate hominum, aliud de paucitate eſt iudicium.

Corollarium decimumtertium.

Omnis lex humana vel poſitiua poteſt abrogari in eo quod non neceſſariò participat cum naturali & diuina. Hæc autem abrogatio fit, vel per conſuetudinem oppoſitam, iuxta quod dicunt iuriſtæ & verum eſt, quod conſuetudo eſt optima legum interpres. Nec vnquam dicenda eſt corruptela, niſi vbi legem diuinam aut naturalem lædere conuincitur. Nam ſicut conſuetudo dicit alteram naturam, ſic lex conſuetudinis quaſi lex naturale habenda eſt. Fit etiam abrogatio per expreſſam aut interpretatiuam reuocationem factã ab illo qui condendi habuit poteſtatem. Fit denique abrogatio cauſa manifeſtę damnationis, ſi lex illa ſeruaretur. Patent hæc omnia ex deſcriptione & conditionibus legis bonæ, quoniam honeſta eſſe debet, iuſta, poſſibilis, iuxta naturam & conſuetudinem patriæ, loco temporique conueniẽs, neceſſaria, vtilis & manifeſta, vt habetur ex dictis Iſidori. Ex his liquidè conſtat quam temerarium eſt & iniquum velle omnia decreta ſiue eccleſiaſtica ſiue ciuilia ad omne tẽpus, ad omnem gentẽ & patriam extendere, quoniam lex quæ pro vno tempore & loco aut perſonis eſſet vtilis, eſſet in alijs tempore, loco & perſonis impoſſibilis, aut damnoſa, immo velle ſic omnia ſtatuta ſtabilire, hominum eſt delirantium, & quaſi contendentium vt oppoſitæ leges ſimul obſeruentur. Hic fundant ſe qui dicunt non ita expedire vnum imperatorem dominari omnibus ciuiliter, ſicut vnũ papam ſpiritualiter, quoniam lex fidei vna eſt apud omnes, non ita leges fori. Præterea poſitum eſt in decretis di. 4. quod leges inſtituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus vtẽtium approbantur. Igitur per argumentum à contrario ſenſu: Si moribus vtentium nequaquam approbantur, illæ nullum habent firmamentum, & ita populus habet multum in ſua poteſtate dare robur legibus aut tollere præſertim ab initio.

Sunt autem hic quæſtiones difficiles, qualis. ſ. debet eſſe conſuetudo ad abrogandum legem aliquam & quanti temporis. Et ſi poſſit conſuetudo introduci contra legem illam quam cum renouatione iuramenti quilibet intrans aliquam politiam profitetur, & quid ſit interpretatiuè renouare (aliàs reuocare) dicimus autem quod vbi non eſt taxatum tempus à legibus alijs, debet fieri abrogatio prout ſapiens iudicabit, nunc tardius, nunc citius iuxta neceſſitatis aut vtilitatis qualitatem. Nobis inſuper dicendum videtur quod multæ inſtitutiones, ad quarum obſeruationes videntur omnes ſe quotidianis iuramentis aſtringere, quas tamen obſeruare non tenentur, non quod periurium ſit licitum, ſed quia iuramenta talia ſunt ſemper intelligenda ciuiliter. Horum

A exempla ſumere poſſumus in præclara vniuerſitate Pariſienſi & in eccleſiarum alijs collegijs. Conſtat quod nouiter intrantibus dictam vniuerſitatem vel collegia, leguntur explicitè conſtitutiones aliquæ inter cæteras quæ nullatenus obſeruantur quibus lectis petitur ab eis. Vultis iſta iurare? Qui reſpondent. Ita iuro, nec aliquid excipiunt, quod ſi quis dixerit omnes præſentes tam eos qui exigunt, quam illos qui preſtant iuramentum criminaliter deficere, videat quomodo tot & tales ſummæ literaturæ & probitatis viros

B poſſit abſque temeritate damnare. Propterea in omni iuramento vt conditiones multæ ſubintelligantur neceſſe eſt.

Primò in omni conſtitutione per ſuperiorem edita reſeruatur ſemper eius autoritas, immo nec poteſt excludi, quantumcunque aliquis iuret ſe nolle vnquam in poſterum vti diſpenſatione ſeu relaxatione per ſuperiorem facienda, quin ſuperioris autoritas ſit in hoc ſuperior. Et ita vnus habet in priuilegijs per ſummos pontifices collatis

C tam in vniuerſitatibus quam officiarijs dominorum, quamuis aut videretur eſſe tutius explicare ſuam intentionem in principio iuramenti, iſtud tamen non exigitur ad euitationem periurij, nam à lege ſufficienter explicatur.

Rurſus iuramentum ſicut & votum non obligant vbi vergunt palam ad deteriorem exitum, idcirco recipiunt diſpenſationem aut relaxationem aut commutationem, vt ſapiens præſertim ſuperior iudicabit. Amplius iuramentum non

D plus debet obligare quam voluerit aut rationabiliter velle debuerit obligare ordinator talis iuramenti, & in eius fauorem fit. Hinc ſaluatur quod dictum eſt de præſtatione iuramenti apud vniuerſitates & collegia ſuper multis quæ manifeſtum eſt nullo modo cuſtodiri. Habenda eſt itaque præſumptio quod exigentes talia iuramenta non intendunt obligare ad ea quæ nec ipſi nec patres eorum obſeruarũt. Sed ſubintelligitur ſemper & ſi non explicetur hæc aut ſimilis additio. Si & quantum rationabiliter talia cadunt ſub

E iuramento iuxta conſuetudinem & vtilitatem politiæ, de hoc rurſum infra dicetur.

Et ſi per peccatum etiam poſſit aliqua lex abrogari aut per malitiã ſubditorum. Puto enim quod ſic & quod ad multa agenda vel omittenda prælatus aliquis poteſt obligari propter generalem malitiam aut errorem ſubditorum, quorum oppoſita aliquando agere vel omittere tenetur, ſicut in materia nunc currente dixiſſe & ſcripſiſſe memini, quod etiam vbi via ceſſionis fuiſſet minus

F bona, tamen acceptare eam debebat Dominus Benedictus. ſ. Petrus de luna, attẽta deliberatione regis Franciæ & aliorum ſubditorum ſuæ obedientiæ. Sed de his alibi &c.

Poſtremò cẽſendus eſt ſuperior reuocare ſuam legem poſitiuam de qua ſuper loquimur, quando cognoſcit ſubditos paſſim & publicè illam tranſgredi, & patitur neq; contradicit, aut ſi cõtradicit, tamen damnoſè contradicit, aut ſolis verbis cum deberet vti factis. Notetur hic ſanctus Thomas. Item Gaudentius. Ad hoc corollarium principale eſt exemplum multiplex in corpore decretorum, vbi magna pars etiam eorum quæ ſtatuerunt gé-

Digitized by Google

neralia concilia,non ſeruantur. Nam & in primo vigore eccleſiaſticæ diſciplinæ multa ſeuero rigore ſtatuta ſunt, quæ modo defluentibus in peiora moribus non ſolum inutilem ſed impoſſibilem haberent executionem. Hoc attendens legiſlator noſter Chriſtus vir ſapientiſſimus, iudicialia omnia tanquam variabilia reliquit eorum iudicio,quibus dixit:Qui vos audit,me audit,ita tamen vt nouerunt ſe poſitos ad ædificationem, non ad deſtructionem & vt ſecundum legem Dei quæ regula eſt generalis omni Chriſtianæ religionis profeſſorum ſub vno abbate Chriſto,ipſi iudicent,eam non ampliantes, neque reſtringentes, neque duriorem facientes quam expreſſerit Chriſtus, qui iugum ſuum dixiſſe eſſe ſuaue, & onus leue. Non enim plus habent in poteſtate prælati eccleſiæ ligare ſubditos ad aliqua quę non ſunt tradita in regula euangelica profeſſa ab omnibus Chriſtianis,quam habent abbates ſuper religioſis ſuis ad obligandum eos præter regularem profeſſionem ſuam,de quibus tamen eſt ſententia ſancti Thomæ & aliorum doctorum concorditer,quod non poteſt abbas monacho pręcipere aliud quam in regula ſua profeſſus fuerit. Hæc enim eſt voti obedientiæ interpretatio quod eius profeſſores ſecundum regulam obedientes ſe præſtabunt.

Corollarium quatuordecimum.

Velle omnes excommunicationum & ſuſpenſionum & irregalaritatum inſtitutiones quæ ſcriptæ ſunt, pro non abrogatis exequi, videtur irrationabile & legibus tam diuinis quam humanis aduerſum. Conſtat enim omnes huiuſmodi conſtitutiones aut ferè omnes eſſe de iure poſitiuo purè. Conſtat prætereà multas earum in diſſuetudinem veniſſe per non vſum aut vſum cõtrarium ſcientibus prælatis, nec obuiantibus, immo nec obuiare debentibus. Conſtat denique quod tãta eſt huiuſmodi inſtitutionum multitudo,quam ſi teneretur in ſuo rigore, maxima pars eccleſiæ dãnaretur, & charitas qui eſt finis totius legis etiam diuinæ læderetur. Attamen omnis lux tantum præciſè habet de bonitate & ſtabilitate,quantum participat de charitatis lege quę eſt finis præcepti, & ſecundum quam deberent cætera moderari. Et quoniam materia iſta de excommunicationibus perplexa eſt confuſéque tractata, ego aliquas propoſitiones examinationi ſuperiorum ac prudentiorum decreui proponendas abſque aſſertione earum quas ipſi aſſerendas iudicauerint ad quos ſpectat.

Prima propoſitio. Expediens videretur nullam excommunicationis ferri ſentẽtiam, niſi pro manifeſta contumacia, qua ſe mõſtrat aliquis audire eccleſiam non paratum. Ratio eſt, quoniam dum ſemper paratus eſt audire eccleſiam, cur habebitur ſicut ethnicus & publicanus? Cur ab eadem præſcindetur? Hoc tenet Scotus in 4. ſententiarũ diſtin.25. & allegat ad hoc textum Chriſti,in quo fundata eſt auctoritas excommunicandi, & correctionis fraternæ. Et hic ſumitur validum contrario ſenſu argumentum. Iuxta hoc videre eſt qualiter impoſſibilitas parandi mandatis eccleſię, facit vt quis apud Deum nulla ſit excommunicatione ligatus, quod ſi talis impoſſibilitas notoria ſit,impedit ne quis poſſit ab eccleſia per excommunicationis ſententiam iuſtè ſeparari. Ad hoc A videtur vſus eccleſiæ dum quis excommunicatus pro debitis abſoluitur, dum cedit bonis ſuis omnibus,quia facit in hoc vltimũ eius quod poteſt. Cæterum dum aliquis ex ignorantia quamquam culpabili, aut ex infirmitate & paſſione vitioſa, non tamen contumaci, facit aliquem actum pro quo ſtatuta eſt ſentẽtia excommunicationis latæ ſententiæ ab aliquo prælatorum, videant iuriſtæ & iudices ſi talis poſſet dici excõmunicatus ipſo facto,cum ſemper ſit & fuerit prõptus ſtare correctioni B eccleſiæ ſuper delicto ſuo, prout ſupponitur, quia non ex contemptu clauium & iuriſdictionis eccleſiaſticæ,ſed aliunde motus (vt dictũ eſt) malum fecit. Non enim quælibet inobedientia contumacia reputatur & c.

Secunda propoſitio. Expediens videretur vt nullus teneretur alium vitare quantumcunque excommunicatum à iure, niſi poſtquam denunciatus fuerit eſſe talis à ſuo iudice. In omni quippe alio caſu ferè poteſt homo rationabiliter præſumere proximum ſuum non eſſe excommunicatum, C & oppoſitum faciens exponit ſe frequenter diſcrimini peccati mortalis alienum ſeruum temerariè iudicando. Exempli gratia. Video fortem interficere ſacerdotem, aut eum vulnerare. Si iudicio ſortem excommunicatum, poſſum errare, quoniam vel à iudice potuit habere mandatum vt hoc faceret, vel ebrietas aut furor eundem excuſat, aut aliquid aliud interuenit, propter quod in iudicio contentioſo dum ad illud venerit abſoluetur. Præterea quicquid ſit in præſenti D facti, neſcio tamen infra biduum an à ſuo iudice fuerit abſolutus,quam abſolutionem neque mihi neque cæteris tenetur nũnciare. Secus eſt dum iudicialiter eſt cõdemnatus, quia iudicio publico debet abſolui,ſi nõ vult euitari. Quęreret aliquis. Quid operantur tunc excommunicationes latæ ſententiæ per canones? Reſpondeo ſicut accepi à præceptore meo, eas tantumdem operari vt abſq; proceſſu aliò iudiciali, aut noua conſtitutione poſſit iudex ſtatim probato facto, vel confeſſato ferre iuris ſententiam & eandem publicare, non E ſic vbi canones eſſent ſolum ferendæ ſententiæ, quoniam monitiones & proceſſus ſecundum terminos iuris præquirerentur multiplices.

Ex eadem radice videtur quod nullus parochianus debet euitare curatum ſuum, à ſuis myſterijs publicè ſeparando, niſi præuia ſui ſuperioris ſententia fuerit publicatus,dum enim tolli quantum poſſibile eſt à ſubditis occaſio rebellionis ad ſuperiorem,& diuiſionis inter ſe,& temerariæ dijudicationis cuiuſcunque alterius, quoniam iſta ſunt F peccata grauiſſima. Sed dare licentiam vel præceptum confuſum quod ſubditi vitẽt curatos ſuos, non præuia ſententia & publicata, eſt eos prædictis peccatum periculis exponere. Itaque cum laici clericis ſint infeſti, poterunt leuiter dicere de ſuis curatis quod ſint fornicatores publici ſi forte colloquium vel conſortium modicum viderint apud eum cum mulieribus. Rurſus & ſi curatus fuerit heri fornicator, potuit tamen pœnitere,& ſecundum iudicium ſui ſuperioris & confeſſoris obtulit ſe dimiſſurum concubinam ſuam tempore & loco, quia non ſubitò tenetur ſemper hoc facere, ſicut nec pœnitens aſtringeretur remo-

Digitized by Google

remouere ſubitò à ſe quicquid fuit aut eſt occaſio peccati,tunc parochianus vitando iſtum verè abſolutum quomodo non peccabit, non autem leuiter ſuſpicari nunc aut alias quod vero careat beneficio abſolutionis, niſi dum per ſententiam iudicis fuerit vt talis promulgatus. Sed tunc tamdiu vitabitur quoaduſque fuerit publica denunciatione nouiter abſolutus. Adde quod ſtabit tunc eſſe diem dominicum,dum parochiam primò inciperet ſuſpicari vel iudicare quod curatus ſuus eſt fornicator & publicus & ita vitandus, quid aget in hoc caſu? aut vitabit eum, & hoc erit contra præceptum eccleſiæ de audiendo miſſam die dominico,quia aliam vt ſuppono non poterit illo die procurare,aut communicabit,& hoc erit contra conſcientiam,& ædificabit ad gehennam. Poterit etiam falli (vt dictum eſt) de impœnitentia ſacerdotis forte pœnitẽtis & abſoluti iudicando, immo eum potius debet iudicare pœnitentem & bonum quam oppoſitum, cum ſubitò potuerit à ſpiritu ſancto viſitari & pœnitere,& cõfeſſionem actu vel voto perficere. Poſtremò quis nõ videat hanc licẽtiam eſſe fomitem ſciſmatum inter ſubditos, alijs dicentibus de curato, quia bonus eſt, alijs non, ſed vitandus, quia nec eſt par omnium affectio,nec par diſcretio, nec par eorum quæ iuris & facti ſunt cognitio. Obijcitur fortaſſe nobis illa decretalis cum ſuis gloſſis, quæſitum de cohabitatione clericorum & mulierum, vbi per argumentum à cõtrario ſenſu trahitur, quod fornicator notorius qui.ſ.nulla tergiuerſatione negari poteſt eſſe talis,vitandus eſt,etiam non expectata ſuperioris ſententia. Hic dicimus aliqua vel quod conſuetudo oppoſita, & prælatorum tolerantia quæ non executa eſt hanc decretalem in curatos & ſubditos ,interpretatæ ſunt illam legẽ non eſſe ſeruandam, vel quod ante ſententiam ſuperioris & quamdiu toleratur,nihil propriè debet ita notorium crimen à ſubditis reputari, quin aliqua poſſit tergiuerſatione negari. Iuſtè quidẽ, aut propter inſpirantem gratiam, vt dictum eſt, quæ neſcit viſitando tarda molimina,aut quia neſcitur operantis intentio aut cauſa. Nonne poſſet mulier in caſu frequentari à curato, pro ſua conuerſione? ſicut egerunt aliqui ſanctorum erga publicas meretrices. Sic preſbiter etiam meritoriè tradi poſſet morti. Ad hoc facere videtur decretalis immediatè præcedẽs. Multa inſuper decreta quæ non loquuntur in hac materia niſi de ſacerdotibus ſententialiter condemnatis ſi bene videantur,aut ſi aliqua ſonant aliter, poteſt eis non incongruè interpretio talis adaptari. Et videant obſecro oppoſitum ſentientes, quam irrationabile ſit,vt prælatus communicet cum curato parochiali,ſaltem dum tolerat eum ſcitum eſſe talẽ, & parochiam eundem euitare non dico poterũt, ſed debebunt . Quod ſi quæſierit aliquis quid valebit ergo iſta diſtinctio famoſa inter fornicatorem notorium & non notorium ? Planè ad hoc quod notorius poteſt alio iuris ordine protinus condemnari per iudicem. Alius non niſi teſtibus legitimis iuris ordine prius victus. Iuxta hoc elici forſan poteſt intellectus, quod debet fornicarius notorius euitari, quia ipſe poteſt aut debet ſtatim iudicialiter pro euitando iudicari. Iudicari dico non à ſubditis,ſed prælatis, conſuetudo immo & vtilitas publica videntur pro hac A interpretatione militare,& hanc reddere non diſtortam. Pro dictis omnibus ſunt gloſſæ ordinariæ, Auguſtinus, & Ambroſius ſuper illo. 1. ad Cor.5. Si quis frater nominatur &c. Similiter diceremus de ſentẽtijs promulgatis generali modo loquendi abſque nominum expreſſione per eccleſias,vt dicendo, excommunicamus omnes ſortilegos,omnes impedientes iuſtitiam eccleſiaſticam,omnes qui talem rem ſurripuerunt &c. Talis modus loquendi generalis confuſus non ligat vt videtur audientes ad euitandum illos quos in B particulari tales cognouerunt, niſi per iudicium tales eſſe nominatim promulgentur. Non enim parem habet efficaciam generalis modus loquẽdi cum ſpeciali. Sicut ſacerdos literatus poteſt dicere quod omnis fur eſt ſuſpendendus,nec irregularitatem incurrit,quia innoderetur ſi diceret,hic fur ſuſpendio meruit interimi. Aliæ cauſæ patent ex prædictis. Denique ratio ad propoſitionem eſt, quoniam magna eſſet pœna, magnum inſuper eſſet diſcrimen conſcientiarum apud innocentes C ſi propter aliorum delicta ipſi paſſim & abſque iudicio tenerẽtur excommunicati. Audiui de papa Vrbano quinto,quod gloriabatur ſe papam eſſe, ob hanc præcipuè cauſam, quod nullis pœnis excommunicationum & irregularitatum erat obnoxius, qui ſi dixiſſet proximos ſuos ſicut ſe ipsũ, & hoc aduertiſſet,relaxaſſet fortaſſis tot laqueos, tot onera,tot pericula ab eorum ceruicibus, vt aliquali & ſi non pari ad ipſum libertate gratulari potuiſſent.

Tertia propoſitio. Expediens videbitur vt omnes D ſententiæ excommunicationis, quarum vſus nullus eſt, aut plus obeſt quã proſit, tã in eccleſia vniuerſali,quam in prouincijs & diœceſibus expreſſa reuocatione ceſſarent. Rationabilitas patet ex præmiſſis. Et ſi conſideremus quod excommunicatio quęlibet medicinalis eſſe debet,ſicut finis amaræ potionis eſt ſanitas, ita finis excommunicationis eſt emendatio aut conſeruatio charitatis & vnionis in ſubditis. Propterea quandocunque excommunicatio veriſimili coniectura non præſumitur E vtilis reipublicæ, nec ſubditorum correctionem afferre,illa debet omitti. Tunc enim locum habet quod dicit Auguſtinus li.2. contra epiſtolam Parmeniani in decretis.23.q.4.1.q. 8. quotiens. ſupra e. Ipſa pietas.& 9.qu.1.ordinationes. Reuera cum contagio peccãdi multitudinem inuaſerit,conſilia ſeparationis id eſt excommunicationis & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia impia & ſuperba ſunt & plus perturbant infirmos bonos quam corrigant animoſos malos. F Et Gregorius de quibuſdam peccatibus ait: Vnde nec à tali conſuetudine auerti poſſunt, & ideo cũ venia ſuo ingenio relinquendi ſunt. Et Matth. 13. dicebat Chriſtus dimittenda eſſe zizania ne eradicaretur triticum. Sic palea dimittitur cum grano donec illud introducatur in horreum. Sic ſagena eccleſiaſtica omne genus piſcium congregat nec ſeparat, præterquam in litore finalis iudicij. Sic Iudas cum apoſtolis dimiſſus eſt. Sic Iebuzæus inter filios Iſrael, ſic peſſima (dicit Hieronymus) ſemper cum optimis iuncta eſſe. Sic tolerati ſunt filij Iſrael dare exteris ad vſuram & vti bello repudij, ſic hodie permittuntur meretrices

Digitized by Google

ne vitijs deterioribus omnia confundantur. Propterea dicit Auguſtinus vbi prius: Non poteſt eſſe ſalubris à multis correctio, niſi cum ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem. Cum verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud reſtat bonis quam dolor & gemitus, vt per illud ſignum quod Ezechieli ſancto reuelatum eſt, illi: ſic euadere ab eorum infeſtatione mereantur. Deſcendendo ad particularia poſſunt concluſiones morales elici ex locis & temporibus quando expedit & quando non, in peccatores vt ſunt fornicarij, & ſciſmatici, & vſurarij, & ſimoniaci excommunicationes promulgari. Prælati enim non ſolum poſſunt, immo debent ab excommunicationibus aut irregularitatibus ferendis deſiſtere, aut iam latas tacitè vel expreſsè reuocare contra vitioſos, vt ſunt fornicatores publici vel ſciſmatici, ſi non vitium tale adeò in quibuſdam partibus inualuerit, quod non excommunicationum vel irregularitatum ſententias nullo modo præſumitur corrigi, ſed deteriores effici delinquentes. Et in hoc veritatem habet quod dictum eſt: prælatos ad multa non teneri propter incorrigibilitatem ſubditorum ad quorũ oppoſita ipſi ſi corrigibiles haberent ſubditos tenerentur. Porrò quid ſit reuocare, tacitè iam diximus corollario 13. Ex his videtur aliquibus tẽpora mala conſiderantibus quam non expedit ferre ſententias excommunicationum generales in fornicarios ſacerdotes & iubere quod à ſubditis euitentur. Rigor enim eccleſiaſticæ diſciplinæ vix credi poteſt quantum laxatus ſit, ſed & nulla & rara ſit electio in ſacerdotum introductione, propterea malum iſtud tam latè ſerpit quod multiplicatur inutiles & lubrici in ſacerdotes, de quibus ſtultiſſimum eſt ſperare quod poſt ſuſceptum ſacerdotium caſtior ſit eorum vita & honeſtior & non potius diſſolutior, quanto iam habent illud à quo prius ex mala vitæ fama formidare poterant expelli. Quanto ſtultius igitur, immo iuxta verba Auguſtini quanto pernicioſius, iniquius & ſacrilegio ſimilius eſt velle tales effrenatiſſimos per excommunicationum ſententias compeſcẽre, quæ profectò non tam eos corrigunt quam inficiunt, non ſolum eos ſed parochianos cum eis conuerſantes. Nonne melius eſſet nocẽtes quoſdam impunitos remanere, quam punire innocẽtes: Iuſtè quidem poteſt aliquando malitia tolerari, innocentiam puniri nunquam. Puniuntur autem parochiani dum conuerſatio curatorum eis interdicitur, dum ſcrupulis grauiſſimis conſcientiarum inquietãtur. Sed diceret aliquis peccata igitur vis remanere impunita? Sic abſq; freno pœnę corruent omnes in flagitia, ſic omnis eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor abſcedet. Abſit vt hoc velim, laudo medicinam, ſed non eam quæ vulnus augeat aut vitam tollat, fiat à radice morbi curatio, non eligantur ad ſacerdotium incorrigibiles, non indiſciplinabiles, alioquin ſibi deputent prę lati qui tales elegerunt. Et ſi tales Deum quotidie in ſuis præceptis tam impudenter contendunt, quid mirandum aut vindicandum ſi leges humanas & ſtatuta nihili pendunt quas etiam vident à ſuis latoribus non ſeruari, cum tamen rectè iuſsũ ſit, patere legem quam ipſe tuleris. Deniq; ſi cauſa ſit vt meretrices tollerentur, dicunt ſic opinantes quod maior eſt ratio tolerãdi ſacerdotes fornicarios, nec rigorẽ talẽ ſeruãdi ſicut ab initio, quemadmodum ante tẽpora Gregorij noni maiori rigore hæc vt alij dicũt diſciplina tenebatur. Hinc reſpondẽt ad quædã dicta ſanctorũ vt Thomæ & aliorum peccare eos dicentium, qui à fornicarijs miſſam audiunt, nec excuſare eos propter negligentiam prælatorum. Tunc enim vel vigebat amplius timor Dei & diſciplina Chriſtianæ religionis, ita vt poſſit leuiter talis lex exequi. Vel inexperti forte erãt hi doctores quam generale & quã radicatum ſit hoc malum, & quomodo deteriora flagitia circa vxores aut filias parochianorum & abominationes horrẽdæ in alijs prouenirẽt apud multas patrias, rebus ſtãtibus vt ſtant, ſi quęrerentur tales per cenſuras arceri. Scandalum certè magnum eſt apud parochianos curati ad concubinã ingreſſus, ſed longè deterius ſi ergo parochianas ſuas non ſeruauerit caſtitatem. Multos itaq; compertum eſt ex ſanctis doctoribus fuiſſe quos inexperientia temporum fefellit, & locuti ſunt, non quid fieri poſſet aut expediret, ſed quid diſtricta iuris diuini vel humani regula faciendum eſſe dictaret. Hi dum ad experientiam difficultatum, & temporum hominum incorrigibilitatem veniũt, mutant plerumq; ſententiam dicentes quod & ſi talia mala ſunt quę aguntur à ſubditis, tolerare tamen magis illa expedit, quam cum periculo deteriori ea velle ad vnguem reſecare. Quocirca peccant non mediocriter quidam ex religioſis ſolitarijs, qui dum vitam attendunt prælatorum, dum ſubditorum effrenatam malitiam intuentur, confeſtim murmurãt, & mox inaudita parte ipſi condemnationum fuerunt ſententias in abſentes, eos quoque rodunt & deuorant, non aduertentes ſcilicet inexperti rerum, quam difficile & frequentius impoſſibile ſit omnia ad normam æquã flectere. Vtinam hi ſaperent & ſuper ſeipſos oculum retorquentes & intelligerent quot lites amaras, quot defectus culpabiles tolerare cogitur quilibet in ſeipſo, nec ſufficit tali ſollicitudine ſe vnũ ſufficienter emendare. Ipſi vtiq; parcius alios arguerent, qui beluam tot capitum vnam loquor dioceſim aut regnum non per omnia regulatã habent, & profectò iuxta comici ſententiam, ſi huiuſmodi eſſent in loco. ſ. prælatorum, aliter ſentirent, aliter iudicarent. Hæc dicimus non ad excuſationem inertię damnabilis quorundã ſuperiorũ deſtruentium peſſimis exemplis viuendi & moribus factiſq; reprobiſſimis vitam ſubditorum, ſed vt boni quicquam in multis deficiant non acerbius iuſto mordeantur. Quarta propoſitio. Expediens videretur inſtitutio, aut iam inſtitutorum talis interpretatio, vt ſolus excommunicatus aut ſuſpenſus à iudice, & non à ſolo iure contraheret irregularitatem immiſcendo ſe ſacris, & talis ſolus iudicialiter condemnatus à poteſtate abſoluendi in foro conſcientię ſpoliatus cenſeretur. Primum ideo dicimus quia non ſtatim aduertit aliquis ſe excõmunicationẽ à iure de facto latã contraxiſſe, quod ſi in tali neſcientia immiſcuerit ſe ſacris, aut aliorum cõſortio ſe iunxerit, durũ videretur talẽ eſſe irregularem, & tali irregularitate à qua ſolus papa poſſet abſoluere, hinc contẽptus apud multos aut ſcrupuli varij, & pericula maiora quã dici poſſunt oriuntur. De excõmunicatione minori

quo

Digitized by Google

quo ad irregularitatem non contrahendam eſt
expreſſa decretalis. Similiter de ſuſpéſione patet
quoniam oppoſitum non eſt expreſſum in iure.
Pœnæ autem nequaquam ampliandæ ſunt. Circa
quod mirantur aliqui quomodo decretalem il-
lam. Cum medicinalis, quidam retorquēt ad pro-
bandum quod omnis ſuſpenſus à iure ſit irregu-
laris ſi ſe ſacris immiſceat quoniam ibi fit ſermo
de vna tantummodo ſpecie ſuſpenſionis & in
caſu certo. Alia autem decretalis ab eiſdem alle-
gata loquitur de ſuſpenſis ab homine. Secundam
partem propoſitionis idcirco poſuimus, quoniā
ſi oppoſitum teneatur attentis rebus vt turbatæ
ſunt in eccleſia, tota ferè Chriſtianitas fraudata
eſt beneficio confeſſionis ſacramentalis. Quod
ſic oſtédimus. Si omnis excommunicatus à iure,
aut ſuſpenſus aut irregularis, perdit poteſtatem
abſoluendi ſacramentaliter, quia perdit (vt dicunt
iuriſtæ) iuriſdictionem omnem in alios, talis in
foro conſcientiæ nequaquam abſoluit. Sed ma-
xima pars eorum qui confeſſiones audiunt, inci-
dit ſæpe in ſuſpenſionem aut irregularitatem &
excommunicationem, & hoc vel participando
cum ſuis parochianis excommunicatis, vel te-
nendo publicè concubinas, vel dum ſunt infa-
mati vitio aliquo publico, vel ſimoniaci, vel mer-
catores publici, vel ex alijs centum radicibus, tam
apud religioſos quam alios. Formidabunt igitur
ſemper ſubditi, an fuerint ritè & verè ſacramen-
taliter abſoluti, & hoc rationabiliter in tanta ſen-
tétiarum multiplicitate. Hoc autem aſſerere quā-
tum ſit periculum & ſcandalum, prælati viderint
& iuriſtæ. Pro hac parte ſecunda propoſitionis
facit decretalis, quæ monet vt in neceſſarijs ſub-
diti communicent cum curato ſuo, qui tamen
quandoque ſuſpenſus eſt, vtpote cum fornicario
publico. Conſtat autem quod confeſſio eſt ne-
ceſſaria. Si verò non poteſt abſoluere ſacerdos
excommunicatus à iure aut ſuſpenſus, fit illuſio
talibus ſubditis, quoniam nec ſacramentaliter
abſoluentur, nec finaliter aliud reportant quam
ſcrupulos, dum poſtmodum audiunt ſacerdotes
ſuos poteſtatem abſoluendi caruiſſe.

Quinta propoſitio. Expediens videretur vt
nulla ſententia excommunicationis ferretur niſi
pro contumacia facta in rebus purè ſpiritualibus,
& vbi tranſgreſſor vergit manifeſtè in diſſipatio-
nem fidei & ſuæ libertatis, ſicut eſt de hæreticis &
ſciſmaticis eorumque fautoribus, ſicut de inter-
dicto diceremus. Excommunicatio ſiquidem
baculus eſt purè ſpiritualis, propterea non vide-
retur rationabiliter aſſumenda ad protectionem
rerum temporaliū & quaſi profanarum, quoniam
res temporales non debent conſeruari vel repeti
cum maiori detrimento eorum à quibus repe-
tuntur, quam ſit vtilitas prouenìens apud repe-
tentes. Sed excommunicatio maius damnum in-
fert quam ſit vtilitas alia temporalis. Præterea
non debet eccleſia grauius punire delinquentes,
ciuiliter quam ſecularis poteſtas. Oppoſitum ta-
men fit dum propter contumaciam cadentem in
cauſa rerum temporalium iudex eccleſiaſticus in-
carcerat & ligat animas grauiſſimis excōmunica-
tionis vinculis. Iudex vero ſecularis ſola corpo-
rum detentione contentus eſt. Rurſus non eſt vſ-
quequaque certum, an ius diuinum conceſſerit
prælatis iuriſdictionem temporalem immediatè;
A aut ſaltem eius exercitium, ſicut Chriſtus illud à
ſe abdicauit, aut ſi hoc conſtare poteſt remaneret
tamen incertum; ſi iuriſdictionem ſecularem ex
conſuetudine vel dono principū conceſſam, ſibi
poſſit eccleſia per iuriſdictionem ſuam purè ſpi-
rituale exercere, proſequi & defendere. Sicut ha-
bet eccleſia iuriſdictiones temporales, habeat ipſa
& carceres, & alios coercendi modos, etiam cor-
porales, quæ coercio corporalis, licet apud groſſè
intelligétes & carnales auſterior iudicaretur, quis
tamen fideli mente proſpiciés negauerit excom-
B municationem pœnam longè deteriorem excel-
lere? immo ſecundum dicta ſanctorum, morte
corporali deteriorem exiſtere. Si autem non pro
qualibet contumacia infligitur mors apud prin-
cipes ſeculares, quæ eſt iſta eccleſiaſticæ libertatis
manſuetudo, vt paſſim pro ſimilibus aut minori-
bus culpis ſpiritualem inferat mortem? Denique
dixerim iſta non ad detrahendum factis prælato-
rum, ſed vt occaſio præſtetur maturius in hac re
ſtatuendi & tollendi tot vexationes incredibiles;
C quis pauperibus laborantibus promotores curia-
rum & alij quidam his baculis fulti pręſtāt in con-
temptum Dei damnationem prælatorum, & ec-
cleſiaſticæ iuriſdictionis irriſionem. Amplius iſta
non ſunt ad determinandum quæ diximus in his
propoſitionibus, præſertim vbi textus iurium pa-
lam repugnare, viderentur. Sed datam volumus
eſſe occaſionem ſtudendi iura illa, & mitiori in-
terpretatione ea dijudicandi, quam faciant quidā
ad pauca aſpicientes, & qui de facili enunciāt pro
D aliorum illaqueatione, illibertatione & damna-
tione. Sexta propoſitio. Expedientius eſt in mul-
tis defectibus illos vel tolerare vel ad bonum finē
ordinare, quam per fulminationes ſententiarum
& condemnationum, aut per prædicationes rigo-
roſas eos conari funditus extirpare. Ratio patet
ex præmiſſis. Vnde præcedentia facta ſanctorum
nos docent, qui multa quæ malè fieri videbant &
nequibant corrigere, vel tolerabant vel ad aliquē
finem bonum ordinabant Sic idololatrarum ſu-
perſtitio facta in Februario ob honorem Februæ,
E tranſit in honorem virginis matris. Sic honor Au-
guſto Cæſari præſtatus in honorem Petri eſt con-
uerſus. Sic Pantheon templum omnium idolorū
vertit papa in eccleſiā omnium ſanctorum. Forte
tali arte poſſent encœnia, quę prima die anni mit-
tunt homines ad bonum finem trahi. Sic natiui-
tatis ſuę celebratio apud quoſdam principes Chri-
ſtianos ad gaudium de ſuo baptiſmate poſſet re-
torqueri. Hęc enim agere facilius eſt, quā torrenti
conſuetudinis pertinaciter obniti velle. Hoc mo-
F do docendi ſunt omnes habere oculum ſimpli-
cem, oculum intentionis rectum, quo habito me-
rebuntur in multis, vbi alias graui ſe delicto con-
ſtringerētur. Exempli gratia de celebrātibus miſ-
ſam ſumpta pecunia, de euntibus ad horas cano-
nicas in eccleſijs, & ad obitus ſpe diſtributionum
de dantibus & accipientibus curas & beneficia ad
cenſum annuum, de recipiētibus pecunias in col-
latione ordinum, de prædicantibus pro mercede,
de quærentibus placere in ſuis actibus & ſermo-
nibus publicis & artificialiter ob hoc ordinatis,
de habētibus plura beneficia, & ſimilibus, in qui-
bus peccant multi ob defectum doctrinæ & re-

ctificationis ſuæ intẽtionis, quibus alioquin mer-
ces deberetur. Tangamus hic ad extremum per-
functoriè modum rectificandi aliqua ex præmiſ-
ſis. Si quis celebrat miſſam, aut aliud quodcunq;
opus ſpirituale peragit, & inde ſperat mercedem
temporalem, conſtituat ipſe ſibi mercedẽ illã nõ
tanquam precium ſpiritualis illius operis. Non
enim eſſet ęqua commutatio. Sed accipiatur illud
temporale pro ſuſtentatione miniſtri. Non debet
itaq; quiſquã ſuis ſtipẽdijs militare. Et qui altario
ſeruit (ſicut dicit Apoſtolus) de altario viuere de-
bet. Hoc titulo qui dicitur ſuſtentatio miniſtri ſal-
uatur omnis receptio moderata rerũ temporaliũ
pro ſpiritualibus, iuxta ſentẽtiam domini Durãdi
in hac materia. Hæc autem ſuſtentatio qualis aut
quanta eſſe poſſit, non cadit ſub arte generaliter
definire. Sed hoc loco ſicut & in omni virtute
medium ſumi debet prout ſapiẽs iudicabit, atten-
tis circunſtantijs omnibus, aut prout hominẽ vn-
ctio diuina docebit. Hanc eãdem ſententiam di-
cunt alij ſub alijs verbis quod omnis res ſpiritualis
propter temporale lucrum tanquam propter mo-
tiuum minus principale, aut propter finem Deo
ſubordinatum, qui dici poteſt finis conſecutiuus
licitè quæri, diligi vel exerceri poteſt. Ad hoc ni-
mirum eſt illud prophetæ: Inclinauit cor meũ ad
faciendas iuſtificationes tuas in ęternum, propter
retributionem. Exiſtimo neminẽ dubitare quin
poſſet Deus diligi à me & exorari, vt mihi det vi-
tæ ſuſtẽtationem ad liberius eidem ſeruiendum.
Actus autem magis ſpiritualis, qualis eſt Dei dile-
ctio vel ad eundem oratio? Fas habet inſuper ali-
quis exercere ſe vel in vna religione vel cura vel
alio ſpirituali opere, vt inde ſuſtẽtetur ad vitæ ne-
ceſſaria non quidem ſiſtendo in hoc, ſed vlterius
referendo in Deum, vt habitis talibus vitæ neceſ-
ſarijs ipſe deinceps liberiori mẽte valeat Deo mi-
litare. Dicunt doctores, nominatim dominus An-
tiſſiodorenſis, quod nullus prædicare debet, hoc
eſt, prædicationem ſuam ordinare, tanquã mediũ
ad habendum vitæ ſuſtentationem. Eſſet inquiũt,
hic ordo peruerſus, ſi dignius ad indignius ordi-
naretur. Horum dicta ſic accipienda ſunt, vbi ad
illud temporale figeretur intentio principalis, &
ad Dei honorem ipſa nequaquam vlterius refer-
retur. Dum autem non eſt finis principalis ſuſten-
tatio hæc miniſtri quæſita per aliquos actus ſpiri-
tuales, ſed eſt vel motiuum quoddam vel finis mi-
nus principalis in alterũ finem rurſus ordinatus,
nullum videtur hic de ſimoniacã peruerſitate pe-
riculum imminere. Iſta ſic elucidare, tutius eſt ad
ſerenandum conſcientias ſimplicium, & pro re-
ctificatione ſuarum intentionum, quam tragica
aut ſatyrica reprehenſione omnes generali ſimo-
niæ lepra reddere infames velle. Hac intentione
poteſt teneri cura ad cenſum annuum, poteſt ha-
beri reſpectus ad lucrum diſtributionum. Poteſt
in caſu recipi moderata pecunia ab ordinatis ſub
prælatis, ſi ſit aliunde nimis pauper, nec immineat
ſcandalum, quoniam omnes decretales ſuper hoc
confectę ſunt de iure humano quoad multa, quas
poteſt abolere conſuetudo ad oppoſitum, dum
fuerit oculus ſimplex modo dicto, ſic poſſunt ob-
tineri duo vel tria beneficia ſecundum eorum te-
nuitatem & ſi ſine ſcandalo fiat attenta perſonæ
obtinentis qualitate & ipſius ad eccleſiã vtilitate.

Sic poteſt, immo ſæpe debet quærere prædicator
A aut alius placere hominibus in ſuis actibus, non
propter ſe, ſed vt videntes glorificent Deum, &
vt libentius monita ſalutis accipiant. Neq; tamen
ſum neſcius quin in prędictis ſæpe cadit vilis quę-
ſtus atq; ſimoniacus vt ſi quis habeat aliunde ſuf-
ficienter vnde viuere poſſit, ipſe multiplicat ſibi
per talia opera ſpiritualia grãdiores diuitias ſuper-
uacuas aut pręter neceſſarias, aut ſuam beneficio-
rum pluralitatem cauſa rationabilis non excuſat.

LECTIO QVINTA.

B AD determinationem ſolidiorem ma-
teriç quam tractandam ſuſcepimus ſu-
per quidditate peccati mortalis & di-
ſtinctione eius à veniali multa quaſi iã
fundamẽta iecimus, perſcrutãdo funditus quid ſit
lex propriè diuina, quid naturalis, quid humana
& de conditionibus vtrarũq;. Hic eſt enim viuax
fundus totius difficultatis. Porrò iam nonnulla
diuerticula quaſi ſuperædificãtes adiecimus. Per-
ſcrutãdum rurſus eſſe video, ne nos æquiuocatio
fallat, & vt ædificij noſtra ſtructura certius ſurgat,
C ſi forte ſit aliqua lex diuina quæ non ſit obligato-
ria. Nã de obligatoria ſermo duntaxat habitus eſt.
Videtur nempe lex diuina totidem modis, quot
modis diuina voluntas nominatur. Dicit autem
Magiſter in primo ſententiarum, quod quinque
ſunt Dei voluntates, ſumendo ſignum pro ſigna-
to. Et hæ ſub hoc metro complexæ ſunt:

Præcipit & prohibet, permittit, conſulit, implet.

De volũtate præceptiua & prohibitiua multa iam
diximus. De promiſſione verò memini me alio
loco diſtinxiſſe, quod aliqua dicitur permittere
D Deus. Primò quia non vult prohibere aut præci-
pere oppoſitum, hoc modo permiſit libellum re-
pudij & vxorum pluralitatem in antiqua lege. Se-
cũdò permittit, quia non punit pœna temporali,
hoc modo permittit mala fieri quæ non punit in
iniuſtis. Deinde tertio aliqua permittere dicitur,
non quia non puniat, ſed quia nõ impedit ea fieri,
cum vtique poſſet, quamquam hoc iuſtiſſimè fa-
ciat, eliciẽdo ex his malis bona ſecundum poten-
tiſſimam ſapientiam ſuam, attingentem à fine vſ-
E que ad finem fortiter, & per inſcrutabilem abyſ-
ſum iudiciorum ſuorum. Denique quartò poteſt
aliquid permitti, non quia iudicetur faciendum,
au quod denuncietur per leges & ſtatuta punien-
dum, ſed quia de facto non exequuntur leges pu-
nitiuæ contra delinquentes tales, ne deteriorem
exitum res habeat. Hoc modo tolerãtur quando-
que hæretici & ſchiſmatici & alij inter Chriſtia-
nos dum ſciſſura deterior ex eorundem extermi-
natione veriſimiliter timeretur. De hac igitur lege
F permiſſiua ſimiliter & de impletiua, quæ dicitur
eſſe efficax operatio Dei, & quæ non eſt de per ſe
obligatiua in tantũ dicta ſint. Supereſt dicere de
conſilio quod lex appellatur non quod liget ad
obſeruationem ſui, eam quippe deſerens pœnam
non incurrit. Impletio tamen eius præmium me-
retur & coronam. Eam prætera legem cõſiliorum
diuinorum nihil pendere velut inutilem & tan-
quam obſeruatores eorum non inde perfectiores
fiant improbare damnationem non euadit. Hæc
lex potiſſimũ reſpicit tertiã vitam, quã eſſe poſui-
mus cõfirmationis ſtabilitæ, aut eorũ qui tali vitæ
iam iãq; approximant, vt ſunt viatores & perfecti.

Hæc

Digitized by Google

Hæc sũmatim memorata ſint ex eis quæ de quintuplici ſigno voluntatis diuinæ, qui eſt ex prima doctores tradiderunt. At verò legem alteram ſi ſuperaddiderimus mediam inter conſilium & præceptum, quæ monitio vel mandatum vel ordinatio aut alio nomine abſque controuerſia nominetur, forte videbimur protinus transgredi terminos quos poſuerunt patres noſtri, ſed non ita eſt conſonabimus potius eorum traditionibus, & eas apertius intuebimus. Apparentes quoque controuerſias inter ipſos de peccato veniali & mortali, nos faciliori nexu in vnum compingemus.

Loquuntur itaque nonnulli ſanctorum de peccato veniali tanquam ſit contra præceptum diuinum, vt Bernardus in libello ſuo de præcepto & diſpenſatione & Gandenſis, idem ponit ex autoritate Auguſtini in ſuo quodlibet. 3. q. 21.

Aliorum opinio contraria, vt Thomæ & communis ſcholæ dicentium, veniale non eſt contra, ſed præter præceptum. Primi & expeditius loqui videntur, ponentes quodlibet peccatum eſſe contra præceptum, quoniam profunda conſideratio reperit nihil eſſe peccatum niſi quia prohibitum. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, inquit propheta. Prohibitum dico, vel lege diuina immediatè, vel naturali aut humana, voce, ſcripto vel mente. Nam non habentes legem ipſi ſibi ſunt lex, ad Roman. 2. Præterea frequens vſus eſt in omni lege. Ius in antiqua, ius in noua, ius in religionibus & vniuerſitatibus, vt nulla ſtatuantur ſub nomine præcepti & voti & iuramẽti & comminationis æternæ mortis, quorum aliqua omittere vel oppoſita facere, non facit hominem reum peccati mortalis. Nonne data erat antiqua lex iudæis in præceptum, perſpicuum eſt hoc. Deut. 7. & 8. Et adduntur maledictiones ca. 26. Idem Hier. 11. Habetur inſuper. Deuter. 26. quomodo ipſe profitebatur anno quolibet totam legem. Denique poſitum eſt Ioſue 24. qualiter populus Iudæorum expreſſa voce ſeipſum obligauerit ad omnia facienda quæ Dominus mandauerat. Attamen quis diceret eos in omni transgreſſione cuiuſlibet cõtenti in illa lege mortaliter deliquiſſe? Agebant nihilominus vt videtur contra præceptum & votum & profeſſionem maledictionis in terminatione vallatam. Præceptum vtique habebant ſicut & nos, non mentiri, multa tamen eſſe mendacia ſola venialia nullus negat. Similem facit rationem Bernardus libello prædicto de eis quæ in euangelio cõtenta ſunt, vt quod non ſit iraſcendum fratri, non grauanda corda crapula & ebrietate, & curis huius ſæculi, non dicendum verbum otioſum, neque iurandum, & ſimilia, quorum actus crebrò veniales ſunt. Ita in ſtatutis religionum quantumcunque iuramento aut voto firmatis. Quod vt manifeſtius fiat accipiamus aliquem qui iuramento aut voto vt ſæpe fit ſe aſtrinxerit. Sit ita quod fideliter & diligenter adimplebit opus iniunctum, aut quod in omnibus ſuo tali ſuperiori honorem ſeruabit. Nullus arbitror audebit condemnare iſtum ſic iurantem pro quacunque negligentia aut irreuerentia ad mortale delictum, cum poſſit intercidere negligentia & irreuerentia, nunc ex ignorantia aliquantulum craſſa & ſupina, nunc ex impotentia & infirmitate, aut abſque conſenſu perfecto: aut

A quia transgreſſio talis non eſt notabilis damni ſeu cõtemptus apud eos quibus ipſe fideliter ſeruire, & quos honorare iurauit. Attamen omnis negligentia contrariatur primo iuramento, & irreuerentia ſecundo, niſi quis gloſſauerit iuramenta hæc, prout infra docebimus.

Quid dicemus ad hæc? Nunquid eſt ſpiritus diſſentionis in cordibus ſanctorum Dei, vt quod vnus approbat, alius damnet. Studeamus ergo controuerſiam hanc verbalem (quia de re ſatis conſtat & conuenit) ad concordiam adducere. Ita enim agere hic & alibi modeſtius & ſalubrius

B ſubtiliuſque eſt, quã vni parti vel alteri tam pertinaciter inniti quod altera condemnetur. Intolerabilem ſiquidem eſt cõfeſtim exiſtimare de ſanctis ſapientibus, & tanta ſedulitate veritatem ſcrutantibus, eos in rebus non vſquequaque difficilibus diſſonis aſſertionibus errauiſſe.

Hos controuerſiæ nodos facilius enodare poterimus, ſi aliquam prius dederimus ſimilitudinem ex viſibilibus, per quam quaſi per ſcalam ad inuiſibilia conſcendamus. Comparemus ergo

C peccatum ad morbum, & vitam ſpiritualem ad corporalem, vt ab initio fecimus & repetamus dicentes, quod vita animę quadruplex eſt, ſcilicet naturæ, gratiæ, actionis meritoriæ, & confirmationis ſtabilitæ. Secundum hoc ponuntur aliquæ propoſitiones primò de peccato, dehinc de merito. Prima propoſitio. Peccatum mortale & veniale non ſunt contra vitam primam, ſic quod eam prorſus enecent. Hæc enim vita conſiſtit in bona diſpoſitione naturalium, vt ſunt viuax ingenium, tenax memoria, & ſimilia, aut in donis

D gratuitis, non tamen gratum facientibus, vt ſunt ſcientia multiplex, & habituationes quædam bonæ ad virtutes ſolum morales. Hæc verò & ſi læ- dantur quandoque per peccatum, non tamen ea funditus expelli neceſſe eſt. Alioquin nullus in peccato mortali viueret vita naturæ prædicta.

Secunda propoſitio. Solum peccatum mortale eſt contra vitam ſecundam tanquam ſibi omnino incompoſſibilem. Cum enim vita animæ ſpiritualis propriè dicta ſit ipſe ſpirituſſanctus,

E non quidem formaliter, ſed intima quadam vnione & illapſu viuifico nobis inexplicabili. Hæc vita tamdiu & non vltra eſt in anima, quamdiu manet in eadem ipſa, cuius harmonia charitatis & aliorum donorum per eam formatorum, cuius harmoniæ ſpiritualis facta diſſolutione Deus diſcedit ab anima & moritur illa morte de qua propheta denunciat, quod mors peccatorum peſſima. Eſt igitur peccatum mortale quaſi vulnus læthiferum aut cibus peſtifer, diſſoluens qualitatiuam illam diſpoſitionem complexionalem in

F qua vita conſiſtit.

Sed peccatũ veniale non eſt niſi morbus quidã aut vulnus citra mortem, & ſicut ex mille vulneribus non mortiferis homo non moritur niſi ex illorum multitudine generetur quidam morbus alius mortifer, vt ſæpius obtingit, ita ex quotcunque venialibus peccatis vita gratiæ nequaquam amittitur, licet bene diſponant ad generationem mortalis. Videtur tamen oppoſitum voluiſſe Dominus Antiſſiodorenſis, ſi non cautè intelligatur. Iuxta hanc ſimilitudinem taliter, & non aliter dicitur eſſe veniale peccatum

contra vitam gratiæ, qualiter morbus aliquis citra mortem, vel languor febrilis tertianus, aut leue vulnus dicitur eſſe contra vitam in tempore.

Tertia propoſitio. Actus peccati venialis rationabiliter poteſt dici cõtrarius vitæ tertiæ, quæ eſt actionis meritoriæ, quam vitam appellamus vitã ſecundam gratiæ, ſicut operatio viuentis ſua vocatur ab Ariſtotele vita ſecunda. Actus itaque peccati venialis non compatitur ſecum in eadem anima & pro eodem tempore actionem meritoriam à vita gratiæ procedentem. Nunquid non impoſſibile eſt ſimul eãdem animam agere liberè ex gratia & non ex gratia? Sic idem actus non poteſt eſſe meritorius & venialis, nec eadem anima ſimul agere meritoriè & venialiter demereri. Hãc intentionem (ſicut opinor) habent doctores, qui dicunt peccatum veniale non eſſe contra charitatem, ſed contra charitatis feruorem, appellantes feruorem actionem ex charitate venientem, quæ quidem actio pro tunc impeditur, dum actio venialis committitur. Exinde patet deductio qualiter peccatum veniale fugibile eſt, cum impediat opus actionis meritoriæ, quæ in magnum cederet augmentum gloriæ. Sic forte rationabiliter diceremus morbos aliquos magis eſſe contra vitam animalis ſecundam quam primam, licet in vita prima ſpirituali hæc ſit diſſimilitudo ad corporalem, quod tota & ſubito perditur, vel integra retinetur. Niſi quis diceret quod harmonia vitæ ſpiritualis quæ eſt charitas non parum ſtabilitur per alias diſpoſitiones virtutum qualitatiuas, quibus debilitatis aut perditis charitatem leuius expelli cõſequens eſt. Signanter verò locuti ſumus de actibus peccatorũ venialis & mortalis, quoniã habitus dicti bene ſtant cum actibus oppoſitis, vt habitus auaritię cum actu gratiæ. Quarta propoſitio. Actus & habitus peccati cuiuſlibet repugnat quartæ vitæ, quæ eſt vita confirmationis ſtabilitæ præſertim in patria, quoniã in via fortè poteſt eſſe cõfirmatio aliqua cõpatiẽs veniale. Nunc ad propoſitum ſicut habemus in præcepto, aut non in præcepto habere vitas prædictas, ita peccatum veniale affirmabitur aut negabitur eſſe contra præceptum. Propterea ſicut ſola vita gratię, gratũ facientis cadit ſub præcepto, ſic quod habita ea ſeruat homo legẽ totam, & ea non habita non perfectè cuſtodit eam, ita peccatum ſolum mortale dicetur iſto modo contrariari præcepto. Ecce quo pacto diuerſis reſpectibus veniale dicitur vel negatur eſſe præcepto contrarium, quorum reſpectuum illi iſtum, alij ex doctoribus alium habuerunt.

Quinta propoſitio. Nullum meritum vitæ æternæ procedit à ſola vita prima. Ratio in prõptu eſt, quia talis vita non includit charitatem quæ eſt radix meriti. Demeritum vitæ æternæ ſicut procedere poteſt à vita prima & ſimiliter meritum boni temporalis, ſic vita altera gratiæ ſcil. nullum demeritum vitæ æternæ: licet bene meritum & demeritum boni ſolius temporalis compatitur.

Declaremus ea in quibus poteſt eſſe ambiguitas, & dicamus quod in pura vita naturę qualem diximus poſſibile eſt hominẽ æternæ mortis eſſe reũ, & tamen boni alicuius temporalis facit eum Deus gratis participem de congruo, propter quandam adæquationem operum ſuorum bonorum de genere ad bonum aliquid tẽporale. Quamuis enim A peccator indignus ſit etiam pane quo veſcitur, dicente Auguſt. & hoc de rigore ſeueræ iuſtitiæ. Tamen iuſtitia Dei miſericordiæ tantæ cõiuncta eſt, vt non non ſinat bonum etiam de genere abſque decore remunerationis ſaltem tranſitoriè. Cæterum nihil impedit quin homo viuens vita gratiæ, quandoq; bonos actus producat, non ex vita ſecũda gratiæ, nõ ex charitate, ſed ex ſola vita prima ſcili. naturæ, quo caſu meretur homo iuſtus non minus quam iniuſtus, non tamen vſq; ad meritũ B beatitudinis æternæ, quia non eſt ſuus actus vita gratię radicaliter elicitus, meretur ergo ſolum bonum temporale. Reliqua patent intuẽti. Hic præterea dicendum videtur de merito ſolius boni tẽporalis quoad vitam ſecundam, quæ eſt actionis meritorię, ſicut de peccato veniali diximus, quod videlicet eodem momẽto temporis non ſe compatiũtur, non de per ſe ex malitia actus, ſed de per accidens ex imperfectione eius, quoniam agere ſimul ex gratia non contingit ex ſola vitæ naturę. His itaq; determinatis per ſimilitudinem aduer- C tere poſſumus quid ſit peccatum mortale, quid veniale, quid meritum & demeritum, aut boni æterni aut ſolius temporalis. Omnis itaq; actus liberè elicitus aut diſſoluit principalem harmoniã in qua conſiſtit vera animæ vita, quæ Deus eſt, & ſic eſt mortalis & demeritorius vitæ æternæ, aut impeditur tantummodo de per ſe vitam ſecundã gratiæ, quæ dicitur actio meritoria, aut vitã naturæ turbat & obſcurat, & ſic eſt peccatum veniale & demeritorium boni temporalis. Dixi de per ſe D cauſa dicta. Similiter omnis actus liberè elicitus ſi fiat ex vita gratiæ, eſt meritorius vitæ æternæ. Si fiat ex ſola vita naturæ cum circunſtãtijs eandem vitam concernentibus, eſt meritorius boni ſolius temporalis, & ſæpe de congruo ad vitam gratiæ diſponit.

Placet iterum alias ſimilitudines ſub maiori cõpendio ſtringere. Dicit propheta de Deo: Quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius: Eſt igitur quædam politia inter Deum & nos, ſicut inter Dominum & ſubditos. Videmus E autem in omni politia leges inſtitutas eſſe tanquam conſeruatrices vitæ ciuilis ſubditorum inter ſe & ad Dominum. Iſtarum legum in politia humana quæ exemplata eſt à diuina, aliquæ feruntur ſub pœna mortis, ideo capitales & mortales nominantur. Aliæ ſub minori pœna quæ non eſt exterminatiua, & dicitur pœna ciuilis. Has verò leges omnes vocat vſus communis edicta & præcepta & iuſſa ſeu prohibitiones, propterea cõſequenter habent dicere ſic loquentes quod om- F nis tranſgrediens aliquam legum prædictarum, peccat in legem & contra legem principis, hic quidem capitaliter, hic ſolum ciuiliter. Ecce quomodo poteſt etiam peccatum veniale in politia ſpirituali dici contra legem fieri prohibentem illud, non ſub pœna mortis, ſed alia mitiori. Alia comparatio eſſet tertia, amici ad amicũ, patris ad filium, ſponſi ad ſponſam, vtrobiq; enim reperire eſt quædam vincula amicitiæ, quæ eſt vita ciuilis inter eos. Offenſarum verò quædam ſunt diſſoluentes amicitiam, quædam duntaxat illam turbãt & lædunt, dum quandam indignationẽ adducũt, non tamẽ vſq; ad odium. Primæ offenſarũ carent venia,

Digitized by Google

venia,quaſi ſint mortales,aliæ non &c. Quarta ſimilitudo poneretur de arbore mala reſpectu fructuum mortiferorum, qui à radice cupiditatis, nõ niſi per truncum conſenſus liberi generantur. Poſſunt itaque gigni alia quædã ſpiria vitulamina & inutiles plantulæ,vt fit in prædicta radice, non tamẽ per principalem truncum,ſed velut à latere. Fructus illi ſunt peccata mortalia. Plantulæ verò illæ ſunt actus veniales. At verò quoſdam intueor quibus nõ ſatisfactum eſt per has ſimilitudines de peccati mortalis & venialis diſtinctione,aut quia nondum elucet inquiunt ex prædictis ſub regulã generali de actu quolibet quando erit mortalis & quando venialis,ſed eſt certitudo qualis prius,aut quod à poſteriori magis quam à priori differentia hæc aſſumpta eſt. Ad hæc reſpondemus dicentes primò,quod petentes huiuſmodi regulam generalem facientẽ particulariter & infallibiliter ſcire de quolibet actu ſi eſt mortalis aut venialis. Similiter petit ac ſi quæreret à medico doceri ſe vno verbo regulæ generale de omnibus morbis & venenis & cibis & vulneribus, quando & quando non mortem inferrent. Certè vt ad ſingulares circunſtantias & ad particularia legis præcepta diligens noſtra conſideratio deſcendat, oportet. Quibus perpenſis loquendum eſt vt ſapiens iudicabit. Idem cibus (exempli gratia) nonne quæſo poteſt vni mortem certam,alteri ægritudinem leuem inducere? Vide quod venenum fortiſſimũ mortis inductiuum, ipſi cõpoſitores theriacæ ad mortis euaſionẽ conficiunt. Porrò igitur diuerſis hominibus immo eidem homini varijs temporibus quis neſciat eundem cibum nec ſalutiferum fieri,nunc mortem celeriter operari? Quid igitur inquies,ſuper his cognoſcẽdis doctrina proderit? Multum per omnem modum. Nam regulę generales fundamẽtaliter traditæ, dum ad particularia ventum eſt,oſtendunt quid de ſingularibus iudicãdum eſt. Singularia quippe ad regulas illas vniuerſales reſoluere conuenit,quo facto veritas eluceſcet. Carens autem notitia huiuſmodi regularũ vniuerſalium, quãdo precor ipſe poteris his reſolutionibus vti? Quando mẽſurabit ad regulas qui regulas non habet. Proderit tamen nec negamus circa ſpecies peccatorũ regulas apponere,qualiter in vulgari iam fecimus, & examinatius in latino tradere (ſi Deus annuerit) proponimus. Cæterum altera nos obiectio fortius premit, dum quærit vt à priori inter mortale & veniale ſecernamus. Beatus Bernardus in loco præallegato de præcep. & diſpen. nititur,& prima facie apparet,dubitationẽ hanc abſoluere, per hoc quod omne peccatum quod fit ex contemptu eſt mortale, ſi fiat autem etiam contra præceptum aliquis actus & non ex contemptu,venialis reputatur. Quam diſtinctionem vt ego melius intelligerem conſului ſummã domini Antiſiodorenſis, vbi loquitur de cõtemptu,& dicit quod contemptus eſt appreciari rem minus iuſto. Alio modo eſt rem negligere & de ea non curare,vt dum peccans habet circunſtantias retrahentes,ſed eas non curat aduertere claudit quoque oculum quodammodo, & vertit tergum ad eas. Tertio modo eſt iraſci rei tanquam vili,& eam aſpernari. Primum malum, ſecundum peius,tertium peſſimum. Dicamus ergo,quod in omni peccato etiã veniali cõmittatur conteptus

A Dei primo modo verè vel interpretatiuè, ſecundus cõtemptus interuenire poteſt tam in mortali quam in ſolo veniali, tertius conteptus circa Deũ præcipientem & erga prælatum ſuum in quantum prelatus eſt,non videtur vnquã fieri cum deliberatione cõpleta abſq; peccato mortali & hoc vocatur propriè conteptus. Nihilominus aduertendum eſt diligẽter, quod refert plurimũ dicere aliquid fieri ex contemptu, aliquid eſſe cum contemptu,ſicut refert fieri aliquid ignoranter, & aliquid ex ignorantia. Dicitur quippe aliquid fieri
B contemptu, quando contemptus eſt principalis cauſa talis actionis,ſic quod illo non exiſtente nõ fieret actio. Ita quis operatur ex ignorãtia,quãdo illa non exiſtente nullo modo fieret id quod fit. Prouenit autem actus nonnunquam cum contẽptu verè vel interpretatiuè,non tamen ex contẽptu,quia contemptus non eſt in cauſa, ſed vel infirmitas,aut debilitas,aut ignorantia, aut affectio alia vitioſa & libidinoſa quæ dominatur. Sicut peccat aliquis quandoque ignoranter, ita tamen quod non minus operaretur ſi illud cognoſceret;
C Propterea palam eſt tunc ignorantiam non eſſe cauſam agentem ſed circunſtantem, quemadmodum contingit in ſubditis qui dicunt ſe ſcandalizari de factis ſuperiorũ,quos tamen ab actionibus malis non cõpeſceret ſcãdali ceſſatio & prælatorũ vita bona,ſed ita ſibi blandiuntur, & ſuper alios quærũt excuſationes in peccatis. Ex his omnibus non videtur regula generalis poſſe ſumi de diſtinctione inter mortale & veniale penes hoc quod eſt eſſe vel non eſſe ex contemptu,quoniam ſi capiatur conteptus primo modo, non eſt neceſſe
D omnẽ actum factum ex conteptu eſſe mortalem, dum.ſ. Deus vel prælatus appreciatur minus iuſto ſolum venialiter, & ex contemptu tali mentitur aliquis,aut otioſè iocatur,aut lentè reſiſtit primis motibus. Similiter ex ſecundo contemptu poteſt euenire,quamuis ita non leuiter nec frequenter. Denique actus qui prouenit deliberatè deliberatione completa ex tertio contemptu eſt vt mihi videtur ſemper mortale. Hoc enim fit, quando peccans attendit ad præcipientem & ad præceptũ
E eius licitum, ſit Deus,ſit prælatus, & propter vilipenſationem & aſpernationem præcipiẽtis ſuiq; præcepti,aſſurgit effrenatè ad actum talem faciẽdum vel omittendum,alioquin non facturus vel nõ omiſſurus,hoc propriè eſt agere ex cõtemptu, tanquam ſi dicat vt aliqui. Ego in deſpectũ veſtri & quia ſic præcipitis,agam in oppoſitum. Verumtamen non omne peccatum mortale tali circunſtantia veſtitur. Et ita conuertibiliter non ſunt idẽ peccare mortaliter, & peccare ex cõtemptu, ſimi-
F liter nec peccare venialiter,& peccare non ex cõtẽptu. Vellem ergo aliquid poſſe offerre lucidius ad illuſtrationẽ huius materiæ & forte poſſumus non inutiliter dicere,quod in quolibet præcepto attenditur quadruplex latitudo. Magna, parua, minor,& minima. Magnam dicimus infra quam conſiſtit iuſtitia,qualẽ à nobis requirit Deus ſub pœna incurrendi odium ſuum cum reatu mortis æternæ. Extra hãc latitudinem nõ ſtat rectitudo, quã qui trãſit & egreditur agẽdo vel omittendo, ipſe in tortuoſitatẽ peccati mortalis ſẽper elabitur. Hæc latitudo magna eſt & medium virtutis; quale poſuit Ariſt. eſſe diuiſibile tanquã ſignũ ad

ſagittam. Conformiter ad hoc loquitur Horatius:

Eſt modus in rebus ſunt certi denique fines. A
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Secundum hanc præcepti acceptionem ſtrictiſſimam, peccatum ſolum mortale, & non ipſum veniale eſt cōtra præceptum. Aliam aſſignabimus latitudinem paruam & præcedente ſtrictiorem, infra cuius limites conſiſtit iuſtitia ſeu rectitudo, qualem exigit à nobis Deus mediatè vel immediatè, ſi volumus euitare non tantummodo odiū ſuum cum reatu pœnæ æternæ ſecundum legem, ſed etiam offenſam eius qualemlibet, aut non retardari à vita ęterna, aut temporaliter non puniri. B Exorbitatio ab hac latitudine præcepti conſtituit aliquando peccatum veniale tantummodo, dum videlicet deuiatio non eſt tāta quod exeat primā latitudinē, nec ita parua quod non maneat infra ſecundam. Hoc modo qui conſiderat præceptum palam habet dicere quod veniale ſit contra præceptum ſiue ſit veniale ex genere, cuius.ſ. obiectū non eſt de per ſe notabilis malitiæ, vt mentiri officioſè, aut loqui ocioſè, ſiue ſit veniale, quia fit cōtra conditionem naturæ primitus inſtitutæ, vt ſūt C omnes primi motus præuenientes rationem, ſiue ſit veniale ex defectu plenę deliberationis & conſenſus, vt ſunt cogitationes illecebroſæ non moroſæ, aut ſicut euenit in pueris & infirmis, & alijs non habentibus plenitudinem vſus rationis, in quibus ea ſæpe venialia ſunt, quæ apud viros grādiores meritò criminalia dicerentur. Adducamus exemplum vt manifeſtior ſit ſermo noſter de hac latitudine duplici præcepti. Sit iſtud præceptum: Honora Deum & parentes, vide quod poteſt aliquis non honorare Deum & parentes multipliciter. D Vnō modo, quia pro tempore & loco quibus honorandi ſunt, ipſe dum cogitat de eis, ſpernit eos conſenſu pleno & deliberato aut ſcienter cū deliberatione perfecta illa tūc omittit quæ ad honorem debitum pertinerent. Erit igitur hæc latitudo præcepti ſic explicabilis: Honora Deum & parentes loco & tempore quibus cogitabis de eis, ſic quod ſenſu perfecto ac deliberato eos nec malignanter inhonores, nec honore ſuo voluntariè, ſcienter atque notabiliter priues. Quiſquis exierit E hoc medium virtutis, eamq́, latitudinem, ille profectò tenebitur reus deuiationis tortuoſæ criminalis. At verò quia contingit aliter inhonorare Deum & parentes vel nōn honorare. Erit rurſus alia latitudo præcepti ſumpta per epikeiam ex alijs circunſtantijs. Poteſt itaq; inhonoratio talis contingere quæ non erit notabilis malitiæ in genere ſuo, vt eſſet leuis geſtus aut riſus, aut verbum aliquod minus ſobrium in præſentia ſacramentorum Dei, aut parentum ſuorum, etiam cum deliberatione, & dum actualis habetur ad iſta conſideratio. F Poteſt nihilominus talis inhonoratio reperiri, quæ licet ex ſe ſit notabilis, caret tamē conſenſu pleno moroſo & deliberato ob ætatem, infirmitatem, ignorantiam, ſurreptionemue. Facietes primam inhonorationem, dum tamen abſque ſcandalo fiat aliorum, quis auderet culpæ mortalis arguere? Secundam ſimiliter nullus opinor vt mortalem accuſabit. Ita in omni fere præcepto reperire eſt. Exhinc elicitur euidens neceſſitas virtutis illius quam Ariſtoteles epikeiam, hoc eſt interpretatiuam legum appellat. Cuius eſt conſiderare non nude de ſe præceptum, ſed circunſtātias omnes particulariter ipſū veſtientes. Ex hoc conſequenter habetur modus concordandi rigorem iuſtitiæ atque ſeueritatem diſciplinę, cum leuitate miſericordiæ & fauorabilis indulgētiæ. Immo ſic neceſſe eſt vt in omni actu noſtro ad alterutrum cantemus Domino miſericordiam & iudicium. Alioquin iuſtitia in iniquitatem, & ſeueritas in crudelitatem conuerteretur, quemadmodum ſi quis paruulum ſuum damnare vellet ad carceres, quia puerili ira motus matrem percuſſit. Ita de ebrio aut fatuo inaduertēte quis nō agnoſcāt hanc pœnam eſſe iniuſtiſſimam, quam in alium grandæuum, ſobrium & deliberatum liceret inferre? Quare concluditur quod præceptum ſi ſub prima latitudine explicata cogitetur, aliter obligat quam ſub ſecunda. Et hæc diſtinctio cōcordat doctores in hac materia, vtuntur enim præcepto ſecūdum primam latitudinem illi qui dicunt veniale non eſſe contra præceptum, ſed ipſum compati. Alijs placet nomen præcepti ad ſecundam latitudinem extendere, cuius rectitudo contraria eſt cuilibet obliquitati veniali. Et quia de re conſtat diſcolum eſſe pertinaci animoſitate de verbis contendere.

Forte tamen confuſio & hæc apparens controuerſia doctorum vitaretur amplius, ſi ſuum cuilibet latitudini nomen appropriaremus, vocantes primam latitudinem præceptum & prohibitionē. Secunda autem latitudo, mandatum & ſtatutum vel ordinatio vel monitio diceretur. Et placet nobis amplius hoc nomen monitio, quia ſonat vt ratio ſit peruigil, vt nec venialibus deturpetur, hoc eſt quod coniecturare volebamus dum imaginabamur quandam legem mediam inter pręceptum & conſilium, & plus ligat quam conſilium, & minus quam præceptum, tanquā ſi diceremus in omni politia illam legem duntaxat eſſe præceptum, cuius tranſgreſſio ſecundum omnes circūſtantias pēſata extremo mortis ſupplicio plectēda cenſetur. Illi verò legi monitionis nomen appropriatè daremus, cuius tranſgreſſio circunſtantijs omnibus ponderatis veniam habet, aut temporalem ſolum punitionem demereretur. Supereſt deinceps aſſignare in præceptis & mandatis duas reliquas latitudines, minorem & minimam, conformando ſermonem ad præmiſſa, quamuis non vſquequaque loquendi proprietas iudicio multorum ſeruabitur. At ſi res placet ſatis eſt. Eſt itaque tertia latitudo, complectens non ſolum duplicem priorem rectitudinem iuſtitiæ, ſed pariter finis cōſecutionem, aut meriti rationem, hoc eſt ſi volumus conſequi finem noſtrum vel meritum nos vt taliter agamus neceſſe eſt. Iſto modo actus boni ſola bonitate morali, & qui non procedūt ex charitate, quamuis ſint infra primam & ſecundam latitudinem rectitudinis prioris quoniam non ſunt peccata mortalia aut venialia, nihilominus quia per eos neque meremur, neque vitam æternam conſequamur, dici poſſunt nōn eſſe conformes præceptis. Hanc latitudinem intendebat Chriſtus cum ait: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Ita per argumentum à contrario ſenſu mandata non ſeruantur, ſi per ea non ingrediamur ad vitam, hoc eſt, ſi non mereamur. Non aliter diceremus de præceptis politiarum, quod ſi operantes ea non attingāt finem & intentionem

præ

Digitized by Google

præcipientis, non implent præcepta hoc modo qui ſtrictus eſt &c. Sic nec agens bene ſolum moraliter pro tempore, quo non aſtringitur ad opus ex charitate, quia dum ad hoc obligat, iam nō bene ageret etiam moraliter, ſi ex charitate operari deſiſteret. Demum quarta latitudo omnium ſtrictiſſima aſſignatur, quæ non ſolum obſeruationē, ſed obſeruationis exigit perfectionem. Hoc modo dicere videtur Dominus: Eſtote inquit, perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Si vis perfectus eſſe &c. Ad hunc intellectum ponebat Aug. præceptum de dilectione Dei non poſſe à viatoribus hic impleri. Tertia latitudo dici poſſet conſiliū. Quarta perfectionis complemētum. Quamobrem vtēdo nomine præcepti in quadruplici hac latitudine, quarū vltima ſtat velut in indiuiſibili, actus quilibet liber non ſolum mortalis aut venialis, ſed qui eſt bonus ſola bonitate morali, aut imperfectus in bonitate meritoria, diceretur à præcepto deuiare, nec illud implere, quia tamen actus boni moraliter aut imperfecti meritorij, licet ſint quædam imperfectiones, deformitate tamen carent culpabili, non habet vſus eos dicere eſſe contra præceptum. Quoniā inſuper peccata venialia nequaquam tollunt amicitiam Dei, nec inducunt mortem æternam, vſus fuit cōmunior doctorum dicere ea non contra, ſed præter præceptum, quamquam alius modus loquēdi tolerabilis ſit, attendendo quod ſunt obliquitates quædam, iniuſtitiæ, deformitates & offenſæ, & res illicitæ, & monitionibus ſanctis aduerſæ.

LECTIO SEXTA.

MVLTA iam diximus, ſed pro magnitudine & vtilitate rei vereor ne pauca, veruntamen vtcumq; iter patefecimus ad vlteriora pergere volētibus & valentibus. Aperuimus inſuper feneſtram ad videndum magis à priori diſtinctionem mortalis à veniali. Et quidē ſicut voluntatis diuinæ nulla eſt ratio quærenda prior, ſic de duabus offenſis cur iſtam velit carere venia, & alteri veniam præſtare, nō poſſumus ab alio priori quam à voluntate diuinæ rectiſſimè iudicante ſumere rationem. Cui autem placuerit curioſior in hoc perſcrutatio, legat Braguardinum in ſumma contra Pelagianos. Porrò iuxta humanam rationem & æquitatem ciuilis & apud nos politiæ (qua ratio & æquitas exemplar ſuum à Deo trahunt) deducimus aliquem actum eſſe dignum mortis exterminatiuæ, qui de per ſe eſt diſſolutiuus amicitiæ legalis, aut illius qui eſt ſuijpſius ad principem ſuum aut aliorum cum ſeipſo, vel ipſorum ad inuicem & ad principem vt eſt crimen læſæ maieſtatis, vt eſt ſeditio & ſciſma, & ciuium crudelis diſſipatio, & hæreſum dogmatizatio, cum ſimilibus. Dum verò talis amicitiæ legalis ordo nexuſque ſolummodo turbatur pauliſper per aliquem actum aut tenuiter impeditur, aut habet circunſtantias aliquas excuſantes, tunc iudicio noſtro illi actui ſola debetur ciuilis punitio temporaliſque. Sicut enim natura abijcit à ſe penitus quæ ſui ipſius deſtructiua eſſent, alia compeſcit, moderatur & corrigit, ita corpus myſticum politię reſecat ex toto partes A putridas & contagioſa pernicie nocituras alijs ſanioribus. Ægris verò partibus, non tamen vſquequaque corruptis medetur leuioribus pœnarum ferramentis atque cauterijs, neque pari punitione vtitur apud eū qui leuibus verbis iniuriatur proximo, & qui occiſor ipſius eſt. Ita non permittit recta ratio vt pro quibuſque noxijs & leui conſtitutionum tranſgreſſione poſſit à ſuperioribus ſtatui pœna mortis, quāto minus ipſi poſſunt aut debent imponere reatum mortis æternæ ex friuolis cauſis, & ex qualibet violatione conſtitutionum B ſuarum, quarum multas aboleri plus haberet vtilitatis quam nocumenti. Hinc opinatus eſt vnus ex doctoribus, quod pro furto ſimplici non eſt aliquis morte plectendus, quoniam Dominus qui dedit hanc legem: Non occides, non excepit in ſua lege rigoris & talionis caſum furti ſimplicis, quanto minus hoc in lege mititatis. Ita fatuus eſſet prælatus qui pro ſui libidine aut motu capitis ſe putaret habere poteſtatem mox excommunicandi aliquem. Quamuis de primo caſu poſſit haberi ratio ſufficiens exceptionis ab hac lege: Non C occides, dum furtum nimis & nimis inualeſceret in politijs, ſi non tali rigore puniretur, quemadmodum de falſis monetarijs dicunt. Eſt enim lex Dei & naturæ vt auferatur malum de medio noſtri, ſi corpus totum myſticum nimis inficere aut perdere formido ſit.

Expedit opinor quia particularia magis erudiunt ad eadem deſcendere, non quidem ad omnia, hoc enim quis facere ſperaret, ſed vel ad pauca D ex quibus poterit iuxta vniuerſales regulas antedictas aſſumi de reliquis ſecuriori facilitate iudicium. Dicamus igitur quod non omnis profitens legem euangelicam, & ad obſeruationem ſui ſe obligans, peccat mortaliter in omni tranſgreſſione cuiuſcunque contenti in eadem lege. Hoc prius deducebatur in antiqua lege, & æqualiter eſt de noua. Huius ratio eſt, quoniam in lege antiqua & noua multæ ſunt traditiones quæ quandoque præcepta, quandoque mandata, quandoq; iuſtificationes, quandoq; leges diuinæ nominan- E tur, quarum aliqua ſunt præcepta ſtricto nomine ſecundum primam latitudinem, aliæ ſunt monitiones bonæ, iuxta ſecundā latitudinem, aliæ ſunt conſilia, aliæ conſummata iuſticia. Non eſt autem par tranſgreſſio in primis & in tribus reliquis. Quod ſi quis dicere voluerit quod profitēs Chriſtianam religionem in baptiſmo, & ad eius obſeruationem ſemet aſtringens, non intendit ſe obligare niſi ad illa quę cadunt ſunt pręcepto propriè dicto, reliqua verò obſeruabit prout mandantur, monitiones ſc. vt monitiones, conſilia vt conſilia, F & ita de conſummata iuſticia. Talis itaque ſic loquens conuenit in rē nobiſcum. Non enim aliud dicimus intelligendum fuiſſe apud antiquos Iudæos dum ſub voto & profeſſione & anathematizatione iurabant expreſsè & publicè ſe omnia obſeruaturos quæ lex mandabat, hoc eſt quæ legiſlator Deus mandare & qualiter mandare volebat. Quis enim tunc vel modò poſſet abſque manifeſta temeritate iurare quòd nunquam peccaret venialiter, quod à nullo conſilio euangelico recederet, quod perfectā in omnibus iuſtitiam ſequeretur. Non minor eſſet temeritas omnia ac-

Digitized by Google

cipere pro præceptis propriè dictis, quæ lex euangelica continet, & quæ profeſſi ſumus. Sic enim omnis ebrietas, omnis crapula, omnis cura ſeculi, omne verbum otioſum, omne mendacium, omnis vana gloriatio, & ſollicitudo pro temporalitatibus, & talia ſine numero fieri non poſſent abſque periurio & præuaricatione profeſſionis ſuæ. Adijcimus ſubinde quod in nulla religione quātumcunq; voto firmata cadit obligatio ſub pœna peccati mortalis ad omnia ſeruanda quæ in regula continentur. Oppoſitum aſſerentes pharilaïca præſumptione delirarent, qui traditiones ſuas plus quam legem euangelicam obligare defenderent. Itaq; ſi in euangelica lege quædam mandantur ſub quadruplici latitudine rectitudinis præexpoſita, nullus mirabitur ſi ſancti patres ad exéplar illius leges multas ſtatuerunt, non ſub rigore præcepti propriè dicti, ſed quædam vt monitiones, quædam vt conſilia, quædā vt perfectiones. Quis neſciat plures eſſe conſtitutiones in qualibet religione immo & politia, quæ magis ſunt ad quandam decentiam & honeſtatem, ad perfectionis inductionem quam ad neceſſitatem. Cuius ponit exemplum magiſter Nicolaus de Lyra ſuper illud Matthæi 15. Non lotis manibus manducare &c. De hoc genere ſunt ferè omnes inſtitutiones regulares in religionibus, vt de ſilentio tenendo, de diſciplina in clauſtro, in menſa, in capitulo ſeruanda, & generaliter de omnibus præceptis quæ Bernardus facticia nominauit. Verum arguat ita aliquis. Omnis violans iuramentum aut votum peccat mortaliter. Nam quis negat omne periurium eſſe mortiferum, ſed Ioannes Monachus iurauit & vouit hęc, & hæc omnia ſeruare quæ ſunt in regula, non enim fecit exceptionem, ſicut nec cum iurauit & vouit in omnibus obedire ſuis ſuperioribus. Igitur in omni tranſgreſſione huiuſmodi voti & iuramenti & obedientiæ, peccat mortaliter. Propterea loquela eius in clauſtro erit mortalis, inobedientia ſimiliter cuicunque mandato ſibi per abbatem facto. Alioquin quid adderet ſuper ſeculares profeſſio regularis? Rurſus ſi ſecularis vouet vel iurat quod ibit cras peregre ad noſtram dominam, aut quod die mercurij abſtinebit à carnibus, aut aliquid huiuſmodi prius indifferens, ſi tranſgrediatur vltra, nonne criminaliter deierabat? Nonne fractionis voti reus tenebitur? Cur non ſimiliter religioſus in votis regulæ ſuæ? Reſpondemus ad hæc primò dicentes, quod ſicut in præceptis ita in votis & iuramentis & obedientia quadruplicem latitudinem rectitudinis fas eſt aſſignare, & proinde aliqua impletio iuramenti erit de neceſſitate, aliqua de congruitate, aliqua de conſilio, aliqua de perfectione, ſimiliter de voto & obedientia. Et quidem de obedientia communis eſt apud doctores talis diſtinctio, vt aliqua ſit de neceſſitate, aliqua de perfectione. Conſequenter diceretur non omnem iuramenti aut voti aut obedientiæ tranſgreſſionem eſſe mortaliter, immo nec venialiter culpabilem licet ſemper imperfectam. Sicut è regione dicimus nihil eſſe adeò conſilium, quin cadat in præceptum, immo ad præparationem animi ſemper ligat. Quod ſi quis abhorret hunc reſponſionis modum, accipiat alterum, ſciat tamen vtriuſque ſimilem eſſe in re ſententiam. Iuramentum ergo & votum nunquam ita proferuntur abſolutè, quin interpretationes, conditiones, gloſſas, & ciuiles intelligentias ſuſcipiant, vt ſapiens epikeies iudicabit, hoc iam ſupra dixiſſe meminimus, nec deſunt iura ad hoc. Cum enim finis omnis legis ſit charitas ſecundum apoſtolum. Cum præterea religiones & autoritates prælatorum datæ ſunt ad ædificationem, non ad ſubuerſionem & illaqueationem fidelium, ſeque eis ſubmittentium, quis audeat dicere vel cogitare quod ſancti viri ſpirituſancto pleni ſupra iugum Chriſti ſuaue & facilitatem legis ſuę adijcere voluerint onus grande tot & talium conſtitutionum ſub obligatione pari ad pręcepta purè diuina, hoc eſt ſub reatu damnationis æternę. Hoc ſe baculo reſponſionis tuebatur olim Dominus Petrus abbas Cluniacenſis, in epiſtola miſſa ad ſanctum Bernardum, vbi deducit omnem regularem inſtitutionem inuiolatam manere quantuncunque mutetur, dum charitatis lex & regula in his quæ fiunt cuſtoditur. Quamobrem eſus carnium, & vſus pelliciorum & aliorum huiuſmodi, quibus licet regularis inſtitutionis ſuperficies aduerſari videtur, eidem conſonat in caſu charitatis & neceſſitatis. Cuius ſimile in libello de præce. & diſpen. dicit Bernar. quod vbique regulariter viuitur, vbi conſuetudines laudabiles pro tēpore & loco obſeruantur. Ita ex his ego videam concludendum quod aliquando monachus abſtinēs à carnalibus, dum ſcrupuloſus obſeruator regulæ videri vult, erit eiuſdem violator, & hoc ſi tanquam ſingularis ferus turbet alios, & quaſi reos ſuæ abſtinentię putatiua ſanctitate condēnet, quos magiſtra charitas aut charitatis comes neceſſitas aut conſuetudo laudabilis per ſuperiores tolerata vel impoſita excuſat abſoluitque. Sed heu rarus valde caſus talis, vtinam crebrior non eſſet tranſgreſſio per exceſſum quam per diminutum. Propterea non diximus ea quæ diximus ad laxandum frena luxuriæ, gulæ & inobedientiæ, non ad diſſoluendū rigorem regularis diſciplinæ, non ad habendum velamen maliciæ libertatem, ſeorſum à nobis hoc ſacrilegium. Sed quod interim quærimus inueſtigare quouſque & quātum obligatio regularis extenditur, ne vitare cupientes ſcyllam nimiæ laxationis, præcipitemus nos & alios in carybdim falſæ & auſteræ obligationis, quoniam diſplicet infidelis & ſtulta promiſſio. Infidelis ſi non impletur, ſtulta ſi diſcretione non ſalitur. Prædicabam aliquando peccatores non obligari ſtatim ad confitendum poſt peccatum, ſed certis temporibus, vt ſemel in anno & in articulo mortis, & dū ſuſcipiendum eſt ſacramentum, quamquam confeſſio crebrior proficeret. Inculpatus ſuper hoc ab aliquibus quaſi laxarem habenas peccātibus. Reſpondi primo quod Deus non indigebat meo mendacio ad conuertendū citò peccatores. Deinde addidi quid proficeret inquam, immo quid nō obeſſet generare conſcientias erroneas apud populum, quia nec illis ſe cōformarent magis quam prius eundo ad confeſſionem, & ita peccarēt, nec ad gratiam ſuſcipiendam niſi in confeſſione ſe diſponerent, quoniam hoc poſſe deſperarent. Ita dum ſanare vulnera falsè putarē, ego verò illa lacerarem & augerem. Deniq; iuſto ſtrictior conſcientia quandoque nocet amplius quam laxior.

Et

Digitized by Google

Et quod Greg. ait. Bonarum mentium eſſe illic a-
gnoſcere culpam vbi non eſt. Gloſſatur agnoſce- A
re id eſt formidare, exemplo Iob qui verebatur o-
mnes actus ſuos.

Ex prædictis deinceps ad alia clareſcit reſpon-
ſio. Fatemur itaq; iuxta præfatū reſponſionis mo-
dum quod omnis violatio iuramenti & voti & o-
bedientiæ mortalis exiſtit, vt in maiore ſumitur,
ſed minorem negamus quod iuramentum & vo-
tum cadant iſto modo ſuper omnia quæ in regula
cōtinentur. Super quæ igitur cadunt & ſuper quę
non tu forſan inquires. Accipe regulam genera-
lem ſuper ſola præcepta propriè dicta, hoc eſt ſe- B
cundum primam latitudinem conſiderata, cadit
hoc modo votum & iuramentum profitentis re-
gulam. Planè quicquid aliud verba ſonant, inter-
pretatio talis habenda eſt, tum per rectam ratio-
nem, tum propter ſuperiorem diſcretionem, tum
deniq; per legem quæ maior eſt, legem diuinam,
legem charitatis. Obijcies fortaſſe de multis ſim-
plicibus immo & literatis, qui religionem intran-
tes & regulam audientes, putant ex intentione
vouere ſe & iurare ſeruaturos abſq; exceptionis C
& conditionis adiectione omnia quæ illic cōten-
ta ſunt. Reſpondemus quod ſi humiles ſunt ſicut
eſſe debent, non ita adhærent ſenſui ſuo, quin ex-
plicitè vel implicitè, actu vel habitu parati ſint ſta-
re in talibus ad interpretationem & iudiciū pru-
dentiorum. Propterea ſicut in adoratione imagi-
num per eccleſiam & alijs pluribus ſimplicitas a-
liquorum erat, quos tamen ſaluat pia fides & in-
tentio ſaltem generalis faciendi ea & non aliter
quæ & qualiter eccleſia tenet. Non ſecus in iſtis
exiſtimandum puto, & iam ita ſuperius reſpon- D
diſſe memoramur de iuramentis factis in vniuer-
ſitatibus & collegijs, quæ ab hominum memoria
nunquam impleta ſunt, ita dicimus (ne repetere
nos oporteat) de omnibus ſtatutis collegiorum
vniuerſitatum & capitulorum, cum dicitur alicui:
Tu iuras ſeruare inuiolabiliter omnia ſtatuta, iu-
ra, priuilegia, libertates, conſuetudines laudabiles,
nec ipſis quomodolibet contraire clam vel occul-
tè, directè vel indirectè, & obedies tali vel tali ſu-
periori tuo in omnibus licitis & honeſtis. Dehinc E
particularia leguntur quorum non eſt numerus.
O quam horrendum onus, quam intolerabilem
ſarcinam angelicis etiam humeris formidandā. O
iugum plus quam ferreum. O laqueum quem in-
trans nullus euadit, ſi ſic accipiatur tale iuramen-
tum vt nuda verba ſonant, & ſi nulla interpreta-
tione mitigatur, ſed non ita eſt, mitigatur planè.
Alioquin pręter iam dicta nullus ferè intrat auſte-
ritatem, religionem exempli gratia, quam vniuer-
ſitatem Pariſienſium. Attento quod opinio pro- F
babilis tenet non minus obligare iuramentū quā
votum. Cogimur ergo certa ratione tale iuramē-
tum interpretari ciuiliter. Aut in illo quaſdam la-
titudines ſtatuere modo. ſ. ſupradicto in pręcedē-
ti lectione. Eſt autem interpretatio hæc aut ſimilis
quod iurans ſeruabit ea ſicut à legiſlatoribus or-
dinata ſunt & ordinari debuerunt, vtputa præce-
pta, propriè dicta vt præcepta, monitiones ſicut
monitiones, conſilia ſicut conſilia, quod inſuper
obediat in omnibus licitis & honeſtis ſuperiori
ſuo. Verbi cauſa, ſit ille rector, obediat inquam in
tis quæ ad officium rectoris ſpectant, & quæ pro
vtilitate manifeſta politiæ cui præeſt ſibi præcepit
ſecundum inſtitutiones & conſuetudines lauda-
biles eiuſdem politiæ, & niſi valeat legitima excu-
ſatione vel exceptione ſe tueri. Vt quia plus alijs
gratis oneratur, aut quod ab alijs vrgētioribus im-
peditur. Quod ſi non poſſit ita iurans docere ſuf-
ficienter de impedimento legitimo, ille quidem
punitur per rectorem ciuiliter de inobedientia.
Cæterum Deus qui cor intuetur eundem libera-
bit. Deinde patet quod non omne impoſitū fieri
generaliter per iuramentum & ſub omni pœna
vt fiunt nunc paſſim conuocationes generales v-
niuerſitatis, obligat ſemper ſic vocatos & iuratos
ad mortale periurium dum omittunt. Si quis ali-
ter dicendum putauerit videat quid dicat. Ego in
terim ſic dici poſſe opinor in humilitate mea pa-
ratus ad correctionem.

Cæterum quod arguitur de votis particularibus
ſecularium, diſſimilitudinem habet ad vota com-
munitatum: quoniam vota in communitatibus
interpretanda ſunt magis ad intentionem com-
munem quæ illic habetur aut haberi debet, quam
ad particularem intentionem vouentis. Vouens
autem particulariter in re propria ſicut eſt autor
iuramenti, ita eſt ſuus interpretator ex intentione
propria, quamuis intentio ſi ſit palam erronea aut
ſtulta peccat certè, nec ad voti ligat impletionem,
immo quod ſuperioris autoritati ſemper reſerue-
tur, habet vſus generalis eccleſiæ. Alioquin nun-
quam præſumeret vota ſubditorum, ſic mutare,
diſpēſare, relaxare. Deniq; quæritur, ad quid pro-
ficiet inſtitutio regularis? quaſi videlicet nulla poſ
ſit eſſe ſalubritas inſtitutionum quarumlibet, niſi
tranſgreſſores earum horrendiſsima morte mox
afficiat, mulctet & perdat, quaſi præterea nullum
ſit dare medium inter peccatum mortale & meri-
tum, quaſi poſtremò ſancti patres, vt Auguſtinus,
Benedictus & alij voluerint eſſe mordarij (vt vul-
go dicitur) animarum ſuorumque filiorum neca-
tores pernicioſiſſimi, non pij nutritores. Dum
præterea quærunt Deo ſtatuere filios regni, fece-
runt eos gehennæ filios, non iam in duplo ſed
millecuplo plus quam prius. Quod ſi hoc ſentire
nefas eſt, nefas vtique erit dicere quod viam man-
datorum Dei ipſi non faciliorem effecerint, ſed
vndique ſpinis horrentibus & laqueis ac præcipi-
tijs in inferna mergentibus oppleuerint. Volue-
runt ergo conſtitutiones ſuas non habere robur
par ad legem Dei obligatiuam purè præceptiuā,
quando nec Deus hoc de omni lege ſua voluit.
Voluerunt inſuper has inſtitutiones in quantum
addunt ad præcepta Dei explicitè accipi, vel vt
monitiones ſalutares, vel vt conſilia vel vt man-
data temporaliter pœnalia, quorum tranſgreſſio
aut nullius aut breuis diſciplinæ temporalis ob-
noxia eſſet. Quis neſciat eos non neſciſſe dan-
dum eſſe timori Dei locum, & non totum huma-
no pauori, iuxta conſilium ſapientis? quod inſu-
per per timorem declinat omnis à malo: Ita verè
fructuoſius quam terrore punientis viri, quam-
quam & hic terror nonnunquam vtilis eſt, ſed ne
nimis. Quis rurſus abnegauerit tales patres ſpiri-
tuſancto plenos, Benedictum, Auguſtinum, cæ-
teroſque non fructuoſius ea quæ recta ſunt quā
eorum ſucceſſores longè imparis autoritatis atq;
ſanctitatis ſtatuiſſe? Conſtat autem nouiſſimè

Digitized by Google

iam in multis religionibus expreſſo verbo cautum eſſe, vt vouens regulam nulla transgreſſione cuiuſuis humanæ ſuæ inſtitutionis reus ſit ad noxã, ſed tantum ad diſciplinam ordinis conſtitutam. Hoc videlicet vtile eſſe diuinus Auguſt. & ſapiẽtiſſimus non vidit,& hoc iſti cognouerunt? Non ita eſt. Hoc planè vidit & ſenſit Augu. hoc Benedictus,hoc alij ſanctorum patrum. Et quia ſufficienter ex recta ratione & lege diuina, & modo traditionis ſic interpretandam eſſe regulam ſuam præſumebam expreſſione hac non vſi ſunt, quam tamen iſtis diebus propter ſcrupuloſos & ſimplices vtilem eſſe non negamus. Vellem nobis dicerent auſteriores illi religionum cenſores, ſi quęſiſſet aliquis ab Augu. Ecce iubes pater vt non loquamur in clauſtro, vt in geſtibus corporis nos compoſitos, vt in nutibus oculorum nos caſtos habeamus. Vis ne igitur vt quiſquis contraria horum fecerit quæ aliunde ex Chriſti libertate licerent, ille ſit reus capitalis criminis, vis vt infernali æternæ mortis ſupplicio contradatur? Noui mãſuetudinem animi tui pijſſime pater Auguſtine, noui prudentiſſimam diſcretionem tuam, quam audire mihi videor reſpondentem, & cum quodam horrore animi ac fricatione faciei dicentem? Abſit hoc ô filij, qui vos iudicat, Dominus eſt. Ego interim quod ſalubre eſt dedi monitum vel conſilium. Ego ſi illud transgredi cognouero, diſciplina regulæ erit ſuper vos quæ vos liberabit. Itaque volo ad ſuaue iugum Chriſti teneriores vos adhuc quaſi iuuenes aſſueſcere, non necare, erudire, non perdere. Hæc enim tali viro digna reſponſio. Proinde ne quid ſcrupuloſitatis hæreat, quin radicitus extirpetur, quæramus à nobiſmetipſis quid addit obligatio regularis ad Chriſti ſeruitutem, cui ſeruire ſumma ingenuitas eſt, libertas & regnum. Ne quis etiam exiſtimet velle nos culpare diſciplinam laudando libertatem. Addit affirmamus, hæc regularis inſtitutio multum per omnem modum. Primò, quia ad pœnam ab ordine aut ſuperiore taxatam religioſus transgreſſor etiam inuitus licitè cogi poteſt, nõ ita ſecularis. Habet hæc ratio locum in omni obligatione politica, vtputa in Vniuerſitate Pariſienſi. Siquidẽ cogi poteſt ſuus iuratus ad multa facienda, & ſi non ſub pœna peccati mortalis in omnibus quæ iuraſſe videtur, ſub pœnis tamen per vniuerſitatem infligendis vſque ad priuationem & reſecationem incluſiuè, vſque etiam ad pœnas quę dantur periuris, quamquam ille apud Deum nullius periurij reus habe
etur. Porrò & ſi foret hoc abſque culpa ſua criminali, non tamen abſque cauſa, ipſe ideo nec conqueri neque murmurare & obniti deberet. Hoc maximè verum eſt in politijs, quorum finis immediatus eſt bene regulare homines in vita ciuili & politica, in eis ſcil. quæ vitæ huic corporali deſeruiunt, ſi finis eſt temporalis Et nonne medium agens aut ordinans ad illum finem vt talis eſt, eſſe temporale debet? Propterea per reatum pœnæ æternæ non obligabit princeps politicus de per ſe & propriè ad obſeruationem legis ſuæ, vt talis eſt. Sed in ſacramentalibus & diuinis exercitijs plus habetur ſcrupuloſitatis, ſicut ad finem ſupremum directius & immediatius ordinatur, quamquam multa ſint in eis plus monitoria quam præcepta, ſicut in religioſis. Amplius ſecundò ſi religioſus contempſerit regulam

A ſuam, & ſui ſuperioris autoritatem, etiam in his quæ appellamus monitoria, & pro quibus ſola diſciplina ordinis ſtatuta, aut ſuperiorum eſt arbitrio derelicta, ille peccat grauiter, quia & monitum contemnit ait Bernardus & remedium. Quid autem ſit contemnere ſupra docuimus. Itaque ſi paſſim & abſque prætenſo quaſlibet ignorantiæ vel fragilitatis vel impotentiæ velo, ſed pro ſola libidine transgrediẽdi quæ monita ſunt, religioſus effrenis eſt ad omnia velut vnus ex ſecularibus, palam eſt quod contemnit, præſertim

B ſi ſuper his ipſe addiderit pertinaciam quæ recuſet diſciplinam. Sic & accipiendum reor illud Bernardi & aliorum communiter dicentium talia eſſe criminalia ſi contemnantur, vel ſi fiant ex contemptu. Carent autem hoc contemptu qui ex fragilitate humana vel quadam leui curioſitate frangunt ſilentium, aut talia agunt oppoſita his quæ monita ſunt. Vel ſecundum Bernardum factitia, præcipuè quia parati ſunt ad diſciplinam ordinis, ſi & dum illa iuſtè requiretur ob

C ab eis conformiter ad regularem inſtitutionem & conſuetudinem bonam in talibus obſeruatam. Noſtrum ideo ſermonem ſic moderamus, quia non liceret abbati ſeuerius iuſto præter regulam & conſuetudinem punire talium monitorum tranſgreſſores. Multo minus in vniuerſitatibus & collegijs cæteriſque politijs, nam in talibus conſuetudo legem facit. Iuxta hoc videre eſt quali reatu conſtringuntur tranſgreſſores ieiuniorum ab eccleſia inſtitutorum horarum canonicarum & feſtorum, & ſimilium. Et ſi pro libito

D poteſt prælatus abſq; cõſenſu ſubditorum imponere eis iuga magna feſtorum, aut aliorum exercitiorũ ſpiritualiũ, pręter manifeſtam vtilitatẽ & neceſſitatẽ cultus Dei pro loco & tẽpore, ſic abſq; cõſenſu occidẽtaliũ nõ fuiſſẽt apud ſuos ſacerdotes interdicta matrimonia. Nam oriẽtales quia diſſenſerant ipſi vt nubant licet, ita de plurimis in qualibet politia. Rurſus tertiò religioſus, quia nõ ſibi ſoli viuit, ſed cæteris tam bene factoribus viuis & mortuis, quam conſortibus & coadiuto-

E ribus ſuis. Reliquum eſt vt ipſe regularius viuat ſub iugo quodam obligante cum cum cæteris, alioquin ſcandalizaret ſuos, & ita melius eſſet ei vt ſuſpenderetur mola aſinaria ſecularium negotiorum ad collum ſuum, & demergeretur in profundum maris anguſtiæ & tribulationis. Hæc ſocietas & hoc ſcandali periculum faciunt vt ſedulius aliqua facere vel omittere teneatur. Poteſt inſuper aſtringi pro bono totius communis religionis ad aliqua, quæ ſi ſolus eſſet libera mente reſpueret. Quid mirum de religioſo,

F quando ipſe princeps ſecularis poteſt quoſdam ex ſubditis inuitos ad aliqua compellere pro manifeſta neceſſitate communitatis. Ita in vniuerſitatibus & collegijs. Ex hoc præterea ſilentium frangere erit in caſu ſcandali grande delictum, aut ſimiliter aliqua talium offenſarũ aliunde leuium, dum nouitij vel tota religio inde turbantur, ita vt negligendo minima ipſe religionis vigor paulatim decidat, & in magnis etiam totus abſcedat. Verum eſt itaque quod apud Saluſtium dicit Iulius Cæſar: In maxima fortuna minima eſt licentia. Sic in maximis viris vel ordine vel ſanctitate,

vel

Digitized by Google

vel gradu ſubleuatis, tanquam poſitis in exemplar aliorum, multa quandoq; non licent in publico ſaltē, quæ aliunde vel in occulto licerent. Sic forte Carthuſienſis abſq; peccato mortali in caſibus multis poſſet vti carnibus, ſi ſolus hoc poſſet, & ſi paratum eſt cor eius diſciplinæ ordinis ſubiacere, hunc tamen rationabiliter debet tunc compeſcere & ſcādali formido & aliorum proſpectus. Propterea puniuntur tāta ſeueritate defectus qui fiūt circa myſteria ſacramentorum, maximè in miſſa contrectando hoſtiam ſacroſanctam & indumētis myſticis ornando ſe, quamquam illic poſſit negligentia ſurrepere venialis non mortalis, ſed ita placuit ſcandalum ſedare ſeueritate vindictæ.

Quod ſi quis ex ſacerdotibus dixerit, quo pacto potuit abſque conſenſu proprio fieri ſuper ſe ſtatutum ne matrimonio iungeretur? Reſpōdemus quod neque hoc factum eſt. Sed ſi conqueritur, imputet ſibi qui talem ſtatum ſponte delegerit, quis cogebat eū, ſed & quis cogere poterat? Nullus ſi nō forte neceſſitas publica, aut reuelatio diuina, aut culpa propria, quæ ſic arceri merebatur acceſſiſſet, ante votum libertas, per votum facta eſt neceſſitas. Quod ſi dixerit iterum, quod conſenſus mutuus viri ad fœminam facit matrimoniū de iure naturali. Conſtitutio igitur purè poſitiua, quo pacto voluit inualidare ius illud, ſed neq; inquit expreſsè quicquam voui. Reſpondemus ad vltimum quod nō ſolum vouit, ſed votum ſolemnizauit per ordinis ſuſceptionem ſi neſciuit ſciat. Aſt primum turbat quoſdam ex doctoribus, nominatim Durandum. Dicimus autem ex quo ſic incidit quod eccleſia vel habuit hoc ex inſpiratione ſpirituſſancti à quo regitur, vel quia conſenſus inquantum quodammodo policitus eſt, ſubeſt autoritati ſuperioris, quamobrem potuit ex certa neceſſitate prohiberi ne fieret, & inualidari ſi fieret. Hoc in alijs cōſenſibus politicis venditionum & emptionum palam conſtat. Sed ad rem noſtram redeo.

Diximus quod monita ſalutaria ſunt in religionibus quibus adhibētur pœnæ temporales vt ſeruentur. Quæ eſt hæc religio, opponet aliquis velle homines timore non filiali, ſed plane ſeruili ad obſequium diuinum trahere? Reſpōdemus quod nemo repente fit ſummus, à timore ſeruili concipitur filialis. Quinetiam timor iſte ſeruilis radicaliter eſt filialis ex voto primo quod ex charitate ſupponit proceſſiſſe. Ob hoc non abſurdum mihi videtur ſi dicantur actus inde pullulātes, etiam dum pro hora ſolo timore diſciplinæ complētur laudabiles eſſe, & ſuo prœmio non carere. Vulneratus adeſt aliquis horret manum medici, timet cedere doloribus, poſtulat vt ligetur, & ſi poſtmodum ipſe ligatus reclamet, & nexus excutere ſatagit, ſanatur tamen & laudatur ſibi quoque ſua neceſſitas in iocunditate vltroneam commutatur. Submurmurantes adhuc aliquos audire videor ex his qui poteſtatem habere ſuper alios, & ipſi nihil ſubijci gloriantur. Tu totam inquiunt ſuperiorum autoritatem in ſubditos eneruas, eis ſuper alios quid relinquis? Tu ſubinde magnam & liberam inobedientiæ viam pandis, quam in tanta pronitate præuaricationum arctare debueras. Denique ex hoc multiloquio tuo, ex inuolutione ſententiarum ſermonibus imperitis, nihilo magis

A quam antea docti ſumus dum ad particularia veniendum eſt. Audiant qui tales ſunt ex eccleſia paſtorem eccleſiæ, non dominantes ait in clero, ſed forma facti gregis, & illud Domini per Ezechielem improperium: Vos cum auſteritate imperabitis eis. Illud quoque Chriſti: Imponunt onera grauia & importabilia &c. Intelligant tandem eſſe præceptum omnibus vt nihil addatur aut diminuatur ex verbis Dei ſi ſe velint audiri. Audiant primò Dominum in lege ſua & id quod audierint tanquam præcones & interpretes alijs

B minus inſtructis denuncient, non ſua ſed Dei autoritate. Ita demum qui eos ſpernet, Deum ſpernet, æternæque mortis reum ſe faciet. Verum in cæteris quę Chriſti lege nequaquam firmata ſunt, quæ prętere a magis ad ciuilitatem huius vitę proficiunt, ſtatuant ipſi quæ ſtatuenda vtiliter agnouerint, ita quod ſtatuta hæc in quantum ſua ſunt, haberi velint quaſi monita & facticia, quorū infirmi tranſgreſſores temporali, non æterna mulctatione plectendi ſunt. Cæterùm paralogizant

C qui ſic argumentantur. Non eſt poteſtas niſi à Deo, & quicquid præcepimus, vice Dei præcipimus, quicquid iubemus in terris illud approbat Deus in cœlis. Omnia igitur præcepta noſtra diuina ſunt & paris ad euangelium autoritatis. Planè ſic concluderet quicunq; princeps etiam paganus ſeipſum habere autoritatem æternæ vitę & mortis. Sic concluderet omnis licētiatus in theologia & decretis ſe habere poteſtatem interpretādi ſacram ſcripturam & iura, non ſolum ſcolaſticè, ſed & doctrinaliter, ſed apoſtolica autoritate.

D Sic libri omnes ab eccleſia approbati omnes eſſent articuli fidei ſicut biblia. Fatemur itaque datām prælatis & principibus poteſtatem à Deo, ſed refert qualiter & qualem. Doceant nos exempla poſita licentiando in theologia & decretis, datur à papa autoritas, qualis autoritas exponendi & interpretandi ſacram ſcripturam, non tamen vt expoſitio illa ſit autoritas apoſtolica, ſed eſt declaratio quædam magiſtralis & ſcolaſtica. Libros ſanctorum approbat eccleſia non tamen vt robur au-

E toritatis teneant par ad eccleſiam, ſed vt ſciantur in multis eſſe vtiles ad ædificationem. Non ſecus eſt in propoſito. Prælati ſiquidem & principes habent autoritatem à Deo regendi populū ſuum per leges & inſtituta vltra leges diuinitus inſpiratas, non quod leges ſuæ & inſtitutiones cenſendæ ſint diuinæ, ſed recipiendæ ſunt vt ſalubria monita, nec leuiter contēnendæ. Alioquin tranſgreſſio pœnam habet non qualemlibet, ſed qualem poſſibile faſque eſt homines infligere. Propterea concludimus maiorē deberi obedientiam

F prælatis & principibus in eis, in quibus ſunt ſolum velut præcones & nuncij, quam in illis quæ ſuo relicta ſunt arbitrio ſtatuenda. Exemplum manifeſtum eſt in præconibus denunciantibus populo legem regis. Nouiſſimè quod inculpant nos tanquam dilatemus viam inobediētiæ, quod ſuper nihil edocemus. Mirum nil accidit. Quid enim vel dici vel ſcribi vel fieri poteſt à calumnijs alienum? Scimus quod reprobis etiā omnia cooperantur in malum, omnibus abutūtur, omnia in laqueos & decipulas pedibus ſuis vertunt. Nihi-

Digitized by Google

miſſus ſolem & pluuias nullus dicet inutiles, quia ex eorum actione ſicut germinant vtiles plantæ, ita plures infertiles pullulant, nec flos vinearum ideo exterminandus eſt, quia bufones necat. Planè malus tam laxo quam ſtricto fune laborat, iuxta verbum Flacci, hoc eſt, in malum ſuum trahit doctrinam tam laxam quam ſtrictam in moribus. Deinde multo minus admiramur dum dicunt ſe nihil à noſtro multiloquio doceri, nos noui nihil attuliſſe. Excuſat me profunditas materiæ quam Aug. tam perſpicax doctor quodã loco dicit aut non aut vix in hac vita attingibilem: Conſolatur me præterea dictum cuiuſdã Hiſmenij à Hierony. repetitum: Mihi cecini & muſis & ſi nemo alius audierit, quamquam de nonnullis aliter ſpero. Hos alios verò quorum oculos mentis & corporis obuoluit craſſa nubes deſideriorũ & phantaſiarum carnalium, quibus non ſchola, ſed diſcholia, vanitas, non veritas placet, quos curæ iuges vitio ſæq; confundunt, nunquam expecto vt aliquid tenuè, aliquid eleuatum & reſolutum accipiant, nõ ſi ipſum etiam ſolem digito (vt aiunt) prodiderimus. Neq; tamen vſurpo mihi tale aliquid tradidiſſe quod ab alijs dictum nõ ſit prius. Hoc ego potius in laudem mihi deputo, quod dicta ſanctorum & doctrinam quæ communis eſt in ore & cordibus hominem meis verbis explicui, & veritatis lucidam ſententiam quaſi de quodam inuolucro fumoſo diſcordium verborum feci ſplendeſcere, dicam modeſtius, facere conatus ſum. Quod an perfecerim illorum ſit iudicium qui perſpecaciores viſus habent tui præcipuè inclyte præceptor cui ſicut præfaciunculæ initium, ita finem huius operis dedicamus.

Cum in prologo tractatus præcedentis pollicitus ſit Cancellarius ſe tres partes traditurum & non niſi vnam abſoluerit, non videtur alius tractatus conuenientius pro ſecunda parte ſubiungi poſſe quam centilogium eius de impulſibus, id quod deprehendi poteſt ex verbis eius quæ leguntur in tractatu octauo ſuper Magnificat, partitione prima circa finem, in hunc modum Diſcipulus. Venit in recordationem illud ſcriptum tuum per ſex lectiones, vbi dictum apoſtoli tractas. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus, diſtinxiſti quadruplicem vitam ſpiritus. Porrò de motu & ſtatu noſtro in Deo praſtolabantur aliqui ſermonem. Nunc aduenit occaſio loqui de motibus impulſuum bonorum & malorum, dum nunc impulſos & depulſos ſuſcepit contremiſcens morientium terra, velut in quodam ſtationis ſerenæ ſinu. Mag. *Centilogium accipies ſeorſum de impulſibus, cras præterea dum ſuppetet hora quæ nunc tarda eſt plurima rurſus me loquente & te auſculante de bonorum & malorum angelorum officio quietus accipies.*

CENTILOGIVM DE IMPVLSIBVS MAGISTRI IOANNIS GERſon *Cancellarij Pariſienſis.*

DEPOSVIT potentes de ſede, & exaltauit humiles. Centilogium de impulſibus quibus nunc potentes deponuntur, nunc exaltantur humiles, traditurus ſum, mouet textus noſter de cantico Mariæ, mouet & illud quod ab apoſtolo poſitum pridem A tractauimus. In Deo viuimus mouemur & ſumus. Dictum fuit per ſex lectiones de vita quadruplici quoad verbum viuimus. Dicemus nunc in otio de motibus, quibus cognitis quies citius innoteſcit, quam denotat verbum ſumus. Sic ex nauigatione fluctiuaga, venimus ad portum ſolidum ſic ex peregrinationis ambulatione ciuitatis terminus expenſatur. Loquimur per decades decem verborum ſeu theorematum aut notularũ. Et in primis docebimus quid ſit impulſus.

Decas prima.

B IMpulſus nomen prius impoſitum fuiſſe à motu locali tanquam notiori ſenſibus: ſed tranſlatum tanquã ad omnes alias motiones. Impulſus nomen principalius impoſitũ fuiſſe motibus violentis quam naturalibus, ſed extenditur aliquãdo etiã ad motiones & naturales & præter naturales aut ſupernaturales atq; voluntarias. Impulſus nomen cum diſtinguitur propriè captum, contractum eſſe vertiginem ad motus locales violentos, ſed extenditur ad ipſos & alios motus, etiam non C locales, vt dictum eſt, quales tamen ſub tropo diſtinguuntur in tres, circularem, rectum & obliquum. Impulſus nomen dicere largè omnem motionem, cuius terminus aut priuatio quies nominatur, quæ duo dantur intelligi in cantico Mariæ. Depoſuit potentes de ſede. Depoſitio ad motum, ſedes pertinet ad quietem. Impulſus nomen & quietis oppoſitæ philoſophos, agnouiſſe, quorum allegat Apoſtolus dictum egregium loquens Athenienſibus de Deo, in ipſo viuimus, mouemur D & ſumus, ſpectat ly ſumus ad quietem & ſtabilitatem. Impulſus nomen extendi poſſe quamuis impropriè valde ad omnem mutationem etiam qualis eſt creatio, vel aëris ſubita illuminatio. Impulſus nomen extendi poſſe, ſed improprijſſimè ad omnem operationem quamlibet intrinſecam & immanentem ita non habere quietem (maximè in creaturis) oppoſitam ſic diceremus quod omnis res poſita in loco ſuo naturali, ſe premit & impellit quodammodo in ipſum, immo ſic dicit philoſophus quod Deus vnica ope-
E ratione ſummè delectatur, qualibet inſuper res iſto modo propter ſuam operationem facta eſt, ſicut propter ſuæ perfectionis conſeruationem, ſi habet vel acquiſitionem, ſi non habet. Impulſus nomen ſic extenſum ſignificare rem perfectiorem per modum quietis in ſuo loco, quã per modum motus ad ſuum locum non habitum. Eſt enim imperfectionis in rebus creatis quod in ſuis locis non valeant immobili põdere ſe locare. Solus Deus eſt huiuſmodi, ſicut ſolus eſt eſſe neceſſe, ſolus in ſeipſo ſicut in loco proprio, nec auelli F poteſt inde nec mutari. Secus de qualibet creatura ad diuinam potentiam comparata. Impulſus nomen ſic extenſum conuenienter accipi de formatione creaturarum per diuinam ſapientiam, quæ ideo omnibus mobilibus dicitur mobilior, quæ attingere à fine vſque ad finem fortiter, & diſponere omnia ſuauiter, in numero pondere & menſura prædicatur. Impulſus nomen ſic extenſum cuilibet creaturæ adaptari poſſe & eò perfectius, quo de perfectionibus ſecundis amplius participant, & abundantius ſuſcipiunt.

Decas

Digitized by Google

Decas ſecunda.

CReatvras eò plus ſuſcipere de impulſu diuino quò perfectiores ſunt, plus inſuper à Deo dependere, minus propterea exiſtere quoad hoc neceſſe eſt, plus denique diuino niti impulſui ſicut & fluxui, quoniam fluxus illo modo coincidat cum impulſu. Creaturarum beatitudinem ſeu fœlicitatem naturalem poſſe dici ſecundum naturam propriam & benè inſtitutam agi vel impelli, ſpectat ad hoc illud philoſophiæ iuxta Boëtium de Deo dictum. Cuius agi frenis ſumma libertas eſt. Creaturarum pacem eſſe diuino influxui ſuauiter obedire. Eſt enim pax ordinis tranquillitas. Ordo autem definitur quod eſt parium diſpariúmque rerum ſua vnicuique tribuens diſpoſitio. Hæc autem diſpoſitio non fit ſine impulſu diuino ſiue influxu pariter & illapſu ſuo modo cuilibet. Creaturarum diſpoſitionem diuinam non per depoſitionem appoſitum conturbari, nec penitus ab omni ſede deponi, nam quia quæcumque res deponitur ab vno ordine vel diſpoſitione defluit & impellitur in alteram ſicut ex depoſitione à ſede miſericordiæ reponitur in ſede iuſtitiæ, vbi non minus ordinatè collocatur damnatus in inferno ſuo modo, quam beatus in paradiſo. Creaturæ rationalis propriam beatitudinem hic inchoare per gratiam & conſummare per gloriam, exiſtere in ſuſceptione exaltatiua humilium, ſicut è conuerſo miſeria & damnatio conſiſtit in depoſitione potentium ſuperborum.

Creaturam rationalem plus obligari Deo, ſi nunquam à ſede ſua ordinis gratuiti depoſita fuerit per peccatum, quam ſi poſt impulſionem & caſum reponatur in ſede, & hoc cæteris paribus & ſecundum conſiderationem gratiæ præſeruantis. Creaturam rationalem quæ corruit à ſede gratiæ, plus cæteris paribus obligari miſericordiæ liberanti & exaltanti. Et hoc ſecundum rationem miſericordiæ quæ miſeriam ſupponit infuiſſe.

Creaturam rationalem quæ nunquam depoſita eſt, nec deponi debuit à ſede gratiæ (qualis inter homines ſola fuit anima Chriſti) plus obligari Deo quam cæteras, in ratione gratuiti muneris accepti. Concordant hæ tres cōſiderationes vltimæ reſponſum Simonis à Chriſto probatum. Cui minus dimittitur, minus diligit ſupple facta comparatione ad miſericordiam liberantem à miſeria, non ad purè liberaliter largientem. Notauit Pſal. quatuor exaltationes. Primò à lapſu mortis: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Secundò à venialibus, quorum tecta ſunt peccata. Tertiò per ſanationem à peccato originali: Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Qualis fuit inter homines virilis Mariæ ſpiritus. Quartò perfecta innocentia. Qualis eſt anima Chriſti ſola in cuius ſpiritu nunquam fuit dolus. Creaturam humanam viatricem attendere plus debere impulſus varios prout habent rationem boni moralis & honeſti atque laudabilis aut moralis, aut oppoſitas rationes, quā ſub conditione ſua naturali.

Creaturam humanam viatricem attendere plus debere ad impulſus rerum varios ſecundum philoſophiam moralem vel metaphyſicalem vel rationalem quamuis ſi vtraque cognitio poſſet apprehendi ſine vitio curioſitatis plus vtique ſimul laudanda eſt.

Decas tertia.

A COgnitionem certam ſuper varietate impulſuum moralium in bonitate & malitia, purè humanitus non haberi, neq; ſecundum originem, neque ſecundum media, neque ſecundum finem, hoc maximè videtur de impulſu Spiritus-ſancti qui ſemper eſt ad bonū, & præſentiſſimus per illapſum. Spiritus tamen vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat aut quò vadat. Conſonat illud apud Iob: Et quaſi furtiuè inquit, accepit auris mea venas, id eſt, vias ſuſurrij eius.

B Cognitionem probabilem ſuper hac varietate impulſuū moralium expedire perſcrutari quamlibet ſecundum vocationis ſuæ ſtatum, alioquin ignorans ignorabitur, nec vitatur malum niſi cognitum, vitatione laudabili. Cognitionem probabilem ſuper huiuſmodi varietate impulſuum moralium, non haberi ſufficienter per impulſus quoſlibet corporales exterius in corpore conſideratis in natura ſua vel in eſſe naturæ. Reſpicit hoc verbum ſuperſtitioſas omnes obſeruationes abſque numero, per ſortilegos, per omnia, per C auguria, per ſomnia, per chiromantiam cum omnibus dæmonum contagijs, contra quæ nunc orat Eccleſia dicens: Da quæſumus domine populo tuo diabolica vitare contagia. Cognitionem probabilem huiuſmodi non haberi ſufficienter ex motu ſenſibili cordis humani vel ad bonum de genere vel ad malum, hic eſt lapſus plurimorum qui ſe deuotos exiſtimant, ſequi vt ſemper vel frequenter impulſum cordis ſui, præſertim ſi videatur ad bonum, ſicut ad religionis ingreſſum vel D ſolitudinis vel multiplicationem in votis: Cor meum aiunt impellit me ſic & ſic ad bonum, non eſt reſiſtendum impulſui Spiritus-ſancti. Addunt in perniciem dare cæteris conſilia vel reſponſa iuxta proprij cordis impulſum tanquam diuinum & certum. Cognitionem ſuper impulſibus eò frequenter plus eſſe ſuſpectam, quò vehementior & vrgentior fuerit hic impulſus, etiam ſub ratione laudabilis hoc millies expertum eſt in furore nouitio, hoc eſt habituatis circa delectationes aliquas. De qualibus apud poëtam, an qui amant E ſibi ſomnia fugiunt, & hoc maximè circa muliebrem auiditatem, quia varium & mutabile ſemper fœmina, ſequitur quoque præceps impetum cordis ſui. Cognitionem ſuper impulſibus moralibus probabilem non haberi ex motibus cordis naturalibus qui proueniunt ex radice multiplici ſe habente indifferenter ad mores, quarum potior eſt complexio naturalis ſub quadruplici genere ſanguineorum, cholericorum, phlegmaticorum, melancholichorum, de quibus alibi multa. Co- F gnitionem ſuper inſtinctibus moralibus non haberi ſufficiēter ex altera radice impulſuum naturalium, quæ eſt complexio accidētalis per paſſiones & paſſibiles qualitates, habitus vel diſpoſitiones acquiſitos. Cognitionem huius non dari ſufficienter ex altera radice, quæ colligitur à diſpoſitione medij circunſtantijs aut alimenti varij, vel etiam à ſuperiori radice cœli, Cuius influxus & impulſus virtuoſitatem ſentiunt & oſtendunt res aliæ non habentes rationem, in quibus tamen nihil tale eſt laudabile vel morale. Cognitionem non haberi ſuper impulſibus moralibus per qualeſcumque impulſus qui ſunt indifferenter

Digitized by Google

ſe habentes ad bonum vel ad malum moris iuxta conditiones vtentis libertate. Hoc vidit qui dixit: talia ſunt iſta qualis eſt animus vtentis. Cognitionem impulſuum moraliũ quia cognoſcere certitudinaliter nõ poſſumus dictum eſt. Cor hominis prauum & inſcrutabile quis cognoſcet illud.

Decas quarta.

DIXIMVS impulſus diuiditur, quoniam alius eſt virtuoſus, alius eſt luminoſus, alius benignus ſeu dulcoroſus, & hoc ſecundum tria appropriata in diuinis. Sic ex aduerſo triplex ex ſathana conſurgit generalis impulſus, vnus eſt violentus, alius fraudulẽtus tertius malignus. Violentus impellit iraſcibilem. Fraudulentus & doloſus rationalem. Malignus concupiſcibilem. Diuinus impulſus fit aliter quam diabolicus. Deus illabitur animæ rationali, quæ tria capit ab ipſo ſine medio, naturam, gratiam & gloriam. Dicitur autem illapſus plenum ſuper animam intetius & exterius dominium. Cor regis (inquit Sapiens) in manu Dei eſt, quocumque voluerit inclinabit illud, diabolus autem vel altera creatura dominiũ tale nunquam habet. Diuinus illapſus & ſi non poſſit cogere liberum arbitrium vt liberum eſt, quoniam hoc implicat contradictionem, vt idem fiat violenter & non violenter, poteſt tamen inducere neceſſitatem ad illud quod ſibi placuerit vt de anima non voluntaria poteſt reddere ſpontaneam, docuit hoc Pauli conuerſio. Diuinus illapſus ponit ſub lege ſua homines qui ſpiritu Dei aguntur, dicuntur tamen legi Dei non eſſe ſubiecti quia ducuntur non metu legis aut præmio, ſed illapſu Dei ſolo ad impletionem legis ſuæ. Non eſt enim contradictionis Deus, vt liberet ſuos à lege ſua, ne faciant illam prout illi nefarij de lege libertatis blaſphemabant. Diuinus illapſus non ita confirmat animã rationalem, quando liberum eius arbitrium proprietati eius relictum, vt deliberans vel arbitrans ne poſſit in oppoſitum prolabi vel ſuſpenſo ſe tenere, propterea finalis & radicalis confirmatio beatorum eſt in æterna manutenentia illapſus beatifici, qui conſideratus ad diuinam potentiam abſolutam, non habet neceſſitatem eſſendi, niſi per inſtans ſolum, quia poteſt dum eſt deſinere eſſe, quamuis neceſſarium ſit dum eſt ipſum eſſe. Eſt enim contradictio dicere, hoc dum eſt, non eſt. Conſequenter ex antedictis, quod omnis vita ſpiritualis animæ Chriſtianæ fundatur in ſolo miraculo influentiæ diuinæ ſummè, liberè, contingenter ad extra, non intra ſe, propterea reducitur vita operum ad vitam habituum ſupernaturalium, & hæc habitualis vita ad primam in Deo vitam, quæ dicitur liber vitæ. Concluditur exinde ſtulta præſumptio confidentium in conatu operum ſuorum, quaſi præuenire poſſet gratiæ influxum. Reſpexit vtiq; dominus ad Abel, poſt ad munera eius. Cur autem ad Cain & ad munera eius non reſpexit, murmuret ſi voluerit, ſuperbia non pertinget, detur voluntati Dei gratia ſua, detur & ſalus. Diſtinctio diuinalis impulſus à naturali non ſufficienter accipitur per hoc quod naturalis inclinatio noſtra ſemper eſt recurua ad proprium bonum, commomodum & honorem. Natura ſiquidem fertur in Deum ſicut condita eſt numero, ſpecie & ordine. Eſt autem ordo ſuus reuerti in Deum plus quam
A ad ſe, vt ſtabilem ſui faciat orbem. Non eſt aſſerendum generaliter, quod ex impulſu naturali & habituali non poſſet Deus ſuper omnia diligi, dum non adeſt naturaliter gratia gratum reddens ad meritum vitæ æternæ. Patuit in primis parentibus ſecundum dicentes ipſos fuiſſe formatos in puris naturalibus & elicuiſſe actum dilectionis circa Deum, conſtat quod hoc actu diligebant Deum plus quam ſe & ſuper omnia, alioquin peccaſſent & ſimoniacè dilexiſſent, non tamen
B merebantur ſic poſt naturæ deſtitutionem, nihil prohibet hominem benè habituatum, ſine gratia gratificante Deum ſuper omnia diligere.

Diuinus influxus per gratiam gratum facientem, immo & per quamcumque gratiam ſupernaturaliter inſpiratam, cognoſci non poteſt euidenter hic, niſi ſpecialiter fuerit reuelatum. Non enim videtur certitudo maior poſſibilis hic naturaliter haberi quod homo ſit in charitate, quam ſi ſentiat quod diligit Deum ſuper omnia paratus mori pro ſe, hoc tamen ſignum poteſt eſſe ſine charitate,
C quemadmodum notat Apoſtolus. Si tradidero inquit, corpus meum ita vt ardeat, nihil abſque charitate prodeſt. Quid iſta conſideratione reperietur efficacius pro noſtra humiliatione, timore, pietate, mititate, luctu & ad omnes benignitate, quia qua ſeueritate iudicemur, quo fine terminemur, ignoramus. Quid ſupereſt, niſi vt de miſericordia Dei ſola ſperemus?

Decas quinta.

D VIOLENTVS dæmonis impulſus, flans à ſiniſtris manifeſtus fuit in afflictione Iob, virtus autẽ diuini illapſus in ſua exaltatione monſtratus. Etenim draco eſt iſte Deus quem formaſti ad illudendum ei. Sæpe ſuis impulſibus deijcitur aduerſis impulſibus Spiritus-ſancti, quibus humiles exaltantur ad virtutes. Iob poſt perditionem ſubſtantiæ, poſt necem ſubitam filiorum & filiarum, ſi ad literam accipiatur violentus hic impulſus, magna in humilitatis conſeruatione prodit exaltatione, dum tonſo capite & ſciſſis ve-
E ſtibus adorauit pronus in terra. Dominus inquit, dedit, non fortuna vel factum, dominus abſtulit non diabolus. Deus recepit quod ſuum eſt cedo libens, plus habens in hoc veræ virtutis quam ſi pauperibus erogaſſet, quia minus vanitatis. Iob ſi ad tropologiam ly violenta perditio referatur non perdidit vitam totam filiorum & filiarum, quoniam filij moraliter ſunt ſeptem dona ſancti Spiritus, filiæ verò tres theologicæ virtutes, ſed nec domus honeſtatis vitæ
F quatuor angulis totidem virtutum cardinalium funditus euerſa eſt, alioquin non manſiſſet iuſtus, nec gratias de perditis virtutibus & donis retuliſſet. Iob impulſus violenter perdidit ad tempus vſum perfectum & iocundum virtutum, quale habere ſolitus erat, quoniam dominus erat ſecum per experimentale ſentimentum. Dicitur autem vſus iſte vita ſecunda, ſicut habitus informans & gratificans nominatur vita prima quæ manſit ſemper in Iob, etiam ſuppreſſa ad tempus oppreſſa actuali vita ſecunda donorum & virtutum. Iob ex inſtinctu ſynderesis certificatus ſuper hoc impulſu tyrannico dæmonis,

mox

Digitized by Google

mox exurgit ad ſpem de Deo radix à capite mentis, A crines cogitationum aut affectionum ſuperfluas, ſcindit veſtes operationum, diſcernés quod non ſufficiunt ad meritum vel ornatum, tandem de toto de ſe deſperans, & in ſe corruit pronus in terram ſolidam æternitatis coram Deo, in quo ſolo ſpem reponit. Iob impulſus & euerſus vt caderet habuit Deum ſuſceptorem, in cuius fiducia dixit adorans: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ. Poteſt hic intelligi literalis mater, ſed appropriatius ad myſterium. Mater hæc eſt iuſtificatio gratuita per oblationes pro eo factas à pa- B rentibus, ſicut in baptiſmo noſtro nouam parit gratia mater infantiam. Sicut ergo non habui veſtem actualis cuiuſlibet meriti mei dicit Iob, dum ita ſpiritualiter renatus ſum. Sic ad Deum reuertar in nullo ope meorum operimento ſpem conſtituens, dominus dedit vitam operum iocundam & vberem, dominus abſtulit eam ſua permiſſione. Sit nomen domini benedictum. Iob impulſus iterum fuit acrius, dum ſathanas licentiatus à domino non ſolum perdidit vitam ſecundam dono- C rum & virtutum in ſentimentis ſolitis. Sed addita ſunt ſentimenta contraria per immiſſiones horridas tentationum de vitijs turpiſſimis & blaſphemijs, quatenus deijceretur anima Iob in conſenſum mortiferũ aut luxuriæ aut blaſphemiæ. Planè ſi terrebat in ſomnis ſathan Iob, quanto magis in vigilia puto ſperabat hæc ſpiritualis afflictio corporalem, quamuis eſſet tanta quanta nullus hominum tyrannorum martyribus irrogare ſciuit.

Iob ſedens in ſterquilino propriè deſpectionis radebat hanc ſaniem tentationum teſta conſide- D rationis propriæ fragilitatis, tanquam audiret à domino cum Paulo taliter colaphizato: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Qualiter hoc? Sanè dum horrendas blaſphemias dæmonis Iob tolerat inuitus nec ſuccumbit nec obedit vxori dicenti: Benedic Deo & morere. Vxor iſta eſt vel ſenſualis vel inferior pars rationis quam compeſcit ſuperior. Iob ita concluſit: Si bona ſuſcepimus de manu domini, bona ſcilicet qualia tentatus optabat vt eſſet iuxta menſes priſtinos dum delectabatur in domino. Mala E autem quare non ſuſcipiamus, & hoc triſtitijs & oppoſitis ſentimentis. Iob placentiſſimam obtulit hoſtiam de ſeipſo, dans ſe totum Deo, quia nihil aſcribit ſibi, nihil retinet, non exteriorem ſubſtantiam, non prolis fœcunditatem, non operum bonitatem, non conſolationem, non iocunditatem: Sit nomen domini benedictum, hoc vnum ſufficit ſibi hanc requirere. Opera ſequũtur mortuos in domino, non præcedunt, fiunt ipſis ad iocunditatem & gloriam, etiam peccata præ- F terita non quia peccata, ſed quia remiſſa, tecta, non imputata per illam quæ multitudinem operit peccatorum charitatem.

Decas ſexta.

FRAVDVLENTVS impulſus pernicioſior eſt quam violentus, eò quod magis latet, neque ita frequenter aduerſus ipſum ſolet ad Deum & ſanctos Angelos eius fieri cum ſpeciali humilitate recurſus, niſi forſitan ab illis qui pro bona conſuetudine exercitatos habent ſenſus. Fraudulentus impulſus vt euitetur petitio videtur magis illa

fieri: Et ne nos inducas in tentationem. At verò contra violentum & malignum, reliqua maximè formatur: Sed libera nos à malo. Sed ſecundum aliam literam, à maligno, id eſt à malè ignito, in quo mundus poſitus eſt totus. Fraudulentus impulſus fallere quærit ſecundum omne genus fallaciarum in ſophiſta, & ſecundum omne genus ſtratagematum in re bellica, & ſecundum brocordica iuriſtarum, & ſecundum inſolubilia & obligationes logicorum, immo etiam proportionabiliter ad omnes induſtrias animalium ſeſe fallentium. Similiter denique ad laqueos aucupum, ad hamos & retia piſcatorum, ad funes & pedicas cum decipulis ad laqueos venantium, ad cautelas luctarum atque inuolutiones diſputantium, ad furias gladiatorum. Fraudulentus impulſus nonnũquam illaqueat eos, & deceptionis foueam præcipitat, eo ipſo quod ſuper ipſis notitiam alijs tradere ſatagunt ampliorẽ. Fouea vna eſt ſuperbiæ inaniter gloriãtis, & ſe cæteris in hac re præferentis. Altera dum de pauciſſimis æſtimat aperuiſſe omnia vel maiora. Tertia dum & alios vult ad huius doctrinalem cognitionem tradere curioſius quam oportet. Quarta dum vincere confidit in illis. Quinta dum irridet vt idiotas & expoſitos omni lapſui peccatorum ignorantes. Sexta ſi tepidior fiat ad orationis auxilium. Septima ſi minus præcaueat circuitus dæmonum, quaſi notos ſibi.

Fraudulẽtus impulſus eò ſæpe plus & citius illaqueat quò quæritur per humanam induſtriam magis vinci. Præſumptio enim de viribus ſcientiæ vel ingenij meretur illud, & eò amplius quò non arbitratur illud vel tentari. Fraudulentus impulſus dum prædicando vel ſcribendo detegitur & propalatur, acrius ſecundum diabolum quærit machinationes ad vincendum, etiam ex ſui victoria eſt furor irrationabilis & amans concupiſcentiam, quære in eo rationem, quære pacem, & non inuenies. Fraudulentus impulſus fecit, vt Dauid & alij componerẽt pſalmos aduerſus ipſum, quos cum doctrina Pauli illi non ſapiunt, qui nunquam per huiuſmodi doloſos inſultus intentati victores euaſerunt, facti per humilitatem exaltati. Ex hoc eſt præcipuè tentationum vtilitas ſimul, vt experiamur quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Fraudulentus inſultus ſi cognoſcitur in generali, parum valet ad euaſionem. Et ſi in particulari, non ſufficit humana virtus ſine gratia ad ſuperationem. Fraudulentus impulſus acceptior & familiarior eſt ſathanæ quã ſolus violentus, per quam opprimit omne iudicium rationis, per languores horridos corporales, plus enim quærit animas ſic impellere quod imputabiliter peccent quam in lapſum præcipitare talem quo nihil imputetur eis de his quæ patiuntur, quæ dicunt aut faciunt ad peccatum.

Fraudulentus impulſus eò plus debet formidari & eſſe ſuſpectus quò magis cognoſcitur quia ſapiens videt & timet, ſtultus ignorat & tranſilit. Hinc vetus apud Græcos prouerbium: Eruditio timorem, ignorantia audaciam parit. Iungatur exemplum ex natura, quam duplex explicat verſiculus.

Si volucri captæ dat ſors euadere poſſe.
Partibus in cunctis eſſe timet laqueum.

Decas ſeptima.

DOLOSVS impulſor Sathan à ſede poſitus, vtitur cautelis ſophiſtarum, ſe celat & multa petit. Celat ſe nunc ſub habitu theologi, nunc prædicatoris, nunc confeſſoris, nunc religioſi, nunc ſolitarij, nunc prælati & ita de quolibet ſtatu ſe formans vertit in omnes, hinc nomina mille, mille nocendi artes. Doloſus impulſor ab initio ſub figura ſerpentis aſtuti ſe fingit theologum, locutus eſt ad Euam de Deo, quærens in dolo. Cur præcepit vobis Deus, & cæt. Fallax impulſor illuc prouocat, vt in dubitationem certum præceptum Dei conuertatur factum eſt vt impulit. Reſpondit mulier iam ſibi blandiens iam obedientia trepidans, ne fortè moriamur. Subintulit audax & mendax. Nequaquã moriemini. Primò accuſauit de inuidia Deum, aſcendit ad ſcientiæ deſiderium futuros denique ſpopondit pares Deo, vicit, depoſuit primos cum ſua poſteritate de ſede dignitatis ſuæ. Doloſus iſte nequiore proteruia tentauit poſtea Chriſtum theologizans in allegatione ſcripturarũ, ſed vera theologia ſuperabit falſam, & humilitatem exaltauit. Doloſus impulſor theologizabat apud dæmoniacos quos curabat Chriſtus, clamans, quia tu es filius Dei. Vnus inter alios delectatus in nouitate verborum, primus vocauit Chriſtum Ieſum Nazarenum. Sed non ſinebat Ieſus dæmonia loqui nolens à patre mendacij teſtimonium accipere veritatis, miſcent enim ſemper falſum aliquod veritati, quo citius recipiatur toxicum melle litum peccati. Doloſus impulſor theologizabat in puella pithonica de actibus Apoſtolorum, quæ teſtificans de Paulo & ſocijs: Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis. Prohibuit eam exemplo Chriſti Paulus, & quia quæſtum dominis ſuis abſtulit, perſecutus eſt vehemẽter. Quo contra faciunt fictis miraculis & reuelationibus muliercularum, vt ita quęſtum ſibi parent vel honorem. Docuit hanc fraudem experientia de multis & in multis ſub ſpecie ſanctitatis in obfucationem Catholicæ veritatis. Doloſitas ſathanæ deſcribitur ampliſſimè ſua typo trium amicorum Iob, qui figuram tenent hæreticorum, ſicut quartus Heliu præſumptuoſus ſignificat, patet in ipſorum diſputatione. Quintus ſathan oſtentabatur eſſe theologus, ſed ad peſſimum contra Iob finem armabantur, & eo doloſius quò verius & diuinius allegant in plurimis. Doloſitas ſic aperitur. Erat Iob interior homo ſpiritualis præditus ſapientia quæ deſurſum eſt. Sciebat homines per prouidentiam Dei ſanctos, qui non haberent hic ciuitatem manentem ſed futuram inquirerent. Sciebat quod vltimum non erat in hoc mundo iudicium, vt reciperet vnuſquiſque opus ſuum, ſed omnia in futurum ſeruabantur incerta, quouſque illuminaret dominus abſcondita tenebrarum. Doloſitas amicorum Iob in hoc erat, quia non ſapientiam ſequebantur quæ deſurſum eſt, ſed terrenam, animalem diabolicam, & hoc ſecundum tria quæ temporaliter offeruntur bona, tanquam fines mundanorum in diuitijs, in delitijs honoribus & pompis. Itaque tres amici Iob beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. Iob verò dixit: beatus populus cuius dominus Deus eius. Doloſus inde conſurgit aduerſum Iob impulſus, quia non collaudat vitam hanc veteris hominis, A ſed ex conſideratione peccatorum & miſeriarum quibus compedita eſt, maledicit obediendo deteſtandóque, non naturam ſed culpas & miſeriam, neque petit cum abſoluto rationis iudicio impoſſibilia fieri, ſed quædam velleitate conditionata. Concludit tandem ſe miſerias non pati propter peccata ſua, prout improperãt amici, nec deſperat in hac vita in qua nec poteſt nec debet fœlicitas expectari, cum bonis ſæpe mala, & malis bona proueniant, & hoc quidem lege certa Dei, ſed B nobis ad plenum non cognita. Doloſitas ſathan manifeſtatur in Heliu garrulo, faſtuoſo, qui non conſolatur, ſed oneroſus & amarus inſultator verba iactat ſapientiæ inuoluens (teſte domino) ſententias ſermonibus imperitis, caret illorum ſenſu intimo qui roborat non aliter quam multi doctorum vel Chriſtianorum iactant de iudicijs Dei, & de maieſtate ſua, de ſapientia & bonitate verba magnifica, ſed velut in ſomnio.

Decas octaua.

C MALIGNVS impulſus ex pura & excogitata malitia prouocat ad peccandum, ſicut honeſtas ſola trahit bonos & laudabiliter operandum. Eſt enim hæc palma vitiorum honeſta polluere, delectantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Malignus impulſus ferri non poteſt in puram malitiam ſub ratione ſolius malitiæ. Ratio, quia ſecundum Dionyſium, nemo ad malum aſpiciens operatur, non enim habet rationem appetibilitatis vt ſic. Malignus impulſus D habet pro ſuo termino phantaſticam ſuperbámque libertatem. Tractat illud beatus Auguſtinus de furto pomorum dum puer eſſet. Concludit tandem quod non delectabat peccatum, ſed libertas falſa peccandi. Dicit alibi quod fœlicitas mundanorum eſt impunita nequitia, peccent vt voluerint. Nec aliquis dicat, cur ita facis: nec puniat. Malignus impulſus apparet in blaſphemantibus horribiliter nomen Dei & Sanctorum, Sanctarúmque ſuarum ſine cauſa, ſed ſola libidine blaſphemandi ſic impunè. Inde eſt illud nobilium E quorundam ad ruſticos: Tu das animã tuam diabolo, & tu negas Deum, tu deſpicis, cur hoc cum non ſis vir nobilis? Malignus impulſus, in profanationibus ſolennitatum & locorum ſacrorum, vtilitate nulla ſequente, docent hanc malignitatem inſaniæ falſæ quas palliant ſub nomine feſti ſtultorum, vbi fiunt horrenda ſupra malitiam paganorum in conculcationem rerum Deo ſacratarum. Malignus impulſus oſtenditur in dehoneſtatione parentum purè gratis, qualiter fuit in F Nerone, qui propriam euiſcerari iuſſit matrem, iuſſit & patrem ciuilem Senecam mori, gaudebat in crudelibus mortibus ſenatorum. Denique nimis valde debacchata eſt ſathanæ malignitas perſecutione tot martyrum ſuper rabiem beluarum. Exurge & toto malignitatis ſpiritu debacchare dicebat Vincentius ad tyrannum, malignitatem improperans. Malignus impulſus impellit inſipientes, vt dicant in corde ſuo, immo in ore & opere: Non eſt Deus, cum tamen velint ipſi nequaquam adorari ſicut Deus. Sed iſta eſt inuidorum malignitas, iacturam propriam quærere in aliorum læſione. Malignitas diabolica eſt conari

Digitized by Google

conari mulierem violare quia caſta eſt, quia virgo
eſt, quia nobilis eſt & honeſta, licet in corpore
deformis ſit, quærere præterea ſocietatẽ in pec-
catis, nec ſibi ſatis eſſe propriam damnationem,
ſed neque proponere quicquam de pœnitentia,
immo dolere ſi ſibi malitia diſplicens eſſet.

Malignitas eſt diabolica delectari in mendacijs
quia fallũt trahere præterea ſanctorum puerorum
& puellarum innocentiam ad peccandum, dele-
ctari denique in peccatis extraordinarijs quæ ab-
horret natura, nec addunt ad delectationem libi-
dinis, niſi corruptam phantaſiam, ſicut febrici-
tantes aut mulieres impregnatæ gaudent in cibis
quos abominabiles ſciunt ſani. Procurat iſte ma-
ximè malignus exerceri, quatenus ex pudore con-
fitendi reatum tam pudendum corruant in dam-
nationẽ ore clauſo, Sodoma enim dicitur muta.
Iudas qui interpretatur confitens victor myſticus
in cornu dextro peccatorum communium pro-
ſtratus, prout in ſiniſtro ſequentium ad inuentio-
nes in peccatis eſt. Malignitas diabolica delecta-
ctatur multitudine pereuntium, non ſolum quia
pereunt, ſed quia per alios pereunt, ſcit quia ſi
voluerint ſeductores aliorum pœnitere poſtmo-
dum vix pœnitentiam inueniant perfectam, quia
reddere non potuerunt eos quos perdiderunt, ne-
que præterea reſtituent quę tota malignitate prius
deſtruxerunt mille modis ſi modo. Denique ſua-
det & impellit ad blaſphemias contra Spiritum
ſanctum, quæ ſunt præſumptio impœnitentia, deſ-
peratio, inuidentia fraternæ gratiæ, impugnatio
veritatis agnitæ, de quibus non eſt hic per ſingula
diſſerendum.

Decas nona.

MALIGNITATEM ſathanæ tyrannicam &
apertam ſuperat in multo ſua in angelum
lucis malignitas transformata, quis iſta crederet ſi
hoc Apoſtolus non diceret, non ignorans aſtutias
eius permanet iſte malignus in arrogantia con-
cepta, vult extolli ſuper omne quod dicitur Deus,
habet ſuum nequaquam ſpiritum ſecũdum quem
ſatagit in deſtructionem, non ædificationem, dare
ſuis de corpore peccati fallaciter diuiſiones appa-
rentes non exiſtentes gratiarum inſtar Spiritus-
ſancti. Huic impellente eo, permittente Deo da-
tur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſe-
cundum nequam ſpiritum, alij fides falſa in eo ſpi-
ritu, alij opera virtutum, alij gratia ſanitatum, alij
prophetia, alij gratia linguarum, alij interpretatio
ſermonum. Fictus lucis Angelus quod iſta poſſit
inducere quantum permiſerit Deus, teſtis eſt
Apoſtolus loquens de Antichriſto, teſtis inſuper
loquens de laude charitatis, ſine qua poſſit excel-
lentes gratias dare poſſe, ſed inutiliter. Si linguis
hominum inquit, loquar & Angelorum. Ecce
ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ & genera lingua-
rum, ſi habuero prophetiam, ecce nominatam, &
nouerim myſteria omnia, Ecce interpretatio ſer-
monum cum ſapientia myſtica, iungit omnem
ſcientiam, iungit omnem fidem, iungit mirabilia
in tranſlatione montium, iungit diſtributionem
omnium facultatum in cibos pauperum, cõcludit
in martyrio quo tradit corpus ita vt ardeat.
Fictus lucis Angelus ſuos habet apparentes Apo-
ſtolos, ſuos Prophetas, ſuos Euangeliſtas, ſuos
A Paſtores & Doctores, immo & ſuos Martyres,
ſuas Virgines, ſuos Heremitas & Monachos, ad
conſummationem reprobi corporis ſui, cuius ipſe
eſt caput & rex ſuperbiæ, ſicut humilitatis & obe-
dientiæ Chriſtus rex & caput exiſtit. Fictus lucis
Angelus vt operetur in aliquo talia quę dicta ſunt,
primò ſeminat tumoris ſpiritũ, & impellit ipſum
vt ambulare cupiat in magnis, vt ſit placens & ſa-
piens ſibimetipſi in oculis ſuis. Quo obtento iam
illudit & adulatur, impellit & deludit quemad-
B modum voluerit, niſi ſuccurrat gratia ſalutaris,
immo iam talis factus eſt ſibi dæmon ſe decipiens
& phantaſticans, & de ſtulto per adulationem
propriam inſanum ſe faciens. Fictus lucis Ange-
lus, ſi cum tanta dignitate creatus potuit per ſui
complacentiam adulatoriam ita decipi, vt appe-
teret ſimilis eſſe Deo. Sic de Eua ſuo modo red-
ditur minus admirabile, ſi reſpexerimus ad homi-
num inſanias, qui cum tot ſubiaceant miſerijs
continuis, inuenti ſunt qui ſe præciperent coli vt
Deos, inuenti ſunt qui ſe per ſuperbiam demen-
C tarent miris modis, humanæ fragilitatis obliti.

Fictus lucis Angelus, cuius cibus electus, &
qui habet fiduciam quod influat Iordanis in os
eius, ſtudet apparere in deuotis & contemplatiuis
maximè mirabilis. Abſorbet itaque mare mun-
danorum, abſorbet & mare omnium fide vera
Chriſti carentium. Sed Chriſtianos abſorbere de-
uotioni contemplationíque deditos, ſua princi-
palis eſt victoria. Fictus lucis Angelus, ſi viderit
aliquem Chriſtianum quem non audet à fide pa-
D lam auertere, ſtudet ipſum ad peccata carnis &
mundi ſæpius impellere, quod ſi repulſum ſe ſen-
ſerit, quærit aliud machinamentum, vt ad oppo-
ſita vitia quæ non ſunt carnis & mundi vehemen-
ter impellat. Fictus lucis Angelus paſcit aliquan-
do ſuos familiares cibis delicatiſſimis, qui nõ
carnales apparent, ſed omnino ſpirituales, & qua-
les comedunt electi filij in menſa patris ſui Dei.
Itaque cibat eos ex adipe frumenti ſacræ ſcripturæ
in myſterijs ſuis elucidandis, & de petra fidei quæ
eſt Chriſtus falſo melle, quia falſa dulcedine ſa
E turat eos, quia plus & aliter comedunt quam ſatis
eſt, vt cum fuerint ſaturati dicant elati per ſuper-
biam: quis noſter dominus eſt? Dicant: Non
ſumus ſicut cæteri hominum peccatores. Væ væ
vę tibi. Fictus lucis Angelus ſi non pertimeret in
ſua ratiocinatione, nunquam hortaretur vt quæ-
reret homo ſentire & guſtare quam ſuauis eſt do-
minus, præſertim circa myſterium incarnationis
& crucis, quod aduerſum maximè ſibi ſcit nequã
ipſe ſpiritus. Non autem impellit ad hoc ſentien-
F dum & guſtandum, niſi quatenus in præſumptio-
nis ſpiritu magis illaqueat. Celat inſuper laqueos
ſuæ nequitiæ ſub foſſa humo crucifixi vel operis
pij. Qui ſuper his dubitat, habet hiſtoriam de
Martino, habet de plurimis heremitis, habet de
Chriſto quem voluit theologizando decipere.

Fictus lucis Angelus, ſi ſuperbos ſuos fallit, ſi ex-
cæcat in pleno meridie legis Chriſti ſub imagine
crucis ſuæ, religionis ſuæ, pietatis ſuę ad ſanctos &
ſanctas, ad te etiam beatiſſima non conqueratur,
ſed humilietur humana præſumptio. Non enim
placet Deo vir ſuperbus, etiam ſi aſcẽdit in cœlum
ſub titulo deuotionis, ſub titulo crucis & ſub titulo

Digitized by Google

beatæ Virginis & Sanctorum, ſuper eius qui ex ipſo fictus eſt, & ſi fictus, igitur hypocrita, quare A hoc? quia ſuam, non Dei gloriam ſolam quærit, quia rurſus non Dei beneplacitum in prolificatione beatorum operum obedientiam, ſed meretriciam ſterilémque quodammodo proſequitur in ſentimentis, neſcio quali voluptate, non quod malum ſit domino declarari, ſed caſtè fiat, & piè cum obſeruatione præceptorum, non habendo velamen malitiæ libertatem.

Decas decima.

EXALTATVR humilis contra violentum, contra fraudulẽtum, contra malignum dæmonis B impulſum, quia diuinus & angelicus impulſus virtuoſus, ſapiens & benignus, ſuccurrit in electis, ita diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum, & ita omnia, vt etiam diaboli machinamenta ſiniſtrorium impulſiua conuertantur in bonum. Sit Iob in exemplũ hic, qui perditis omnibꝰ & prole, duplicia reportauit, ſeptem ei filios & tres filias reſtituit. Exaltatur homo poſt dæmonis inſultus, ſi ad mortalia traducimus, quia redduntur ſibi vſus C & oblectamenta ſeptem donorum, quaſi totidem filiorum & trium virtutum quas theologicas nominamus, & ita redduntur ſeptem filij & tres filiæ domúſque virtutum. Exaltatur homo tentatus dum fit amplius timoratus & pauper ſpiritu, dicens illud ex ſententia: Ego vir videns paupertatem meam, & illud: Tu autem ſuſceptor meus es, gloria mea & exaltãs caput meum, cum cæteris in hanc ſententiam, quorum non eſt numerus. Cognoſcunt bruta liberatores ſuos vt elephas, & D ſeruiunt eis, quanto magis poſt tot tentationes debet homo gratum domino famulatum. Exaltatur amplius homo liberatus, in pietate & mititate circa proximos, quia didicit ex his quæ paſſus eſt miſerorum miſereri, ſint ipſi peccatores publici, ſint publicani & meretrices, neminem iudicat, neminem damnat, domino ſuo ſtant aut cadunt, aut ſibi ſtant potius, potens eſt enim Deus ſtabilire eos, ſicut & me fecit poſt tot lapſus. Exaltatur in ſcientia miſeriarum ſeculi vel luctu E præſentis exilij, quatenus ſic viuere Chriſtus ſit, & mori lucrum, vitam in patientia degat, habeat in deſiderio mortem. Denique ſit idoneus in ſua ſcientia per experientiam habitam docere alios, quæ & qualia ſint diaboli machinamenta, quam occultæ inſidiæ, quam oppreſſiones violentæ. Hinc timor nocturnus mundi & carnis. Hic ſagitta volans diaboli. Hinc negotium per ambulans in tenebris, in perplexis. Hinc incurſus in importunis & violentis. Hinc dæmonum meridianum in maximis apparentibus bonis. Hinc F caſus tot hominum à dextris, à latere & à ſiniſtris. Et quis muniet ſe aduerſus has inſidias, qui non expertus fuerit eas? Exaltatur impulſus & fortè deiectus, ſed reſurgens fortior. Exaltatur dico in ſpiritu fortitudinis & eſuriê iuſtitiæ, ſentiẽs quod nulla ſint præſentia quibus poſſit initi, ideo quærit ſibi æterna. Exaltatur in ſpiritu conſilij, ſentiens iam ex intimo guſtu, quoniam non eſt conſilium niſi in iuſtificationibus domini, qualiter ſentiebat qui dixit: Conſilium meum iuſtificationes tuæ. Hæc eſt vera diſcretio ſpirituum, lex domini, vt non fingit ille malignus ex motu & impulſu, neſcio quo cordis noſtri, vtique ſigno fallaci. Cor tuum (inquit ſapiens) quaſi parturientis phantaſias patitur, niſi à Deo fuerit immiſſa viſitatio. Docuerunt hoc habentes pithonicum ſpiritum, docuerunt innumerabiles qui dimiſſi ſecundum deſideria cordis eorum iuerunt in adinuentionibus ſuis, & perierunt vtinam ſoli. Exaltatur in ſpiritu intellectus, iuncta cordis mundicia. Dat enim vexatio intellectum, dat crebro purificationem in oculo cordis, quaſi collyrium, quaſi fel Tobiæ, quaſi Chriſti lutum. Exaltatur in ſapientia iuncta pace & adoptione filiali Dei. Si enim fit timoratior, vt præmiſimus, ſi pauperior ſpiritu ſi lugentior conſequens eſt quod ſpiritui contrito & humiliato, ſpiritui quoque purificato per lachrymas & illuminato, dat ſapientiæ guſtum & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum. Sufficiunt ad extremum tales filiorũ reſtitutiones, gratiores poſt lapſum poſt tot amaritudines. Philoſophica vox eſt, quod oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, dies ex nocte, dulcor & felle, ſanitas ex infirmitate, vigiliæ veritas ex ſomniorum deluſione fit apertior, vera ſenſatio ſapientiæ poſt phreneſim vel reuerſationem ſtultitiæ, dum vigilans ſe habet vt ſomnians, ſed gratia reddita reddit pariter & ſenſum verum in virtutis vigilia conſtitutum. Exaltatur poſtremò liberatus à tentatione, quia ſpecioſitas redditur amplior in ſpe, fide & charitate per afflatum ſancti Spiritus, contrarium aquilonis impulſibus. Sic optabat Apoſtolus fieri: Dominus inquit, ſpei replebit vos in omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute Spiritus-ſancti, quæ virtus eſt charitas. Ecce tres filias. Sciunt liberati poſt impulſus fidelitatis & deſperationis quam ſerenus poſtmodum fidei radius, quam certus innixus ſpei quam iocundior charitatis ardor ſubſequuntur, dum depoſitis de ſe potentibus prius animam vexantibus, fit domino liberante quod ſequitur: Exaltauit humiles. Fit & gratiarum actio per Canticum: Magnificat anima mea dominum, &c.

Finit Centilogium de impulſibus, & ſubiunguntur tractatus de theologia myſtica, qui ſatiſfaciant tertiæ parti promiſſionis factæ in proëmio ſex lectionum.

CONSIDERATIONES VENERABILIS AC EGREGII SACRÆ Theologiæ profeſſoris magiſtri Ioannis Gerſon, Cancellarij Eccleſiæ Pariſienſis, de myſtica Theologia.

PROLOGVS.

POENITEMINI & credite euangelio Marc. I. Aſtrinxit me promiſſio nouiſſima illud aggredi quod veſtram expectationem repetere nunc ſentio, oſtendere ſcilicet, An cognitio Dei melius per pœnitentem affectũ quam per intellectum inueſtigantem habeatur? Vbi eniti debeo, ſi fortè pijs aſpirante conatibus Deo, poterit ſtudium meum ex ipſa communem intelligentiam deducere quæ ſuper

ſuper theologia myſtica, hoc eſt occulta diuinus tradidit Dionyſius edoctus non dubium ab illo A qui ait: Loquimur ſapientiam apud perfectos, ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt. Conari præterea meditor ſi ea quæ de contemplatione, meditatione, raptu, extaſi, & de exceſſu mentis de diuiſione ſpiritus & animæ & ſimilibus, doctores eleuati ſcriptis reliquerunt, poterint ita palam fieri & quodammodo reuelari, vt alij ab expertis quales rari ſunt poſſint intelligere, aut ſaltem fixè credere ſanctos illos viros habuiſſe ſcientiam longè altiorem à natura communi, quos ad ſupermentales B rapuit exceſſus diuina contemplatio. Dicam verò quod frequens eſt apud vnumquemque in aggreſſu alicuius vel inſoliti vel ardui, trahi quippe ſolet animus in varias partes pro varietate rationum operis. Comperi hoc ipſe pluries nominatim in re præſenti. Tractaturus itaque materiã qua nulla ſublimior eſt, nulla diuinior, ſed nec vlla quæri difficilior, ſicut nulla poteſt ſalubrior inueniri, vtpote in qua noſtræ felicitatis cardo figitur. Contremui ad aſpectum maieſtatis huius ſapientiæ, verens ne perſcrutator eius volens fieri C opprimerer à gloria. Dehinc expaui ne ſuperbia præſumptio vexaret me. Quis enim magna moliens non impugnatur ab ea. Extimui denique ne de curioſa ſingularitate notarer quam duabus vltimis lectionibus ſceleris condemnaui.

At verò poterant hæc turbare retròque flectere pedes meæ inueſtigationis, ne progrederer, ſi de ſolis viribus proprijs confiderem, & non in eo qui dicit: Quærite dominum ſemper. Si præterea conſtrictus duplici officio publico, non deter- D rerer aſpiciens damnationem ſerui pigri abſcondentis talentum Domini ſui. Audiens quoque Angelum apud Thobiam, quod opera Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. Denique ſi pertimuiſſet ſapiens ea quæ commemoramus nõ dixiſſet de ſapientia. Quam inquiens, ſine fictione didici & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Quod autem de iactantia additum eſt, vtinam qui gloriatur in Domino glorietur. Quis aſſecurabitur homo viuens ſuper terram, etiam ſi ſupra aſtra cœli poſuerit nidum E ſuum, etiam ſi in lecto contemplationis dormierit, etiam ſi manna deuotionis abſconditum guſtauerit. Quid hæc omnia? Quis non expaueſcat horrore vehementi, quando à cœli palatio detractus eſt lucifer à medio lapidum ignitorum in ſterquilinium damnationis? Quando in illa die duobus exiſtentibus in lecto vnus aſſumetur, & alius relinquetur. Quando demum filij Iſraël proſtrati ſunt in deſerto qui pane cœli veſcebantur, & inimicos ſuos eos qui mentiti ſunt ei, ciba- F uit Dominus ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos. Væ mihi ſi gloriam meam quæſiero, illã proſus nihil eſt, illa nihilominus condemnabit me. Væ, ſi gloriatus fuero in damnatione mea, & in nihilo terreat apoſtolica turba. Si inquit, habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnẽ fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quis autem certus eſt ſine miraculo charitatem ſe habere? Quid ſcis pauper homuncio & ſi lumen aliquod intelligẽtiæ aut aliquis tepor tenuis deuotionis videtur dare tibi ſeruo nequam, & hoc ad vtilitatem aliorũ, vt illuminentur vel caleſcant, tu verò inſtar cerei accenſi, redigeris in cinerem. Aduerte hoc miſericordiſſimè Deus & ſi de te loquendum eſt, ſi in te exultandum, exultemus cum tremore, & doceamus cum humilitate quærendo vnicam gloriã nominis tui per ſeruos tuos dominos & fratres meos, quibus ideo de ſecretis ſapientiæ tuæ loqui velle mihi videor, vt dimiſſis interim ſterilioribus ſtudijs diuaricantibus animam ad multa, inflammet eos verbum ſpiritus tui quærere te in ſimplicitate cordis. Intelligere porrò quale eſt illud. Vacate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Stimulentur poſtremò ipſi non ita ſoli tradere ſe intellectui ipſum erudiẽdo, quod affectus aridus, immò paſſionibus horreſcens & ſordeſcens deſeratur. Nam apud quos alios aut quonam potius loco altero doctrina hæc de theologia myſtica tradi poteſt. Quod ſi hoc ipſum attingere quod opto denegatum fuerit, ignoſcat peccatis noſtris Deus, & pium quod habere mihi videor deſiderium, aut tollat ſi impium eſt, & ſi fallor, aut ſi rectè conſcius ſum, iuſtificet me in iuſtificationibus ſuis ille qui deſiderium pauperum exaudit, & præparationem cordis eorum audit auris ſua. Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram. His itaque prælocutis, præcipuè ad fodiendum de profundo humilitatis locum, quo ſine collapſu tota dicendorũ fabrica ſolidetur. Et ab oratione more diuini Dionyſij ſumendo exordium, explicabo materiã diſiunctim per conſiderationes ſeu annotationes in modum capitulorum, quatenus auditor recreetur interuallis, & non continua confuſaque locutione laſſetur. Nihil quoque noui allaturus ſum, quod nequeat in alijs ſanctorum libris inueniri, ab eis nimirum quid omiſſum eſt, ſed eorum ſententias meo ordine ac verbis explicabo.

Tractatus iſte de myſtica theologia. 43. conſiderationes continet, & octo partes habet ſeu materias principales. Prima pars eſt de quibuſdam præambulis ad theologiam myſticam à prima coſideratione vſque ad nonam incluſiuè. Secunda eſt ne natura animæ rationalis & ſex potentias eius, à nona conſideratione vſque ad decimam-ſeptimam. Tertia eſt de luminoſitate dictarum potentiarum, à decima-ſeptima conſideratione vſque ad viceſimam-primam. Quarta de contemplatione, meditatione & cogitatione, à viceſima-prima vſque ad 26. Quinta de tribus oculis animæ & de tribus affectionibus correſpondentibus, in 26. & 27. Sexta eſt de acquiſitione theologiæ myſticæ, & de decem eius differentijs ad theologiam ſpeculatiuam a. 28. vſque ad 35.

Septima eſt de amore & eius triplici proprietate, & ibi de raptu & extaſi à 35. vſque ad 40.

Octaua eſt de vi amoris, quæ amantem vnit cũ Deo & ſtabilitat & requieſcere facit à quadrageſima vſque ad finem.

Prima conſideratio de triplici theologia, ſcilicet propria, ſymbolica & myſtica.

ALIQVA eſt theologia myſtica vltra eam quæ vel ſymbolica vel propria nominatur. Ita enim ſeparatè tractauit de ea ſub proprio

titulo beatus Dionyſius à conſcio diuinorum ſecretorum Paulo doctus. Cum enim ſcripſiſſet de theologia ſymbolica quæ vtitur corporeis ſimilitudinibus tranſlatis ad Deum, vt quod eſt leo, lux, agnus, lapis, & ſimilia, ſecundum quam dicitur Deus omninomius. Cum præterea tradidiſſet theologiam propriam per quam ex affectibus repertis in creaturis præſertim perfectioribus ad extra conſurgimus ad affirmandum aliqua de Deo, vt quod eſt ens & vita, à quo omnibus deriuatum eſt eſſe & viuere. Tandem addidit modum inueniendi Deum perfectiorem cæteris, quò per abnegationem & per exceſſus mentales tanquam in diuina caligine videatur Deus, hoc eſt in occulto & in abſcondito, vbi poſuit tenebras latibulum ſuum, quod attēdens vnus ex prophetis ſub aſſertione clamauit: Verè tu es Deus abſconditus, propterea hic liber intitulatur de theologia myſtica. Myſticum autem interpretatur abſconditum. Primus liber deeſt apud nos. Secundus de diuinis nominibus appellatur.

Conſideratio ſecunda tractat abnegationem ſimilitudinum appellatur.

THEOLOCIA myſtica innititur ad ſui doctrinam experientijs habitis ad intra in cordibus animarum deuotarum. Sicut alia duplex theologia ex his procedit quæ extrinſecus oſtenduntur.

Concors eſt omnium doctorum ſentētia quod theologia myſtica procedit per abnegationes, vt quod Deus non eſt leo, bos, lapis, &c. Quis autem diceret quod theologia myſtica ſolam abnegationem conſectetur, nihil relinquens de Deo poſitiuè cognitum vel expertum? Et ſanè cum anima non nihil operetur, & non nihil patiatur in tali ſtatu conſtituta, vt aliquid experiatur neceſſe eſt. Illa autem experientia quæ intrinſecus habetur nequit ad cognitionem intuitiuam vel immediatam deduci illorum qui talium inexperti ſunt, quemadmodum nullus poſſet docere perfecta intuitiuáque cognitione quæ res eſt amor apud illū qui nunquam amaſſet quæ ſimiliter res eſt gaudiū aut triſtitia aut alia ex paſſionibus intrinſecis animæ ſi nūquam aliqua tali paſſione fuiſſet affectus. Hoc idem de cæcis reſpectu colorum, & de ſurdis reſpectu harmoniarum dici ſolet. Has verò cognitiones experimentales de Deo interius vocant ſancti varijs nominibus, ſicut pro rei varietate multiplicatæ ſunt ſuper numerum. Vocant autem cōtemplationem extaſim, raptum, liquefactionem, transformationem, vnionem, exultationem, iubilum. Iubilum eſſe ſupra ſpiritum, rapi ſcilicet in diuinam caliginem, guſtare Deum, amplecti ſpōſum, oſculari eum, gignere de Deo, & parere verbum. Introduci in diuina cellaria, inebriari torrente voluptatis, currere in odorem vnguentorum ſuorum, audire vocem eius, intrare in cubiculum in pace & in idipſum dormire & requieſcere, &c.

Conſideratio tertia animæ rationalis capacitatem & iudicium ponit & idiotæ rectè ſentientis cognitionem docto præfert philoſopho.

THEOLOGIA myſtica ſicut innititur experientijs A perfectiori certitudine cognitis, ita perfectior atque certior debet iudicari. Nullus ambigit animam rationalem præcellere, tum in eſſentia, tum in virtute & operatione, ſupra quaſlibet alias creaturas poſt Angelos, à quibus minorata eſt paulominus. Propterea ſi per ea quæ facta ſunt cognoſcitur Deus, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas ipſe ſanè in illis effectibus vel ex illis amplius cognoſcetur quos perfectiores eſſe conſtat, & certius, quia certiores. Experimētum quippe quale erit ab extrinſeco certū ſi illud B quod in intrinſeco fit non certiſſimum ab anima experiente iudicetur. Ex quibus elicio pulchrum corollarium, quod ſi philoſophia dicatur ſcientia omnis procedens ex experientijs myſtica theologia verè erit philoſophia. Eruditíq; in ea quomodolibet aliunde idiotæ ſint, philoſophi recta ratione nominantur. Inde Chriſtus exultans ſpiritu: Confiteor tibi inquit, pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quia ſic C placitum eſt ante te, non meritum. Vnde & ſapientia paruulis locuta eſt, & lex Dei paruulis dat intellectum.

Conſideratio quarta oſtendit non poſſe quemquam pertingere ad interiora ſpiritus, niſi doctum & experientia refertum.

THEOLOGIAM myſticam quamuis nullus attingat perfectè ignoratis eius principijs quę D per experientiam interiorem accipiuntur. Nō eſt tamen ab eius doctrina danda vel accipienda deſiſtendum. Similitudo in cæteris ſcientijs philoſophicis facit primā partem eſſe perſpicuā. Ignorato quippe quod ignis eſt calidus & aqua frigida, aut quod eclipſis lunæ fit per interpoſitionem terræ diametraliter inter Solem & Lunam, & ita de ſimilibus, concluſiones ex talibus deductæ, nō ſortirentur certitudinem, niſi qualis habetur de principijs aut minorem. Cognitio autem principiorum in caſu noſtro ſi habetur per ſolam fidem E & credulitatem per quam narrantibus & expertis conſentimus.

Nihilominus pro ſecunda parte conſiderationis addamus quod paucæ ſunt aut nullæ ſcientiæ naturales, ad quas tractandas & addiſcendas venient multi qui talium ſcientiarum, principia acceperint ab experientia propria. Sed multa ex aliorum approbatis aſſertionibus præſupponunt. Sic Ptolomeus in aſtronomia, ſic Hippocrates & Galenus in medicina. Sic alij in iſtis & alijs ſciē- F tijs ſtudioſi feciſſe quotidiéque facere cognoſcūtur. Hoc viderunt Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, & Philoſophus noſter Paulus. Quorum primis indicebat diſcipulis ſuis, vt per quinquennium ſilerent, & dictis ſuis crederent. Alius dixit ſumendum eſſe ex credulitate compendium. Tertius ait addiſcētem opportere credere. Quartus ſimilia penè verba poſuit in diſſimili materia. Oportet inquit, accedentem ad Deum credere.

Conſideratio

Digitized by Google

Conſideratio quinta arguit præſumptionem in eruditis, & intimam experientiam præfert omnibus alijs, iocunditate, ſapore & perſpicuitate.

QVIA nemo ſcit quæ ſunt ſpiritus niſi ſpiritus qui in ipſo eſt, propterea diſcholi ſunt, & nequaquam myſticæ theologiæ idonei auditores, qui nolunt credere vt tandem intelligant. Veritas hæc tum ex ſeipſa probatur, tum ex authoritate prophetica roboratur. Niſi inquit, credideritis, non intelligetis, tum denique ex præcedenti ſatis patet. Illos è diuerſo poſſibile eſt multa cognoſcere per aliorum traditionem qui fidem præſtabant eis quæ ſancti viri experti talium aſſerũt, tam in ſermone quã in ſcriptura, quibus in nullo credere, attendite precor, quam inciuile quã diſcholum, quam impium. Eos itaque fallere velle cæteros, nullo pacto ſuſpicari patitur eorum veraciſſima ſanctiſſimáque probitas, nulli lucro, nullíque honori inhians, nec odio vel alia paſſione vitioſa laborans. Falli autem eos poſſe in experientia taliter certa qualiter prædiximus quis putaret?

Adde quod non vnus aut alter iſta dicunt, ſed mille, immò innumeræ ſunt aſſertiones taliũ concordiſſimè dicentium theologiam myſticam per experientiam intimam colligi, eam quoque longè ſublimiorem, & vltra quam dici valeat iocundiorem, ſapidiorémque & perſpicaciorem exiſtere ſupra cæteras cogitationes ab extrinſeco venientes, tanquam illæ ſerpant inter hebetes & inertes iſta liberrimis alis circumuolans & euolans ſupergrediatur vniuerſa. Quod ſi nullus eſt qui ſibi diſcredi de ſuis experientijs interioribus aſſerẽti ferret æquo animo, quam inciuile ſit & irrationabile, immò quam deſtructiuum omnis ſocialis conuictus inter homines ſi tot & talibus ſummæ probitatis & excellentiæ viris fides negetur, ipſi viderint qui non credunt.

Conſideratio ſexta oſtendit affectiones internas non poſſe plenariè verbis exprimi.

OPERATIONES interiores præſertim in affectu non ita clarè proferuntur, nec ita poſſunt ſcriptis tradi ſicut ſentiuntur. Et hæc eſt ratio quare Apoſtolus dixit ſe audiſſe arcana verba, quæ non licebat homini loqui, quoniam illa minus potuit tradere, beato Dionyſio (exempli gratia) quam acceperat. Rurſus beatus Dionyſius plus concepit ex verbis Apoſtolicis quã ſcriptis derelinquere fas habuit. Cuius rei ſenſibile exemplum eſt in ſpeculis ſemet quodam ordine aſpicientibus. Obſcurior itaque eſt imago in primo ſpeculo quam res ipſa, imago deinde primæ imaginis ſubobſcurior eſt in ſecundo ſpeculo, & ita deinceps in tertio, quarto, & cæteris, quouſq; mutua reflectio ceſſet euaneſcens.

Conſideratio ſeptima ponit cauſam iudiciorum quomodo erratur circa doctorum traditiones quæ videntur contrariæ, cum ſint ſummè intelligentibus concordes.

POSIBILE eſt hominem minus expertum deuotorum affectuum plus in eorum diſputatione eruditum inueniri. Capiamus ex ſimilitu-
A dinibus argumentum. Medicina quidem multa continet quæ in ſolis experientijs fundata ſumptáque ſunt. Attamen nihil prohibet quoſdam inexpertos taliũ meliores eſſe ratiocinatores expertis, quoniam in cæco à natiuitate poteſt ineſſe cognitio ratiocinatiua magna de multis quę per viſũ ſolum primitus habita ſunt à multis alijs. Ita enim de beato Didimo cęco tradit interpres eiꝰ Hieronymus, quod in diſciplinis illis quæ viſu capiuntur, vt ſunt mathematicæ ſciẽtiæ fuit eruditiſſimꝰ,
B quas ſcientias multos videntium oculis ſuis cõſtat penitus ignorare. Cur igitur in re noſtra par euentus negabitur, vt homo parum aut nihil deuotus, poſſit aliorum deuotorum ſcripta ſtudere, cõferre ad inuicem, vnũ ex altero concludere vel elicere, impugnare vel fulcire. Hoc itaque modo de fidei articulis vtique nõ expertis quotidianũ exercitiũ theologicæ ſcholæ facit. Hæc conſideratio iũcta cæteris facit concordiam inter dicta ſanctorum quæ rixari videntur adinuicem, quibuſdã dicentibus quod ſoli boni & deuoti cognitionẽ Dei ve-
C ram accipiunt, alijs contra dicentibus multos ex philoſophis paganis, multos quoque ex theologis nequiſſimis ſcire plura de Deo nimirum cum ipſi dæmones credunt & cõtremiſcunt. Primi itaque de ſcientia experimentatiua theologiæ myſticæ. Alij de ratiocinatiua theologiæ ſymbolicæ vel propriè vel etiam myſticè loqui volunt.

Conſideratio octaua oſtendit fructum huius libri, & quomodo in ea erratur qui eam tradunt vel
D *tradiderunt, & quomodo ſit, vel à quibus examinanda.*

EXPEDIT ſcholaſticos viros etiam deuotionis expertos in ſcripturis deuotis theologiæ myſticè diligenter exerceri dummodo credãt eis. Hoc ideo dicitur primum, quia quis nouit ſi tandem ipſis ex familiari tali collocutione aggenerabitur, vt ſolet, quidam amor & ardor experiendi ea quæ ſola interim fide tenent & quæ docta ratiocinatione conferunt ad inuicem. Ignitum elo-
E quium tuum vehementer ait Pſal. Et ſeruus tuus dilexit illud. Quis autem appropinquauerit igni, & veſtimenta eius non ardeant vel caleſcant?

Rurſus alius fructus eſt pro illis quos prædicatio ſumpta ab huiuſmodi doctrina poterit accendere ad amorem Dei iam præconceptum, remanente etiam frigido pectore eius qui loquitur, vt ex voce picæ quæ ſe nõ intelligit, venit homo audiens ad conceptus ſimiles, quales eſſent ſi voces huiuſmodi articulatæ ab homine formarentur.

F Denique compertum eſt multos habere deuotionem, ſed non ſecundum ſcientiam, quales proculdubio proniſſimi ſunt ad errores, etiam ſupra indeuotos ſi non regulauerint affectus ſuos ad normam legis Chriſti. Si præterea capiti proprio, propriæ ſcilicet prudentiæ inhæſerint, ſpreto aliorum conſilio, hoc in begardis & turelupinis manifeſtum fecit experientia, dum itaque ſequebantur affectus ſuos ſine regula & ordine poſtpoſita lege Chriſti, præſumptio nequiſſima præcipitauit eos, vt dicerent hominem poſtquam ad pacẽ trãquillam ſpiritus perueniſſet abſolutum eſſe legibus diuinorum præceptorum, quam pacem in eis

Digitized by Google

cauſabat angelus ſathanæ, transfigurans ſe in angelum lucis, hoc modo ſimilans pacem valde ſimilem illi paci quam Apoſtolus dicebat omnem exuperare ſenſum. Propterea neceſſe eſt pro argutione aut directione talium eſſe viros ſtudioſos in libris eorum qui deuotionem habuerunt ſecũdum ſcientiam. Eos nihilominus commonitos velimus ne citius debito damnare præſumant perſonas deuotas, ſimplices in ſuis affectibus admirandis, vbi nihil aduerſum vel fidei vel bonis moribꝰ palam inueniunt, ſed aut venerentur incognita ſub ſilentio ſuſpenſam tenentes ſententiã, aut conſilio peritiorum examinanda remittant, peritiores autem ſunt quos vtraque inſtructio reddit ornatos, vna intellectus, & affectus altera, quales fuerunt Auguſtinus ſanctus Thomas, Bonauentura, Guillelmus Pariſienſis, & cæterorum admodum pauci. Cuius raritas cauſam inferius afferre conabimur. Denique additum eſt in conſideratione, dummodo credant eis. Alioquin ipſi talia ſcrutantes deficerent ſcrutinio, & nõ niſi laqueos infidelitatis ſibimet acquirerent, & denſioribus tenebris circumuoluti cæcarentur.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS EST DE NATVRA ANIMÆ RAtionalis & ſex potentijs eius. A nona conſideratione vſque ad decimam-ſeptimam.

Ordine verò nona conſideratio modum oſtendit procedendi in hoc opere, excluſio minus ſeruientibus propoſito manens circa animæ proprietates.

EXPEDIT ad ipſius theologiæ myſticæ cognitionem ſpeculatiuam acquirendam naturam animæ rationalis & eius potentias tam cognitiuas quam affectiuas cognoſcere. Conſideratio hæc de ſe perſpicua eſt, quoniam ignorata natura ignorantur eius paſſiones.

Poſitis ergo eis quæ oſtendunt aliquã eſſe theologiam myſticam, tradendo ſub quadam generalitate, quemadmodum proſit & pro quibus proſit ſuum ſtudium eniti, volumus adducere in communem intelligentiam (ſi Deus annuerit) qualis ſit hæc theologia myſtica, & in qua vi animæ reponitur, qua ratione cõparatur, quo fructu quoue fine conquiritur, quod fieri ignorata animæ natura nullo pacto poteſt. Et quoniam doctrinę modus optimus eſt per reſolutiuas abſtractiones dum fiunt vel vſque ad prima principia per ſe nota, vel vſque ad ſimplices rerum quidditates eas à confuſione accidentium, & ab inuolutione circunſtantiarum forinſecarum denudando, placet hoc loco ipſam ſimplicem animæ ſubſtantiam ſecernere quodammodo in varias denominationes, iuxta multiplicitatem effectuum ab ipſa eadem producibilium vt dicatur talis, quia talium elicitiua eſt, & altera quia aliorum.

In hoc itaque mihi videntur formalizãtes agere laudabiliter, doctè & acutè, quod reſolutiones huiuſmodi queant fieri, quemadmodum apud mathematicos abſtractio à motu & à materia, fit etiam abſtractio puncti à trina dimenſione, lineæ à duplici, & ſuperficiei ab vna. Attamen dum affirmant vltra quod præter omnem operationem intellectus illa ſunt in rebus taliter penitus qualiter A intellectus abſtrahens ea imaginatur, quod ſunt vniuerſaliter, quod diſtinctè æternaliter & cætera ſimilia. Ego proculdubio tota ſententia diſſentio ab eis, quia non intelligo qua ratione iſtud dictum præſertim in diuina ſimplicitate pro vero poſſit vel ſano ſuſtineri, neq; propterea abſtrahentium eſt mendacium, quoniam & ſi naturæ rerum ſic ſe habeant vt intellectus negocians circa eas poſſit vti talibus abſtractionibus ad faciliorem intelligentiam, nihilominus ſcire B debent non taliter diſtingui rem eandem, qualiter poteſt eam intellectus indiſtinctam ſecernere. Alioquin res eadem à ſeipſa reali diſtinctione differret. Ita enim poteſt intellectus concipere (exẽpli gratia) quod voluntas productiua volitionis differt realiter à voluntate quæ volitionem elicit, ſicut quod in eadem eſſentia animę intellectus & voluntas exiſtentes ab eadem eſſentia quomodolibet ex parte rei diſtinguuntur. Sed hæc materia minus vtilis eſt quam vt nos ſua impugnatione longiori ſermone detineat. Ab artiſtis præterea, C logicis & metaphyſicis potius quam à theologis præſupponenda ventilandáque eſt, præſertim dũ de theologia myſtica ſermonem habeamus.

Dicamus ergo de anima rationali quod ipſa pro diuerſitate officiorum & agibilium diſtinctas vires habet, diſtinctas inquam non re, ſed nomine. Ita enim virtuoſa eſt, ita fœcunda quodammodo ipſa eadem exiſtens, quemadmodum ſi contineret in ſe tales virtutes realiter vel aliter ex parte rei differentes, immò eò amplius quò virtus non tam vnita quam vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa, ſicut D ſapientia in Deo perfectior eſt ſecundum deductionem, vt Auguſtinus vult locis plurimis de Trinitate, quia eſt fortitudo, iuſtitia & bonitas, & ita de cæteris perfectionibus quam ſi ab eis qualibet diſtinctione ſecernatur. Qui aliter capiunt viderint quam rectè. Ego ſanè non capio.

Attamen ſic vtamur in propoſito quaſi vires animæ eſſent penitus in natura diſtinctæ, diuidentes primò animam rationalem in intelligentiam ſimplicem, ſecundò in rationem, tertiò in ſenſua- E litatem vel animalitatem vel potentiam cognitiuam ſenſualem, & hoc quoad vires cognitiuas, & quoad affectiuas proportionabiliter, primò in ſynderesim ſeu mentis apicem. Secundo in volũtatem vel appetitum rationalem. Tertiò in appetitum animalem quarum virium idem mox docebimus proprias rationes.

Conſideratio 10. ſimplicitatem intellectus explanat prout dicitur lux animæ & Angelo ſimi- F lis, & Dei capax, & quomodo varijs nominibus in ſcripturis ſignificetur.

INTELLIGENTIA ſimplex eſt vis animæ cognitiua ſuſcipiens immediatè à Deo naturalẽ quãdam lucem, in qua & per quã principia prima cognoſcũtur eſſe verba & certiſſima terminis apprehenſis. Principia huiuſmodi nominantur aliquãdo dignitates, aliquando cõmunes animi conceptiones, aliquando regulæ primæ incõmutabiles & impoſſibiles aliter ſe habere, vt quod de quolibet affirmatio vel negatio, quod totũ eſt maius ſua parte, quod intellectiuũ perfectius eſt non intellectiuo,

Digitized by Google

ctiuo, quam ſpirituale corporali cæteris paribus dignius eſt, quod ſi homo intelligit, homo viuit & ſimiles. Qualis verò ſit illa lux naturalis, dici poteſt probabiliter, aut quod eſt aliqua diſpoſitio connaturalis & concreta animæ, quam aliqui vocare videntur habitum principiorũ, vel probabilius quod eſt ipſamet anima exiſtens lux quædam intellectualis naturæ deriuata ab infinita luce primæ intelligentiæ quæ Deus eſt, de quo Ioannes: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. Et Pſal. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Porrò quia ſecundum Dionyſium 7. ca. de diuinis nominibꝰ, in progreſſu rerum à Deo fit concatenatio quædã vt infimum ſupremorum ſit primum inferiorum. Angelus à quo minoratus eſt paulominus homo, quoniã eſt intelligentia ſimplicior homine, habet in ſua natura illud quaſi infimum quod homo habet in ſua natura ſupremum, vt ſecundũ hanc intelligentiæ vim coniungantur abſque medio alterius ſpecie, duo intellectus, Angelicus & humanꝰ. Hoc tamen non ita accipiendum putamus, quaſi medium ſit aliquod inter animam rationalem & Deum. Contradicit enim Auguſtinus, qui nihil eſſe ſuperius mente noſtra dicit præter Deum. Attamen quis negauerit Angelum eo modo rectè dici ſuperiorem anima noſtra & Deo proximiorẽ quò perfectior eſt? nullus vtique. Dicamus idcirco quod vterq; à Deo æquè immediatè tria ſuſcepit, quæ ſunt natura, gratia & gloria. Sed in reliquis ſicut eſt inter Angelos Hirarchicus ordo ſic Angelorum ad homines ſecũdum tres actus Hierarchicos, quos frequenter nominat Dionyſius, qui ſunt purgare, illuminare & perficere, & hoc reſpectu gratiarũ & perfectionum ſecundarum.

Denique vis hæc intelligentiæ ſimplicis quãdoque nominatur mens, quandoque cœlum ſupremum, quandoque ſpiritus, quandoque lumen intelligentiæ, quandoque vmbra intellectus angelici, quandoque lux diuina in qua veritas incõmutabiliter lucet & cernitur, nonnunquã verò ſcintilla vel apex rationis.

Conſideratio 11. rationis vim exprimit quomodo nunc intellectui, nunc ſenſualitati deſeruit, & duplici nomine appellatur.

RATIO eſt vis animæ cognoſcitiua, deductiua concluſionum ex præmiſſis, elicitiua quoque inſenſatorum ex ſenſatis & abſtractiua quidditatum, nullo organo in operatione ſua egens. Hæc deſcriptio per vltimam particulã notat differre rationem à ſenſualitate quæ vtitur organo. Per alias autem ab intelligentia ſimplici ſecernitur, cuius operatio magis attenditur in receptione cognitionis ſimplicis à ſuperiori luce Deo quam attendatur in deductione concluſionum, quod eſt proprium rationis, ſiue principia ſumpta ſint ab experientijs per ſenſus, ſiue illa ſibi præſentauerit ab alto ſimplex intelligentia.

Ex hoc verò duplici vſu rationis nunc à ſuperioribus principijs per ſe notis in lumine intelligẽtiæ ſimplicis, nunc ab inferioribus quæ per experientiam acquiruntur, vt quod ignis eſt calidus, ſortitur ratio duplex nomen vt dicatur portio rationis ſuperior, portio inferior, vt præterea dicatur habere duas facies, vnam ad ſuperiora, ad inferiora alteram. Immò & ex hoc ponitur conſtitui velut in horizonte duorum mundorum, ſpiritualis ſcilicet & corporalis. Cæterum portionem rationis ſuperiorem nomine viri, & inferiorem nomine mulieris appellamus. Tantum enim viuacitatis & virtutis habet ratio dũ ſuperioribus intendit reſpectu illius quam contrahit ex inferioribus, quantum vir à muliere differt in virtute. Poſtremò rationi quandoque alia nomina tribuimus, vt quod eſt cœlum mediũ in anima, quod eſt in vmbra intelligentiæ ſimplicis, ſicut intelligentia ſimplex in vmbra angeli, & angelus in vmbra Dei.

Conſideratio 12. diuidit ſenſualem virtutem quomodo percipit interioribuſque ſibi deputatis quomodo transmittit, lucidè declarat.

VIS cognitiua ſenſualis eſt vis animæ vtens in ſua operatione organo corporeo tam exteriori quam interiori ad ea quæ ſenſibilia ſunt per ſe vel per accidens cognoſcenda. Continuò aperta eſt differentia huius virtutis ad duas virtutes præcedentes. Cuius multiplex eſt officium, multiplex quoque appellatio. Nam cum accipit immediatè motiones obiectales rerum exteriorum, & ſic dicitur ſenſus exterior in quinq; diſtinctus, qui ſunt viſus, auditus, guſtus olfactus, tactus. Aut recipit immediatè ſenſationes factas in his quinq; ſenſibus iudicans inter eas, ſic eſt ſenſus cõmunis. Aut conſequenter ex iudicijs vel ſenſationibus, factis in ſenſu communi, componit & diuidit, & ſic dicitur imago vel phantaſia, vel virtus formatiua. Et ſi ex ſenſatis elicit ſenſata, hanc æſtimatiuã nominamus, quæ de proficuo vel nociuo dijudicat. Duæ præterea ſunt vires retentiuæ ſpecierum in abſentia. Vna pro ſenſu communi, quæ imaginatio quandoque nominatur. Altera pro formatiua & æſtimatiua, cui memoriæ nomen inditum eſt, quarum omnium virtutum cũ ſuis organis amplior manifeſtatio, quia ad præſens negotium iſta ſufficiunt, ad naturales & medicos referatur.

Porrò vis hæc cognitus ſenſualis nuncupatur, aliquando animalitas, nonnunquam ſenſualitas, quandoque cœlũ primum vel infimũ, quandoq; imaginatio, quãdoque vmbra rationis. In qua rurſus vmbra varij gradus pro varietate ſuorum officiorum deſignatur. Eſt itaque ſenſus exterior nouiſſima lux potẽtiæ cognitiuæ quæ deficit vel occidit in potentia ſolum vegetatiua vel nutritiua, dehinc ſenſus communis (habens ſub ſe hanc lucem quaſi in vmbra ſua) reponitur in vmbra phãtaſiæ, ſicut phantaſiam in vmbra æſtimatiuæ, & hanc in vmbra rationis collocamus.

Conſideratio 13. agit de effectiuis potentijs in genere, & ſpecies earum ſubdiuidit.

CVILIBET potentiæ cognitiuæ correſpõdet proportionalis virtus affectiua. Cum enim apprehenditur aliquid à potentia quod eſt conueniens ſibi vel diſconueniens, & ſub tali aliqua ratione ſibi ſubijcitur, experimur animam applaudere quodammodo ad hanc apprehenſionem, ſi ſit conueniens vel vt conueniens, &

Digitized by Google

horrere, ſi ſit vt diſconueniens. Dicam amplius nullum eſſe ens quod non habeat appetitum proportionabiliter ad finem, qui ſibi iure diuinæ legis debitus eſt. Sed non dicitur hic appetitus propriè affectiuus, præterquam in rebus cognitione vigentibus. Sunt igitur tres affectiuæ proportionales cognitiuis. ſ. ſyndereſis, voluntas & appetitus ſenſitiuus.

Conſideratio 14. ſyndereſim mentis diuidit, eiuſque apprehenſionem ſecundum quam tendit declarat cum omnibus appropriatis.

SYNDERESIS eſt vis animæ appetitiua ſuſcipiens immediatè à Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum per quam trahitur inſequi monitionem boni ex apprehenſione ſimplicis intelligentiæ præſentati. Quemadmodū namque ſe habet intelligentia reſpectu veri primi & certi. Ita ſyndereſis reſpectu boni finalis ſine mixtione malitiæ ſimpliciter præſentati. Quoniā ſimplex intelligentia ſicut non poteſt diſſentire talibus veritatibus agnitione habita quid termini ſignificent. Ita non poteſt ſyndereſis nolle poſitiuè principia prima moralium dum ſibi per intelligentiam oſtenſa ſunt. Vtrum verò poſſit ea non velle hoc eſt in ſuſpenſo ſe tenere communis opinio affirmatiuam tenet partem. Iuxta hoc tripliciter vti poſſumus nomine ſyndereſis. Aut prout eſt inclinatio talis, de cuius quidditate probabilitas eſt, vtique talis qualem de quidditate ſimplicis intelligentiæ poſuimus. Aut ſyndereſis dicet actum huius virtutis conſequentem ex apprehenſione huius intelligentiæ. Aut tertiò dicit habitum ex actibus frequentatis ingenitum. Non ſecus de intelligentia diſtinctiosè offert pro virtute vel pro actu eius vel pro habitu ex actibus derelicto. Sindereſim autem alijs nominibus appellamus, vel habitum practicum principiorum, vel ſcintillam intelligentiæ ratione cuiuſdam ſuæ euolationis & ardoris ad bonum vel portionem virginalem animæ vel ſtimulum naturalem ad bonum, vel apicem mentis, vel inſtinctum indelibilem, aut aliquo tali nomine, vt quod eſt cœlū ſupremum in affectiuis potentijs. Et ita proportionaliter ad ea quæ de potentia cognitiua dicta meminiſtis.

Conſideratio 15. variat nomen appetitus, & ſecundum hanc accipit virtutem appetitus rationalis.

APPETITVS rationalis eſt vis animæ affectiua apta moueri immediatè ab apprehenſione cognoſcitiua rationis. Hic appetitus ſi ſit reſpectu poſſibilium & impoſſibilium nominatur quandoque voluntas. Si conſideretur reſpectu actus à ſe eliciti dicitur libertas. Si ſit reſpectu obiectorum non finalium & poſſibilium, dicitur electio vel appetitus electiuus. Et reſpectu actuum imperatorum dicitur appetitus dominatiuus vel executiuus. Si ſit voluntas exequendi ea quæ iam electa ſunt, dicitur propoſitum. Et inclinatio ad hæc exequenda dicitur conſcientia. Niſi dicamus quod conſcientia duo importat, ſimul iudicium & affectionem comitem. Si verò conſi- A deremus paſſiones motiuas huius appetitus rationalis, ſic dicitur generali nomine appetitus rationalis affectiuus, vel affectio rationalis. Si autem ſit reſpectu boni vel mali vt ſic apprehenſi per rationem, ipſe appetitus dicitur concupiſcibilis. Si verò illud bonum vel malum præſentetur vt arduū, iraſcibilis appellatur. Quamuis ſecundum philoſophum & ſequaces hæ duæ vires & concupiſcibilis & iraſcibilis in ſola ſenſualitate propriè radicētur. Sed Auguſtinus & Theologorum aliter vſus B habet.

Conſideratio 16. ponit appetitum animalem non ſolum homini, ſcilicet & beſtijs conuenire.

APPETITVS animalis vel ſenſualis eſt vis animæ affectiua apta moueri immediatè ſolum ab apprehenſione ſenſitiua. Addita eſt dictio hæc excluſiua ſolum, ne nos vrgeat controuerſia vtrinque probabilis, videlicet: An appetitus ratio- C nalis poſſit immediatè ex cognitione ſenſitiua ſolum moueri ſicut poteſt ex deliberatione rationis. Hunc quoque appetitum in iraſcibilem & concupiſcibilem ſecernimus per eas quæ mox dictæ ſunt obiectales rationes.

Præter hunc appetitum quidam poſuiſſe videntur ſenſum naturæ ad bonum vel malum, ſaluantes ex hoc multos effectus mirabiles in animantibus reſpectu talis vel fugæ vel proſecutionis, qualis modi non poteſt reddi cauſa ex apprehenſione cognitionis ſenſualis, vt quod præſente hoſte & D non viſo horreſcunt pili cum tremore quodam, quod è contra fit amico præſente, quod formica prouidens futuræ hiemi ingentem farris componit aceruum, & ita de pluribus abſque numero. Quid verò mirandum ſi corpora animalium ducantur ſecretis inſtinctibus vel pulſibus ad ſuos fines, quando in corporibus alijs minus perfectis minuſque organizatis tot mirabiles ad ſuos fines conſequendos naturales tractus inuenimus, immo plurimi ſunt rerum variarum ad inuicem tales E tractus quorum finem ignoramus, vt eſt tractus ferri ad magnetem, & maris ad lunam & aliorum ad alia. Hunc autem ſenſum naturæ iam in omni re poſuimus, qui alio vocabulo lex naturæ, vel inclinatio naturalis vel directio intelligentiæ non errantis poteſt nominari. Et nihil ab hac poſitione diſſentimus.

TERTIA PARS PRINCIPALIS EST DE LVMINOSITATE DICTA- F rum potentiarum, à 17. conſideratione vſque ad 21.

Conſideratio 17.

SEx iſtæ potentiæ, tres cognitiuæ & tres affectiuæ lumina quædam ſunt quæ per conſiderationem lucis corporeæ facilius cognoſcuntur. Itaque ſol iſte naturalis ſicut in efficacia virtutis præſtantior eſt, cæteris corporibus, ita ſimilitudinem maiorem habet cum ſpiritualibus, & ad eorum cognitioné cōgruentiori manuductione deducit, ſicut dicit beatus Dionyſius vlti. de cœle. Hierar. Eſt autem ſol illuſtratiuus aliorū, eorum inſuper quæ alterabilia ſunt calefactiuus, quorum

duorum

Digitized by Google

duorum proportionabilia gerit in ſe natura quælibet rationalis, quoniam lucet per cogitationem, A & caleſcit per amorem. Omnis prætereа effectus præſertim immanens productus à tali natura rationali, dici meretur lumen aliquod aut ratione claritatis in cognitiua, aut caliditatis in affectiua, aut ſimul vtriuſque. Non enim forte contingit reperire cognitionem quæ non ſit formaliter aut virtualiter quædam affectio. Sicut affectio non videtur poſſe ſecerni quin ſit quędam experimentalis cognitio, quippe neutra aut affectum ſuum cauſat ſine altera, quoniam ad cognitionis cauſationem potentia affectiua, ſicut ad affectionem B generandam cognitiua concurrit. Effectus autem ſemper ſuæ cauſæ quædam ſimilitudo eſt & imago. Sic prætereà videmus lucem non eſſe ſine calore ſaltem virtuali. Caliditas quoque lucis productiua reperitur.

Rurſus quemadmodum lux & calor mutuo ſe fortificant, quod in productione ignis facile eſt aduertere, vbi calor flammam & flamma calorem ingenerat. Non aliter exiſtimandum eſt virtutibus iſtis cognitiuis & affectiuis quin ex mutuo C concurſu ordinato ad inuicem fit operatio, & tanto maior atq; perfectior, quanto virtus quælibet cum qualibet extiterit vnitior.

Denique lux ſolis ſe diffundit diſpariter pro varietate mediorum, aliter in denſitate, aliter in raritate, aliter in medio perſpicuo & diaphano & peruio, aliter in obſcuro, turbido & ſpiſſo atque nubiloſo. Quam ſimiliter diffuſionem variant propinquitas atque diſtantia. Multiplex quoque obſtaculorum diſpoſitio non vnam reddit lucis radiantis imaginem, ſed pro diuerſitate inciden- D tiarum radiantium variatam. Attendamus interim diuinam lucem quando proportionabili ſimilitudine ſolem ſe communicare, non tamen naturali neceſſitate, ſed liberaliſſima & gratuita charitate his quidem clarius, his verò obſcurius. Dat enim ſe lucidius intelligentiæ quam rationi, & vtrique limpidius quam ſenſui. Exemplum ſenſibile ad hoc manuducendum eſt, ſi diuerſa vitra oppoſuerimus radijs ſolaribus ſecundum propinquum & diſtans per lineam rectam E inter ſolem & oculum noſtrum. Conſtat inter duo quælibet ſpecula eſſe ſpacium vbi lumen ſolis aliter & aliter inſpici poſſet. Ita vt poſterius lumen apparet quædam vmbra vel adumbratio, ſi ad præcedens comparatur.

Hoc in candelis diſpariter lucentibus nocturno tempore contra parietes inſpicimus, vbi lumen vnius alteri maiori collatum vmbra videtur, ſi certis obicibus ſua lumina ſimul confundi vetuerimus.

Comparationes ſimiles de operatione caloris F ſecundum paſſa aliter & aliter diſpoſita aduertere facile eſt.

Gerſon. Tertia pars.

Conſideratio decima-octaua ſex potentiarum oſtendit capacitatem ſcilicet multis opinionibus tam theologorum quam medicorum & philoſophorum ſententijs ſuper hanc eloquitur.

Sex iſtæ potentiæ non ſolum lumina quædam ſunt, ſed etiam quia luminoſarum illuſtrationum capaces inueniuntur, ipſas ſpeculis rationabiliter comparamus. Primum eſt oſtendere qualiter ſex iſtæ potentiæ capaces ſint luminoſarum illuſtrationum. Et hoc quidem agemus modo narratiuo præſupponentes veritatem ab alijs. Fuerunt nonnulli qui dicerent Deum qui eſt lux vera, illuſtrare animam noſtram per ſeipſum immediatè, non ſolum actiuè & efficienter, ſed etiam formaliter aut quaſi formaliter. Nam inquiunt ſi cognitio creata hæc poteſt cur à cognitione increata iſtud auferretur, præſertim cum nullam imperfectionem dependentis ſubiectionis vel materialis inhæſionis propter hoc in Deo ponere compellar. Hæc poſitio quia ad vitalem quandam immutationem de genere cauſæ formalis magis quam efficientis, hanc immutandi maneriem refert, dicunt ex conſequenti Deum eſſe poſſe animæ rationali cognitionem, immo & volitionem, & amorem & iuſtitiam, non tamen immensè, ſed pro capacitate quadam actiua ſeu vitaliter eleuabili eiuſdem animæ rationalis. Cõtra hanc imaginationem eſt Pariſienſis articulus, quanquam Auicenna & Algaſel de beatitudine intelligentiarum viſi fuerint huius imaginationis doctores fuiſſe. Non defuerunt alij ponentes lumina quædam creata alia à ſubſtantia animæ veluti quoſdam habitus innatos ſibi eſſe inſeparabiles ab eadem eſſentia animæ, & quaſi ab eadem effluentia ſeu pullulentia atq; germinantes. Nec mirabitur quiſpiam ſi hoc aliqui dixerunt, cum fuerit antiqua celebris opinio de potentijs animæ intellectiua & volitiua, talis quod ipſæ ſint accidentia quædam in eſſentia animæ radicata diſtinctáque ab ea. Nota eſt inſuper communis opinio, quæ in angelis ponit ſpecies omnium concreatas ad ſaluandum quomodo cognitionem ſuam non accipiunt à rebus nouam atque mutabilem: Circa hoc verſatur controuerſia inter Platonicos & Peripateticos, dicente Ariſt. Peripateticorum principe, quod anima eſt tanquã tabula raſa, in qua nihil depictum eſt &c. Platone è contra dicente noſtrum addiſcere non eſſe niſi quoddã reminiſci, quãuis adhuc dictum iſtud à diuerſis variè exponatur. Vna expoſitio tacta eſt de ſpeciebus concreatis, quas Platonici in anima noſtra, ſicut nos in angelis poſuiſſe viſi ſunt. Alijs è contra certantibus fruſtra huiuſmodi ſpecies poni cum anima ipſa ſit imago omnium rerum, quæ ſecundum conuerſionem ad has vel illas res actuatur in cognoſcendo abſque noua cognitionis alterius formatione, quemadmodum ſpeculũ habẽs in ſe imagines rerum ſi eſſet virtus cognoſcitiua, ipſam cognitionem huiuſmodi rerum in ſemet, à ſemet accipere, aut propinquiori ſimilitudine imagines tales ſi ſe cognoſcerent & in vnam rem concurrerent illas res per hanc ſui cognitionem eorũ omniũ quorum ipſa eſt imago cognitionem

mm

Digitized by Google

obtineret, quanquam mutatio de non cognoſcente in cognoſcens, & è contra, difficulter, non tamen omnino improbabiliter eſſet ſaluabilis. Huic ſimiliter imaginationi contradicit Pariſienſis articulus. Dicamus deinde illud in quo omnes ferè conueniunt, eſſe.ſ. cognitiones & affectiones acquiſitas, tam actuales quam habituales, illuſtrantes prædictas ſex potētias, quamuis aliter & aliter. Nam cognitionum aliæ ſunt complexæ, aliæ incomplexæ, quædam in ſola apprehenſione, quædam in aſſenſu cōſiſtit, & aſſenſuum nō parua eſt diuerſitas. Quidam ſunt euidentes ex cognitione ſola terminorum, alij per experiētiam, alij per demonſtrationem. Quidam verò ſunt ineuidentes, & taliū alij certi, alij incerti, alij cauſantur ex probabilitate rationum ſumptarū per intrinſecas apparentias, alij per extrinſecas vt eſt autoritas dicentis. Deniq; magna eſt diuerſitas inter irradiationem ſenſualem & rationalem. Sed & inter ſenſuales irradiationes tā ab extrinſeco quam ab intrinſeco diſtinctio multiplex inuenitur. Similiter in affectiuis actibus vel habitibus aſſignabilis eſſet varietas ad prædictos cognitiuos actus vel habitus, quorum naturam affectiui conſequuntur. Poſtremò fides noſtra quo ad hoc ponit multos habitus, & quandoque actus infuſos gratuitos in vtraque potentia cognitiua & affectiua, quorum præſentiali colluſtratione & virtuali quadam irradiatione ſpiritualiter illuminatur anima noſtra, per iſtos ad hoc, per illos ad illud. In numero talium ſunt, fides, ſpes, charitas, tres theologicæ virtutes, dona ſeptem ſpirituſſancti, prophetiæ & reuelationes, & ſi qua ſunt dona talia quæ diuidit ſpiritus vnus & multiplex, dans vnicuique prout vult. Ex his itaque commemoratis de ſuſceptione luminoſarum illuſtrationum per has ſex potentias, perſpicuum fit ſicut addebatur, quod ipſas ſpeculis rationabiliter comparamus.

Conſideratio decima-nona prædictarum potentiarum ſuſceptionis purioris luminoſitatem cum aduerſione exemplo ſex ſpeculorum & angelorum cognitionem elucidat.

INter ſex potentias prænominatas, quanto aliqua fuerit purior & luminoſior, tā ex ſe quam ex adiuncta illuminatione, tanto fit ad theologiam myſticam aptior. Hanc aptitudinem in prædictis potentijs ad theologiam myſticam intelligimus vel formaliter in ſe ſuſceptiuè, ſicut intelligentia capit eam, vel miniſterialiter & quodammodo diſpoſitiuè, ſicut ſenſus ad eandem prædiſponit, qua conſideratione hoc modo expoſita, nos ipſam ex præcedente per ſimilitudinem in ſpeculis materialibus manifeſtamus. Sunt itaque ſex ſpecula ſibi inuicem catenata & reſpicientia ſe mutuo, ordinata ad lumē & calorem ſolis ſuſpiciendum ſecundum propinquius & remotius, nunc à ſuperiori, nunc ab inferiori. Conſtat quod ſpeculum quodlibet quāto erit purius in ſe & luminoſius ab extrinſeco, tanto erit aptius ad operationem ſuam & aliorum, in tantum quod ex mutua actione & reactione fiat ſplēdidius quodlibet ex illis, niſi aliud obſtiterit, immo ex combinatione varia poterit effectus aliquis, vtputa imago vel color reſultare, qui abſque concurſu A tali nequaquam appareret. Vigilanter diximus, niſi aliud obſtiterit, quoniam ſpeculum quod eſſet ſoli propinquius, tanta radiatione eiuſdem ſolis perfundi poſſet à ſuperiori, quod ipſæ actiones aliorum ſpeculorum ab infimis non tam pro tunc illuminarent quam obumbrarent. Idem dicimus de intelligentia, dum à ſuperioribus lucem ſuam capit, quia tunc ſubobſcurior aliquando reddetur ex conuerſione eius ad potentias collucentes inferius, quamuis in hoc diuerſificentur ſpecula materialia & ſpiritualia, quoniam ſpiritualia B duas facies habent, præſertim ea quæ non vtuntur organis corporalibus. Quorum ſpeculorum ſpiritualium tanta poteſt eſſe virtus, talis vigor & conſolidatio, quod pariter ex æquo ſine detrimento à ſuperiori potuerunt & inferiori parte lumina ſua ſuſcipere, & tenere ſuſcepta. Hoc manifeſtum eſt in angelis & alijs confirmatis, qui ſimul ęquè cognoſcunt temporalia & æterna, quorum tenuem ſimilitudinem & imitationem gerunt aliqui ex viatoribus ex ſpeciali gratia & ve- C hementi habitatione, vt inferius Domino duce monſtrabimus.

Conſideratio vigeſima oſtendit corruptionem illarum ſex potentiarum, & cauſam qua potuerunt reformari.

SPecula materialia ſicut multotiens deformantur & inficiuntur & corrumpuntur in ſuis actionibus debitis, quandoque ab intrinſeco, non D minus incidit deformitas & infectio in ſpeculis ſpiritualibus ſex potentiarum, quarum tres ſunt cognitiuæ, affectiuæ pari numero. Experientia etiam ſine ſimilitudine docet nos, quā ſæpe turpia phantaſmata & errores & fœdas repræſentationes obiectales. Concupiſcentiæ præterea & paſſiones ſordidæ, tetræ & horridæ, tanquam fumi quidam caliginoſi vel infecti & venenoſi, animas noſtras obnubilant, fœdant atq; commaculant, præſertim in primaria & nouella talium apprehenſione, velut in pueris. Deniq; generalis E & inelicibilis ſordidatio, talis prouenit ab originali macula, quæ animam noſtram cum omnibus potentijs ſuis ad hanc miſerabilem traduxit aggrauationem, vt è cœleſtibus ad terrena, & ab intelligibilitate ad brutalitatem demerſa ploretur. Homo (inquit propheta) cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et inſignis poëta: Terrenique hebetant artus moribundaque membra. Nihilominus ab iſtis emergere & ſurſum eniti, hoc virtus, hoc labor eſt, vt cum A- F poſtolo noſtra conuerſatio ſit in cœlis, contra exclamationem Satyrici dicentis: O curuæ in terris animæ & cœleſtium inanes. In hoc præcipuè verſatur ipſa cuius naturam inquirimus theologia myſtica, quam per pœnitentiam & credulitatem euangelij adipiſci, & non aliter certum habemus, ſicut reſtat oſtendendum.

Quarta

Digitized by Google

QVARTA PARS PRINCIPALIS AGIT DE CONTEMPLATIONE, meditatione & cogitatione, vſque ad 25. conſiderationem.

Ordine verò viceſima-prima. Conſideratio deſcribit actiones potentiarum ſub generali diuiſione.

VT notitia clarior theologiæ myſticæ poſſit haberi, prodeſt inquirere quidditatem contemplationis. Siquidem appropriatè loquendo ſicut contemplatio eſt in vi intelligentiæ cognitiua, ita in vi ſynderesis affectiua reponitur myſtica theologia, prout infra Domino illuminante docere cognabimur. Supereſt igitur recto ordine vt poſtquam deſcribere ſtuduimus vires cognoſcitiuas in homine, & diſtinximus in genere tres virtutes, cognoſcitiuas. ſ. imaginationem, rationem & intelligentiam. Et tres affectiuas proportionabiles, quæ ſunt & appetitus ſenſitiuus, appetitus volitiuus ſeu voluntas, appetitus quidam ſuperior, qui ſyndereſis nominari poteſt eo quod ſequitur apprehenſionem. Nunc ad ſermonem de actibus eorum quantum ad rem quæ tractatur elucidandum attinet veniamus. Et quia notiores ſunt actus intellectiuæ quam affectiuæ potentiæ, magis enim ſub doctrina tradendi ſunt non pigeat primitus illos deſcribere nominatim. Sunt autem tres termini generales, quibus maximè vſos fuiſſe video eos, qui de contemplatione per modum artis locuti ſunt, cogitatio, meditatio, contemplatio. Et hi termini quamquam aliquando permiſcuè ſumantur ab aliquibus, ſicut eandem rem per ipſos ſignificare contingit, nihilominus diſtinctas habent ſignificationis rationes, quas perfacile & difficile, & vtile vel inutile ſentiunt aliqui. Vnde cogitationem ſic eſſe deſcriptam reperio à venerabili Richardo in ſuo de cõtemplatione, qui hanc materiam elucidauit vſq; ad fundamentum, magiſtrum ſuum Hugonem inſecutus, cogitatio eſt improuidus animæ obtutus, circa ſenſibilia ad euagationem pronus. Meditatio eſt prouidus animæ obtutus in veritatis cognitione ſeu inquiſitione vehementer occupatus. Contemplatio eſt perſpicax & liber, id eſt expeditus animi contuitus, in res ſpiritales perſpiciendas vſquequaque diffuſus & in diuina ſpecula ſuſpenſus. Cogitatio igitur vagatur & ſerpit ſine labore & fructu. Meditatio nititur & intendit cum labore & fructu. Contemplatio circumuolat & circumfertur ſine labore & cum fructu. In cogitatione eſt euagatio, in meditatione inquiſitio, in contemplatione admiratio. Varij deinde contemplationem ramificant in varias ſpecies & variè de quibus non eſt ſtatim dicendum per ſingula. Sed maximè requirendum eſſe arbitror, vnde facilitas tã in cogitatione quã in contemplatione oriatur, & in meditatione difficultas. Hoc enim me per expreſſum legiſſe non memini, quãuis ſit conſideratione digniſſimum.

A *Conſideratio viceſima-ſecunda ponit rationem vnde ſurgit cogitationis facilitas.*

COgitatio facilis eſt, quia formatur immediatè vel ex ſenſationibus actualibus, vel ex phantaſmatibus paſſim occurrentibus, & vltra non nititur, quemadmodum namque ſenſus noſtros cum omni facilitate circunducimus modo huc, modo illuc, obiectis ſufficienter præſentatis. Et ſimiliter nulla eſt difficultas in occurſu phantaſmatum qualiumcunq;, nam euagantur præſen- B tanturq; nobis etiam inuitis. Confeſtim apparet ratio cur cogitatio quæ ſecundum talia formatur & hæc inſequitur nullam patitur difficultatem. Videmus hoc in pueris, videmus hoc in hominibus otioſis quod in talibus quærunt oblectationem, quia nullum afferunt in conſiderando laborem. Sed de his verè enunciauit ſermo propheticus: Nouit Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Vanæ ſunt itaque, quia ſunt fine carentes, ſomnioque ſimiles. Non enim ad C aliquem finem vtilem ordinantur, immo frequenter cum homo in talibus ſe oblectauerit, triſtis manet.

Conſideratio viceſima-tertia. Meditationis difficultatem & laborem exponit. Exemplum tam in philoſophicis quam poëticis de Orpheo. Virgilio & Hercule.

MEditatio difficultatem ſortitur, ex eo quod D vltra ſenſationes actuales vel phantaſmata paſſim occurrentia, ipſa nititur vltra pertingere vel in aliquo fixa ſtare. Experitur in ſe crebrò quilibet ſtudioſus difficultatem quæ eſt in ſiſtendo ad aliquid attentè conſiderandum cogitationẽ ſine diuerticulis ad alia. Et hoc dum fit, cogitatio iam tranſit in meditationem, non vt cogitatio deſinat eſſe, ſed vt deſinat eſſe cogitatio. Quis itaque neſciat fortiſſimos eſſe motus actuales ſenſuum nunc hos, nunc illos. Eſſe ſimiliter continuum fluxum phantaſmatum nullus ignorat, propterea E ſenſualem motum vnire, aut fluitãtia phantaſmata cohibere vel ſiſtere, vel ſupergredi ad aliquam certam cogitationem ſuam ſub determinatis limitibus claudere, operoſum eſt valde non habituatis & inſolitis, neque fieri poteſt abſque illo qui claudit certis limitibus mare, & ponit terminum fluctibus eius. At verò difficultas hæc augetur, & fit labor inſuſpicabilis, dum animus denudare nititur cogitationem ab inuolutione accidentium, hoc eſt circunſtantijs loci & temporis & aliorum quæ præſentat ſenſus, vt abſolutæ F & nudæ quidditates rerum appareant, quaſi non conuolutę tempori & loco. Dat exemplum diuinus Auguſtinus de cõſideratione veritatis & bonitatis, quas dum in ſua puritate meditari ſatagimus, confeſtim occurrit hæc vel illa bonitas & hæc illa veritas in particulari, & fit cogitatio noſtra cum tempore & loco, vt dicit Philip. 1. Metaphyſicæ. Pertinere ad hoc æſtimo poëticas illas fictiones & imaginationes vnam de Orpheo cytharizante, & Eurice, quam ad inferos dilapſam euehere nititur ad ſuperos. Et alteram

apud Virgilium de Ænea tranſeunte ad campos elyſios, & ibidem intelligente quæ futura erant poſt enarrationem maris & obdormitionẽ Cerberi. Non enim tales viri quos pro theologis habuit antiquitas, otioſè fabulantur. Orpheus eſt vir ſapientiæ deditus, qui per auratæ vel eburneæ cytharæ modulos, hoc eſt per debitam & harmonicam morum compoſitionem, ſiſtere facit flumina defluentium deſideriorum, componit quoq; & māſueſcere facit ferinos & brutales affectus. Deniq; compellit ſyluas rigidas prauarũ inclinationum tam innatarũ quam acquiſitarũ ad ſuum voluntatis arbitrium ſequi. Hic Orpheus Euridicen habet ſponſam, illam de qua gloriabatur. Sapiens quæſiſſe ſibi ſponſam ſapientiam aſſumere. Vel accommodatius Euridicen accipiamus vim intellectualem datam homini ad cõſiderationem ſupernorum. Hæc vis dum per prata florentia placibilium, obiectorũ vagatur, mordetur à ſerpente voluptatis latẽtis ſub herba formoſitatis, ſicut dicit Ariſt. quod voluptas furata eſt intellectũ ſpiſſæ ſapientiæ. Hoc vulnus inflictum trahit Euridicen ad inferos, quia hæc ſola iam infima cogitat, in his ſolis conuerſatur, non potens dicere cum apoſtolo: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. Vulnerata igitur deductáque Euridice. i. vi intellectuali ad inferos, per medium ſerpentis, ſicut ad literam tentatio ſerpentis primos illos parentes ſapiẽtiſſimos demerſit in baratrum omnis illius miſeriæ, qualẽ apud inferos ſub metaphoram congruis exemplis poëtæ figurarunt. Orpheus vir ſapiens deplora tamiſſam coniugem, quam ad ſupernas auras conatur rurſus educere. Quo canente & lugente ſilent furiæ infernales paſſionum carnalium. Cerberi latratus non auditur, quia res cum temporis lapſu non concipiuntur. Animus præterea qui preſſus ante erat lapide molari terrenæ curioſitatis, ſicut Siſyphus, vel qui agitabatur tota volubili mundanæ occupationis ſicut Ixion, vel qui lacerabatur à vulturibus mordacis voluptatis, ſicut Tycius, vel qui eſuriebat inter aquas & poma, ſicut auarus Tantalus, nunc intrepidè in requiem ſui conuertitur cum illo qui dicebat: Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Inter hæc lamenta & efficacia carmina iubetur Euridice Orpheo reddi, ea tamen lege ne rurſus conuertat intuitum. Sed hæc noctis prope terminus. Orpheus Euridicen ſuam vidit, perdidit, occidit.

Vos hæc fabula reſpicit quicunq; in ſuperum diem mentem ducere quæritis, nam qui tartareũ in ſpecus victus lumina flexerit, quicquid præcipuum trahit, perdit dum vidit inferos. Hæc Boëtius. Ad hanc ſententiam facile traduci poſſunt fictiones aliæ de Ænea Virgiliano, & Hercule & Perſeo deſcendentibus ad inferos, & iterum emergentibus. Sed hæc interim ſufficiant pro ſpoliatione Ægyptiorum, & Chriſtianorum ditatione.

A *Conſideratio vigeſima-quarta. Quomodo creſcit & cauſatur contemplatio, oſtendit per plures ſimilitudines exemplares, & vbi propriè reponitur.*

Contemplatio facilitatem habet tum ex habitibus per meditationem acquiſitis. Tum propter abſtractionem, ſeparationem intelligentiæ à ſenſibilibus. Tum ſæpius propter diuinæ gratiæ colluſtrationem in diuina ſpectacula ſubleuantem. Meditatio nimirum ſi debitè fiat tranſit in contemplationem, ſicut cogitatio in medi- B tationem. Facta enim ſedula inquiſitione veritatis, denudatis inſuper per vehemens ſtudium rerum quidditatibus ab accidentalibus circunſtantijs generatur habitus ex frequentatione, deputatur lumen intelligentiæ, fitque lucidius quãto eſt tenebroſitati ſenſualis cogitationis impermixtius. Pro cuius manuductione palpabili, imaginemur conformiter ad diuinum Aug. in ſuo de Trinitate, quod ſit aliquis ſupra mõtem excelſum valde, ad cuius cacumen neque venti neque nu- C bes attingant, ſicut de Olympo narrat Ariſtotel. Subtus verò quanto ſit deſcenſus procliuior ad infirma tanto eſt illic tenebroſitas inquietior per commixtionem, & quandam incorporationẽ radiorum ſolarium cum cæteris impreſſionibus, vt ſunt venti, pluuiæ, niues, grãdines, fulgura & ſimilia. Conſtat hoc exẽplo, quod homo limpidius, liberius & expeditius circunfert oculos ſuos ad ſerenum lumẽ ſolis & cœli dum ſublimius euectus eſt, & in quadã regione pura & trãquilla collocatus. Cuius oppoſitum euenit dum in inferiora di- D labitur. Ad hoc exẽplum reſpicit illud Pſal. Quis aſcendet in montẽ Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Ductio quoque illa diſcipulorum in montem excelſum valde, dum transfiguratus eſt Ieſus ante illos, apta eſt ſatis figura, ſicut & aſcenſus Moyſi in montem Synai, dum è medio vocatus eſt. Conuertamus nunc ex hac re ſenſibili cõſiderationem noſtram ad tres vires animæ præſcriptas, quæ ſunt intelligẽtia, ratio, ſenſualitas ſeu imaginatio. Et comparemus ſenſualitatem infimo E montis, rationẽ medio, ſupremo intelligentiam. Inueniemus quod ſi anima ſtare poſſit in arce intelligentiæ ſine delapſu in inferiora, ipſa poterit libero intuitu circumquaque ſemet diffundere, nunc ante, nunc retro, nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorum. Et hic eſt oculus contemplationis qui in Adam ante lapſum viuaciſſimus, puriſſimus & expeditiſſimus fuerat. Nunc væ vobis, totus fere extinctus eſt, ſicut oculus rationis obtenebratus, & oculus ſenſualitatis fere corruptus. Attendamus rurſus in hac ſimilitudine, quemadmodum F homo ſtans in ſupercilio montis, talis videt liberè cum volet, non ſolum ea quæ iuxta ſe ſunt, ſed etiam ea quæ ſubtus ſe aguntur. Et multò liberius multoque clarius quam habitantes inferius, immo purum ab impuro, clarum à tenebroſo ſecernet, quod apud inferiores vel nunquam vel raro fit. Non aliter anima quæ in arcem intelligentiæ prouchi meruerit, & illa fixa ſteterit, ſpectabit veluti deſurſum ea omnia quæ in ratione & ſẽſualitate agũtur. Iudicabit inſuper in luce ſua & per lucẽ ſuam de omnibus, quoniã regulis abſtractis & ęternis innititur, ſecundũ quas habẽt

regulari

Digitized by Google

regulari cætera omnia. Exempla ad hoc ſumi poſſent in omni arte habente regulas ſuas ſecundum quas iudicant periti in arte hac vel illa de ſingularibus ſpectantibus ad artem ſuam, quod vtiq; nequeunt imperiti. Ille præterea qui principiorum notitiam claram & perfectam haberet, videret in eis & per ea concluſiones ab eis deducibiles, clarius quam ipſę concluſiones in ſe videãtur ab eis, qui non per principia concluſiones earumdẽ acceperunt. Ex his patefactum habemus, quo pacto contemplationis oculus facilis eſt, & expeditus dum habetur, quãquam acquiſitio ſit difficillima. Patet inſuper in qua vi animæ reponitur, quia in vi ſuperiori cognitiua animæ quæ intelligentia nominatur. Iſte enim oculus non ſolum intelligibilia & abſtracta, ſed etiam ea quæ in ratione & ſenſu fiunt aſpicit, quamuis alio modo quam ratio, & aliter quã ſenſus vel imaginatio. Exiſtimo ſic intelligere eos qui dicunt duas eſſe ſpecies contemplationis & imaginationis, duas in ratione, & duas in luce intelligentiæ. Hoc quippe dicitur non quin omnis cõtemplatio fiat in luce & per lucem intelligentiæ, ſed quia pro obiectorum varietate huiuſmodi ſpecies contemplationis variari noſcuntur, hæc ponuntur.

Conſideratio 25. Ponit quid ſit propriè contemplari & quomodo circa eam erratur.

ABſtractio qualem contemplatio requirit cõpleri nequit per imaginationem, neque per ſolam rationem, quæ virtus eſt ſuperior. Itaque ſicut ratio virtus eſt ſuperior & abſtractior quam ſenſualitas vel imaginatio, quoniam poteſt abſtrahere quidditates rerum à confuſione accidentium, & formare conceptus ſpecificos & generales abſolutos, quod non poteſt imaginatio. Sic vis illa quæ ponitur ſuperior ad rationem & nominatur intelligentia, adhuc abſtractior eſt quam ratio, quæ in actibus rationis abſtractis à phantaſmatibus tranſit ad cognitionem æternorum & incorporeorum, quia nullam habent phantaſmatum illuſionem, & hoc dum irradiationem ſuſcipit ab inferiori, quia dum ſuperiori & diuina luce ſuffunditur, nõ oportet. Ex hoc perſpicuum eſt quod contemplatio ineptè quæritur per ſolam imaginationem & imperfectè per ſolam rationem, quamuis vtraque virtus adiuuat illimitibus ſuis contenta eſt. Quos ſi quis voluerit ſupergredi, redditur homo vel phantaſticus, vel inſanus in imaginatione vel erroneè iudicans in ratione, ſicut apud nonnullos viſum eſt, qui dum inſequi credunt eleuatiſſimos viros & abſtractiſſimos in ſuis modis cognoſcendi, negligunt autem tenere modum eorundem in abſtractè viuendo & vtilia ſtudendum, & cõuertendo ſe ad ſe & ſupra, ſe nihil aliud referunt niſi phantaſias & errores, quãtumlibet ipſi eleuatorum doctorum verba tenere videantur. Fit enim apud talem quemlibet illud Virgilianum de inſana vate, dat(inquit) ſine mẽte ſonũ. Et hoc eſt quod reddit multos ex eis qui dicuntur formalizantes in fabulam & riſum, immo in inſaniam, quia per ſolam imaginationẽ & rationem quærunt illud quod per intelligentiæ deputationem erat inueniendum. Quomodo autem intelligentiæ deputatio & qualiter fiat, poſterius quantum Dominus conceſſerit, aperietur.

QVINTA PARS PRINCIPALIS agit de tribus oculis animæ, & tribus affectionibus correſpondentibus in 26. & 27. conſideratione.

Ordine 26. Conſideratio ponens tres cognoſcendi modos, ſecundum tria genera hominum ad hos diſpoſitos.

TRes cognoſcendi modi ſunt, quorum vnus animalis, dicitur, vtens maximè oculo carnis. Alius rationalis, vtens plus oculo rationis. Tertius ſpiritualis, vtens oculo contemplationis, ſicut diſtinxerunt diuini homines tres oculos & tres viuendi modos. De his Auguſtinus in libro de vera religione. Bernardus ad fratres de monte Dei Carthuſienſes. Et Hugo in ſuo de ſacramentis, & ſuper Eccleſ. Videmus itaque quoſdam ex hominibus viuere non eleuatius quam bruta. Solis enim ſenſibus vtuntur, aut eos ſolos inſequuntur. Alij magis inſequuntur rationem intelligentes abſtractas regulas artium & ſcientiarum. Tertij vltra hæc omnia eleuant ſe ſupra rationem in quandam regionem æternitatis & perſpicabilitatis, & ſuper omnem fluitationem & confuſionem infinitam deſideriorum & cogitationũ, in auram quandam libertatis ſerenam aſſurgunt & euolant, & iam non minus videtur differre eorum vita à cæteris hominibus quam diſtant homines à peccatoribus. Sed quis eſt hic Deus optime & laudabimus eum? Ille ſolus eſt quẽ tu eduxeris de tenebris & vmbra mortis, & vincula eius paſſionum diruperis noxiarum.

Conſideratio 27. ponit illa quæ videntur ſpecie eſſe mentales affectiones, ſed non ſunt, & ideo inter eas ponit differentias.

TRibus prænominatis cognoſcẽdi modis qui ſunt cogitatio, meditatio, contemplatio, tres affectionis maneries correſpondent, quæ ſunt cupido vel libido ſeu cõcupiſcentia, ſecundò deuotio vel contritio ſeu compunctio aut oratio, tertiò dilectio, nõ quæcunq;, ſed extatica & anagogica. i. ſurſum ducens & rapiens in diuina. Si de re cõſtiterit peto vt non magnopere calumnia fiat de nominibus non enim accepi ab alijs talẽ circa affectus diſtinctionem nominum, quemadmodum de cognitionibus reperio. Sed tamen interim dicamus quod ſicut cogitatio eſt improuidus animi obtutus ad euagationem pronus. Itaq; cõſequenter ad talem cogitationem ſi ſit de obiecto delectabili, ſequitur affectio improuida & vaga ſine vtilitate & fructu, & hoc mihi ſatis congruè videtur appellari libido ſeu cupido vel concupiſcentia. Porrò ad quæ meditationem prouidus animæ obtutus in veritatis inquiſitione & cæleſtium rerum inuentione vehementer occupatus conſequitur quædam affectio alia à priori ad res taliter quæſitas & inuentas ſi nõ ſit indiſpoſitio animæ. Et hæc affectio eſt prouida & non vaga cũ difficultate & fructu, & hæc interim vocetur deuotio vel compũctio aut oratio. i. affectus pius & humilis vehementer & fortiter tendens & nitẽs in amorem primæ veritatis & bonitatis. Denique contemplatio quę eſt libera & expedita cõſidera-

Digitized by Google

tio eorum quæ meditatio cum ingenti difficultate perquirit habet ſuam affectionem in anima diſpoſita, ſuamq; dilectionem ſimiliter liberam, puram, expeditam & abſtractam. Et hac ratione vocari poteſt extacita dilectio vel iubilatio, quæ vltra deuotionem addit facilitatem & iocunditatem inæſtimabilem & inexpreſſibilem, & exuperantem omnem ſenſum. Et hæc eſt ſapientia Dei in myſterio abſcondita. Hæc eſt myſtica theologia quam quærimus, quæ ad anagogicas & ſupermentales exceſſus deducit, quam aliquando nomine charitatis, aliquando charitatiui amoris lego nomine appellatam. Propterea non fallitur qui dicit contemplationem ſine dilectione nomen cōtēplationis nō mereri. Sed nos vnum ab altero ſecernimus, vt precioſior habeatur inquiſitio veritatis, & cognoſcamus quoniam appropriatè loquendo, ſicut contemplatio eſt in vi cognitiua intelligentiæ, ſic in vi affectiua correſpondente reponitur myſtica theologia.

SEXTA PARS PRINCIPALIS agit de acquiſitione myſticæ theologiæ, & de eius decem differentijs ad theologiam ſpeculatiuam à 28. vſque ad 35. conſiderationem.

Ordine verò conſideratio viceſimum octauum oſtendit modum perueniendi ad myſticam theologiam, eamque pluribus definit definitionibus.

COgnitio Dei per Theologiam myſticā melius acquiritur per pœnitentem affectum, quam per inueſtigantem intellectum. Ipſa quoq; cæteris paribus eligibilior eſt & perfectior quam theologia ſymbolica vel propria de qua eſt contemplatio. Sicut dilectio perfectior eſt cognitione, & voluntas intellectu, & charitas fide. Hæc ſecunda pars pro nunc ſupponitur, quamuis non ſim neſcius de probabilitate poſitionis oppoſitæ apud multos & magnos. Sed pro prima parte cui correſpondet deductio ad quæſitum: nullus ambigit quin deputatio ſeu purgatio potentiæ affectiuæ fiat per feruorem pœnitentiæ in compunctione, contritione & oratione, quæ rugire facit à gemitu cordis. Et quamuis dicat propheta: In meditatione mea exardeſcet ignis ſcilicet dilectionis. Meditatio hæc non pro veritatis inquiſitione attenta ſicut deſcripſimus, ſed magis pro compunctione ſequente ſumpta eſt. Huius autem compunctionis difficultas magna eſt valde apud non exercitatos, & eos qui corruptos adhuc habent ſenſus ab adoleſcentia. Quemadmodum enim ligna viridia aqueo plena humore vix recipiunt calorem ignis, vt in ſimilitudinem eius accendantur, ſed præcedunt exufflationes multiplices, præuia eſt etiam depulſio humiditatis talis ac euaporatio, ſic exiſtimare conuenit de eo qui calorem ſpiritusſancti in ſe recipere debet, & ſecundum eum tranſiturus eſt in amorem purum & pium, ſi nondum deſiccatus ſit à ſordidis affectionibus, & hoc fit initiatiuè per pœnitentiam. Vnde Greg. in hom. de cæco: Per pœnitentiæ lamenta mentis phantaſmata depelluntur.

Ad cuius ampliorem elucidationem attendendum eſt, quod theologiam myſticam ſic poſſumus deſcribere: Theologia myſtica eſt extenſio animi in Deum per amoris deſiderium. Aliter ſic: A Theologia myſtica eſt motio anagogica, hoc eſt ſurſum ductiua in Deum per amorem feruidum & purum. Aliter ſic: Theologia myſtica eſt experimentalis cognito habita de Deo per amoris vnitiui complexum. Aliter ſic: Theologia myſtica eſt ſapientia. i. ſapida notitia habita de Deo, dum ei ſupremus apex affectiuæ potentiæ rationalis per amorem coniungitur & vnitur. Vel ſic per Dionyſium 7. de diuinis nominibus. Theologia myſtyca eſt irrationalis & amens & ſtulta ſapientia, excedens laudantes. Has autem deſcriptiones a- B pertius intelligemus, ſi multiplicent Theologiæ ſpeculatiuæ differentiam & myſticæ deinceps voluerimus intueri.

Conſideratio viceſima-nona, ponit differentiam inter Theologiam myſticam & ſpeculatiuam: & in quibus conueniunt, multis declarat exemplis.

THeologia myſtica & Theologia ſpeculatiua C ſi ſecundum rationes proprias conſiderantur, differentiam ex multis non ſine conuenientia multiplici ſortiuntur.

Prima & principalis differentia ſumitur ex ſubiecto vel potentia, quoniam licet vtraque ſit in anima rationali, nihilominus diſtinguendo potentias animæ ſecundum rationes ſuas (vt ſupra dictum eſt) ſpeculatiua Theologia eſt in potentia intellectiua, cuius obiectum eſt verum. Myſticam verò reponimus in potentia affectiua, cui pro D obiecto bonum aſſignamus. Ex hac aliam differentiam inuenimus ſecundum rationes obiectales, quoniam obiectum ſpeculatiuæ Theologiæ eſt verum, & myſticę bonum. Conueniunt tamen in hoc myſtica Theologia & ſpeculatiua, quam alia nomine contemplationem dicimus, quoniam vtraque eſt in ſuperiori portione animæ, & non in ſolo ſenſu vel imaginatione, nec in ratione ſola. Hæc autem portio animæ (vt ſupra dictum eſt) varijs nominibus appellatur. Et habet duas virtutes vel duos oculos ſeu duo officia, quia E & ipſa eſt intelligentia vera & effectiua ſeu amatiua boni. Diximus autem in ſuperioribus, quod ſicut volūtas rationi & appetitus ſenſualis imaginationi refertur, ſic ſuo modo eſt de affectiua correſpōdente intelligētiæ puræ propterea dū iſta vis ſuperior exit in affectū ſuū, ipſa dicitur quodammodo leuare ſe ſupra ſe, quodāmodo ſuperferri. Inde fit vt actus talis nominetur ſupermētalis exceſſus vel ſupra ſpiritū, & ſecundū eū quis dicitur quādoque ſuper ſeipſū quādoque extra ſeipſum. Huius rei aliquod exemplū accipere poſſumus ex F conſideratione corū quę ſæpe in ipſa ſenſuali virtute fiunt. In qua videmus tam in nobis quam in brutis, quod quandoque ipſa ſenſualitas in ſuis actibus cognitiuis permanet ſine affectu illorum quæ vel audit vel intuetur. Sæpe tamen per auditum vel aſpectum quorundam obiectorum ipſa tanto completur affectu, vt iam quaſi ſaliat extra ſe & tota geſtiat, velut ſi equus potitur campo liber aperto. Hoc modo ſenſualitas aliquādo quaſi ſe non capiens & ſe deſerens, tota nititur in rem deſideratam ſe effundere, ſe transferre, ſe vnire, immo illam penitus quaſi introrſus penetrare. Quid

Digitized by Google

Quid de talium oculis? nonne ſcintillant? nunquid non emicant? Nonne quantum datur ipſis, tremulo ſe fulgore diffundunt? Transferamus hoc exemplum ad vim intelligentiæ ſuperiorem, conſiderando qualitatem eius dum ſine affectu in ſola cognitione iacet. Et dum tranſit in affectũ talium qualia contemplatur. Adducamus pro manuductione huius ea quibus myſticè theologizantes vtuntur exempla.

Primum quidem de aqua in vaſe, quæ dum apponitur igni, caleſcit primò ſe continens in vaſe. Sed dum ferueſcit & bullit, videtur quodãmodo ſeipſam non capere ſed excedere atque ſuperferri virtute caloris. Sic mens nondum amore caleſcens, intra ſeipſam continet ſe. Sed ſpiritu feruoris amore cõcepto ſupergreditur quodammodo ſeipſam, quaſi extra ſe ſaltitans atque volitans. Aliud quoque exemplum inducamus de radijs ſolaribus cadentibus ſuper ſpeculum concauum, qui ex vnitiuo eorum concurſu comburunt ſtuppam efficiuntque flamam ſuperuolantem. Sic intelligentia noſtra illuſtrata contemplatione ſerena cœleſtium, quandoque quidem remanet intra ſeipſam non incaleſcens neque ardens, quandoque verò tantus amoris ardor concurſu radiorum cœleſtium exoritur vt in affectum ſe erigat, nec ſe capiat neque contineat, ſed iubilat & exultat, ex quibus tertia concluditur differentia.

Conſideratio triceſima ſcholam oſtendit ad diſcendum ſpeculatiuam & myſticam, cum alijs differentijs Theologiæ, quomodóq; ſe habeant inter doctos & fideles idiotas.

SVperſunt aliæ inter has theologias ſpeculatiuam & myſticam differentiæ, ſumptæ ex acquiſitionis earum varietate. Vna quidem eſt, quia ſpeculatiua Theologia ratiocinationibus vtitur conformiter ad Phyſicas diſciplinas. Ideo ſcholaſticam eam vel literatoriam quidam appellant, quamuis non ſufficiant iſtæ ſcholaſticæ exercitationes, niſi quis ſtudio vehementi nitatur habere conceptus proprios & intimos eorum quæ tradita ſunt à ſummis doctoribus. Aliquando tales theologizant ſolis auribus corporeis, ſicut pueri vel picæ, neque verè intelligentes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Nihilominus tamen ſæpe eis nomen concedimus theologorum. Myſtica verò theologia ſicut non verſatur in tali cognitione literatoria, ſic non habet neceſſariam talem ſcholam quæ ſchola intellectus dici poteſt, ſed acquiritur per ſcholam affectus & per exercitium vehemens moralium virtutum, diſponentium animam ad purgationem, & in theologicis illuminantibus eam in beatificis virtutibus eam perficientibus proportionabilis ad tres actus hierarchicos, qui ſunt purgare, illuminare & perficere. Et hæc quidem ſchola poteſt dici ſchola religionis vel amoris, ſicut intellectus dicendus eſt ſchola ſcientiæ vel cognitionis. Sed quoniam plerumque euenit etiam in brutis, vt ibi ſit maior affectio vbi parum eſt cognitionis, ſequitur ad comparãdam huius theologiæ myſticæ doctrinam, non eſt magna ſciẽtia opus, præſertim acquiſita. Nam cognitio ex fide quod Deus eſt totus deſiderabilis, totus amabilis, affectiua portio ſi purgata, ſi illuminata, ſi diſpoſita, ſi exercitata ſit, cur non in illum totaliter deſiderabilem & totum amabilem, ſine plurimo librorum ſtudio tota feretur totaque rapietur? Ex quo illam concludimus differentiam quoniam theologia myſtica licet ſit ſuprema atque perfectiſſima notitia, ipſa tamen poteſt haberi à quolibet fideli etiam ſi ſit muliercula vel idiota. De theologia verò ſpeculatiua aliter eſſe nullus ambigit, ad cuius adeptionem ſicut ad metaphyſicam grammatica logica & philoſophica diſciplina cum forti exercitio, etiam clara ingenia requiruntur, ita tamen vt gratia deſuper cum his infundatur, ſicut apoſtolis, & ſicut fit mundi cordibus, quibus promittitur viſio Dei, & humilibus amicis Dei, quibus Deus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ & omnia quę audiuit à patre ſuo nota fecit. Sic in Antonio magno, ſic in alijs multis ſine literis, literatoria (vt ita dicam) theologia donata eſt. Ex præmiſſis concludimus cum B. Bernardo ad fratres Carthuſienſes de monte Dei. Quod theologia ſpeculatiua nunquam in aliquo perfecto eſt ſine myſtica, ſed bene è contra. Et ex hoc ſumi poteſt ſexta differentia quoniam nunquam aliquis intelliget verba apoſtoli & prophetarum quantumcunque illa reſonet exterius, ſi non imbiberit affectum ſcribentium, neque enim aliter conceptus eorum verborum in animo generabit. Cæcus quippe crebrò de coloribus ſermonem audiens de illis vtique diſputare poterit diſertè & acutè; quamquam nullos in illo cordis arcanos proprios eorum quæ diſputat conceptus inſcripſerit.

Conſideratio triceſimaprima. Eos quibus propalanda eſt myſtica theologia inſtruit duorum filiorum exemplo.

SIcut multis qui clerici vel literati, aut ſapientes vel philoſophi, aut theologi nominantur occultandus eſt ſermo de myſtica theologia, ſic plurimis illiteratis & ſimplicibus (fidelibus tamen) tradi poteſt. Hinc traditur differẽtia ſeptima ſumpta ex modo publicationis. Beatus enim Dionyſius plerumque obteſtatur diſcipulũ ſuum Timotheum vt nullus imperitorum hæc audiat. Imperitos vocans eos qui vel non ſunt fideles, nam hæc theologia propriè eſt fidelium, vel qui tumentes iam philoſophia maléq; viuentes conculcant pedibus ſuis ſordidis quicquid non ſapiunt, quicquid etiam non intelligunt canino dente lacerant. De quibus ait euangelica parabola: Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas proijciatis ante porcos. Sed è contra ſimplices, qui quidem fidem habent poſſunt ex eam conſurgere ad vnitiuum amorem cum Deo. Quomodo? ſic nempe per fortem contritionem mortificatiuam ſenſualitatis, trahente eos Deo vinculis præceptorum ſuorum, & manſionem apud eos faciente. Atteſtante Eſaia, quod ſuper humilem & quietum & trementem ſermones ſuos requieſcit Dominus. Itaque nihil prohibet fieri verbum apud tales de theologia myſtica, quæ amor eſt & amore conquiritur, cum è diuerſo ſapientes in oculis ſuis ſine caſto amore languentes circa pugnas verborum ab hac arceri conueniat.

Carnalis enim homo non ſapit ea quæ Dei ſunt. Conatus ſum in quodam vulgari tractatulo per palam iſta facere quodam exemplo. Sunt duo filij patris vnius optimi. Sit vnus eorum curioſus & aſtutus inquiſitione conditionum paternarum, nunc ex operibus, nunc ex verbis, quatenus in earundem elocutione vel doctrina apud alios delectetur. Odiat autem patrem vel nullam iuſſis ſuis obedientiam accommodet. Ponamus alium ſimplicis ingenij, qui de patre ſuo nihil aliud quærat, nihil interroget, niſi quo pacto illi placere & in omnibus obedire valeat. Quærimus nunc quis è duobus ab optimo patre magis amabitur? non eſt dubium quin ſecundus. Hic præterea plus iocundabitur in paterna bonitate quæ ſibi plus ſapit. Ipſe denique pater tandem ſeipſum & ſecreta ſua puto tradet, faciens eum velut amantiſſimum in domo manere ſecum. Alium verò vel exhæredabit vel incarcerabit, vel etiam occidet.

Conſideratio triceſimaſecunda oſtendit quantum myſtica Theologia diſtat à litteratoria propter finis diuerſitatem; & à ſpeculatiua, vitia perimens.

THeologia ſpeculatiua literatoria per hoc vel maximè à myſtica ſecernitur, quod prima ſeruire poteſt vitijs ſecunda nequaquam, niſi per accidens valde, ſicut ſi contingeret abuti ſpe vel fide.

Hanc differentiam octauam quæ eſt ex poſſidentis qualitate, breui verbo complexus eſt apoſtolus dicens: Scientia inflat, charitas autem ædificat. Rurſus ipſe ad Timotheum loquens de homine non acquieſcente ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, dicit quod ſit ſuperbus nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum inutiles, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemię, ſuſpiciones, malæ conflictationes hominum mente corruptorum, quia veritate priuati ſunt. Denique Iacobus vtramque deſcribens: Non eſt inquit, iſta ſapientia de ſursũ deſcendens, ſed terrena, animalis diabolica. Sequitur. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primũ quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione & æmulatione.

Hæc autem dicta ſunt, non vt ſcientia aut ſapientia aliqua ſit de ſe mala, cum ſit perfectio intellectus, ſed quia abuſus eius tanto deterior & ſæuior eſt in peruerſis, quanto per eam contra virtutes pro vitijs decertatur. Ecce enim finis multiplex falſa ſeductione quæritur à multis, qui quoniam auerſi ſunt à Deo fine vero, vt in varia diſpergãtur oportet. Huic finis eſt diuitiæ & opes, illi ſordidæ voluptates, huic pompatici honores, apud alium potentatus, fragilis & anxius. Cum igitur ſecundum exigentiã finis veri vel æſtimati cætera omnia moderentur, cõſequens eſt vt ſubuerſo & peruerſo fine peruertantur omnia ad finem ordinanda. Inter quæ nimirum eſt ſcientia, quæ dum ad diuitias acquirendas reducitur appellatur terrena, dum voluptates indigna ſorte conquirit animalis nominatur, dum verò æmulationibus, ſectis, hæreſibus, contentioni, & ſimilibus nequitijs ſpiritualibus ancillatur, quo pacto melius quam diabolica cenſebitur? Scientia igitur in peruerſis tot ſortitur nomina, quot ſunt vitia eam ad ſe rapientia, vt quod eſt ſuperba, arrogans, inflata & ſimilia. De talibus dicit ſcriptura: Sapientes ſunt vt faciant mala. Inde enim fit illud de Græcis eulogium quod leges habebant bonas, & peſſima ingenia. Per contrariũ verò ſapientia quæ deſurſum eſt, qualem loquimur ſicut obſequitur charitati cæteriſque virtutibus, ita earum denominationes contrahit, vt quod eſt patiens, benigna, non æmulans non ambitioſa. Et hoc modo de cæteris. Sic ergo de theologia ſpeculatiua dicimus quod non quęlibet peruerſa eſt aut peruerſos inhabitat, nec in ea vitium eſſe ponimus Sed in abutentibus ea, qualiter nullus in Theologia myſtica abuſus eſſe poteſt, niſi forſan modò prætacto per ſuperbiam obiectiuè.

Conſideratio triceſimatertia ponit differentiam inter probos fideles, exemplo oſtendens quomodo iudicant de Theologia myſtica.

IN hominibus non peruerſis nec auerſis à Deo fine ſuo, poteſt altera inter Theologum ſpeculatiuum & myſticum differentia inueniri, quia vnus ab altero ſecernitur, qualiter artifex ſolum ſpeculatiuus ſine inſtrumentis conuenientibus & habitibus acquiſitis, differt à practico experto, & in vtriuſque abundante. Hanc differentiam nonam ſumptam ex operis facilitate vel difficultate familiari poſſumus oſtendere exemplo. Si quis peritiſſimus in arte muſicæ, non autem exercuerit ſe in vocali cantu neque in chordis aut organis, immo vocem habeat rautam, & inſtrumenta muſicalia diſcordia, ſatagit tamen iſte vel cantare, vel inſtrumenta pulſare, nulli dubium quin oberrabit, & neque dulcem neque ſuauem ſymphoniam valebit afferre.

Hæc ſimilitudo reſpicit eum qui de diuinis ſcit artificioſa diſſerere, qui de moribus ſimiliter & virtutibus regulas habet, & ſpeculatiuum plerumque ſermonem, ſed nondum vult ad ea quæ cognoſcit conformiter operari, cogit languens illam apoſtoli vocem plangere: Velle adiacet mihi, perficere autẽ non inuenio. Caret quippe virtutum habitibus tanquam inſtrumentis, habens carnem rebellem & diſſonam ſpiritui: quæ dum tangitur, nihil ſuaue, nihil diuinum, ſed raucum, ſordidum ac ſtrepidulum reſonat. Sed & ſpiritus dum velit quidam muſicus ſatagit obſequi, Deo hymnis & canticis piorum deſideriorum, ſentiuntur tantummodo fragores & tumultus obruli deſideriorum carnalium atque terrenorum. Iſtam rem mille ſimilitudines pares oſtẽderent in cæteris artibus ſcribendi, pingendi, medicandi, militandi, nauigandi & ſimilium.

Porrò ita pueri magis ſine arte paulatim extendendo deambulationem diſcunt rectè ambulare quam iacendo etiam ſi mille regulæ eis gradiendi vel modi dicerentur, ſicut fabricando fabri fimus, quia ſimliter inquirimus quid eſt virtus, non vt tantummodo ſciamus, ſed vt bene operando boni efficiamur, ait Ariſtoteles.

Conſideratio

Digitized by Google

Conſideratio 34. oſtendit philoſophorum caliginem, & theologorum claritatem, ſub exemplo maris Galilææ, & nauis ventorum piſcium, & vocatione filiorum Zebedæi.

PEr Theologiam myſticam ſumus in Deo, hoc eſt in eo ſtabilimur & à mari turbido ſenſualium deſideriorum ad littus ſolidum æternitatis adducimur. In hac conſideratione differentia etiã inter duas theologias ſpeculatiuam & myſticam edocetur. Speculatiua quippe ſi ſola eſt nunquã quietat, inquietat potius, alioquin nõ dixiſſet ille qui voluit inueſtigare de omnibus diligenter, quod non ſaturatur oculus viſu nec auris auditu, dans per intelligere quietem non eſſe in ſola inueſtigatione veritatis, ſed famelicum quoddam ieiunumque deſiderium. Fallor ſi non ita apparuit in maximis philoſophis, qui poſt inquiſitiones ſuas tædio affecti, quia non refecti dixerunt hoc vnũ ſe ſcire quod nihil ſcirent. Videte quæſo quam inanis refectio, vbi per tot tempora, per tot ſtudia, nihil niſi vanitas inanis in viſceribus animarum reperta eſt. Præterea cognitionis iſta videtur eſſe natura quod plus ſatagit rem cognitam ad ſe trahere ac ſibi aſſimulare quam ad ipsã erat. Quod innuere videtur philoſophus dicens verũ eſſe in intellectu, bonum in rebus. Quid igitur mirum ſi cognitio ſola non erit mare deſideriorũ ſenſualium, ſi etiam portum vel litus æternitatis extra ſe poſitum non attingat. Quemadmodum nauta in regimine nauis quotidie garrula loquacitate doctè diſſerens, nihil verum eorum agens quæ loquitur, nunquam à medijs ponti fluctibus nauem in littore ſtabiliet, demerget potius eam, vel periculis omnibus expoſita fluctuantemque iugiter inueniet. Similiter ſpiritualis nauta nunquam ex ſola cognitione maris intelligibilis, nunquam ex aſpectu ſolo, ſtabilitatem defici portus poterit adipiſci. Multa ſunt in hanc ſententiam concordantia diuinæ ſcripturæ teſtimonia. Sed libet vnum hic ſignanter inſerere de vocatione filiorum Zebedæi, quos Dominus Ieſus à mari Galilææ ad littus enatare docuit. Vbi theologia myſtica per ſenſus anagogicos cognoſcitur.

Videndum eſt quid per anagogiam .i. ſurſum deductionem ſignificet mare Galilææ, quid littus eius, quid nauis, quid vocatio Domini? & ita de alijs. Itaque ſicut mare moraliter præſens ſæculũ, ſic anagogicè corruptam noſtræ ſenſualitatis fluctuationem ſignificat, dicente ſapiente: Cor impij quaſi mare feruens. Quod ideo mare Galilææ dicitur, quia mutationem vel migrationem ſignificat Galilææ. Quid autem mutabilius, quid inquietius, quid procliuius ad emigrationem, quam ſenſualitas inuenitur? Nunc arrogantia tumet, nunc ſępe attollitur, nunc deſperatione deijcitur, nunc efferueſcit & extra ſe ipſam rapitur per iracundiam, nunc per inuidiam in ſeipſa frangitur atque fatigatur. Vorax eſt per in gluuiem, per luxuriam ſordida voluptate deſpumat, eam reddit inſatiabilem inexplebilemque cupiditas.

Illic denique piſces & reptilia variorum deſideriorum quorum non eſt numerus. Porrò qui deſcendunt in hoc mare ſenſualitatis, nauibus ratiocinationum naturalium, ipſi vident opera Dei, & mirabilia eius in profundo. Sed quo profundo?
A Profundum inquit, ſcriptura, cor hominis & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Cæterum mirabilia valde operatur Deus in hoc profundo quę ſtudioſi piſcatores, philoſophi mundiales per retia ſuarum adinuentionum atque doctrinarum ſcrutari conati ſunt, ſed defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, neq; enim cauſam tãtę tanquã inquietæ fluctuationis in carne noſtra attingere valuerunt, nobis autem reuelauit Deus, quia peccãte primo homine rupta eſt concordia, ſciſſum fœdus legis
B inditæ inter rationem gubernatricem & obſequẽtem ſenſualitatem. Inde quaſi iuxta poëticam fictionem aperto Æoli antro, qui ſcilicet Æolus fingitur Deus ventorum, mox flauerunt venti. ſc. paſſionũ, quæ velut ex aduerſis partibus agminè facto, conturbauerunt in tempeſtate magnũ mare noſtrum. Nam quis neſciat, quis non quotidiano naufragio periclitatus agnoſcat, mœſtũ illud eccleſiæ canticum? Confuſa ſunt hęc omnia, ſpes, metus, mœror, gaudium. Nonne quatuor iſtę paſſiones vẽti ſunt totidem cardinales, gaudium
C quaſi ab oriente, mœror ab occidente, ſpes à meridie, metus à ſeptẽtrione rabido impetu flantes. A quibus exagitatum mare noſtrum nunc ad cœlum per ſpem & gaudium aſcendit, nunc deſcendit vſque ad abyſſos, per metum & mœrorem, hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque, ait egregius poëta.

Sentimus heu nimium, vtinam ſic deſcribere valeremus, quemadmodum his paſſionibus quaquauerſum ſine ordine, ſine lege perflantibus
D abripitur à ſtabili æternitatis portu nauta noſter. i. ſpiritus rationalis, faciens operationem in aquis multis cogitationum & affectionum, neque venit ad litus tranquillæ contemplationis, niſi præeunte Ieſu ſecus mare Galilææ, & niſi exemplo filiorum Zebedæi vocantem eum ſequatur, relictis tamen prius retibus mundanę curioſitatis, & naui ratiocinationis naturalis immo & patre Zebedęo. i. tẽpore mutabili & fluido in quo gignimur, Zebedæus enim fluidus iſte vel fluens interpretatur. Euehatur autẽ oportet ſpiritus noſter ſuper om-
E nem temporis mutationem, ſi ad littus æternitatis & portum virtuoſæ ſolidæque contemplationis applicare voluerit, vbi immotus permaneat vbi figat anchoram ſpei dependentem à naui fidei, vbi petræ ſtabili quæ Deus eſt, per amorem totus adhæreat non caſurus, quicquid exagitet aut circumuolet ſenſualium deſideriorum & phantaſmatum confuſiſſima inconſtantiſſimaque multitudo. De hac quoque naui hanc ſimilitudinem & portum non hic nouam confingimus, dudum
F enim diuinus Dionyſius in tertio de diuinis nominibus illam nobis aperuit.

Ecce ſummatim perſtrinximus quid per anagogiam verba prædicta euangeliſtæ noſtri deſignant. Mare eſt ſenſualitas littus æternitas, venti paſſiones, piſces vel reptilia ſenſualia deſideria & phantaſmata. Spiritus piſcator, nauis ratiocinatio, retia ſtudia mundana, Zebedęus temporis fluxus, mercennarij mundani philoſophi, vocatio Ieſu diuina attractio. Piſcari verò homines eſt ſupernaturales vel diuinas inueſtigare inuenireque veritates.

SEPTIMA PARS PRINCIPALIS agens de amore & eius triplici proprietate, & de raptu ſimul & extaſi, & à 35. conſideratione vſque ad 40.

Ordine verò conſideratio 35. ponit animam rationalem ſine inſtinctu Dei & amore non poſſe ad finem debitum peruenire.

RAtionalis ſpiritus tanquam ſpiritualis nauta per theologiam myſticā doctus,non niſi vocante Domino,& ſecretis afflatibus velum mentis impellente, à mari ſenſualitatis ad littus æternitatis, hoc eſt à carnalibus ad ſpiritualia peruenit.Et non niſi per eius amorem in deifico portu ſtabilitus atq; ſolidatus conquieſcit. Hoc ex præcedenti ſimilitudine ſatis perſpicuum eſt ex his quæ diximus in pręcedenti conſideratione.Nam cum ibi oſtenſum ſit quod non acquirimus portū ſtabilem in Deo per ſolam cognitionem,ſupereſt vt hoc fiat aliunde, videlicet per amoroſam affectionem,per hanc quippe cum deifico portu noſtro vnimur & ei adhæremus, dicente propheta: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Et rurſus ſcriptum eſt: Qui adhæret Deo,vnus ſpiritus eſt. Illud quoque clarius eluceſcit ex proprietatibus amoris,quarum tres ad præſēs attingere ſatis erit. Amor enim rapit,vnit,ſatisfacit. Primò quidem amor rapit ad amatum,& inde extaſim facit. Secundò amor iungit cum amato & quaſi vnum efficit. Tertiò amor ſibi ſufficit nec aliud præter amare quærit.De his itaque proprietatibus deinceps aliqua ſunt proſequenda.

Conſideratio 36. explicat vim amoris prout eſt in raptu & extaſi per proprias differentias exemplificando de Paulo exemplo naturali.

AMor rapit adamatum & extaſim facit. Et vocatur raptus in propoſito eleuatio potētiæ alicuius ſupra inferiores potentias & ex actuatione eius in ſua operatione,ceſſantibus vel debilitatis actibus inferiorum potentiarum. Vel raptus eſt fortis actuatio & vehemens in ſuperiori potentia,vnde ceſſant operationes inferioris potentiæ,vel ita debilitantur & ligantur vt ſuperiorem in ſua operatione nequaquam impediant.

Porrò extaſim dicimus ſpeciem quandam raptus qui fit appropriatius in ſuperiori portione animæ rationalis quæ ſpiritus vel mens vel intelligentia nominatur, dum mens ita in ſuo actu ſuſpenſa eſt quod potentiæ inferiores ceſſant ab actibus ſuis,ſic quod nec ratio,nec imaginatio,nec ſenſus exteriores,immo quandoque nec potētiæ naturales nutritiuæ & augmentatiuæ & motiuæ poſſint exire in ſuas proprias operationes.Diſtinguendo igitur & quodammodo contrahendo raptum contra extaſim. Raptus eſt minoris efficaciæ in ſuſpendendo vel impediendo actum inferiorem.Inuenitur tamen etiam in omni potentia ſuperiore reſpectu inferiorum. Extaſis verò in ſola mente fit, ſed & actus inferiorum potentiarum non ſolum debilitat, ſed tollit funditus quādiu durauerit.

Paulus itaque exempli cauſa in ſuo raptu duo exprimit quæ concurrunt in extaſis deſcriptionē. Exprimitur enim potentia quæ rapta eſt.ſc. tertiū cœlum ipſius animæ modo ſupra expoſito, quod cœlum in potentia cognitiua eſt mens vel intelligentia,& in affectiua eſt apex mētis vel eius ſcintilla.Exprimitur ſecundò ceſſatio omnium inferiorum ab actibus ſuis, alioquin quomodo Paulus neſciſſet an in corpore vel extra corpus fuiſſet.

Eſt igitur extaſis raptus mentis cum ceſſatione omnium operationum inferioribus potentijs. Et hæc poteſt rurſus ſubdiuidi ſecundum duplicem vim mentis, vnam cognitiuam, & aliam affectiuam. Prima extaſis eſt raptus in ſpiritu, ſecunda raptus extra ſpiritum.

Niſi forte aliter velimus diſtinguere hos raptus penes obiecta, vt raptus in ſpiritu dicatur reſpectu intelligibilium ſub Deo, & raptus ſupra ſpiritum reſpectu diuinorum,& forte vtramque acceptionē in ſcripturis legimus permixtim. Inuenimus enim de regina Saba quod non habebat vltra ſpiritum,quoniam admiratio vehemens ſuſpenderat actus omnium potentiarum in ea reſpectu eorum quæ de ſapientia Salomonis fuerat contemplata,& hoc poteſt dici ſtupor vel ſpaſmus.

His itaque prælocutis de nomine raptus & extaſis,ſupereſt indagare quomodo hæc fiant originaliter per amorem. Cum igitur amor ſit radix aliarum qualiumcunque affectionum,ſi oſtenderimus quod affectio potius quam cognitio raptum agat, patebit ſufficienter quod intendimus.

Eſt in primis ſimilitudo amoris quoad pondus, quemadmodum vnus ex ſapientibus dixit: Amor meus pondus meum,illo feror quocunque feror. Oportet igitur quod amor ſit trahens & rapiens. Feruntur itaq; grauia ad locum ſtabilitatis & quietis ſuæ tractu quodā potius quam ex cognitione huius centri ſiue ponderis tendentis ad centrum mundi, hoc palam in grauibus cognoſcentibus quæ ceſſante omni ſua cognitione, nihilominus deorſum non impedita feruntur. Et licet amor (præſertim qualem loquimur) forte magis habet de ſimilitudine cum natura leuitatis cuius eſt ſuperferri,tamen ipſa etiam leuitas pondus quoddam dici poteſt,iuxta intentionem prænominati ſapientis.

Rurſum experimur in ferro, quod dum affectum eſt per magnetem, rapitur ad ipſum prorſus ſine cognitione. Sed & virtus nutritiua nutrimentum graue ſurſum trahit, operante ad hoc cognitiua virtute. Dehinc tranſeamus ad raptum virtutum cognitiuarum.

Conſideratio triceſimaſeptima alium ſcribit raptum imaginationis in paſsionatis exemplificando.

RAptus imaginationis ſuper vires ſenſitiuas inferiores fit per amoris affectionem. Manifeſtum eſt quod amoris vel deſiderij affectio, poteſt tanta fictione virtutē imaginatiuam trahere vel rapere,quod potentiæ inferiores ſenſuum exteriorum,obiecta propria eis oppoſita non attendunt, hoc ſumpſit philoſophus ab experientia. Et hic eſt raptus quidem primus in primo cœlo animæ,quem raptum quid aliud principaliter efficit, quam feruidum intus deſiderium rei per imaginationem

Digitized by Google

nationem præſentatæ? neque enim ſola cognitio
A imaginatiua profundam fictionem facere ſuffice-
ret. Videmus hunc raptum in philocaptis alijſque
plurimis, quos melancholicos atque phantaſti-
cos appellamus, & quibuſdam repente timentibus
& iratis aut vehementer zelantibus. Sicut autem
imaginatio vel aliæ vires ſuperiores ſuper ſenſus
exteriores efferuntur & rapiuntur, ſic è contra
conſtat animam quãdoque ſic detineri circa ſen-
ſationem exterioris obiecti per tactum, guſtum,
aſpectumque, quod operationes potentiarum ſu-
periorum ceſſant aut impediuntur. Hoc autem
B propriè non dicitur raptus, ſed tractus aut dimer-
ſio, dum per potentiam inferiorem ſuperior de-
orſum trahitur; & ab actu ſuo compellitur ceſſa-
re, quod fit in nobis ex corruptela peccati nimis
heu faciliter & frequenter.

Conſideratio triceſima octaua raptus vim prout eſt in ratione ſicut in ſtudioſis apparet oſtendit declarandum.

RAptus rationis in actu ſuo ſuper potentias in-
C feriores fit per voluntatis amorem. Fecerunt
hoc perſpicuum ſtudioſi perſcrutatores regularũ
generalium in varijs artibus, qui abſtrahentes à
motu & materia, vel ſpiritualia meditantes quæ-
runt deducere & ratiocinari ex notis incognita,
quos aliquando voluntarius huiuſmodi appeti-
tus ceſſare fecit ab operationibus, non tantum-
modo ſenſuum exteriorum, vt neſcirent quid ab
extra fieret, ſed etiam virtuti phantaſticæ ac ima-
ginatiuæ ſua actio denegabatur, ita vt corporeum
D phantaſma nullum irrueret, aut irrumpere volens
ſuperiori rationis voluntatiſque virtute preme-
retur. Patuit hoc in quibuſdam, de quibus apud
Valerium maximum nota eſt hiſtoria.

Conſideratio triceſimanona eſt de raptu mentali ſiue ſcintilla eiuſdem, & ſolummodo eſt magis perfectorum.

RAptus mentis ſupra potentias ſe inferiores
E fit affectionis per ſcintillam menti cognitã
vel appropriatam, quæ amor extaticus vel exceſ-
ſus mẽtis nominatur. Manuducimur ex prioribus
raptibus qui ſicut crebriores & faciliores ſunt, ſic
intelligibiliores inueniuntur, qualiter mens in
ſuis actibus, taliter efferri poteſt & figi, vt nulla in-
feriorum potẽtiarum eam interturbet, immo per
vim ſuam affectiuam ita ſeipſam actuabit quod
vis ſua intellectiua, vt ſic neque ſe neque alia re-
cogitabit, quo rationabiliter conceſſo promptiſ-
F ſima ſunt conſequenter ad intelligendum omnia
quæ doctores eleuatiſſimi, nominatim Diony-
ſius, tradiderunt de myſtica theologia. Ea inſu-
per quæ dicunt fieri in ſapientibus & deuotis, vt
ſunt extaſis, mentis exceſſus, anagogica ductio,
raptus in tertium cœlum, diuiſio animæ & ſpiri-
tus, introductio in diuinam caliginem exemplo
Moyſi, vel in ſancta ſanctorum cum nube om-
nia tegente, inſtar Aaron. Quid etiam amor
vehemens. i. mentem vehens? Quid mors ani-
mæ viuente ſpiritu? Quid nox illuminatiua
tenebrarum? Quid mors Rachel in partu Ben-
iamin? Quid anagogica conuerſio Iordanis
retrorſum? intelligentiæ ſe præſentabunt, & ſi-
milia.

OCTAVA PARS PRINCIPALIS
agit de vi amoris, qui amantem vnit cum Deo
ac ſtabilem facit ac requieſcere vſque in finem
primi tractatus.

Ordine verò eſt conſideratio quadrageſima, quæ remouet varios vnionis modos, & peruenit ad illum quem etiam oſtendit, qui animam dicitur Deo vnire.

AMor vnit amantem cum amato, ac proinde
hunc ſtabilire ac ſiſtere facit cum illo, hæc
dicta eſt ſecunda amoris proprietas.
Pro cuius intellectu loquendum eſt aliquid de
modis vnionum varijs & diuerſis. Sed cum hæc
vnio de qua loquimur non corporalis eſt, ſed ſpi-
ritualis, de corporalibus vnionibus nihil hic di-
cendum eſt. Vniones autem ſpirituales inueni-
mus, vt per inhæſionem, per informationem,
per actuationem, per aſſiſtentiam principalitatis,
per illapſum, per ſuſtentationem hypoſtaticam,
vbi plures naturæ in vna perſona conueniunt.
Sed omnium ſuprema vnio eſt in diuina eſſentiã
ſeu natura, in qua tres perſonæ ſumma vnitate
ſubſiſtunt. Sed has vniones tanquam huic pro-
poſito minus conuenientes relinquimus. Hæc
verò vnio amantis cum amato ab Ariſtotele in
ethicis tangitur, vbi ait: Amicus eſt alter ego,
cuius vnionis ratio exprimi videtur, cum ab eo-
dem dicitur: Amicorum eſt idem velle & idem
nolle, ſpiritus ergo noſter cum Deo adhæret per
intimum amorem, vnus ſpiritus eſt cum eo per
voluntatis conformitatem, ſolus enim amor per-
fectus & perfectè Deo adhærens veraciter orat.
Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, & qui
ſic orat, orat vtique in ſpiritu & veritate, ſicut o-
rnndum eſſe veritas docuit in euangelio. Nam
& ipſe patrem adorauit, dicens. Veruntamen
non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Itaque qui ſic
vnitur Deo & adhæret per amoroſam voluntatis
conformitatem vtique ſtabilitur in eo. Ad quod
traduci poteſt illud pſalmus. Abſorpti ſunt iuncti
petræ iudices eorum. i. in Deo totaliter ſtabiliti.

Conſideratio quadrageſimaprima agit de erroribus circa transformationem animæ in Deum, & quid ſit, & quomodo completur, exemplis oſtendit & rationibus.

AMoroſa vnio mentis cum Deo quæ fit per
theologiam myſticam congruè trãsforma-
tio nominatur, ſicut beatus Dionyſius & ſancti
patres locuti ſunt, ſed in explicationis modo va-
rietas inuenitur. Fuerunt enim qui dicerent ſpiri-
tum rationalem dum perfecto amore fertur in
Deum, deficere penitus à ſe ac reuerti in ideam
propriam, quam habuit immutabiliter ac æterna-
liter in Deo, iuxta illud Ioannis: Quod factum eſt
in ipſo vita erat. Dicunt ergo quod talis anima
perdit ſe & eſſe ſuum & accipit verum eſſe diui-
num, ſic quod iam non eſt creatura, nec per crea-
turam videt aut amat Deum, ſed eſt ipſe Deus qui
videtur & amatur. Hanc inſaniã voluerunt aliqui

Digitized by Google

trahere ex verbis Bernardi in epiſtola ad fratres de monte Dei. Hanc etiam niſus fuit ponere Almaricus hæreticus ab eccleſia cōdemnatus, quem propterea Auguſtinus inter hæreticos nominauit & numerauit. Hanc etiam niſus eſt renouare auctor illius tractatus, cuius titulus eſt de ornatu ſpiritualium nuptiarum, cuius initium eſt: Ecce ſpōſus venit, exite obuiam ei. Contra hunc errorem ſcripſi dudum quandam epiſtolam, licet in alijs ſcriptis eius hūc errorem correxiſſe videatur; ponendo quod anima talis ſemper remanet in eſſe ſuo proprio, quod habet in ſuo genere, ſed dicitur tantummodo ſimilitudinariè transformari, ſicut amatorum dicimus cor vnum & animam vnam, quod vtique concedimus. Fuerunt alij ponentes quod amor creaturæ ad Deum nihil eſt aliud quā Deus, & ita quod ſpiritus rationalis formaliter amat Deum per ſpiritumſanctum. Hæc opinio imponitur magiſtro ſententiarum, quam ideo doctores non tenent, quia non poſuit formam aliquam dilectionis actualis vel habitualis quaſi mediam ad diligendum Deum eſſe neceſſariam.

Nam ſi hoc addidiſſet & reſoluiſſet, quid dicit hæc propoſitio, per, dum ait quod Deus diligeretur per ſpiritum ſanctum, quia ſcilicet dicit cauſā exemplarem, tunc poſitio ſua completior & irreprehenſibilior fuiſſet. Fuerunt alij qui per ſimilitudines repertas in corporalibus voluerunt hanc vnionem ſeu ſpiritualem transformationem reddere clariorem. Dixerunt enim quod anima ſic vnitur Deo, & in ipſum transformatur quemadmodum ſi gutta aquæ mittatur in dolium fortis vini. Illa namque gutta tunc perdit eſſe proprium conuertiturque totaliter in alienum, velut etiam ſi cibus per nutritionem conuertatur in cibatum, iuxta illud quod Auguſtinus loquitur in perſona Dominus. Cibus ſum grandium, crede & manducaſti, non tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Memini me legiſſe quod ad prædicationem præfatæ ſimilitudinis deuota quædam mulier ſic exæſtuauit, ſit exarſit intrinſecus quod concepto ſpiritu ſeſe non capiens, ipſa velut muſtum nouum abſq; ſpiraculo, ruptis venarum & neruorum vinculis vitam cum ſanguine tradiderit. Traducūt aliqui verbum deuoti Bernardi in de præcepto & diſpenſatione ad hunc ſenſum, dum ait: quod verius eſt anima vbi, amat quam vbi animat, quaſi videlicet amando ſe & corpus deſerat, ac in Deum ſuum tota pertranſeat. Verum hæc ſimilitudo deficit, habétque plurimum de ſimilitudine, alioquin rediremus ad errorem prius commemoratum, non enim perdit anima in hac vnione ſuum eſſe proprium, ſicut gutta aquæ deſinit per corruptionem quam alterius generatio ſubſequitur. Rurſus propter eandē rationem ſimilitudo transſubſtantiationis quæ fit in benedicto ſacramento, non ſatis eſt idonea ad explicandum transformationem amantis in in Deum amatum. Adducunt autem alij ſimilitudinem ferri candentis ſeu carbonis igniti vbi ferrum & carbo remanent ſub eſſe proprio, induunt tamen quaſdam proprietates ignis ſeu coloris incorporati, & quaſi proprias perdunt, vt frigiditatem, rigorem & nigredinem, ſic quod ferrū illud candens videtur eſſe totaliter ignis. Sic propterea aër illuminatus incorporat in ſe lumen ſolis, ita vt ex aëre & lumine vnū fieri videatur ſic ferrū affe- A ctum per magnetem, induit magnetis proprietatem, vt videlicet ferrum aliud ad ſe valeat trahere, ſic vapor qui eſt ſubſtātialiter aqua, leuitatē accipit, & quandā ex caloris aëris conditionem. Dant alij ſimilitudinē generaliter pro præfatæ vnionis manuductione de vnione materiæ ad formā ſeu perfectibus ad ſuum perfectum. Conſtat nimirū quod materia ante ſuſceptionem formæ imperfecta eſt, & ſine decore, ſine virtute, ſine actione, detur ei forma, mox venit ad perfectionem iuxta formæ ſibi vnitę proprietatē. Sic anima priuſquā B vniatur Deo per viuificū amorem, manet in quadam morte ſpirituali ſine decore, ſine virtute ad actus viuificos meriti vitæ æternæ. Si autem Deo coniungatur tanquam fontali totius vitæ principio, datur ſibi vita quædam diuina, non quidē per formalem inhæſione Dei ad animā, hoc enim repugnat diuinę perfectioni, ſed per illapſum quendam intimiorē & ſpiritualē, ſecluſa imperfectione qualibet, & hoc mediante amore tanquā qualitatiua & harmonica diſpoſitione quodāmodo pro- C portionabiliter, ſicut diſpoſitio materię prærequiritur, nec tamen ſufficit ad humanæ formæ ſuſceptionem. Præmiſſis igitur his ſimilitudinibus dicamus conſequēter ad eas quod amor ſicut calor naturam habet congregandi ſeu vniendi homogenea, ſicut etiam ſeparat & diuidit heterogenea. Conſtat autē quod ſpiritualia cum ſpiritualibus homogeneitatem quandam .i. ſimilitudinem ſeruant ad inuicem, & à corporalibus ſeu terreſtribus ſint diſſimilia. Omne igitur quod in homine D reperitur ſpirituale vel diuinum ſegregatur quodammodo per amorem viuificum ab omni eo quod terreſtre eſt atque corporeum, ſic fit ibi diuiſio ſpiritus & animæ .i. ſpiritualitatis & animalitatis, & ſenſualitatis & ſeparatur precioſum à vili, & quia Deus ſpiritus eſt & ſimilitudo eſt cauſa vnionis, perſpicuum eſt cur ſpiritus rationalis ſic depuratus & defæcatus, vnitur ſpiritui diuino, quia videlicet ſimilis efficitur cum Deo. Addamus tamen alteram huius vnionis cauſam, etiam quoad ea quæ corpus ipſum reſpiciunt. Spiritus E itaque ſic aſſimilatus Deo ſic qualificatus & affectus per amorem qualificat & afficit conſequenter corpus proprium tanquā ſuum formabile ſeu materiale, per redundantiam ſpiritus ad corpus. Quo fit vt corpus proprium ſic habituatū & affectum induat & gerat quaſdam proprietates ipſius ſpiritus, proprijs vel derelictis vel multum ab actione ſuſpēſis. Inde eſt dictū Ariſtotelis: In virtuoſo inquit, omnia conſonant rationi. Sic ergo ſpiritus noſter tractus à Deo trahit conſequenter ea quæ corporis ſunt, ac proinde reſultat vnio mi- F rabilis ſpiritus ad Deum, & corporis ad ſpiritum.

Conſideratio quadrageſimaſecunda quietē animæ in Deo ſecundum triplicem ipſius tenſionem oſtendit, prout ſanctæ Trinitati ſimilitudinariæ quodāmodo in eadem ſtabilitur.

PEr prædictam amoroſam vnionē in qua myſtica Theologia cōſiſtere videtur, anima quietatur, ſatiatur & ſtabilitur, quod facile eſt in primis ex priori deducere. Nam cum res qualibet ſit in quiete dum perfectionem ſuam adepta eſt, illiq; cōiuncta, & ſpiritus noſter vnitur & cōiungitur, ſummo

ſummo perfectibili per amorem perfectũ, vt exinde quietetur, ſatietur, ſtabiliatur neceſſe eſt. Sic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic res quælibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippe rationalis dum cõiungitur & vnitur Deo, copulatur ſuo ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonũ eius, eſt centrum eius, finis, totáque ipſius perfectio, quid ergo aliud ipſa requireret? aut ad quid aliud vlterius inhiaret?

Porrò in ipſa anima conſidero tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicem vim eius ſiue potentiam, quarum vna eſt concupiſcibilis, alia rationalis, tertia iraſcibilis nominatur, concupiſcibilis tendit in bonum, rationalis in verum, iraſcibilis in arduum. Sic anima per has vires tendentiam habet in benedictam & ſanctam Trinitatem. Nimirum quia ad eam & eius ſimilitudinem facta eſt eiúſque imago conſtituta.

Attribuimus itaque Spiritui-ſancto bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis, attribuimus filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis, attribuimus patri potentiam, maieſtatem & gloriã, & ad hoc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur vt his viribus ſatiatis per coniunctionem cuiuſlibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totaliter ſatietur, quietetur & ſtabiliatur, nam ſi delectatio in bono conueniente & voluptatis ſuauitate quæritur, quid de animæ voluptate (beata maximè) ſentiendũ eſt? Audiamus quid propheta dicit ad Dominũ? Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Omnis autem delectatio in infimis plus aloes quã mellis habet, inquit Satyricus, lingit enĩ mel in ſentibus & vrticis, propter quod rectè dicit Boëtius: Habet hoc voluptas omnis quod ſtimulis agit fruẽtes. Si præterea quæritur veritatis cognitio, cõuertatur aſpectus ad verbũ diuinum velut ad artẽ primam, cuius exẽplar verũ eſt eſſe verum. Si deniq; potentia, ſi gloria, ſi opulentia, ſi dignitas quæratur, hæc omnia eſt Deus animæ eum diligenti, quia eſt merces ſua magna nimis, in quo & omnia ſe poſſe gloriatur Apoſtolus. Omnia inquit, poſſum in eo qui me cõfortat. Deꝰ ergo finis eſt animæ & eius vltima perfectio, ipſe eſt velut centrum & locus naturalis omniũ deſideriorum ſuorũ. Dũ ergo in ſe deficit anima in ſalutare Dei velut ad nihilũ redacta nulli iam alteri nec ſibimet innititur, ſed ſoli Deo vt ſuæ dulcedini, vt ſuæ veritati, vt ſuæ glorificationi, dicens pro primo. Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. Dicens pro ſecundo: Nihil arbitratus ſum me ſcire, niſi Ieſum Chriſtũ factus ſtultus propter ipſum. Dicens pro tertio: Vtinã qui gloriatur, in Domino glorietur. Ac proinde non habens quò vlterius tendat, aut quid vltra requirat, quietatur anima in Deo atque ſtabilitur poſſidẽs in eo omnia cæteráque contemnens atque paruipendens.

Poſſent ad hæc explicanda verba magis ac magis ſine termino multiplicari, ſed apud expertos hæc pauca videntur ſufficere. Nam inexpertis ſiue rudibus vel qui laborioſè poſſunt humano adminiculo excitari vt animum ad amandum exercitarent nulla vnquam verba ad hoc plenè capiendum ſatis erunt.

A

Conſideratio quadrageſima-tertia agit de amoroſa oratione & eius proprietate, eam etiam diffinit ſecundum traditionem magnorum virorum ſtudioſiſſime.

PRoprietates & conditiones amoris ac theologiæ myſticæ quæ ſupra dictæ ſunt, etiam orationi perfectè conuenienter aſcribi poſſunt. Huius ratio eſt, quia in anima contemplatiua amor, & myſtica theologia, & oratio perfecta, aut idem ſunt, aut ſe inuicem præſupponunt. Nã B vt patet ex ſupradictis, myſtica theologia eſt cognitio experimentalis habita de Deo per coniunctionem affectus ſpiritualis cum eodem, dum ſcilicet implet illud Apoſtoli: Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt, quæ nimirum adhæſio fit per extaticum amorem, teſte beato Dionyſio. Rurſus hæc eadem myſtica theologia dicitur ſapientia prout inter dona reponitur à ſapore, ſcilicet quaſi ſapida ſcientia, vocatur præterea à diuino Dionyſio irrationalis & amens ſapientia, eò quòd ſuperat rationem ac mentem, tranſiliens in affectum, non C qualemcunque, ſed purum, ipſi mentali intelligẽtiæ correſpondentem, quo affectu videtur Deus à mundis corde. Videtur inquam, quia ſentitur & guſtatur iuxta promiſſionem Chriſti: Beati mũdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & ſecundũ illud Gregorij in Homil. Amor ipſe notitia eſt.

Nunc verò recogitemus de quo incepit conſideratio, quid enim eſt aliud oratio perfecta quam huiuſmodi experimentalis & affectualis cognitionis notitia? Oratio quidem deſcribitur quod D eſt eleuatio mentis in Deum per pium & humilẽ affectum. Ecce quod oratio tranſcendit mentẽ & ſpiritum, pro quanto mens & ſpiritus dicunt vim cognitiuam, intellectiuam, tranſit enim ſupra per deſiderium, per pium & humilem affectum, ſed qualem affectum? affectum vtique metalẽ aut intellectualem ſupremũ, & nõ ſolum ſenſualem aut rationalẽ, alioquin non eſſet oratio perfecta qualẽ loquimur & qualem deſcribit Apoſtolus, cũ dicit: Orabo ſpiritu, orabo & mente, ſpiritum ibi pro vocis inſpiratione, mentem verò pro ſuperiori a- E nimæ portione accipit, oratio enim ſolũ in voce aut imaginatione verſata, caret ſuo perfectionis complemento, tranſeat neceſſe eſt ad mentem & cor, quemadmodum dicebat Dauid ad Dominũ: Inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oret te. Sicut pręterea mos eccleſiaſticus habet hortari populum ante orationem vel gratiarum actionem, & dicere: Surſum corda. Rectè quidem hoc facit, ne prophetica illa maledictione notaretur, quę dicit: Populus hic labijs honorat, cor autem eorũ lõgè F eſt à me. Hanc beatus Antonius eremicola, hanc cæteri eleuati patres ſenſerunt, dicentes: Orationẽ non in ſtrepitu vocum non in compoſitione verborum, ſed in affectione piorum purorúmq; deſideriorum, ita vt crebrò neſciat orans, nec intelligat ſe aliquid poſtulare. Sic docet Antonius. Quare hoc? quia ſupra ſe per intellectum nequaquam mens ſic affectata reflectitur, nequaquam cõponit aut diuidit, ſed puro ſimpliciq; actu deſiderij vel amoris in eo quod eſt omne bonum fertur, pauſat, ſoporatur, quaſi dicens cum propheta: In pace in id ipſum dormiam & requieſcam.

Digitized by Google

Ex præmiſſis eluceſcit clarius, quod myſtica theologia & oratio perfecta in hoc conueniunt, quod vtraque ponitur in vi affectus ſuperiore, & quod vtraque eſt reſpectu primi & ſummi boni. Et eſt ipſius amor quidam purus, aut ipſum concomitans vel gignens, vel ſupponens, cui amoris proprietates quas ſupra poſuimus vtique conueniunt.

Conſideratio quadrageſima quarta orationis perfectionem ordiniſque effectum & profectum orantis, quam pro quibus offert ponitur & ipſius proceſſum quoad præcellentiam.

PERFECTIO ſeu felicitas animæ rationalis pro vita præſenti magis in oratione perfecta ſeu theologia myſtica, quam in contemplatione intellectiua reponitur. Contemplatio namque ſi nudè cõſideretur ſine dilectione vel affectu ſubſequente, iam arida eſt, inquieta eſt, curioſa, ingrata, inflata eſt. Denique fit longè ab illa pace quę exuperat omnem ſenſum. Quapropter concludere fas eſt, quod ſchola orandi laudabilior eſt cæteris paribus quam ſchola literas edocendi, quemadmodum ſchola religionis pro affectu excellit ſcholam eruditionis pro intellectu. Proinde laus orationis extaticè ſeu perfectè colligitur ex ordine ſuo quadruplici, videlicet ex ordine ad Deum, ad propriũ ſubiectum, ad proximũ, & ad inimicũ. Primò quidem ad Deũ, quoniã ſibi ſoli dat gloriam, adorationem, gratiarum actionem & honorem, eum ſibi amicũ concilians. Ac inde per legẽ amicitiæ quæ eſt idẽ velle & nolle ipſa quod petit, accipit, & quod quærit, inuenit, ſibiq; pulſanti aperitur, non ſic intellectio, aut quæuis alia operatio. Secũdò oratio ſubiectũ propriũ quod inhabitat, purgat, perficit, illuminat, quietans ipſum ſatians atque ſtabiliens. Tertiò oratio iuuat proximum, non vnum aut duos, ſed totum corpus Eccleſiæ myſticum viuifico quodam influxu nutrit, & capaciſſimo quodam maternæ beneuolentiæ ſinu, omnia Eccleſiæ membra ſuáque opera complectitur, offerens ea Deo & pro his ſupplicans & impetrans tanquam quæſtuaria, gratiſſima pro indigentijs inopum ſpiritualium ſubleuandis, & pro eleemoſynis gratiarum quærendis atque impetrandis in magno ac miſerabili hoſpitali huius mũdi, immò & carceris & pœnalis purgatorij. Huic operi nulla exterior admonitio, nulla prorſus comparabilis exercitatio poteſt in efficaciam coæquari. Nimirum quia fruſtra hæc omnia fiunt vanè ſi non aduenerit oratio iuncta charitati. Poſtremò nihil ita ſicut oratio vires inimici ſæuientis proderit, nihil ita tẽdiculas laqueorum ſuorum euacuat & oſtendit. Alioquin non dixiſſet propheta. Oculi mei ſemper ad dominũ, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Et iterum? Prouidebam Deum in conſpectu meo ſemper, quoniã à dextris eſt mihi ne commouear. Et rex Ioſaphat ad Deum: Cũ ignoramus inquit, quid agere debeamus, hoc ſolũ habemus reſidui vt oculos noſtros ad te dirigamus. Quocirca bene iubebat Dominus: Oportet ſemper orare, & nõ deficere. Semper autem orat, ſemper oculos ad Deum habet, qui ſemper pio humilique affectu deſiderat. Denique de oratione quã cum vera ſapientia & myſtica theologia cõuenire diximus, de eius quoque virtute & conditionibus ac proprietatibus copioſis hoc loco ſermo poſſet incidere, ſed de his remitto ad ea quæ ſancti & doctores ſaluberrimè tradiderunt, & præcipuè Hugo de ſancto Victore in tractatu ſuo quem de oratione cõpendioſiſſimè & ſubtiliſſimè compoſuit, cuius eſt hoc initium. Quo ſtudio quóve affectu orandus ſit Deus, &c. Legatur Guillelmus Pariſienſis in libello qui rhetorica diuina intitulatur, legantur & cæteri qui orationis proprietates, vtilitates, & quibus excluditur, quibuſque impeditur doctiſſimè tradiderunt. Supereſt vt de practica theologiæ myſticæ in ſequentibus proſequamur.

FINIS.

PROLOGVS EIVSDEM IN PARTEM SECVNDAM DE THEOLOGIA *myſtica practicè conſcripta ab eodem ſub 12. conſiderationibus ſiue induſtrijs.*

TRACTANTES in lectionibus noſtris iam à multo quamuis interrupto tẽpore de theologia myſtica ſecuti ſumus, ordinem in alijs ſcientijs obſeruatum, vbi prius traditur de ſpeculatiua quam practica, nihilominus hæc ſcientia ſupra cæteras multas hoc habet proprium vt ſpeculatio in ea nec perfectè tradi nec plenè intelligi poſſit, niſi practicus præceſſerit vſus. Quamobrem deinceps præſentis operis erit tradere ſub aliquibus conſiderationibus modos & vias quibus ad theologiam myſticam habeatur acceſſus. Perquirere enim quid ſit theologia myſtica, & in qua vi animæ reponitur, & de differentia eius ad ſpeculatiuam theologiam, & ſimilia qualia prælocutus ſum, non ſatis eſſe debet homini Chriſtiano, præſertim eccleſiaſtico, opus exercitatióque requiritur, quod vt fiat, prodeſt non mediocriter aperire ea quæ ad opus aggrediendum finiendúmque neceſſaria ſunt, vel accommoda vt obſeruentur, quæ etiam perturbare ſolebant operantem vt vitentur, quorum elucidatio nos expediret ab his omnibus quæ in hoc negotio tractanda pridem ſuſcepimus. Et dicimus in primis quod magiſterium theologiæ myſticæ & orationis extaticæ ſeu perfectæ Ieſus Chriſtus ſibi ſoli ſuæque volũtati retinuit, nec ad illud humana ſufficit induſtria, quamuis ipſa non debeat penitus derelinqui. Etenim ſi omne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminũ, perſpicuum habetur cõſiderationis huius principium, quod donum perfectæ orationis profluit à diuina voluntate tenẽte lucem in manibꝰ, ſicut Iob notat, & exponit Gregorius quod dum vult illuminat, & claudit dum vult. Cæterum quod humana nõ ſufficit induſtria poſterius elucidabitur, ꝙ tamen non ſit prorſus abijcienda docet Apoſtolus vocans nos Dei coadiutores, non compulſores, nõ præuentores, ne dicamus: Manus noſtra excelſa, & nõ Dominꝰ fecit hæc omnia. Poſſunt autẽ duodecim induſtriæ, perſuppoſito priꝰ afflatu diuino pro practica theologiæ myſticæ ſub totidem conſiderationibus annotari. Prima Dei inuocationẽ attendere. Secũda propriã complexionẽ agnoſcere. Tertia propriũ offi-

officium vel ſtatum aſpicere. Quarta ſemetipſum ad ſectionem extendere. Quinta occupationes A effugere. Sexta curioſitatem deponere. Septima longanimitatem aſſumere. Octaua paſſionum vel affectionum origines aduertere. Nona tempus idoneum & locum inquirere. Decima ſomno & cibo moderãter indulgere. Vndecima meditationibus pijs generatiuis affectuum ſilenter inſiſtere. Duodecima ſpiritum à phantaſmatibus auertere. Has igitur induſtrias nouiſſimè ſtudui redigere ad formam quandam tractatuli, dum poſt laborioſam legationem (vtinam fructuoſiorem) ſuper negotio pacis eccleſiaſticæ regredi, tandem B datum eſſet à Roma ad ianuam, vbi præſtolabamur conuentionem iuratam & concordatã Marſiliæ, per duos contendentes debere compleri in Saona, illic pendente noſtra qua fruſtrati tandem ſumus expectatione. Ego ne vacationem datam malè vacando conſumerem, ſed obedirem Domino dicente per prophetam. Vacate & videte quoniam ego ſum Deus, vacaui vt viderem qua ratione quáve induſtria contingeret eſſentiã Dei cum ſua exaltatione contemplando cognoſcere, C & cognoſcendo contemplari.

Conſideratio prima myſticæ theologiæ practicæ, tres vocationum modos, ſecundum triplicem in Deum conuerſionem animæ & triplicem ſtatum tendentium oſtendit.

INDVSTRIA I.

DEI vocationem attendere. Vocat Deus ad ſalutem omnes homines, ſiquidẽ vult om- D nes homines ſecundum Apoſtolum ſaluos fieri. Hinc ille naturalis apud vniuerſos indebiliſq; ad beatitudinem appetitus nihilominus in via diuinæ vocationis alius ſic alius ſic ambulat, ſecundũ diuiſiones gratiarum adminiſtrationum & operationũ, vt deducit Apoſtolus. Alij quidẽ per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij autẽ ſermo ſcientiæ, alij fides, alij gratia ſanitatũ, alij opera virtutum, alij prophetia, alij diſtinctio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc E autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Sicut corpus vnũ eſt & membra habet diuerſa officiáque varia. Ecce ꝙ ſermo ſapientiæ qui cum gratia contemplationis plurimum ſimilis eſt vel eadẽ reputatur, datur per ſpiritum huic aut illi non omnibus, ſicut nec gratia ſanitatum nec fides hoc eſt (vt arbitror) pax in credendo, nec operatio virtutum, nec prophetia, & ita de reliquis. Quemadmodũ igitur non omnes vocatos adipiſcendam conari cõuenit ad F quamlibet adminiſtrationis vel operationis gratiam indifferenter, ſic nec vniuerſos oportet ad ſapientiæ vel contemplationis ſtudium ſe tradere. Hoc in ſcientijs vel artibus reliquis docuit etiam philoſophus, & poſt eum Tullius, debere politizantes attendere, quia non omnia poſſumus omnes. Et hoc clarius eſt quam vt curioſius indigeat declarari. Quamuis aſſignatio cauſarum in particulari ſit varia, & frequenter electio difficilis iudicando de quolibet, tu ad hanc operationem in corpore myſtico, tu ad illam electus es, oneris ſacere certam vocationem tuam ad ſalutem.

Prodeſt verò non mediocriter conſilium accipere & accepto credere, virorum expertorũ ſpiritualiúmque quales iudicant de omnibus. Iuuat inſuper circunſtantias perſonales attẽdere, vt corporis ſic vel ſic complexionati. Status quoque in republica, loci præterea & temporis vel memorię & iudici, aut qualis in iraſcibili qualis in rationali, qualis in concupiſcibili reperitur. Hinc facit vt non omnes ad gratiam vocati contemplationis, poſſunt quandoque ſublimius ferri in Deum trepidi & anxij, tanquam in ſeueriſſimum iudicem ſuũ & magiſtrum auſterum, cuius irreuocabilis eſt condẽnatio. Rugiunt hi frequenter à gemitu cordis ſui plangentes ad Deũ. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & prę timore tuo iram tuam dinumerare. Et illud. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Illud inſuper. Non intres in iudicium cũ ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Rurſus quoque? Domine ne in furore tuo arguas me, &c. Et varia in hanc ſententiam, apud iſtos non tam deſideratur præmium quantum æternum ſupplicium formidatur, quale profectò formidare cautum & licitum eſt.

Inuenies alios quos mercennarios dicimus, quia mercedem pro obſequio cœleſtẽ expetunt à Deo tanquã rege liberaliſſimo, aut tãquam à patre miſericordiarum & totius conſolationis, dicentes ei. Pater peccaui in cœlũ & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnũ ex mercennaris tuis. Et hi quidem rectè agunt tanquam filij ſibi malè conſcij, ſed non vſquequaq; ad perfectum. Sunt alij rariores, qui animo neque ſeruili neque mercennario, & pluſquam filiali rapiũtur in Deum velut obliti ſuæ ſeruitutis, ſuæ mercedis, ſuæ paternalis authoritatis, ſociantur ei velut amicus ad amicũ, immò ſuauiori familiaritate cõiunguntur ei ſicut ſponſus ad ſpõſam, dicit ex ſententia qui huiuſmodi eſt. Dilectus meus mihi, & ad me conuerſiones eius. Et illud: Quid enim mihi eſt in cœlo, ſupple pro mercede, & à te quid volui ſuper terram, ſupple pro ſupplicij vitatione? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Numeramus primos inter incipientes, alios inter proficientes, perfecti ſunt reliqui, ita tamen vt ad priorem ſimilitudinem crebrò ſeſe reuocent, ſe arguant, ſe habere iudicem ſeueriſſimum ſe magiſtrum vel dominũ, vel patrem conſeruatorem vltorémque negligẽtiarum cum tota mentis proſtratione recogitent. Alioquin vereantur illud: Niſi in timore Dei inſtanter te tenueris, cito ſubuertetur domus tua. Nihilominus etiam aut poſt offenſas adulterationéſque regredi ad ſponſum, ſcientes dictum ab eo per Hieremiam: Tu verò fornicata es cũ amatoribus tuis multis, reuertere tamen ad me, & ego ſuſcipiam te.

Proinde liberũ ſit vnicuique iudiciũ, ego interim opinor conſultiorẽ obſeruationẽ apud plurimos iſtã eſſe qui Deũ ſicut patrem noſtrum qui in cœlis eſt proponit ſibi, vel ad timorẽ reuerentialẽ incutiendum vel ad amorẽ filialem infundendũ, & vniuerſaliter ad omnia ſuæ laborioſæ peregrinationi neceſſaria reuerenti fiducia poſtulandũ.

Quippe nomina hæc Dominus, iudex magiſter, iuſtus, reddens vltionem velociter, & ſimi-

Digitized by Google

lia, vehementius pauorem & minus amorem incutiunt. Rurſus hæc nomina ſponſa, amica, ſpõſa manens in delitijs & in cubilibus aromatum, dilectus pulcher & rubicundus, manens inter vbera, cuius læua ſub capite & dextra amplexatur, molliorem apud quoſdam quam ſatis eſſet affectionem, minuſque ſynceram procurant. Nomen hoc pater noſter, miris modis inter vtraque fecit temperare, vt timor ſit cum dilectione & dilectio cum timore.

Conſideratio ſecunda docet vigilandum ad cognoſcendam propriam complexionem, & quod naturalis inclinatio ad multa hominem diſponit vel impedit, quod & exemplificat inſerere bonam naturam innatam à parentibus vel aliunde vel in iuuentute acquiſitã, dicit mirabiliter eſſe operoſam.

INDVSTRIA 2.

PROPRIAM complexionẽ agnoſcere. Philoſophicũ dictum eſt, animas inſequi corpora, quod experimento quotidiano cognitum ſic accipiendum eſt vt nõ neceſſitatis vel coactionis ſit hæc ſequela ſed inclinationis. Iuuat autem miris modis ad operationes has vel illas, conformitatis inclinatio naturalis, ſicut ex aduerſo diſſonans tantum obeſt, quod vix libertas animi, vix diſciplinatio, vix conatus aſſuefactionis ſufficit euincere. Tradit beatus Gregorius quem in arte contemplationis ſæpè diúque conuerſatum conſtat quoſdam homines inuenire naturæ tam inquietæ & variæ, vt otium contemplationis vel non poſſint vel moleſtiſſimè poſſint ferre, ad quod alij naturæ tranquillioris aptiſſimi proni que ſunt, primos ad actionem, ſecundos mittit ad contemplationem. Cæterũ quis neſciat quoſdam ex hominibus plus vigere in iraſcibili virtute, quoſdam in rationali, alios in concupiſcibili. Quocirca videmus alios citius venire ad compũctionis & conſequenter contemplationis gratiã ex conſideratione deteſtationéque vilitatis ſuorum flagitiorum, & hoc per vim iraſcibilem intẽtam ad honeſta. Alij magis ex iudicio rectæ rationis idipſum prouehuntur, quibus faciliter ſuadet veritatis amor, cognitio ſplendórque mirificus viuere conformiter ad eandem rationem, quam excolendam ſuſceperunt. Porrò molle cor & amicabile videns apud alios flexibiles ad ea quæ ſunt compaſſionis vel amoris qualis vt plurimum deſcribitur anima ſancta, quæ tota liquefacta eſt, vt dilectus ille ſuus totus deſiderabilis locutus eſt. Talem animam facilius ad contemplationis requiem trahit conſideratio nũc dominicæ paſſionis, nunc diuinæ dignationis ac dilectionis ad ſe ipſam, nunc conuerſationis piæ ac doloroſæ ſanctorum ſanctarúmque præcedentium. In qua virtute ſæpius viget fœmineus ſexus, qui propterea pius deuotúſque nominatur? Perſpicua autem cauſa eſt, cur facilius hoc vel iſto modo quis trahitur ad contemplationem, cum actiones actiuorũ ſint in patiente bene diſpoſito. Diſpoſita verò eſt ſenſualitas obedire ſpiritui ſurſum intento, dũ habet ſymbolum, hoc eſt conuenientiam ad illud ipſum quò rapitur. Porrò quantum ex geſtis eorum conijcere mihi datum eſt, plus in Hieronymo & Ambroſio viguit iraſcibilis, in Auguſtino A & ſancto Thoma rationabilis, in Gregorio & Bernardo, concupiſcibilis. Quamuis non dubitem in quolibet illorum potuiſſe reperire viciſſim molle cor, amicabile, flexibile ad ea quæ dilectionem faciunt, alioquin cor durum quomodo non male habebit in nouiſſimo: Fuerit quoq; in quolibet ſtudium vehemens ad inquiſitionem veritatis, zeluſque feruidus ad omnis inhoneſtatis perſecutionem. Poſtremò gaudeant bene nati, ſiue hoc habeat à ſolo Dei miraculo, vt Ioãnes Bapti- B ſta, ſiue ab influxu ſuperiorum corporum, ſiue à proxima radice parẽtum, vel ab educatione bona quæ mores facit, gratias agant vndecúque prouenerunt, neque gratiã talem in vacuum recipiant. Videat autẽ quiſque (vt ait Bernardus) quoniam verbum quod egreditur de ore Dei nõ reueretur ad eum vacuum, ſed proſperetur, & faciet omnia ad quæ miſit id, vt dicere poſſit & ipſe: Gratia Dei in me vacua non fuit. Nam in iniuriam cedit donantis donum negligere, nec eo vti quod donatũ eſt, quod eſſe cõſtat intolerabilis ſuperbiæ diſpli- C centis & ingratæ.

Conſideratio tertia ſtatus & officium totius eccleſiæ breuiter, & quid vnicuique conueniat oſtendit.

INDVSTRIA 3.

OFFICIVM proprium vel ſtatum reſpicere. Plurimam officiorum ſtatuúmque varietatem in republica quis enumeret? Nimirum iam D dictum eſt, quoniam ſicut in vero, ſic in myſtico corpore diuerſa membra nõ eundẽ actum habẽt. Cum autem otium & vacationem ab exteriorib9 curis contemplatio poſtulet & plures inueniũtur quorum ſtatus & officia quibus alligati tenentur, nequeant exerceri ſine multo ſtrepitu curarum, & exercitatione corporis & ſenſuum, quid ſupereſt niſi tales arcere à contemplationis inquirenda requie? alioquin neutrum feliciter aget homo, quẽ medios inter ſtrepitus verſare neceſſe eſt, videbũt quoque eum hoſtes, & deridebunt ſabbata eius.

E Sileamus interim opera mechanica, mercaturas, ruſticationes laborioſas, matrimoniale vinculum quod impellit mulierem cogitare quæ ſeculi ſunt, quomodo placeat viro ſuo, & virum prouidere vxori & liberis. Attendamus etiã ipſos prælatos eccleſiæ, quos licet Gregorius dicat oportere præ cunctis contemplatione eſſe ſuſpenſos, attamen ſi tunc primũ niti voluerint contemplationis adeptioni ſtudere, dum deberent ſubditorum neceſſitatibus corporalibus & ſpiritualibus F intendere, ipſi ſemetipſos irrident & fallunt, tentationi quoque, id eſt curioſitati potius aſcribi tunc debet, ſi curam plebis deſerentes quærant in ſuauitate otij contemplatiui delectari, quippe deſerunt præceptum Dei neceſſarium, voluntarijs & non neceſſarijs intendentes. Secus verò vbi cõtemplatio ceſſit alicui in talem familiaritatem, quod ambidexter factus poteſt imperturbatus velut Angelus Dei contemplando agere & agendo contemplari, aut ſaltem protinus abſque multa difficultate de hoc migrare, daréque ſe in alterũ qualem eſſe conuenit eum qui in ſtatu perfectionis exercendæ poſitus eſt.

Digitized by Google

Eſt porrò ſtatus officiúmque Eccleſiaſticorum præſertim religioſorum, tendere ad perfectionem hanc inquirendam, quoniam in ſchola deuotionis & orationis ad hoc traditi ſunt, vt ſint velut oculi cætera membra corporis myſtici, dirigentes tam ad ſeipſa quam ad Deum. Sunt attamen nec ignoramus inter Eccleſiaſticos ætates ſtatuúmque varietates plurimæ, atque aliter pueriſis ætas, aliter adoleſcentis, aliter iuuenilis, aliter virilis, & conſequenter ſenilis ſua requirit inſtituta, totum nihilominus apud tales quicquid agitur, docetur aut imponitur, vt adhuc quietæ contemplationis finem vel ſerò capiendum ordinentur neceſſe eſt. Infantibus & pueris quamquam parũ capacibus, prouidendum eſt ſollicitè, ne peruerſis & obſcœnis verbis, picturis aut exemplis inficiantur. Imbuantur potius ad oppoſitum, ſcilicet totius pudicitiæ ac piæ religionis verba, picturas & exempla. Nam: Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem, Teſta diu: Væ ſcandalizantibus puſillos huiuſmodi, aut non debitè docentibus. Adoleſcentiores autem plus honorandi ſunt exercitationibus etiam corporalibus repreſſiuis earum quæ tunc violentiores inſurgunt paſſionum, quibus per aſſuefactionem & ætatem moderatas, illud ꝙ ſupererit vitæ totum laxetur ad otium cõtemplationis liberè capeſcendum.

Conſideratio quarta dicit quod omnes tenentur ſe extendere ad perfectionem ſub pœna damni præſentis & futuri, quantumque præfertur vita contemplatiuè actiua loquitur.

INDVSTRIA 4.

SEMET ad perfectionem extendere. Vox multorum eſt. Sufficit mihi vita communis ſi cum infimis ſaluari potero, ſatis eſt. Nolo merita Apoſtolorum, nolo volare per ſumma, incedere per planiora contentus ſum. Sed viderint hi quod iam imperfectio eſt nolle eſſe perfectum. In via enim Dei non progredi, regredi eſt. Damnatur inſuper ſeruus piger, qui talentum ſeruare cõtentus, illud in fœnus non tradidit. Faciamus hoc perſpicuum in exemplo familiari. Habet aliquis præpotens nobiliſque paterfamilias plures filios quemlibet aptiſſimum ad ampliandum honeſtè rem familiarem induſtria ſua, vnus illorum alijs laborantibus ſedet in domo, piger & iners, nihil curans, dummodo nihil ſordidè viuat, nihil altũ, nihil præclarum vel dignum ingenio ſuo, aut paterna nobilitate recogitet, dicit ſufficere bona iam ſibi habita, & qualicunque vita vti. Euocat autem pater eum ad actus ſublimiores & arduos, monet, ſtimulat, quis non facile viderit, quomodo hic filius ſi obaudit nec obedit, odioſus erit patri? Sic ſimiliter ponitur apud patrem cœleſtem his quos trahit ad chariſmata meliora, ad actus diuiniores, dum torpeſcunt hærentes, in infimis, nec ad perfectionem ſemet extendentes. Quod tamen intelligi volumus de illis qui nullo ſtatu vel officio humiliori ſic alligati tenentur, quod abſque præcepti tranſgreſſione nequeant ad altiora conſcendere. Hic interim perfecto altiſſimum merito reputari conuenit, quod obediẽtiam diuinæ iuſſionis operantur. Animaduertendum eſt denique A quod & ſi Maria poterat honorabiliter cũ Martha hoſpiti Chriſto miniſtrare, collaudat eam nihilominus diuina ſapientia, quod vni intenta optimã partem elegerit. Itaque maledictus eſt qui partem ſuam aliter (licet faceret) facit deteriorem. Ex his verò palã deducitur, quod cum vita contemplatiua, ſicut oſtendent theologi perfectior ſit quam actiua, quælibet ad contemplatiõnẽ idoneꝰ non præalligatus actionis neceſſitate, poteſt ad illam licenter ſe trahere dimiſſa actio. Detur in hæc fides Auguſtino dicenti, quod ſi negotium, id eſt B ad actionem charitatis nemo imponit (intellige ſuperioris iuſſione vel euidenti neceſſitate ſtudẽdum eſt contemplandæ veritati.

Nec oppoſuerit aliquis facultatem quam haberet iſto modo profitendi in vita actiua & cõdemnationem ſuam ſi talentum abſcõderit, & in quo poſſet negotiari prædicando vel pauperibus miniſtrando, quoniam abundè proficit Eccleſiæ vir contemplatiuus obſequens Deo de corde vel oculo, vbi alij de manibus, ore vel pedibus ſubſeruiunt. C Porrò multi ſunt apud quos damnabilis iudicanda eſſet omiſſio contemplationis inquirẽdæ, quemadmodũ poſiti in ſchola religionis, quæ eſt ſchola deuotionis, orationis & fletuũ, quales inſuper eſſe conuenit Eccleſiaſticos, qui labores populorũ in otio poſſident, vt cuſtodiant iuſtificationes Domini, & legem eius exquirant. Quales demum plures inueniuntur viri & fœminæ de ſeculo, quibus ſufficiens otium, inſtructio & ingenium ſuppetunt, vt ſe totos in Deum conuertãt & rapiant. Adſint itaque apud eos fides, ſpes & D charitas. Subtilior inſtitutio non magnopere inquirenda eſt, vt toti tranſeant in affectum cordis bonum.

Conſideratio quinta docet fugere ſuperfluas occupationes, & amorem in Deum ferri delectatione pſalmodiæ, præcipuè in clauſtralibus, & cantum altum dicit & verum eſt huius eſſe impedimentum.

INDVSTRIA 5.

E OCCVPATIONES effugere. Scribe ſapientiã (ait Sapiens) in tempore otij, nam qui minoratur actu percipiet eam, propterea ſint in paucis actus tui, ſi ſtudere vis bonæ menti, quam nemo occupatus (ſi Senecæ creditur) inuenit, non dicit habuit, hoc enim falſum eſſe in iam perfectis cognitum eſt. Non poteſt auis alligatas habens alas vel illitas viſco, vacuas ſe ferre per auras. Et nequit homo pedibus implicatis enatare. Occupatus nihilo magis ad ſere- F num contemplationis æther poteſt ſemet euehere, vacua ſit oportet latitudo paginæ cordis, nec impleta curis, vel ſollicitudinibus contracta, nec offuſcata tetris paſſionibus, vbi ſapientiæ tam immenſa doctrina ſcribi conqueritur. Capiamus ex arboribus exemplum quarum humor nutritiuus qui ad proceritatem ramorum ſurſum ducendus erat, defluit inutiliter per ima, ſi cortex ex vulnere rimam habuit. Amor aut in anima nunquid non aptè dicetur humor ſuus, qui profectò per infima liqueſcit, dum per paſſionũ carnalium ſeu curarum terreſtrium vulnera laceratur. Tunc nempe viam facit nocituram amoris ſui

Digitized by Google

nutrimento, prius quam ſuperius ad cœleſtium deſideriorum vegetationum deducatur. Hoc gemunt hi qui dum amoris ſui pennas vellet in alta contemplationis librare, protinus effluit amoris illius humor ea parte qua cor apertum inferius inuenerit, vel ad curam rei familiaris, vel ad vindictæ recogitationem, vel ad aliquam huiuſmodi ſollicitudinem. Experiunturque quod deplorat propheta dicens: Quoniam lumbi mei, hoc eſt, affectiones, impleti ſunt illuſionibus. Et reuera illuſiones ſunt, quas alibi vocat vanitates & inſanias falſas, & confabulationes iniquorum. His obſiſtere lyricus voluit dum ait: Si non intendis ſtudijs vel rebus honeſtis. Inuidia vel amore vigil torquebere. Sed quis obſecro liberatus eſt ab iſtis, vt non aliquando moleſtetur ab eis? Puto quia nullus homo viuens, qui vtique eſt vniuerſa vanitas. Verum eſt aliud tradere ſe ſponte vel ex officio vel ſtudio talibus occupationibus, aliud eſt eas toto deſiderio mentis, manu diſcretionis ſollicitè abigere, tanquam importunos ſtrepidularum muſcarum aculeos, velut aues Abrahæ ſacrificium veſpertinum circumuolantes.

Quæreret aliquis de occupatione religioſorum multorum in pſalmodijs & canticis altiſonis multiplicatis ſuper numerum. Obſtantne contemplationi vel acquirendæ vel exercendæ? vellem reſponderent ipſi quid ſentiunt. Et quidem beatus Auguſtinus flebat vberrimè in canticis ſuaue ſonantibus Eccleſiæ, vocibus eius alacriter commotus & eliquebatur veritas in cor eius. Sed an eſſet vnus ex cantãtibus expreſſum non inuenio. Quia verò ad comparandam contemplationis quietem plus gratia prouehit quam induſtria, quia rurſus interpolatio fit in cantibus, non eſt incredibile quoſdam ex ſic occupatis mẽtibus, tamen ad hoc ipſum ſentire ſupermentales exceſſus, præſertim vbi quis ſatagit ex animali fieri rationalis & tãdem ſpiritualis, poſt vtrunque. Et hæc fortè multiplicatio ſtatuta eſt magis propter animaliũ mẽtes interim occupandas, qui ſcilicet altiora neſcirent quietè ſecum meditari, nec otio vti, quã propter ſpirituales quia rari ſunt, & quales bene inſtituta religio poſſet fortaſſis à iugo tali liberiores reddere, ne vel ſemper araret bos cum aſino, vel ad pedes Ieſu ſedens, nunquam Maria reperiretur apud eos, ſed ſola Martha. Quod ſi te canentem in pſalmis deducat victor Deus ac ſpiritus ſuus, ſuper hæc excelſa fluentorum ſuperiorum, nihil fortius, nihil beatius. Itaque beatus populus ille qui ſcit iubilationem, qui pſallit ſapienter, iungens verbo ſenſum cum affectu. Quam felix eſt Ieſu bone talis anima, quæ non eſt velut terra ſine aqua tibi, quam ſalubriter agitur cũ hac columba tua, ſponſa tua amica tua quam ſaluberrimè prorſus, quam beneuolè. Nam & præceptũ religioſæ laudis implet in horis dicẽdis, nihilominus gaudet priuilegio alicuius in alti ſilentij ſolitudine contemplantis, vtique fortior hæc quam illa, beatiórque dicenda eſt. Prodeſt ad hoc ipſum præuenire tẽpus orationis ea præmeditando quæ depromenda ſunt, vt liberius tranſeant in affectũ.

Prodeſt & conari tradere illa quæ dicuntur nõ tam ad cognitionem ſubtilem ac multiplicem, quam ad ſaporem & exultationẽ. Sæpe enim vbi minus cognitionis, ibi plus effectuũ. Intrat quoque dilectio vbi cognitio foris ſtat. Imitemur A gaudentes ad ſonitum tympani vel cythari, qui carminis harmoniam non magnopere dijudicant, ſatis habentes iocundos exultantis tripudij numeros exercere, quos prouocat ipſa modulatio. Tu ſimiliter id quod legis, audis, vides, loqueris, aut cogitas, trahe confeſtim in affectum velut aſpirans ex intimis, olfaciens aut guſtans, vt ſi audieris pater noſter, aſſurgat protinus animus ad reuerentiam ſimul & dilectionem, ad poſtulationẽ fidelem pro neceſſitatibus tuis fratrũmque tuorũ B quorum pater communis eſt. Arripe generoſum nobilẽmque contemptum omnis fœdę ruſticitatis, tu qui tam regio patre gloriaris, diſpliceat tibi atque gemas exilium cui cœleſtis hæreditas filiationis titulo, cuius pater in cœlis eſt reſeruatur. Tales quoque affectus inuenire eſt ſine numero vel termino de die in diem ſuaues & nouos velut in fauo vel in manna, vel in nucleo reconditos, qui vbertim fluent ſi cõtemplationis dente compreſſeris.

C *Conſideratio ſexta Dei diſpoſitionem circa bonos & malos, eò quod abutuntur ſuis beneficijs, ponit, & breuiter quæ iuſtè reddere vel permittitur 16. oſtenditur rationibus.*

INDVSTRIA 6.

CVRIOSITATEM deponere. Curioſitas eſt ſtudiũ circa inutilia, aut vtilia magis quã liceat, deceat vel expediat. Noli precor ad otiũ D cõtemplationis anhelare, tanquã cogniturus aut alijs oſtentaturus tantũmodo ſublimitatem eius, qualẽ ex veraciſſimis ſanctorũ atteſtationibus fide quadam accepiſti. Et non potius vt inde vilior ſis & abiectior ſis in oculis tuis, viſa perſpicatius indignitate tua in comparatione recogitatæ diuinitatis. Sis inſuper contra tentationum tela robuſtior, & feruentior quoque in amorem Dei & proximi, & vt demum currendo viam mandatorũ Dei alacrior inueniaris. Tene & audiens cõtremiſce, quia ſunt filij infideles & alieni, ſunt ſerui nequã, quos E aliquando cibare ſuſtinet pater cœleſtis ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturat eos. Quemadmodũ apud aliquos ex prælatis & principib' videre eſt, qui condẽnandis paulò pòſt ad mortẽ: mittit aliquotiens in carcere de precioſis menſæ ſuæ reliquijs. Propterea noli altũ ſapere, ſed time, recogitans quia gratia contemplationis numeratur inter gratias gratis datas, quæ ſicut ſpes, fides & prophetia, aut aliæ virtutes, poteſt informis & ſine charitate haberi. Quis igitur ſecurè niſi in F Domino gloriabitur? Væ væ tibi humana præſumptio quãdo has & ſimiles gratias ſpirituales reperire eſt apud maledictionis reprobationiſque filios, vel in augmentũ ſuæ dãnationis vſu ingratiſſimo dono Dei, vel ad aliorum eruditionẽ, vel pro qualicunque laborũ ſuorum, velut falſorum ac inutiliũ prępmio tranſitorio. Pro tali numiſmate tales merces, dicit prouerbium. Fornicari tãtummodo quæſierunt in donis Dei per improbam dilectionem aut præſumptionem. Quid igitur? Deſiderium eorũ affert eis Deus, ſed iratus. Audiunt illud euangelicum. Accipe quod tuum eſt & vade. Hinc prouenit ex diſpenſatione miſericordiæ Dei, quod ab

Digitized by Google

ab electis ſuis ſæpe declinat ipſe, ſed non in ira, nec in finem. Abyſſum verò iudiciorum eius quis A inueſtigat. Poſſumus tamen ex dictis ſanctorum, qui ſæpe Deo inſpirante locuti ſunt, quaſdam huiuſmodi myſterij cauſas agnoſcere. Fit hoc quandoque & ſæpius ad humiliationẽ, vt retũdatur ſuperbia, vel quæ præfuit vel ne ſurrepat prouidetur. Propterea teſtatur expertus Bernardus. Verè nihil eſſe efficacius ad gratiam hanc vel inueniendam vel retinendam, vel recuperãdam, quam ſi ſemper inueniaris non altum ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Denique beatus vir qui ſemper eſt pauidus, B & ſuper cuſtodiam ſuam ſtat. Fit hoc aliquando ad deſiderium vehementius igniendum, quemadmodum ignis flatu compreſſus erumpit ardentior, & vt diſcamus grandia granditer quærere. Fit hoc vt ab homine ſua fragilitas, & abyſſus miſeriarum profundius & exinde clarius ſentiatur, quatenus vileſcat ipſe ſibi, recogitans qualis ex ſe ſit, & qualis ex Dei munere eſſe poſſit. Fit hoc aliquando ad innuendum viſcera pietatis ſuper aliorum deſolatione, quibus hæc conſolatio vel non cõceditur vel conceſſa ſubtrahitur. Fit hoc C ad ſatisfaciendum interim pro ſe vel alijs per dolorem ſenſibilem ex tali carẽtia derelictum quemadmodum humanitas Chriſti derelicta eſt, & torrente pœnalitatum tota immerſa, quatenus ita ſatisfaceret pro peccatis non ſuis, ſed alienis. Fit hoc quandoque, ne quis idoneus in doctrina alios iuuare, aut in re aliqua velit aſſiduè ſic otiari ſibi, ſic inter amplexus Rachel hærere quod negotium charitatis ſpernat, & Lyæ fœcundationi nequaquam inuigilet. Horret itaque natura benè D inſtituta pigritiam, propterea ſi non in altis poſſit, ſaltem vel in infimis quæret occupata proficere. Quo euenit, vt ſic infirmata anima ſic humiliata perficiatur amplius. Illique pluuia voluntariè ſegregetur diuinæ irrorationis. Fit hoc vt homo permulta tentatus, diſcat ex his quæ patitur obedientiam cæteráſque virtutes, quatenus eas poſtmodum edoceat efficacius. Itaque verum eſt illud Socraticum: Loquimur melius quæ melius cognoſcimus. Illud autẽ melius cognoſcimus quod intimius experti ſumus. Nam vir inexpertus quid E quid cognouit? Fit hoc aliquando, ne deſerat homo per contẽplationis ſupererogatione obligationem diuinæ iuſſionis. Fit hoc ad punitionem venialium deffectuum, tanquam ſi pater indulgentiſſimus vel auertat interim faciem à filio laſciuiore, vel triſtiorem oſtendat, quatenus exinde ſtudioſior ſit in omni modeſtiæ cuſtodia, & ne minima negligens paulatim decidat. Fit hoc quandoque vt cognoſcatur illud Apoſtoli: Non eſt volentis neq; currentis, ſcilicet per induſtriam F propriam, ſed Dei miſerentis. Cuius rationis ſignum perſpicuum eſt, quia poſtquam homo ſibi dixerit: Tu tali die, tali hora vacuus eris ab omni occupatione, tu certiſſimè aptus eris ad ſuauitatem contemplationis deguſtandam. Tu ſic ages, ſic te diſpones. Sed quid? Veniet illa dies, veniet ariditas in anima amarior, faſtidium ſpiritus, horror lectionis & orationis, tenebræ & conturbatio, ac ex aduerſo dum tu nihil horum propoſueris, grata ſuperueniet quæ non ſperabatur hora.

Fit hoc aliquando ad purgationem maris ſpiritualis magni & ſpacioſi, quod ex nimia quiete

ſicut & materiale ſordes contrahere ſolet, quas exagitatio commotióque depellunt. Fit hoc aliquando, vt innoteſcat ſi gratis anima timet Deũ, ſi parata eſt ſcilicet obſequi proprijs expenſis tribulationum & ſuauitatum ab imperatore ſuo recipere, contra illos qui orationem ſuam vel effundere nolunt, vel inefficacem credunt, niſi conſolationum ſentimenta meruerint, quaſi nõ fingeret vnquam Deus laborem in præcepto. Fit hoc quatenus oblectetur homo, ne ſemper putreſcat, aut ne fornicari incipiat in donis Dei, ea pro ſe diligens, his adhærens, his ſe oblectans, aut ne præmium temporaneum hic tale recipiat, illo futuro cariturus. Itaque princeps negligit ſtatim remunerare militem, & pater filium denario vel obolo, vel pomo aut cibo, qui poſtmodum principatum daturus eſt aut regnum quamuis indulgentia principis aut patris illa quandoque minora det ad conſolationem & ad amoris iudicium, reſeruans poſtmodum nihilominus excellentiora ad præmium. Fit hoc quandoque væ diſſimulet venire tantus hoſpes ad animam, ne grauetur expenſis. Sicut ait Dauid ad filium. Sed quibus expenſis? lachrymis pijs, gemitibus, ieiunijs, vigilijs cæteríſque corpora grauantibus. Aut fortè quia anima iunior non poſſet ſuſtinere ebrietatem ſpiritus, ſi iugiter introduceret rex eam in cella vinaria ſua, propterea clauem gerit nunc claudens, nunc aperiens. Fit hoc vt prouocent te Deus ſicut aquila pullos ſuos ad volandum, & mater filium ad ambulandum. Vides quia deſerit mater filium hac induſtria vt derelictus clamet ad eam, vtque regrediẽs cautior ſit adhærere ſibi. Cautior inſuper ne cadat, proſpicere, & quæſita matrem lætior ſuſcipiat inuentam, blanditias & oſcula ſuauius addat. Fit hoc ad exercendam patientiam quæ opus perfectum habet. Nam quæ eſt acerbior tribulatio, quæ materia patientiæ copioſior apud animam, quæ aut prægustatione delitiarum paradiſi relabitur & corruit ad dolores inferni, ad ſimilitudinem vmbræ mortis, ad ærumnas huius exilij. Sumitur poſtremò coniectura, quantæ futura eſſet amaritudinis ſeparatio perpetua.

Quiſquis es igitur qui ad contemplationem traditus es, ſatage impiger ad eam, ſed ita vt illam expectes ab alto, paratus humiliter ea vti, ſi venerit cum gratiarum actione, parare ſimiliter ea carere bono animo ſi non aduenerit, habentes ama, ſed ne ſpernas aut iudices non habentes, recogitans aſſiduè quia in ſola charitate eſt regnum Dei. Denique maledicta terra noſtra ſpiritualis ſicut & corporalis, non germinat fructum ſine ſpinis & tribulis, nec abſque dolore anima prægnans veritatis prolem parturit.

Conſideratio ſeptima docet aſſumere longanimitatem volenti peruenire ad guſtum internum inſtanter quærendo, ſæpiúſque repulſus perſeueret in cœptis, nec fatigetur quouſque mereatur miſericorditer exaudiri aut admitti.

INDVSTRIA 7.

LONGANIMITATEM aſſumere. Poterat fortaſſis ex præmiſſa conſideratione deuotus animus ſaluberrimos & ſuauiſſimos contempla-

Digitized by Google

tionis fructus quaſi negligere & dicere, vt quid fatigarer fruſtra? quid eniterer acquirere quod ignorat anima mea, ſi proficuum fuerit aut damnationi imputandum? Fiat itaque voluntas Dei, det ſi velit prægustationem ſuę dulcedinis hic ſentire, neget ſi voluerit, paratum cor meum ad vtrumque. Sed audi tu qui loqueris. Scis ne quæſo quoniam neque qui plantat (vt dicit Apoſtolus) neque qui rigat eſt aliquid? Nihilominus vult nos Deus plantare ſolerter & rigare, ſiue hoc carnaliter intelligas ſiue ſpiritualiter. Alioquin quomodo coadiutores Dei ſumus, qualiter implemus. Non tentabis dominum Deum tuum, ſi laborem diligentiámque datam humanitus deſerentes, ſolum diuinitus adiutorium præſtolamur? Sit igitur labor noſter, ſit induſtria, ſit conatus plantans & rigans, incrementum verò quaſi viuificam ſuperinfuſámque virtutem donet Chriſtus, à quo petatur humiliter & fiducialiter expectetur.

Nemo de negligentia & meriti corde ſibi blandiatur, ſi nolit ad contemplationis culmen anhælare. Confundit prior vna ratio, vna conſideratio, dicens ad perfectionem ſemeptipſum extendere. Nemo præterea deſerat cœptum iter hoc perfectionis, ſi ſenſerit vt ſentiet laqueos innumerabiles tentationum abſconditos in via qua ambulat, ſæpe repulſus non confundatur, credo deſudans, nec iudicio ſuo proficiens non conturbetur. Satagat, enitatur innitens forti baculo protectionis altiſſimi non arundineo laboris ſui.

Qui capit capiat, quoniam labore quæritur, immo requiritur ad illam quantum tamen dare nequit contemplationis gratiam. Sed ita videmus in hominis formatione, patres generant, matres alunt in vteris. Alioquin quando naſci puerum contigeret? nihilominus quid virtutis habent hæc omnia niſi deſuper anima detur, ſolo creantis arbitrio? viuificatur totum illud prius informe ac veluti inutile? Homo ſcilicet feneſtras remouet, leuat caput, oculos aperit. Alioquin qua ratione videret? Quod ſi ſol abſconderet radios, fruſtra ad viſionem hæc omnia fierent, de ſole iuſtitiæ idem exiſtima. Poſtremò ſi nihil abſque magno labore dedit Deus mortalibus, vt poëta loquitur. Si nemo coronabitur niſi qui legitimè certauerit, ſecundum Apoſtoli verba. Si denique minores artes quarum enumerationem proſequi vacuum eſt cum tanta ſollicitudine, vigilijs, anxietate, diſcunt homines, vel ad fugam paupertatis, vel ad augmẽtum diuitiarum, vel inanes laudum titulos, aut aliquod tale, mortale, caducum, aut fluidum, ſi propter hoc fuit inductus poëta dicere: Labor omnia vincit improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas. Pudeat pigeátque pro re pulcherrima, maxima & diuina minus eſſe ſollicitos, minus longanimes & erectores. Fortis aſcenſor montis huius attingere paratus ad contemplationes, alacer erumpe, exultans vt gigas ad currẽdum viam, firma greſſum ne labaris retro, ſed & lapſus violentior erigere, abijce molam terrenæ cogitationis à collo tuo. Hoc te fabuloſus Siſyphus edoceat. Vſquequo placebit tibi regio hæc egeſtatis in valle lachrymarum, in limo profundi & luto fecis? Illuc ſurſum aſpira vbi diuitiæ, pax, gaudium, ſpiritus in æthere puro. Quouſque rurſus algido rigore torpeſcit anima tua? quamdiu non

exardeſcet ignis deuotionis in ea? inſuffla, exuffla,
A ne ceſſaueris legendo, miditando & orando donec ſcintilla deuotionis vel tenuis euolitet. Turbabit te ab initio fumus tentationum ſimul erumpens fuligino ſus & teter, punget hic oculos rationis, & faciem interiorem velut in rugas contrahet, ita vt tecum nunc quam antea modeſtius vitæ contenti ſunt, ſed noli timere fumi impetum, perfla ſufflans donec flamma vehementior, dehinc purior emicet, donec tandem ſereniſſima tranquilláque lux velut in carbone viuo ſupera-
B uerit omnem fumoſitatis inquietæ caliginem. Taliter accendi, talique luce perfundi ſibi cupiebat, qui dicebat: Vre renes meos & cor meum. Quod ſi nitendo, ſi agendo tale nihil inueneris, dolens doleas ſaltem infœlicitatem tuam, congelationem tuam, dicens ex ſententia illud propheticum: Miſer factus ſum & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediabar. Crede mihi non minus non perdes laborem tuum, non mercedem apud illum qui laborem & dolorem conſiderat. At verò ſi deſiderium animæ tuæ tri-
C buerit tibi Deus, præueniens te in benedictionibus dulcedinis, hoc vnum ſummopere curaueris, vt deuotionis ignem accenſum multo conatu tantóque labore conſeruent cineres humilitatis contra flatum arrogantiæ, ne quaſi iam aliquis tibi magnus videaris, contra gelicidium inſuper inertis negligentiæ, ne quaſi iam ſufficienter attigeris quod quæſiſti. Iámque liceat hac illácq; verbis aut actibus ſuperuacuis effluere, vera ſiquidem eſt ſententia metro comprehenſa. Non
D minor eſt virtus quam quærere, parta tueri. Ad quod ſpectat illud vulgare. Bonus conſeruator par eſt bono conquiſitori. Sed væ væ ſtultis, quorum gratiæ effunduntur, ſicut alio notatur prouerbio: Miſero non obuenit bona ſcutella quam non effundat.

Conſideratio octaua eſt paſſionum & affectionum origines aduertere. Et hæc ars traditur ſub triplici modo cognoſcendi reſpectu diuini iudicij, prout miſe-
E *retur modo incomprehenſibili peccatoribus & proceditur in vires animæ noſtræ varias, exemplificando ſecundum quod inclinant ad virtutum excellentiam vel vitiorum enormitatem.*

INDVSTRIA 8.

PASSIONVM vel affectionum origines animaduertere. Habet hanc proprietatem Theologia myſtica, quod in affectu reponitur, omnibus alijs ſcientijs repoſitis in intellectu. Et
F quoniam omnis affectio vel amor eſt, vel ab amore conſurgit ſecundum philoſophicam deductionem, nonne rationaliter ipſa Theologia myſtica nominari debet ars amoris vel amandi ſcientia? At verò non eſt ſic ſolus amor, quin origo ſit cæterorum affectuum vel paſſionum, ita vt ipſa eſt odium pariat. Illa inſuper quæ hic confuſa ſunt omnia, ſpes, metus, mœror, gaudium inde proueniunt. Quippe ſi diligitur Deus ſuper omnia, conſequens eſt vt odiatur quicquid eius amori contrarium fuerit apprehenſum. Rurſus quia Deus tanquam obiectum ſummè cõueniens præſentatur animæ per cognitionem, ſubſequitur gaudium

Digitized by Google

gaudium de præſentia, & ſi abſit, triſtitia vel metus oriuntur. Cæterum de numero paſſionum multi multa tradiderunt, vt Ariſtoteles in Rhetoricis. Hugo in tractatu de oratione, Guilielmus Pariſienſis, in ſuo pœnitentiali, & alij quidem nunc plures enumerant, nunc pauciores. Meminimus earum alio loco vſque ad vicenarium extendiſſe. Hugo in ſuo de oratione nouenario contentus eſt quamuis eas innumerabiles eſſe non ambigat. Et quoniam in paucioribus via maior, contentabimur ad præſens eas ſub ternario concludere conformiter ad tria appropriata in diuinis, potentiam, ſapientiam & bonitatem, ſecundum quod ſatis apertè poteſt recipi id quod venerabilis Richardus ait, dum contemplationis gratiam tripliciter oriri commemorat, ſecundum tres exclamationes de aſcenſu animæ in Canticis, ex abundantia deuotæ compunctionis, quaſi virgula fumi, ex magnitudine admirationis, quaſi aurora conſurgens, ex plenitudine exultationis, quaſi innixa ſuper dilectum ſuum. Itaque ſi conſidero profundius diuinam potentiam & opulentiam reſpectu meæ infirmitatis ac indigentiæ, qua ratione non potero compungi, non perhorreſcere, non timere meam miſeriam indignitatémque, viuendo ſub hoc terribiliſſimo iudice in concilijs ſuper filios hominum, in quem deliquit, ſub tali domino magno quem offendi, ſub tali patre maieſtatis quem contempſi. Rurſus ſi coram oculis eiuſdem conſiderationis poſuero, quam mirabilis facta eſt ſcientia ſua valde, quam confortata, & non potero ad eam, protinus oritur admiratio, ſtupor & defectio, dum capere nequeo qualiter hos ad gloriam, alios ad infœlicitatem præſciuit perpetuam. Quo pacto negat gratis & benè vſus multa, quæ præſtat ingratis deinde pugnaturis contra eum. Qua conditione ſuſtinet plures ſaluandos penè per totam vitam in ſceleribus abominandis, vt latronem in cruce, dum alijs æternaliter perituris ſicut Iudæ variarum virtutum gratiam elargitur? quod præterea nemo poſſit corrigere eum quem ipſe deſpexerit. Et quod concluſit omnia ſub peccato, & ſimilia, ſuper quibus compulſus Apoſtolus ſtupens exclamare: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & cæt. Poſtremò venit in recogitationem mentis, torrens ſuauitatis diuinæ, & quam bonus Deus Iſrael his qui recto ſunt corde. Quid enim totus exultabundus pronunciet affectus meus. O quam ſuauis eſt domine ſpiritus tuus. Et illud, quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abſcondiſti timentibus te.

Habemus in his tres principales affectus. Compunctionem cum tremore, admirationem cum ſtupore, exultationem cum iocunditate, ſecundum potentiam Dei, ſecundum ſcientiam, ſecundum bonitatem, & ſecundum tres vires animæ, iraſcibilem, rationalem & cõcupiſcibilem. Porrò nihil inuenies per omnem ſcripturæ ſeriem, quod ex hac recognitione non poſſit ad orationem Dei placatricem accommodum fieri. Obijciatur tibi quippe potentia Dei contra imbecillitatem tuam & aduerſantium tyrannidem Dei ſapientia contra tuam inſipientiam & hoſtilem aſtutiam Dei beneuolentia, contra tuam & alienam nequitiam. Omne verò quod in ſcriptura legitur, immò omne quod cernitur an non aliquod horum

A videtur reſonare aut noſtram miſeriam, aut aduerſantium improbitatem, aut Dei maieſtatem in potentia, ſapientia & bonitate? At verò ſi cogitationes vanæ fuerint ac de terra. Si fons amoris corruptus extiterit, ſurgent continuò paſſiones ſimilis generis, ſed peruerſæ reprobæ, vt ex ſuperueniente egeſtate, vel ex repentino interitu per tyrannidem vanus timor, & inutilis compunctio, ex aſtutia deceptrice admiratio, ex fœda voluptate iocunditas falſa, ex peſſimis rebus peior glo-

B riatio. His igitur omnes affectiones gignere laudabiles fontem amoris purum habeto, ſimul obſeruans quod origo fontis huius & ſyncera bonæ fidei & ſanctarum cogitationum terra hauriat ſcaturiginem. Hinc monet Apoſtolus reformatos ſenſus habere mundatos ſcilicet, à corrupti amoris febre, quatenus oculos in ſummè pulchrũ ac lucidum, auditus in ſummè harmoniacum ac ſonorum, guſtus in ſummè ſapidum, olfactus in ſummè odoriferum, tactus in ſummè ſuaue ac iocundum, munda quadam deiformitate feratur.

C Poſſumus hanc noſtrã cõſiderationem ad aliud transferre vt dicamus paſſiones vel affectiones oriri, nunc ab extrinſecorum amborum immutatione, nunc ab extrinſeca phantaſia vel imaginatione, nunc à ratione negotiante, nunc amante, vel ſpiritu Deo ſuperilluſtrante, nunc à bonis Angelis ſollicitantibus, nunc à malis, aduerſus quos eſt nobis colluctatio magis quam aduerſus carnem & ſanguinem, adeò quod puriſſimæ ſanctæque animæ moleſtiſſimos aliquando ſtimulos

D blaſphemiarum ſordidiſſimarúmq; ſpurcitiarum pati coguntur, etiam in ſenectute & ſolitudine ſua, quales neſciebant ipſimet dum in mundana conuerſatione inter medias tentationes carnis & mundi adoleſcentiores verſabantur. Potuerat demum non ineptè conſideratio noſtra dilatari, tradendo radices naturaliter generatiuas huius vel illius paſſiones conformiter ad doctrinam philoſophi in rethoricis, vbi de paſſionalibus ſermonibus cauſas reddit, vt vnde verecundia, vnde gloriatio, vnde erubeſcentia, vnde deſperatio,

E vnde ſtupor, vnde admiratio, vnde ira, vnde inuidia, adulationis & detractionis appetitus vnde reuerentialis tremor, vnde abominatio, & vniuerſaliter vnde generales quatuor paſſiones, Spes, metus, mœror, gaudium. Notauit acerrimus perſcrutator cogitationum Auguſtinus in ſuis ſermonibus quod vitium nullum committitur, niſi quia volumus (licet falsè) diuinam excellentiam imitari, ita prorſus eſt, quia initium omnis peccati ſuperbia. Quid autem peccatum niſi inordi-

F nata & intemperata affectio. Eſt igitur ſuperbia radix cuiuſlibet improbæ affectionis, ſicut ex aduerſo parturit omnem affectionem piam humilitas. Quocirca breuiſſima hic traditur, ſed efficaciſſima regula diſtinguẽdi in affectionem bonam & malam, ex hac duplici radice, quarum ſemper altera in fructibus affectionum ſi diligenter attrectaueris ſapit. Inuidet aliquis, quare? quia ſolus cupit impunitus excellere. Iraſcitur aliquis, quare? quia vult inperturbatus nec impunitus excellere. Auarus eſt, quare? quia vult abſque indigentia & cum impunitate præcellere. Acedioſus eſt, quare? quia vult ſine fatigatione laboris impu-

Digitized by Google

nitus excellere. Luxuriatur aut guloſus eſt, quare? quia vult in delectationibus impunitus excellere. Puſilanimis eſt, arrogans eſt, inobediens eſt, gratis malè agit & nocet, quare? quia vult in iudicio proprio ac voluntatis arbitrio manens impunè excellere. Tolle hunc appetitum impunitæ excellentię cupidum, confeſtim, rami omnes fructus & folia vitiorum aruerunt. Et pro inuidia charitas, & pro ira mititas, pro auaritia frugalitas, pro acedia ſtrenuitas, & ita de reliquis germinabunt. In his homo Chriſtus, lucifer in alijs ſemper imitatur.

Conſideratio nona. Docet tempus & locum idoneum in proficientibus eſſe inquirendum propter varias hominum diſpoſitiones, eligitúrque & oſtendit eo quod ibidem tum gratia abundantior influit à domino, tum quia in tribulationibus conſequitur ſolatium & conſolatio ſpiritualis.

INDVSTRIA 9.

TEMPVS idoneum & locum inquirere. Locorum alius publicus, alius ſecretus, alter in quiete, alter in ſtrepitu. Quidam obſcurus & arctus, alius lucidus & amplus, & ſub dio patens. Similiter in tempore temperat Deus rerum vices. Et veſpertinum, eſt ſerotinum, & eſt nocturnum, eſt gallicantus, eſt crepuſculum, eſt matutinum, eſt prima, tertia, ſexta, nona. Amplius verò ſunt in locis modi varij componendi corpus vel optandi ad contemplationem. Hic ſtat, ille genu flectit, ille toto corpore proſternitur. Hic pronus, hic ſupinus iacet, hic faciem media inter genua locat. Alter eam manu operi, ſedet alter innixus cubito vni vel duobus, ſubleuat vnus oculos quantum valet ſurſum, alius deorſum figit, alius hac illac circumducit, ſiſtit alius greſſum, alter ambulat. Proinde dicit Apoſtolus. Quilibet abundat in ſuo ſenſu. Suus vnicuique mos eſt, ait comicus.

Regulam hanc ſuper his omnibus traditam inueni, vt ſequatur vnuſquiſque quod bonum in oculis ſuis viſum fuerit ad facilitatem contemplationis aſſequendæ. His exceptis quos regularis communiſque ligat diſciplina ad obſeruantiam certi temporis, loci & corporalis compoſitionis, alioquin væ illi per quem pro ſua ſingularitate ſcandalum venit. Nam & vineam dominicam quis depaſtus eſt? Talis vtique ſingularis fera.

Sunt quos adiuuat locus abditus ſubobſcurus, arctus, baſſus, & quodam alti ſilentij horrore tremendus, habitant hi velut in ſepulchris & cauernis terræ & ſpeluncis. Sunt quibus aptior eſt locus patens, perlucidus, amplus, altus, vndique cœlo vel æthere circunfuſus. Habitauerunt tales in deſertis & montibus, vbi ſi Hieronymo creditur, neſcio quid ſerenius emicat, quam in fumoſis vrbibus. Inuenies aliquos quos offendit omnis ſonitus, alios verò quibus nihil obſtat, ſed proficit locus ſtrepiduloſus vel ex murmure labentis aquæ, vel ſuſurris volitantium foliorum vel ſonoris cantibus auſum, vel ſtridulo ventorum ſibilo, vel fluminum vel marium alliſione confuſa, vel maximè demum ex reſonantia ſuaue ſonantis Eccleſiæ in vocibus modulantis, in campanis & organis & choro, & quod alijs ad laſciuiam, his ad moleſtè cedit grauitatem. Quin etiam videre eſt in nõnullis ſed paucis, nec paſſim imitandis, quibus omnis ille nuptialis apparatus in choreis & citharis, in geſticulationibus, in venuſtate fœminarum, cum veſtitu deaurata circumadmictarum varietate vertitur in theoricos ſynceriſſimóſque mentis exceſſus, vnde libidines ſuas ineptiſſimas nec minus fœdiſſimas improbi conſectantur. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ſic in omni re vtilitatem ſuam, ſic mel ſuum velut apes inueniunt. Exaltati quippe à terra omnia trahunt ad ſeipſos. Quid ſubinde definiendum erit de temporum varietate, quando nunc tempus eſt flendi, nunc ridendi, nunc amplexandi, nunc fieri longè ab amplexibus & ita de reliquis. Quin præterea gloriabundus in domino Pſalmus ait: Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ, & alibi: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et rurſus ait ſe in matutino interfeciſſe omnes peccatores terræ, hoc eſt omnes tentationes ad peccatum inducentes ſubieciſſe, quod non niſi vigilans & orans feciſſe credendus eſt. Rurſus ad dominum: Exitus inquit, matutini & veſpere delectabis. Et quis eſt qui tempus audeat præuenire Deo & non illud beneplaciti ſui beneplacenter nec minus vigilanter præſtoletur. Viſitas eum diluculo (dicit afflictus Iob) & ſubitò probas illum. Nihilominus quantum humanam reſpicit induſtriam, arbitramur horam conuenientiorem illam eſſe ad hoc ipſum poſtquam cibus digeſtus eſt, & curæ mundi ſepoſitæ, dum inſuper obſeruator adeſt nemo, qui gemitum lugubrem, qui ſuſpiria ex imo pectore eruta, qui rugitus amaros, qui plangores interruptos, qui proſtrationes humiles, qui madentes oculos, qui faciem nunc rubore, nunc pallore ſuffuſam, qui palmas vtraſque tenſas cum oculis ad cœlum, qui pectoris crebras tonſiones, qui fixas terræ vel altaribus oſcula, qui ſimplices alios geſtus & ſignacula membris impreſſa notare poterit. Ad extremum verò corporalis illa ſituatio ſeu collocatio efficacior æſtimatur quæ quieti mentis aptior eſt. Itaque ſedendo & quieſcendo fit anima prudens. Nec valet animus in ſua pace ſatis ſtabiliri, niſi corpus in eodem ſitu fixum manere didicerit.

Addamus quod eligibilior eſt cæteris paribus locus ſacer quem virtuoſiſſima Chriſti præſentia conſecratióque ſolennis & vota fidelium & geſta ſanctorum depicta vel ſculpta, & ſepulchra defunctorum reddunt aptiorem. Similiter ſacris temporibus atque celebribus quis dubitauerit copioſiora ſolere infundi gratię diuinę fluenta, ſuper magnum hoſpitale viuentium, & carcerem purgandorum mortuorum. Tunc enim in die bona venimus ad Deum, tunc fiducialius ad aliquem ſanctorum dicimus, proſpera diem triumphalem tuum. Tunc copioſiores chariſmatum reliquiæ velut à menſa ſplendidiſſima beatorum conuiuarum decidunt largiendæ pauperibus & mendicis petentibus, quærentibus & pulſantibus. An non canit Eccleſia pro coniũctione & nuptijs Heſter, hoc eſt humanitatis noſtræ cum diuinitate, hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cœli? Doceant nos corporales mendici debiles & infirmi

firmi ſic tempus obſeruare, doceant in carcere & tenebris clauſi ſic à menſa iudicis aliquando ſuauiora ciborum fragmenta promereri. Eſt inſuper quod de temporum varietate dici poſſit. Nam tempus eſt flendi & tempus ridendi, tempus ſcilicet aduerſitatis quod per noctem, & tempus proſperitatis quod per diem ſcriptura ſæpe ſignificat. Sileamus interim de perfectis qui vtroque tempore ſciunt vti per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris velut ambidextri, dicentes cum Apoſtolo. Scio abundare, & ſcio penuriam pati, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quamuis etiam inter lachrymas contingat eis illud Virgilianum. Mens immota manet lachrymæ voluuntur inanes. Mens quippe talium manet fixa in vno æternitatis centro, velut axis circa quam decurrit volubilis rota temporalitatis, aut ſicut acus affecta per magnetem ad polum ſe dirigit. At verò de incipientibus & proficientibus videtur experentia cum ſcripturarum auctoritate doctrix eſſe quod plus eis prodeſt tempus aduerſitatis ſiquidem ipſa moderata, ſit & talis quæ iudicium rationis integrum cuſtodiat, & in qua Dei munere patientia prouentum operetur. Aduerſitas quippe talis potentiori quadam manu monet eos eripere ſe ab hoc limo profundi, vt à terra ſe ſubleuent dum illic tribulationem & dolorem inueniunt, agunt ſtudioſius, quod propheta ſubiunxit, & nomen domini inuocaui. Sentiunt quippe quoniam prope eſt dominus his qui tribulato ſunt corde, & quia adiutor eſt in opportunitatibus, in tribulatione. Illud inſuper. Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Sic enim columba rationalis non habens vbi pes deſiderij quieſcat, reuertitur ad arcam cõtemplationis, ſic eadem arca creſcentibus aquis tribulationum ſubleuatur amplius. Sic aſcendunt tribulati in ſuperiora domus ſuæ ſpiritualis, vt Anna & Petrus cum cæteris dum vel opprobrium aliquod, vel parentum mortem, vel patriæ afflictionem, vel rerum inopiam accipiunt. Hæc eſt antipariſtaſis quædam ſpiritualis, quæ contrarium fortificat, hæc eſt cos ferrum exacuens, hæc abſinthium pueros ablactans, auellénſque ab vberibus, malleus dilatans & extendens. In tribulatione (inquit Pſalmiſta) dilataſti mihi. Hęc lima poliẽs, mundans, æruginans, clarificans, hæc fornax in qua aurum purgatur vt rutilet, hæc virga qua percuſſus eripitur ab inferno, vt dicat tribulatus ex ſententia: Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me & viuificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Et illud: Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ſcilicet per contemplationem ad populum accinctum noſtrum, ſcilicet ſummorum ciuium.

Conſideratio decima, docet de ſomni & cibi moderatione, variis vtens exemplis, præcipuè tamen tranſmittit ad beatum Hieronymum quem lege ad Ruſticum, Paulinum, Furiam, Euſtochium, de ſeruanda virginitate ad Athletam.

INDVSTRIA 10.

SOMNO & cibo moderanter indulgere. Animaduertendum eſt hic in primis indulgentia iam dictorum dicendorúmque, quod aliæ A ſunt inſtitutorum obſeruationes in incipientibus contemplationem, aliæ in proficientibus, aliæ in perfectis, qui per conſuetudinem iam exercitatos habent ſenſus, qui cum Apoſtolo ſciunt abundare, ſciunt penuriam pati, & in omni loco leuare puras manus. Secus apud incipientes, quibus vt fragilioribus appodiacula quærenda ſunt, donec ſolidior ſtructura ſurrexerit, pro talibus fuit ſermo de locorum vel temporum obſeruatione, ſicut hic de moderatione cibi & ſomni. Et quidem B attento quod in hoc ſtudio contemplationis inchoandæ vehemens, & quaſi iugis labor animi requiritur, ac perinde vitales animaléſque ſpiritus conſumuntur plurimi, pluri reparatione per cibum & ſomnum, vel ſaltem crebriori vti neceſſe eſt.

Sed grauat animum inquies, ligat & inuiſcat abundans refectio, nam guſtata carne deſipit ſpiritus. Abundans dicis, non loquimur temperatam, quamuis abundans grauánſque pro morula ſumptionis haberi poſſet temperata, ſi ad conti- C nuationis tenorem inſpexeris. Fuerunt qui pro gratia contemplationis vel prophetiæ promerenda conati ſunt imitari, vel Heliam, vel Ioannem Baptiſtam, vel Danielem, vel aliquem de patribus Ægypti in abſtinentia & auſteritate, qui non prophetici, ſed phantaſtici facti, docuerunt exemplo quod non cuiuſlibet eſt volare cum perfectis, quibus gratiæ quædam plus à poſteris admirandæ quam aſſequendę conceſſæ ſunt. Quod ſi ad debilitationem corporis per ieiunia & ſomnia cre- D briora gemitu latiua ſuperaddatur, & labor animi ſpiritus vt diximus vitales & animales exhauriens, Quid niſi diſſolutio breuis, aut grauis ægritudo, vel phantaſiæ & cerebri conturbari læſio ſubſequetur? Nutriatur corpus ad auxilium, non obruatur vel craſſitudine vel macie, venter quoque eſuriens & ſæpe comedens (ſi Hieronymo creditur) præfertur biduanis ieiunijs.

Si quem ergo profeſſio regularis iam ligatum tenet & ſub auctoritate præceptoris indiſcreti, qui nec ſomno quantum ſatis eſt, nec cibo ſinit E indulgere. Ille incipiens ſecundum meum conſilium, temperabit à vehementi meditatione & contritione ſimul cum lachrymis ne pereat, pro ſapiente verò factus inſipiens, vtpotè læſus in iudicio rationis. Tali ſatis fuerit ſi conuentum ſequi poſſit, ſi aſinum corporis quem tueri habet, non penitus attriuerit. Nec me latet, quia de ſomno & cibis illud vni parum eſt quod ſuperabundaret in altero. Nequit idcirco doctrinalis traditio determinare quantitatem illam, ſed expe- F rientia propria & longa, vel diſcretio humilis, credens ſapientiorum conſilio, vel vnctio ſpiritualis edocebit. Plus itaque læderet (vt dicunt Medici & Theologi) indiſcretum ieiunium quam edulium intemperans, illud quidem ſanabile, aliud ſæpe ſine remedio, quanquam natura paucis contenta eſt, niſi blandiatur gula ſibi. Accipe quoddam in plantis exemplis ſimilitudinis. Sunt quas irrigatio & frequens & multa iuuat. Emarceſcerent hinc aliæ. Sunt quibus ad augmentum & fructum prodeſt plantari ſecus decurſus aquarum, aut etiam in limo paluſtri, petunt aliæ montes alios, lapidoſos & aridos, & perpetuis eis

viror decori ſit. Sunt quibus ab initio plantationis tantummodo miniſtranda eſt creberrima, ſed paulatiua & tenuis irroratio, vt adoleſcant, quibus poſtmodum rara ſufficiet. In alijs per omne tempus exigetur continua. Denique ſicut virtus ſuperior plus habet virtuoſitatis ex natura ſua, vel ex aſſuefactione bona, vel ex altera fortificatione deſuper veniente, tanto poteſt ipſa facilius regere vires inferiores & inſtrumentales, licet renitantur quodam ſuo pondere vel corruptione contraria. Sicut hæc eſt ſapientis vox: Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Et magis ſi crapula, ſi ebrietas, ſi curæ huius ſeculi coniunguntur. Quò fit vt ſpiritus hominis virtuoſi qui fortitudinem contraxerit ex Dei munere & longa exercitatione non ita diſtrahitur ſi corpus proprium fuerit aggrauatum vel cibis vel curis huius ſeculi, quemadmodum alterius ſpiritus minus exercitatus, cuius omnis ratio funditus euerteretur, aut nimium turbaretur, ſicut imperitus nauta ſe confundit ſi fluctuantibus procellis ſenſerit nauim nunc ad cœlum aſcendere, nunc deſcendere ad abyſſos: vbi peritus & exercitatus rector maneret intrepidus animóque conſtanti artem nauigationis exerceret. Propterea benè iubet Apoſtolus: Qui manducat, manducantem non ſpernat, & ita de reliquis, quæ ſicut malè, ita & benè pro varietate circunſtantiarum fieri contingit intellige.

Conſideratio vndecima, docet pijs meditationibus affectuum generatiuis ſilenter inſiſtere. Hacque oſtendit probabili ratione plus valere quam inſtantiam lectionis vel collegij. Inſuper dat modum meditandi comparatiuum præcipuè ex perturbationibus ſurgentem & plura alia bona ad hoc opus neceſſaria manifeſtat ſua induſtria.

INDVSTRIA II.

MEDITATIONIBVS pijs generatiuis affectuum ſilenter inſiſtere. Falluntur qui volunt ſemper vel legere, vel orare vocaliter, vel deuotionis verba à loquẽtibus accipere, ſi putant exinde contemplationis gratiam familiarem ſibi committere. Acceſſuro proſunt hæc, ſed non ſufficiunt. Eſto namque compungantur interim tales ad lectionem vel ſermonem, abſtuleris librum aut verbum, abibit ilico comes compunctio, non aliter quã cum libro aut verbo reuerſura. Quamobrem oportet cum ſilentio præſtolari ſalutare Dei, vt conſueſcat homo orare ſpiritu orare & mente, dum etiam vocis ſtrepitus aut libri deerit inuitus, ſit ipſa meditatio ſilens liber tuus, ſit prædicatio, alioquin videat ne ſemper diſcens nunquã ad ſapientiam perueniat. Opponent ſcio nonnulli querulantes ſe nec ſcire nec poſſe ſpiritum ſuum ad ſe colligere cum ſilentio & meditatione. Euolat inquiunt, continuò nunc huc, nunc illuc ſe diuidens. Effluit velociter niſi infra limites lectionis aut ſermocinationis arctatus teneatur. HOC planè eſt quod dicimus propterea ſecum eſſe, ſecum cum ſilentio continere ſpiritum, hoc opus hic labor eſt, ad hoc eniti totis affectuum neruis ſuademus. Sede ſolitarius leuans te (ſi potes) ſuper te, quod ſi diu multúmque conatus hæc facere nequiueris, noli propterea citò vel ad lectionis, vel A ad collocutionis ſolatium effugere, illo duntaxat recto.

At verò tædet te ſilẽtij & factus es tibi grauis, & propter hoc inutiliter quieſcere te iudicas, ſed expecta vincat hoc tædium mora pertinax, ne cõſuetudo protinus abrumpendi ſilentium, pabulum det faſtidio, non leuamen. Ceſſabit forſan ad tempus, ſed redibit acrius crede mihi, tanquam canis oſſe pingui foras pulſus. Et vnde proh dolor tanta raritas contemplantium etiam apud literatos Ec- B cleſiaſticos ac religioſos immo theologicos, niſi quia vix ſuſtinet aliquis ſecum ſolus eſſe, ſecum diu meditari. Itaque priuſquam vix inceperit animus in meditatione ſua, reperitur aut lectio vel colloquium, aut aliquod huiuſmodi exercitium, quod & ſufficiat ad non pacandum, & quodammodo laſſitudinem reficiat, ne animus fatigetur fruſtra, nequaquam vt putas fruſtratur animus, quia non obliuiſcetur tandem miſereri Deus, te perſeuexanter ſic petente, quærente & pulſante.

Dictum eſt de ſilentio, tranſeamus nunc ad me- C ditationes pias, videamus quales ſint ad affectus gignendos efficaciores. Et hoc poſſe me vniuerſaliter definire prorſus nego. Nam quot capita tot ſententiæ, dicit comicus, non minus tot meditationes, nec voto viuitur vno. Nihilominus ex tanto aceruo colligamus aliquas quæ ad affectum timoris parturiendi iuuant. Itaque verè diuinéque dictum eſt: Initium ſapientiæ timor domini ſtatim in deſperationem rueret, vt ſpem ſociemus neceſſe eſt. Sic Bernardum, ſuper Cantica, ſic Ri- D chardum de xij. Patriarchis, ſic Hugonem de virtute ordinandi, ſic cæteros penè omnes videmus inchoaſſe. Nimirum beneplacitum eſt Deo ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, cantantes ei miſericordiam & iudicium. Obijciet autem mox aliquis dictum eſſe ſuperius, quod amor eſt initium radixque affectionis cuiuſlibet alterius, ſi non præceſſerit igitur amor, timor & ſpes quomodo ſubintrabunt?

Sed alius eſt amor inhians imperfectúſque de Deo, qualem ſufficit fides de exiſtentia Dei gi- E gnere, & hic antecedit cæteros affectus, immo fidem quam prætèrea in certitudine ſua figit. De quo amore diſputauerunt aliqui quod ſine præcedenti vel concomitante cognitione ferri poteſt in bonum tanquam in obiectum primarium obijciens ſe animæ, ſicut in ordine hierarchico prior eſt, Seraphin quam Cherubin hoc in libro cuius initium eſt, viæ Sion lugent, continetur. Alius inuenitur amor feruens extaticus ac perfectus qui poteſt coniungere amantem cum amato. Cuius F adeptio non niſi præcedentibus multis affectionibus alijs venit, dum prius anima purificatos & ſanos habet intimos ſenſus ſuos. Hanc purificationem à febrili languore peccati inficientis, quid magis operatur quam ipſe timor domini qui expellit peccatum, qui configit carnales affectiones, qui nihil negligit, qui beatos lugentes conſolatos reddit, à quo concipitur ſpiritus ſalutis quas & alias efficacias ſcriptura ſibi tradit.

Et hic ſolet timor magiſtraliter diuidi in timorem initialem, mercenarium & filialem. Initialis pœnã incurrere, mercenarius perdere præmium, filialis

Digitized by Google

filialis ſeparationem tantum à dilecto refugit. Vis audire meditationem in timorę? Meditabor (inquit ille rex) vt columba. Meditationem columbæ qualem æſtimas niſi planctum vel gemitum, quem ipſe timor inducit? Hinc forte rex alius, quis dabit mihi inquit, pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Pedibus timor addit alas, inquit alius. Fabricemus igitur ſub typo columbæ meditationes ad timorem & ſpem comites idoneas, & dicamus columbam hanc myſticam animam eſſe. Ita enim ipſam nominare dignatur Deus in canticis. Hæc binis alis, dextra ſpei, & ſiniſtra timoris volat ſurſum, & cauda diſcretionis dirigitur. Pennas deargentatas argento ſacri eloquij fert ala quælibet ad ſui conſtitutionem numero decem vt poſſit meditari, has ad timorem, illas ad ſpem habilitans. Integratur penna quælibet ex tot pennullis circumpoſitis, quot ſub vnaquaque ſumi poſſunt particulares meditationes. Vtraque demum ala velut equo libtamine ſuſtentat hanc columbam, vt nec ala timoris nimis deprimat per deſperationem, nec ala ſpei ſurſum ſe plus attollat per præſumptionē. Ponantur hic ergo modo pennæ pro ala ſiniſtra timoris cum pennulis aliquibus ſecundum omnes poſitionis differentias.

Prima penna eſt diuina ſeueritas, huius tot pennulæ quot diuinæ ſeueritatis exempla, vt caſus angelorum, Adæ & hominum in diluuio interitus, Sodomorum & Gomorræorum calamitas, ſerui ingrati Iudæ, deinde crux Chriſti, iudicium ſæculi vbi pauci electi. Secunda damnationis perperuitas, pennulæ tot quot ſpecies variæ tormentórum. Ignis ſcilicet inextinguibilis, vermes, fœtores, horrores, clamores vlulatus & fletus, dentium ſtridores & frigores, tortorum multitudo, peſſima ſocietas, omnia incomprehenſibilia & indefeſſa. Super omnia timenda ablatio omnis ſpei & carentia diuinæ viſionis pœnaliſſima. Tertia, peccatorum enormitas, pennulæ tot quot peccata cōmiſſa cum circunſtantijs aggrauātibus ea. Quarta, propria fragilitas pennulæ tot quot pericula ſunt caſuum futurorum vſque ad mortem. Quinta, ſeducens proſperitas, pennulæ tot quot occaſiones peccatorum in proſperis per ſuperbiam atque luxuriam. Sexta, frangens aduerſitas pennulæ tot quot occaſiones impatientiæ turbationis & vindictæ. Septima, familiaris hoſtilitas, pennulæ tot quot ex carne ſurgunt illecebroſa tentamenta. Octaua, dæmonis peruerſitas pennulæ tot quot dæmoniorum fraudes & laquei. Nona, ad viuos iniquitas, pennulæ tot quot ingratitudines & ſcandala contra proximos & maximè domeſticos & benefactores & ſubditos oriuntur. Decima, ad mortuos crudelitas, pennulę tot quot per negligentiam ſuffragiorum manent in tormentis vel à gloria retardentur.

Subditur, ala ſpei dextra proportionabiliter ad timoris pennas & pennulas. Prima penna, diuina miſericordia, tot pennulæ quot diuinæ miſericordiæ monumenta, vt gloria angelorum, ſaluatio Adæ, Noe, Loth, Dauid, Petri, Pauli, latronis, Magdalenæ, Chananææ, filij prodigi, adulteræ, ſaluans Chriſtus electorum inſuper cuſtodia per angelos ſanctos. Secunda incomprehenſibilis gloria, tot pennulæ quot dotes animæ & corporis. Tertia, pœnitentię gratia, tot pennulæ quot pœnitētiæ actus procedētes pro peccatis. Quarta, ſuſtentatio Dei continua, tot pennulæ quot auxilia Dei per virtutes, dona, per beatitudines, per euchariſtiæ ſacramentum ad hoc efficaciſſimum, per pœnitentiam, & ſimilia. Quinta, confortans lætitia, tot pennulæ quot ex proſperitate humiliter ſuſcepta ſumuntur occaſiones benefaciendi.

Sexta, erudiens triſtitia, tot pennulæ quot beneficia præſtat aduerſitas fortiter tolerata. Septima, voluntas libera, tot pennulæ quot modis poteſt ipſa voluntas carnem ſubijcere. Octaua, angelorum ſanctorumque beneuolentia, tot pennulæ quot modis iuuant nos ſancti ſanctæq; omnes. Nona, viuorū auxilia, tot pennulæ quot modis iuuamus viuos, & iuuamur ab eis. Decima, mortuorū ſuffragia, tot pennulæ quot modis iuuamus mortuos, & iuuamur ab eis. Exemplar hoc inſecuti ſtudioſi poterunt abundanter exerceri, quotidie in meditationibus ſecundum deductionem prolixiorem habitam ſparſim per totam ſcripturæ ſanctæ corpus. Poterunt inſuper proportionabiles alas fabricare pro alijs affectibus, vt pro charitate Dei & proximi, ponendo meditationes ad hoc ipſum inducentes. Pro odio peccati numerādo cauſas per reſpectum ad Deum & proximum cur odio debeamus habere peccatum, ſuper quibus omnibus abundat ſumma illa de virtutibus & vitijs, quæ eſt vtiliter prorſus compoſita. Et ſanè meditationes pro timore ſatis inducunt ad odium peccati, ſic aliæ ad Dei proximique iuuant charitatem. Aſſume tibi pennas iſtas diluculo, hoc eſt vigilanter, mox vt ſenſeris auroram diuinæ illuſtrationis irradiare ſuper terram animę tuæ, habita tunc in extremis maris tanquam in littore quodam ſtabili fluctuantium cogitationum & æſtuantium deſideriorum, etenim illuc deducet te mirabiliter, non induſtria tua, ſed manus Domini, & tenebit te dextera ſua. Et dices, forſitan tenebræ conculcabūt me quoad caligino ſam aliquam inferiorum omnium obliuionem, & nox iſta in infimis illuminatio mea in delitijs intelligentiæ ſuperuenientis. Caueto proinde ne pennas iſtas vel infidelitas euellat, vt deſperatio frangat, vel inertia conglutinet, vel auaritia circum liget, vel vret luxuria, vel gula prægrauet.

Conſideratio duodecima docet ſpiritum auertere à phantaſmatibus, quod varijs modis poſſe fieri oſtendit metaphyſice, inſuper remittit ad maiores quos exempli gratia introducit in littera.

INDVSTRIA. 12.

SPiritum à phantaſmatibus auertere. Oportet nos hic eorum meminiſſe quæ de quidditate myſticæ theologiæ tractauimus. Poſuimus itaque myſticam theologiam eſſe amorem extaticum qui conſequitur ad intelligentiam puram ipſius ſpiritus quæ intelligentia caret vtique nubibus phantaſmatum, propterea neceſſe eſt eum qui vult myſticæ theologiæ ſe tradere conari ad hanc intelligentiam puram. Alioquin amorem inde ſequentem qua ratione compararet.

Rurſus ſi apud exercitatos metaphyſicos habendus hic ſermo eſſet, proficeret meditari quo modo totus iſte mundus ſenſibilis ad animam

rationalem per ſenſus corporis ingreditur, vt circulo quodam intelligibili ac pulcherrimo ipſe mūdus deriuatus à Deo reducatur in eum. Vnde res ab ipſo egredientes quanto imperfectiores diſtantioréſque profluunt, tanto amplius materiales & quadam craſſitudine corpulentiores inueniuntur, perſpicuum eſt in elementis & mixtis. Videmus etiam in lumine ſolari quod continuè plus groſſeſcit (vt ſic loquamur) dum dēſiori medio ſeſe miſcet, dumq; coloribus quodammodo ſemetipſum incorporat. Fit autem in recurſu ad Deum conuerſa conditio, abeunt quippe magis ac magis in ſpiritualitatem, exempli gratia lumen cum colorum ſpeciebus fertur ad oculos, illic ſpecies ipſæ aggregantur & deferuntur ad ſenſum communem, illéque eas dijudicans purius ac ſpiritualius, eaſdem ad virtutem imaginatiuam deducit. Cæterum cum ratio negotiatur circa phantaſmata, elicit ſpecies intelligibiles quibus iam concipit rem ſine illo quod præfuit phantaſmate. Poſtremò potentia intellectiua ſuperior quam ſpiritum vel mentem nominamus, poſt cognitionem rationis deducit rem eandem ad lumen puræ ſimpliciſque intelligentiæ, ſecundum quod ordinem habet immediatum ad angelicam cognitionem.

Amplius verò ſi diuinum Dionyſium edoctum à conſcio ſecretorum cœleſtium paulò placet inſpicere, vbi de myſtica theologia diſſeruit cum expoſitoribus ſuis, inuenimus eum tradere modum auertendi ſe à phantaſmatibus corporeis, & abnegatis omnibus quæ vel ſentiri vel imaginari vel intelligi poſſunt, ferat ſe ſpiritus per amorem in diuinam caliginem, vbi ineffabiliter ac ſupermentaliter cognoſcitur Deus. Dat exemplum de ſtatuifico ſculptore qui ex ligno vel lapide partes abradens format agalma pulcherrimum, hoc eſt ſimulachrum, & hoc quidem per ablationem ſolam. Conformiter ſpiritus remouens omnia per abnegationem qualis poteſt hic cognoſcere, quam vtique ſuam gerunt ſecum imperfectionē vel potentialitatis, vel dependentiæ, vel priuationis, vel mutabilitatis, inuenit laudem his omnibus ablatis agalma Dei, hoc eſt notitiam tanquam rei actualiſſimæ ſine potentialitate, ſupremæ ſine dependentia, puræ ſine priuatione, neceſſariæ ſine mutabilitate.

At verò ſi notitia illa ſit ſolum experimentalis in affectu ſupremo vnito Deo per amorem, vel ſi poſſit dici intellectualis, non quidem intuitiua ſed abſtractiua ſeu veſpertina cognitione: nec connotatiua cognitione ſed abſoluta, digniſſimū eſſet conſideratione & inquiſitione. Nam habet pars quælibet ſuos defenſores eleuatiſſimos. Sunt nempe qui exponentes Dionyſium primum tenent. Sunt alij dicentes haberi poſſe vltra prædictam experimentalem vel experimentatiuam notitiam intellectiuum conceptum proprium & abſolutum, quamuis non intuitiuum diuini eſſe, ſi ab eſſe remoueatur & abſtrahatur omnis imperfectio. Idem de vita, idem de bonitate, idem de ſapientia, idem de potentia, & conſimilibus perfectionalibus prædicatis. Vnde ſicut facta abſtractione à cōceptu vago huius hominis viſi de ſitu, motu & figura & cæteris accidētalium conditionum inuolucris reſultat agalma. i. hominis imago ſecundum Græcum, hoc eſt conceptus ſpecificus

A & abſolutus hominis, ſic de eſſe iudicant, dum fit abſtractio huius quod eſt eſſe à potentialitate, priuatione, dependētia & alia quauis imperfectione, reſultat tunc conceptus Dei proprius & abſolutus. Addunt argumentum, quia Deus hoc eſſe ſibi nomen proprium reſpondit Moyſi dicens. Dices inquit, qui eſt miſit me ad vos. Affirmāt iſti ſimile de conceptu bonitatis, ſicut in lege noua reſpondit Chriſtus, ſolus Deus bonus eſt, flecti videntur in hanc ſententiam Auguſtini pluries nominatim in ſuo. 8. de Trinitate, vbi in bonum abſolutum

B docet ferri, & ſequax eius. Bonauentura in ſuo itinerario ſexto. Sed ecce neſcio quo pacto dum practicam dare profeſſus ſum myſticam theologiam relabor rurſus ad ſpeculatiuam, ſed non ſuperuacuè. Eſt quippe tibi neceſſarium ô anima quæ in Deum ferre quæris te per anagogicos exceſſus vt aduertere diſcas te per innatā vim abſtractiuam à phantaſmatibus, ſicut abſtractiua virtus inferior in brutis ex ſpeciebus ſenſatis elicit inſēſatas. Sciueris quoque imperfectiones ſecernere

C à perfectionibus, vt tandem purè aliquid perfectum tibi reſplendeat in eſſentia & bonitate. Loquamur tamē pro minus eruditis in metaphyſica & theologia, & dicamus ſi poſſumus, quo pacto quoque obſeruationis ſtudio poterit ſe ſpiritus à phantaſmatibus auertere dum anagogicos aut ſupermentales quærit exceſſus. Et fortaſſis hoc poterit fieri ſi in omni cognitione & meditatione ſua de Deo nequaquam ſiſtat homo in cognitione, ſed aſpiret per vim affectiuam quaſi cordis ore

D inhiante in ſuam potentiam, & in ſuam ſapientiā, in ſuam bonitatem ſaporandam & guſtandam tanquam eius qui totus eſt terribilis in conſilijs ſuper filios hominum per maieſtatem potentiæ dominantis iudicantiſque, totus magnus & mirabilis in ſapientia, cuius non eſt numerus, totus denique ſuauis, totus deſiderabilis, totus amabilis valde in bonitate & torrente voluptatis ſuæ. Occurret tibi ſic nitenti, ſic intento plurima turba phantaſmatum, credo equidem irruāt importunè phantaſmata, & irrumpent in vtroſque oculos

E tuos interiores. Tu verò fortiter abijce ſeorſum ea quantum potes manu meditationis, & velut excuſſo capite ſpiritus liber euadere labora, aut tu quaſi diſſimulatis eis ſpretiſve perge quo pergis, & per medium agmen illud improbum alacer erumpe. Sitis te ſpiritualis æſtimulet, vt quemadmodum deſiderat ceruus vndique canum morſibus patens & ſupercaleſcens ad gelidos tutoſque fontes aquarum, ſic tu labora contra impedientia phantaſmata vt poſſis & tu dicere rore

F ſancti ſpiritus calefactus. Deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.

Scito autem quod niſi te prius expurgauerit timoris lima per integerrimam & non fictam pœnitentiam, niſi mens inſuper elimata peccati ſorcia clara refulſerit per reformationem in nouitate ſpiritus ſecundum duos actus hierarchicos primos, qui ſunt purgare & illuminare vanum prorſus erit tibi ante lucē ſurgere ad hoc perfectionis culmen. Surgite proinde poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris, in timore ſcilicet

ſine

ſine quo iuſtificari nemo poteſt ante Deum, improbè audes irrumpere in oſculum oris, ſi nec pedibus cum lachrymis, nec manibus cum gratiarũ actione prius illud clarè curaueris. At verò dum eouſque peruenerit bene conſcia mens & mũda, vt nec gaudia, neque aliud omnino vel ſeruile vel mercenarium anxia recogitet, neque præterea de Deo quicquam negotio, durum, aſperum vel turbulentum penſet, ſicut de iudice retributore vel inflictore vindictæ. Sed hoc vnicum venerit in mentem, quia totus deſiderabilis eſt, ſuauis & mitis totus amari etiam ſi occiderit digniſſimus, dum ſolum ita placuit amoris negotiũ, inuola tunc ad amplexus ſponſi, ſtringe pectus illud diuinum totis amicitiæ puriſſimæ brachijs, fige oſcula caſtiſſima pacis exuperantis omnem ſenſum, & vt dicere ſubinde poſſis gratulabunda & amoroſa deuotione, dilectus meus mihi, & ego illi &c.

Finis.

TRACTATVS VENERABILIS MAGISTRI IOANNIS GERSON DE *elucidatione ſcholaſtica myſticæ theologiæ ſub duodecim conſiderationibus traditus.*

VOBIS datum eſt noſſe myſterium regni cœlorum, dicebat Ieſus diſcipulis ſuis. Propter quod & in alio loco exultauit in ſpiritu dicens: Cõfiteor tibi pater rex cœli & terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Hæc myſtica sũt quæ loquebatur apoſtolus perfectis & in quibus excedebat Deo, qualia tradidit ex reuelatione ſua diuinus Dionyſius in de myſtica theologia & de diuinis nominibus præſertim cap. 7. vocans hanc ſapientiam irrationalem ſtultam & amentem. Quia ſuper ſapientia dudum opuſcula duo ſcripſimus. Scripſerunt alij nominatim Hugo de Balma in tractatu de triplici via in Deum, vbi determinat finaliter & ex intentione quod apex mentis fertur in Deum per amorem extaticum abſq; præuia vel concomitante cognitione. Et hoc eſt myſticum & abſconditum quod nemo ſapientiũ ſeculi capit. Conſentire videtur dominus Bonauentura in itinerario ca. 7. & vlti. Alioquin præterea non videtur poſſibilis vltima induſtria quã notauimus ibidem, Spiritum à phantaſmatibus auertere, quia cum neceſſe ſit ſecundum philoſophum omnem intelligentem ſeu intellectum ali operatione vtentem phantaſmata ſpeculari, oportet ſi non ſpeculentur quod anima aliter feratur in Deum quam per intelligentiam vt videtur. Præſupponentes igitur omnia quæ diuinus Dionyſius cum ſuis expoſitoribus ſuper hac theologia tradiderunt & experti ſunt, poſſumus ad intelligentiam dicti Hugonis de balma conſiderare tres modos quibus videtur poſſe fieri quod amor abſque cognitione, vnus eſt de amore purè naturali, ſecundus de amore purè ſupernaturali, tertius eſt de amore habituali vel potius ex habitibus elicito, libero & actuali.

Eſt inſuper triplex actualis cognitio quantum ſufficit ad præſens, quædam recta, quædam reflexa, & vtraque poteſt eſſe vel ſimplex vel cõplexa ſpecialis vel confuſa. Quocirca notetur ad elucidationem præmiſſorum numerus duodenarius conſiderationum.

Conſideratio prima.

Stat amorem naturalem cauſari ſine præuia cognitione in re quæ diligit, amat vel appetit. Patet in hoc quod in omni re ſecundum Dionyſium inuenitur amor naturalis. Vnde Boëtius: O felix hominum genus ſi veſtros animos amor quo cœlum regitur regitur. Non eſt autem in cœlo materiali ſicut nec in rebus alijs anima carentibus cognitio, quamuis pondere ſui amoris impreſſo ab intelligentia præuia non errante feruntur quò feruntur, multo verius & certius quam ſagitta moueatur ad ſignum ex impetu per iacentem impreſſo.

Conſideratio ſecunda.

Stat hominem per amorem naturalem non liberum ferri in Deum non ex actuali cognitione quæ talem in ipſo cauſet amorem. Sequitur ex præſenti, non enim minus eſt amor naturalis in anima rationali, quam in rebus cæteris anima carentibus, immo non ſtat hominem eſſe ſine pondere naturalis huius amoris quò fertur in Deum etiam ſi damnetur in inferno. Conſurgit exinde vermis ille ſæuiſſimus, quem conſcientiæ remorſum appellamus, vnde verificatur propheta: Non eſt pax impijs, dicit Dominus, & illud de dãnatis: Vermis eorum non morietur. Denique cum peccato nequit propter hoc eſſe ſalus perfecta vel æterna. Hic amor eſt aduerſarius noſter ſecundum legem carnis corruptæ, cui per dilectionem liberam conſentire nos conuenit dum ſumus in via, ſi nolumus tradi tortoribus in gehenna.

Conſideratio tertia.

Stare non poteſt quod amor etiam naturalis fiat aut maneat abſque omni cognitione coniuncta vel ſeparata. De ſeparata quidem hoc certum eſt quod concurrit ad quemlibet amorem dum producitur & ſeruatur primum cognoſcens quod eſt Deus. Cæterum potentia quælibet cognoſcitiua rationalis non minus poteſt exui à ſua cognitione naturali quam à ſuo amore. Propterea manent ſemper & iunguntur in eadem natura cognoſcente amor & cognitio naturalis.

Vtrum autem poſſe eſſet potentia cognoſcitiua quæ non eſſet quomodolibet appetitiua? puto quod non, quia nulla res poteſt eſſe quæ non appetat bonum, eſt enim bonum quod omnia appetunt: Vellent aliqui fortaſſis è conuerſo ſimiliter dicere, quod non eſt appetitus ſine cognitione qualicunque, licet imperfecta valde, quæ eſt tanquam aliqua naturalis impreſſio conſequens ad primam cauſam efficientem, exemplantem & finientem.

Sed iſte modus non recipitur communiter, ſicut nec ponitur in rebus nõ cognitiuis delectatio, de qua magis videretur, quamquam ab aliquibus philoſophantium vtrumque poſitum videatur, conformiter ad vſum communem, quo dicimus pratum ridere vel gaudere dum floret & floreſcit & vernat. Beatus eſt qui liberum amorem ſuum cõformat iſti naturali, quia ſi duo conſentiunt fiet ipſis à patre quicquid petierint. Quippe non petent niſi Deum vel conforme Deo ſimul & naturæ primitus inſtitutæ.

Conſideratio quarta.

Digitized by Google

Stat hominem ferri in Deum per amorem liberum ſupernaturaliter infuſum vel cõſeruatum, nulla in ipſo cognitione libera comitãte, vel præuia reſpectu illius amoris. Conſtat enim quod amorem liberè elicitum ab homine poſſet Deus conſeruare deſtructo omnis cognitionis actu, quo poſito diligeret homo Deum tunc intellectualiter non cognitum ſaltem cognitione quæ ſit actus ſecundus elicitus, quod dicitur propter immediatè notata de cognitione purè naturali quæ eſt primus actus eſſentialis animæ, immo nõ eſt niſi anima, propter quod ab ipſa ſeparari non poteſt ipſa ſtante ac perinde nominatur endelechia. Similiter diceretur ſi Deus per ſe immediatè cauſaret actum amoris liberum in voluntate non concurrente intellectu vt intellectus eſt, iuxta poſitionem quorundam dicentium quod actus beatificos in patria producit ſolus Deus.

Conſideratio quinta.

Stat veritas eorum quæ traduntur de theologia myſtica quod conſiſtat in amore ſolo, & quod amor ille ſupernaturaliter inſpiretur illis qui concupiſcunt ſapientiam. Spectat hoc ad potentiam Dei, prout ex præcedẽti conſtat. Spectat & ad ipſius ſapientiam atq; bonitatem, vt aperiẽtibus os mentis inſpiret ſpiritum amoris, neq; neget mundis corde oſculum poſtulatum, ſed præueniat etiã in benedictionibus dulcedinis deſiderium pauperum, qui cum Daniele ſunt viri deſideriorum. Satiet inſuper paruulos ſuos æterna ſapientia ab vberibus conſolationis ſuæ, tanquam pia mater, cuius vbera non ſurgit qui non veraciter abſque fictione ſi conſtituerit vt paruulum ſub ea, iuxta ſententiam Chriſti, qui ſimul eſt ſponſus & ſpõſa pater & mater, amicus & amica, quoniam amor ſpiritualis ſexum neſcit. Poteſt denique tota ferè ſcriptura deduci ad hunc ſenſum. At verò nihil ad philoſophantes ſuper hoc aſſiduo pro deuotis miraculo. Propterea dicitur hęc ſapientia myſtica appropriatè chriſtianorum eſſe tam à Dionyſio quam à cæteris. Et ita controuerſia vel dubietas omnis ceſſat in hac parte quoniã ſtat apicem mẽtis in Deum ferri ſine cognitione actuali præuia vel concomitante, ſic accipiendo quod cognitio non cauſat amorẽ illum ſuperinfuſum nec oportet vt comitetur ipſum diſtinguendo cognitionem apprehenſiuam vel declaratiuam ab experimentatiua affectuali.

Conſideratio ſexta.

Stat vt amorẽ ſuperinfuſum comitetur actualis cognitio qua percipitur intelligibiliter amor ille, hoc eſt qua iudicat anima ſe amare & in Deo delectari, immo & ignotè ignotis per amorem iũgi. Pro cuius intelligentia memoretur illud de canticis. Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Vbi colligitur quod duo ſunt oculi animæ rationalis, vnus ſpectans ad cognitiuam potentiam, alter ad affectiuam. Ille ſecundus propriè dicitur oculus amoris vel oculus ſponſæ. De quo in eiſdem canticis: Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum. Contingit autem quod dum anima fertur in dilectũ per oculum amoris, ſi tentet intelligere quid ſit illud quod diligit, euolat dilectio ac perinde dicitur euolare dilectus. Nihilominus eſt aliter poſſibile quod & dilectio maneat & cognitio ſimul talis dilectionis ad tempus perſiſtat. Aliter enim non potuiſſet tradi vel
A ſcribi qualiſcunque notitia de theologia myſtica, vt quod illa eſt coniunctio amoroſa dilecti cum dilecto, quod exuperat omnem sẽſum quod vulnerat quod coniungit ignotis ignotè, tanquam in diuina caligine, cum ſimilibus multis.

Conſideratio ſeptima.

Stat quod amor huiuſmodi ſuperinfuſus maneat abſq; charitate, ſicut prophetia, ſicut fides & ſpes & alia chariſmata. Propterea talis amor non eſt ſignum infallibile gratiæ gratum facientis. Conſonat his communis ſchola doctorum quod nemo
B ſcit ſe charitatem habere, iuxta illud. Nemo ſcit an amore an odio dignus ſit, quamuis iſtud intelligi videatur de amore prædeſtinationis & odio reprobationis. Valet hæc conſideratio pro laude charitatis, & vt qui gloriatur per myſteriorum cognitionem in Domino glorietur. Si nouero (inquit apoſtolus) myſteria omnia, inter quæ eſt planè myſtica theologia, nihil ſum. Veritas eſt quod ſicut de donis & beatitudinibus loquitur, ſic de ſapientia myſtica. Loquuntur de ea aliquando
C doctores, nominatim Hugo de balma prout includit charitatem. Propterea dicit quod hæc ſapientia excellentius donum eſt quam ſola gratia gratum reddens. Nimirum quia & gratia eſt gratificans, & ſapientia ſaporifera & delectans.

Conſideratio octaua.

Stat dilectionem, liberam & elicitam naturaliter poni in apice mentis, quæ dicitur ab aliquibus ſynderiſis abſque hoc quod mens ſe actualiter iudicet aliquid diligere quamuis iſta dilectio cognitionem ſequatur & concomitetur. Concederent
D iſtam philoſophi naturales ac perinde multa ſaluarent abſque miraculo ſuper his quæ de myſtica theologia traduntur à catholicis. Studuimus in duobus opuſculis de myſtica theologia pridem compoſitis per multas conſiderationes & induſtrias iſta determinare velut ad communem intelligentiam & philoſophiam deducentes hanc ſapientiam, non quod ſecludere vellemus diuinos & ſupernaturales influxus, abſit hęc Pelagiana temeritas, ſed conſonè loqui voluimus philoſophis
E & ſcholaſticis theologis talia quæ non abhorrerent à ſuis traditionibus & ſcholis; & ſi effectum eſt qualicunque ex parte iudicium ſit legentium, & gloria Deo, ſi verò nequaquã, ignoſce tu Deus & tui. Deniq; tota ratio conſiderationis pręſentis conſiſtit in hoc quod dicit philoſophus de vehementer habituatis quod in ſuis actionibus non deliberant aut ſaltem ita ſe habent quod ſe deliberare non iudicant. Ait enim ars perfecta modo naturæ ſicut oſtendũt omnes artifices, & mecha-
F nici circa exteriora laborãtes textores, cythariſtæ, ſcriptores &c. Quanto amplius hoc inueniri poteſt in actionibus immanentibus vel intrinſecis. Nam & ſæpe multa cogitamus, multa diligimus ſub omni facilitate quæ nec cogitare nec diligere iudicamus. Præcedit nihilominus & comitatur naturaliter in omni dilectione præſertim elicitã & meritoria, cognitio dilectionem, & ſi non cognitio reflexa tamen recta. Hæc eſt traditio omnium tam philoſophorum quã theologorum & moraliũ cũ experiẽtia dicentiũ per vocẽ Auguſtini: Inuiſa diligere poſſumus incognita nequaquã.

Conſideratio nona.

Stat

Digitized by Google

Stat ſimplices idiotas per fidem,ſpem & charitatem citius & ſublimius peruenire ad Theologiam myſticam, quam eruditos in Theologia ſcholaſtica & diſcurſiua. Sunt ad hoc multæ rationes, quarum aliquas notat ſanctus Thomas inquirens cur ſimplices ſunt aliquando deuotiores quam literati. Ita fides talium minus eſt inquieta per phantaſias contrariarum opinionum, quas nec audiunt nec cogitant. Sunt inſuper humiliores quibus gratiam dat Deus, qui cum ſimplicibus graditur, omnium verò ſuperborum & ſublimium colla propria virtute calcauit. Præterea ſimplices habent aliquando curam de ſalute ſua maiorem in timore & tremore.

Qualiter autem ſit iſtis ſimplicibus, immo & pueris ambulandum pro myſtica ſapientia tetigimus in opuſculo quodam de ſimplificatione cordis via ſecunda. Dicebat vnus. Ego per 40. annos & amplius verſaui & reuerſaui multa ſtudendo, legendo, orando, meditando in otio temporis multo, & nihil inueni cõpendioſius, efficaciusve ad conſecutionem theologiæ myſticæ quam vt fiat ſpiritus & anima ſub Deo tanquam paruulus & paruula, iuxta metaphoram antedictam, vbi mendicitas ſpiritualis locum habet præcipuum cum fide ſimplici, quod Deus puer natus eſt nobis & paruulus datus eſt nobis.

Conſideratio decima.

Stat concordia theologorum, & de theologia myſtica loquentium, præmiſſis conſiderationibus ſicut arbitramur attentis. Cum philoſophis autem de carentibus nequit eſſe cõuentio in hac parte. Ratio, quia nolunt credere vt intelligant incedentes craſſa ceruice, & erecto collo, nolentes captiuare omnem intellectum, neque voluntatem in obſequium Chriſti. Quamobrem veriſſimè enunciatum eſt quod hæc eſt propriè propria ſapientia Chriſtianorum tanquam fons ſignatus, cui non communicat alienus, quoniam carnalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Stultus eſt enim illi dum ſit ei Chriſtus petra ſcandali & ſignum cui contradicitur dum non intrat per oſtium vt paſcua inueniat, maximè quia non vult manducare panem de cœlo verum, nec bibere vinum germinans virgines. Per cuius tamen ſacræ communionis frequentationem ſuper omnia fit homo deuotus & habilis ad theologiam myſticam, ſi vitam & mores huic ſalutifero ſacramento conformare non omittat, prout alibi ſub conſideratione multiplici notatum eſt.

Conſideratio vndecima.

Stare nequit vt theologia myſtica ſit in hominis mente ſine qualicunque Dei cognitione. Fuerunt qui dicerent nihil nos cognoſcere de Deo niſi per abnegationem. Contra quos eſt cum ratione & auctoritate articulus Pariſijs condemnatus. Sed aliunde deducitur conſideratio præſens, notando quod omnis apprehenſio vel motio intellectualis, ſiue de Deo vel de alijs dici poteſt cognitio, immo & viſio per illum loquẽdi modũ quo vtimur de ſenſibus exterioribus, vbi omnis ſenſatio viſio nominatur, vt dicimus, vide qualiter hoc ſapit, hoc olet, ſonat, ſuaue eſt, lædit. Sed materia de his ſenſibus in intellectu proportionabiliter exiſtentibus latior quam vt diſſeratur pro præſenti. Sic enim vocant Ariſtoteles & Baſilius

A intellectum ſenſum. Sic communis vſus dicit de bene iudicante, iſte bene ſentit, iſte clarè videt in materia. Sic Gregor. in homil. Amor inquit ipſe cognitio eſt. Et verè ſic eſt ſecundum tactum, guſtum & olfactum ſpirituales, immo tantũ potior, perceptibilior & purior eſt cognitio; quanto intimior circa Deũ qualiter ipſum tangunt, guſtant & olfaciunt myſticè theologizantes, non auditores tantum ſed inſpectores, ſed factores. Ponatur exẽplum paruuli ſuper matrẽ ſuam dum ſurgit & amplexatur eam, qui plerumq; nihil videt, nihil

B audit, aut ſaltem non iudicat ſe videre vel audire quicquã, totus in lactatione (vnde delectatio dicta eſt) occupatus. Tunc nihil cognoſcit ſub quacumq; ratione reflexa etiam quod lac ſit dulce vel bonum, vel ens vel non ens, ſed tantummodò lactandum ſe vberibus imprimit. Et fit mulcebris quædam operatio experimentatiua non reflexa nec declaratiua nec enunciatiua. Felix puer ille etiam ſi centum ſit annorum ſub ſapientia matre ſua, qualis erat magnificus rex ille Dauid paruulus in oculis ſuis & virilior cæteris ante Deum. Fun-

C demus ſuper hanc ſimilitudinem ſenſuum ſpiritualium ad corporales ſimilitudinem aliam pro theologiæ myſticæ cognitione conuenientem. Cõſtituamus duos homines coram oculis noſtræ conſiderationis, quorum vnus ſit acutiſſimus in duplici ſenſu viſus & auditus, ſed habeat hebetatos penitus & obtuſos tres alios ſenſus, qui ſunt olfactus, guſtus & tactus. Conſtituatur alter qui cæcus ſit & ſurdus, ſed habeat expeditos alios & viuaces, olfactum, guſtum & tactũ. Conſtat quod

D iſte ſecundus poterit maiores experiri delectationes ſenſuales quam primus. Coniecturemus ex iſta ſimilitudine quod philoſophi vel theologi, literati vigent in viſu & auditu ſpiritualibus, ſed euenit multis quod tribus alijs careant ſenſibus vel impeditos vel obtuſos prorſus habent. Prouenit è contra de ſimplicibus illiteratis quod velut cæci & ſurdi ſunt ad philoſophiæ ſcholaſticæ perceptionem, qui cæteris ſenſibus vigent in ſpiritualium olfactu, guſtu & tactu. Nullus ergo mirabitur iſta conſiderans ſi ſimplices, ſi literati cæci

E & ſurdi, niſi quãtum fides inſonat oblectantur in Deo quem deſiderando & amãdo olfaciunt, guſtant & amplexando tangunt. Habentes per vitæ puritatem & ſimplicitatem ſenſus iſtos purgatos atq; reformatos, dum in alijs malè viuentibus penitus ſtupidi ſunt, nec percipiunt ea quæ de diuinis ſuauiter redolent, ſapiunt & mulcent, quãuis videant & audiant. Exemplum ſimile de canibus venaticis reſpectu nõ venaticorum poſſet induci. Reducuntur inſuper iſti quinque ſenſus ad duos

F oculos qui ſunt intellectus & voluntas cogitationis ſcilicet & amoris. Viſus enim auditus per appropriationem magis ſpectant ad intelligentiam, cæteri tres ad affectum vel amorem.

Conſideratio duodecima.

Stant ſimul affectualis cognitio theoligiæ myſticæ, & alter modus contemplationis, qui dicitur purè & ſiquidẽ veritatis diuinæ. Sunt diuerſi tractatores de vtraq; cõtẽplatione & variè quælibet figuratur. Affectualis in Maria ſedente & in ſpõſa quæ delitijs affluit innixa taliter ſuper dilectum ſuum. Intellectualis verò in Iſrael & Rachel & in ſponſa aſcendente ſicut aurora, luna & ſol.

Digitized by Google

Sed oportet quod intelligentia feratur in Deum ſine hic & nunc, hoc eſt ſine continuo & temporeita ſine commixtione phantaſmatum. Hoc verò tantæ difficultatis eſſe dicit Auguſtinus conſonans Platoni & ſequacibus quod non niſi in raptu quodam more coruſcationis poſſit ſyncera veritatis hæc cognoſci, etiam à paucis & rarò. Quemadmodum non ita ſenſerunt de Theologia myſtica affectuali, qui eam aſſequibilem tradunt.

Poſſibilitatem denique conſiderationis huius ſuadent ea quæ Paulo facta ſunt & in beatis complebuntur. Sed amplior proſecutio non eſt opuſculo præſenti neceſſaria, nec ſuæ poſſibilis breuitati.

Denique diſtribuit vnicuique Deus myſteria ſua prout vult, qui hodierna ſolemnitate aſcendens in altum dedit bona hominibus. In cuius commemoratione ſolemnitatis hæc ſcripta ſunt Lugduni elucidationem ſcholaſticam myſticæ theologiæ conſiſtentis in amore per Ioannem de Gerſon cancellarium Pariſienſem. Anno 1424. prima Iunij.

Conſcius eſt animus meus, experientia teſtis,
Myſtica quæ retuli dogmata vera ſcio.
Non tamen idcirco ſcio me fore glorificandum,
Spes mea crux Chriſti, Gratia non opera.

CARMEN DE PVRIFICATIONE ſenſuum interiorum.

Gaudia quæris
Senſibus hærens,
Carnis amore
Nares odora
Lingua ſapora,
Quinque dati ſunt
Quos hebetauit
Corporis humor
Fœdus, & ater.
Vis reparetur
Influa tanta eſt,
Si tamen adſit
Taliter acto
Carneus actus,
Cor tibi fruſtra
Infatuatis
Tactus & auris,
Vis oculorum.
Hi tibi ſenſus
Spirituales
Morbidus intro
Horridus aſper
Spurcus amarus.
Contere tete
Noxius humor,
Prodeat extra,
Cœlica carpet,
Obijciet ſe,
Omnia fiet
Aure melodus
Lux oculorum
Naris odorem.
Suauiter ibit
Spiritus vnus
Ore vomenti.
Iam minus ægri.
Gaudia ſenſus.
Tunc Deus vltro
Omnibus vnus
Ore ſaporus
Hauriet eius
Tactus in ima
Nectet vtrinque.
Corque Deumque.
Vis in amore.
Gratia formans
Deſipit omnis.

Finis.

OPVSCTLVM EPISTOLARE MAGISTRI IOANNIS DE GERSON *cancellarij Pariſienſis de religionis perfectione & moderamine ad Guilhelmum Minandi quondam medicum domini cardinalis Saluciarum, tunc autem monachum domus maioris Carthuſiæ.*

A GRATIA vobis & pax in Chriſto Ieſu. Vtique dicetis mihi per ſimilitudinem. Medice cura teipſum. Itaque qui alium docens (ait Apoſtolus) cur teipſum non inſtruis? Sed reſpondebit pro me ſapientis iuſſio: Honora inquit, medicum. Et iterum. Da locum medico. Ratio eſt, quia diſciplina medici exaltabit caput eius. Nam quæ poteſt in medico diſciplina inueniri melior quam vt relicta ſæculi pompa, relicta arte ſua, relicto demum ſeipſo quod maius eſt, tradiderit ſe medicus noſter diſciplinæ maioris Carthuſiæ. B Talis enim tu es cui nunc ipſe reſcribo, qui dignatis exquirere diſciplinæ doctrinam ab illo qui tali nunquam ſubiacuit diſciplinę. Nihilominus in verbo ſummi medici noſtri Domini Ieſu Chriſti, qui iuſſit omni petenti ſe tribuere. Et rurſus: Aperi os tuum & ego adimplebo illud, qui eſt magni conſilij angelus vocatus admirabilis. Audebo tuis medice chariſſime quæſtiunculis quæ ſatis communes ſunt apud ægros ſpirituales in religionum C grabato laborantes remedia non dicam inuenire, ſed inuenta, deſignata per doctores repetere. Communia quidem & vulgata neque comparanda ſubtilibus artis medicinæ ſpiritualis apicibus, ſed tanquam rudes aliquas receptas viſum fuit conſiderationes pauculas annotare. Sunt autem tria quæ quæruntur in forma.

Primò vtrum quis exercitium orationis continuas, vel alia exercitia ſpiritualia cum affectu, vt puta lachrymarum, &c. ſentiens ſe in viribus debilitari propter huiuſmodi exercitium & D remitti in cæteris corporalibus vtpote in cantu forti & ſimilibus vires corporeas exigentibus ſit reprehenſibilis.

Cum tamen dicit apoſtolus: Pſallam ſpiritu & pſallam & mente. Penſat enim Deus potius cor quam verba, immo propter laborem cantus non poteſt debitam deuotionem habere dum cantat.

Secundò ſi ratione debilitatis corporis vt fortior ſit ad portandum ordinem ſuæ profeſſionis E ſine conſcientiæ ſcrupulo lautius viuere poſſit quam ordo ſeruet, vel ad prohibendum lapſum in ægritudinem ad quam eſt diſpoſitus, vel dubitat incidere in futurum?

Tertiò ſi orans ſolitariè ex debito, vt pote horas canonicè inſtitutas teneatur verba adeò articulatè proferre & explicare vt ſeipſum audiat. Cum frequentius aut ratione debilitatis aut grauedinis corporalis non ſine graui labore ad plenum id queat. Corde tamen dicet & formabit, aut F aliàs eleuatione mentis affectus ceſſabit officium linguæ, licet non cordis. Det Dominus reſponſionem veram ſcribere ſalubrem & efficacem. Et velut ab alto repetentes dicamus pro prima conſideratione.

Conſideratio prima.

Religio chriſtiana ſub vno ſupremo abbate Chriſto, ſola eſt ſalutaris & perfecta. Siquidem extra illam non ſtat ſalus neq; perfectio. Docet autem ſufficienter ad perfectionem peruenire ſalutarem ſub ea & in ea omnes rectè viuentes. Vnde ſequitur protinus neminem iudicandum extra ſtatum ſalutis aut perfectionis eſſe qui viuit ſub chri-

Digitized by Google

chriſtiana religione. Valet autem hæc cõſideratio ad humilitatis conſeruationem inter membra corporis Chriſti myſtici, & vt abiectum præſumptione phariſaica & murmuratiua contentione membra ſeinuicem honore præueniãt, iuxta monitionem apoſtoli. Nec aliquis in eccleſia ſibijpſi de ſtatu perfectionis ſuper alterum inaniter blandiatur vt qui monachus eſt non monachum non ſpernat neque ſecularis ſolitarium dijudicet.

Conſideratio ſecunda.

Religio chriſtiana quamuis vna ſit, nihilominus diſtincta eſt multiplici & pulchra varietate graduum meritorum & ordinum, ſecundum operationem ſpiritusſancti qui diſtribuit vnicuiq; prout vult, quæ enim à Deo ſunt ordinata ſunt, quid autem magis proceſſit à Deo, quam religio, ſed quæ religio? Religio vtique chriſtiana quę eſt eccleſia Chriſti ſponſa. Eſt igitur in ea ordo qui deſcribitur eſſe parium diſpariumque rerum ſua vnicuique tribuens diſpoſitio ſeu collatio. Neq; enim ſolitariorum Deus tantum eſt & in communi viuentium, ſed & ſecularium vtriuſque ſexus & cuiuſcunque ſtatus. Sequitur proinde rationem fore ineſficacem dicentium, illos ſemper cum reatu grandi remoueri à Domino ſuo Chriſto Ieſu quibus datur aliquando conſilium ne votis aliquibus ſe ſubijciant vltra legem communem Chriſti. Poteſt fatemur hoc malè, poteſt & nonnunquam bene piè & diſcretè ſuadere. Neque enim omnes capiunt verbum iſtud. Sed de hoc alibi. Nunc pergamus vltra quo cœpimus.

Conſideratio tertia.

Religio chriſtiana quamuis extendat ſe ad omnem Chriſtianum, attamen appropriaturo quodam vſu loquentium reſtringitur ad religiones, quas Anſelmus appellat facticias, quæ licet etiam multiplicibus modis variæ ſint, vniuntur tamen triplici voto.ſ.obedientiæ, caſtitatis & paupertatis. In quibus ſtat eſſentialis ratio talis facticiæ religionis prout alibi per doctores latè & ſcientificè deductum eſt. Vnde ſicut eccleſia ſignificat principaliter vniuerſalem congregationem fidelium, & inde dicitur Catholica.i.vniuerſalis, nomen tamen iſtud vulgaris vſus reſtrinxit ad clerum, ſic in propoſito de religione etiam eſt propter maiorem circa Chriſti conſilia religationem.

Conſideratio quarta.

Religio facticia ſiue dicatur ſtatus, ſiue ordo, ſiue gradus in eccleſia, illa tamen non eſt de ſe ſtatus vel ordo vel gradus perfectionis exercendæ ſed acquirendæ. Alioquin malè nimis eſſet multis religionem profitentibus, qui imperfectos ſe eſſe cognoſcunt aut valdè deſipiunt. Ex quo fundant conſequenter doctores excellentiam prælatorum ſuper religioſos, quia ſtatus prælatorum eſt perfectionis exercendæ, alius acquirendæ, qui vocatur aliunde ſtatus lugentium ſeu pœnitentium. De curatis verò qui ſunt ſecundi ordinis ſuccedentes diſcipulis, ſicut apoſtolis epiſcopi, volunt aliqui dicere quod non habent ſtatum cum non ſint iuramento vel voto aſtricti. Sed quicquid ſit de hoc & de nomine ſtatus conſtat curatos eſſe in gradu & ordine perfectionis nedum acquirendæ ſed exercendæ per actus hierarchicos, qui ſunt purgare ſubditos, illuminare &
A perficere magis, quam religioſi in quantum religioſi. Quod additur, quoniam aliunde poſſunt monachis tales hierarchici actus competere, dum ipſis à ſuperiore legitimè committuntur. Grandis eſt hæc prælatorum tam maiorum quam minorum præcellentia, magni quoque meriti ſi ſtatum compenſant operibus. Sin autem prægrauat eos titulus iſte dignitatis non ſubleuat nec honorat.

Conſideratio quinta.

Religio facticia tanto debet dici perfectior,
B quanto ad dilectionem Dei & charitatis augmẽtum proximius appropinquat. Conſiſtit enim in dilectione Dei & charitate religio Chriſtiana & ſecundum menſuram eius eſt quãtitas eius in merito & conſequenter in prœmio. Ac proinde religiones quæ directè & medijs idoneis diſponunt ad contemplatiuam vitam ſunt dicendæ perfectiores, aut forte melius appellari poſſunt ſcholæ quædam & inſtrumenta perfectionis, prout loquitur Caſſianus. Non enim videtur
C conſequens ſi ſtatus aliquis ſit perfectionis acquirendæ, quod propterea ſit ſtatus perfectionis ſimpliciter appellandus. Neque dicentes hoc detrahunt religioſis, ſed in humilitatis veritate & ſecuritate ſe tenent dum non arrogant ſibi quod non ſunt addentes periculum periculo dum rurſus nõ negant poſſe aliquos extra ſtatum perfectionis inueniri valde perfectos. Sicut è contra prohdolor perfectionis profeſſio vel ſtatus multos patitur imperfectos. Notum ſiquidem eſt quod Auguſtinus ſe in hac re teſtatur inueniſſe.
D

Conſideratio ſexta.

Religio conſtituta ad vitam contemplatiuam debet conſequenter aptare omnes conſtitutiones ſuas & obſeruationes ad eundem finem commodius aſſequendum. Finis autem dat & imponit neceſſitatem medijs quæ ſunt ad finem, & ſecundum exigentia finis deberent cætera moderari. Inde eſt quod rerum exitus & fines prudentia metitur. Propterea finis eſt cauſa cauſarum. Eſt inſuper finis principium in moralibus, ſicut
E in ſpeculabilibus principia demonſtrationum. Eſt rurſus prima in intentione, quamuis in executione & aſſecutione ſit vltima. Eſt demum forma moralium actuum, quoniam ſicut forma materialis dat eſſe materiæ diſpoſita. Ita & finis legis qui eſt dilectio, dat formalem exiſtentiam actibus debitè circunſtantionatis. Circunſtantiæ nimirum ſunt tanquam diſpoſitiones qualitatiuæ, quibus deficientibus aut inordinatis nequit intentio finis informare actum vt bonus moraliter dici poſſit, propterea rectitudo intentionis ad
F finem debet ſibi coniungere rectitudinem mediorum ad ipſum finem. Ac proinde fiet totum corpus operationum lucidum & rectum, aliter non.

Conſideratio ſeptima.

Religio cuius finis principaliter eſt cõtẽplatio, ſeu vitę cõtẽplatiuæ exercitiũ vel acquiſitio, habet pro præambulis lectionem, oratiõẽ & meditationem. Cuiuſmodi videntur eſſe religiones ſub regula ſancti Benedicti conſtitutæ, celebris quoque Carthuſiæ religio, cuius profeſſorem reſpicit præſens verbum. Oportet hic præſuppo-

Digitized by Google

here multa quæ de vita contemplatiua & actiua determinata ſunt per doctores. Quæ ſcilicet & quales ſunt in quibus conſiſtunt, in quibus differunt & conueniunt, aut qualiter ſe ſupponunt aut excedunt. Conſtat enim multas in dictis religionibus exercitationes fieri corporales in quibus non conſiſtit contemplatio, ſed aut fiunt ad mortificationem vitiorum, præſertim in acedia, quoniam peſſima omnium malorum doctrix eſt otioſitas iners. Aut fiunt ad conſeruationem virtutum moralium iam habiturum. Aut fiunt tanquam fructus aliqui redundantes ex radice contemplationis dum completur illud. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt cum ſimilibus innumeris. In quibus eſt gratiarum actio & vox laudis. Aut deniq; labor pœnitentialis afflictionis intenditur pro ſatisfactione voluntaria tam propriorum quam alienorum peccatorum. Et hoc valde crebrum eſt in ipſis religionibus, quæ tamen ſub vita contemplatiua reponuntur, quamuis vtique labor huiuſmodi non ſit cõtemplatio, ſed actio verior quandoque & pœnalior quam aratio in campis vel nauigatio per maria, vel curatio ægrotorum. Sed quoniam habetur tempus ad reliquum ſatis ad recollectionem meditationis, vt ipſa tranſeat in cõtemplationẽ, denominatio ſit à digniori & principaliori vt talis vita clauſtralis contemplatiua dicatur potius quam actiua. Pro quo intelligendo clarius ſit ſequens conſideratio.

Conſideratio octaua.

Religio Carthuſienſis, non attendit principaliter qualitatem vnius perſonæ ſingularis, ſed ad ſe introeuntium diſpoſitiones, complexiones, cognitiones & affectiones, quemadmodum vt in pluribus eueniunt. Cuius ratio eſt, quoniam reperiuntur aliqui penitus indiſpoſiti, nedum ad finem contemplationis conſequendum in hac vita, ſed etiam ad ipſius ordinis ſtatuta capienda per intellectum & exequenda per affectum. Sunt & alij quibus iam non eſt opus præambulis exercitijs contentis in hac religione vt ad contemplationem prouehantur, quoniam aliunde partim proprio ſtudio & exercitio & partim immo & maximè diuino auxilio, prouecti ſunt ad arcem contemplationis faciliter aſcendendum. Rara hæc auis in terra fatemur, non tamen deſperandum quod nulla. Sunt etiam alij qui diſciplinati per obſeruationes ordinis mortificant vitia & naturam cuſtodiunt, qui abſque eis viuendo ſeculariter dum fouere putarent naturam vitia nutrient, immo deinceps vt euenit naturam per exceſſum corrumperent. Et quoniam inueniuntur vt communius homines huius religionis perfectionem arripientes qui ſe tales reputant, propterea regulæ datæ ſunt alię quam quę ſolam contemplationem reſpiciunt. Quoniam multo plures ſunt apti regulis huiuſmodi quam contemplationis altitudini, præſertim ab initio & in feruore concupiſcentiarum, in quibus non edomitis contemplari quęreret homo nedum, inutiliter, nedum arroganter, ſed in magnam ſæpe ſui perniciem prout ex vita patrum claret.

Conſideratio nona.

Religio quamuis vna ſit in conſtitutionibus & votis, debet nihilominus eſſe in ea diuerſitas in executione, dum accidit notabilis varietas in cõditione perſonarum. A Alioquin fieret contra dictũ legis ad allegoriam tractum. Non arabis in boue & aſino. Fieretque contra legem charitatis fraternæ, in qua tota lex pendet & prophetæ, dum non fieret alteri quod rationabiliter quæreret ſibi fieri caſu tali. Poteſt verò varietas prouenire circa diſpoſitionem corporalem in deterius, nunc citius, nunc tardius abſque culpa perſonali. Cæterũ profectus ſpiritualis in bonum arduum, neque ita frequenter euenit, aut proueniens latet, ſiue propter illius virtutem qui dicit ex ſententia: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, ſiue B propter aliorum animalitatem, qui non ſtatim penetrant quis & qualis ſit homo ſpiritualis, & quam longè ab hominibus animalibus. Et quia rarum donũ eſt hæc humilitas vt animalis homo ſe talem veraciter eſſe & ſentiat corde & profiteatur ore. Nullus itaque mirabitur ſi ſpiritualis homo non ſemper dimittitur inter eos liberis alis euolare, neque ad pedes Ieſu ſedendo audire cum ſilentio verba illius. Fit potius vt ſollicitudo Marthæ de otio Marię conqueratur. C Felicem iure dixerimus religionem quæ ſalutem paucos contemplationis gratia præditos ſuſtinet & fouet, & tanquam precioſam margaritam, vt delicatum aliquod lilium, vt amantiſſimum Domini Beniamin adoleſcentulum in mentis exceſſu colit & honorat, obediens Chriſto ſponſo dicenti: Adiuro vos filie Hieruſalem, ne ſuſcitetis neque euigilare facietis dilectam donec ipſa velit. Non occupetur in practicis exteriorum negotijs, non cõuentum aſſiduè ſequi compellatur. Tales olim extitere Bernardus Hugo, Richardus, & ſimiles. D

At verò quiſquis es aptus ad gratiam huiuſmodi noli (ſi forte compelleris eſſe vnus ex aliorum grege) conqueri, noli per impatientiam murmurare, noli tanquam ſingularis ferus depaſcens vineam malignari. Expecta potius Dominum, viriter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Scit prouidentia ſua quid expedit tibi ſine eius voluntate, nec paſſer vnus cadit in terram, in cuius manu ſunt hominum corda conuertere potens ea quocunq; voluerit, vt impleat deſiderium E pauperum. Si vexat te vocalis oratio cum vigilijs, ſi non ſapit vt cuperes, diuina dulcedo illa tibi ſeruatur in cœlis. Non velis procœmij fructum percipere dum adhuc mẽtis. Careas interim quotidianis (vt ita loquamur) diſtributionibus, quia integram ſeruat Dominus tibi præbendam in cœlis. Non ſemper nutritur filius dum paruulus eſt de menſa patris, quando tamen nonnulli de ſeruis hæreditatem minimè habituri paternam veſcuntur ipſo pane filiorum. F

Conſideratio decima.

Religio curam habet præcipuam de infirmis. Sanxerunt hoc ſancti patres & addiderunt, quod dicenti ſe infirmum credatur. Vnde ſequitur vltra quod ſollicitè curãdum eſt ne quis in infirmitatem pręſertim incurabilem dilabatur. Inter omnes autem infirmitates fugibilior tam pro perſona quam pro ordine eſt capitis inſania ex euacuatione & vitio cerebri, ex qua perdit homo iudiciũ rationis & per conſequẽs quodammodo deſinit eſſe homo, & fit miſerabilior iumẽtis inſipientibus, opprobrium hominum & abiectio plebis, &

oneroſiſſimum

Digitized by Google

onerofiſſimum totius ſtatus ſui ludibrium. Auertat hanc ciuilem mortem à ſeruis ſuis medicus ſummus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſuggerendo media conſeruationi cõgrua, & prohibendo noxia, quę non ſemper eueniunt ſubitò vel repente, ſed lentè & per incrementa velut imperceptibiliter ab ipſo patiente. Ab alijs quoque huiuſmodi tam grandi periculo ſi apud oculos non perſpicaces in talibus præuidendum contingeret per artem medicinę nedum corporalis, ſed & ſpiritualis obuietur. Agat itaque ſpiritualis homo vt omnia dijudicet atque præuideat doctrinæ ſapiētia, quæ cuncta nouit antequam fiant. In qua quidem ſapientia ſeu prouidētia vigere maximè maiores in ordine neceſſe eſt. Pro quo plenius enucleando ſint adhuc decem conſiderationes quæ ſequuntur addendo denarium denario, vt ſic prolati videantur duo denarij ad viaticum ſauciati.

Conſideratio vndecima.

Religionis ſecuritas & ſoliditas fundamentalis, poſt diuinam gratiam conſiſtit in diſcretione & charitate præſidentium quocunque nomine cenſeantur. Præſidentes namque ſunt aut eſſe debent tanquam lex viua, moderatrix legum mortuarum i. conſtitutionum. Sunt diſpenſatores myſteriorum & miniſteriorum Dei, fideles ad Deum & prudentes ad proximum. Sunt prout Ariſtoteles loquitur veri epikeies, hoc eſt interpretatores legum generalium, ſecundum applicationes ad caſus ſingulares. Quam virtutē videtur Pſal. vocaſſe æquitatem vbi dicit alloquendo Deum: Omnia mandata tua æquitas. Et ita legiſtarum, immo vulgaris vſus habet dicere aliquid fieri de bona æquitate. Seueritas verò conſiſtit in ſolis generalibus verbis legis, propterea nominantur homines huiuſmodi nimis verbis ſtatutorum innitentes literales & quandoque inhumani tyranni duri & crudeles, vtpote non attēdentes illud etiam pueris inculcatum, quod videlicet ipſe quoque leges cupiunt vt iure regantur. Et præmittitur dogma noſtro propoſito ſatis accommodum, cum dicitur: Iudicis auxilium ſub iniqua lege rogato. Iniquam intellige legem ſi ad iniquitatis & iniuſtitiæ traducatur abuſum. Huic per ſapientem dicitur: Noli eſſe iuſtus nimis. Rurſus: Qui nimis emungit, elicit ſanguinem. Et apud comicum: Sũmum ius eſt ſumma iniuſticia.

Conſideratio duodecima.

Religionis maior quiſquis ille fuerit habet digenter inſpicere vultum pecoris ſui iuxta monita ſapientis, & prout vtile viderit ſua intereſt cuilibet prouidere. Eſt itaque ſicut cæterorum hominum ſic & religioſorum varia valde conditio. Nam & ipſi religioſi quid aliud niſi homines. Aliquibus ex eis ineſt feruor nouicius & zelus vehemens, ſed non ſecundum ſcientiam, qui ſi dimittantur, ſuo curſui, ruunt tandem in aliquod præcipitium. Quoniam zelus ſine diſcretione præcipiat, ſicut diſcretio ſine zelo iacet, vt ait beatus Bernardus. Talibus occurrendum eſt, nec expectandum quod petant relaxationes in ordine, ſed inuiti etiam cogendi ſunt illas recipere. Qui ſi id pertinaciter renuerint, peccant quidē grandi inobedientia, & vix ſpes de profectu futuro de eis haberi poterit. Quippe qui iam ſapientes ſunt in oculis ſuis, iamque ſuper ſeniores ſuos ſibi videntur intelligentes, nec iam ſe putant eſſe tales qui conſilio indigeant maiorum. Porrò talium quis ſi iam haberet vnum pedem in cœlo (vt loquitur vnus patrum) retrahi deberet per alterum, quia cũ tali vno ſuperbiæ pede clarum eſt ipſum nunquã totum introire cœlum. Tendit ad hoc tota grandis illa conſultatio magni Antonij nunquam nimis inculcanda de diſcretione ſeruanda, quam finaliter eſſe dixit ſubiectionem & obedietiam ad ſuperiores. Apud quos valet plus autoritas quã ratiocinatio. Alioquin poteſt de facili fingere ſibi ipſi quilibet phantaſticus ſine numero rationes. Nihil eſt enim inargumentabile. Procedit nonnunquam vſque adeò corporis inualitudo, cum perturbatione cerebri, quod valde læſum eſt rationis iudicium, & ſi non penitus ablatum in nõnullis, de quibus verè & piè pronunciat Hieronymus quod magis indigent fomento Hippocratis quam noſtris monitis. Non enim ſuam miſeriam cognoſcunt, & hinc eò periculoſius, quò inſenſibilius infirmantur. Culpat nihilominus idem alibi præferentes vigilias & ieiunia ſenſuum integritati. Sicut allegat & approbat ſanctus Thomas ratióque non diſcordat. Caueat tamen in his diſcipulus Chriſti ne ex diffidentia quadam ſui auxilij ſtudeat fieri diſcipulus Galeni. Credat potius & ſperet quoniam bona diſpoſitio corporis donum Dei eſt, qui dat illam & conſeruat quando, vbi & quomodo voluerit. Cuius ſignum fuit in multis manifeſtum, qui cum ſumma ſobrietate in victu, & magna nuditate & auſteritate in veſtitu, cum vigilijs ſupra modum perſpicaciſſimo mētis acumine viguerunt. Cum & è diuerſo dicat Hieronymus antiquo innitens prouerbio, craſſo ventre ſenſuum tenuem gigni non poſſe, prout nonnullos aliquando inter ciborũ abundãtiam compertum eſt cerebri vertiginem phantaſticam irreparabiliter incurriſſe.

Conſideratio tertiadecima.

Religionis maior poteſt aliquos qui nimis habent verecundiæ (ne dicamus ſuperbiæ) præuenire, verecũdia enim præſertim contumax naſcitur ex ſuperbia. Poteſt inquam tales quandoq; iuſtè præuenire cum gratijs antequam petant eas. Poteſt nihilominus quãdoq; ipſe expectare quod eum interrogent prius & conſultant ſi rigor ordinis ad tempus eis intolerabilis videatur. Iudicet tunc maior ſecundũm regulam fraternæ charitatis. Non dico ſecundum diſpoſitionem proprij corporis quę fortaſſis robuſta eſt, ſed pro qualitate conquerentis, præcipuè ſi viderit quod cum humilitate non ficta gratiam petat aut conſilium. Eueniet aliquando quod duobus ſimilia petentibus diuerſa dabit reſponſa, diuerſaque dabit conſilia, non quia vitioſè varia ſit virtus ſua in acceptione perſonarum, ſed quia prudenter variat iudicium iuxta petentium varias conditiones, quas virtuoſè diſcernit. Non itaque oportet murmurare contra maiorem ſi non ſemper exaudierit, nec inuidere alteri qui exauditus eſt, verũ magis expedit gaudere quia nociuum quod malè. i. indiſcretè petitum fuerat non acceptum eſt, & congaudere fratri in humili charitate & charitatiuã humilitate eò quod commodum accepit quo neceſſariò indiguit.

Digitized by Google

Conſideratio duodecima-quarta.

Religionis maior in diſpenſando debet ſibi duplicem oculum aſſumere. Vnum quo commune ſuæ religionis bonum. Alium quo particularé ſui religioſi profectum claré conſideret. Ratio eſt, quoniam religio maximè conſeruatur in ſtabilitate conſtitutionum ſuarum, ſicut & omnis politia in legum ſuarum firmitate, tanquam corpus verum in ſoliditate neruorum. Et ferè nihil plus aduerſum eſt religioni quam variatio paſſim facta in conſtitutionibus, prout heu exemplo ſunt religiones quas de non obſeruantia ſeu lapſas nuncupamus. Et ob quid aliud (rogo dicitur) quam ex diſpenſationibus indiſcretis, nunc & antea ſine lege ſine ordine & ſine cauſa ſaltem rationabili tam multipliciter & inaniter factis, vnde meritò iam non diſpenſationes, ſed diſſipationes cenſendæ ſunt. Rurſus ex oppoſito ſi ſeueritas ipſius maioris nulli diſpenſationi condeſcenderit, fit apud aliquos ſubditos grande periculum mortis, aut morte corporali deterior deperditio irreparabilis iudicij rationis: Quod permittere vbi occurri poteſt, nil aliud eſt planè quã homicidam eſſe, & pietatem religioſæ diſciplinæ conuertere in tyrannicam feritatem. Perpendi ex his poteſt quanta ſit neceſſitas apud omnem religionem quod maior ſit circunſpectus, non cæcus, non luſcus, non monoculus, non improuidus, ita vt vtrique diſcrimini velit nouerit & poſſit opem ferre, aut per ſe, aut cum aliorum (ſi non ſibijpſi ſatis confidat) conſilio, auxilio & aſſenſu.

Conſideratio decimaquinta.

Religionis maior ſi dubitet probabiliter de periculo perſonæ quærentis auxilium, agit ſecurius condeſcendendo interim ipſius fragilitati, quam timore relaxationis in ordine cum ſeueritate neget auxilium. Poterit itaque facilius fieri prouiſio circa rigorem ordinis ſeruandum in ea poſtmodum & circa alios quam repararetur ad ſanitatem aut vitam talis ægrotus ſi lapſus eſt. Conſonat cũ his pium illud commune dictum. Melius eſt de nimia pietate quam de nimia ſeueritate redargui. Quocirca duæ hic aduertendæ in maioribus ſunt conditiones non parum habentes è diuerſo periculi. Vna eſt debilitas corporalis vel innata vel accidentalis. Altera eſt fortitudo virilis quæ tolerare valet facile graues labores. Prima reddit aliquando hominem nimis compaſſiuum, quoniam didicit ex his quæ patitur compaſſionem. Altera verò iudicans alios ſecundum ſuas (vt aiunt) baſes ſeu vires fit debito plus rigida & auſtera. Vnde eueniet nonnunquam iuſto Dei iudicio, vt hi tales nimis alijs duri incurrant debilitatem, & ſi nõ ſemper in florida iuuentute, ſaltem in marcida ſenectute, per quam diſcunt tunc alijs oculis intueri debilium neceſſitates, quam ex ante conſueuerũt, & ſic pij efficiuntur tandem etiam inuiti, dicentes cum apoſtolo: Non enim audeo loqui quicquam eorum quæ per me non operatur Chriſtus. Cui ſententiæ inhærens quidam pater ſenior renuebat iuniores fratres alijs fratribus præſidere, quamquam nonnunquam tamen iuniores vtilius quam nonnulli ſeniorum præeſſe inueniantur. Sed pater iſte oculum dixerit in id quod contingit communius.

Conſideratio decima-ſexta.

A Religionis maior non in ſua tantumdem prudentia, verum etiam & multo amplius de diuina gratia per orationem ſedulam poſtulata debet cõſidere in diſpenſationibus exercendis. Ita enim diſcipulus ille quẽ diligebat Ieſus loquitur: Quoniam vnctio eius docet de omnibus. Nec de hoc ſiluit Ariſtoteles ſed conſonè ait, quia virtus operatur certius quam ars. Sic denique fiet vt meritis & precibus humilis & pij paſtoris ouicularũ ſuarũ neceſſitatibus per ſe prouideat bonus & ſummus paſtor, & ipſe verus cœleſtis medicus. Vide B nunc an non ita de medicis corporis ſuaſerit ſapiens. Ipſi inquit, Dominum deprecabuntur vt dirigat requiem eorum & ſanitatem propter conuerſionem eorum. Tu verò qui religioni ſubiectus es, pete prius à Domino inſtantiſſimè conſilium, non quidem expectãs illud ab eo immediatè aut per medium angeli, quaſi per miraculum tibi tradi, ſed per maiorem tuum, cuius os obſeruare conuenit tanquam Dei loquentis in eo & per eum. Sicut & verè credendum eſt quia C vicarius Dei eſt & locutionis Dei, in hoc organum niſi forte peccatum ipſius conſulentis obſtiterit per diffidentiam cordis fictionem, aut alia prout nonnunquam contigiſſe & contingere poſſe clarum eſt.

Quamuis nunc itaque poſſet ex prædictis elici diſſolutio quæſitorum dubiorum, nihilominus placet deſcendere adhuc parumper ad particularia. Quoniam in moralibus particulares ſermones magis erudiunt. Et fiet reſtrictio ad celebrem D ſanctamq; Carthuſienſem religionem ſub omni reuerentia & timore non tam docentis faſtu quam rememorantis pio affectu, ea quæ quaſi in genere præmiſſa ſunt.

Conſideratio decima-ſeptima.

Religionis Carthuſienſis maior poteſt in caſu dubij ſecundo propoſiti abſque vllo dubitationis ſcrupulo concedere lautiorem victum ſic periclitanti, & petenti, immo & non petenti debet ingerere. Dum cognoſcitur eſſe talis potiſſimè cui poſſit in hac religione competentius ſeu facilius E indulgere magis ſine nota ſingularitatis, & abſque murmurationis occaſione, propter ſolitariam in cella refectionem. Addam verbum vnum quod fuit vt accepi reſponſum per patres definitores in capitulo generali eiuſdem ordinis cuidam inquirenti, dum fiebat gratia generalis ſiue illa pietantia ſiue aliter nominetur. Ego inquit, ille ſentio me non indigere tali gratia. Nunquid ergo propter conſcientiam teneor abſtinere ab huiuſmodi gratia & eam non accipere? At patres illi: Etiam ſi tu nec paruum quidem bolum ſeu morſum F accipere indigeas, nihilominus accipe gratiam quæ præſtatur reuerenter, & vtere cum gratiarum actione. Et certè meo iudicio prudentiſſimè, vt ſic in tali fratre ſingularitas vitaretur, humilitas ſeruaretur murmurq; & indignatio ab alijs ſecluderetur.

Conſideratio decima-octaua.

Religionis Carthuſienſis maior in caſu tertij dubij, conſilium & licentiam cõcedere fas habet vt petitur, præſertim in orationibus non neceſſarijs & peculiaribus. Tutius tamen eſt vbi non fit

diſpenſatio,

Digitized by Google

diſpenſatio, officium linguæ non penitus omittere. Quoniam illud tenuiſſimum & faucibus orantis interclusum ſufficit, nec poteſt notabiliter aut periculosè grauare, Abundat quilibet in ſenſu ſuo iuxta Apoſtoli ſententiam. Sunt præterea qui tépore vocalis orationis præſertim laborioſè non ſtudioſè inſiſtunt meditationi, ſed expediunt orationem ſuam alacriter cum attentione communi, quatenus poſtmodum liberiores habeant animos ad meditandum vel cum ſilentio orandum. Docuit nonnullos experientia ſic agere conſultè ex ſuæ conditionis neceſſitate, eò quod cum vocis ſono etiam ſatis tenui nequeant ſuam ſtabilire meditationem prout in caſu primi noſtri dubij querela fit.

Fortis profectò, fortis & felix videtur is cui à Deo donatum eſt ſimul ſpiritu oris & deuotione mentis deuotione inquam, tali qualem ſentiunt in ſilentio ipſi contemplantes Domino ſuo ſeruire. Sed rara eſt valde hæc gratia propter humanam infirmitatem partim, partimque propter noſtrum torporem nec etiam huiuſmodi gratia eſt ab omnibus de neceſſitate & ſub obligatione requirenda aut exigenda.

Conſideratio decima-nona.

Religionis Carthuſienſis maior fratres ſuos habet inducere, quatenus non minus ei reſpődeant veritatem de ſuis virtutibus dum interrogantur, quá de ſuis vitijs & defectibus. Ratio huius, quoniam periculosè ſæpe ſub tegumento & velamine virtutum ſe vitia palliant. Expoſuit hoc inter alios, immo ſupra alios egregius ille morum indagator, beatiſſimus Papa Gregorius in diuerſis & penè ſingulis moralium ſuorum locis. Verum in propoſito ſatis ſit exemplum de lachrymis de quibus primum nobis obiectum dubium inquirebat. Itaque caueas tibi quiſquis in religione præſertim ſic auſtera ſicut eſt de qua loquimur, conuerſaris, à laqueo quem venantes abſcondunt dæmones in eo quod cogitat, quod loquimur quod agimus. Itaque laqueos ploramus, laqueos loquimur, laqueos comedimus & bibimus, laqueos nectimus in cunctis operibus noſtris. Nec ſufficit cőtra tot laqueos remedium aliud efficacius quá ex ſententia dicere cum Pſal. Oculi mei ſemper Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Fuerunt locuti de lachrymarum conditione multi. Et ferme nihil mentem noſtram ſic purgat illuminat & ſerenat vt profunda compűctio & lachrymarum inundatio. Verum id quidem ſi obſeruatur illud, ne quid nimis. Fit autem nimis dum ex his incurritur euacuatio & turbatio cerebri, dum præterea flens redditur impotés ad opera ſibi de neceſſitate faciendum incumbētia, vel ex voto vel ex præcepto vel ex ſuperioris inſtituto. Eſt fateor in lachrymis aliquid dulce & mulcebre, ſed procul ſit hæc dulcedo quæ criminis amaritudinem per præuaricationem parturit, & quæ vulnerat ſuffocátque naturám. Eſt igitur abijcienda nonnunquam hæc lachrymarum profuſiò. Et neſcio ſi lachrymæ inde fluent vberius, quia lachrymari vel non licet vel non decet, vel non expedit. Ita enim quandoque videtur. Nihilominus tamen oportet vt prohibeantur ſæpe, quia neceſſaria præceptorum regularium diſciplina præponenda eſt lachrymis, tam extortis & mēdicatis quam infuſis & placitis. Eadem enim eſt

A cauſa de huiuſmodi lachrymis, quæ de ſentimentis ſpiritualis dulcedinis & ſenſibili ſuauitate, cur hæc ſæpe non expediat propter plures reſpectus, prout de hoc alibi traditum eſt. Propterea prudens religioſe fuge quantum poteris interim tales lachrymas, quoniam haud dubium latet anguis in herba. Dum auté omnino tuus fueris ſeu diſpenſatione ſuperioris ſeu diuina ordinatione, tunc illis vtere, illis te inebria, illis te refice, ſuauiſſimum tibi balneum mentis in illis frequentius

B inſtrue. Secus verò vbi tuus non es, ſed ordinis & communitatis, ac carcerali quaſi obſeruatione ſponte quidem & vtiliter (niſi recalcitres) mancipatus compedibus charitatis ex profeſſione tua voluntariè facta pro Chriſto aſtrictus.

Conſideratio vigeſima.

Religionis Carthuſienſis maior in caſu primi dubij propoſiti, quoad orationes publicas & canonicas habet cum magno pondere deliberationis attendere quod tales orationes non ſunt (vt ita dicamus) facticiæ ſeu voluntariæ per religio-

C nem Carthuſienſem inſtitutæ, ſed per ſedem Apoſtoli au ſedentem in ea ſummum pontificem, generaliter per vniuerſam Chriſtianam religionem ordinatæ. Veruntamen quod hæ orationes dicantur alta voce vel ſubmiſſa, publicè vel ad partem hoc ſpectat ad ius poſitiuum, & per conſequens ad maioris arbitrium. Vnde in hoc in omni religione diſpenſatio poteſt indulgeri quantum religionis rigor pati poteſt. Quocirca vulpeculá in primis capi opprimique conuenit dum indu-

D citur in vineá Domini, ſub hoc tegumento quod Dominus penſat cor non verba.

Penſat credite, penſat Dominus verba multiplici ratione nominatim quadruplici: Ad ſacrificium laudis, ad exercitationem corporis, ad meritum ſatisfactionis & ad præſtandum exemplar proximis & laicis. Nolo igitur dicat mihi religioſus aliquis, quod Dominus penſat cor non verba, cum Apoſtolus dixerit: Orabo ſpiritu vocem intelligens ſecundum gloſſam, ordinariam, orabo

E & mente. Et Ambroſius in hymno. Os lingua, mens, ſenſus, vigor confeſſionem perſonet. Nolo ſic præſumat ſolitarius dum in commune venerit vt ſe dignum reputet ſola conuentione, vt ſocietatem ſeu conuentum ſpernat impari exercitatione, vt voti ſit immemor in ſua profeſſione, vt quærat hic remunerationem tranſitoriam pro æterna beatitudine, vt eccleſiam Dei denique ſuperbè contemnat in ſua iuſſione & perſonali miſſione. Demum ſi neceſſitas prout quandoque fit vrgere videatur pro valitudine corporis aut men-

F tis. Nolo prohibere, nolo contentioſus eſſe, nolo tyrannus, nolo crudelis tortor inueniri. Sed tamen nolo etiam te tibi ſoli committere. Fallit nos amor alienus in iudicando, quanto magis igitur amor proprius. Lucifer inde corruit. Corruerunt inde omnes qui operantur iniquitatem. Expectes igitur volo expectes iudicium maioris tui. Crede iuxta formam ſancti Bernardi ſemper magis iudicio alieno, & maximè tui ſuperioris quam proprio, quoniam ille vicè Dei tibi dicet, ſi petitio tua liceat, ſi expediat, ſi

Digitized by Google

deceat, non tantum pro ſalute tua, ſed pro conſcientia quoque ſua, necnon ſi pro fratrum tuorum pacifica communicatione, immo etiam pro generali ipſius ordinis conſeruatione. Et vt non fallatur ſuperior tuus in conſulendo, tuum ſit humili pietate Deum iugiter exorare, vt tuas per eum in cuius te manibus commiſiſti vias dirigat. Vetus prouerbium eſt à Seneca poſitũ: Campus docet pugilem. Ad quod ſpectat illud, quod viſio, contrectatio & allocutio ægrotantis docet medicum quid agere debeat. Non aliter eſt de medico ſpirituali. Fiunt enim curationes non hominis ſicut loquitur Ariſtoteles ſed huius hominis, quo fit vt ſingularia quæ non cadunt ſub arte, referri debent ad iudicium prudentis in arte ſua.

Poſſent iſta latiori deductione produci per mẽbra ſingula, ſed epiſtolaris anguſtia tantundem ſcripſiſſe contenta ſit. Bene vale pater Domine frater, medice chariſſime, & oremus pro inuicem vt ſaluemur.

Scriptum Lugd. penult. Octob. Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti. 1422.

Concluſio epilogans.

RESpondere vberius quam neceſſe erat conatus ſum quæſtiunculis per te miſſis Guillelme pater & frater in Chriſto chariſſimo ſub duplici conſiderationum denario ſuper religionis perfectione ac moderamine. Suadens vt lachrymis ponatur modus, vt in congregatione vocalibus intendatur exercitijs, conſeruando vires ad hoc ipſum, vt inſuper nulla lautioris victus cõceſſio deſuper facta repudietur ſiue illa fuerit propria, ſiue ſingularis, ſiue fuerit communis ſeu vniuerſalis. Vt deniq; orationes in cella quæ ſub præcepto preſertim eccleſiæ cadunt, ore offerri & proferri non omittantur, niſi fortè id fieret de conſilio & licentia ſuperioris, cum prolatio oretenus fieri poſſit vtique tenuiter & abſque periculoſo vt apparet grauamine. Attento potiſſimum etiam quod quia fit ab inſtitutione & nomine eccleſiæ, aut ex regulari ordinatione orans ipſe ſic ore, ex hoc multum meretur. Primùm, quia obedit, ſecundo: quia oris ſacrificium reddit, tertiò ſatisfactorium pro peccatis ex labore agit, quartò otium excutit, quod facile ſurrepere ſolet in ſola mentali oratione ſeu meditatione.
Facit ad hæc illud Apoſtoli: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente cum gloſa ordinaria, quæ ſi placeat videatur.

Finis.

QVÆSTIO THEOLOGICA CVIVS TITVLVS EST. VTRVM AVRORA *mane rutilans ſolem ediderit. In qua tractatur de conſilijs euangelicis & ſtatu perfectionis ab eodem Domino Cancellario.*

QVÆSTIO determinanda, Vtrum aurora mane rubens ſolem ediderit? quia iuxta Ariſtotelem in elenchis, Omnes transferentes ſecundum aliquam ſimilitudinem transferunt. Animaduertendum eſt quod vt longa & certa experientia compertit medicus

A auroræ imitans naturam veris temperati in diebus anni vires animales confortat & perficit pro eo ſcilicet quod in eo vt ipſi tradunt, humor ſanguinis, in quo ſecundum eos vita conſiſtit, dominatur. Et ſol iſte quem nobis aurora parit vita eſt viuentium & animantium iſtorum.

Idcirco altius transferendo inueſtigare libet, in quo ſtat, manet & conſiſtit vita animæ noſtræ ſpiritualis & perfectio vitę Chriſtianæ, quod propriè eſt theologicæ inueſtigationis & non inutilis conſiderationis. Nouimus itaque vitam iſtius

B corporis ſtare & conſiſtere in vnione vel cõiunctione ipſius ad animam, quæ eſt principium vitæ & actus ſubſtantialis corporis organici phyſici. Quanto igitur coniunctio iſta ad corpus ipſum quod actuat, informat & viuificat maior eſt & indiſſolubilior, tanto vtique vita iſta corporalis perfectior eſt. Si igitur conformiter ad iſta ſcire & inueſtigare voluerimus in quo ſtat & perficitur vita Chriſtiana, ſciemus iſtud habito & cognito illo quod ſpiritu noſtrum rationalem ſuo vitali &

C perfectiuo principio quod Deus eſt perfectius & intimius vnit & intimat & iungit in ipſo. Etenim ſicut à poëtis dictum allegat Apoſtolus: In quo viuimus, mouemur & ſumus. Hinc & ipſe dicebat: Mihi viuere Chriſtus eſt. Et iterum: Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

Eſt igitur concluſio iſta fundamentalis huiuſmodi: Vitale, eſſentiale, intrinſecum & perfectiuum formaliter principium vitæ Chriſtianæ eſt charitas & eius mandata. Concluſionem iſtam

D ponit in ſententia ſanctus doctor ſecunda ſecundæ q. 84. articulo 3.

Quæ quidem ſic probatur. Primò de ipſa charitate, quoniam in illa ſtat & conſiſtit vita Chriſtiana & perfectio ipſius, quod ſpiritum noſtrum rationalem ſuo vitali & perfectiuo principio ipſi ſcilicet Deo vnit perfectius, vicinius intimat & coniungit, hoc ſupponit, illud autem eſt charitas, quoniam qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo, vt ait Ioannes in canonica. Iuxta quod Coloſſenſes monet Apoſtolus. Super om-

E nia inquit, charitatem habẽtes, quæ eſt vinculum perfectionis. Et 1. ad Corinth. 13. ſcribit: Si habuero omnem prophetiam & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem ita vt montes trãſferam, charitatem autem non habeã nihil ſum. Secundò arguitur ad iſtam partem, quoniam vita Chriſtiana conſiſtit in virtutibus theologicis & moralibus, inter eas autem omnibus ſupereminat charitas, velut perfectiſſima & aliarum perfectiua. Confirmatur, quoniam vita beata quę eſt conſummata & completiua ſtat

F in dilectione & amore inter beatos. Etenim ille perfectius viuit vita beato, qui Deo plus adhæret & intimatur per dilectionem & transformatiuũ amorem. Tertiò ad idem, quoniam illud eſt vita animæ noſtræ ſpiritualis quod eſt ſumma, terminus, finis & complementum totius legis & euangelij, hoc autem eſt charitas ait Apoſtolus: Plenitudo enim legis eſt dilectio.

Quocirca volens Saluator Petrum ſicut perfectiſſimum pro ſe ducem & paſtorẽ inſtituere perfecti corporis eccleſiaſtici, de ſolo amore interrogauit: Petre inquit amas me diligis me plus his, apertè

Digitized by Google

pertè volens innuere illum in omni ſexu, ſtatu & gradu perfectiſſimum qui Deum maximè diligit. Secundò principaliter probatur concluſio de ipſis mandatis autoritate Ioannis in canonicis: Scimus inquit, quoniam tranſlati ſumus à morte ad vitam. Cur ita? cauſam ſubintulit, quoniam diligimus fratres. Vnde Chriſtus Matth. 5. cap. poſtquam præcepta dedit de dilectione proximi & inimicorum concludit. Eſtote igitur perfecti ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Sic & Lucæ 10. ad legiſperitos ait de amore Chriſti & proximi: Hoc fac & viues. Loquitur ſæpius & de ipſis mandatis in lege & prophetis quod ea faciens viuet in eis. Leu. 18. Deut. 6. & alijs pluribus in locis. Sic & gloſſa ſuper illo iam allegato. Super omnia autem charitatem habentes &c.

Cætera inquit præcepta perfectum faciunt pro quanto ad charitatem ordinantur. Quamobrem & beatus Athanaſius hominum perfectiſſimus vnus in libro quem fecit de ſatisfactione fugæ. Hic eſt, dicebat ipſe hominum terminus ad perfectionem ducens: Si quod iubet Dominus, ipſe faciam. Stat igitur in hoc puncto radix dicendorum quod charitas & eius mandata per ſe & eſſentialiter integrant, conſtituunt & perficiunt vitam Chriſtianam. Ex concluſione infero primò: Sicut præcepta Dei dantur de charitate, & omnibus virtutibus & actibus eorum, ſic etiam data ſunt de perfectione charitatis & omnium virtutum. Prima pars patet, quoniam ſecundum theologicam doctrinam omnes virtutes pro loco & tempore ſunt in præcepto. Cum enim virtutes neceſſariò connexæ ſint, oportet ſi vna ſit in præcepto quod & omnes. In ſecũda parte volo dicere quod præceptum charitatis claudit omnẽ & totam beatitudinem, tam intenſiuam quam extenſiuam dilectionis & amoris, quantumcunque perfecta & intenſa fuerit iſta latitudo. Et ita de cæteris præceptis imaginandum eſt quæ ſunt de virtutibus, vnde loquitur pſalmiſta: Omnis conſummationis, hoc eſt omnis & totius perfectionis vidi finem. Quid? Latum mandatum tuum nimis, latitudinem videlicet nimiam vel multam, extenſiuè vſque ad dilectionem inimicorum & perſequentium nos, intenſiuè vt quæ totam perfectionem gradualẽ claudat dilectionis & amoris. Corollarium iſtud ponit expreſsè beatus Auguſt. in libello de perfectione iuſtitiæ, vbi ex introductione iuſticiæ determinat quod perfectio iuſticiæ quæ eſt virtus generalis includens omnes virtutes, eſt in præcepto. Cur enim inquit, non præciperetur homini iſta perfectio, quamuis eam nemo in hac vita habeat.

Neque enim ait Chriſtus, rectè curritur ſi quò currendum eſt, neſciatur. Quomodò autem ſciretur ſi nullis præceptis oſtenderetur? Manifeſtè colligitur iſtud ex forma præcepti charitatis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, totum autem & perfectum idem ſunt 3. Phyſicorum. Et de proximo mandatum habemus: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Maiorem autem & perfectiorem dilectionem mandare non potuit Dominus, quam quod cum ſicut nos diligamus, qui noſmetipſos maximè amamus. Quapropter & propheta regius loquitur Domino. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Et iterum: Manda- A ſti iuſtitiam tuam, teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Vbi gloſſa Augu. & aliorum. Nimis, hoc eſt multum valde & intenſè. Immo iuxta aliquas gloſſas, plus quam etiam natura carnis patitur. Vnde & in hoc concordant doctores theologici, quod ſoli beati implent præceptum charitatis in ſua conſummatione vel completione. Nullus autem inuentus eſt qui diceret quod ipſi ſic agentes faciant opus conſilij ſed pręcepti, non quidem nouiter dati ſed à creatione ſua ſignati ſuper eos. Infero ſecundò quod minus ſufficiens eſt i- B maginatio illorum qui imaginati ſunt quod præcepta Dei ordinantur ad charitatem & alias virtutes ſub aliqua certa menſura minimo gradu, quod autem eſt ſupra illam menſuram vel gradũ illum, eſt ſub conſilio. Apparet iſtud minus ſufficere. Primò ex ſtatim dictis. Secundò ex ipſa forma præcepti quæ totalitatẽ mandat & perfectionem, & nullum gradum relinquit ſub conſilio, diliges præcepit ex totis viribus, qui autem totũ dicit nihil excludit. Corollarium autem iſtud eſt de C intẽtione doctoris ſancti 2.2.q.194.a.3. Et in libello ſuo de perfectione vitæ ſpiritualis. Præceptum inquit, dilectionis nullis terminis coarctatur, ita vt rectè dici poſſit quod tanta dilectio ſit in pręcepto quod nulla excedit limites pręcepti, imo vnicuiq; mandatur vt Deum quantum poſſit diligat. Poteſt & iſtud deduci, quoniam pręcepta & conſilia vt infra melius videbitur habent aliam & aliam materiam, ſiue aliud & aliud obiectum. Si enim caderent ſuper eandem materiam vel idẽ ob- D iectum eſſet ea cõfundere. Dilectio autem Dei & proximi eſt materia circa quam cadit præceptum charitatis, igitur circa iſta non eſt cõſilium. Vnde nuſquam in tota ſerie ſcripturæ ſacræ reperitur quod aliquis gradus vel menſura aliqua dilectionis Dei & proximi ſit in conſilio. Sequitur 3. Nõ modò dilectio quę haberi poteſt in via eſt ſub pręcepto, verumetiam dilectio ipſa beatifica. Iſtud ex intentione ponit B. Aug. in l. de perfectione iuſtitiæ ſicut iam allegatum eſt. Et arguitur iſtud quoniam mandatum Dei ęternum eſt ex tota materia E ſua, dilectio autem beatifica eſt de ipſa materia, ergo non exit limites pręcepti. Pręterea ad dilectionem beatificam omnes obligamur tendere, niti & conari, ergo illo modo ſaltem eſt in pręcepto. Etiam quia vt dictũ eſt: Beati qui perfectè & totaliter Deum diligunt non faciunt opus conſilij ſed magis pręcepti, quoniam maximè obligantur perfectè Deũ diligere. Ex quo apparet vltra, quod illud quod cadit ſub præcepto poteſt diuerſimodè impleri abſq; culpa vel tranſgreſſione. Aliter enim diligunt Deum viatores aliter comprehenſores, F aliter perfecti viri, aliter incipientes & aliter proficientes. Et tamen minus peccant imperfecti ſi non æquè Deum diligant velut perfecti iam in charitate firmati & radicati, nec imputatur viatoribus ad culpam ſi non eo amore vnitiuo Deo hæreant quo & ipſi beati, quamquam ſecundum Aug. dilectio beatifica ſit ſub præcepto. Licet enim ſit ſub præcepto, non tamen eſt de neceſſitate pręcepti. Neq; enim neceſſe eſt vt optimo modo diligatur Deus, quinimo ad euitandũ culpam ſufficit appreciatiuè plus eũ diligere, hoc eſt quod amor Dei omnibus pręponatur, ſic quod paratus

Digitized by Google

eſſet homo ante omnem alium amorem dimittere quam Dei amorem, & hic eſt vnus modus perfectæ dilectionis nobis poſſibilis & de neceſſitate præcepti. Vlterius ex concluſione ſequitur, quod ſi conſilia ad perfectionem vitæ Chriſtianæ facere dinoſcuntur, non tamen eſſentialiter hominem perficiunt in vita Chriſtiana.

Prima pars claret ex decurſu euangelij.

Pro ſecunda arguitur, quoniam plures perfecti fuerunt in vita ſpirituali abſque obſeruantia conſiliorum euangelicorum, vt de Abraham conſtat, cui Dominus ait ambula coram me & eſto perfectus. De Iob etiam cui nullus ſimilis erat in terra, de cæteris quoque patriarchis, patribus & prophetis veteris teſtamenti, quos fuiſſe perfectos nullus negat, neque tamen ſeruauerunt aut impleuerunt conſilia euangelica. Item in ſtatu innocentiæ fuiſſent homines perfectiſſima in vita ſpirituali, nec tamen obſeruaſſent conſilia euangelica, paupertatis, obedientiæ & caſtitatis, ſed eorum perfectio fuiſſet in adimpletione diuinorum præceptorum. Ex quo patet quod pro tanto conſilia euangelica pertinere & facere dicuntur ad perfectionem vitæ ſpiritualis, quia ſunt inſtrumenta quædam expedientia & promouentia admodum ad perfectionem ipſam vitæ ſpiritalis conquirendam, vel iam acquiſitam conſeruandam. Sequitur ex dictis quod ex quo non intrant eſſentialem conſtitutionem vitæ Chriſtianæ, oportet dicere quod ſolum inſtrumentaliter ad illam faciunt & concurrunt, quemadmodum in vita corporali qualitatiuæ diſpoſitiones, inſtrumenta, organa, & huiuſmodi perficiunt quidem vitam corporis, ſed inſtrumentaliter tantummodo, accidentaliter ſecundum quid, & nullo modo eſſentialiter. Hoc expreſsè tenet ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 193. articulo octauo hoc in ſolutione primæ rationis atque ſequenti a. 4. vbi quærit an liceat epiſcopis aliquid poſſidere in ſolutione primæ rationis. Idem & q. ſubſequenti ar. 2. in corpore quæſtionis vbi dicit, quod ad perfectionem vitæ Chriſtianæ eſſentialiter pertinet perfecta obſeruantia præceptorum. Hoc idem ponit quæſt. 198. artic. primo in corpore, vbi quærit an habere aliquid in communi diminuat de ratione perfectionis. Hæc eadem terminat in libello ſuo de perfectione vitæ ſpiritalis. Sic & poſt eum Godefridus de fontibus, & alij. Vlterius infero quod paupertas voluntaria quantumcunque arcta non perficit hominem eſſentialiter in vita Chriſtiana. Iſtud expreſsè determinat Caſſianus in collationibus patrum collatione prima, & allegat ſanctus doctor in libro ſæpe memorato. Ieiunia inquit, vigiliæ, nuditas, priuatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis ſunt inſtrumenta, quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ finis, ſed per illa peruenitur ad finem. Ob hoc enim ait ſanctus doctor vbi ſupra hæc religionibus inſtituta ſunt, non quia in ipſis principaliter conſiſtat perfectio, ſed quia his quaſi quibuſdam inſtrumentis ad perfectionem venitur. Hoc idem ponit ſecunda ſecundæ quæſt. 194. art. 4. in ſolutione primæ rationis. Vnde & quærens in libro de perfectione vitæ ſpiritalis, quomodo fuit Abraham perfectus qui diuitias habuit, & diues mortuus eſt. Hæc inquit, quæſtio ſolui non poteſt ſi perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſteret in ipſa dimiſſione diuitiarum. Sequeretur etenim Abraham diuitem, non eſſe perfectum aut fuiſſe. Verum ſi verba Domini diligenter conſiderentur, non in ipſa abdicatione diuitiarum perfectionem poſuit, ſed hoc eſſe quandam viam & diſpoſitionem ad perfectionem, ſicut & ipſe modus loquendi clarè oſtendit. Si vis inquit, perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & ſequere me. Vltimò ponit, & ſequere me, quia in ſequela Chriſti conſiſtit perfectio ad quam inſtrumentaliter diſponit abdicatio diuitiarum. Vnde & illam abdicationem ordinat ad dilectionem proximi. Da inquit, pauperibus: Quocirca & beatus Hieronymus ſuper illo: Ecce nos relinquimus omnia & ſecuti ſumus te. Parum enim inquit, omnia relinquere, quod & Socrates fecit, & multi philoſophorum. Ideo & iungit quod perfectum eſt, & ſecuti ſumus te. Non quidem paſſibus corporis, ſed amoris. Sic & Origenes ſuper illo: Si vis perfectus eſſe &c. Non ſic inquit, intelligitur iſtud vt in ipſo tempore quo tradiderit quis bona ſua pauperibus perfectus fiat, ſed quia ex illa die incipit ſpeculatio Dei, depoſitio ſcilicet onere diuitiarum, quia ſic liberius Deo vacans poteſt eum adducere ad omnes virtutes. Videtis quod in actibus virtutum ponit eſſentialem & finalem perfectionem. Sic igitur poteſt quis poſſidens ampliſſimas diuitias perfecta charitate Deo inhærere, & ipſis affluentibus cor non apponere, quemadmodum conſtat fuiſſe de Abraham: cuius perfectio non ponitur in abdicatione diuitiarum, ſed in hoc quod coram Deo ambulauerit. Ambula coram me (ait ad eum Dominus) & eſto perfectus. Ambulauit autem perfectè Deum diligendo & amando. Nec ex hoc arguere poterit quis inutile eſſe conſilium paupertatis, ſicut ait ſanctus doctor vbi ſupra. Non enim vt ipſe ait, propter hoc dedit conſilium iſtud quaſi diuites perfecti eſſe non poſſint, ſed quia faciliter non perficitur homo cum poſſeſſione diuitiarum. Hoc idem ſentit Dominus Guillelmus Antiſiodorenſis reſpondendo ad quoddam argumentum cum arguitur. Relinquere omnia eſt opus perfectæ charitatis. Hoc inquit, ſic intelligendum eſt, quod eſt ſignum perfectæ charitatis, & non eſſentialiter perfectio.

Præterea ſi paupertas eſſet eſſentialis perfectio, ſequeretur quod nulli diuites poſſent perfici in vita Chriſtiana, ex quo non haberent paupertatem, quæ ſecundum aduerſarium pertinet ad eſſentialem perfectionem. Falſitas conſequentis ex illo arguitur Eccleſiaſtici 31. vbi beatus diues ille dicitur, qui inuentus eſt ſine macula, nec ſperauit in theſauris pecuniæ. Super quo gloſſa magna. Siquidem virtus eſt diuitem eſſe, & perfecta charitate Deo figi & adhærere, qui ex affectu diuitiarum maculam non contraxit, qui poſt aurum concupiſcendo non vadit, nec de diuitiis ſuperbiendo ſuper alios ſe extollit. Sequitur: Quis enim eſt hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Verè enim mirabilia facit qui in diuitijs affluentibus cor non apponit. Poſt quæ omnia concludit, qui probatus

eſt

eſt in illo & perfectus inuentus eſt. Item ſi paupertas voluntaria eſſentialiter faceret ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, ſequeretur quod poſſeſſio opum & diuitiarum eſſentialiter imperficerent hominem, & ita prælati, papa Dominus omnium, viri eccleſiaſtici poſſidentes diuitias, iſti deficerent à perfectione Chriſtiana, immo ipſi religioſi qui de arctiſſima paupertate gloriantur, tranſeuntes ad prelaturas in quibus recipiunt amplas diuitias, illi inquam caderent à perfectione eſſentiali vitæ Chriſtianæ, & ita nunquam deberent ad prælaturas illas tranſire. Porrò quod in ipſa dimiſſione pecuniarum ſeu diuitiarum non conſiſtat eſſentialis perfectio, declarat Sanctus doctor in libello ſæpe dicto, arguens per exemplum quod ipſe ſaluator tradens Matth. 5. cap. documenta perfectionis dicebat: Si quis percuſſerit te in maxillam, præbe ei & alteram. Et qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum eo & alia duo milia. Manifeſtum eſt quod viri perfecti non ſemper iſta actu implent. Alioquin ipſe Dominus à perfectione defeciſſet, qui percuſſus à ſeruo pontificis, non præbuit aliam maxillam, ſed dicit: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, Si autem bene, cur me cædis? Similiter Paulus qui alapam à ſacerdote receperat, non obtulit aliam maxillam, ſed conſtanter dixit: Percutiat te Dominus paries dealbate. Sic ergo non eſt de neceſſitate eſſentialis perfectionis hæc opere implere, ſed ſufficit vt in præparatione animi habeantur, vt ait Auguſtinus libr. de ſermone Dei in monte, quod & diuites habere poſſunt. Vnde viri perfectiſſimi Athanaſius, Syluester, Hylarius, & alij ſancti plures viri perfecti, opes & diuitias poſſiderunt. Denique in ſtatu innocentiæ fuiſſent homines perfecti, & tamen fuiſſent maximè & verè domini temporalium, quibus dicebatur à Domino: Dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli &c. Sequitur vltra quod ieiunium, abſtinentia, inediæ, vigiliæ, non pertinent eſſentialiter ad perfectionem vitæ Chriſtianæ. Hoc ex intentione tenet Caſſianus vbi ſupra, & allegatur in priori corollario. Nam & de Domino legimus quod venit manducans & bibens. Quamobrem Auguſtinus 10. confeſſionum: Non ego inquit, timeo immundiciam obſonij, ſed immundiciam cupiditatis. Hęc eſt enim quæ imperfectum facit, non ipſum obſonium. Et in lib. de doctrina Chriſtiana. Vſus inquit, talium non eſt in culpa, ſed libido. Fieri enim poteſt vt ſine vitio aliquo voracitatis, precioſiſſimo cibo ſapiens vtatur, inſipiens ardentiſſima gulæ flamma in viliſſimum inardeſcat. Simile dicitur in libr. de quæſtionibus euangelij, & recitatur in decretis. Oportet inquit, ſapientes filios intelligere, non in abſtinendo vel manducando eſſe iuſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi inopiam. Nam Paulus qui ſciebat abundare & cum manducantibus manducabat non imperficiebatur ex hoc, aliàs nunquam eguiſſet. Qua in re Richardus de Sancto Victore in libro de exterminatione mali & promotione boni. Hinc eſt ait, quod multos videmus mira abſtinentia corpus afflixiſſe, morbos graues incurriſſe & incurabiles,

A eoſdem ipſos poſt edomitam concupiſcentiam, poſt acceptam diuinitus gratiam rigoris priſtini frena laxaſſe, & corpori ſuo in cibo, potu, ſomno veſtitu, multò amplius quam cuſtodia ſanitatis poſtulaſſet indulgere. Conſtat autem quod loquitur de perfectis, vtpote de illis qui concupiſcentiam edomuerant, & diuinam gratiam receperant. Vnde & beatus Macharius ſummus ille anachoritarum hominum perfectiſſimus vnus de ſolitudine veniens ad congregationem fratrum, & vinum bibens cum eis, non ex hoc imperficiebatur. Quod ſi abſtinentia à vino eſſet eſ-

B ſentialis perfectio, nunquam illam relaxaſſet.

Cæterùm ſi ieiunium, abſtinentia, & cætera eſſent de eſſentiali perfectione, ſequeretur quod vtentes cibis delicatis, carnibus & volatilibus non poſſent perfici in vita Chriſtiana, immo ſequeretur quod infirmi debiles qui forte tota vita ſua ieiunare non poſſunt, ſenes ipſi in religionibus & alibi. Iſti inquam deficerent qui inedias, vigilias, abſtinentias ferre non poſſunt à perfectione Chriſtiana. Quod quis diceret? Corolla-

C rium iſtud tenet ſanctus doctor ſecunda ſecundæ quæſt. 96. art. 2. in cor. quæſtionis. Ex prædictis infero quod paupertas, vigiliæ, abſtinentia, ieiunium, inediæ, nuditas, priuatio omnium facultatum non ſunt virtutes. Apparet ex prædictis, quoniam omnes virtutes ſunt de eſſentiali perfectione vitæ Chriſtianæ. Hæc autem omnia ſunt extra eſſentialem perfectionem vitæ Chriſtianæ vt deductum eſt. Item ſi ita eſſent virtutes, ſequeretur quod debiles, infirmi, ſenes, diuites,

D non poſſent habere omnes virtutes, cum ipſi ſenes & valitudinarij ieiunare non poſſint & abſtinentiam facere, & diuites non habent paupertatem, ſic nullam virtutem habere poſſent. Cum enim virtutes ſint connexæ, & diuites non habeant paupertatem, quæ ſecundum aduerſarium eſt virtus, & infirmi non habent abſtinentiam, ſequitur illatum. Ex quo ſtatim apparet quod iſta omnia prædicta ieiunium, vigiliæ, paupertas & huiuſmodi, magis ſunt quædam voluntariæ pœnalitates, quam virtutes dicendæ. Patet ex di-

E ctis, quoniam ſi paupertas vel ieiunium eſſent virtus vel gradus virtutis, tunc eſſent per ſe laudabiles, quoniam virtutes ſunt per ſe bonæ, & de genere per ſe laudabiles. Certum eſt autem quod paupertas non eſt laudabilis, niſi ex hoc adiuncto quod eſt voluntaria. Sic eſt de ieiunijs & vigilijs. Vnde quemadmodum mors ipſa voluntariè perpeſſa pro Chriſto, licet ſit meritoria, non tamen eſt virtus animæ, aut potentiæ perfectio, ſicut actus vel habitus exiſtens in anima, ſed magis eſt quædam voluntaria & meri-

F toria pœnalitas, ſic de prædictis imaginandum eſt.

Vlterius infero quod habens familiam, vxorem & liberos poteſt eſſentialiter perfici in vita ſpirituali & Chriſtiana. Patet de Abraham vt argutum eſt, de Iob & alijs quam plurimis viris perfectis tam veteris quam noui teſtamenti, qui vxores habuerunt. Secundò, quia tales poſſunt habere omnes virtutes. Si enim daretur inſtantia, maximè, eſſet de ipſa incontinentia. Hanc autem habere poſſunt ipſi coniugati, vt expreſsè determinat Auguſtinus in libro de bono coniugali.

Digitized by Google

Continentia etenim ſicut ipſe ait, non eſt virtus corporis,ſed animi. Nam virtutes aliquando latent in habitu,aliquando manifeſtantur in opere, omnem autem actum vel habitum animi quem habent non coniugati poſſunt & ipſi coniuges habere. Sicut enim exemplum eſt beati Auguſtini vbi ſupra. Non impar eſt meritum eſſentiale fortitudinis vel patientiæ in Ioanne qui paſſus non eſt, & in Petro qui paſſus eſt. Habuit enim Ioannes virtutes fortitudinis & patientiæ æquè perfectas ſicut & Petrus. Sic & conſimiliter non eſt impar meritum eſſentiale caſtitatis vel continentiæ in Ioanne, qui nuptias expertus non eſt, & Abraham qui filios genuit. Abraham enim caſtitatem cœlibatus,Ioannes habuit in voto & habitu, & caſtitatem nuptiarum in vſu, qui libenter abſtinuiſſet ab omni actu coniugali, ſi Dominus præcepiſſet, ſicut Ioannem legitur à nuptijs reuocaſſe, qui quidem Ioannes continentiam oſtendit in actu exteriori. Ex quo ſequitur quod virginitas ſecundum illud quod addit vltra continentiam,& ſi ſit quidam decor virtutis,non tamen eſt virtus nec gradus virtutis, aliàs coniugati nō poſſent omnes virtutes habere, immo quia virtutes neceſſariò cōnexæ ſunt, nullam omnino virtutem haberent quibus deeſſet virginitas.Secundò nulla virtus tollitur niſi per peccatum,virginitas autem abſque peccato perdi poteſt,vt in actu coniugali. Tertiò omnes virtutes & actus earum pro loco & tempore ſunt in præcepto, virginitas autem nulli ſeruanda præcipitur.Quartò omnis virtus perdita vel amiſſa, per pœnitentiam poteſt reparari, ſola virginitas perdita vel amiſſa nunquam reparatur.

Ex præmiſſis igitur apparet quomodo conſilia euangelica faciunt ad perfectionem vitæ ſpiritalis,faciunt enim vt dictum eſt ſicut inſtrumenta promouentia vel expedientia vel manuducentia ad illam,aut ſicut remouentia prohibens. Quia enim concupiſcentia oculorum plurimum impedit & retardat à perfectione habenda, Ideo ad tollendum iſtud dedit Dominus conſilium paupertatis per quam tolluntur & abdicantur ea quæ extra nos ſunt,videlicet temporalia. Quia proinde concupiſcentia carnis viam præpedit ad perfectionem habendam. Eapropter adhibuit Dominus conſilium caſtitatis, quæ tolleret illud quod eſt iuxta nos,videlicet vt eſt concupiſcentia carnis. Quia denique ſuperbia vitæ maximo impedimento eſt ad ipſam perfectionem,datum eſt idcirco conſilium obedientiæ,qua noſmetipſos abnegemus, ponentes propriam voluntatem in arbitrio alterius. Concordat cum iſtis doctor ſolennis in quæſtionibus de quolibet dicens quod conſilia euangelica plus faciunt ad vitam ſpiritualem negatiuè,remouendo prohibentia quam poſitiuè.

Hoc idem ponit doctor ſanctus in pluribus locis,dicens quod conſilia ordinantur ad vitam ſpiritalem , ſicut ad vitam corporis tuendam ordinatur medicina præſeruatiua, quæ non intrat eſſentialem conſtitutionem viuentis, & ſine ea poteſt haberi perfecta & integra ſanitas. Cætera autem præcepta alia à charitate faciunt ad vitam ſpiritualem, ſicut cibus vel alimentum ad vitam corporis, ſine autem cibo vel alimento non eſt vita, immo & alimentum per actionem caloris naturalis conuertitur in alitum vel cibatum. Sic ergo apparet quod quantumcunque remoueantur impedimenta perfectionis per inſtrumenta conſiliorum, vel quantumcunq; perfecta inſtrumenta habeantur ad perfectionem habendam, nunquam tamen dicendus eſt homo perfectus, niſi habeat illa quæ veniunt & concurrunt ad eſſentialem conſtitutionem & perfectionem vitæ ſpiritalis, quæ ſunt obſeruantia præceptorum diuinorum & exercitium virtutum, de quibus omnibus dantur præcepta & de perfectione earum. Itaq; & ſi conſilia euãgelica plurimum expediant & valeant ad perfectionem vitę ſpiritalis conquirendam, non tamen neceſſariò requiruntur ad eam,quoniam in omni ſtatu,ſexu, ordine, gradu, perfecti viri inuenti ſunt.Ex quibus colligi poteſt breuis & neceſſaria differentia præceptorum & conſiliorum quoad materiam vel obiectum ſuper quo feruntur, quoniam conſilia propriè & maximè reſpiciunt materiam inſtrumentalem diſponentem ad facilius & breuius acquirendam eſſentialem vitæ Chriſtianæ perfectionem. Et ideo ſunt perfectio ſecundum quid & accidentaliter. Præcepta verò diuina magis de directo & immediatè reſpiciunt illa quæ eſſentialiter pertinent ad vitam Chriſtianam & ſpiritalem, ſicut virtutes & actus earum.

Ex iſtis infero quod obligatio præceptorum maior eſt & efficacior quam obligatio votorũ. Probatur iſtud primò comparando votum & præceptum ad materiam circa quam cadunt. Secundò comparando ad modum & vim obligãdi. Et tertiò comparando ad illa à quibus trahunt rationem ſuæ obligationis. Ex prima radice arguitur, quoniam præcepta diuina ſunt & dantur de illis quæ per ſe bona ſunt,vtpote de actibus virtutum, de dilectione Dei & proximi, quibus homo ſimpliciter bonus dicitur in vita ſpiritali & Chriſtiana, & in quibus ſtat & eſſentialiter conſiſtit vita ſpiritalis & perfectio ipſius. Vota autem non ſunt de operibus præceptorum, ſed magis de inſtrumentis ad vitam Chriſtianam,vt de paupertate, abſtinentia, vigilijs & huiuſmodi, quæ non ſunt per ſe bona virtutum,ſed magis diſpoſitio ad virtutes. Ex ſecunda radice arguitur idem.Quoniam naturalis obligatio vel vinculum immutabile & indiſſolubile maius eſt quam voluntarium & diſpenſabile. Ad præcepta autem obligatur homo naturaliter & indiſpenſabiliter. Ex tertio medio probatur corollarium, quoniam præcepta trahunt & ſortiuntur vim à Deo dictante & naturaliter inſerente in tabulis cordis. Vota autem ſuam immediatam obligationem accipiunt à voluntate hominis vouentis, qui quantum vult ſe ligat & obligat pro libitu votum ſuum qualificat. Item præcepta ſunt de neceſſarijs ad ſalutem, non ſic autem vota. Magis autem obligamur ad illa quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, quam ad ea quæ ſic non neceſſariò quæ requiruntur. Proinde vota non habent vim obligandi niſi ab ipſis præceptis. Vnde tenetur quis vota ſua implere virtute præcepti illius iuris naturalis, quo iubetur promiſſa reddere, igitur. Vlterius infero quod conſilia & obſeruantia conſiliorum ordinantur finaliter ad

præcepta

præcepta & mandata, hoc eſt ad perfectam obſeruantiam præceptorum & mandatorum. Sequitur ex dictis, quoniam perfectio ſecundum quid & accidentalis ordinatur ad perfectionem ſimpliciter, conſilia autem & vota pertinent ad perfectionem ſecundum quid, & præcepta ad perfectionem ſimpliciter, vt dictum eſt. Etiam quia inſtrumentum eſt propter principale agens vota autem & conſilia ſunt de materia inſtrumentali. Ex quo poteſt ſumi ratio ad præcedens corollarium, quoniam ad vota & conſilia obligatur homo finaliter propter ipſa præcepta, igitur præcepta magis obligant per regulam Ariſtotelis primo poſteriorum: Propter quod vnumquodque tale & illud magis. Ex quo apparet quod dum conſilia dicuntur eſſe de meliori bono, non fit comparatio eorum ad præcepta, ſed ad ſua contraria. Verbi gratia, cum paupertas dicitur melius bonum, non comparatur paupertas ad opus præcepti, ſed ad diuitias, ſic quod paupertas melior eſt ad perfectionem acquirendam vitæ ſpiritalis, quam poſſeſſio opum & diuitiarum. Vel pro tanto dicuntur conſilia de meliori bono, quia ordinantur ad meliorem & perfectiorem obſeruantiam præceptorum, quam ſit communis obſeruantia eorum qui non accipiunt inſtrumenta conſiliorum & votorum.

Sequitur vltra. Et ſi plus mereatur quis per opus aliquod factum ex voto, quam per illud idem ſine voto, votum tamen nō mutat genus aut ſubſtantiam operis. Prima pars arguitur, quoniam per votum homo dat plus Deo ſcilicet opus ipſum & potentiam, dum facit ſe non poſſe quin faciat, quod prius poterat non facere. Siue iuxta communem metaphoram, vouens dat fructum & arborem, alius aut qui non vouit, ſolum dat actum vel fructum ſine potentia vel arbore. Maius autem eſt dare actum & potentiam, fructum & arborem, quam ſolum fructum vel ſolam arborem vel actum. Item quia per votum magis firmatur homo in bono.

Secunda pars arguitur, quoniam votum non addit niſi rationem voluntariæ obligationis, iſtud autem non mutat genus vel ſubſtantiam operis. Ex quo vlterius hoc patet, quod multa opera ſine voto perfectiora ſunt & meliora quam aliqua alia ex voto. Probatur, quoniam diligere Deum ex toto corde melius eſt, quam aliqua tepida caſtitas, & opus martyrij ſine voto longè melius eſt, quam paupertas vel ieiunium ex voto.

Ex prædictis infero quod papa in omni voto religionis diſpenſare poteſt. Hoc patet, quoniam in omni emiſſione voti ſubintelligi debet voluntas principis vel ſummi pontificis. Item ſi non poteſt diſpenſare papa in omni voto, vel hoc eſſet quia votum, & ſic ſie iure diuino & naturali reddendum eſt, vel quia ſolennizatum. Non primū, aliàs in nullo voto papa poſſet diſpenſare, quod eſt abſurdum. Et patet conſequentia, quoniam redditio vnius voti non plus eſt de iure diuino, quam redditio alterius. Nec ſecundum dici poteſt, quia ſolennizatio voti eſt de inſtitutione eccleſiæ, & ita de iure humano, ſupra quod eſt papa, & ita patet quod papa poteſt facere de monacho non monachum, quoniam ſicut arguit de Palude, eſſe monachum non eſt niſi eſſe obligatum ad obſeruantiam trium principalium votorum. A Huiuſmodi autem obligationem vel vinculum ſoluere poteſt papa, ſicut & legitur feciſſe de rege quodam Arroganum, quem exire coegit de clauſtro ad prolem procreandam & vxorem ducendam. Ex præmiſſis omnibus ſequitur quod multi ſunt perfecti & fuerunt in vita ſpirituali, qui non ſunt in ſtatu perfectionis. Patet de multis coniugatis qui ſunt & fuerunt perfecti in vita Chriſtiana, nec tamen habent ſtatum perfectionis, quoniam ſtatus coniugalis non dicitur ſtatus perfectionis. Conſimiliter multi (vt proh B dolor & clarè nimium videre eſt) ſunt in ſtatu perfectionis prælationis vel religionis omnium imperfectiſſimi, diſſoluti in vita & moribus; vt inde dixerit Gregorius in paſtorali: Plerumque ordinem perſonarum permutauit qualitas morum. Vnde pro declaratione ampliori deſcribitur ſtatus perfectionis, quod eſt modus viuendi in quo quis obligatur ad perfectionem acquirendam vel exercendam, ſiue obligetur per votum, aut prælationem vel dignitatem. Dixit ac- C quirendam, propter ſtatum religioſorum. Exercendam, propter ſtatum prælatorum, epiſcoporum & curatorum. Infero vltra quod ſtatus perfectionis exercendæ generaliter perfectior eſt ſtatu illo qui ordinatur ad perfectionem acquirendam, hoc de ſe notum eſt, quoniam exercere opera perfectionis dignius eſt & perfectius quam ad illa niti, tendere & feſtinare. Similiter & ſtatus ille perfectior eſt qui obligat aſſumentem illum ad opera perfectiora exercenda vel acquirenda, quam ille qui ad minus perfecta obli- D gat, aut exercenda, aut conquirenda. Vlterius ſequitur quod ſtatus perfectiſſimus in eccleſia militante, eſt ſtatus epiſcoporum. Patet, quia obligat ad opera hierarchica perfectiſſima exercenda, quæ ſunt purgare, illuminare & perficere. Purgare arguendo, corripiendo, increpando. Argue, increpa: obſecro monet Apoſtolus Timot. quem epiſcopum ordinauerat. Illuminare autem inſtruendo, docendo, monendo. Oportet (ſcribit Apoſtolus) epiſcopum amplectentem eſſe eum, E qui ſecundum ſanam doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt ſit potens exhortari in doctrina ſana, & contradicentes arguere. Quamobrem & in ordinatione epiſcopi petitur ab eo: Scis nouum & vetus teſtamentum, & reſponde ſcio. Perficere deniq; hoſtias, preces, orationes, ſacramenta, quæ ſunt vaſa ſanctificationis & gratiæ offerendo. Omnis enim pontifex (vt inſtruit Hebræos apoſtolus) ex hominibus aſſumptus pro hominibus cōſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Item quia prælatus debet F animam ſuam ponere pro ſubditis, quod eſt opus perfectionis, maximè debet regentibus ſubſidia miniſtrare temporalium bonorum. Si enim (inquit Greg.) non dat ſubſtantiam ſuam quando daturus eſt animam ſuam? Item ſecundum apoſtolū & diuinū Dion. epiſcopi ſunt cooperatores Dei. Pōtificū ordo ait Diony. 1. & ſublimiſſimus. Et Hugo in cōmento: Epiſcopi ſunt ſublimes, & ſuperiores ac ipſi diuinitati magis appropinquantes. Sequitur vlterius quòd ſtatus prælationis non ideo dicitur perfectiſſimus, quia conuenientior

Digitized by Google

& aptior eſt ad perfectionem acquirendam, ſed quia hominem iã perfectum requirit. Patet, quia ſtatus eſt perfectionis in alios exercendæ, non acquirendæ, quare hominem perfectiſſimum exigit & requirit. Quocirca accipiamus differentiam inter ſtatum perfectionis acquirendæ, & ſtatum perfectionis exercendæ, quæ quidem differentia à fine ſumenda eſt. Status nempe perfectionis exercendæ intendit bonum ſuum in alios effundere & multiplicare, ſtatus vero perfectionis acquirendæ bonum illud quod iam alius diffundit, intendit, nititur & feſtinat in ſe acquirere.

Primus ex abundantia in alios redundat, ſecundus in ſe ſtat.

Secundum enim Ariſt.5.Ethi. Virtus tunc perfecta eſt quando habens eam poteſt ad alterũ vti & modo ad ſeipſum. Multi enim in proprijs virtute vti poſſunt qui ad alterum nequeunt. Vltra ſequitur, & ſi ſtatus prælationis ſit ſtatus perfectionis exercendę, non ſic tamen exercendę, quin etiam & ſit acquirendæ. Patet, quia prælati non ſunt in ſummo perfectionis, ſed indies proficiunt in gratijs & virtutibus. Non quod iam acceperim (dicit Apoſtolus) aut perfectus ſim, hoc eſt ſic quin amplius perfici poſſim. Sequor autem ſi quo modo comprehendam. Quare autem plus dicatur perfectionis exercendæ quam acquirendæ, ideo eſt, quia principaliter datur & inſtituitur ex officio & ordine, vt bonum quod in eo eſt extendat, deriuet in alios & effundat, & quaſi ſe neglecto, alijs non ſibi viuat, qui nec ſic perfectus eſt, quin vlterius perfici queat. Sed quia maxima ex parte iam perfectionis eſt, ſicut perfectus doctor & clericus dicitur, quia excellenter profecit in doctrina, quamquam omni die proficiat in ea. Ex iſtis infero quia ſtatus curatorum in ordine proximus eſt ſtatui epiſcoporum. Patet, quia eadem opera hierarchica eis incumbunt quæ & epiſcopis, & ſi non in tam excellenti gradu. Debent enim ſubditos purgare arguendo, increpando, illuminare docendo & prædicando, perficere ſacramenta miniſtrando. Tenentur & in caſu ſicut epiſcopi animas pro ouibus ponere. Vnde & in miſſione ſeptuagintaduorum diſcipulorum quibus curati ſuccedunt ſecundum theologos & iuriſtas, quaſi eadem opera mandauit eis Chriſtus quæ & Apoſtolis. Lucæ decimo.

Sequitur ſtatim ex hoc quod ſtatus curatorum perfectior eſt ſtatu religioſorum. Patet, quia proximior eſt ſummo ſtatui epiſcoporum, ergo &c. Quod autem eſt propinquius ſummo, eſt perfectius. Secundò quia ſtatus curatorum eſt ſtatus perfectionis exercendæ, religionis verò ſtatus magis eſt acquirendæ, ſecundum prædicta autem ſtatus perfectionis exercendæ perfectior eſt ſtatu perfectionis acquirendæ.

Quod ſtatus religioſorum ſit perfectionis acquirendæ, hoc expreſsè ponit ſanctus doctor ſecunda ſecundæ 96.art.1.in ſolutione 3.& 4.rationum & ar.2.in corpore quæſtionis. Et libello ſuo de perfectione vitæ ſpiritualis. Status inquit, religionis ad perfectionem pertinere dicitur pro quanto eſt via tendendi ad perfectionẽ per quædam exercitia regularis obſeruantiæ. Vnde & ſecunda ſecundæ in pluribus locis quæſtionis eiuſ-
A dem. Religioſus inquit, non profitetur ſe eſſe perfectum, ſed magis adhibere curam, operam & ſtudium ad acquirendam perfectionem per regulares obſeruantias ſuæ religionis quam aſſumit ſicut inſtrumenta ad perfectionem. Et ita ſicut ipſe dicit, dicitur ſtatus perfectionis ſolum ex intentione finis perfectionis acquirendæ. Qui autem operatur ad finem, nondum aſſecutus eſt finem. Alioquin religioſus profeſſus vnius diei qui veriſſimè & propriè eſt religioſus, eſſet iam perfectus, & pueri quatuordecim annorum pro-
B feſſi dicerentur iam perfecti, quod quis diceret? Vnde & in religionibus licitè & bene reperiuntur pueri adoleſcentes, homines indocti & imperfectiſſimi, vt ſcilicet perficiantur in religione, tales autem nunquam deberent admitti ad curam regendam. Sic igitur ſtatus curatorum requirit hominem perfectiorem, quam ſtatus religionis. Eapropter dicebat Auguſtinus & habetur. 21.q.1.ca. Probatiores non niſi & meliores in clericos, hoc eſt curatos recipimus. Non dicit in mo-
C nachos vel religioſos ad quem ſtatum, quia eſt ſtatus perfectionis acquirendæ omnes recipi poſſunt. Præterea ſecundum Dionyſium ſtatus prælatorum præfertur ſtatus religioſorũ, quia eſt adductiuus & alius in ſe ſtatus. Ipſorum autem curatorum eſt etiam alios ad Deum adducere, exhortando, inſtruendo.& monendo, quo ſic ad Deum redeant. Vnde 6.c. cœleſtis hierarchiæ ait ipſe Dionyſius: Conſummandus monachus retro ſacerdotem ſtat, non ſupra caput habens tra-
D dita eloquia: Sequitur in textu. Quod autem neque ſupra caput tradita eloquia habere dicitur & aſtare ſacerdoti, declarat monachium ordinem non eſſe alijs prælatum, ſed in ipſa ſtantem ſingulari & ſacra ſtatione. Vnde & ab initio inſtitutionis religioſorum, vt ex legendis patrum claret & apparet, religioſi erant ſubditi parochialibus curatis, à quibus recipiebant eccleſiaſtica ſacramenta. Poſtmodum verò vt vagandi tolleretur occaſio, abbates eorum inſtituti ſunt curati eorum. Item arguitur ad corollarium, quoniam cu-
E rati ordinati ſunt ad bonum commune, religioſi verò vacant bono priuato & ſingulari & ſacræ ſtationi, bonum verò commune diuinius eſt & melius bono priuato. Infero vltra quod ſtatus curatorum ſicut & epiſcoporum eſt de primaria & ordinaria Chriſti inſtitutione. Patet, quia ipſi diſcipuli quibus ſuccedunt curati ſecundum gloſſas & canones, fuerũt ordinarij hierarchiæ & immediatè à Chriſto miſſi, & poteſtatem hierarchizandi acceperunt non à Petro, ſed à Chriſto.

Sequitur vltra quod curati parochiales non ſe
F habent ad ſe epiſcopos ſicut baliui vel præpoſiti ad regem vel principem. Patet, quoniam ipſi curati habent ordinariam iuriſdictionem ſiue poteſtatem exercendi ea quæ iuris ſunt in ſubditos, ſicut & diſcipuli quibus ſuccedunt. Præpoſiti autem & baliui non habent niſi ſubdelegatam iuriſdictionem non ordinariam.

Secundò ſi curati non haberent ordinariã iuriſdictionem plus quam præpoſiti vel baliui regũ & principũ, tũc epiſcopi poſſent pro libitu & merè gratis eos deponere abſque culpa, ſicut principes de

Digitized by Google

de ſuis præpoſitis & baliuis facere poſſunt. Conſequens autem falſum eſt, quia ſecundum canones eccleſiam quam quis iuſtè adeptus eſt, nō niſi pro graui culpa coram epiſcopo canonica ſeueritate amittere debet. Item quia curati de iure diuino & communi poſſunt opera hierarchica exercere, arguere, docere, prædicare, perficere, ſacramenta miniſtrare, ſequitur quod ſtatus curatorum non eſt facticius, vel aduentitius vel voluntarius. Patet ex quo ſecundum prædicta eſt de primaria Chriſti inſtitutione, & ordinarius ſtatus. Vlterius ſequitur quod ſicut papa non poſſet ſtatum epiſcoporum ab eccleſia tollere, ſic nec ſtatum curatorum. Patet, quia in ſuis anteceſſoribus immediatè à Chriſto miſſi sūt, ſicut & epiſcopi in apoſtolorum miſſione. Vltimò infero ſicut ſummus pontifex non poſſet ſtatum curatorum abolere vel tollere, ſic nec à parochianis omnium curatorum omnem debitam ſubiectionem tollere vel ſuſpendere, ita vt in nullo eis ſubijcerentur. Probatur, quoniam ſecūdum dicta curati à Chriſto in ſuis ſucceſſoribus acceperunt autoritatem & poteſtatem actiuam immo mandatum & præceptum hierarchizandi ſubditos ſuos, ergo Chriſtus eodem actu vel mandato inſtituit, ordinauit & præcepit quod ipſi ſubditi à curatis hierarchizarentur, & ad eos venirent. Fruſtra etenim daretur actiua poteſtas hierarchizandi niſi per paſſiua: Vnde ſicut arguunt doctores theologi, Chriſtus dando apoſtolis poteſtatem abſoluēdi: Quorum remiſeritis peccata &c. illo eodem actu & mandato obligabat homines ad confeſſionem peccatorum, quoniam ſine cōfeſſione nunquam abſoluerent, & fruſtra dediſſet autoritatem abſoluendi niſi in ſubditis correſpondenter inſtituiſſet obligationem præceptiuam ad ſe ſubmittendum eis pro beneficio abſolutionis. Ita in propoſito imaginandum eſt. Item quia ipſi curati iure naturali & diuino obligantur curam & ſollicitudinem gerere, ac rationem diſtinctam reddere de ouibus ſibi commiſſis, igitur ipſi etiam parochiani eis obligantur & ſubijciuntur. Tenet conſequentia, quia obligatio debet eſſe mutua, nec claudicare debet. Itaque neceſſarium eſt ſi rex vel princeps teneatur ſubditos tueri, regere, protegere ac defendere, quod correſpondenter ſubditi eis debeant ſubiectionem, tributum & vectigal, & è contra ſi plebs vel populus debet principi reuerentiam & tributa, rex etiam debet eis protectionem & defenſionem. Nam & ipſe ſummus pontifex propter magnitudinem obligationis vocat ſe ſeruum ſeruorum, ſic etiam oportet quod omnes ei maximè obligentur. Sic igitur inter curatos & parochianos eſt mutua naturalis & diuina obligatio, quam generaliter papa non poteſt ab omnibus tollere.

Finis.

TRACTATVS PER MODVM DIALOGI DE SVPERFECTIONE *cordis, à magiſtro Ioanne de Gerſon compoſitus. Anno 1423. Theologus loquitur ad animam chriſtianam.*

A DILIGES Domium Deum tuū ex toto corde. Cum hoc tibi præceptum ſit ô anima chriſtiana, tu ad impletionem eius totum cor præpara, & vigilanter intende. *Anima.* Deſidero agnoſcere, totalitas cordis in quo conſiſtit, quoniam tot varijs & ad varia motibus continuè ſpargitur, & nunc hac, nunc illac celeriter diuiditur, quod vix aut nunquam totum in ſe collectum feratur in vnum preſertim ſpirituale & inuiſibile, quale Deus eſt obiectum. *Theologus.* Totum ſicut dicit, Ariſtoteles B idem eſt quod perfectum, perfectum verò dicitur illud cui nihil deeſt. Si autē hæc perfectio ſimpliciter & abſolutè cōſideretur, ſolus Deus perfectus & totus eſt, quia ſolus eſt cui ſimpliciter nihil deeſt, in quo. ſ. omne illud eſt eſſe quod melius eſt, quā nō eſſe. *A.* Hec ita eſſe nedū fide, ſed phyſica & metaphyſica demonſtratione confiteor. Verumtamen aliqui loqui de totalitate vel perfectione cogunt hæc verba: Diliges Dominū Deū tuum ex toto corde tuo. *T.* Rectè ſentis & dicis ô C anima. Propterea totalitas aliqua vel perfectio dicitur in creaturis ſecundum quid vel contractè, dum videlicet alicui rei nihil deeſt eorum quæ ſibi competere debent iuxta hanc vel illam conditionem ſuæ ſpeciei vel naturæ vel gratiæ ſuperadditæ. Sic enim dicitur homo perfectus in corpore dum nihil corpori deeſt quod ad eius integritatem & compoſitionem pertineat, ſed membris omnibus plenè donatum eſt. *A.* Nolo per multa vageris. Dic in propoſito, quid ſit cor tuū vel perfectum. Non quidem perfectione naturæ D ſed moris & gratiæ, ſi enim litteræ circunſtantia iubet intelligi. *T.* Triplex ſolet à magiſtris ipſa quam quæris totalitas cordis diſtingui, quæ ſub quadam latitudine vnita, totalitas dici poteſt, diuerſos ſecundum maius & minus gradus habens. Vnde cor tuum ſeu perfectum dicitur, quod ſpiritusſanctus inhabitat per gratiam gratum facientem, quoniam tali cordis ſic ſe habenti non ſtat vt aliquid deſit eorum quæ ſibi neceſſaria ſunt ad ſalutem. Iam enim non in gratia, ſed in mortali E culpa eſſet, ſi careret neceſſarijs ad ſalutem. *A.* Diligunt igitur Deum ex toto corde, & iſtud implent præceptum pueri nouiter baptizati. Dormientes etiam adulti dum ſunt in gratia immò vigilantes dum venialiter peccant, cor ſpargentes per varia creaturarum oblectamenta, ſalua tamen charitate. *T.* Illi quos dicis quemadmodum dicūtur Deo placere per fidem ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, dicuntur inſuper Deo placere & credere, Ita & dici poſſunt Deum ex toto corde F diligere, quia & ſi non actualiter, tamen habitualiter cor habent iunctum Deo. Cæterum diſtenſio varia cordis per venialia, cum non auertant à Deo, non expellit cor extra latitudinem totalitatis ſeu perfectionis de qua loquimur. Habet autem ſicut præmiſimus, hæc latitudo totalitatis gradus aliquos, videlicet tres in genere, quorum gradus modo numeratus eſt infimus. Alius eſt eſt ſupremus in beatis, vbi cor fertur actualiter & aſſiduè ſecundum charitatis motionem in Dei dilectionem & amorem, ita quod nihil eſt quod retardet, aut interpolet, aut rumpat aut impediat huiuſmodi cōtinuam cordis in Deum lationem.

Digitized by Google

Tertium & hunc medium nominamus gradum, qui ſecum venialia actualiter admittit. Nec ſo- A
lum perficitur in ipſum cor per charitatis habitum, ſed frequenter per actum quantum humanæ vitæ huius fragilitas agi ſinit quamuis ad beatitudinis finem non attingat. A. Placet hæc diſtinctio, ſed ex ipſa confeſtim ſequi videtur omnem exiſtentem in gratia habere ſtatum perfectionis. T. Quare. A. Quia perfectè Deum diligit ex toto corde, & hoc actualiter ſæpe vt adulti, vel ſolum habitualiter vt infantes baptizati. T. Vtique ſic fateri neceſſe eſt, quoniam omnis talis eſt in ſtatu ſalutis æternæ religionis chriſtianæ, qui B
ſtatus meritò perfectus habendus eſt. A. Quid ſibi volunt igitur tot de ſtatuum varietate & perfectione conquiſitiones? ſi ſtatus vnicus chriſtianæ religionis ſufficiens ſit ſtatus perfectionis. T. Præſuppoſito ſemper & retento eo vero quod nunc intulimus, nec aliquis ambigere debet chriſtianus, quod perfectio ſtatus humanæ vitæ conſiſtit in charitate. Multi conſequenter conati ſunt tradere modos & media non in quibus eſſentialiter conſiſteret perfectio cordis, iuxta Caſ- C
ſianum coll. prima, ſed per quæ media perfectio talis tanquam finis attingeretur commodius, & augeretur, vel roboraretur efficacius, quoniam iuxta prędicta perfectionis huius latitudo ſuſcepit in ſe maius atque minus. A. Superflua (ne dicam curioſa) videtur eſſe de ſtatuum perfectione talis locutio. Itaque nunquid legiſlator Chriſtus qui Deus eſt, cuius perfecta ſunt opera perfectam dedit legem, quæ contineret media commodiſſima retinendi ſtatum perfectionis euangelicæ, D
& in magis ac magis proficiendi, per opera nunc conſiliorum, nunc medius iſtis, & nunc illis pro qualitate perſonarum temporum & locorum, cum cæteris circunſtantijs, quæ creberrimè variantur. T. Fuit tempore Conſtantienſis concilij quidam illic frater ordinis prædicatorum aſſerens nullum eſſe poteſt in ſtatu perfectionis niſi tria vota cum profeſſione ſolenni ſuſciperet. Examinati doctores theologi obiecerunt de Chriſto, qui non iſta vouit, immo nec apoſtoli omnes, nec diſcipuli, nec virgo Maria. Nam E
in eccleſia primitiua quando erat perfectio Chriſtiana, quando erant eis omnia communicat, quando nullus egens erat inter eos, legitur quod vxores habuerunt multi, ſicut ex Anania & vxore ſua colligitur, & de Petro conſtat. Quid rurſus quod hæc aſſertio ſtatui prælatorum qui dicuntur ſeculares, detrahit, quos tria hæc vota non feciſſe conſtat. A. Nonne prælati omnes immo & clerici vniuerſi in ſacris ordinibus conſtituti votum habent caſtitatis, non qualemcunq; F
ſed ſolenne, quale dirimeret matrimonium iam contractum. T. Habent fateor quamuis nonnulli talium vel neſciant vel non attendant, ideo quod non expreſſerunt verbo illud votum quod facto per ipſam ordinis ſuſceptionem confirmauerunt, quemadmodum nouitius tranſacto anno iudicatur profeſſus, vtens veſtibus profeſſorum, nec reclamans verbo. A. Vt video iam non poteſt de imperfectione ſtatus iſte culpari ex carentia voti caſtitatis. Sed quid de altero duplici voto dicetur? T. Colligitur in primis contra dictum fratrem; quod votum vnum poteſt fieri non additis alijs & hoc in ſæculo. Colligitur deinceps quod ſacerdos ſecularis habet ſtatum perfectionis ſaltem in hac perpetua ſubiectione voti caſtitatis. Colligitur tertiò, quod ſi iuramenti vinculum, ſi præterea fides in baptiſmo promiſſa non minus obligant Deo quam votum voluntarium, nihil prohibet ſacerdotes huiuſmodi canonicos collegiatos & reddituatos ſtatum perfectionis obtinere. A. Expecto declarationem. T. Siquidem facilis eſt. Nonne quilibet talium debet obedientiam ſupremo abbati Chriſto & eius vicario ſupremo, & conſequenter inferioribus vſque ad decanum ſuum, vel alterum immediatè ſibi propoſitum quocumque nomine dignitatis appelletur, ſit vnus, ſint plures in vnum ſicut capitulum? Ecce obedientiam, & vt ſæpe iuramento firmatam. Iurat omnis de nouo gremio vniuerſitatis ingrediens rectori ſuo. A. Ciuiliter intelligitur tale iuramentum non de omnibus vniuerſaliter, ſed quantum ſe poteſtas ordinaria rectoris extendit. T. Fatendum eſt plane ſic intelligi. Sed nec aliter iuramenta vel vota religioſorum ſuper obedientia plenaria reſpectu ſuorum ſuperiorum debent accipi, dum videlicet ſuperior iubens regulæ ſe conformet, alioquin in multis quilibet voto conſtrictus regularis obſeruantiæ, habere poteſt & velle & nolle, iſti latius, iſti ſtrictius. Poteſt quoque iubenti contra limites regulares abbati vel priori, cur ita facis, dici, ſed non paſſim aut leuiter ſine grandi cauſa. A. Video quemadmodum concludere vos obedientiam in ſecularibus prout in monachis inueniri. Sed quid de voto paupertatis induces? cum ſeculares ſint proprietarij, ſint ſub diſtinctis tectis, ſint in diſtinctis menſis, ſint ementes & vendentes dantes & mutuantes. T. Videtur iſtud non obſtare perfectioni paupertatis, ſi fuerit apud tales inſitum veraciter propheticum: Diuitię ſi affluãt, nolite cor apponere, vt ſint talibus vtentes quaſi non vtentes, qualis erat Paulus: quales apoſtoli: quos fortaſſis dicit Auguſtinus ideo altiſſimam vouiſſe paupertatem, ſimiliter de caſtitatis & obedientiæ votis. Quis ſi taliter habere diuitias ſit imperfectum, dic mihi de tot abbatibus, prioribus, cæteriſque plurimis religionum profeſſoribus quid cenſebitur: quos conſtat nec ſub eodem tecto iacere, nec in eadem menſa comedere, ſedere cũ cæteris qui vendũt, emunt, diſpenſant, agunt demum in nullo quod appareat ſecularibus reddituatis diſſimile. A. Grandis potius inuenitur adhuc differentia, quoniam portio data ſecularibus de communi dotatione totius eccleſiæ ſuæ dum diuiditur id quod commune eſt per ſingulos cedit in vnum dominium cuiuſlibet. Non ſic apud religionum profeſſores, quorum multis permittitur vſus rerum plurimarum, vel pro diſpenſatione in alios, vel pro ſua ſuſtentatione, dominio ſemper apud ſuperiores remanente.

T. Dicunt ſcio talia plures eorum, ſi verò magna pars aliter ſua ſeruat, ipſi conſiderent. Neque leuiter vel arroganter ſeculares diiudicent, qui cum ſuo (qualem notant imperfectionis) dominio, poſſunt vſum modeſtum (ne dicamus modeſtiorem, frugaliter exercere. Concludendum

cludendum

cludendum igitur ad vnum, quod ſolus ſtatus religionis chriſtianæ ſub abbate Chriſto eſt ſtatus perfectionis, ſicut ſolus eſt charitatis & ſalutis, extra quem neque ſalus ſtat neque perfectio. Sunt tamen in ſua latitudine perfectionis viæ multæ, quædam plus, quædam minus ad compendium propinquantes. *A*. Quid ſibi blandiuntur ergo religionum profeſſores & inſtitutores. *T*. Exiſtimant quod regulæ per eos datæ vel explicatæ, dum ſub quadam profeſſione & obligatione retinent ſuos profeſſos quos communi vocabulo religioſos dicimus, ipſi iam ſtatum ingrediuntur, non quidem perfectionis iam habitæ vel exercendæ, ſed adipiſcendæ. *A*. Ecce iam diuertunt iſta à vera ſignificatione huius quod eſt perfectio chriſtiana, dum fatetur homines in religionis ſtatu poſitos eſſe non ab huiuſmodi perfectionis exercitium, quod certè præmiſſis repugnans eſt. Eſt enim chriſtianus omnis in ſtatu perfectionis exercendæ dum ſibi vacat pro loco & tempore, immo & hoc etiam ex promiſſione ſeu voto profeſſionis baptiſmalis, cuſtodiendo obedientiam, caſtitatem & paupertatem, iuxta vocationem ſuam, & ſi non ſemper in actuali exhibitione tamen in animi præparatione & habituatione, iuxta per te nunc deducta. *T*. Contendere non conuenit de nominibus vbi de re conſtiterit. Rurſus omittenda eſt huiuſmodi diſceptatio ſuper perfectionem ſtatuum, quoniam ſapere videtur phariſaicam gloriationem, pro qua compeſcendis ſcripſit apoſtolus ſuam profundiſſimam ad Romanos epiſtolam, concludens ſalutem noſtram eſſe ex gratia Dei, vt non glorietur ante eum ſtulta præſumptio omnis carnis. Porrò qui de ſtatus ſui perfectione gloriatur, recogitet quod non in ſtatu perfectionis eſſe, ſed perfectè viuere laudabile eſt. Penſet quia quanto gradus altior, tanto caſus grauior. Terreat illud Auguſtini Ariſtotelico conforme verbo: In eremo bene viuere, ſumma perfectio eſt, malè autem viuere, ſumma damnatio. Et iterum ſicut inquit, non facile inueni meliores quam qui profecerunt in monaſterio, ſic nec eis qui defecerunt, deteriores. Vtrum verò plures in talibus vocatis perfectionis ſtatibus proficiant quam deficiant, nolo te curioſam eſſe in inueſtigando nec temerariam in iudicando, nec ſuperbiam in contemnendo, nec garrulam in diſputando, quia iam in multorum moribus prohdolor & conuerſationibus magis quam in codicibus & diſputationibus veritas experitur, quæ concludit apertè religiones huiuſmodi facticias nequaquam dare perfectionem, ſed frequenter in contrarium eius quod intenderunt non ſui, ſed abutentium vitio, vel ex improportionatis ſuis moribus vitæ ſeu viuendi regulis ſe fortaſſis altioribus mirabiliter dilabuntur. *A*. Fiat mihi ſecundum conſilium tuum, quoniam quidem in omni ſtatu perfectionis homines inuenire contingit habentes obedientiam, caſtitatem & paupertatem in animi promptitudine, ſecundum quam in ſæculo dici poſſunt obedientes, & in matrimonio caſti, & in maximis diuitijs pauperes ſpiritus, ac exinde perducuntur ex his medijs ad augmentum & perfectionem charitatis ſupra multos in religione, in cœlibatu, in mendicitate viuentes. *T*. Rectè dicis ſi tamen ſollicitè tibi præcaueris ab erroribus Iouiniani & aliorum ſimilium detrahentium perfectioni conſiliorum, qui confundere videbantur ad vnam æqualitatem ſeu paria merita coniugium cum virginitate, eſum carnium cum ieiunio, obedientiam regularem cum ſæculari libertate, diuitias cum paupertate, vindicationem licitam iniuriæ propriæ cum indulgentia & manſuetudine & ita de conſimilibus. *A*. Abſit vt ita deſipiam, vt obſeruationi detraham conſiliorum. Quamuis enim non obligent hominem obſeruationem ſuam, quia iam non eſſent conſilia ſed præcepta: Nihilominus teneor aſſentire quod diſcreta conſiliorum obſeruatio cæteris paribus eſt perfectior quam tantummodo præceptorum. *T*. Doctè loqueris & diſcrete de obſeruatione conſiliorum, dum iungis quod ſit diſcreta, & addis, cæteris paribus. Poteſt itaque fieri quod præbere alteram maxillam percutienti, aut dare pallium tollenti tunicam, & ita de conſimilibus, ſit vitioſum, dum percutiens aut rapiens per impunitatem fit deterior, & in perniciem reipublicæ diſſimulatio talis vergit. Contingit iterum quod homo non obſeruans conſilia per votum nec per actualem operis exhibitionem, habeat intenſiorem & certiorem in corde præparationem eadem obſeruandi conſilia dum impletionis faciendi ſibi neceſſitas vel vtilitas occurrerit. Quis non dixerit plus valere aurum quam plumbum, ſed cæteris paribus intellige. Nam multum plumbum maioris eſt precij pauciſſimo auro. Sic comparationes ſemper examina quoniam vix aliter eſt quin comparata habere ſe poſſint vt excedentia & exceſſa. *A*. Concedimus itaque eſſe. Sed nunquid perfectius eſt iſta tria habere, obedientiam, caſtitatem, paupertatem, ſub voto ſicut habent religiones (quas Anſelmus nominat facticias, quia factæ videntur poſt inſtitutionem legis euangelicæ) vt ea quæ conſiliorum erant fierent ſub præcepto, homo quoque ſubderet ſe perpetuæ ſeruituti propter illum cui ſeruire regnare eſt, & cuius regi frenis ſumma libertas eſt, & cuius vincula ſunt alligatura ſalutaris. Ac perinde mutet ſtatum de quadam libertate ſæculi in perpetuo ſub voto iugum. Habet hoc omnis doctorum ſententia, quod opus bonum factum cum voto, circunſtantiam accipit, quæ de ſe meliorat ipſum. Et quod religio quælibet facticia conſiſtit eſſentialiter in hoc triplici voto, quamuis in regulis & inſtitutionibus alijs varia ſit & lata differentia maximè inter varietatem finis proximi ſub Deo fine præintento. Sortitur denique talis quælibet religio nomen ſtatus ratione iam prætacta, immo & ſtatus perfectionis ſecundum modernos antiquis ſilentibus appellatur. *A*. Quo pacto poteſt iſtud nomen tam egregium & nobile plurimis qui ſunt in huiuſmodi religionibus profeſſi conſentire, quos eſſe nemo negat multum imperfectos vel ignorantia, vel ex naturali & morali impotentia, vel ex certa malitia. *T*. Reſponſio iam ſicut & obiectio prætacta eſt.

Pro cuius elucidatione pleniori diſtinguunt lo-

quentes de perfectione ſtatuum, quod ſtatus eſt aliquis perfectionis non vt habitę, ſed adipiſcendæ, quoniam in ipſum & per ipſum ſatagit profitens perfectionem acquirere, non qualicunque modo, ſed ſpecialiter per tria vota cum annexis regulæ & inſtitutis. Eſt inquiunt, alius ſtatus perfectionis vt iam habitę & exercendæ in alios, qualem dicunt eſſe ſtatum prælationis ad quem ſpectat alios, nedum ſeipſos purgare, illuminare, perficere, tanquam hierarchicum ſtatum in eccleſia. *A*. Ecce iam approbare videtur hæc diſtinctio illud quod cauſabatur de improprietate locutionis dum ſtatus perfectionis ille dicitur qui non ex ſe perfectos habet, ſed perficiendos videat logicus, ſi ſequitur. Iſte eſt ſtatus perfectionis acquirendę, ergo eſt ſtatus perfectionis. Nunquid non aptius vocatur ſchola, vel via vel diſciplina ad perfectionem adipiſcendam, quam ſtatus perfectionis abſolutè. Quis diceret quod religioſus eſt in ſtatu gloriæ perpetuæ, eſt tamen in ſtatu talis gloriæ non quidem adeptæ, ſed adipiſcendæ. *T*. Nolumus vt prædiximus vbi de re conſtituerit deſeruire contentioni de nomine. Propterea neque reputamus hic inſiſtendum ſi ſtatus curatorum debeat dici ſtatus, vel tantummodo gradus, vt concedatur gradus perfectionis exercendæ, & non ſtatus ſecundum illos qui non dicunt eſſe ſtatum ſine voto, vel obligatione perpetua.

A. Si concedatur hoc illis, nonne ſunt curati ſuis eccleſijs, ſemel ſuſceptis obligat, non cedere, non fugere tanquam viri paſtores, quemadmodum ſuis ſunt aſtricti maiores prælati. *T*. Dicunt quod non, & hoc ex duplici ſigno, primò, quia poſſunt intrare religionem abſque ſpeciali diſpenſatione papæ, non ſic epiſcopi. Rurſus, quia facultatem habent liberam reſignandi vel permutandi qualis non conceditur epiſcopis. *A*. Diuerſitas arguitur ex hac duplici radice quia vbi maius periculum, ibi cautius agendum fuit. Eſſet autem maius periculum ſi fas eſſet epiſcopis paſſim eccleſias ſuas dimittere, quam de curatis. Nihilominus eſt proportionalis obligatio iure diuino curato ad ſuam eccleſiam & prælatorum maiorum ad ſuas cathedrales, ita ſcilicet quod neutris licitum eſt abſque rationabili cauſa deſerere cœptam eccleſiam. Sed euidentior cauſa requiritur vbi maius (vt dictum eſt) immineret periculum. Hinc de prælatis papa retinuit ſibi cognitionem ſpecialem, non ita de curatis. *T*. Probabilis eſt iſta reſponſio quæ conſequenter infert curatos eſſe tam in gradu quam in ſtatu perfectionis exercendæ. Non ita de religioſis qui vt tales præciſi ſunt, non præſunt cæteris, nec ſunt ſacerdotes, nec clerici, vnde monachus dicitur quaſi ſolus & plangēs ſeu dolens. *A*. Quo pacto igitur poteſt aliquis curatus deſerto ſtatu perfectionis maioris ad ſtatum minoris vltro deſcendere vt monachus fiat? *T*. Dicent aliqui quod hoc non poteſt niſi rationabilis cauſa ſubſit, cuius cauſæ cognitionem papa reliquit eorum conſciētiæ. Eſt autem rationabilis cauſa ſi curatus videt eſſe ſe ſcandaloſum populo ſuo, ſi penitus ineptū, inſufficientem & ignarum pro ſuſcepti regiminis officio, quæ cauſæ ſufficientes ſunt etiam in epiſcopis, vt à papa vel ſpontanei vel inuiti transferantur. *A*. Mouet ex diuerſo nonnullos iſta quæ

A fit trāſlatio de monachis in epiſcops. Aduerſatur inquit, talis aſſumptio duplici voto, obedientiæ ſcilicet & paupertatis, quoniam & diuitias habent ſine perfectionis diminutione prout ab eis conceditur & à ſuis abbatibus cum regularibus diſciplinis abſoluuntur. *T*. Reſpondent iſti diuitias ſe habere in epiſcopo, non in proprietatem poſſeſſionis, ſed in officium diſpenſationis. Dant exemplum de matrimonio, quod datur primò homini in officium propagationis, non in remedium libidinis, vt modo datur aliquibus hac ſola de cauſa, quos eſſe conſtat non idoneos ad prolificādum.
B Sic inquiunt, diuitiæ retinentur à quibuſdam vt ſecularibus pro ſolo ſui ſolatio, non in officium. E conuerſo reperitur in prælatis monachis qui diuitias quibus antè renunciauerunt non amplectuntur in prælatura pro ſolatio proprio magis quam antea, ſed ad diſpenſationis obſequioſum in pauperes officium. *A*. Deſuper eſt inſpector Deus, qui nouit intentiones cordis aliter in pluribus ſe habere qui dicit: Operibus credite. *T*. Loquimur hic non quales ſint. ſ. quales eſſe debeant
C monachi dum prælaturas aſſumunt. Qui præterea non abſoluuntur ab obedientia, ſed mutant illam ſub ſummo pontifice quantum & qualiter priorē vitam viderint regularem non poſſe cum prælationis executione ſeruati. *A*. Confirmant hoc ea quæ ſuper ſecularium obedientia diſſeruiſti. Sed nunquid ſupereſſe difficultas maior videtur in mendicantibus qui iam vtiq; nequeunt verè dici mendicantes, cum ſuppetat eis ius plenum, diuinum, naturale & poſitiuum recipiendi temporalia à ſubditis, ita vt ipſi iam non ſolo titulo naturalis neceſſitatis accipiant neceſſaria, qui titulus
D ſolus propriè reddit mēdicātem eſſe ſimul & dici. Alioquin reges gentium & omnis homo generaliter accipiens aliquid ab altero qui dat ſponte dici poſſit mendicare. *T*. Dicerent aliqui mendicantes idcirco remanere, quia titulo poſſeſſorio renunciant, & ſolo quo contenti ſunt titulo paupertatis aut naturalis neceſſitatis petūt gratis, nec vrgent ſi negentur, nec titulo iuris diuini vel naturalis impellunt, & hoc pro cauſa ſua, ſed de pau-
E peribus curant, certant & diſceptant. *A*. Fateor ita vel dici vel fingi poſſe, ſed veritas nec illuditur nec caſſatur. *T*. Sic volunt dici Chriſtum fuiſſe mendicum, nō quoniam eſſet Dominus vniuerſorum. Quid enim verius, ſed abdicauit à ſe, & ſi non dominium, tamen dominij vſum. Sic voluerunt aliqui nedum monachos, nedum clericos, ſed prælatos omnes cum papa & cardinalibus debere pauperes eſſe vel mendicos exemplo Chriſti magiſtri. Dicunt alij minus intemperatè loquen-
F tes quod eccleſiaſtici ſæculares & ſi non mendicent, viuunt ſaltem de eleemoſynis, quaſi ſc. purè gratis collata ſuſceperint, non vt operarij digni cibo ſuo, Domino pro ſe & alij deſeruientes.

Secunda pars principalis quæ ſtatim oſtendit quid inquiritur.

OMittimus interim materiam hanc mendicitatis, quæ quot difficultates & ambages attulerit præſertim in regula minorum, qui appropriationem aſſumunt, & in proprio & in communi

mani, multitudo decretalium extrauagantium nunc iſtarum, nunc illarum: maximè tempore Ioannis 22. ſatis inſinuat. Reuertatur oro ſermo noſter ad initium, quod erat inhærere ſuper cordis totalitate ſeu perfectione, vbi quæſtio ſurgit ſcitu digna ſcilicet ſi cor teneatur pro ſua perfectione ſeruanda, ſemper illud agere quod reputauerit eſſe Deo placentius meritique maioris? *T.* Reſoluitur hæc quæſtio tua ſub generalioribus terminis. Si præpoſitis alicui duobus bonis incompoſſibilibus, ſemper quod melius eſt illud eligere teneatur. *M.* Placet reſolutio, proſequere quid ſit in ea veritatis? *T.* Fuerunt dicentes maius bonum dum proponuntur voluntati ſemper amplius mouere, nec poſſe voluntatem in electionem boni minoris tunc ferri. Alioquin data eſſet facultas libertatis in malum voluntatis. *M.* Scis per articulum Pariſienſem hoc eſſe damnatum & tamen quid ad rationem talium reſpondetur elucida, quia propoſitis ſimul duobus diſparibus in bonitate ſemper minus bonum comparatum maiori habet rationem mali. Voluntas autem nunquam ferri poteſt in apparens malum, ſecundum Dionyſium & Ariſtotelem, quia nemo ad malum aſpiciens operatur. *T.* Fortiter opponis, ſed vtrumque diſſoluitur ſi profundè reſpiciatur natura liberi arbitrij, quod eſt facultas rationis & voluntatis, ſiue liberum de ratione iudicium. Cæterum nimirum creaturæ non rationales feruntur in finem ſuum ex prædeterminatione ſuperioris cauſæ regentis, nec habent in ſua poteſtate modos oppoſitos tendendi in ſuos fines.

Sed vno modo quælibet ſpecies operatur, vt hirundo quælibet facit nidum ſuum, pari modo ſic apis fauos, ſic aranea telas, ſic formica colligit bladum. At verò rationalis creatura: quia percipit per inſitam & coniunctam rationem diuerſos modos ad eundem finem veniendi, nec ad vnum limitatur: facultatem habet hoc vel illo medio vti. Hoc autem non eſt in malum, ſed grande priuilegium voluntatis, quamuis illo contingat abuti. *M.* Nonne ſalubrius eſſet humanæ creaturæ quod inſtar animalium ligaretur ad vnum conſecutionis finis ſui modum, quia perinde nec peccaret, nec à fine ſuo deficeret? Nonne prætereа ſic videmus in ſublimioribus creaturis, quod perfectiores inter eas ſunt quæ ſub paucioribus motibus finem ſuum conſequuntur, ſicut Deus in ſe perfectiſſimus eſt qui nullo vel eget vel agitatur motu. Cur igitur non erit ſic in inferioribus creaturarum, & in hominibus ſicut in angelis? *T.* Voluntas optima, ſapientiſſima & ordinatiſſima primi conditoris in hominibus ſolerter attendenda eſt, quorum duplex eſt ſtatus poſt primum innocentiæ deperditum, vnus vitæ, alius patriæ, verum illud erit in patria quod arguis de motuum quadam vnitate, quemadmodum nunc exemplificas in angelis. Sed in via quæ data eſt ad merendum voluit altiſſimus hanc hominibus dare facultatem vt relinqueret eos in manu conſilij ſui. Alio quoniam neceſſitas limitata quam laudem, quod meritum, quod præmium reportaret? Huc accedit gratiæ donum paratum omnibus non renitentibus, quod diuino quodam & vnico nec perturbabili ductu promouet ad vltimum finem noſtrum, non minus quam grauitas deorſum aut leuitas ſurſum.

A *M.* Supereſt prior mea obiectio quod minus bonum reſpectu aliorum incompoſſibilis habet rationem mali. *T.* Memini ſatis, ſed nequeunt omnia ſimul dici. Concedo in primis quod voluntas non poteſt ferri in malum ſub ratione mali, cum bonū vel apparens bonum ſit proprium eius obiectum. Quinetiam minus bonum maiori collatum incompoſſibili poteſt ſub hac præciſa collationis ratione rationem habere mali, & ita nec poterit vt ſic acceptari. Verumtamen habetur hic duplex euaſionis ſeu remedij via. Primam

B dicimus facultatem ſuſpenſiuam quaſi mediam in velle & nolle, fugam & perſecutionem, acceptionem & refutationem. Cuius facultatis ſuſpenſiuæ tanta virtus eſt in via, quod propoſitis quibuſcunque obiectis bonis aut malis citra vltimum finem, immo ſecundum plurimos ipſo etiam vltimo fine propoſito, poterit ſe voluntas tenere in ſuſpenſo, ne neutrum acceptet vel refutet, ſed ſe figat cum ratione quaſi plus deliberatura. Nec oportet hic quærere, quomodo po-

C teſt hoc fieri, quoniā natura volūtatis ſic à primo conditore data eſt ſuper agentia naturalia, vt non rapiatur ſeu compellatur mox irruere, ſed ſe ſiſtere fas habeat, ac per inde ſpatium deliberationis ne fallatur ita ſibi conceſſum eſt. Nec eſt altera pro vitandis erroribus & vitijs conſultior exercitatio. Prudentiæ quidem nil obeſt amplius quam præcipitatio neque rationem conſulens, neque conſulenti morem gerens. *M.* Video iuxta viam hanc non oportere vt duobus bonis inæqualibus

D propoſitis & incompoſſibilibus, & voluntas neceſſariò velit maius bonum. *T.* Non oportet vt eligat, quia nec oportet vt conferat ad inuicem illa duo bona, ſed fertur vltro in obiectum ſuum quod in ſe bonum eſt, & vt tale præſentatur ſibi. At ſi perges inquirere cur deſerit maius bonum? Reſpondebo, quoniam ſola voluntas eſt ſibi frequenter ſufficiens cauſa vel ratio quod iſtud eligit, & illud non. Nec exterior alia ratio quærenda eſt, cur iſtud vocant aliqui experientiam propriæ libertatis vel vſum eius, vt ſi quæratur à vo-

E luntate, cur ita facis? iure reſpondeat illud ſatyricum inferens: Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas. Et itaq; nullum poſſumus in diuina voluntate reſpectu creaturarum hoc vel illo tēpore, vel gradu, vel ſpem cur aliud inuenire. Sed nec apud grāmaticos in pluribus impoſitionibus terminorum aliter dicunt quam ſic placuit impoſitori. Quamuis cauſarum inquiſitio propinquarū non fruſtra ſit ad cognitionem diuinorum nobis qui primam & ſufficientem non ſufficienter poſ-

F ſumus intueri, qua plenè cognita nihil inſitum linquetur. *M.* Tranſi nunc ad formam propoſitæ dubitationis, aperiendo non quid voluntas poſſit, ſed quid agere teneatur. *T.* Tenebitur aliquādo minus bonum proponere vel acceptare dum eſt alteri maiori incompoſſibile; & hoc dum minus bonum cadit ſub præcepto, & maius eſt in ſolo conſilio. *M.* Fateor hoc, ſed ponamus amborum quodlibet cadere ſub præcepto, non quidē ſimul, quoniam implicaret cum ponantur incompoſſibilia, ſed ſub diſtinctione qua tenetur iſte vel vnū vel alterum de duobus acceptare, nunquid peccabit minus bonum eligendo ſpreto maiori?

Digitized by Google

T. Pendet reſponſio maximè ex conſideratione libertatis iam expoſita, ſecundum quam poteſt abbreuiato verbo dici quod ſufficit eligere minus bonum, non equidem ſub hac ratione qua eſt minus bonum, ſed quia bonum, & quia ſub diſtinctione, licet abſolutè præceptum. A. Reddas oro perſpicuam hanc concluſionem, quæ ſi non conceditur, neſcio quis hominum viatorum tutus erit quin teneatur illud ſemper agere quod melius eſſe perſpexerit. Hoc verò ſi quis compleat aut implere valeat circundatus tot infirmitatibus non ſatis inſpicio. Rurſus ex aduerſo militat doctorum magnæ reputationis aſſertio, quod in præficiendo regiminibus animarum teneatur prælatus eligere meliorem. Militat illud quod nolle fieri perfectum iam contemnere eſt. Nam regredi eſt iam lãguere circa præcepta Dei, iam non ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omni fortitudine, ex viribus omnibus diligere Deum, quoniam maioribus omiſſi dat homo ſe minoribus. T. Potenter ad vtramlibet arguis. Stat nihilominus veritas in robore ſuo cuius ignorantia ſcrupulos affert inextricabiles conſcientijs volẽtibus ambulare in via Dei, dum vel in ſpem temerariam vel in timorem irrationabilem dilabuntur. A. Tuum erit igitur palam facere veritatem hanc præcipuè per manuductiones exemplorum morales & groſſas prout exigit hæc materia. T. Conſtituamus mentis oculos in religionibus approbatis, nec lapſis, vt Carthuſienſis & Cœleſtinorum (Hodie enim celebritas agitur Petri Cœleſtini) Sit prior habens ſub ſe quatuor fratres, Petrum Paulum, Andream, Iacobum, dicit eis conuocatis. Ecce quatuor ſunt officia pro conuictu religioſo complenda. Primum eſt continuatio diuini ſeruitij vel diuini operis in eccleſia. Secunda eſt miniſtratio ciborum & aliorum neceſſariorum fratribus. Tertium eſt ſcriptura librorum quibus fratres informentur. Quartum ſpeculatio diuinorum, exemplo Mariæ, ſicut neceſſariorum miniſtrationem habet Martha. Pono (dicit prior) electionem cuiuſlibet iſtorum vnicuique veſtrum, quamuis voluntas mea vel conſilium magis declinaret iniungere tibi Petro primum officium, tibi Paulo ſecundum, tibi Andreæ tertium, tibi Iacobo quartum. At vtor magis verbo Chriſti ad cæcum: Dic quid vis vt faciam tibi? A. Recipio caſum & quid elicere vis expecto. T. Volo ſanè protinus elicere quod vterque præmiſſorum liber eſt acceptare vnum de quatuor vbi & prior vnum fieri per alterum melius iudicabit, non cogendo ſed conſulendo. A. Perge conſequenter. T. Pergo dicens quod inter opera quatuor antepoſita non dubium quin vnum ſit de ſe & in genere ſuo melius quam alterum. Nihilominus dicit (arbitror) nemo peccare Petrum ſi voluerit in illo quod de ſecundo loco vel tertio propoſitum eſt exerceri. A. Des aliud elucidationis exemplum. T. Sit homo multas à Deo gratias habens.

Vnam prædicationis popularis alteram lectionis doctoralis, alteram inquiſitionis nouarum veritatum pro confutandis hæreticis, vnam quoque ſolitariæ quietis ad vacandum ſibi contemplandumque cœleſtia. Conſtat vtramlibet harum gratiarum talentum eſſe conſilium à Deo. Conſtat præterea non ſimul vtrumque talentum huiuſmodi poſſe ex æquo diſtribui. Remaneat igitur oportet optio poſſidenti quam gratiam exequi ne vacua ſit eligere excepto duntaxat vrgentis neceſſitatis articulo, quo caſu vel ſimili iam non eſſet duorum diſſimilium & incompoſſibilium electio libera, ſed ad vnum limitatio certa. A. Reſpiciunt exempla priora proximum. Dic exemplum reſpiciens hominem ad ſeipſum. T.

Quærunt doctores ſi debeat homo ſemper conteri de peccatis? Reſpondent inter cætera multa quod doloroſa contritio quandoque poſſit obeſſe melioribus exercitijs, quo caſu poſſit obmitti continuatio ſua. Sic dicetur de compaſſionibus à proximi calamitatibus, quoniam iubemur flere cum flentibus, nihilominus obmitti poteſt hæc compaſſio vel recogitatio pro bonis alijs. Diceretur ſimiliter innumeris, alioquin nunquam eſſet finis, nunquam conſilium certum, nunquam exercitium ſtabile circa quodcunque, niſi concluſio teneretur conformis ei quæ dicta eſt. Sufficere poteſt homini Deum quærenti Deum toto corde diligenti ſi ea ſtuduerit implere quæ ſibi præcepta ſunt. Iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. A. Quid eſt igitur quod ſuper inſtinctibus tot & tanta ſcripta ſunt, vt ſequatur homo meliora quæ inſpirat ei Deus. Nec lãgueat (vt iam de Gregorio ſumptum dicebatur) circa præcepta, ſed attentat quæ ſit voluntas Dei, non tantummodo bono, ſed beneplacens & perfecta. Sit denique ſpiritualis diſcernens inter omnem diem. T. Meditatus ſum plurima per annos plurimos ſuper inſtinctibus huiuſmodi, ſi poſſet fundari ſtabilis regulatio cordis noſtri, tandem non inuenio regulam certiorem & fideliorem quam Dei legem, iuxta illud Pſal. Conſilium meum iuſtificationes tuæ, in quibus ſcilicet Deus ſemel locutus eſt, & idipſum non repetit. Scribit autem propheta terribilem de ſequẽtibus cor ſuum ſententiam: Dimiſit inquit, eos ſecundum deſideria cordis eorum, Ibunt in adinuentionibus ſuis. Viuit iſte qui crebrò commonitus vt crederet amicorum conſilio, Reſpondebat ſe vtique velle immo & debere illud facere. Nam quis eſt ad errandum procliuior? quam qui ſpreto aliorũ conſilio ſuo fiſus fuerit? Subiungebant: Fac igitur hoc & illud quale conſulimus. Subſiſtebant inquirens: Si ſub pœna peccati mortalis conſulerent illud agendum ſibi quo caſu nollet obniti, ſed eniti complere. Si verò decentiam quandam tempori vel rebus accommoda duntaxat intenderent ſuadere dicebat hoc remanere in arbitrio, quia non tenemur ſemper & in omnibus meliora complecti. A. Noui quem intelligi das ſilentio, vellem dares ſui talis reſponſi rationem. T. Eſt incomprehenſibilis humanæ diuerſitas complexionis vel conditionis, nedum in pluribus hominibus ſed in vno eodemque diuerſis non dico annis, non menſibus non hebdomadis, ſed diebus horis & momentis. Notum eſt inſuper illud Ariſtotelis quod delectatio in operatione tenet & auget illam. Et metrum vulgatum habet: Quod natura negat, nemo feliciter audet. Et quoniam cõſuetudo eſt altera natura hinc ſuadetur, vt quam quiſq; nouit & in qua nutritus eſt exerceat artẽ, & ſit cõtẽtus ſorte ſua. Cur nõ poterit cõſcius homo condi-

Digitized by Google

conditionis & inclinationis propriæ pro tempore vel conſuetudine dare ſe tali quod operatur delectabiliter exercitio, & ſi videatur humilius ſtatu ſuo? Hoc tamen obſeruato iugiter quod præceptiua domini voluntas fiat, aut eam dum apparuerit implere paratus ſit dicens ex ſententia illud orationis dominicæ: Fiat volútas tua. *A.* Remanet adhuc poſt omnia prior allegatio, quam nolle fieri perfectum peccatum eſt, quia iam non ex toto corde diligitur Deus. *T.* Immo dicút tales quod hoc eſt fieri perfectum & ex toto corde diligere Deum, dum cauent in primis offendere criminaliter eum, dum præterea ſuſcipiunt cum gratiarum actione gratiam bonitatis ſuæ, quę noluit eos obligare vt ſemper illud agere tenerentur quod eſſet in ſe melius, ſed acceptat de paupertacula noſtra munus obſequij qualiſcumque. Neque poſtremò ſic languent circa præcepta quæ ſibi ſufficiunt implenda quin iſta ſtrenuè, vigilanter, integrè, & quaſi ſupererogan ter ſtudeant exercere. Sintque in iſto ſtatu patientes atque longanimes, non vt Cain vagi poſt alieni ſtatus oblectationes, nō profugi à facie tribulationum, quas ſuus ſecum ſtatus affert, ſcientes nullum prorſus eſſe viatoris ſtatum quem non circunſtent aduerſitates plurimæ. Propterea non quærit ob aduerſitates ſui ſtatus mox in alium vel alium fieri tranſitum, ſed perſtat patientia vincens eas cum illa ſecuritate conſcientię, qua iudicat eſſe ſtatum ſuum cum ſalute, alioquin fateor vel mutandus eſſet, vel corrigendus vel deſerendus. Nos autem loquimur aduerſus eos qui volunt in omnibus ſcire quid melius eſt, quaſi non ſatis in Chriſtiano ſi ſe ſciat in ſtatu ſalutis eſſe. Neque tamen ad ſublimiora quandóque prohibemus progredi. Sed neque ad hoc ſemper teneri ſentiamus neque ſemper expedire pronunciamus propter inſtabilitatis detrimentum. Quo fit vt minora tenere fortiter, ſæpe ſit conſultius quam aſſidua vacillatione ad prærupta niti. Nos ſuppoſita doceant exempla. Petrus eligens inſequi ſeruitium Eccleſiaſticum continuabit illud, nihil aliud attendens quod ſocijs nouerit impoſitum. Paulus ita miniſtrabit temporalia vt non neceſſe habeant conqueri ſpiritualibus intendentes. Andreas induſtria fideli ſcribet libros alijs profuturos. Iacobus itaque ſe dabit deuotioni, ita ſtudebit in cœlis conuerſari quod alijs in occupatione poſitis gratiam auxilium & gloriam valeat promereri. Rectè ſicut in vno corpore verò laudatur membrum ſi ritè fecerit officium deputatum, quamuis appareat altero vilius. Vituperatur autem ſi præpoſterè velit alienum, licet honorabilius officium accipere. Sic in corpore myſtico diuiſiones gratiarum eſſe commemorauit pluries Apoſtolus. Poteſt ille prædicare ſi ita, poteſt etiam libere contemplari. Poteſt in homine manus vice pedum corpus aliquando ſuſtentare. Nemo tamen diceret manus debere paſſim ambulationi ſe tradere. *A.* Sentio commonito multáque profundè recogitas quod centralis finalis punctaliſque reductio in via Dei eſt præ cæteris omnibus veraciter agnoſcere quid iubeat Deus. Sit ille ſummus Abbas noſter, ſit noſter paſtor, nos oues ſimplices paſcuæ eius. Alioquin quantumcumque ſit zelus ardens & feruidus, ille tanquam ſcientia carens præceps eſt ad ruinam.

A *T.* Propterea beatus vir qui in lege domini meditatur die ac nocte, vt ſciat quid iubendo prohibendóque velit Deus. Nam per conſilium ligatur nemo, quamuis rarò fiat vt homines præcepta ſtrenuè compleant, quin quodammodo ſupererogent & miſceantur conſilijs. Vide quod qui diligit Deum (exempli gratia) ſub quatuor gradibus poſſet implere præceptum ſub vno gradu vel duobus, facit igitur amplius quam neceſſe fuerit ad ſalutem quod ſupererogatio conſilij nominari poteſt. Adde multos eſſe qui perfectioribus operibus intendentes minus incomparabiliter acquirerent de perfectione dilectionis Dei quam in ſua
B propria vel electione vel vocatione permanentes in imperfectioribus. Fuit apud Athenas quidam magnus ciuis, cui quaſi pro contumelia commiſſa eſt emundatio platearum ciuitatis. Suſcipio libens inquit, & talem operam dabo vt ipſa ciuitas munda ſit. Quo ſic impleto contigit vt officium prius viliſſimum glorioſum putaretur. Dixit vnus de prudentibus noſtræ ætatis dum fieret collatio ſuper officijs vel artibus vel ſcientijs. Quiſquis in ſua
C arte ſic exhibet ſe vt excellat in ea, ille laudandus, ille ſuſcipiendus, ille eligendus.

A. Supereſt adhuc ſcrupulus vehemens, ortum habens ex prædictis quæ videntur aſſerere nullum eſſe conſilium vel quærendum vel dandum niſi præceptis. Quod dicere quid aliud eſt quam conſiliorum prærogatiuam penitus annulare, dimiſſo quolibet homine in latitudine præceptorum.

T. Si data eſſet cuilibet homini tanta cognitio diuinorum præceptorum, tanta ad illorum com-
D plexionem dilectio, quanta requiritur & ſufficit ad finem beatitudinis acquirendū, non eſſet opus ampliori conſilio, hæc ſentētia eſſet ſatis cuilibet, hoc fac & viues. Verum longè aliter eſt. Hinc religiones particulares ſub Chriſti religione generali, & de ſe ſufficienti ſuperadditæ multiplicatęq; ſunt. Hinc quotidie noua vel incipientium in via Dei: vel in ea proficientium conſilia. Hinc porrò tam multiplex apud plurimos conquiſitio partim verax, partim fallax & ſæpius mendax, ſuper diſtributione talenti commiſſi, quale ſibi quiſque
E ſuadet leuibus ex cauſis eſſe datum. Sit illud talentum ſcientia conquiſita. Sit eloquentia in rebus humanis, ſit animarum regendarum ars, ſit zelus earum. Hinc appetitus ille non dicam ab initio prælaturarum, magiſteriorum, officiorum, prædicatorum ad populum, quæ omnia reuelaret vtinam caro & ſanguis. Denique religionum ingreſſus & profeſſio miſcet aliquando ſecum puluerem ſi non lutum denſum ſuſtentationis habendæ carnaliter otioſè & lautè, nec ſpiritus in mani-
F bus prælati ponitur aut recipitur ſed caro.

A. Negare nequeo ſicut & non dolere non valeo miſeriam noſtram hanc communem, quę vt frequēter incedit nō rectò nec immaculato calle. Sed nonne verum eſt Apoſtoli dictum? Qui Epiſcopatum deſiderat, bonū opus deſiderat. Quod dictum comprehendit in ſe primatum quorumlibet aliorum regiminum. *T.* Trahis ad materiam diu multúmque nobis aliàs ventilatam. Sed hoc vnum referre placet ad præſens veluti concluſerint per Apoſtolica verba. Si potes liber fieri magis vtere. Scis quoniam omnis prælatio ſeu dominatio veriſſimè ſeruitus eſt. Nec fruſtra, nec

fictè, nec mendoſè dicit ſe ſummus pontifex ſeruum ſuorum tanquam habens omnes homines A impoſitos ſuper caput ſuum redditurus de omnibus rationem. Si conſideret igitur vehementer & acriter homo quod nihil de ſe poſſit humana induſtria pro ſalute, pro correctione, pro eruditione hominum. Ita vt vbi plus aliquádo proficere crediderit, ibidem non prodeſſe, ſed obeſſe frequenter reperiatur, quia peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Mirabitur profectò ſtoliditatē humanæ præſumptionis non expectantis vt vocetur, nec vocari ſatis eſſet niſi B ſimul cogeretur. Quo pacto cogeretur? Per auctoritatem & legem vel Dei reuelantis, vel prælati mittentis, vel vrgentis, vel ineuitabilis neceſſitatis.

Sed allegabis Gregorium in homil. Nemo eſt qui veraciter dicere poſſit: Talentum minimè accepi, non eſt vnde rationem ponere cogar. O Deus æquiſſime quot hominum temerarios auſus hæc conſideratio minus intellecta fefellit? Quot inſultationes inanes & noxias proximorum reprehenſiones induxit? Teſtis eſt & Vualdenſium ſecta cum ſuis complicibus innumeris. Aduerſus quos oportuit decretales condere, ne quis auctoritate propria præſumeret prædicare, quod ad cæteros actus hierarchicos extenditur, immo nec fraterna correctio fieri ſecurè poteſt, niſi multo diſcretionis ſale condita ſit. *A.* Qua ratione poterit ergo diuinum præceptum compleri: Dilige proximum tuum ſicut teipſum? Cui conſonat illud ſapientis: Mandauit Deus vnicuique de proximo ſuo. Denique de eleemoſyna non tam corporaliter quam ſpiritualiter largienda. Et quia maledicitur qui frumentum abſcondit in populis. Nam ſapientia abſcondita & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque? Et ſeruus piger non quia diſſipauit, ſed quia in ſudario (quod mundum eſt) pecuniam ſeruauit domini, ſeueriſſimè damnatus eſt. *T.* Monent iſta dum allegantur. Habendum eſt idcirco ſuper talibus conſilium vt ſcire valeat homo quid agendum? Agendum intelligo non per ſolam erogationem conſilij, ſed neceſſitate præcepti. Conſurgit autem præceptum altero trium modorum quos tetigimus, vel à Deo reuelante, vel prælato legitimè iubente, vel vrgente neceſſitate. Addimus quartum, ſi facta eſt obligatio vltronea voluntate. Quæ verò ſit neceſſitas vrgens, determinari non poteſt niſi prout ſapiens iudicabit, quamuis collatio de obligatione ad eleemoſynam corporalem ſatis approximat ad inueniendum obligationem eleemoſynę ſpiritualis.

Tu qui times de abſconſione talenti, qui dum tibi vacas, dicis, vt quid perditio hæc? Exerce potiſſimum tui cordis talentum, fac omnibus de illo ſeruitium. Sit in eo peregrinatio tua, ſit prædicatio, ſit commonitio, ſit eleemoſynæ diſtributio, ſit illud hoſpitale miſerorum omnium. Quo pacto dices? orando pro qualibet & in qualibet aduerſitate proximorū pro ſua eruditione, caſtigatione, conſolatione, patientia, cibo, potu, veſte, ſanitate. Sciet pater omnium Deus, & volet deſiderium pauperis exaudire, & præparationem eorum audiet auris ſua. *A.* Quantum poteſt colligere attentio mea de præmiſſis omnibus circa perfectionem cordis in Dei dilectione cōquiſitis. Primum & præcipuum eſt ſemper oculum cordis habere (prout ſapiens iuſſit) ad illa quæ præcepit Deus. Cætera verò omnia tanquam iuuantia quædam acceſſoria reputare niſi pro quanto fuerint vel voto proprio vel ſuperioris iniuncta præcepto. Non ita tamen vt accipiamus quaſi velamen malitiæ libertatem in diuinorum latitudine præceptorum, ſed bona & æqua fide ſtudeamus ſeruire Deo in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris, nec ita periculum amemus vt pereamus in illo. *T.* Rectè colligis verè ſentis, hæc fac vt diligere Deum ex toto corde perfectóque cognoſcaris.

TRACTATVLVS DOCTORIS CONSOLATORIVS VENERABILIS Magiſtri Ioannis de Gerſon, Cancellarij Pariſienſis, de Meditatione.

Prima conſideratio quid ſit meditatio & de triplici oculo.

C MEDITATIO cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Fœlix certè qui cum propheta poteſt ex ſentētia dicere verbum iſtud. Sed videamus primò quid ſit meditatio cordis, nō pro carnali ſed ſpirituali corde. Eſt autem meditatio vehemens cordis applicatio ad aliquid inueſtigandum & inueniendum fructuoſè. Et hæc applicatio fortis habet difficultatem quæ quandoque eſt maior, quandoq; minor. Quod vt intelligamus, præſupponamus ex creditis D & ab experientia cor noſtrum conditum eſſe, & habere tres ſpecies oculorum. Oculos ſcilicet mentales, rationales, & ſenſuales. Et ex illis eſt vtrobique vnus oculus in cognitione, & alius in affectione. Fundatur hæc diſtinctio in quadam alia diſtinctione, qua diſtinguimus hominem habere portionē ſeu faciem rationis duplicem, quarum ſuperior vertitur ad leges æternas, altera ad temporales, neutra tamen in actu ſuo dependet ab organo corporeo. Sub iſtis eſt ratio demerſa corpori quæ ſenſualitas appellatur. Primus horum E oculorum vocatur ab aliquibus oculus mentis. Alter oculus rationis. Tertius oculus corporis.

Conſideratio ſecunda. Iſte triplex oculus per peccatum conturbatus eſt.

FVIT ab initio benè conditæ rationalis creaturæ talis ordo ordiniſq; tranquillitas, quod ad nutum & merum imperium ſenſualitas rationi inferiori & inferior ratio ſuperiori ſeruiebat. Et erat ab inferioribus ad ſuperiora pronus & fa- F cilis aſcenſus, faciente hoc leuitate originalis iuſtitiæ ſubuehentis ſurſum corda, quemadmodum naturaliter ignis ſua leuitate fertur ſurſum. Atverò poſt quam aduerſus dominum ſupremum ingrata proditio demeruit auferri hanc iuſtitiam originalem, ſubintrauit pondus grauiſſimum concomitans peccatum, quod miſeram & captiuam animam trahere non ceſſat ad infima tanquam circumligata ſit funibus catenis & compedibus vincta & in mendicitate & ferro. Sicq; modo mirabili, immo confuſione miſerabili eſt facta ordinis prioris conuerſio, immo peruerſio, quod in homine

Digitized by Google

in homine ſic merſo tenebris & carcere cęco conturbatus eſt in ira oculus vtriúſque triplex per infectionem in ſenſualitate, per obnubilationem in inferiori rationis portione,& per quandam excæcationem in rationis portione ſuperiori.

Conſideratio tertia. Meditandi difficultas prouenit ex pœna peccati principaliter.

HABEMVS ecce primariam cauſam difficultatis quā in meditatione ſentimus, quam in habendis ſemper ad dominum oculis experimur. Facit hoc pœnalis grauedo deorſum iugiter impellens, quemadmodum videre eſt ſenſibiliter in aquæ ductu, qui tota facilitate defluit in ima, continetur autem cum ſurſum leuatur,non tamen cum violentia. Non aliter eſt de humano corde quod ad infima pronum leuiter effluit, hácque & illac veluti ſine retinaculo vel labore deſcendit. Quoniam facilis eſt(vt ait Poëta)

— deſcenſus auerni,
Sed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras,
Hoc opus hic labor eſt. —

Conſideratio quarta. Meditatio non ſolum fit in cognitiua ſed etiam in affectiua.

PERSCRVTEMVR conſequenter ex prædictis naturam ſeu proprietatem meditationis, quoniam ex hoc ipſo quam neceſſaria nobis ad Deum tendētibus exiſtat videbimus. Diximus autem & repetimus quod meditatio eſt fortis & vehemens applicatio vel attentio animi ad aliquid inueſtigandum & inueniendum fructuosè. Addimus fructuosè, ne meditatio vergat aut in ſuperſtitionem, aut in curioſitatem, vel in melancholicam ſtoliditatem. Dicamus ergo complectentes quod meditatio eſt vehemens & ſalubris animi applicatio ad aliquid inueſtigādum vel experimētaliter cognoſcendum. Ponamus hoc vltimum propter naturam ipſius affectionis, quæ diuerſa ſortitur nomina proportionabiliter ad conditionem cognitionis. Non enim poteſt aliter affectio cognoſci quam experimentaliter per eum qui ea afficitur. Quam experimentalis affectionis cognitionem, non poteſt eam habens in alium verbis quibuslibet fundere niſi ſimiliter affectus ſit ille alter. Quoniam ſolus nouit ſicut in Apocalyp. ſcribitur qui accipit. Propterea vocatur manna abſconditum. Exemplum eſt perſpicuum in illo qui nouit dulcedinem mellis ſolum per doctrinam, ſicut medicus ſanus noſcit infirmantis dolorem. Hæc autem dulcedo à guſtante,& hic dolor ab ægrotante longè aliter cognoſcuntur.

Conſideratio quinta. Meditanti neceſſaria eſt longanimitas, vt ignis deuotionis ardeat.

PERPENDIMVS ex his quam profundè ſenſerit propheta naturam meditationis dum ait: In meditatione mea exardeſcet ignis, vtrumq; enim amplexus eſt & lumen in intellectu & ardorem in affectu. Quantum verò ſit difficile quod ignis deuotionis ſpiritualis exardeſcat flatu meditationis, fiet notum deſiderantibus ignem materialem dum quæritur à lignis aquoſis, viridibus aut luto reſperſis elici. Suffla quantum potes, iterum, atque iterum multo conatu reſuffla, A emergit plurimus ab initio fumus conturbans oculos, vix emicabit ſcintilla quæ mox euaneſcit. Diſperges forſitan iratus congeſta prius ligna ſi non in longanimitate perſtiteris, quam longanimitatem appellamus hic meditationem aut meditationi coniungendam.

Conſideratio ſexta. Difficile valde eſt dare regulam certam de modo meditandi.

B MEMINIMVS aliquas nos ſcripſiſſe doctrinas vel induſtrias, nedum Latino, ſed & Gallico ſermone ſuper habenda meditatione tali, licet fortaſſis vſi ſimus alijs terminis vtpote in tractatulo de myſtica theologia parte ea quæ praxim huius docet,& in altero de monte contemplationis edito, alteróque rurſum de mendicitate ſpirituali compoſito. Denique tanta reperitur difficultas, tanta pro diuerſitate hominum varietas in practicando doctrinam veræ ſanctæque meditationis, quod an ſilere vel aliquid ſcribere C conſultius ſit, videor egomet mihi quandóque ſub dubio hinc inde mente fluctuare.

Conſideratio ſeptima. Meditatio eſt vtilis ad contemplationem & periculoſa propter indiſcretionem.

DVM enim recogito quod abſque meditationis exercitio nullus ſecluſo miraculo Dei ſpeciali ad perfectionem contemplationis dirigitur aut peruenit,nullus ad rectiſſimam Chriſtianæ D religionis normam attingit, immo vix ſe componit, audeo zelans ſanctæ meditationis ſtudium ſuadere. At verò dum totiens expertus pericula ſedulus recogito difficultatem & arduam raritatem perueniendi quò trahere meditatio nititur, ego quaſi torpens & ſtupidus efficior. Sed quæſierit quis quo pacto ſic eueniat, quod nimirum frequenter expertum eſt, videlicet vt contingat ſtudium meditationis conuerti dilabíque vel in morbum melancholicæ paſſionis propter immoderationem vel propter ſuperbiam dari in E reprobum ſenſum diabolicæ illuſionis, ex meditationis abuſu id fieri ſciat.

Conſideratio octaua. Abuſus meditationis comparatur abuſui vini reſpectu febricitantium.

MANVDVCAMVS id quod dicimus. Scimus vinum in iocunditatem & hominis ſalutem conditum eſſe. Sic enim ſcriptura ſic ratio loquitur. Videmus tamen ex abuſu F potantium præſertim dum febrium diſcraſia laborant quod potus vini alias ſalubris cauſat vel ægritudinem ampliorem vel maniam vel furorem,& quandóque mortem, nos autem filios Adam quis ægrotos, quis febricitantes eſſe peſſimis animæ febribus negauerit? Quibus vertuntur in nauſeam & amaritudinem diuinorum eloquiorum verba, quibus in fel conuertitur ſuauiſſimus diuini verbi panis. Heu miſeros nos, heu quam ex intima conſideratione talis miſeriæ conclamauit Apoſtolus: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Et ſubiungit: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.

Digitized by Google

Conſideratio nona. In meditatione adſit diſcretio, quam parat experti & boni viri conſultatio.

QVID agamus ergo, quid dicimus? Ibimus ne præcipites per aprupta vitiorum? Ibimus ne per deſideria cordis noſtri, & in adinuentionibus peſſimis deſperati, ſine freno, ſine lege, ſine ordine? Nunquid ſufficient nobis cogitationes inutiles, vagæ, inſtabiles, ſordidæ, fluxu ſomnióque ſimillimæ, quæ non conſolationem vel ædificationem allaturæ ſunt, ſed deſolationem mœſtiſſimam & ruinam oblectantibus ſe in eiſdem. Reſpondebimus nequaquam ita fieri debere, ſed adſit diſcretio moderatrix in omnibus, quam non ſecurius habere poſt diuinam gratiam poterimus, quam per ſedulum & ſecurum alterius experti, noſque diligentis & agnoſcentis conſilium. Clamat Ariſtoteles voce experientiæ, dicens quod ars & virtus ſunt circa difficilia, vt ars pingendi, ars ſcribendi, ars cytharizandi, virtus caſtitatis, virtus fortitudinis, virtus ſobrietatis, hoc verò ſic intelligendum eſt, quod ab initio virtus & ars multas in acquiſitione ſua patiuntur difficultates, dum verò fuerint acquiſitæ, facilia ſunt eis omnia. Pingit faciliter exercitatus in arte, ſic de ſcriptore & cythariſta videmus, ita vt dicere cogeretur idem Ariſtoles quod ars perfecta non deliberat, tam ſibi facilis eſt actus ſuus.

Conſideratio decima. Comparatio meditantis ad ſcribentem, &c. ſtudioſè vel inaduertenter.

VTIMVR iſta comparatione dum de meditatione loquimur. Attendamus quod in trahendo præſertim lineas picturæ vel ſcripturæ, difficultas nulla eſt, ſicut nec etiam diſcurſionis digitorum per cytharæ cordas. Inuenimus ſimiliter in cogitatione non enim difficulter vel laborioſè nunc hoc nunc illud prout occurrerit cogitatur. Sed quod nullus inde reſultet fructus vides in ſic pingente, ſic ſcribente, ſic cytharizante. Ita neque prorſus in ſic cogitãte, immo cum ſe talibus vagis cogitationibus oblectauerit, vt dicit Seneca, Triſtis remanebit, Porrò laborioſè, ſtudioſè & attentiſſimè cum mira tarditate pingendo, ſcribendo & cytharizando fit quandóque vt benè & celeriter iſta fiant.

Conſideratio vndecima. Ex vaga cogitatione non ſurgit meditatio, ſed de meditatione benè fit contemplatio.

QVORSVM iſta? Nimirum vt oſtendamus quemadmodum de cogitatione nullus vnquam proficiet aut emerget in meditationem, quantò minus in contemplationem. Ex meditatione verò quæ ſummam habet difficultatem, ſi bona fide, ſimplici corde & diſcreta diligentia exerceatur, perueniemus ad hanc perfectionem quod abſque vlla difficultate fiet apud nos fructuoſè, quod ſummo meditationis ſtudio conquirere voluimus. Ita denique tranſibit meditatio in contemplationem. Non enim differt meditatio à contemplatione, niſi penes facile & difficile, quoniam vtrobíque eſt fructus aliter quam in cogitatione.

Conſideratio duodecima. Contemplatio tam quoad affectum quam quoad intellectum deſcribitur.

DESCRIBITVR autem contemplatio, quod eſt liber & expeditus mentis intuitus in res perſpiciendas vſquequaque diffuſus, & hoc quoad contemplationem quę reſpicit intellectum. Porrò quoad contemplationem quæ conſiſtit in affectu, & in praxi deſcribit eam Hugo, quod eſt ſubleuatæ mentis iubilum, mors quædam carnalium deſideriorum, hoc eſt guſtare quam ſuauis eſt dominus. Quem guſtum ſequitur longè alia cognitio quam fuerit intellectualis ſolum viſio, ſeu quædam auditio per fidem aut ſcripturam.

Conſideratio decimatertia. Meditatio in principio difficilis per exercitium fit facilis.

MEDITABITVR ecce aliquis gemens & ſuſpirans vt columba dicétque cum propheta: Meditatus ſum nocte meo cum corde, exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Faciet hoc anxiè, difficulter & laborioſè, nunc recogitando annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, nũc iudicia Dei quæ ſunt abyſſus multa in cœlo ſurſum & in terra deorſum, & ita de reliquis circa quæ verſatur meditantis intentio vehemens, vt ea quæ meditatur vel cogitat, limpidiùs vel firmius velut in affectum trahat, efficiet tandem vt hæc omnia tanta facilitate recogitet, & ſapit quam facilis eſt ipſa cogitatio. Docent nos exempla prædicta ſi dubitamus. Non enim plus laboris habet ſcriptor pictor & cythariſta benè agendo quod optimè didicerit quam vagus & vanus aliquis ab initio diſcurrens ſine arte & ordine per lineas ſcripturæ vel picturæ, aut per citharæ cordas.

Conſideratio decimaquarta. Meditans quantumcumque expertus, laborem neceſſe eſt vt ſemper ſentiat.

ADDENDVM eſt ad pręmiſſa nihilominus, quod vix aliquis eſt in arte ſua ita peritus, quin aſſiduè ad aliqua vel cognoſcẽda vel agenda poſſet proficere qualia neceſſe eſt, vt cum labore nouo audiat & practicet. Multò magis verum eſt in ipſa de qua loquimur meditatione, quæ nouos veritatis aut deuotionis iugiter parere fœtꝰ ſtudet. Sed non deeſt parturitionis dolor, propter illud maledictum ſpiritualiter intellectum. In dolore paries filios, non tamen meminit preſſurę propter gaudium, quia natus eſt ſibi nouus cognitionis aut affectionis ſanctæ fœtus in mundum.

Conſideratio decimaquinta. Nondum purgati habent loco meditationis graues cogitationum tentationes, quibus timor Dei eſt neceſſarius.

EVENIT autem ab initio frequentius, vt dum aliquis nondum purgatus vitijs, ſatagit meditari vt columba, meditabitur quaſi vetus ſimia dolos & odia, meditabitur vt canis rodens, iuxta verbum Satyrici, rabioſa ſilentia, meditabiturque quaſi ſordida ſus fœdiſſimas corde voluens & reuoluens carnalium turpitudinum cogitationes. Quid porrò de blaſphemiæ ſpiritu

Digitized by Google

ſpititu quam abominabilis, quam horrendus nonnunquam inſurgit certans meditantem, loquendo aduerſus Deum & ſanctos eius ingentia tam execranda quod nec ea fari licitum ſit. Hincque adijciuntur & iniiciuntur penè vſq; ad cordis intima infidelitatis iacula. Spei nullus manet locus, omnia ſunt grauia. Etiam tædio eſt ipſa vita. Baratrum deſperationis vndique patet. Vnde propter hoc & talia, manifeſtum experimentúmquã rectiſſimè ſapiens conſuluerit cum dicebat: Fili accedens ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem. Subiungens præſidium ſecuriſſimum. Sta in timore, Beatus enim vir qui ſemper eſt pauidus.

Conſideratio decimaſexta. Nouus meditans debet credere ſuo directori, & de viſibilibus ad inuiſibilia conari.

PAVIDVS verò ſemper quomodo beatus, quæreret aliquis, dum timor additur timori ſcrupulus ſcrupulis, puſillanimitas puſillanimitati, præſertim dum non adeſt aſſiduè conſiliator dux & præmonſtrator itineris arcti & recti. Si verò talis qui rarus eſt habens artem pariter & pietatem, fuerit fortè inuetus cum otio nouum meditamen inſtruendi quantumcumque licuerit. Fœlix quidem erit ipſe nouus tyro, ſi tamen protinus abſq; vlla trepidatione paratus eſt credere conſilio. Sed ô quotiens bone Ieſu, quotiens hæſitabit & idem repetet iterum, iterúmque quaſi falli reformidans. Scripſi quædam ſuper huiuſmodi ſcrupulis in tractatu de præparando ad Miſſam. Aquila etiam ſimiliter de cautelis contra ſpiritum blaſphemiæ diſſimum. Aduerſus quæ remedium optimum eſt contemnere, nec curare, quin potius irridere, neque ſuper his ſollicitè confiteri, niſi forſitan in principio pro cautela & habendo conſilio. De ſcrupulis quoque teneatur hæc regula quod aduerſus eos agendum eſt ſi ſit prudens aliquis & expertus conſiliator dictauerit aut iuſſerit. Nec aget in hoc contra conſcientiam demeritoriè, dum illam ad conſilium ſapientioris per rationis libertatem ab animo ſuo mutat & deponit, quamuis aſſiduæ ſenſualitatis remurmuratio ſentiatur. Alioquin nunquam fit in pace Deo locus cordis.

Rurſus aduertendum, quoniam ſicut docente Ariſtotele. Omnis noſtra cognitio venit à ſenſu & iterum, quod neceſſe eſt omnem intelligentem phantaſmata ſpeculari. Si originatur meditatio cordis noſtri à ſenſibilibus quæ figurata ſunt & colorata ac cæteris accidentibus temporis & loci circumuoluta. Hinc ſunt meditationes cõſcriptæ, hinc imagines pictæ vel ſculptæ. Hinc generaliter ſit illud Pſalmus: Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. Quæ vtique facta ſunt corporalia ſicut & opera. Nihilominus debet aſſurgere meditans & vltra progredi veluti per ſcalam aliquam ex viſibilibus ad inuiſibilia. Sicut dicit Apoſtolus, quod inuiſibilia Dei ex his quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Propterea docens nos à corporalibus ad ſpiritualia migrare dicebat. Et ſi Chriſtum ſecundum carnem cognouimus, nunc tamen ſecundum carnem non nouimus.

A

Conſideratio decimaſeptima. Meditans venit ad pericula propter ſuperbiam, & propter carnalium imaginationem.

AMPLIVS verò addimus. Compertum eſt ſæpius quod volentes intendere meditationi, ſi non diſcretè hoc fecerint, decidunt vel in tentationes & illuſiones diaboli propter eorum, licet latentem, arrogantiam, vel efficiunt phantaſtici & melancholici propter fixã nimis & radicatam atque profundatam in rebus corporalibus imaginationem. Quæ quandoque
B
protenditur vſque ad inſaniam. Supereſt imago mulieris lapidea, cuius inſpectione nimis crebra quidam factus eſt philocaptus, quemadmodum de Pigmalione & ſua imagine narrant fabulæ poëticæ, & de Narciſco, qui propriam in fonte perlucido ſpeculans imaginem, ſic in eius forma ſtultus hæſit vt occumberet. Potuerant hic plurima dici de cauſis & modis huiuſmodi læſionis virtutis phantaſticæ. Ideo quod vigilantes patiuntur ſomniantibus ſimilia. Et hoc vocatur Gallicè *reſuer*
C
vel *reſuerie*, ita vt reputent ea quæ in ſola phantaſia verſantur interius exterioribus percipere ſenſibus. Notum eſt hoc in maniacis. Notum prætерea in quibuſdam melancholicis, qui nonnunquam volunt ſe deuotos meditatiuóſque dici & reputari. Quos huiuſmodi profundata circa corporalia phantaſiatio facit errare multipliciter, eoúſque vt in eleuatione corporis Chriſti, vel in alia recogitatione ſua exiſtiment ſe videre realiter Deum crucifixum, aut ſub alia quauis phantaſtica
D
forma corporali. Putántque alij ſe voces audire tanquam Chriſti vel alicuius ſanctorum. Qua ſuper re pro aſſignatione naturalis cauſæ diuerſa ſunt à diuerſis ſcripta volumina, de quibus non eſt nunc dicendum per ſingula.

Conſurgit hic difficultas non modica, qualiter videlicet ſciri poſſit diſtinctio inter reuelationes veras & falſas. An fiant ab Angelis lucis aut tenebrarum, hoc eſt à ſanctis Angelis aut diabolis. Quas reuelationes vtique abnegare non poſſumus fore nonnunquam à perturbatis phantaſmatibus & erroneis.
E
Fœlix proinde qui in lege domini meditatur die ac nocte, ſi tamen comes fuerit diſcretio, quam ſolam parat humilitas, captiuans omnem intellectum in obſequium fidei, & ſemper alieno magis quam proprio credens iudicio.

FINIS.

F

TRACTATVS EIVSDEM DE SIMPLIFICATIONE STABILItione ſeu mundificatione cordis.

Prima notula de vi abſtractiua intellectus.

IN ſimplicitate cordis quærite illum. Hanc ſapientis exhortationem, hanc ſimplificationem cordis illi facere nequeunt qui ſunt in ſe multiplices variſque. Propterea neceſſe eſt ſpirituale cor animæ

Digitized by Google

(quia caro non prodeſt quicquam) ad vnitatem A recolligi, ſi cauere debeat periculum quale notauimus in fine tractatus alterius. Hoc verò quomodo fiat explicare difficilius eſt, quam qualiter non fiat agnoſcere. Et quidem apud eruditos in philoſophicis diſciplinis habebit iſta manuductio noſtra prima minus difficultatis. Pollet itaque noſter intellectus vi abſtractiua, quę longè perfectior efficaciórque eſt quam ponatur in æſtimatiua virtute bruti, vtpote ouis. Quæ tamen vt dicit Auicenna ex motu & figura lupi viſi, elicit mox inimicitiam non ſenſatam quam refugit. Noſter igitur B intellectus poſt inſpectionem phantaſmatum cauſatorum à rebus extrinſecis, vnde format primò conceptus vagos ab omni connotatione accidentium, vt à ſitu, à loco, à figura, à tempore, & ſic de alijs. Quo facto remanet in anima ſimilitudo eſſentialis, in qua coueniunt exterius à parte rei omnia ſenſata quæ ſunt eiuſdem generis vel eiuſdem ſpeciei. Exemplum primi, animalitas. Exemplum ſecundi humanitas. Qua denudatione ſic facta, remanet abſolutus & vniuerſalis conceptus animalis. Remanet inſuper ſpecificus & abſolutus C conceptus hominis, quos ſignant voces iſtæ, animal & homo.

Notula ſecunda. De ſimplicitate cordis in meditatione per abſtractionem à phantaſmatibus & figuris per bonum.

TRADVCAMVS conſequēter ad propoſitum de ſimplificando meditationem noſtram circa diuina, per abſtractionem à phantaſmatibus D & figuris. Ecce ſtet quod ſcimus nos habere dilectionem boni & odium mali. Stemus in his paucis primo quoniam inuenitur ſimile de reliquis multis. Audio igitur & cognoſco quod diligis bonū. Interroget te meditatio tua, quæ res eſt iſta dilectio. Conſtat itaque quod neque colorata eſt, neque ſonora, neque ſapida, neque odorifera, neque frigida, neque calida non lenis, non aſpera: Item interroget te meditatio tua, qualiter & in quo ſe figat & ſtatuat? cum id in quo ſe figere & ſtatuere videtur, neque figuratum, neque corpulentum E ſit, calidum frigidum aut coloratum.

Notula tertia. De conceptu boni abſoluto ſeu vniuerſali qualiter fiat.

DICES fortaſſis quod non habeas conceptum dilectionis boni quin de neceſſitate feratur cordis intuitus ad hoc vel ad illud bonum particulare, vt ad bonam tunicam ad bonum cibum, ad bonum hominem, & ita de reliquis. Reſponſio F tibi patet per alteram cōſiderationem priorem de vi abſtractiua cordis intellectualis. Per cuius virtutis operationem tolle bonum hoc, tolle bonum illud ſicut loquitur Auguſtinus & remanebit verum & generale bonum. Quod qualiter fiat, iam aperuimus. Conueniunt nempe bono omnia in vna generali ratione, quæ eſt conuenientia ad appetitum. Bonū quippe eſt quod omnia appetunt. Denudes igitur hanc rationē boni ab vbi & nunc hoc eſt à loco vel ſitu vel tempore, ab omni præterea confuſione ſeu connotatione accidentium, & erit ille conceptus qui remanebit abſolutus & vniuerſalis conueniens omni bono.

Notula quarta.

QVÆRES fortè iterum vbi eſt illud omne & generale bonum? Ecce cadit in materiam communem de vniuerſalibus quid ſint & ſi ſint in rebus extra præter omnem intellectus operationem. Dicimus autem quantum hic ſatis eſſe putamus quod vniuerſalitas diriuatur & fundatur in rebus ſingularibus alioquin ficta eſſet, ſed conſummatur & conſtituitur in operatione intellectus abſtrahentis eo modo qui tactus eſt ſimilitudines rerum in quibus eſſentialiter ſeu quidditatiuę conueniunt ab vbi & nunc, id eſt, loco & tempore. Vnde ſi quæras: vbi eſt humanitas ad extra? Dico quod in hoc homine ſingulariter & in altero ſimiliter, & ſi nullus eſſet ſingularis homo, nulla permaneret exterius humanitas, quoniam deſtructis primis ſubſtantijs vt dicit Ariſtoteles impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere, nihilominus adhuc remaneret hoc vniuerſale humanitas interius in mente Angeli, ſicut ante mundi conſtitutionem erat. Et prout nunc eſt vniuerſalis ratio humanitatis in mente Dei, nec erat res aliqua quam mentis Dei, neque realiter vt omnes concedunt, neque formaliter vt nonnullis placet. Eſt demum articulus Pariſienſis condemnatus dicens quod ab æterno fuerunt extra Deum quidditates aliquæ vel vniuerſales rationes, quales phantaſiati ſunt quidam eſſe vniuerſalia realia præter Deum, & præter omnem intellectus operationem ſeu conceptum.

Notula quinta.

RVRSVS ad intelligendum dictum huiuſmodi, quod deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquod aliorum remanere. Attēdendum eſt ne locutio varia ſit dum loquimur de humanitate quæ eſt ab extra, & de conceptu humanitatis quem intra reponimus. Eſt enim hoc nomen humanitatis primo modo nomen primæ intētionis, ſupponens immediatè & principaliter pro re ad extra quę eſt vel eſſe poteſt, ſi ſit ampliatiua ſuppoſitio, & hæc in ſolis ſingularibus hominibus reperitur. Hoc verò nomen humanitas ſumptum ſecundo modo, ſupponit non pro rebus ad extra, ſed pro conceptibus de humanitate habitis ad intra, ſeu per Angelum ſeu per humanū intellectum. Aut eſt idea humanitatis in mente diuina per identitatem locutionis, ſicut ponimus quod ſapientia eſt in Deo, non per inhæſionem ſed per identitatem, quoniam ipſe eſt Deus.

Notula ſexta.

VIDES arbitror quemadmodum meditans poteſt intellectum ſuum figere in recognitione boni non huius vel illius figurati corpulenti vel colorati. Et conſequenter fertur voluntas in dilectionem abſolutam primi & veri boni, quod non eſt bonum per participationem vt alia omnia, ſed per eſſentiam. Poteris ita negotiari circa potentiam, circa ſapientiam, circa iuſtitiam, & ita reuereri diuinam potentiam. Verecundari ad ſapientiam ſi turpis es. Trepidare ad conſiderationem iuſtitiæ ſi malus es. Quod ſi fortè quæſieris, an cōceptus huiuſmodi ſint abſoluti & proprij Deo? Viſum eſt hactenus mihi quod ita ſaltem de poſſibili, hoc eſt quod in via poteſt meditans & abſtra-

abſtra-

abſtractiuus intellectus formare ſibi conceptus abſolutos & proprios cõuenientes ſoli Deo. Qui A dabunt notitiam propriam & abſolutam,ſed nullatenus intuitiuam de eo.

Notula ſeptima.

APERTA eſt nobis ex prædictis via ad intelligendum myſticam theologiam, de qua ſcripſit diuinus Dionyſius vltra illam quæ ſymbolica, & illam quæ propria nuncupatur. Procedit itaque ſymbolica theologia per ſimilitudines repertas in rebus, attribuendo Deo quicquid vide- B tur eſſe perfectionis in rebus cauſatis, ita vt hoc modo dicatur Deus nedum nominabilis. Et hoc modo dixit diuinus Bartholomeus prout Dionyſius refert, Euangelium eſſe latiſſimum, ſic appellatur Deus leo propter fortitudinem, lapis propter durabilitatem, Agnus propter manſuetudinem, ſol propter illuſtrationem, & ita de reliquis quæ non ſecundum eſſentiam,ſed per ſolam attributionem & per analogicam ſimilitudinem de Deo loquimur quaſi balbutientes & palpantes in C vmbra occumbentis luminis vel gratiæ intelligẽtiæ noſtræ in nobis. Procedit verò myſtica theologia per abſtractionem modo velut oppoſito ad præcedentem, qui quicquid eſt, affirmat de Deo, iſte verò prorſus negat de Deo omnia. Et ita breuiſſimum eſt vt ait idem Bartholomeus Euangelium.

Notula octaua.

EXEMPLVM palpabile dat ipſe Dionyſius pro manuductione huius theologiæ myſticę. D Conſidera fabricatorem ſtatuarum, nõne hic format imaginem vel ſtatuam, non addens quicquam, ſed reſcindens & remouens, ex qua ſubtractione remanet agalma pulcherrimũ, imago pulchra, figurata vel ſculpta. Sic agit ſuo modo meditantis animus, dum ad hoc conceptu vago cõnotatiuo, ſcilicet hoc ens & illud ens, qui conceptus habetur ex rebus exterioribus ſenſatis, intra facit abſtractionem modo prædeclarato. Remouendo ad hoc conceptu vago quicquid eſt im- E perfectionis in entibus cognitis per phantaſmata. Et quia nullum eſt cauſatum ens quin ſit imperfectum, negat merito omne ens tale à Deo quia diminutũ, quia dependens, quia potentiale, quia defectibile, & ita de reliquis imperfectionibus. Qua abſtractione facta dici nequit,quod nihil remaneat cognitũ in abſtrahentis animo quin potius reſultat agalma pulcherrimum,ſeu iuxta communiorem philoſophantium locutionem remanet conceptus entis perfecti denudatus ab omni F imperfectione. Et huiuſmodi eſt proprius Dei conceptus abſolutus licet non intuitiuus,de quo Dominus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. Hæc dices filijs Iſraël. Qui eſt miſit me ad vos. Et hoc modo iuxta verbum propheticum eſt vnum nomen Domini Dei.

Notula nona.

CONCORDAT his dictũ Damaſceni,quod hoc nomen ens dicit ſubſtantiæ pelagus infinitum. Demonſtrat nobis Dominus Bonauentura in itinerario ſuo mentis in Deum ſecundo capitulo, quod iſto modo ens eſt proprium nomen Dei. Conſonant Hebræi, qui dicunt hoc nomen thetragrammaton ſignificare Deum abſolutè & non per reſpectum ad creaturas. Quod qualiter eſſet dicendum, niſi poſſet haberi conceptus huiuſmodi abſolutus non ſatis intelligo.

Videntur fortè talia falſa vel impoſſibilia non exercitatis in abſtractione talium conceptuum. Non enim videtur eis dum intelligunt exempli gratia hominem, quin ſemper intelligant ipſum cum confuſione ſeu veſtitu quodam vel circunſtantia loci,temporis & aliorum accidentium, dũ non cõcipiunt hominem niſi vt eſt animal rationale,& ita concipiunt actum ratiocinationis, cõcipiunt etiam animalitatem quæ non eſt propria ſoli homini. Redargutio autem talium hominum magis facienda eſt monitione, vt vim ſui cordis intellectualis attendant, quam ſtudioſa ratiocinationis oſtenſione. Alioquin ſic agitur cũ eis quaſi ſi cœco alicui aut nicticoraci ſolis radius digito monſtratus quæratur an videatur.

Notula decima.

SVPEREST ex præmiſſis dubitatio propter errorem Manichæorum, quos fortè decepit recogitatio qualem de bono poſuimus. Quod ſi ſit aliquod bonum participatum & erit aliquod eſſentiale & primum bonum. Videtur itaque eſſe ſimilis ratio de malo. Quod ſi ſit aliquod malum in rebus creatis, ſicut ita eſſe quis negauerit dabitur aliquod malum primum per eſſentiam.

At verò diuinus Dionyſius & Auguſtinus differentiam certiſſimam & latiſſimam docuerunt, demonſtrantes quod nihil eſt malum poſitiuè in rebus ſed tantum priuatiuè. Propterea ſequitur ex conceſſione mali quod aliquod ſit primum & nullo modo quod ſit aliquod primum & purum malum. Eſt enim impoſſibile ſicut dicit Ariſtoteles quod purum malum per ſe ſubſiſteret, quia ſi purum eſt de ſe deſtruit. Non habet igitur fundamentum niſi bonum vel in bono.

Fallitur autem leuiter ignarus aut neſcius analogiæ entis vel huius verbi, eſt, Quæ ponitur quadruplex ab Ariſtotele 4. Metaph. ita vt illud quod nullo modo eſt poſitiuè & in actu eſſe tamen dicatur, quia videlicet eſt in potentia. i. poteſt eſſe. Vel quia dicit carentiam alicuius boni debiti in eſſe. Non enim ſequitur. Malum eſt priuatio boni debiti in eſſe, ergo malum eſt actus vel aliquod poſitiuum. Quoniam ita nihil eſt. Quis ergo mirabitur ſi non ſit aliquod primum & ſummum tale malum, cum nullum ſit particulare vel infinitũ actu tale huiuſmodi.

Notula vndecima.

PERGAMVS conſequenter oſtendere magis ac magis modum quo ſimplificari & vniri poterit ſpirituale cor meditantis ſecluſa phantaſiarum multiplicitate remoto læſionis imaginatiuæ virtutis periculo. Dicunt beatus Dionyſius & Ariſtoteles & alij, quod amor habet virtutem vnitiuam, quemadmodum calor homogenia cõgregare & ab heterogenijs ſepararę habet. Præſupponamus igitur ex ſuperioribus quod meditans fabricauerit ſibi conceptum boni potentiæ, cõceptum ſapientiæ, conceptum iuſtitiæ, conceptum

Digitized by Google

clementiæ, conceptum beneuolentiæ & dilectionis, figit iſtic pedem ſiniſtrum animæ, qui eſt in- A tellectus vel ratio. Deinde pedem alterum dextrum qui eſt voluntas, protendat per amorem talis boni vel potentiæ, ſapientiæ, clementiæ, &c. velut in anteriora, ſe extendens. Hoc eſt dicere quod id ſatagat amare quod cognoſcit conetur amare Deum ſummè & primum bonũ. Hic amor cum non ſit diſcurſiuus nec vagetur, ſed inhæreat amato in ſe & propter ſe. Ita vt nitatur ſuo modo totus in amatum penetrare, & in ipſum collabi, & vnum cum illo quantum poſſibile eſt fieri. Fit B tunc quædam ſeparatio corporalium omniũ quæ ſunt heterogenia ad ſpiritualitatem comparata, & ita remanet vnitio quædam ſpiritualium, qualia ſunt Deus & anima, corporalia vero fœces & cineres remanent.

Notula duodecima.

VIDIT & ſenſit hanc ſeparationem ſpiritualium à corporalibus in homine fieri poſſe qui dicebat: Verbum Dei viuum & efficax pertingens vſque ad diuiſionem ſpiritus & animæ, C compagúmque & medullarum, &c. Vbi capitur anima pro ſenſualitate vel animalitate, quæ corpus includit & animã. Quamuis verò Apoſtolus tribuat virtutem hãc diuiſiuam animæ à ſpiritu verbo Dei, hoc dicit pro tanto ſi diligatur verbũ Dei ab ipſo ſpiritu. Quoniam ſola cognitio verbi Dei ſpiritui ad hoc non ſatis eſt. Propterea audi quid vltra verbi cognitionem ſubſequẽter ſenſerit anima deuota. Anima mea inquit, liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt. Locutio & auditio ad cognitionem, liquefactio ſpectat ad amorem. Quo- D niam amor vna cõparatione dicitur habere acutum nomen propter deſiderium penetrationis intimæ dilecti. Liquefactionis verò nomen mollius ſuauiuſque eſt, affectum ſponſi diligentis accommodatius ſatiuſque repræſentat. Quia liquefacta natura eſt non contineri terminis proprijs, nec quieſcere, ſed effluere ſemper & dilabi quouſque ſiſtat in alio. Intelligamus ſimiliter de liquefacto vel emollito ſpiritu per amorem Dei ſuo modo, quam in ſolo Deo terminum ſuum inuenit & E quietem. Ad cuius exemplar ſigillatur, exemplatur, transformatur, ſimplificatur & vnitur. Et ita de reliquis ſimilibus. Remanet fœculentũ quod eſt portionis inferioris. Vnde colligitur corollarium vel poriſma pulcherrimum quod ſicut res dum emanant à Deo & conſequenter dum ſe diffundunt ſicut in ſole conſpicimus, fit progreſſus ad particularioria & groſſiora, quæ plus habent materiales conditiones, ſicut in reditu ad Deum qui fit per hominem contemplatiuum, reducẽdo F ſimilitudines rerum primò conceptas in ſenſibus ad intellectualem & ſpiritualem puritatem, fit abſtractior & vniuerſalior reductio ad vnitatem & quandam immaterialitatem. Nam quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Dixerunt ante nos hæc omnia ſancti doctores. Quid enim inexpoſitum reliquerunt. Sed hæc iterum meis verbis & ordine ſub paucis commemorata ſunt.

Notula decima-tertia. Quæ alium docet modum ſimplificandi cor ſpectantem ad affectum, ſicut prior magis ad intellectum.

ENITAMVR ſi fortè poterimus inuenire modum alterum meditationis ſimplificandæ & à phantaſmatibus elongandæ, qui familiarior & ab hominibus non exercitatis aut eleuatis in philoſophica diſciplina ſeu metaphyſica captibilior fortè fiat. Conſtituamus in primis exemplum palpabile, cuius erunt capaces etiam ipſi pueruli ſuo modo. Dicat aliquis vni puero iam vtenti ratione, qui neque patrem ſuũ neque matrem vidit vnquam. Dicat inquam. Ecce tu puer patrem habes in regione longinquiſſima potentiſſimum, ſapientiſſimum, optimum & glorioſiſſimum. Ille eſt qui te genuit & fecit, ille eſt à quo & per quem mittuntur tibi omnia quæ habes bona. Hæ veſtes, hæc cibaria, hæc poma, hæ nuces, & ſimilia. Nunquid non merito habes talem diligere, tali obedire & facere quicquid ipſe mandauerit? Hoc audito bonus puer mouebitur affectu naturali ad auditum patris nomen vt feratur in dilectionem ipſius, cum tamen apud huiuſmodi puerum non ſit alia patris cognitio quam ea quæ per fidem aut narrantis ei ingeritur ſimpliciter authoritatem. Hic puer non conſiderabit de neceſſitate patrem ſub aliquibus cõditionibus materialibus, vt quod ſit albus, niger paruus, magnus, &c. Vel etiam ſi conſiderauerit, ipſe protinus ſine multo conamine ſe auertere poterit ab huiuſmodi conſideratione, & in nomine ſeu cognitione huius quod eſt pater totus, de facili intẽdere valet tenerrimo cordis amore, prout totus nouit in eius dilectionem inhiare, ſuſpirare, & totum ſuũ in eum deſiderium conuertere. Quidni dixerit ſibiipſi aut alijs de patre ſic? Viuat talis bonus pater. Benedictus in perpetuum ille dilectus pater. Bene ſit ſemper iſti patri, qui certè mihi eſt valde diligendus, honorandus, reuerendus, & præ oculis iugiter habendus. Denique ſi quis ab huiuſmodi quæſierit, qualis eſt iſte tuus pater? Reſpondebit vtique nil aliud: Neſcio plus niſi quod ipſe eſt meus chariſſimus pater, progenitor meus, nutritor meus benefactor meus, protector meus, & ſi qui ſunt ſimilia. Et hæc tamen nouit ſolum fide per auditum, & non intuitiuè vel per viſum vel per attactum.

Notula quatuor-decima.

EXISTIMO quod ſimili manuductione poterit Chriſtianus etiam quiuis rudis & literarum ignarus induci, vt tranſeat in affectum cordis erga Dominum Deum ſuum, & ea quæ ſunt diuina & ſpiritualia, deſerendo corporalium rerum phantaſias, aut ſupergrediendo eas quodam quaſi tranſuolatu generalis meditationis & amoris.

Exemplificemus adhuc aliter. Deſiderat aliquis ſanitatem dum ægrotat. Nónne poteſt hic optare ſeu petere medicum non hunc vel illum ſingulariter. Sicut ſitiens appetit vinum & eſuriens cibum. Quod tamen facit ſæpè nõ præ habita phãtaſiatione ad hoc vel illud vinum aut ad hunc vel illum cibum.

Applicet meditantis cor ſimilitudines iſtas pro practica ſuæ meditationis, confeſtim vt offertur aliquod corporeum oculis ſuæ meditationis. Nõ quieſcat in eis ſed ſuſpirando, deſiderando, diligẽdo, ſuperuolare quærat ad quoddam abſtractum denudatum vnum. Vtatur corporalibus quaſi qui-

Digitized by Google

quibuſdam ſcalis ad tendendum ſpiritualia non quiſcendo in ſcala. Exemplificauimus iam de filio meditante circa patrem ignotum, de ægrotóque, de ſitiente, de eſuriente, qui ſuſpirant ad medicum, ad vinum & ad cibum ignotos atque ad huiuſmodi afficiuntur & deſiderant, immò etiam ſi cognouerimus Ieſum Chriſtum prout loquitur Apoſtolus, non tamen eo modo ſecundum carnem nouimus, ſed vt Redemptorem & Saluatorē & vt Dei virtutem & ſapientiam ipſum recogitamus. Qui factus eſt nobis à Deo patre ſapientia iuſtitia, ſanctificatio & redemptio.

Notula quinta-decima.

PVTO iuxta traditionem hanc motus eſt Hugo dicere: Quoniam aliquando dilectio intrat vbi cognitio foris ſtat. Non quod amor excludat omnem cognitionem, ſic enim fieri non poteſt vt diligatur prorſus incognitum. Sed & ipſe amor vt dicit Gregorius quædam cognitio eſt. Et qualis cognitio? Certè experimentalis & ſuo modo proportionabilis tactui, guſtui vel olfactui inſenſibilibus. Vnde quamuis dicatur ab aliquibus amor eſſe cœcus, hoc habet fortaſſis veritatem loquendo de cognitione luminoſa ſeu declaratiua proportionabiliter ad viſionem oculorum & aurium. Quia ſe manifeſtare non poteſt aut in alium transfundere ſapor & dulcor amoris per experientiam habitus, prout in præcedenti tractatulo de meditatione ſcilicet cordis dicebatur.

Rurſus patet ex prioribus, quid habet reſpondere cor ſimplicis meditantis vel orantis. Si quæratur ab eodem quid meditando quid orādo cogitet, quid aſpicit aut quid diligit? Recogito, dicere poteſt patrem meum cœleſtem benefactorē meum, redemptorem meum, ſaluatorem meum, iudicem, dominum, immò ſponſum & amicum meum. Et ſi pergas vltra requirere: Quis eſt iſte pater tuus, cuius eſſentiæ? cuius perfectionis? cuiuſque conditionis? Reſpondeat: Incomprehenſibilis eſt & infinitus, & ideo comprehendere ipſum non laboro. Satis mihi eſt ipſum pro ſtatu præſentis exilij cognoſcere ſub eis quæ memoratæ ſunt rationibus, quia pater, quia pius, quia benefactor, amicus, intimus, pulcher, decorus & totus deſiderabilis, prout ſponſa dixit in Canticis. Vnde & puer de quo prælocuti ſumus, quærenti à ſe, qualis eſt pater tuus nunquid paruus aut magnus, rubicundus aut pallidus, nudus aut veſtitus diceret neſcio, nec hoc ſcire dum in hoc exilio dego, contendo, ſciam abundè cum nunc ad ipſius præſentiam veneto. Hæc itaque cognitio ſufficit mihi quamdiu ipſe illic & ego iſtic ſumus, vſque ad tempus beneplaciti ſui, vt interim ſic honorem ſibi dilectionem obedientiam reuerentiamq; toto conatu impendam.

Viuit ille cui adhuc puerulo ſuadebant pij parētes, vt ſi poma ſi nuces vel cætera talia habere vellet genuflecteret, & illa à Domino Deo eleuatis peteret manibus. At verò puero ita facienti proijciebantur hæc ab alto loco vt puta à camino vel ſolario, applaudentibus quaſi & congaudentibus puero ipſis parentibus & dicētibus. Vides dilecte fili quam bonum eſt orare Dominum Deum qui talis confert orantibus.

Notula decima-ſexta.

A HÆC via videtur plana, communis, regia, ſine periculis, ſine difficultatibus, ſine offendiculis, vbi veritatem habet illud Prouerbium: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Hinc euenit vt ſimplices ſine litteris rapiant cœlum, vbi literati & conquiſitores huius ſeculi, vbi perſcrutatores maieſtatis aut inanes remanēt, aut opprimuntur à gloria. Legimus in Eccleſiaſtica hiſtoria de quadam ſancta fœmina martyre, nomine

B ſi bene recolo Blandina, cum torquebatur grauiter, interrogaretur de multis, hoc vnum ſolum reſpondebat: Chriſtiana ſum, nec ab ea aliud poterat extorqueri reſponſum. Vtinam ſic fieret in omnibus nobis meditari volentibus in ſimplicitate cordis, conformiter ad Apoſtolum qui ait: Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & hunc crucifixū. Ecce enim dum quærit aliquis meditari in ſimplicitate cordis, occurrunt vel naturales phantaſiæ vel diabolicæ illuſiones quærentes, quis & vbi eſt

G Deus tuus? Audi prophetam ſimilibus impeditū quæſtionibus: Exprobrauerunt mihi qui tribulāt me inimici mei, dum dicūt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus? Audi quoque quid reſpōdeat, vt & tu poſſis reſpondere ſimiliter. Nam poſtquam dixit propheta: Quare triſtis es anima mea, &c. conſequenter reſpondebo ait. Salutare vultus mei Deus meus. Hoc eſt, Deus meus eſt ſalutare, aut ſaluator mei vultus, qui duplex, ſcilicet gratiæ & gloriæ, exiſtit, quaſi dicere vellet. Deus

D meus eſt mihi lumen gratiæ & gloriæ, & omne bonum. Quod ſi amplius curioſè magis quā fructuoſè, importuna te cogitatio interrogare perſtiterit, expellit eum & fuget meditatio tua flabello & manu ſimplicitatis & humilitatis auertendo ab ea & nihilipendendo tali reſponſo breui, ſed efficaci. Ipſe eſt Deus meus, Dominus meus & pater meus qui poſſedit me, & fecit & creauit me. Quiduis vltra?

Notula decima-ſeptima.

E LAVDATVR in ſcriptura ſacra & à doctoribus ſimplicitas vera, quæ plicam non habet doloſitatis, falſitatis aut curioſitatis. Sic Iob ſimplex fuiſſe memoratur, non ſimplicitate quæ opponitur perſpicacitati intellectus, ſed quæ contraria eſt doloſitati & fraudi affectus. Sicut & ſapiēs ait de Deo, quod cum ſimplicibus graditur, & cum ipſis eſt ſermocinatio eius. Sicque faciebat propheta loquens ad Dominum in ſancta ſimpli-

F citate. Vt iumentum inquit, factus ſum apud te. Felix qui taliter ſimplex & tale iumētum eſſe meruit ſi tamen in via Domini. Nam fortituto ſimplicis via Domini. Hæc ſimplicitas dū diuerſitatē hominum in naturalibus moribus, conſuetudinibus, ſtatibus, &c. recogito, videtur præcipuè locū habere apud conſtitutos in officijs religionū, propter communem cōgregationis vtilitatem ex obedientia, necnon illos cōmuniter omnes qui laborant in vita actiua, & multis curis, ſollicitudinibus & occupationibus prægrauātur ex charitate aliorum ſaluti intendentes. Talibus quippe non cōceditur otium vacandi ſubtilioribus inquiſitioni-

Digitized by Google

bus Catholicæ legis, neque ſuppetit virtus, facultas, locus, tempus, &c. ad recolligendum ſe in vnitatem huiuſmodi quę docetur à philoſophis per abſtractiones mentales ſcholaſticas. Item videtur ſentiendum de maxima parte eorum qui Deo ſub regulari in religionibus militant diſciplina, quos communiter fatigat non modicum multiplicitas, prolixitas & continuitas diuini officij diurni pariter & nocturni. Additur abſtinentiæ auſteritas, crebrum ieiunium, lõgæ vigiliæ, mala quies, labor aſſiduus, ſuperiorum obiurgatio, pariũ indignatio, & penè totius vitæ vna & iugis tentatio & vexatio. Clarum erit piè cõſideranti quod hæc omnia non permittunt ſaltem vt frequenter humanã infirmitatem ſe liberè & expeditè transferre in meditationibus ſuis ad huiuſmodi quales prænotauimus phyſicas abſtractiones. Poſſunt nihilominus hi tales aut aliqui ex eis ſingulari Dei gratia præuenti & adiuti, de quo minime dubitauerim, quandoque aſcendere ſublimius atque ſecurius deducente eos ſuper excelſa ipſo victore Deo in pſalmis canentes quam plures alij præſertim phyſica, quotidie ſcrutantes vtinam non magis curioſè quam fructuoſè ſcrutinia.

Notula decima-octaua.

DIGAMVS adhuc aliquid de hoc meditationis modo qui ſolet à corporalibus incipere & ea ſibi ſubſternere, ſed ſaluberrimũ & per neceſſarium conſilium eſt in eiſdem nõ ſiſtere nec pedem figere? Alioquin vt phreneſim vel turpiſſima incurret deſideria ipſe meditans. Aſſignemus horum rationem. Conſtat planè virtutem omnem quæ corporeis vtitur organis, fatigationem, & quando totalem in operatione ſua ſi nimis continuetur defectionem pati. Conſtat inſuper ex hoc cogitationem omnem particularem quæ nimis & plus debito profundatur in imaginatiua vel æſtimatiua virtute læſionem inferre ſic phantaſianti, ita vt non maneat Dominus ſui, neque liber ad expellendam huiuſmodi cogitationem. Patet hoc in omni paſſione radicata, potiſſimum tamen in amore, prout videri poteſt in philocaptis, qui quaſi nihil differunt à maniacis & inſanientibus. Viuit adhuc quidam iuuenis, qui ſuã taliter fixit in vnius amore mulieris phantaſiam, ꝙ in ripa cuiuſdam exiſtens fluminis exiſtimabat ſe illam corporaliter videre in altera eiuſdem fluminis ripa, vnde ſatagebat natando venire ad eandẽ. Sed forti verbere adhibito ſanatus eſt, & phantaſticam deceptionem intellexit. Viuit quoque qui aliter & caſtius exercens ſemetipſum in legendis meditationibus Anſelmi, & eas in affectum trahendo ad hoc deuenit propter indiſcretum laborem huiuſmodi, vt ſolus aſpectus libri in quo continebantur ſcripti, ſibi cum nauſea poſt cauſaret horrorem, pariter & timorem capitiſque vertiginem.

Notula decima-nona.

LEGI pridem librum, quendam, quem virgo certè deuota compoſuiſſe dicebatur. De cuius dictis memori mente hoc vnum diligenter retinui & notaui, quoniam id per multa expertus, dictum rectiſſimè cautiſſiméque reperi. Nihil eſt inquit, magis mihi ſuſpectũ quàm amor, etiã circa

A Deum. Poſui hoc in lectione quadam edita per modum tractatuli de probatione verarum reuelationũ typo numiſmatis. Eſt enim paſſionũ omniũ vehementiſſima dilectio, quapropter ſemper eget diſcretionis freno. Viuit mulier quæ caſtitatẽ cũ viro proprio, miro (nec operiendo) rigoris tenore ſeruabat. Hæc nihilo minus amori ſpirituali ſe dans aut dare putans, carnale (neſcio quid) aut fœdũ ſe pati fatebatur in corpore. Quæ rurſus vt aliæ plures, ſub velamine deuotionis (quale deuotionis velamẽ magis quam ipſam deuotionem
B nonnumquam mulierculas & viros muliebriter complexionatos, vel habere vel retinere quis neſciat non eſſe difficillimum) ad perſonas aliquas de ſanctitate famatas prolapſa, nunc ad hanc nũc ad illam diligendas, furore ducebatur magis quã amore, ita vt ſui compos non fieret, nec vllis arceri monitis poſſet ad moderationem in amore tenendum, quod niſi fortiores & virtuoſiores in amore compeſcendo fuiſſent illi quos amabat viri, profectò credendum res ipſa in peſſimum exitũ, nedum coram Deo, ſed etiã hominibus vertiſſet.
C

Notula viceſima.

SED ad quid fit iſtorum commemoratio? Nimirum vt ſuadeamus & inculcemus quantum fas nobis eſt, ne meditantis animus det ſe, ſed accommodet, iuxta verbum Senecæ rebus corporalibus conſiderandis, hoc eſt dicere, quod protinus euolare ſtudeat ad meditationes vniuerſales quales prænotauimus. Quoniam ita vitabitur læ-
D ſionis virtutis phantaſticè periculum, ita quoque fiet illud: Oculi mei ſemper ad Dominum. Et cõſequenter illud? Quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Occurrit fabula de vulpe & murilego. Quæſiuit vulpes quot modos & circũitus ſciret contra caninos inſultus. Reſpondit murilegus, tantum vnicum. Vah inquit vulpes: Ego mille noui & habeo talibus ſaccum plenum. Euenit inter loquendum multitudo canum venantium. Murilegus vt audiuit, latratus canum, confeſtim exilijt in arborem ſurſum. Vulpes verò infra fati-
E gabunda velox pergebat circumeundo. Tandem cum fatigata deficeret præ laſſitudine & canum morſibus pateret, improperauit murilegus vulpi ſuos multos circumitus, atque diriſit dicens, plus ſibi profuiſſe ſuum vnicum in arbore ſaltũ, quam ei omnes ſui multiplices circumitus.

Notula viceſima-prima.

REFERT Seneca ſimile aliquid dictum ab altero alteri philoſophorũ, quoniam plus pro-
F ficit vnum morale præceptum, ſi vſu continuo in illo te exercueris, quã multa ſi neglexeris vſũ. Exẽplum de luctatore. Applicemus hæc ad propoſitum & dicamus quod hic vſus hęc exercitatio meditantis eſſe debet, vt aſſiduè diſcat ad omnẽ corporalis rei intuitũ leuare ſurſum cor ſuum velut in vniuerſalem quãdam recogitationem diuinæ bonitatis, diuinæ ſapientiæ & poteſtatis, & ita de ſimilibus, iuxta ſenſatorũ exterius vel interius qualitatem, quoniam laquei & retia ſunt in infirmis. Quid mirandum ſi ſpiritus inſtar auis dum inſidet morans in eis capiatur & irretiatur, ſed ſi mox euolet, ſecurus erit.

Notula

Digitized by Google

Notula viceſima-ſecunda.

FVIT hoc Stoicorum (quorum Seneca nō infimus fuit) inſtitutum vt mens virili aliqua & forti cogitatione animum ſtabiliret, quæ valeret ad virtutem. Citius eſſet vagari per multa dum caſta ſit & ordinata vagatio. Hæc autem cogitatio vel rectius meditatio verſabatur apud eos circa fictum quoddam virtutis ſimulachrum, quod honeſtum vocabant vel honeſtatem, dum ſua vi nos trahit & allicit, nec propter aliud quæri habet. At verò diuinius actum eſt nobiſcum, qui veram & ſolidam virtutis & felicitatis rem tenemus, non ſolum imaginem, qui res non ſola ratione nobis, ſed fide certa proponitur tenenda, quærenda meditandáque iugiter. Manuducunt tamen nos odio ad hoc ipſum, ſi non abutimur, ſi non ſignis, nutibus & vmbris inhæſerimus relicta veritate. Eſſet enim hoc vtique hominis inſipientis & ſtolidi.

Dicimus hoc ad inculcandum magis & magis receſſum corporaliū conſideratione diutina nimis & fixa, quam ſi eis omnibus laquei ſunt, decipulæ ſunt, pericula ſunt pedibus (iuxta ſententiā ſapientis) inſipientium. Dicet aliquis, prohibens igitur fieri imagines aut intueri prohibens conſequenter neceſſe eſſe & literas, & ita quid reliquum erit meditantibus? Reſpondemus quod imaginū nec vſus nec intuitus prohibetur, ſed talis inhæſio quæ meditantis cor ne ſurſum feratur quaſi circūligatum funibus aut inuiſcatum detinet. Superuolare igitur frequenter nitatur, etiam ſi recidere crebrò cogatur.

Notula viceſima-tertia.

EXTIMESCIMVS in noſtro multiloquio cauſare, cuiquam faſtidium, nihilominus quia ſolet in exercitatis ad quales eſt ſermo præſens proficere particularis exemplificatio. Subiungamus exemplum hoc vnum de plurimis. Et quoniam dicente ſapiente. Initium ſapientiæ timor Domini. De timore Domini conſtituamus ante meditationis noſtræ oculos exemplum illud celebre, à quo cœpiſſe dicitur ordo Carthuſienſis. Mortuus eſt quidā magnæ reputationis magiſter apud ſcholaſticos. Parabantur exequiæ in templo, venit vox: Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum: Dilata eſt ſepultura in diem alterū. Tunc audita eſt vox: Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum. Tertia die in quā dilatio ſepulturę iterum facta extitit inſonuit vox: Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum. Ecce in his eſt poſitum coram meditantis oculis iudicij tremendi accuſationis, iudicationis & condemnationis ſpectaculum. Hæc itaque materialia & ſimilia videri poſſunt quotidie apud vtrumque forum, eccleſiaſticū. ſ. & ciuile: Quæ cor meditātis poteſt ſpiritualiter quaſi quotidie intra ſe practicare, vt ſe ad diuinum timorem ſic excitet, attamē inter hæc ad ſedem miſericordiæ, quæ teſte beato Iacobo ſuperexaltat iudicium, tremebundus & fiducia non deſtitutus appellet, dúmque miſerendi tēpus eſt toto illi cordis affectu ſe ſubmittat. Sic prædictum de mendicitate ſpirituali ſcripſimus in vulgari, quatenus exēplo mendicorum manuduceremur eleemoſynas ſpirituales quærere multo

A magis ſedulóque affectu mentis. Sic in ſenſu literali pſalmorū Dauid ex ſe docuit. Sic pia quædam mulier dolorem de perditione filiorū retorquebat ſuper animæ ſuæ, ſuiſque & aliorū ſpiritualib9 anguſtijs cogitandum, ac ita prouidè & ſalubriter conuertebat triſtitiam temporalem in ſpirituale̅, & ex cōſequenti in lætitiam. Siquidem verum eſt beatos eſſe ſic lugentes, quoniam ipſi conſolabūtur. Nolumus tamen in his ſimilitudinibus corporeis figi, ſed ad ſpiritualia conſideranda ſine loco, ſine ſitu, ſine colore, ſinéque figura, continuò meditatione cordis reflecti.

B

Notula viceſima-quarta.

EXPLICAVIMVS, & ſi non vt voluimus, tamē vtcunque prout valuimus, licet non ſatis, modum ſimplificandi cor in meditationibus. Sed an ſatis expleuerimus iudicet cui placet. Sed & imperfectum noſtrum ſuppleat Deus qui ſolus ſenſum aperit vt intelligantur ſcripturæ, nedum quæ in libris, ſed etiam quæ in vniuerſis creaturis per varia deſcriptæ ſunt exempla, quatenus ad Dei legantur honorem, noſtram ædificationem & pro C conſecutione felicitatis æternæ.

Porrò quicquid hic edoctum videtur ſuper ſimplificatione cordis traduci poterit faciliter ad cordis ſtabilitionem, de qua dicit Apoſtolus: Bonū eſt gratia ſtabilire cor, dum docetur cor vel ſtare in Deo, vel non elongari diutius ab eo, vt ſic ibi noſtra fixa ſint corda vbi vera ſunt gaudia. Trahi ſimiliter poteſt ad cordis mundificationem. De qua Dauid: Cor mundum crea in me Deus. Quæ mundificatio fit cum ipſum cor à multis, & præcipuè cum (licet difficillimè à phantaſmatū corporalium contagio viſco vmbra ſeu fuligine, aſſueſcit ſeparari.

D

Poſſet deniq; ſub ſimplificatione cordis introduci directio vel rectitudo cordis. Sed erit ſuper hac re particularis (Domino volente) deciſio. De qua rectitudine eſt illa Pſal. clamatio: Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. Et iterum: Confitebor tibi in directione cordis.

E

FINIS.

CARMEN DE SIMPLIFICATIONE CORDIS.

VIs verum liber cognoſcere ſimplificetur
Cor ſurſum remeans infirma deſpiciat.
Materie trahit infectas res conditiones,
Quò magis à ſummo diſtat origo ſua.
F *Hoc in ſole notes & lumine, ſed viceuerſa*
Dum redit ad primum, ſpirituale ſapit.
Mens hominis mundum, ſua per ſimulachra receptum
Senſibus effigiat ſpiritui ſimilem.
Spiritus eſt nempè quod gignit ſpiritus, iſta
Mentis conditio libera primo fuit.
Principium rebus primum ſpeculando creatis.
Obyce cum nullo crimine læſa iacet.
Inficitur carnis oculus, ſed hebes rationis,
Contemplatiuus lumine pene caret.
Par fit iumentis & corpore merſa grauatur
Declius ſtolidam vix bene viſit humum.

TRACTATVS DOCTORIS CONSOLATORIVS MAGISTRI IOANNIS *de Gerſon Cancellarij Pariſienſis de directione ſeu rectitudine cordis.*

CONFITEBOR tibi in directione cordis. Pollicetur hoc Pſalmiſta perſonam in ſe gerens animæ cuiuſlibet fidelis deuotè loquentis Deo & confidentis in eo. Vel potius Hebraico more futurum indicatiui ponitur hic optatiui loco quaſi vox ſit nõ promittentis, ſed optantis atque orantis cũ dicit. Cõfitebor tibi in directione cordis. Proclamat in eodem ſpiritu raptus in anagogicos exceſſus qui pſallando ait: Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. Felix planè cor directum & rectum in Domino. Sed in directione & rectificatione crebrius heu fallimur putantes nos rectũ cor habere cum variè diſtortum eſt, quia iuſtitiã noſtram volentes ſtatuere iuſtitiæ Dei non ſumus ſubiecti. Propterea diligenter attende tu meditans quemadmodum Deo confiteberis in directione cordis. Vide quid ſequitur: In eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ. Mirũ verò ſi quis gloriari audeat ſe didiciſſe iudicia iuſtitiæ Dei, quæ ſunt vtique abyſſus multa, quæ incomprehenſibilia (quæ & terribilia ſunt ſuper filios hominum. Sed profectò ſatis eſt cordi ſaltem fido & ſimplici, non curioſa perſcrutatione, ſed humili deuotione confiteri Deo cum propheta dicendo: Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum. Item: Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſis. Et rurſus: Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.

Conſideratio prima.

Fundamentum igitur directionis cordis eſt meditatio rectitudinis diuinæ iuſtitiæ, quæ eſt perpetua & conſtans voluntas, reddens vnicuique quod ſuum eſt. Hinc enim conſurgit ordo qui eſt parium diſpariúmque rerum ſua vnicuiq; tribuens diſpoſitio. Hinc conſequenter oritur pax, quæ nihil aliud eſt quam ordinis trãquillitas, propterea bene enunciatum eſt quod opus iuſtitiæ eſt pax, & quod iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Conſideratio ſecunda.

Eſſet autem gratiſſimum hanc per ſingulas res meditari iuſtitiam ordinem & pacem, ſed tranſeat meditatio cordis vt dirigatur ad participatam iuſtitiam, quæ deſcribitur habitus vel quaſi habitus, per quem inclinatur cor habentis ipſum reddere vnicuique quod ſuum eſt. Quam iuſtitiam diuiſerunt philoſophantes in commutatiuam & diſtributiuam, quamuis non defuerint qui iuſtitiã dixerint omnem virtutem. Rectè prorſus ſi de legali iuſtitia ſub generalitate locuti ſunt, quæ quidem ratio eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt. Continetur itaque ſub hoc ambitu virtus omnis, tam prudentia quæ eſt recta ratio agibilium, quã temperantia quæ eſt moderatrix paſſionum concupiſcibilium, quam fortitudo quæ eſt mediatrix inter audaciã & timorem, quam iuſtitia prout eſt particularis virtus reſpiciens commutationes in precijs, & diſtributiones pro meritis quatenus rectè fiant.

Conſideratio tertia.

A Poſſet confeſtim fieri ſermo de directione cordis in hac particulari & duplici iuſtitia, cui ſolet aduerſari quaſi duplex peſtis lætifera. Contrariatur itaque commutatiuè contractus vſurarius quoad temporalia, & ſimoniacus quoad ſpiritualia. Porrò iuſtitiam diſtributiuam vulnerant & inficiunt promotio remuneratióque malè meritorũ in republica eccleſiaſtica & ſpirituali. Sed videamus in primis velut in radice vel fonte quid cordis ſit rectitudo ſeu directio.

B

Conſideratio quarta.

Directio cordis attenditur penes conformitatem ac rectitudinem primæ & vniuerſalis regulæ, quam eſſe conſtat inobligabilem, nec à rectitudine prorſus flexibilem, quemadmodum tortuoſa rediguntur, & rectificantur ad normam rectam per applicationem. Et quoniam natura tota dirigitur in ſuis motionibus & actionibus ad hoc agente infallibili & in obliquabili, naturam omnẽ directam & rectam (vt talis eſt) fortè neceſſe eſt. C Et hoc eſt corollarium ſeu poriſma pulcherrimũ, propterea concluditur à ſapiente & apud Boëtiũ à philoſophia, quod ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Conſideratio quinta.

Hanc verò directionem naturæ vocauerunt aliqui philoſophorum circulum intelligibilem primi boni ad creaturam, & rurſus creaturæ ad ſuum principium. Et hæc meditatio non eſt diſcors à D noſtra ſi conſideretur huiuſmodi recurſus ſeu reuerſio, qui vel quæ fit tanquam reflectatur radius rectus vel perpendicularis in ſeipſo de deorſum in ſurſum, vnde prouenit fortificatio mirabilis in natura, quod in ſpeculis probatur per exemplum.

Conſideratio ſexta.

Hanc igitur naturæ directionem & reuerſionẽ ad ſuum principium ſic inobliquabiliter haberet humana voluntas pro ſtatu præſenti, eam quippe in gloria habebit, ſed in inferno ab hac rectitudi- E ne tota deficiet. Nunc autem dum in via ſumus dirigitur aliquando, ſed frequentius detorquetur per peccatum ab hac directione redditúrque tortuoſa, ita vt non ſit cum Deo ſuo rectum vel directum cor eius. Sicut in pluribus ſacræ ſcripturæ locis verba huiuſmodi ſonant.

Conſideratio ſeptima.

Fuerunt qui dicerent hanc rectitudinem cordis ad Deũ eſſe, vt vellet homo quicquid vellet Deus, F & non aliud vel aliter. Alijs viſum eſt quod voluntas Dei non obligat voluntatem creatam ad imitationem ſui & conformitatem, & per conſequens nec ad ſuã rectitudinem, niſi primò ſit cognita Dei voluntas ipſa. Et denique quod ad eius imitationem obligetur ſub præcepto affirmatiuo vel negatiuo. Quod aliqui ſic explicãt, vt cor hominis teneatur velle illud quod ſcit quod Deus vult ipſum velle, & hoc non ſolum conſultiuè vel permiſſiuè, ſed præceptiuè, vt dictũ eſt. Reducitur ergo ſecundũ iſtos tota cordis rectitudo ad rectitudinem impletionis diuinorũ præceptorũ, quæ ſunt iudicia ſeu dictamina diuinæ iuſtitiæ.

Conſide-

Digitized by Google

Conſideratio octaua.

Fuerunt quoq; quibus hoc non ſatis dictũ amplè videbatur. Diſtinxerunt igitur triplicem in homine voluntatem, accepto largè vocabulo ſecundum triplicem in homine cognitionem. A Eſt enim voluntas ſeu appetitus ſenſualis qui poteſt aliqualiter ideo dici voluntas, quia aptus natus eſt obedire rationi, iuxta Ariſtotelis verbum conformiter ad illud dictum de Cain: Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non ſic autem eſt in appetitu ſenſuali brutorum, quæ non habet rationem directricem ſibi adiunctam, propterea paſſiones ſenſitiuæ non eis imputantur nec B dicuntur turpes. Vt ſuperbia in equo, ferocitas in leone, timiditas in lepore, aſtutia in vulpe, & ſic de alijs ſimilibus. Eſt & alia voluntas vel eadem, ſed aliter conſiderata, quæ conſequitur cognitionem rationis inferioris, quam appellant ſancti velut mulierem reſpectu portionis ſuperioris, quam virum dicunt. Hæc reſpicit leges temporales & concluſiones quæ colliguntur ex ſenſibus. Sed portio rationis quę ſuperior dicitur conformatur ad leges æternas, ſecundum has dicitur propriè C voluntas rationis.

Conſideratio nona.

Dicunt conſequenter prædicti quod voluntas conſequens iudicium rationis & directionẽ eius debet ſemper ita eſſe conformis diuinæ voluntati quod nũquam in aliquo ſibi remurmuret, nec de damnatione hominum, nec de permiſſione peccatorum, nec de gratiæ ſubtractione, immo nec de ſua futura damnatione, ſi illam Deus diſpoſuerit iuſto ſuo iudicio venturam, ſed dicat humili corde ſine murmure id quod apud damnatos & D per eos dici non poteſt: Iuſtus es Domine & rectũ iudicium tuum, cum cæteris ſimilibus. Nõ quod homo ſimpliciter & abſolutè debeat aut poſſit de lege ordinata conſentire in damnationem ſuã, ſicut nec in peccatum vel deſperationem, ſed hæc ita ſub conditione proponuntur. Quamuis non expediat apud multos tales interrogationes particulares ſibi formare, vel in eis deliberando diu ſtare. Hoc tamen poteſt fieri vt ſecundum iudiciũ rationis ſuperioris nolit in aliquo remurmurare E diuinis diſpoſitionibus, quod facilius eſt quã poſitiuè ea laudare, & approbando in ratione eius gaudere.

Conſideratio decima.

Porrò quoad voluntatem aliã duplicẽ quæ cõſequitur iudicium rationis inferioris & ſenſualitatis poteſt fieri quod bonus filius (ſic loquitur Auguſtinus) velit patrẽ ſuum viuere, quẽ Deus vult mori, propter quendã naturæ tractũ & colligationẽ ad ea quę tẽporalia ſunt. Oportet nihilominus F hanc duplicẽ voluntatẽ ſi debet carere vitio ſe reſoluere tandẽ in eã quæ ſequitur iudiciũ rationis.

Conſideratio vndecima.

Amplius addamus, quia natura delectatur in medijs & triſtatur in extremis, colligitur ratio ſpeculatiua canticorũ & pſalmorũ, qui quãdoq; collaudant rectos corde, & ad lętitiã & collaudationem prouocant, vt ibi: Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Et iterum: Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Coniunguntur autem iuſtitia & rectitudo cordis ratione prædicta. Quoniam iuſtitia medium tenet, & conſiſtit in quadã rectitudine, ſecundum quam debet rectificari cor atque dirigi.

Conſideratio duodecima.

Attendendum eſt nihilominus quod rectitudo voluntatis humanę pro ſtatu vię non ſtat in indiuiſibili ſicut rectitudo volũtatis Dei. Et ſic Stoici ponere voluerunt dicentes æqualia eſſe peccata, quoniã ęquè deuiat vnũ à rectitudine ſicut alterum. Exemplum de linea parũ torta vel obliqua. Stat igitur ex moderatione iuſtitiæ per diuinam miſericordiam quæ ſuperexaltat iudicium quod rectitudo voluntatis humanæ latitudinem aliquã compatiatur, infra quam voluntas ſtans dicetur ſemper recta, quamuis ad centrum indiuiſibile iuxta modũ loquendi prædictorũ non pertingat.

Conſideratio decimatertia.

Rurſus infra latitudinẽ hanc permiſerunt aliqui peccata venialia, dicẽtes ea non eſſe contra rectitudinẽ diuinorum præceptorũ, quæ ſunt Dei iuſtitiæ ſeu iudicia participata, ſicut nec eſſe dicuntur contra charitatẽ, quia non extingunt eã. Sunt tamen peccata venialia quædã obliquitates à medijs, per quæ facilius & rectius tẽditur ad finẽ, nõ autem tollunt rectitudinem finis. Et ſi non perimunt illam, præpediant tamen plurimum. Super qua re loquitur tractatus alter de vita ſpirituali docens quantum quouſque vota & præcepta ordinum ſeu religionum obligent & ſe extendant.

Conſideratio decimaquarta.

Deſcendamus conſequenter ad particulares caſus aliquos, quoniã ſermones particulares in moralibus (dicente Ariſtotele & teſte experientia) magis proſunt aut erudiunt quemadmodũ videre eſt in pręceptis medicinæ, neq; tamen oportet tẽtare de ſingulis particularibus quoniã infinita ſũt, & ideo nec diſſerere neceſſe. Sed in primis ſicut directio cordis tendit & terminatur in Deum, ſic & ab eodem habet ortum &c. Vide conſequentia in tractatu de oratione & eius valore parte tertia.

Conſideratio decimaquinta.

Tenuit nos ecce plus ſperato verbũ de directione cordis in oratione cũ annexis. Ad quorũ elucidationem ampliorem proficit tractatus de meditatione cordis, & alius de ipſius ſtabilitione, veniamus conſequenter ad alias particulares actiones. Et in primis videamus qualis eſſe debeat cordis directio in adoratione imaginum, quoniã abuſus videtur eſſe multus apud laicos & ſeculares, immo & nonnunquam apud litteratos & religioſos, qui vnam imaginem citius adorãt quam aliam. Et hoc ſolũ quia vel venuſtior aut pulchrior aut ornatior. Vnde loquuntur ad illã velut ſi intelligat. Directio finalis conſulenda & ſæpius inculcanda atq; prędicãda talibus in his & in pluribus alijs eſt quod habeant intentionẽ generalem faciendi in huiuſmodi adorationibus illud quod intendit facere eccleſia, quódq; prælati doctores & sãcti patres huiuſmodi inſtituentes & tolerantes facere intẽderunt, nec figant directionem ſui cordis vel intentionem ad aliquod particulare, quin ſemper habeant cordis promptitudinem ad faciendum ea in his ſolum quæ eccleſia & ſuperiores noſtri ac priores fieri tradiderunt atque docuerunt.

Conſideratio decimaſexta.

Tranſeamus quoque ſtatim vltra ad alios cultus ſanctorum, qui vt plurimum ſuperſtitionis habere videntur ita quod nouena fiant, & non ſeptimana vel quintana. Quod offeratur tale mu-

Digitized by Google

nus vel tale, ſic gallus pro pueris, gallina pro puellis, beato Chriſtoforo vel Ioanni baptiſtæ, quod ſanctum Hubertum pro morſu canis rabidi fiant inueniuntur particulares obſeruantiæ, quæ nullam videntur habere rationē inſtitutionis. Et ita talis ritus tranſit in ſuperſtitionem, quæ nihil aliud eſt quàm vana religio. Dicitur autē vana, quia caret ratione & effectu. Similiter eſt de hoc quod ſanctus Antonius plus habeat virtutis in curando ſacrū (vt aiūt) ignē quam alij ſancti. Rurſus idem eſt hoc quod in hac eccleſia dedicata beatiſſimæ virgini ipſius virtus ſit potentior quā in alia ad faciēdum miracula, & ſuccurrendam inuocantibus ſe, & hoc præſertim ratione talis vel talis imaginationis ſuæ, vel ratione ſolitæ peregrinationis illic continuatæ, & ſic de ſimilibus abſque numero.

Conſideratio decimaſeptima.

Conſiderandum eſt igitur quod pauciſſimorū eſt ad diuina ſe erigere vel eleuare niſi per corporalia. Sed nec confidentia de Deo & ſanctis faciliter à multis habetur ſine quadam ſpeciali obſeruatione & frequenter corporali vel imaginatiua. Talis tamen imaginatio fortis & confidens de diuino auxilio licita eſt & meritoria, quamuis conſurgat per media vel exempla corporalia, & per quaſdam actiones extraneas, quæ mouent, adiuuant & augent imaginationem ad ſpem vel confidentiam de obtinendo ſalutem, prout & medici dicunt, videlicet imaginationem fortem facere caſum vel etiam liberationem.

Conſideratio decimaoctaua.

Amplius diſtinguendum eſt de obſeruationibus circa cultum Dei & ſanctorum quod aliquæ obſeruationes huiuſmodi ſunt manifeſtè licitæ, immo & obligatoriæ, quas videlicet tradidit eccleſia. Aliquæ ſunt penitus illicitæ, & demeritorię quas eccleſia reprobat per expreſſum. Aliæ autem ſunt mediæ quæ de genere ſuo nec bonę ſunt nec malæ, ſicut leuare feſtucam in templo. Sed fiunt moraliter bonæ, aut malæ per appoſitionem circunſtantiarum, præſertim intentionis & finis. Similiter poteſt fieri diſtinctio de credendis, quod aliqua ſunt firmiter credenda. Alia æquè firmiter diſcredenda. Alia verò quæ ſine periculo poſſunt vel credi vel non credi. Cæterum de obſeruantijs primi & ſecundi generis poteſt & debet fieri ſecurè prędicatio. ſ. quando ſunt expreſſæ per eccleſiam & doctores vel approbatæ vel reprobatę. De alijs verò tertij generis cautiſſimè prædicandum eſt, vt nec nimis generaliter aſſertiuè & abſolutè approbentur, & præſertim quaſi cadant ſub præcepto vel fide certa, nec etiam reprobentur abſolutè & ſimpliciter quaſi ſint peccata quę non poſſunt bene fieri, & quæ obligent ad non credendū.

Conſideratio decimanona.

Rurſus aduertendum quod apud ſimplices qui videntur bonæ fidei, & alijs religioſè viuentes, obſeruantes eccleſiaſticā diſciplinam & doctrinā agendum eſt potius ad rectificationem actionum ſuarum & ad bonam interpretationem iuxta intentionem bonam quam habere debent, quam damnentur vel arceantur deſerere ſuas conſuetudines, præſertim, per illos qui nō ſunt tātæ autoritatis quod poſſint ſine ſcandalo tales obſeruationes extirpare. Secus forte vbi adueniret autoritas prælatorum vel papæ vel generalis conſilij. Vnde & quando prædicatur nimis acriter contra obſeruationes talium perſonarum, quæ deuotæ ſunt in A multis alijs, poteſt cōſurgere in ipſis quædam puſillanimitas, atque oriri ex hoc in peruerſis maior arrogantia irriſiua bonorum & ſimplicium huiuſmodi, aliarúmque deuotarum perſonarum.

Conſideratio viceſima.

Addatur adhuc circa dictas obſeruationes, pręſertim propter illos qui ſunt depreſſi in intellectu, ac rudes ad capiendum ſubtiles reſolutiones noſtræ fidei & catholicæ religionis, prout tactum eſt ſupra conſideratione 17. Addatur inquam, & dicamus quod in talibus ita temperatè ſe habeant, B quod nec reprobēt eos qui talia non faciūt, quaſi ſint obligati ſic facere, quod etiam in talibus non ponant firmam ſpem ſuam taliter quod exiſtimēt Deum vel ſanctos non debere eis præbere auxilium vel ſalutem, niſi obſeruationes tales exercuerint quaſi ſit in illis quædam neceſſitas, vt per eas & non aliter inducatur Deus & ſancti id facere quod petuntur. Poſſunt tamen exiſtimare vel ſperare cum pietate fidei & religionis chriſtianæ quod reuerentia exhibita Deo & ſanctis per hu- C iuſmodi obſeruationes eis vtique placeat.

Conſideratio viceſimaprima.

Confirmantur per pręmiſſa exempla quæ videmus in eccleſia. Quia commutauit eccleſia multos gētilium ritus non eos penitus auferendo, ſed intentiones fidelium circa huiuſmodi in finem bonum dirigendo. Patet hoc de feſto purificationis, quod ideo candelaria vulgo dicitur, quia portantur candelæ ardentes illa die in honore puriſſimæ & lucidiſſimę virginis Mariæ, quę prius portari apud gentiles conſueuerant in venerationem D cuiuſdam deæ, & in luſtratione vrbis Romanæ. Sic ſolemnitas primi diei menſis ſexti qui quoſdam in honore Octauiani Auguſti fiebat, ceſſit in eccleſia in honorem receptionis catenarum principis apoſtolorum. Secundum conſimilem deſiderationem apud principes chriſtianos poſſet hodie tolerari celebratio natalis ſui immo vt meritoriè peragi, dirigendo videlicet intentionem ſuam ad ſpiritualem naturalem natiuitatem regenerationis ſuæ per ſacrum baptiſma glorificantes E Deum qui gratiam baptiſmi contulit. Sic etiam encœnia quæ datur prima die Ianuarij tolerabiliter fierent ſic dirigeretur intentio ad illud encœnium glorioſum & precioſum quod Chriſtus Ieſus Deus & Dominus noſter nobis donauit in ſui benedicti nominis impoſitione, quod vtique nomen eſt Ieſus, ſalutem importans atq; in ſui precioſi ſanguinis effuſione, quā in circunciſione inchoauit, ſed tunc conſummauit quando in ara crucis cum latrone & clamore valido ſeipſum totum pro noſtra ſalute Deo patri in ſacrificium ob- F tulit, & exauditus eſt pro ſua reuerentia. Sic fit vt intentionem rectificando multa erunt religioſa quæ aliàs forent ſuperſtitioſa.

Conſideratio viceſimaſecunda.

Inueniet ſtudioſius, doctus & pius animus in talibus obſeruationibus quæ de ſe non ſunt malę quaſdam rationes vel directiones cordis, quæ faciunt obſeruationes huiuſmodi nedum licitas ſed etiā meritorias. Et ſicut nō eſt neceſſe in obſeruationibus per eccleſiam datis, quod ſimplices & laici cognoſcūt talium rationes, quæ in aliquibus vix poſſunt aliter reddi, quam quod ſic placuerit legiſlatori, vel eccleſiaſticæ conſuetudini. Sic

multo

Digitized by Google

multo magis in propoſito dicendum eſt quod ſufficiant leues coniecturæ ſi dicatur nouenaria A potius quam duodenaria ad honorem nouem videlicet ordinum angelorum. Et quod fiat peregrinatio ad iſtam eccleſiam magis quam ad illam ob maiorē deuotionem fidelium. Et quod Deus vult in varijs locis & diuerſis ſanctis variè & diuerſimodè venerari, ſtante tamen in his ſemper verę fidei ſoliditate & integritate. Sed & quod pulli vel panis vel vinum, vel equi, vel imagines cereæ, vel aliqua ſimilia certis ritibus offerantur, totum cedit in honorem Dei & ſanctorum, & ad ſubſtentationem eccleſiaſticorum miniſtrorum, B dummodo in his & in alijs non addatur poſitiuè & particulariter certa intentio paura & omnino contraria diuinæ religioni. Conſulendum eſt igitur vt ſtent in directione & intentione generali faciendi idem quod placitum ſit Deo, nec in talibus nimis multum ſe ſubtilizent.

Conſideratio viceſimatertia.

Rurſus ad elucidationem præmiſſorum ampliorem addendum eſt quod non paſſim quæratur tentari Deus per inuocationem ſanctorum C ſuorum vel obligationem eis factas, quaſi debeat ſemper ſtatim facere miraculosè illud quod petitur, præſertim quando eſt tantummodo bonum temporale adipiſcendum, videlicet quando eſt pro acquirendo aliquo commodo, vel pro euitando incommodo, ſicut ſolent facere plurimi qui pro qualibet re quantumlibet prophana & modica quærunt à Deo & ſanctis eius operationem ſupernaturalem, quamuis oppoſitum illius quod ipſi petunt cadat frequentius ad ſalutem ip- D ſorum ſpiritualem, ſicut eſt infirmitas, vel aliqua in bonis temporalibus aduerſitas. Eſt enim inuocandus Deus maximè pro æterna ſalute animarū & pro medijs ad illam per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris per diuitias, per paupertatem, per bonam famam & infamiam, quemadmodum ſupremus noſter medicus, magiſter & rector nobis vtile eſſe nouerit: itaque ſicut dici ſolet, à magno magna petenda ſunt & ſperanda, atque aliquid ſolidum ſeu permanſurū, ne forte videatur Deus coli ſolum vel amari propter quæſtum temporalium E quæ vilia ſunt & illico vtique peritura.

Conſideratio viceſimaquarta.

Contingit autem Deum tentari dupliciter. Vno modo ſine neceſſitate vel abſque magna vtilitate, quæ tentatio dicitur curioſitas. Alio modo dum dimittitur auxilium humanum, quale poſſet habere, videlicet dum fiat illud quod naturaliter vel humanitus fieri poteſt. Et hoc vocamus facere quod in ſe eſt. Ad primum ſpectat cum homo vult per aliquas orationes vel ieiunia acquirere ſcientiam aliquorum occultorum, vel eorum quæ non ſunt ſibi vel ſtatui ſuo competentia, vel vt habeat gratias aliquas gratis datas quæ nō ſunt vtiles ipſi petenti, ſed magis inutiles, forte & noxię, vt quod homo ſperet dicendo hanc vel illam orationem quod nō incurret tunc infirmitatem, vel quod ſic habebit diuitias, vel proſperabitur in mercaturis, vel etiam in ſpiritualibus, exemplificando quod videlicet videbit ante mortē oculis corporalibus beatiſſimam virginem aut aliquem ſanctorum vel aliquam ſanctarum, & ita de reliquis, quæ omnia friuola ſunt, nec habent quicquam roboris aut fundamenti.

Conſideratio viceſimaquinta.

Porrò aliquibus nihilominus licitum eſt expectare aliqua quaſi per miraculum cum recurſu ad Deum & ſanctos eius, qualia ſic expectare ſine cooperatione propria alias nequaquam foret licitum ſiue laudabile. Et hoc in multis caſibus eſt conſideratione digniſſimum. Vnde ſi ſimplices homines nō haberēt prædicatores & inſtructores ſuper credendis & agendis ad ſalutem pertinentibus, poſſunt rationabiliter inſtructionē ſui poſtulare à Domino Deo per miraculum vtpote per infuſionē diuinitus præter naturæ operationem illuminari. Quia vbi deeſt naturale & humanum ſubſidium, poteſt immo & debet ſpirituale & ſupernaturale rationabiliter expeti & expectari, cū gratia non deficiat & vtiq; minus quā natura in neceſſarijs. Prouenit inde fortaſſis quod multi rurales & idiotæ ſæpe citius operātur ſuam ſalutem ſine offendiculis erroris, & abſque deuiatione præceptorum diuinorum & eccleſiaſticorum propter firmā, deuotam & humilem ſpem quā in diuino habēt auxilio repoſitā quam clerici, & literati & alij quotidianis exercitati lectionibus, & ſermonū auditionibus, qui plerūq; facilius errore & deuio periclitantur. Sic etiam ſæpius à Deo miraculosè ab eccleſijs & congregationibus paſtoris ſolatio orbatis petiti ſunt, & adhuc licitè peti poſſunt idonei boni & vtiles paſtores & prælati, ſicut legitur de ſancto Nicolao & pluribus alijs.

Conſideratio viceſimaſexta.

Habent conſequenter ad hanc conſiderationē religioſi & ſolitarij qui deſeruerunt mundum & ea quæ in eo ſunt quoad curam adminiſtrationis, cauſam magnam recurrendi ad Deum in ſuis orationibus cum expectatione diuini auxilij, ſine ſollicitudine alterius curæ quęrendi vel vtendi auxilio alio temporali, in faciendo illud quod in ſe eſt. Nam orando & bene viuendo faciunt totū quod in ſe eſt. Secus eſſet in habētibus adminiſtrationē atq; curā ſiue in præſidēdo vt regēs & iudices, ſiue in corripiēdo & docendo, vt prælati & doctores, quales vix ſcire poſſūt ſine magna ſollicitudine & trepidatione an fecerint vt faciāt quod in ſe eſt.

Conſideratio viceſimaſeptima.

Nihilominus datur pro regula quod in oratione ſua conſideret homo ſi faciat vel fecerit probabili coniectura quod in ſe eſt, & quicquid ſpectat pro tunc ad ſe vel ad ſuum officium iuxta naturalem procedendi modum. Non enim requiritur euidentia. Et ſi ſic, tunc ferat audacter & ſine Deum tentandi totam cordis ſui directionem in Deum, expectando ſuum diuinitus auxilium. F Quaſi dicat cum Ioſaphat rege. Cum ignoremus quid agere debeamus, ſupple vltra ea quæ egimus, aut fecimus, hoc ſolum habemus reſidui vt oculos noſtros ad te dirigamus.

Conſideratio viceſimaoctaua.

Valet inſuper hæc doctrina apud quemlibet optantem bonū alicui, cui tamē via naturæ ſuccurrere non poteſt, vel propter diſtantiam localem, vt inſufficientiam ſuam quamcunq; aliam, vt toto corde dirigatur ad Deum & ſanctos eius oratio ſua, dicēdo: Domine Deus meus apud te eſt omne deſiderium meum pro ſalute huius vel illius perſonæ. Sed nihil aliud mihi ſuppetit quā vt tuū

implorem pro ea auxilium, prout & imploro & toto corde affecto, quatenus tu per meipſum, aut certè per angelos tuos ſanctos, vel ſaltem per homines alios ad hoc magis quam ego idoneos agere digneris circa talem vel talem perſonam quę ſuæ ſalutis ſunt, quæ ego nequaquam ſufficio implere docendo, monendo, hortando, corripiẽdo &c. aut aliàs prout vnctio eius (quæ docet de omnibus) inſpirauerit orando.

Conſideratio viceſimanona.

Addamus pro directione cordis circa credulitatem eorum quæ narrantur in ſcriptis verbis & legendis ſanctorum & aliorum geſtis, ſiue illa ſint miracula, ſiue excellentijs gratiæ merita, quæ ſapere videntur chriſtianæ religioni & hominum proficere ædificationi. Similiter quoque circa indulgentiarum adeptionem per tales vel tales orationes, vtpote qui dixerit quinquies pater noſter & aue Maria coram imagine beatæ crucis, habebit mille dies vel viginti annos indulgentiarum. Similiter etiam circa denunciationes futurorum per illos qui videntur deuoti & religioſi. Similiter denique circa viſionem quorundam ſomniorum pro iuuandis mortuis, vt quod videatur pater admonens & petens tot & tales miſſas, aut eleemoſynas vel peregrinationes pro ſua liberatione. Circa hæc itaque & ſimilia multum cautè procedendum eſt & prouidendum, ne apponatur firma vel pertinax crudelitas propter erroris periculum; neque etiam oportet huiuſmodi omnino & pertinaciter diſſentire, nec etiam penitus contemnere & reprobare. Eſt igitur ambulandum in his via media & regia, in qua dirigitur deuotio illa quam vocamus pietatem fidei, cuius conditio eſt acceptare illa per modum cuiuſdam probabilitatis & amoris, quæ videntur religionem chriſtianam & Dei dilectionem confouere vel ad ipſas incitare & accendere.

Conſideratio trigeſima.

Vnde in prędictis caſibus & ſimilibus poteſt homo amplecti talia & ſimilia quæ inducta ſunt, non tanquam neceſſaria ad credendum vel operandum, ſed tanquam aliqua quæ poſſunt aliquid vtilitatis afferre, ſi recogitentur aut perficiantur. Exempli gratia, ſi dicam quinquies orationem dominicam cum ſalutatione angelica coram imagine crucifixi, poſſum ſperare de diuina miſericordia. Quod ſi non tantas quantæ ibi afferuntur, ſaltem aliquas conſequar indulgentias, Deo indulgentiarum Domino notas. Similiter ſi fecero quædam opera pia pro anima patris mei ex viſo ſomnio, non quaſi obligatus, ſed piè admonitus, præſumendum eſt quod vtique melius agam viſioni ſatisfaciendo, quam eam penitus contemnendo. Et ita conſimiliter intelligendo propter cautelam maiorem de prænunciatione futurorũ, & de operatione miraculorum, in quibus vtique reuerentia diuinæ miſericordiæ & poteſtati omnipotentis Dei principaliter eſt exhibenda.

Verumtamen prælati & doctores debent vigilantiores & cautiores eſſe in præmiſſis quam ſimplices, vt prouideant vt talis pietas fidei ſi plus debito exceſſerit, & non ſecundum ſcientiam, vergat tandem in detrimentum fidei ac ſuperſtitionem intolerandam. Debent itaque potius in publicis prædicationibus & exhortationibus talia reſtringere, quam approbando dilatare, tum
A propter pronitatẽ hominum ad ſuperſtitiones, tum quia ſolennis prædicatio doctorũ talibus ſimplicibus alias afferret fidem, & augeret in his quaſi vera ſint & de neceſſitate credẽda, eò quod à tam magnis hæc approbare quaſi intellexiſſent. Tum tertiò, quia ſatis ſuppetunt exempla pietatis, fidei & religionis chriſtianæ in ſcripturis ſacris & hiſtorijs autenticis, ſine multiplicatione huiuſmodi nouorum ſuperfluorum, quæ nec ſolidum ſatis habent fundamentum, cui poſſit ſic cum talibus
B quis initi, quin immineat multiplicis caſus periculum cum deuiatione à principali fidei fundamento. Quemadmodum videmus in ſimili in religionibus aliquibus de cenſuris & legibus adinuentis circa particulares obſeruantias quãdoque, nec ad ſalutem neceſſarias, quod videlicet ſæpe præferuntur legibus Dei & euangelicis, immo & hoc ipſum manifeſtè videmus in decretis & decretalibus. Vnde & ſeuerius punitur quandoque monachus ſine cucalla incedens, quam adulteriũ aut ſacrilegium committens. Et grauius plectitur
C agens contra vnum papæ decretum quod delinquens contra diuinum præceptum & euangeliũ. Iuxta improperium Christi ad phariſæos: Irritum feciſtis mandatũ Dei propter traditiones veſtras.

Conſideratio triceſimaprima.

Conſequenter in adminiſtratione ſpiritualium quorumcumque directio cordis vtilis eſt & valde neceſſaria, propter duo principaliter. Primum eſt deteſtatio & ampliatio ſimoniæ facta per aliquos doctores canonici. Alterum eſt vſus communiſſi-
D mus, qui ad oppoſitum eſſe videtur iurium canonicorum de ſimonia loquentium, ita vt niſi reperiatur exitus aliquis per directionẽ cordis, vix inuenitur inter diſpenſantes vel ſuſcipientes ſpiritualia, qui tutus & purus eſſe videatur. Qua ſuper re editus eſt tractatulus & inducta diſtinctio propter illos qui dicunt committi ſimoniam, ſi dentur ſpiritualia intuitu vel interuentu alicuius cõmodi temporalis, præſertim re ſecuta.

Conſideratio triceſimaſecunda.

Itaque reſoluendo materiam poſſumus inue-
E nire diſtinctionem quadruplicem de intuitu vel reſpectu commodi temporalis pro ſpirituali, poteſt enim intuitus ferri ad temporale commodũ. Primò tanquam ad precium rei ſpiritualis, quaſi ſit adæquatio valoris vnius rei ad alteram, ſicut eſt in emptione & venditione cuiuſlibet rei. Poteſt ſecundò ferri intuitus ad commodum temporale tanquam ad motiuum principale dandi ſpiritualia, vel ad finem vltimum in quo ſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis. Poteſt tertiò ferri
F intuitus commodi temporalis tanquam ad motiuum minus principale, vel ad finem ſubordinatum ſub vltimo fine. Poteſt quartò ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad rem debitam iure diuino pro ſuſtentatione illius qui ſpiritualia ſubminiſtrabit, iuxta doctrinam Chriſti & apoſtoli. Quoniam dignus eſt operarius mercede ſua.

Conſideratio triceſimatertia.

Nunc ad propoſitum dicamus pro reſponſione ſuccincta & ſolida, quod primus intuitus & ſecundus ſunt verè ſimoniaci de iure diuino & humano, & ſic concurrat error intellectus, quod ſcilicet

licet talia poſſint fieri ſicut in primo dicitur, vel quod licitè, ſicut ponitur in vtroque modo, tunc incurritur hæreſis propriè dicta ſi ſint pertinaces. Dicimus conſequenter quod ſi feratur intuitus tertiò & quarto modis, ille poteſt eſſe licitus, immo etiam laudabilis, meritorius ac debitus, hoc tamen attento quod obſeruetur illud apoſtoli: Ab omni ſpecie mali abſtinete vos, hoc eſt: Adminiſtratio ſpiritualiũ facta ſub altero tali intuitu non appareat fieri ex modo ſuo intuitu primo vel ſecundo, vt ſi non prius exerceantur ſpiritualia, ſi non prius dentur temporalia. Aut ſi turpiter illa vel iſta exigantur cum ſcandalo & auaritiæ nota. In quibus vtique caſibus poſſent haberi ſuſpecti de ſimoniaca prauitate ſic agentes, & hoc præſumptione iuris vel facti, & poſſent ipſi in hoc caſu tanquam tales iudicialiter euocari.

Conſideratio triceſimaquarta.

Tradit Ariſtoteles quod in finibus ſubordinatis vbi vnus eſt propter alterum, reputatur vtrobique vnum. Hoc dictum proficit plurimum ad directionem cordis in præmiſſis & ſimilibus. Vt exempli gratia. Vadit canonicus ad eccleſiam vt lucretur diſtributiones ſuas. Aut celebrat curatus miſſam vel exequias, vt recipiat funeralia. Attendendum eſt ſi principaliter ſiſtat hic vel ille intentionem ſuam ad lucrum temporale, non reducendo ad finem alium principaliorem & ſpiritualem. Si ſic, certum eſt quia eſt peccatum ſimoniæ. Si verò referat ad finem vlteriorem & ſuperiorem ac bonum, quia ſcilicet iſte lucra temporalia vult recipere pro ſubſtentatione ſua, quatenus nunc & poſterius occupari poſſit circa ſpiritualia exercitia principaliter. Hæc eſt intentio cordis recta & bona. Sed attendat diligenter homo ne mentiatur iniquitas ſibi. Quod ex varijs ſignis poterit quis in ſeipſo & in alijs cognoſcere.

Conſideratio triceſimaquinta.

Viſum eſt aliquibus, quod ſi canonicus vadat ad horas lucratiuas, aliàs non iturus, quod hoc ſit ſignum euidens quoad eccleſiam ſimoniacæ prauitatis, & quod intentio talis nequeat eſſe recta, attamen hoc non oportet ita ſemper dici, alioquin ſequeretur condemnatio quaſi totius ſtatus, tam clericorum quam religioſorum atque ſecularium. Conſtat quippe quod nonnunquam Carthuſienſes in certo conuentu ſuo certas dicant exequias pro certo defuncto, quas ſaltem pro tali alias non dicerent ſi non aliquis inde fructus tẽporalis eſſet ſecuturus & iuſtè. Similiter eſt de alijs religioſis, nec non de ſecularibus canonicis & curatis, & de omni generaliter ſtatu in hominum eccleſia Dei. Sicut nec opifex ageret quæ ſuæ artis ſunt ſine ſpe lucri. Poteſt itaque eccleſiaſticus F ad eccleſiam ire ſub ſpe lucri modo prædicto, etiã pro tunc non iturus ſine tali ſpe, ſed in alijs ſe occupaturus, dummodo ſit intentio principalis directa ad finem ſuperiorem vt tactum eſt.

Conſideratio triceſimaſexta.

Poteſt conſequenter ex præmiſſis elici qualiter liceat homini ſe transferre ad ſtatum clericalem aut religioſus immo ad curam animarum, aut ad prælaturam, quatenus poſſit habere ſuſtentationem vitæ ſuæ ſine ſollicitudine temporalis exercitij, ita tamen quod illam libertatem vel otium referat principaliter ad honorem Dei & eius obſequium, ſuamque & aliorum ſpiritualium ſalutem.
A Et ſi opponitur, quod nullus poteſt appetere prælaturam licitè & minus illam quærere hac ratione, quia ad officiandum debitè in ſtatu prælaturæ, neceſſaria eſt gratia Dei, de qua non poteſt certus quis eſſe an habeat illam. Videtur ergo præſumptionis eſſe ingerere ſe? Reſpondemus quod fallit hæc ratio quamuis magnorum ſit doctorum. Quoniam ex ſimili fieret argumentum, quod homo non poſſet appetere aut quærere quod celebraret miſſam, vel quod euchariſtiam recipiat, quia prærequiritur quod homo ſit in gra-
B tia, alioquin iudicium ſibi manducaret & biberet, quia indigne ſine gratia &c.

Conſideratio triceſimaſeptima.

Propter argumentum immediatè motum & alia prætacta, diſtinguendum eſt de certitudine, prout in quodam tractatulo de præparatione ad miſſam notatum eſt. Nam alia eſt certitudo euidentiæ, ſicut eſt in primis principijs & in rebus expertis. Alia eſt certitudo moralis, & eſt quæ colligitur & traditur ex probabilibus coniecturis
C & ſignis. Et talis requiritur & ſufficit in caſibus præmiſſis. Qua ex certitudine morali poteſt homo certus eſſe quod eſt in gratia, aut ſufficienter diſpoſitus ad celebrationem miſſæ, quia videlicet diſcuſſit diligenter conſcientiam ſuam nec eſt ſibi conſcius de peccato mortali, neque de quocunque alio canonico impedimento. Similiter talis certitudo poteſt eſſe in viro eccleſiaſtico volente curam ſiue prælaturam, videlicet quia non eſt conſcius ſibi, quin idoneus ſit cum Dei adiu-
D torio ad officium tale exequendum, quantum humana ſinit fragilitas, quæ nihil perfectum in homine ſaltem ex omni parte & beatum iuxta commune prouerbium admittit. Scimus tamen proh dolor, quod ipſa certitudo nihilominus adhuc paucorum eſt, propterea dixerunt ſancti cõſiderantes ea quæ vt in pluribus accidunt, quod videlicet quod in tali appetitu & requiſitione præeſſendi ſit peccatum, quamuis in caſu poſſit eſſe (vt deduximus) etiam meritũ magnum. Ecce patet ex præmiſſis, quod à directione cordis pro-
E ficit eruditione per ſcrupulos nimios & irrationabiles deijciatur ſiniſtrorſum nauis à ſua rectitudine, vel per plus debito relaxationem auertatur dextrorſum & incidat in malum.

Finis.

TRACTATVS EIVSDEM DE ILLVMINATIONE CORDIS, SIVE *De vna precioſa margarita, etiam de ipſa ſancta Margareta.*

Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna precioſa margarita, abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth. 13.

Vna precioſa margarita cui comparatur regnum cœlorum, eſt calculus ille candidus, in quo eſt nomen nouum ſcriptum quod nemo nouit niſi qui accipit, quod beatæ Margaretæ virgini & martyri collatum eſt, ſecundum promiſſum Chriſti in Apocalip. quia fideliter vixit in

mandatis Domini, cuius hodie feſtiuitas celebratur in ædicula cellæ noſtræ. Nomen illud nouum eſt ens ſimpliciter, vel ens purum, vel ens vniuerſaliter perfectum, vel ens quo maius nequit intelligi, & tale eſt ſolus Deus quo non eſt maius nomen ſanctificandũ in ſæculis dicente Deo: Ego ſum qui ſum. Ens ſi analogicè dicatur de Deo & de creatura, dum ſimpliciter per ſe ponitur ſtat pro ſolo Deo ſecundum regulam Ariſtotelis, quod analogum per ſe poſitum ſtat pro ſuo principali ſignificato. Et rectè ſic dicitur quemadmodum actus ſemper prior eſt potentia, & perfectum prius quam imperfectum. Ens quod eſt Deus non plenè cognoſcitur ab alio quam ab illo qui accipit dum vicerit, & Dominum victor deduxerit eum in excelſa, quando & vbi videbitur Deus ſicuti eſt. Nihilominus hic in via communicatur eius cognitio imperfecta multis modis, ſed incomprehenſibilis eſt ſibi ſoli. Ens poteſt vniuocè dici de Deo & de creatura, ſed non vniuocatione perfecta, ſicut nec ens dicitur vniuocatione perfecta de accidente & ſubſtantia, quia non ſecundum eandem perfectionem, nec ſecundum ordinem eundem, licet ratio nominis ſit eadem, ſcilicet res poſitiua, quæcunque & qualiſcunque ſit illa ſupra quam primum fundatur principium complexum, ſcilicet quodlibet eſt vel non eſt. Ac perinde deſcendit ens ad ſpecies ſuas per differentias vſque ad indiuidua. Rurſus è cõuerſo reſoluendo venit vſque ad ens primum atque puriſſimum, conſtituendo agalma pulcherrimum, atque præfulgidam animæ margaritam. Ens vniuocè dictum de Deo & creatura ſecundum rationem poſitiuam incomplexam & primæ intentionis formaliter, eſt ſubiectum metaphyſicæ, ſicut ens dictum ſecundum rationem poſitiuam ſecundæ intentionis formaliter eſt ſubiectum logicæ & grammaticæ, quamuis vtrobique tractetur de omni ente tam primæ quam ſecundę intentionis materialiter. Et hæc eſt origo omnis philoſophicæ diſciplinæ. Theologia duplex reſultat ex ente ſimpliciter quod eſt Deus. Vna naturalis de Deo quæ ſub alternatur metaphoricè ex qua ſupponitur demonſtratum Deum eſſe. Altera ſupernaturalis, quæ poteſt aliquo modo dici ſubalternari theologiæ beatorum. Vel eſt ipſamet theologia in beatis tanquam precioſa margarita, quæ venditis omnibus emi debet. Theologia beatorum naturalis precioſior eſt margarita quã alia quælibet ſcientia ſpecialis, quia tractat de ente primo ſimpliciter, tam ſecundum rem quam ſecundum rationem ſeparato, non metaphyſica aut phyſica vel moralis aut rationalis philoſophia, quæ ſunt de entibus vel non abſtractis, vel tantum per rationem abſtractis. Theologia ſupernaturalis fidelium viatorum precioſior eſt margarita quam aliqua quæcumq; naturalis ſcientia, vt meritò dici debeat, venditis omnibus, hoc eſt cunctis alijs derelictis, comparari. Eſt inſuper vna vnitate primæ veritatis, cui ſemper innititur in credẽdis, vt quod omne reuelatum à Deo eſt verum. Theologia ſupernaturalis fidelium viatorum cõſiſtit principaliter & fundatur in vna & triplici margarita virtutis theologicæ, quæ dicitur fides, ſpes & charitas. Sed quoad intelligentiam cõparatur multis modis, vt per abnegationem omnium quaſi per vmbram atq; caliginem. Rurſus per aſſi-A milationem ſymbolicam. Rurſus per viam cauſalitatis. Rurſus per appropriationem & ſupereminentiam. Tandem per myſticam analogiam, affectu mentis in Deum totaliter transformato.

Vna precioſa margarita cuius nomen eſt purum vſquequaque perfectum relucet, & inuenitur in omnibus creaturis tanquam in veſtigijs ſignantibus potentiam, ſapientiam & bonitatem ipſius. Sed præcipuè refulget in creaturis rationalibus tanquam in imaginibus, quæ ſunt diuinæ eſſentiæ vel naturæ, nedum repræſentatiuæ, ſed B participes & capaces. Vnde rectè patet imaginis atque veſtigij diſtinctio. Vna precioſa margarita diuini nominis, quod eſt ens ſimpliciter perfectum, dum ſola refulget in puro corde viatoris, tunc deforme conſpicitur (teſte Gregorio) quicquid pulchrum offertur ex creaturis. Precioſa hęc margarita qui Deus eſt, ſic vna eſt, vt diſtinctio eſſentialis nulla ſit penitus in eo, immo nec diſtinctio formalis ad intra nec extra naturam rei, niſi tantummodo diſtinctio perſonalis relatiua, C quæ large poteſt dici realis, qualis non inuenitur in aliqua creatura. Vna hæc precioſa margarita diſtinctionem admittit quorundam nominum, quæ cõſurgit ex operatione intellectus per comparationem ad diuerſas res ſeu reſpectus, & ex modis quos fabricat cognoſcendo creaturas, vel ex ſola diſtinctione rationis, dum ſibi comparatur ipſe Deus, in quo non formaliter ſed ſupereminenter eſt omnis perfectio eadem penitus & vnica ſimplex & illuminata aliter quam in creatura. D Exemplum tamen habetur aptiſſimum de centro ſpheræ cuiuſdam igneæ, quod ſtans penitus indiuiſibile lineas terminat infinitas. Vnde poteſt intellectus varios formare conceptus, dum ſcit tales comparare reſpectus. Vna hæc precioſa margarita diſtinctionem non admittit eſſentialem vel formalem, aut aliquam non identitatem inter intellectum diuinum & humanum, nec inter perſonas & eſſentiã, nec inter proprietates & attributa. Sed Deus vno ſimpliciſſimo & vnico actu, illimitato ſupereminenter eſt intellectus & E volũtas, eſſentia & perſona vnitas & veritas, bonitas, ſapientia, iuſtitia, miſericordia, & quicquid de Deo dici poteſt, non habita vel incluſa ad res extra ſe collatione vel reſpectu. Voluit hoc pluries inculcare Dionyſius dicens Deum ſuper vitam, ſuper bonitatem, ſuper ens. Vna hæc precioſa margarita diſtinctionem admittit diuinarum reuelationum ad inuicem, quæ ex modo ſe habendi facit vt contradictoria verificentur de eſſentia & perſona quod eſſentia non refertur, & tamẽ perſona refertur, quia videlicet eſſentia nõ eſt per ſe F primo modo & conuertibiliter idem cum perſona, non quod aliqua non identitas vel diſtinctio ſit inter eſſentiam & patrem, ſed bene inter patrẽ & filium, nec in creaturis ſimile reperitur, quia nullam poſſibile eſt eſſe ſimpliciter illimitatam & vſquequaque perfectam. Vigor huius precioſæ margaritæ quæ Deus eſt, producit liberè contingenter tanquam ad extra radios aliquos & fulgores. Et nullo modo neceſſitate finis vel agentis, alioquin nõ eſſet ens vſquequaq; & vniuocè perfectũ, ſi requireret ad eſſe ſuũ exiſtentiã creaturæ. Et iterum ſi de neceſſitate ageret ad extra, nihil poſſet

poſſet euenire contingenter, & ceſſaret omnis religio, immo & quodlibet ens eſſet infinitum, cũ fieret naturaliter à potentia infinita. Hoc eſt ſtultum Dei quod ſapientius eſt hominibus nolentibus intelligere Deum, non agere quomodolibet ex arbitrij libertate, ſed neceſſitate naturali. Vnde obſcuratum factum eſt inſipiens cor eorum, vt dicerent mundum æternum, cum cæteris erroribus & blaſphemijs infinitis. Vigor huius precioſæ margaritæ, candor & decor, animos cõtemplantium ipſam ſub nomine entis puriſſimi rapiunt ad agendum res mirabiles, ad cognoſcendum res ſupernaturales, & ad diligendum res ſpirituales cognitas in ænigmate. Vigor huius margaritæ candor & decor mouent & attrahunt animos contemplantium circulo quodam intelligibili miris modis vbi coincidunt tres cauſæ, quæ ſunt efficiens & forma, non quidem extrinſeca conſtituens, ſed exemplaris, & ipſe finis qui mouet, non vt forma cognoſcentis, ſed vt eſt res talis in ſeipſa, quia ipſe mouet vt res appetitum, non vt eſt cognitio. Vigor huius margaritæ candor & decor, poſſunt allicere & efficere prius animos contemplantium ad dilectionem, quam ad intellectualem cognitionem, ſed non ſine miraculo Spiritus-ſancti ſe per charitatem mirabiliter diffundentis & mentis apicem ſingulariter inflammantis, quia ſecundum curſum naturalis vię intellectus non intelligit, non inſpecto phantaſmate, nec volũtas aliquid vult, obiecto nõ ſibi prius per intellectum præſentato, niſi loquamur de volitione tantummodo naturali.

Precioſior eſt margarita cognitionis entis puri quam altera cognitio de Deo quæ poſſet naturaliter adipiſci, immo & certior eſt quã altera quęuis notitia de quidditate ſubſtantiarum viſibiliũ vel inuiſibilium naturaliter in hac vita, de quibus hic intuitiuè nihil ſcimus, & de accidentibus pauciſſima, in quibus aliquando fallacia non contingat. Precioſitas & certitudo margaritæ non repugnat cognitioni fidei de diuinis, neque meritum diminuit. Semper enim minor & obſcurior remanet cognitio viæ, quam ſit illa quam ſperamus in patria recepturos. Precioſitas huius margaritę non obinde minuitur, quod ad praxim deducitur diuinæ dilectionis & cultus & laudis, immo finis eius eſt huiuſmodi praxis, Apoſtolo teſte & Chriſto reuelante quod finis legis eſt charitas, quę colere facit Deum ex tota mente ſine obliuione, ex toto corde.i.intellectu ſine errore, ex tota anima. i.voluntate ſine contradictione, ex tota virtute ſine defectione. Et hæc eſt felicitas initialis huius viæ, pro qua ſi dederit homo omnem ſubſtãtiam ſuam, quaſi nihil deſpiciet eam. Precioſitas huius margaritæ non formatur in nobis de lege communi, ſi non ab inferioribus ſenſibus aſcendamus ad intelligentia, quæ eſt proprius locus & matrix eius, quamuis radicale ſeminarium deſcendat à rore cœleſtis influentiæ in prima creatione rationalis animæ. Secus de margarita fidei vel patriæ glorioſæ, quæ ſupernaturaliter inuenitur, atque gratis infuſa formatur.

Emitur hæc precioſa margarita tanto precio quanto habet homo ſi prius illam tota ſollicitudine quęſierit in aquis & littoribus magni maris naturalium ſtudiorum per foſſionem & depurationem vehementem, & aſſiduam confricatio- A nem ſanctarum meditationum. Emitur hęc margarita, ſi prius habeat homo ſe relinquens, & vniuerſa quæ habet vendens, & hoc ſecundum hominem exteriorem & humanam conuerſationẽ. Et ſi redeat homo interior conuerſus ad cor ſuæ mentis vbi gignatur, nutriatur, depuretur, vegetetur & augeatur, trãsformatus de claritate in claritatem, vſque ad perfectionem habendam in cœlis. Emitur hæc margarita tanquam ſufficiens poſſeſſio cordis, quia per eam & in ea poſſidetur non terra ſolum, non cœlum ſolum, ſed Dominus ter- B ræ & cœli cœlorum. Qui ſi non ſufficit tibi, nimis auarus es, immo iam nihil es. Emitur hęc margarita conuenientius in ſolitudine conſeruatur illic inſuper ſuus candor aptius quam in vrbium tetra fuligine. Hęc dum confricata fuerit manibus aſſiduæ meditationis, caleſcit & ſcintillat, & deuotionis igne inflammata refulget. Qua ſuper metaphora placet inſerere conſiderationes duodecim quæ ſequuntur.

Scintilla eſt modica pars ab igne vel ignita re C deciſa volitans & emicans. Scintilla ſe habet ad fauillam vt res viuens ad corpus extinctum, & ſicut ad materiam forma. Sicut ignis tranſſumitur ad ſignificandum Deum, ſic omnis creatura ſcintilla quædam Dei ſymbolicè dici poteſt. Sicut ignis tranſſumptiuè dicitur lex ignita Dei, ſic omnis particula legis Dei quæ lucet & ardet ſcintilla congruè nominatur. Puriſſimum quod in omni creatura, præſertim cognoſcibili vel cognoſcitiua reperitur, ſcintilla dici poteſt. Vnde ſuperior pars D animæ rationalis ſynderiſis appellatur. Rei cuiuſlibet ſua ſcintilla magnas in ſuo genere vires habet. Sicut ex igne ſcintilla deciſa magnam ſyluam incendit, & ſcintillantes ſpiritus animales magnos interius & exterius effectus oſtendunt, maximè per oculos. Dum ſcintilla rationis vel intellectus extincta eſt cum igne ſuo cognitiuo conſequens eſt vt nihil ſcintillare videatur. Iuxta qualitatem ſcintillæ cognitionis lucentis & ardentis ſcintillationes rerum cognoſcibilium & amabilium ſuſcipiuntur, videntur & amantur.

E Scintillationes cognitionis & amoris lucentes ſc. & ardentes fruſtra fiunt habentibus extinctas penitus ſcintillas apprehenſiuas & affectiuas, iuxta illud; Fruſtra fiunt verba ſurdo, ſic de coloribus cæco, ſic de amoribus non amatiuo.

Scintillationes quæ videri vel ſentiri in ſua puritate non poſſunt ab oculis & tactu debilibus debent ſub quodam moderamine cuiuſdam interpoſitionis per obumbrationem vel diſtantiam præſentari vel ſenſui oſtendi. Scintillationes ver- F borum Dei quantumcunque lucentes vel ardentes mox extinguntur dum ad congelatas & extinctas mentes peruenerint, niſi ſpirituſſanctus afflet & fluent aquæ.

Scintillationes amoris ex ſe viuaces non profert, nec recipit frigidum de ſe pectus, ſed Dominus eſt qui dat voci ſuæ vocem virtutis, alioquin totum fauilla eſt & cinis extinctus. Secus vbi precioſæ margaritæ candor per inflammationem rutilat charitate. Cuius lampades ſunt lampades ignis & flammarum, quam aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec ex conſequenti margaritæ noſtræ ſuccenſæ claritatem penitus offuſca-

Digitized by Google

bunt,inſtar lapidis cuiuſdam, qui ſemel accenſus nequit extingui. Senſerat aliquid tale qui dicebat: Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt.Sequitur: Defecit caro mea & cor meum,Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.O certè pars optima, ô vna illa quam petijt & quæſiuit à Domino rex propheta.Porrò hoc vnum eſt neceſſarium, hic vna precioſa margarita quam nobilis virguncula paſtoralis inter nutricis oues inuenit quam proprio ſanguine tinxit & comparauit nomine Margareta, cuius hodie celebritas agitur in ædicula ſeu capella, qua tanquam loco cellæ & ſolitudinis vtitur exiguitas mea,ſicut nycticorax cæcutiens in domicilio, vel ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Pro cuius virginis rememoratione notare fuit animus paucułas curſim conſiderationes, non aperiendas omnibus,& hoc ſub metaphora margaritæ tibi pater & frater qui margaritum in Deo Chriſtianiſſimi regis Franciæ, vtputa confeſſor eius rutilas precioſum.Bene vale.Scriptum Lugd. die & loco prædictis 1434.

Finis.

TRACTATVS EIVSDEM DE OCVLO.

GAvisi ſunt diſcipuli viſo Domino, quibus ante dixerat: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Et nos de oculo multiplici quo viderunt eum aliquas propoſitiones ſeu conſiderationes ſub numero quadragenario ſuæ aſcenſionis tēpori conſecrato differamus, quas poterit prolixius elucidare commentum. Et primò de oculo in ſeipſo, poſtmodum de ipſius lecto,tandem de actu ſuo &c.

Oculus generaliter acceptus eſt vis perceptiua rei per ſuam vel alterius illuminationem, quia ſicut omne quod manifeſtatur lumen eſt ſecundum Apoſtolum, ſic omne quod manifeſtationem percipit oculus dici poteſt. Quod generaliter fit tribus modis intellectualiter ſc. & rationabiliter & ſenſualiter.

Oculus intellectualis eſt vis perceptiua & abſtractiua rerum à motu & materia, hoc eſt ab hic & nunc & à motu & continuo ſine complexione vel diſcurſu.Qui triplex eſt diuinus, angelicus & humanus. Diuinus eſt ille, quò reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ.De quo Sapiens: Oculi Domini lucidiores ſuper ſolem.

Oculus ſenſualis eſt vis perceptiua rerum per propriam vel alienam ſpeciem cum motu & continuo: hoc eſt enim hic & nunc: vel non ſine illis. Et hic triplex eſt: exterior, proprius extenſus ad quinque ſenſus. Interior communis vel imaginatiuus in interiori parte cerebri. Superior phantaſticus vel æſtimatiuus vel cogitatiuus, qui rationalis vel ratiocinatiuus in homine dici poteſt in media ſellula, & memoratiuus in poſtrema.

Oculus carnis exterior propriè dictus perficitur ex rebus quæ ſunt lux & lumen, color & ſpecies eius, necnon conuerſio animæ cognitiuæ ſuper ſpecies lucis & ita proportionabiliter de quatuor alijs ſenſibus diceretur.

A Oculus carnis exterior dicitur intuitiuè vel obiectaliter videre ſeu percipere rem aliquam, dum res illa mouet in obiectali præſentia per propriam ſpeciem & immediatam, etiam dum perijt res obiecta, nec fallitur hic oculus, ſed ſuperior ſi iudicat rem præſentem, dum ſola ſpecies eius adeſt.

Oculus carnis interior eſt vis perceptiua rerum per propriam ſpeciem ſed mediatam.i. à ſenſibus exterioribus immediatè deriuatam,aut dum accipit rerum ſimilitudines tanquam veras res qua-
B rum ſunt ſpecies, & fallitur mille modis tam ſomnians quam vigilans,dum furit & reuerizat.

Oculus carnis ſuperior eſt vis perceptiua rerum per compoſitionem & diuiſionem ſpecierum & intentionum ab eis deriuatarum à ſenſibus proprijs & communibus,per abſtractionem inſuper & diſcurſum.

Oculus diuinus eſt vis perceptiua omnium ſine ſpecie extranea, ſine compoſitione vel diuiſione,ſine quocunque diſcurſu, ſine quacumque
C diſtinctione reali vel ex parte rei, diuinis relationibus exceptis, & ita diſtinctiones idearum fundantur ſupra rebus ad extra obiectaliter acceptis per operationem intellectus.

Oculus angelicus eſt vis perceptiua ſine actu diſtincto à ſubſtantia ſua, per ſpecies rerum vel innatas vel acquiſitas tam ſine diſcurſu quam cū diſcurſu, tam incomplexè quam complexè necnon vniuerſaliter & diſtinctè, & hoc per ſpecies tam inditas à Deo quam à rebus vt videtur acce-
D ptas, ſed aliter quam per ſenſum. Alioquin difficile eſt ſaluare punitiones dæmonum & ſeparatarum animarum, cognitiones inſuper ſingulares angelorum, necnon locutiones inter ſe & nobiſcum.

Oculus intellectualis humanus eſt vis perceptiua rerum per modum intelligibilis oculi angelici, ſed vigore longè diſſimili pro ſtatu viæ aut ſeparationis eius à corpore,ſiue cauſentur ſpecies ab influxu diuino,ſiue recipiantur à rebus per intellectum irradiantem ſic per eas, prout hic intel-
E lectus noſter irradiat ſuper phantaſmata, & oculus catti ſuper colores.

Oculus intellectualis humanus extinctus fuit ſecundum Hugonem ſicut oculus carnis infectus & oculus rationis contenebratus Adam peccante,dum comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis. Nec reparari poteſt perfectè oculus iſte triplex ſine verbo incarnato, quod eſt lux vera illuminans omnem viuentē in hunc mundum,& fide purificans corda noſtra.

Oculus amoris tot modis dicitur quoad poten-
F tiam affectiuam vel appetitiuam ſeu volitiuam quot modis dicitur oculus apprehenſiuus vel animalis vel intellectiuus. Et ita ſunt oculi duo ſponſæ & ſponſi in Canticis cognitionis ſuæ & amoris, quibus penetrat, afficit & vulnerat ad amorem.

OBiectum cuiuſlibet oculi eſt ens in ſua generalitate vel analogia ſuſceptum, ſiue viſio ſit naturalis & apprehenſiua,ſiue ſit affectualis & appetitiua.

Obiectum oculi diuini eſt eius eſſentia in ſui puritate

Digitized by Google

puritate recepta, ſiue viſio ſit eſſentialis ſiue perſonalis &c.

Obiectum oculi angelici attingibile per naturam eſt ens creatum, & per gratiæ lumen eſt cum hoc ens increatum.

Obiectum oculi humani intellectualis dum ſeparatus eſt à corpore, proportionatur ſibi tanquã oculo ſed longè inferiori modo, & non niſi per diſpenſationem vel gratiam vel gloriam. Et ita non fruſtra collocata eſt anima rationalis in corpore, ſed vt inueniret ſeipſam, & perfectius Deũ cognoſcere poſſet & amare &c.

B Obiectum oculi intellectualis dum eſt in corpore, non eſt de lege communi niſi phantaſma in corpore aut ſaltem phantaſmate & per phantaſmata.

Obiectum oculi intellectualis humani dum eſt in corpore, frequenter habet fieri per gratiam ſine concurſu phantaſmatis vt in raptu vel reuelatione vel ſupermentali affectu, aut forte naturaliter, ſed in tranſitu ſolo inſtar fulguris choruſcantis.

C Obiectum oculi carnis exterioris eſt ſenſibile proprium cuiuſlibet ſenſus exterioris, quamuis generalius capiendo lux quædam ſit obiectum oculi exterioris: vnde viſio dicitur de qualibet ſenſatione, vt vide qualiter hoc ſonat aut redolet, omnis enim manifeſtatio lux quædam eſt, & eius perceptio viſio dici poteſt.

Obiectum carnalis oculi exterioris poteſt percipi quandoque ſe abſente per ſpeciem in ſenſu retentam, & ſine ſua ſpecie naturaliter non ſentitur. Nec propriè dicendum eſt obiectum intuitiuè ſentiri ſe abſente, quamuis ita reputetur.

D Obiectum carnalis oculi interioris qui communis dicitur, eſt ſenſatio cuiuſlibet ſenſus exterioris cum ſenſibilibus communibus, quæ ſunt numerus, quantitas, figura, motus & quies.

Obiectum carnalis oculi ſuperioris qui cogitatiuus vel æſtimatiuus dicitur, vel ratiocinatiuus in hominibus, eſt phantaſma vel imago vel forma vel ſpecies ab imaginatione coniuncta ſenſui cõmuni recepta vel inſpecta, aut à memoria, quæ poſterior eſt reſeruata.

E Obiectum carnalis oculi ſuperioris, non eſt ſimpliciter ab vna reflexibilis ſpecie ſuſceptum, ſed per varias combinationes & deductiones & abſtractiones & diuiſiones & reſolutiones conſtitutum.

Obiectum tam mentalis quam carnalis oculi ſic ſe videtur habere poteſt nobiliori modo quam imperfectior, qui modus perfectionis iuxta prædicta diuerſus eſt & multiplex. Ac perinde poteſt cognoſcere intellectus eminenter omnia quæ ſenſus videndo, audiendo, olfaciendo, guſtando, contrectando ſuo modo qui nobilior eſt, purior, pulchrior atque ſuauior quam in ſenſu, ſicut ſenſus communis non cognoſcit quæ proprius omnis &c.

F Viſio Dei mentalis habetur triplex, quia quædam eſt facialis & intuitiua, quædam ſpecularis & abſtractiua, quædam nubilaris & ænigmatica. Conformiter ad triplicem cognitionem, meridianam, matutinam & veſpertinam.

Prima vt ſol, ſecunda vt luna, tertia vt aurora.

A Additur quarta: quam poſſumus anagogicam ſeu myſticam nominare, quæ conſiſtit in amoris vitali perceptione.

Viſio Dei facialis & intuitiua non habetur à creatura angelica vel humana per naturam & per gratuitam illuminationem. Si vero ſit aliqua quæ mediat inter intuitiuam & abſtractiuam notitiam, quæ ſcilicet præſente obiecto ſit intuitiua, & abſente ſit abſtractiua, non eſt à probabilitate alienum.

Viſio Dei facialis poſita eſt per doctores tripliciter fieri. Vno modo quod Deus eſſet ipſa formalis viſio creaturæ. Alio modo quod eſſet obiectũ ſine alia media ſpecie ſed non viſio. Tertio modo quod eſſet obiectum immediatum, & tamen mediante ſpecie videretur cum lumine gloriæ potentiam eleuante &c.

Viſio Dei facialis haberi poteſt vel ad tempus vel ad perpetuum, & inter poſitiones de modo viſionis huius ſecunda prius enumerata probabilitatem magis habet.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera quæ dicitur abſtractiua non intuitiua vel immediata, habita eſt ab angelis & hominibus pro ſtatu naturæ primitus inſtitutæ ante collationem gloriæ, licet diuerſimodè in vtriſque.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera conceſſa eſt hominibus mundis corde per lumẽ gratiæ ſpecialis, dum cognoſcitur Deus ſine motu & continuo, id eſt abſolutè ſine hic & nunc, & aliquo phantaſmate ſed in conceptu proprio Dei & abſoluto.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera non acquiritur ab hominibus modo naturalis niſi præuijs creaturarum viſionibus multis, cum abſtractionibus reſolutionibus multipliciter factis cum ſtudio vehementi, immo talem poſſe haberi naturaliter pro ſtatu præſenti negant, ſicut nec lux pura videri poteſt niſi in corpore terminato.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera, longè facilius acquiritur per fidem, ſpem & charitatem cum vita conformi purificante mentis oculum quam per ſolas phyſicas diſciplinas acquiritur, & poſt raptum qualis eſſe potuit viſio Pauli reflexa ſuper actum quo intuitiuè vidit Deum. Et à pulcherrima mulierum etiam dum hic viueret, non videtur priuilegium hoc abnegandum, quam à nullo illuſtrium Damaſcenus dicit vinci.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera non habetur cũ certitudine ſine reſolutione ad exemplar primũ, quod eſt Deus, immo nec aliqua veritas aliter cognoſcitur infallibiliter & conſtanter ſecundum intentionem Auguſtini in multis locis.

Viſio Dei ſpecularis & ſyncera non habetur hic in via permanenter & fixè, quia vix hora dimidia fit in cœlo mentis ſilentium dum incurſu tot phantaſmatum turbatur cordis ſabbatum, & confuſa ſunt hic omnia, ſpes, metus, mœror, gaudium.

Viſio Dei nubilaris & ænigmatica concomitatur quamlibet aliam cuiuſcunque rei viſionem, ſicut colorum viſioni comes eſt viſio lucis ſeu luminis, ita nihil videre poſſumus niſi per irradiationem diuini luminis directè vel obliquè, abſolutè vel confuſè ſe monſtrantis.

Viſio Dei nubilaris & ænigmatica habetur certiſſimè & ſecuriſſimè per fidem mediatoris Dei &

Digitized by Google

hominum potiùs quàm per philoſophicale ſtudium, habetur etiam per viam abnegationis modo qui traditur à Dionyſio quem ob hoc vocat tenebras atque caliginē, quia fit per priuationem, ſicut tenebra priuationem lucis dicit.

Viſio Dei quæ nominari poteſt anagogica per amoris oculum, facilius obtinetur in via quàm viſio ſpecularis ſyncera quam nec oportet præceſſiſſe, nec comitem eſſe in myſtica viſione, ſicut nec intuitiuam viſionem ſicut canis cæcus adorat prædam ſuam.

Viſio Dei anagogica habetur per theologiam myſticam docentem ignotis ignotè coniungi ſub diuina caligine, quamuis ſine corpore à phantaſmate, dum amor intrat vbi cognitio foris ſtat, ſufficit oculo amoris quod oculus cognitionis modo ſtrauerit ei dilectum ſuum etiam ſub ænigmate fidei ſeu confusè, qui poſuit tenebras latibulum ſuum, quod ſubintrans amor dicit. Et nox illuminatio mea in delitijs meis.

Viſio Dei qualiſcunque non ſufficit viatoribus ad gloriæ conſecutionem, ſed neceſſaria magis eſt diuinorum impletio mandatorum, qui enim dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit mendax eſt, qui autem ſic fecerit & docuerit homines hic magnus vocabitur in regno cœlorum, vbi viſio & tota merces & gaudium plenum.

TRACTATVS EIVSDEM DE REMEDIIS CONTRA PVSILLANIMITATEM,

ſcrupuloſitatem, deceptorias inimici conſolationes, & ſubtiles eius tentationes, qui nonnullis videtur gallicè ab ipſo primum conſcriptus, & ab alio in Latinum tranſlatus.

QVI puſilanimis eſt & pauidus, cauere ſibi debet à nimio timore. Si enim cor ſuum & naturalia ſequitur, ad deſperationem vel nimiam mētis deiectionem perueniet. Timor eſt vtilis duris & diſſolutis ac remiſſis, quia timor terret & cuſtodit. Timoratis verò atque pauidis ſi accedat timor, ad peccatum eos adducet. Vnde conuertere ſe debent magis ad conſolatoria & dulcia, quàm ad contraria. Contrarijs enim contraria curantur, frigida calidis temperantur, calida frigidis. Stultus verò eſſet qui calorem calori, & frigus frigori adijceret. Hortus irrigatur ſiccitatis tempore, ſed ſatis complutus non amplius irrigatur. Qui verò ſcit excolere hortum ſuum, imperitus eſt ſi neſciat excolere animam ſuam. Anima enim plus quàm hortus, immo plus etiam quàm corpus. Vnde pro regula generali habendum eſt, vt in quacumque tentatione de qua impugnamur, ſemper contraria obijciamus. Sic enim conqueſti ſunt dæmones de quodam monacho quod ipſos confunderet, quia cum ipſi eum vellent extollere, ipſe ſe deprimebat, cùm eum in deſperationem niterētur impellere ipſe ad ſpem ſe erigebat. Aliqui per cordis puſilanimitatem putant ſe deſperare cum non deſperant, ſentiunt enim motus deſperationis per puſilanimitatem cordis, & hunc ſenſum putant conſenſum. Sed quantumcunque ſentiant, etiam ſi quaſi operiantur hac tentatione, quamdiu ratio contradicit nec cōſentit, hi tales charitatem non amittunt. Ignis qui in die ardet in nocte operiri A ſolet cineribus, à quibus ita extinguitur, vt tamen mane alterius diei ſcintilla aliqua inueniatur, quæ ſcintilla dum quæritur licet lateat, nihilominus tamen ibidem inuenitur, & de eadem modica ſcintilla tam vehemens ignis reparatur ſicut prius. Ita de ſcintilla charitatis, quæ quantuncunque operiatur tentationibus, ſi intentio hæc maneat in ipſa vt adhæreat Deo, & nullatenus conſentire velit alicui mortali peccato, viuus remanet ſecurè ipſe ignis charitatis, qui poſtea tam magnus erit vt prius. Exemplum aliud non diſſonum à propoſi- B to de pugile in duello, qui quantuncunq; deijciatur & percutiatur, non reputatur victus niſi conſentiat dicendo: Reddo me victum. Sic nec ſpiritus hominis vincitur à diabolo, niſi conſenſus voluntatis adueniat. Clamandumque eſt in huiuſmodi tentatione & conflictu: Domine Deus meus fac mihi ſecundum iudicium & affectum rationis, & non ſecundum illud quod in ſenſualitate verſatur. Similiter dico de omni tentatione. Non enim iudicatur homo ſecundum ſenſum vel C ſentimentum carnis, ſed ſecundum ſenſum rationis & voluntatem animæ. Duplex enim voluntas eſt in homine ſiue duplex lex, ſicut dicit Apoſtolus, lex carnis ſcilicet & lex ſpiritus. Vnde & idem Apoſtolus dicit ſe concupiſcere ſecundum legem carnis, & carnaliter delectari contra ſpiritus voluntatem. Sed quia illud quod concupiſcebat, nolebat, & contra voluntatem hoc faciebat, immo vt magis propriè loquamur, non faciebat illud, ſed magis patiebatur, ideo dicebat: Ego non o- D peror illud, ſed quod habitat in me peccatum. Itaque quicunque tentaris carnali concupiſcentia, deſperatione, ira, rācore, inuidia, aut alio quocunque peccato, quamdiu ratio tua non vult huiuſmodi, ſed vt poteſt reluctatur, & libenter exonerari vellet ab impugnatione tam peſtifera, non tu agis illud, ſed magis videris pati. Vnde nec iudicaberis ſecundum huiuſmodi peccati ſenſum, ſed ſecundum rationis & voluntatis conſenſum. Si ille aduenerit, iudicandum te ſcias. Et quid mirum ſi duplex in homine reperiatur voluntas, E quarum velit vna, altera quodammodo nolit, cū & in ipſo redemptore noſtro duplicem fuiſſe quoque voluntatem, vnam qua voluit calicem paſſionis à ſe transferri, & aliam qua iuxta Dei patris voluntatem voluit pati, videatur. Itaq; vt non te deijciat voluntas ſenſualitatis, adhæreat fideliter Deo voluntas ſpiritus & rationis in te, & non timebis.

Tene ſuper hoc exemplum mulieris nequam, quam nunquam cogere ad hoc valuit vir ſuus vt taceret, nam proiecta in cœnum ſiue lutum & F quaſi tota inde cooperta & concluſa, inquireretur à viro an non adhuc ſileret, conuerſa ad eum voce procaci prout poterat reſpondit: Non adhuc ſileo. Ita ergo & tu cum totus inuolutus luto fueris tentationum, noli cedere, neque victum te reddere ſed corde & ore clama contra impugnātes te tentationes, & dic: Adhuc non ſileo adhærendo Domino Deo meo. Et retinebis innocentiam, ſicut mala illa mulier retinuit ſuam nequitiam. Audi adhuc amplius conſolatoriū verbum. Quicunq; peccato tentaris præ alijs acrius, tanto ſi legitimè certaueris coronaberis à Deo glorioſius

Digitized by Google

ſius. Et tentatus habebis præmium duplex vbi nõ tentatus præmium es habiturus ſimplex. Et quanto plus ſentis alicuius peccati fatigationem, tanto amplius ſi non conſentias conſequeris inde peccatorum tuorum purgationem. Et quia in huiuſmodi conflictu cum quis tentatur, contingit vt plura committantur venialia. Ita etiam è contrario contingit ſecundum doctores cõmuniter, vt pœna illa quam ſuſtinet in reſiſtendo, deleat pœnam venialibus debitã ex vna parte & ex alia parte creſcat meritum propter pugnam contra vitia & laborem pro virtutibus. Sicut igitur iuxta præmiſſa ſenſus peccati ſeu tẽtationum ad peccatum homini non nocet ad ſalutem, nec à charitate Dei ſeparat quamdiu ſenſus non concurrit. Ita quoq; ex ſimili ſenſus deuotionis ſeu ſentimẽtum ſpiritualis dulcedinis & cõſolationis nõ aſſecurat hominẽ ipſum fore in ſtatu gratiæ gratum facientis. Nec reddit eum perfectiorem ex hoc alijs, neque deuotionis gratia huiuſmodi ſublata eundem reprobatum à Deo iudicat nec etiam imperfectiorem cæteris facere præualet pares quippe eſſe poſſunt in charitate coram Deo, & ille qui ſpirituali conſolatione perfunditur & ille qui ea priuatur, imo ſi diligenter penſetur magis periclitari poterit qui deuotionis dulcedine fruitur, quam is cui hæc denegatur. Ratio, quia ſi conſolatione huiuſmodi fungens de gratia tali confidat & ſui imperfectum exinde conſiderare negligat, ſua deuotione erit Deo potius remotior quam propinquior propter ſuam præſumptionem & fatuam confidentiam. Aridus verò & ſpiritualis dulcedinis vacuus, attamen pro deuotione laborãs & id quod in ſe eſt faciens, licet corde quaſi frigido & ſpiritu tepido debitum ſuum Deo ſoluens cum ſuiipſius vilificatione & diuinę miſerationis magnificatione poterit propter ſui humiliationem Deo multo fore acceptior, & præ alio in merendi ſtatu maior; dummodo tamen conetur nõ negligere quod in ſe eſt, ſed pro gratia conſolationis laboret ſine fictione. Sedeat, ergo neceſſe eſt aridus iuxta viam, & mendicet à Domino Ieſu tranſeunte lumen gratiæ. Et quamuis turba malarum cogitationum importunè inſtet vt taceat, ipſe nihilominus multo magis clamet & ſucclamet donec lumen à Domino recipiat. Et ſi ſic lumen gratiæ à Chriſto humiliter mendicando tãdem recipere meruerit, nõ dubium quin magis meritoriè quam ſi ſpõte & ſine laborum certamine quaſi inueniſſet. Si tamen in humilitate perſeuerans cum gratiarum actione recognouerit nõ ſuis meritis nec precibus aridis, ſed mera Dei ex bonitate gratiam conſolationis collatã gratis. Oratio animæ tale non eſt pura, ſed dura, & quamuis non dulcis tamen fortis. Vnde cæteris paribus ipſa apud Deũ tantum abſtinere poterit ſua dura fortitudine quãtum alterius oratio ſua deuota dulcedine prout innuere videtur B. Bern. ſuper illud Pſal. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Nõ eſt inquit hoc dictum de affectu, ſed de exercitio. Ille enim bene hæc implet, qui delectari conatur, & ſic non pertingit ad hoc vt delectetur, & viribus hoc agit, quod ille qui delectationem hanc percepit. Non ergo incautè quis ſequatur huiuſmodi dulcedinũ ſentimenta & ſenſibiles in orationibus ſuis cõſolationes, nec præſumat ſe ſecundum talia à Deo exaudiendum, ſed magis ſecũdum rationis ſuę &
A voluntatis iudicium, quod Deus potius penſat, maneatque in illis terminis ſc. quod iuxta diuinũ promiſſum acceptirus quandoq; indubiè erit id quod poſtulat, vel aliud quod vtilius diuina prouidẽtia eidẽ fore cognouerit ſi fideliter in oratione ſua ſine hæſitatione de Dei pietate perſeueret.

Addendum hic videtur non incongrue quod nonnunquam ſimplicibus deuotioni vacare quærentibus huiuſmodi ſpiritualium conſolationum ſubtractio ſit vtilior quam conceſſio, maximè eis qui nondum exercitatos habent ſenſus ad diſcre-
B tionem boni & mali, nec aduertere norunt quomodo perſæpe angelus tenebrarum transferre ſe ſolet in angelum lucis vt decipiat. Pro quo clarius intelligendo ſciẽdum quod anima rationalis quæ eſſentialiter indiuiſibilis eſt, duobus modis ſuas exercet operationes. Aliquas videlicet ſine organis ſeu inſtrumẽtis corporeis ſaltem immediatis, & aliquas cũ huiuſmodi corporeis organis. Et ſecundũ hoc diuidi conſueuit potentialiter in partem ſuperiorem, quæ etiam mens vel ſpiritus dici-
C tur. Et in partem inferiorẽ quæ ſenſualitas nominatur. Prima autẽ portio animę in tribus conſiſtit potentijs. ſ. intellectu ſeu ratione, voluntate & intellectuali memoria. In quibus illa ſũma maieſtas glorioſiſſima Trinitas ſecũdum communiter loquentes creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Secunda verò animæ portio cõſiſtit in potentijs ſenſitiuis tam exterioribus quam interioribus, & appetitibus ſenſitiuis. ſ. iraſcibili & concupiſcibili. Iuxta itaq; pręmiſſa notãdũ, quod
D quilibet ſpiritu de ſui natura niſi diuinitus prohibeatur cuilibet illabi poteſt corpori, & circa ipſũ ſiue in ipſo operari, hoc enim priuilegiũ inditum eſt naturę ſpirituali ſupra naturã corporeã. Vnde ſequitur quod angelus bonus vel malus poteſt operari in noſtris ſenſibus & ſenſitiuis appetitibus eò quod ſint corporei propter organa. Vnus tamẽ ſpiritus creatus nõ poteſt illabi alteri ſpiritui, quia ſicut in corporalibus impoſſibile eſt fieri penetrationem dimẽſionũ iuxta philoſophos, ſic & in ſpiritualibus impoſſibile eſt fieri illapſus ſpiri-
E tuum iuxta theologos. Et hoc eſt quod dicit Auguſtinus in de fide ad Petrum, vbi inquit: Singulis ſpiritibus ineſt terminus quo à ſe inuicem diſtinguntur, & vnus in alio nõ eſt. Ex iſto ſequitur quod diabolus non poteſt intrare partem animæ ſuperiorem ſiue ipſius animæ eſſentiã. Patet, quia anima eſt ſpiritus indiuiſibilis &c. Et per conſequens etiam non poteſt immediatè in ipſam operari, cũ omnis operatio fieri habeat per contactũ. Et hoc eſt quod venerabilis vult Beda Actuum 5. ſuper illo loco vbi Petrus ait: Anania cur ſathanas
F tentauit cor tuum? Dicit enim ſic. Notandum quod mentem hominis iuxta ſubſtantiam nihil implere poteſt niſi creatrix Trinitas &c. His itaque præmiſſis bene conſideratis poterit faciliter attendi quantis periculis expoſiti ſumus, & quam diuerſimodè nobis illudere poſſunt ſpiritus nequam, etiam ſimulata ſpecie boni, vt finaliter nos decipiant incautos & ad mala perducant, vt beatus Auguſtinus in de ciuitate Dei in diuerſis locis, & maximè 18. & 21. libris clarè oſtendit. Poſſunt namq; vt tactum eſt, ſenſibus noſtris illudere, poſſunt etiam immittere diuerſa phantaſmata

quibus ſi ſenſitaliter delectabilia fuerint, alliciant & inclinent appetitum noſtrum ad illicita, vel quibus ſi triſtia fuerint appetitum noſtrum deterrendo à bono retrahant, & propter difficultates experimentaliter immiſſas impediant totaliter ita vt à bono inchoato vel inchoando penitus propter ſenſibiles grauitates deſiſtamus. Rurſũ quoq; immutare poſſunt noſtrum appetitum ſenſitiuum per hoc quod aliquam facere valent immutationem circa eius organum. Sic namq; volentes Deo non prohibente aliquem incitare ad libidinem poſſunt cauſare circa renes aliaſque corporis partes vbi libido ſedem tenet, aliquam vehementem calefactionem. Et volentes in aliquo prouocare virtutem iraſcibilem, poſſunt Deo permittente procurare ebullitionem ſanguinis eius circa cor &c. Sicq; mirabiliter de fame, ſiti, ſomnolentia & alijs humanis paſſionibus appetitus ſenſitiuis intelligatur, quarum omnium paſſionum cauſas diabolus non ignorat propter naturæ ſuæ ſubtilitatem, licet namque à gratia ceciderit, naturalia tamen nõ amiſit. Et ſicut angelus malus huiuſmodi cauſas paſſionum admouere in homine, poteſt, ita quoq; angelus bonus eaſdem amouere præualet, vt hominem à tentatione liberet, immo credo quod & angelus malus eas poſſit Deo permittente & angelo bono non reſiſtente in homine remouere, dummodo ſperet per hoc hominẽ periculoſius poſſe decipere atq; ad peiora mala perducere, prout quandoque compertum eſt. Poteſt etiam ſpiritus malignus naturam noſtram corpoream & totam animæ portionem inferiorem multa tranquillitate fouere, & eam delectare gaudijs & apparente voluptate, ſiue ficta & ſophiſtica dulcedine, quibus homo incautus & ſpiritualium fallaciarum inexpertus, ad tantum allici poterit, vt etiam tandem in viribus animæ ſuperioribus multum inde gaudeat, & magna quaſi in toto homine conſolatione perfruatur, ita quod homo vix credere poſſit aliud quin à Deo foret tanta ſuauitas, cum tamen certiſſimè quandoque ſit ab humani generis inimico. Qui hanc cauſare tentat nonnunquam vt hominem per hoc in ſuperbiam erigat, nonnunquam verò vt hominem per indiſcretionem & abuſionem huius deceptoriæ conſolationis in veſaniam aliáque mala finaliter deijciat. Diligenter tamen contuendum quod ſpiritus malus non poteſt immediatè tentare hominem in parte animæ ſuperiori, cui ſibi non illabitur prout ſupra tactum eſt, quãuis poſſit mediatè. Quod tũc ſit cum intellectus ſeu ratio incautè conſentit phãtaſmatibus illis quæ ſibi illuſus ſenſus repræſentat non debitè. ſ. abſtrahendo, eliciendo aut diſcurrendo. Item poteſt id fieri propter vehementem paſſionem appetitus ſenſitiui, quæ paſſio ſæpe iudicium rationis peruertere ſolet. Similiter poteſt ipſa voluntas in homine tentari mediatè. Et hoc ſit cum ratio per erroneum ſuũ iudicium, de quo tactum eſt ipſam voluntatem mouet vel cum caro fortiter tentata quæ ſemper tamen concupiſcit aduerſus ſpiritum ipſam voluntatem tamdiu ſtimulat quouſq; eam ſibi inclinat. Sic enim ſecundum ſanctum Iacobum, vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Hæc licet aliqualiter per exceſſum, non tamen inutiliter vt apparet ad propoſitum dicta ſint, pro detegẽdo fallacias & pericula quæ in expertis K cõtingere poſſent circa ſpirituales dulcedines in orationibus & meditationibus ſuis per angelum ſathanæ transfigurantem in angelũ bonũ, niſi cautè & diſcretè ſe habuerint in ſuis ſentimẽtis & ſenſu perceptibilibus conſolationibus.

Ex præmiſſis etiam facile elici poterit conſideratio, quomodo homines in capitibus ſuis debilitati, aut aliàs in naturalibus ſuis læſi & indiſpoſiti, ſeu ex complexionis malicia ad aliqua vitia fortiter & ſpecialiter præ cæteris inclinati, qui cõmuniter paſſionati dicuntur, poſſit citius, facilius & B multiplicius quam alij bene diſpoſiti & bene cõplexionati, ſeu bene educati ab inimico illudi, vexari, decipi & periclitari, propter organorum ſuorum indiſpoſitionem, Deo permittente. Quibus conſulendum eſt vt contra inuiſibilis hoſtis inſidias Deum & ſanctos ſæpe inuocent, proprium ſenſum non ſequantur alios conſulant, & eorum conſilijs acquieſcant, nimietate exteriorum tam corporalium quam ſpiritualium ſeipſos non grauent. Occaſiones peccatorum quantum poterint C fugiant, contra paſſiones ſuas viriliter laborent, & nullo modo locum eis dent, neq; eis cedant, nam ſi ſemel iterum & iterũ paſſionibus ſuis ceſſerint, deuenient paulatim ad hoc vt cum eis reſiſteret volent difficulter aut minimè id poterit, ex quo vſus ſeu conſuetudo eſt quaſi altera natura. Et vt reuertamur ad hoc vnde ſermo ſumpſit exordiũ, videlicet puſilanimitatem, non quidem amplectendam ſed omnimodè fugiendam. Sumamus de ipſa exemplum ad propoſitum. Sit quis naturaliter timidus, & in naturalibus quibuſdam de- D fectuoſus, huic ſi coram multitudine quippiam ad agendum incubuerit, poterit facillimè ſpiritus nequam (Deo id ad probationem & exercitationem huius permittente) paſſionem timoris in tali ad tantum intentare, cum naturaliũ defectuum eius adiumento, vt quaſi totus ſtupefiat, viſuſque & auditus vſum quaſi intermittat, imo & ſenſu tactus quaſi intercepto per totum corpus ſpaſma incurrat, & frigido quodam perfuſus ſudore velut amens in terram cadat, quem- E admodum experientia in nonnullis docuit. Cui grauiſſimæ paſſioni timoris ſemel aut bis experti, ſi is de quo loquimur ceſſerit, & iuxta ſupra datum conſilium ſe viriliter propter compertam difficultatem & præſumptam confuſionem eidem non oppoſuerit, deueniet ad tantam indubiè puſilanimitatem, quod vix aut nunquam curabitur, imo videbitur ſibi (quãquam phantaſticè & diabolo illudente) quod potius vellet mortẽ ſubire, quam tali operi vbi tãtam expertus eſt difficultatem, iterum intendere. Conſonat huic exẽ- F plo noſtro illud phyſicorum de nonnullis ſemel grauiter & quaſi vſque ad mortem vulneratis, qui vt aiunt, ſi ſanguinem poſtmodum viderint, aut fortiter de ſanguine phantaſiauerint: ſincopem facillimè & ſpaſma patientur, propter id quod prius experti ſunt incommodum & periculum.

Sed redeamus modo ad deuotorũ & aridorum comparationem, vnde propter deceptorias cõſolationes manifeſtandas digreſſi ſumus. Vnde notandum quod prout aliqualiter ſuperius tactum eſt, aridus nonnunquam eſt in ſtatu tutiori, quã deuotus hac ratione. Sint namque duo quorum vnus

Digitized by Google

vnus. ſ. deuotionis dulcedine fruens maiorē habeat confidentiam, alter. ſ. eadem carens dulcedine, minorem confidentiam teneat. Haud dubiū quin poſſit contingere quod is qui plus confidit periclitatur facilius & fit inferior, quia eius confidentia ex ignorãtia ſui ipſius procedit, cū neſciat ad quantum teneatur coram diſtricto iudice. Alter verò minus confidens nō facilè decipiatur, & ſit in tutiori ſtatu, quia eius trepidatio eſt ex ſui diſcuſſione ſedula & cognitione propriæ infirmitatis & imperfectionis ſuæ. Ideo quantum hic per humilitatem timet & trepidat, tantum Dei ante iudicium ſecurior aſtabit, quia dijudicauit & diſcuſſit ſeipſum. Ita eſt quandoque confidentia nō bona & timor ſecurior Deóq; propinquior. Hinc eſt quod quidã patrum aiebat nullum peiorē paſſionem fore quam nimiam confidentiam tam erga Deū quam erga proximum. Nam generat cōmuniter contemptū & debitam negligit reuerentiã tam quoad Deū quam quoad proximum habēdam, & in vanitatē & ſuperbiam ſæpiſſimè terminatur. Nonnunquã etiam contingit vt is qui conatur habere delectationes ſpirituales, expēdat ob hoc quaſi totū tempus quo tamen vtiliora ſibi & proximo magíſque grata Deo nō tantū poſſet, ſed ex iniuncto & ſanctæ forſan obediētiæ debito deberet agere, & tādem cum adeptus fuerit quod quæſiuit malè cuſtodit dimittens illico mentem ſuam ad alia impertinentia euagari, aut vertens ſe ſine neceſſitate ad alia quaſi diceret & ſi non verbo, tamen facto. Iam quod cupiui teneo, dietam meam modo bene cōpleui, bene ſto, ſecurus ſum. Attamen neſcit miſer aut ſe neſcire diſſimulat, quod id quod accepit, cadit ſub gratia gratis data, & poteſt ſtare cum peccato. Vnde poſſunt adhuc omnia ſua peccata manere ſuper eum, quodque is cui multum donatum eſt multum etiam in iudicio requiretur ab eo pro ratione reddenda. Et rurſum cum priorem gratiam conſolationis quaſi nihilipendēdo abiecerit, reuertetur ad Deum inſtans pro alia accipienda quando ſibi placuerit quaſi dignum ſit vt Deus ad eius beneplacitum ſemper ſit paratus donétque ſibi iuſtè quandocunque & quodcunque poſtulauerit. Hæc eſt illa vna præſumptio fatua mala & periculoſa confidentia quæ nonnullos ſe deuotos putantes poſſidet.

Sed non ſic eſt de illo qui auxilium diuinum tantū & non dulcedines quęrit pro ſuis neceſſitatibus, & ad reſiſtendum tentationibus qui quærit peccatorum ſuorum remiſſionem non ſpiritualē conſolationem, qui purã quęrit Dei miſericordiã, nō ſingularem, ſuauitatis gratiã qui iuxta Domini ſui beneplacitum cum labore & dolore eidē ſeruit, nec conſolationes hic, ſed in futuro requirit, & ſi qua conſolatio offeratur eam cum timore & humili gratiarum actione ſuſcipit, & cum recedit nō triſtior inde, neque ad ſeruiendū Deo ſegnior fit. Nam iſte ſalutem ſuã operatur cum timore, prior quaſi cū tumore. Iſte in veritate, prior in vanitate. Iſte fideliter, alter fallaciter. Hic proprijs quaſi ſtipendijs militat Deo, alius niſi mercedem à Deo hic recipiat conſolationis, militare renuit.

Solet etiam puſilanimes reddere nonnunquam deuotioni intendentes nimia ſcrupuloſitas conſcientiæ quæ vtique non eſt bona, vtpote cum quis de venialibus & leuibus peccatis ſine quibus
A iſta vita vix aut nullatenus tranſigi poteſt, & penè de omni actione ſua continuam quaſi ſibi format conſcientiam plus huiuſmodi pōderans lance iuſtitiæ quã diuinæ miſericordiæ & hoc præſertim vltra debitum, ac ſi ſua iuſtitia tantum, & non Dei miſericordia potius ſaluandus ſit. Vnde cōtingere poteſt niſi huiuſmodi ſcrupulos inordinatos deponat, vt id quod prius non erat peccatum ex ſe, fiat peccatū ex ſcrupulo conſcientiæ. Quicquid enim contra conſcientiam eſt, peccatum eſt. Nec
B poteſt his talis gratiam percipere, qui de mortali vbi mortale non eſt, format ſibi ſcrupulum conſcientiæ. Non enim author gratiæ Deus habitare vult in tali conſcientia inquieta & turbida, quippe cum de eo ſcriptum ſit: In pace factus eſt locus eius. De horum ſcrupuloſorum numero videntur hi fore, qui cum pſalmum aut orationem dixerint non cū actuali intentione, ſed mentis ſubrepta euagatione (quam humana infirmitas ex ſe vitare non poteſt) repetere & reſumere iterum & iterum non ceſſant. Attamen contingere poteſt vt quan-
C tuncunque reiterēt id quod reiteratum eſt fiat ita inſipidum, & quãdoque pluſquã illud quod prius negligenter & inaduertenter fuit perſolutum.

Quibus & aſſociandi videntur illi qui cū cōpetenter etſi non ſufficienter contriti ſunt atque cōfeſſi (quia impoſſibile quoad nos videtur vt ſufficienter contriti ſint de peccatis ſuis) non ſunt cōtenti, ſed ſemper ſcrupulū habent ſe nōdum debitè confeſſos eſſe, fatigant ſeipſos & confeſſores ſuos cū reiterationibus confeſſionum, præſertim
D de leuibus peccatis modici ponderis. Illic (iuxta Pſalmiſtæ vocem) trepidantes vbi nō erat timor.

Iſtis omnibus pariter conſultum ſit, vt non de ſua iuſtitia, ſed de mera Dei confidant miſericordia, ſicque ponderent ſuam negligentiam, vt præponderent Dei infinitam clementiã. Meminerint quoque illius cōmunis dicti, quod vltra poſſe viri non vult Deus vlla requiri. Itémque illi reiterãtes orationes ſuas aduertant, quod Eccleſia nō obligat ad actualem intētionem quamquam bona ſit, ſed tantum vt ore perſoluantur. Non ergo neceſ-
E ſe vt reiterent quod ſemel dictum, licet inaduertēter putant, ſed ſufficit vt de ſua negligentia doleãt & confiteantur, & quod iniunctum fuerit loco negligenter actorum, ſolum reddant. Hoc tamē intelligi volumus de his qui naturaliter aut ex infirmitate accidentaliter fluxibiles nimis habent phantaſias, & velint, nolint quaſi ad leuem venti flatum ad alia à propoſito facillimè diſtrahuntur. Non autem de his qui fortes ſunt à natura in ſuis organis, ſed quaſi animales & beſtiales ex ſua car-
F nalitate & torpore maláque conſuetudine ad omnia ſpiritualia pigri, & ad cuncta quæ carnis ſunt prompti, qui & ſponte quaſi tempore perſolutionis horarum ſuarum (quia eis non ſapiunt) aſſumunt ſibi cogitationes de exterioribus in quibus eorum animus plus deliciatur, aut tanta ſomnolentia ex mala ſua conſuetudine & diabolo ipſis illudente obruuntur vt vix recolant de vnico verſiculo totius horæ quam perſoluiſſe putant. Talibus timeo grauiſſimum inſtabit purgatoriū, ſi euaſerint perpetuum incendium, niſi hic debitè conterantur & ſatisfaciant pro tã grauibus & quaſi affectatis negligentijs. Non eſt noſtræ mentis

Digitized by Google

hos tales excuſare aut occaſionem malè libertatis eis dare. Sicut nec in ſuperioribus intẽtionis noſtræ extitit præferre ſimpliciter aridos deuotis,ſed ſicut hic,ſic & ibi,& viceuerſa puſilanimes& pauperes bonæ voluntatis ſuſcepimus , quantum ad præſens attinet conſolari, & tam ipſos quam alios ad cautè operandum ſuam ſalutem exhortari.

Et quia tactum eſt aliquid ſupra de ſcrupulis circa confeſſiones, ſupereſt adhuc quod non incongruè putamus addendum. Expedit quippe ipſis ſcrupuloſis dicere & conſulere vt non ſint nimis arctæ conſcientiæ circa peccata minora in cõfeſſione exponenda, ſed ſuccinctim & breuiter quaſi in genere ſufficiat ea explicari. Maiora verò & ea in quibus eſſet animæ periculum , ſtudeant cognoſcere, & ea diligenter in ſpecie detegere.

Super quibus tamen notandum quod quædam cogitationes turpes & execrabiles blaſphemiæ & etiã luxuriæ non ita groſſæ ſunt confitendæ prout occurrunt, ſed ſufficit vt ſic dicantur vt confeſſor mentem cõfitentis intelligat,ſeruata honeſtate loquendi quãtum poſſibilitas admiſerit. Licet enim confeſſioni neceſſaria ſit humilitas, nõ tamẽ propter ſacramenti & confeſſoris reuerentiam excluditur honeſtas. Huiuſmodi etiã cogitationes execrandæ ſiue blaſphemiæ ſiue luxurię neminem nimis turbent. Non enim delectant deuotos, ſed cruciant, nec ſunt hominis ſed diaboli eas ſuggerentis,vnde non imputabuntur homini ad demeritum, ſed reputabuntur potius eidem ad meritũ, & purgant animam patientis eò magis quam maculent propter laborem quem homo perfert in pugnando contra eaſdem. Quicquid nempè hominem affligit contra ſuam voluntatem & non placet,nec delectat, non facilè in talibus tentator nocere poteſt. Quicunq; itaque in huiuſmodi cogitationibus ſpecificè nimis vellet deſcendere in confitendo eas, & multum ſcrupuloſus circa ipſas eſſe, hic proculdubio nõ ex hoc conſequetur pacem cordis,ſed fortius oppoſitum,& dat occaſionem inimico ſe multo amplius inquietandi & vexandi , quemadmodum nonnunquam contingit illis qui latratus canum mitigare conantes proijciunt eis panem vt ſic ſaltem latrare ceſſent,immò frequenter eum qui panem proiecit durius latrãdo infeſtant.

Habeatur ergo ſemper in memoria regula illa quam quaſi in principio poſuimus ſcilicet vt in quamcunque parte quis ſe ſentit proniorem ad malum & tẽtari ſe poſſe facilius ibi ſemper oppõnat remedia præciſè cõtraria ſollicitus. Si quis eſt ſcrupuloſus in conſcientia nimis leuiter ſtudeat cordis libertati. Si quis iracundus & vehemens & commouetur faciliter, fugiat occaſionem iræ, & quaſi cum violentia intendat mentis tranquillitati & manſuetudini. Motus namque maiores iuxta philoſophorum ſententiam expellunt minores. Si quis impatiens ad quæuis aduerſa exempla patrũ & maximè Chriſti & martyrum animo ſæpè reuoluat. Si quis nimis zeloſus etiam in cauſa iuſtitiæ,& per impetum ſpiritus nimis efferatur,zelum cum modeſtia temperet. Et quod etiã ipſe in multis offendat recogitet, quodque diſtrictum iudicẽ ſuper ſe habeat formidet. Si quis nimis tenax largitati inſeruiat,& ſic de ſimilibus.

Inſuper aduertendum pro quadam regula generali tenendum, vt omnia ad quæ voluntas cum A quodam impetu & vehementia ſine præuia deliberatione inclinatur quantumcunque appareant bona habeantur ſuſpecta, quia communiter ſunt motus ſenſualitatis & paſſionũ quibus hoſtis antiquus perſæpè ſe immiſcet. Iuxta quod ſcriptũ eſt: Ab ea quæ dormit in ſinu tuo te cuſtodi. ſ. ſenſualitate vt ipſa non dominetur rationi tuæ tanquam mulier viro. Si enim hanc poteſtatem tali mulieri dederis ipſa cõtraria erit & rebellis viro ſuo. ſ. ſenſualitas rationi,placeat vel diſpliceat tibi. Vnde ſi nõ poteris eam ſic ſubigere vt ſit omnimodè ſub- B dita viro, ſemper tamen ei reſiſte, nec vnquam ei cedas & ſic huiuſcemodi rixa & pugna corã Deo tibi reputetur pro victoria. Siquidem non ſolum viciſſe malum bonum eſt, ſed & pro viribus malo reſtitiſſe, immò nonnunquam melius eſt diutius pugnam exercere, quam citò præualere. Attendit namque prudentiſſimus & æquiſſimus rex noſter Deus militum ſuorũ velle potius quam poſſe. Et ſicut poſſe vincere ſuum eſt, ita vincere velle noſtrum eſt. Et quamquã in vtroque gratia Dei ne- C ceſſe eſt concurrat, in velle tamen magis quam in poſſe liberum arbitrium hominis ſibi locũ vendicat, vnde iuxta ipſum militum ſuorum Dominus certamen ad remunerandum penſet. Et dignum vtique & iuſtum eſt, vt qui longius & laborioſius certauit,& præmium copioſius percipiat.

Non tamen eſt pugna optanda,ne videamur amare periculum, ſed cũ venerit, eſt viriliter agendum in nomine eius qui non patitur nos tentari vltra id quod poſſumus, ſed facit etiam cum tẽtatione prouentum vt poſſimus ſuſtinere. Cui & D quotidie humiliter & fiducialiter idcirco ſupplicare debemus dicẽdo quod ipſe docuit: Et ne nos inducas in tentationem. Creditur namq; ꝙ hæc ipſa clauſula breuis verbis,ſed ampla viribus in tẽtationibus irruentibus deuota mente replicata,nõ mediocris ſit efficaciæ, de quo nullus æſtimo dubitabit niſi infidelis,& is qui ignorat quis eius author ſit. Notent etiam ſcrupuloſi quorum puſilanimitatem cõſolari intendimus quamquã nonnũquam ad alia digredi videamur. Notent inquã ꝙ E valde eis expedit cũ conſilio ſuorũ ſuperiorum & aliorũ virorum ſuorũ prudẽtum Deũ timentium contra ſuos ſcrupulos agere, vt ſic tandem aſſueſcant eos nõ timere, ſicut domificatores aſſuefacti ambulãt ſecurè & intrepidè ſuper tecta altiſſima, vbi non ſic practicati ſtatim forent ſi huiuſmodi attentarent, in periculo vitæ.

Intendãt quoque puſilanimes ſcrupuloſi, quod inimicus humani generis cum impugnat hominẽ ſtercoribus turpiſſimarũ cogitationum, veluti in F obſidio vrbium vel caſtrorum fieri conſueuit cũ ſtercoribus cloacarum, aut cum terret repentino ſtrepitu quempiam, vel horrorem immittit quaſi inopinatè prout ſimiliter bombardarũ tonitruo impugnatores munitionũ agere conſueuerunt,& quemadmodum ioculatores & truſatores pueris horrorem inuſitatis ſuis geſtibus incutere nouerunt. Intendant inquam quod talia non curent, neque multum cum his litigent, ſed potius irrideant dicentes cum illo patre in vitis patrum in talibus experto : Immunditia tua ſuper te dæmon: Dominus mihi adiutor, non te timebo.

Quia

Digitized by Google

Quia enim immundus ſpiritus es, immunditia o-
pus tuum eſt. Item terrores tuos non timeo, quia A
eū qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos &
ſeculum per ignem defenſorem habeo. Puſillani-
mes ſcrupuloſi ſimiliter ſciant quod ſi confeſſio-
nes ſuæ magis ſe inquietant quam tranquillent,
dummodo tamen firmum & fixum iudicium de
mortali peccato in ſe non habeant; quod ex hoc
ſæpius cognoſcere poſſent quia ſi in ſimilibus ca-
ſibus eos mouentibus ab alijs requirerentur dice-
rent caſus tales minimè fore peccata mortalia, tūc
ceſſandum cum ſuperiorum & peritorū conſilio B
foret à frequentatione confeſſionum, & fiducia-
liter nihilominus celebrandum atque humiliter
dicendum: Domine non in iuſtificationibus meis
proſterno preces meas ante faciem tuā, quia nullæ
ſunt, & ſcio quod ſi millies confiterer, & diſtrictè
diſcutere volueris me, non ero mundus in con-
ſpectu tuo. Sola namque Domine miſericordia
tua mundabit me. Ideóque in multitudine miſe-
ricordiæ tuæ introibo ad altare ſanctum tuum in
timore tuo, timens quod te plus offenderem ſi di-
mitterem, quam ſi acceſſero, eò quod tu in memo- C
riam tuā ita fieri iuſſiſti, & ego multis debitor ſum
pro quibus orare teneor. Nulli debet eſſe dubium
quin talis humiliatio plus accepta ſit Deo, quam
nonnullorū vana præſumptio, qui poſt confeſſio-
nem ſuam & qualiacunque exercitiola ſe dignos
& bene mundos reputant, quaſi intrepidè ad illa
terrifica diuina myſteria accedentes. Secus autē
eſſet vbi haberetur fixa & quaſi certa conſcientia
de peccato mortali. Illud enim eſſet confitendū
non ſic de veniali, quod de neceſſitate nunquam D
cadit ſub obligatione confitendum ſacramentali-
ter in ſpecie, quamquā quandoque perutile ſit, ſed
ſufficit confeſſio generalis. Nam venialia per di-
uerſa delentur, vti confeſſione generali, oratione
Dominica tonſione pectoris, &c. In nonnullis
etiam eſt tam arcta conſcientia vt quanto magis
eam ſcobare per confeſſionem conantur, tanto
amplius quaſi inde fœdantur propter plura noui-
ter ex fricatione pullulantia, quæ tamen frequen-
ter modicæ aut nullius ſunt reputationis, conſciē-
tia talis non firmatur melius quam dimittendo eā E
in pace & quiete, & quod ſolum imbre lachryma-
rum irrigetur, & ſic fœcūdata cœleſtis dono gra-
tiæ ſolidetur. Veniale autem peccatum commu-
niter eſt omne illud quod factum eſt abſque ratio-
nis deliberatione quodcunque ſit illud, etiam ſi ſit
odium vel ira contra Deum, aut horribilis blaſ-
phemia. Vel veniale peccatum eſt quando actus
talis eſt qui non tollit debitam ſubiectionem ho-
minis ad Deum, atque eius amicitiam ſeu dilectio-
nem nec perimit debitū fraternæ ſocietatis vincu- F
lum ad proximum, Iuxta ſimile in legibus ſecula-
ribus & politicis vbi quædam peccata morte pu-
niuntur & quædam non, quamuis ſint cōtra præ-
cepta & ſtatuta, quia non tollunt debitam ſubie-
ctionem ad principem ac ad ciuilitatem & proxi-
mum. Ex quo elici poteſt quod nō omne quod
eſt factum contra præceptum aut votum aut iura-
mentū aut etiam contra Dei interdictū eſt pecca-
tū mortale, quia in quolibet horū ſtat peccari poſ-
ſe per ſurreptionem quandam, & abſque perfecto
rationis conſenſu qui conſenſus & numquam eſt
in primis motibus niſi poſt deliberationē habitā
verè vel interpretatiuè, quæ deliberatio in aliqui-
bus citius in aliquibus tardius fieri habet, quod ſi-
gnāter addim⁹ propter habituatos in bono vel in
malo, quia in talibus habitus eſt quaſi ſimilis deli-
berationi. Sicut dicit Ariſtoteles ꝙ ars perfecta nō
deliberat, poteſtatē hoc in ſcriptorib⁹ & citharizā-
tibus. Sunt etiā quædā circa quæ ratio debet eſſe
magis peruigil quā in alijs quod niſi fecerit inter-
pretatur conſentire. Notent quoq; puſilanimes
ſcrupuloſi quod nō ſuper tenemur agere meliora
& meliori modo quo poſſumus, maximè ſub obli-
gatione peccati mortalis, quoniā Deus omnipo-
tēs quamuis hoc poſſit à nobis licitè exigere, quia
ipſe Dominus & nos ſerui eius, nō tamen ſic age-
re voluit, ſed cōtentus eſt vt certa quæ dedit præ-
cepta ſeruemus, quod ſi fecerimus ſufficit ſibi &
manebimus in eius dilectione & gratia: Beati ni-
hilominus qui ita eſuriunt & ſitiunt iuſtitiā in ob-
ſequendo tanto & iā dulci bonóque Domino, vt
poſſetenus aliquid ſuper erogare Domini ſui præ-
ceptis ſuis contendant. Beatus quoque qui ſemper
eſt pauidus, timens minus debito feciſſe, dūmodo
tamen obſeruet ſemper ne quid nimis, & ne ſit iu-
ſtus nimium, & demum ne dum nimis emungit
ſanguinem eliciat. Itaque puſillanimes conforta-
mini & nolite timere. Confidite puſillus grex,
quia complacuit patri veſtro cœleſti dare vobis
regnum in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

TRACTATVS EIVSDEM DE DIVERSIS DIABOLI TENTATIONIbus *è Gallico in Latinum verſus ad preces venerabilis patris Domini Nicolai de Nuremberga.*

AD nos ſub manu Dei humiliandos, atq;
cognoſcendam vtcunque generali no-
titia noſtram virtutum itinere pergran-
dem ignorantiam, at demum aduerſus
omnem inimici nequitiam noſtram fragilitatem
imbecillitatémque ſciendam vt in nobis admodū
nihil, verum in Dei ſolum atque ſanctorum fida-
mus auxilijs, mihi propoſitū eſt ſubtiles nonnullas
inſidias enumerare quas cunctis noſtris operibus
hoſtis humani generis diabolus ingerit, quonam.
ſ. pacto in eo omni quod cogitamus, loquimur,
operamur, deceptionis ſuæ tendit laqueos, ſem-
pérque nititur aduerſus eos præſertim quos diui-
no famulatui magnopere cernit intentos, quos
videlicet ſub ſpecie boni ſi valet, ad malum con-
uertit. Ipſe namque fallaciſſimi latronis inſtar viæ
ſocietatique bonorum ſe commiſcet & quouſque
feriēdi ac occidendi animam opportunū tempus
nanciſcatur, ſeſe fingit amiciſſimum. Tū ratus cō-
gruū tempus adeſſe per admixtionem maliciæ ali-
cuius ſanctā actionem prorſus commaculare mo-
litur, ſiue initio ſiue medio ſiue fine operis. Cum
verò impedimentum bonæ actioni præſtare ne-
quit quo minus ipſa perficiatur, intentionem ſal-
tem conatur corrūpere puta vt eius operationis
finis conſtituatur peruerſus aut inanis gloria, aut
quælibet carnalis voluptas. At ſi actionis prin-
cipium conatus eluſerit ſuos, rurſus cum illius me-
dio & fine confliget, quin etiam completæ iam
actioni adhuc inſidiabitur, hominē ob virtuoſè

Digitized by Google

perfectum opus vana efferri lætitia ſumma ope contendens. Vult ſanè aliquis eleemoſynam largiri cum id ne fiat hoſtis impedire non poteſt hortatur vt eam vel ob conſequendã mundi gloriam tribuat, vel ſpe aliqua inductus ab eo cui datũ eſt, munus aut honorem aut quodcunque accipiendi ſeruitium. Quod ſi quis & hanc tentationem ſuperarit, aliam multo amplius periculoſam ei rurſus immittet, quæ bonis quoque eſt cõmunis plurimũ, quam & vix in vita hac funditus poſſe tolli arbitror, & eſt vt is tũc ſecum ita dicat & cogitet: Rectè tuum iam opus perfeciſti, præclarè inimicũ viciſti, non inanis gloria non prorſus vitium vllũ ſuperare te potuit. Nequaquam certè quiſq; alius puta ille vel ille ita egiſſet. Ecce quomodo eo ipſo quo is ſuperbiam gloriam vanam prius ſuppreſſit & contudit in hæc eadem vitia iam ruit delabitúrque. Atqui ſtulta hæc & temeraria cogitatio penè ſemper menti ſeſe infert ac ingerit. Manifeſtum itaque eſt ni ſtudioſè occurratur de virtute vitiũ & de humilitate oriri ſuperbiam.

NONNVMQVAM hoſtis certo tempore tentari deſiſtit vt quis & ſe cenſeat eſſe ſecurũ & penitus tueri negligat, tunc verò id cernens repẽtè ſubitóque in imparatum irruit, vel odij vel inuidiæ vel concupiſcentiæ carnis validam immittens tentationem. Alio etiam commento hæc intermiſſio tentandi fieri poteſt, vt videlicet huiuſmodi ſecuritate ac immunitate tẽtationis quis ſuperbiat quaſi propria virtute vniuerſos iam hoſtes deuicerit. Siue vt eo minus apud Deum mereatur quo iam labore certaminis vacat, ſiue certè vt eos qui admodum tentationibus affliguntur ſpernat contemnat deſpiciat.

Hortatur nõnunquam hoſtis aggredi alta quædam & difficilia virtutum opera, ſicut immoderata ieiunia peregrinationes maximas vel ſimile quodcunque ſiue vt homo ſuccũbat oneri, neque vllo pacto ipſum ferre valeat, ſiue vt ex ipſo ſequatur deterius aliud puta ex immoderatione ieiunij, cerebri vacuitas melancholia triſtitia vehemẽs ex nimia peregrinatione grandis impatientia, ex velle alios eminenter docere ingens tumor, hæreſis, exceſſiuum naturæ grauamen.

Conſulit nonnunquam relinquere eximios virtutum actus, & minutis in rebus verſari, vt vel hæc complendo ſe quis præſtantiſſimæ virtutis hominem arbitretur, vel vt nunquam ad perfectionem pertingat vel vt huiuſcemodi humilitate qua ſublimem deuitat ſtatũ & præcellentia opera ſuperbiat, & alios quos nõ ita facere cernit temere dijudicet. Nonnunquã enititur hoſtis vt quamquam rectè quis cuncta faciat in vno tamen ſolo labatur & delinquat, illi quippe ſatis eſt ſi animæ caſtrum vel vno patente ſibi aditu nanciſcatur capiátque. Hanc autem occultat aliquando tentationẽ quoadúſque mors aduenerit, quo ſanè tempore ſæuius maiorique dolo tentat & confligit, ſciens ſi tunc defecerit, penitus ſe fruſtratum.

Nonnunquã immittit alicui veram aut ſaltem ſimulatam deuotionem vel etiã ſi hæc diuino munere affuerit, ſuadet indiſcreta vota ſeu iuramenta fieri, vt poſtmodum ceſſante deuotione homo ſit in ſe turbatus, inuolutus aut etiam promiſſorum inuiolator. Econtra nonnunquã ſub ſpecie diſcretionis emitti ſancta prohibet, quæ aduerſus A peccata quibus homo vehementer pronus eſt & deditus ſaluberrima remedia forẽt vt ita ſordibus ſuis is iugiter immaneat.

Hortatur nonnunquã ex conſuetudine dicere multitudinem immenſam orationũ velut ſe quis nimium grauet vel afficiatur tædio eáſque ſine deuotione perficiat vel vt hinc extollatur, vel vt rem aliam quæ ſibi eſt vtilior & magis neceſſaria foret, omittat, vel vt Deum credat ob hanc orationum frequentiam ſibi iure debere vt impleat B quicquid ipſe cupiet.

Frequenter ſub humilitatis ſpecie quæcunque fieri bona impedit ne illum homines ſanctum dicant & arbitrentur, vt inde nõ ſuperbiat. Itaque efficit vt is acediam diſcretam humilitatem eſſe iudicet, & non largiri eleemoſynam non ieiunare is iudicet. Nõ hoc quidem eſſe auaritiam, gulam, ſed præclaram virtutem humilitatis.

Nonnunquam ſub prætextu erogandi eleemoſynam hortatur vndequaque præter ius & fas cumulandis inhærere diuitijs ſcit enim eſſe multo C deterius ob largitionem iniuſtè acquirere, quam abſtinere ab ea & velle iniquum habere nihil.

Nonnunquam ſub ſpecie correctionis conſulit aut iraſci in alterum aut iram ſimulare, vel vt ille in correctione ipſa excedat irrogando iniurias, contumelias inferendo, vel vt ex ira plus propriã vindictam quam alterius bonum quærat. Vel vt is qui corrigi emendarique deberet per alterius feritatem fiat longè deterior, compertum enim habet manſuetudine quam rigore nimio vtilius ac D facilius ad bonum quemque poſſe adduci. Ita impatientiam iuſtitiæ vindictam tegit effigie correctionis, quæ profectò nequaquam correctio, ſed planè deſtructio cenſenda eſt.

Nonnunquã è contrario ſub vmbra miſericordiæ ac leuitatis ſuadet ne quis alterum reprehendat, néve ſibi indicet errata ſua atque defectus, ad quod tamen ex lege charitatis is obligatur, ſicque vtrumque perdere ac iugulare molitur.

Nonnunquã cum quis audit aliquem detrahentem alteri, & ſi illud minimè ſibi placeat, agit ta- E men hoſtis vt metu diſplicendi ei qui detrahit, is aut malè dicta confirmet, aut taceat ſaltem, noſcit enim hoſtis non paruum eſſe delictum detractionem vel patienter audire. Deberet namq; talis aut verbo, aut faciei triſtitia aut quomodolibet aliter oſtẽdere palam ingratũ eſſe ſibi huiuſcemodi detractorium ſermonem. Qua in re poſſet ab obtrectante percunctari, fecerit ne vnquam bonũ aliquid is de quo ſermo habetur. Itaque dicere debet fore longè melius illius bona, quam mala F referre aut certè illa non alijs, ſed ei qui peccauit ob ſuam emendationem referre oportere.

Nonnunquam ſub ſpecie diſcretionis abſtinẽtias ieiunia fieri vetat, ſicque ſomnum, gulam, acediam, hac veſte contectos in habitaculum ſpiritus introducit.

Nonnunquam efficit vt ſua quis ſomnia ſtudioſè animaduertat, & tamen vt his quidem contra Dei Eccleſiæque præceptum certa fides adhibeatur ea vera eſſe cunctáque per ordinem veluti indicabant euenire faciet. Similiter & de alijs ſuſuperſtitionibus innumeris, vti quod mane obuiũ habere canẽ aut leporẽ putet quis ſignare illa die

futurum

Digitized by Google

futurum infortunium. Et vt paucis loquar, tam varijs & multiplicibus huiuſmodi ſuperſtitioni- A bus ſimplices referti ſunt vt vel id cogitare animus perhorreſcat, quas ſanè ideo diſſeminat hoſtis, quoniam eas nouit Deo admodum diſplicere. Scit nempè homines non in Deo, ſed in his confidere, ac ſpem locare ſuam. Ideo verò horũ cordibus impreſſæ ſunt, tum quia neque ſapientes audiunt, neque eorum dictis fidem præſtare volũt. Tum quia vſque adeò nefandæ ſunt opinionis, vt quicquid obtigerit, huic alicui dementiæ tribuãt. Verbi gratia, ſi quid illis boni euenerit confeſtim dicunt id bene futurum & ipſe putabam, meo B enim in ſomnio hãc rem ego conſpexeram. Deũ quippe relinquentes & ſibi omnium bonorũ authori non veriti gratias proinde non agere ad has impias ſtultáſque credulitates cũcta referunt. Atſi (quod frequenter fit) illa die acciderit malum aliquod dicent, etiam ſibi id contigiſſe, quia tale aliquid viderint, aut canem vel leporem habuerint obuium. Identidem & de ſanitatibus arbitrãtur, quas non Deo vel naturæ ſed neſcio quibuſdam breuibus aut conſcriptis pomis, aut in huiuſmodi C incantationibus attribuunt. Sunt hæc profectò ſine quacunque ratione ſolo verſuti inimici ſuaſu, quæ etiam ſingulis diebus dominicis ſub excõmunicationis pœna diſtrictiſſimè ab eccleſia prohibentur. Porrò longè ſalubrius foret & tutius Deum ac ſanctos adire cum fiducia quam in his ſperare dementijs. Quamobrem quiſque caueat has melancholicas inſanias incidere, neque verò alios & præcipuè iuuenes in talibus fidem habere ſuadeat. Eſt enim difficillimum ab his quemquam erui cum ea teneris ab annis imbiberit. D

Agit nonnunquam hoſtis vt in ſuis calamitatibus quis immoderatius de diuina confidat ope, vt ſi hę permanſerint nec diuinitus fuerit liberatus murmuris & impatientiæ labatur in foueam, & ſceleris Deum arguat, & quaſi impium ſit eum qui tanta deuotione illum ſupplex orauerit, non exauditum ereptumque fuiſſe.

Nonnunquam alia fraude quod dictũ eſt, ſuggerit, vt ſcilicet cum is liberatum ſe cernet deuotum ſanctum ac Deo amiciſſimum ſeſe credat, vt E pote cuius à Domino vota efficaciter & penè miraculosè complentur.

In primo autem caſu talis ſperare debet, ideo Deum ſuis non annuere petitis, quod id ſuæ ſaluti minimè expediat. In ſecundò verò ambigendum ſibi timendúmq; eſt ſibi eſſe offenſum Deũ neque dignum præſenti caſtigatione, exauditionẽ verò precum ſuam mercedem eſſe debere, itaque ſe damnandum finaliter.

Nonnunquam homini ſcrupulos immittit innumeros reddens illius conſcientiam miro modo F dubiam atque arctam, ne quid boni audeat efficere vt etiam crebrius delinquat, ſcit enim eum peccare qui id adit quod pro certo conſcientia malum eſſe iudicat, quamquam res in ſe mali haberet nihil. Facit etiam iſtud hoſtis ob alium deteriorem finem, vt ſcilicet talis qui deliquit in deſperationem delabatur iudicans ſe reprobatum à deóque damnatum, quoniam tanta facilitate peccat, nec vllo pacto adimplere valeat mãdata illius.

Nonnunquam reddit hoſtis conſcientiam ante commiſſam ſe curam & amplam, vt neq; peccare quis formidet neque poſtmodum pœniteat.

Nonnunquam in opere latam conſcientiã reddit verum ad tribuendam deſperationem poſtea delictum exaggerat, oſtendendo horrorẽ ſceleris & cõmiſſi delicti immanitatẽ, quã ſcilicet ſit enorme eũ qui talis ſit qui talis habeatur tam deteſtandum admiſiſſe facinus, contra verò antea nonnũquam diſtrictam anguſtámque & ſcientiam reddit, facítque timere vbi non eſt timor habẽdus. Et eſt inſtar eorũ qui pueris viam tranſeuntibus proclamant laberis, cades, vt metu turbati impingant ac ruant præcipites. Ita his lapſum inculcat hoſtis clamans & dicens continuò erras, deficis, peccas, te haud dubiè damnas. Hoc namque modo conſcientię pacẽ ac quietem perturbat, adimit adeò vt tale neque orare neque bonũ quicquam rectè facere queat. Cõtingere etiã & iſtud poteſt propter aliud ſceleſtius & longè maioris periculi, vt videlicet quis huiuſmodi ſcrupulos vitare volens tantam amplitudinem conſcientiæ arripiat, tanquam effrenatam ſibi aſſumat audaciam, vt nulla præcepta penſi habeat, nihil æſtimet illicitũ. Quamobrem cunctis in tentationibus, medium ſeruandum eſt, quod equidem fieri poterit tum ſapientũ conſultatione tum ſubſidio orationis tum ſuper omnia humilitate ad Deum cui ſpes de illius miſericordia commixta extabit.

Nonnunquam illis quos ſcit minimè conſilijs obtemperaturos, ſuadet ſapientes frequenter cõſulere vt talium peccata minus habeant excuſationis, nonnunquam verò hanc conſultationum ſuadet frequentiam, cum eos qui conſuluntur malè ſana cõſilia daturos arbitratur, vt & qui dat & qui conſilium accipit vna ſimulque pereant.

Nonnunquam hortatur humanũ nihilipendere conſiliũ ſed vel à ſolo Deo vel ab oratione inſtructionem expectare vel propriæ prudentiæ inniti, & quaſi ſecũ ita dicere: Quid in hac re agendũ tibi ſit ipſe quam alter quiſquã melius noſti, tibi enim meliꝰ res ipſa tibi tuus animus, tua tibi melius comperta eſt facultas. Inſuper hos qui conſilium tribuũt fortaſſis impellit vtilitas propria, ſeu honoris fortè cupido mouet. Et hæc tentatio inter cæteras eſt pernicioſior & amplioris periculi perſonis deuotis præſertim, & his qui acuta intelligentia pollent, & eſt profectò maxima ſuperbia.

Nonnunquam poſt abundantem ſumptionem cibi & potus deuotionem & lachrymas immittit hoſtis, vt quis hanc gulam in conſuetudinem ducat, quaſi ipſa deuotionem efficiat.

Nonnunquam huiuſmodi deuotionem & lachrymas poſt grande & immoderatum ieiunium immittit, vel vt ſequatur cerebri vacuitas, exinanitio capitis & totius corporis permaxima læſio, fiátque poſtmodũ talis melancholicus, triſtis: iracundus, vel vt ipſe has abſtinẽtias, ieiunia, vigilias in morem vendicet & conſuetudinem, vt in hac ſingularitate ſuperbiat ſiue in malum prædictum incidat.

Nonnunquam hortatur vt quis angelos videre velit, miracula cupiat, optet reuelationes habere, & aliquando præſtigijs fallacibus ſiue in ſomno, ſiue in vigilia, hæc apparere facit agens hæc omnia vel ad decipiendum ſub effigie veritatis, vel ad introducendum in illum ſuperbiam. Quã obrem huiuſmodi deſideria ſuper omnia deteſtari

vitaréque debet quiſque deuotus. Ea enim quæ de his per alios geſta ſunt, debent ſibi admodum ſufficere, ſatiſque ſibi eſſe vtique debet ſi in cœlis mercedem accipiat. A

Nonnunquam ingentem mirabilémque dulcedinem in modum & ſimilitudinē deuotionis inducit vt in huiuſmodi ſuauitate hominis tota cōquieſcat fruitio, neque Deum amare neq; ob aliud ſibi obſequi velit, niſi ſolum vt hoc potiatur.

Nonnunquã in diuino famulatu duritiam immittit atque ſpiritus triſtitiam vt à Domino ſe quis derelictum cenſeat neque illi amplius impendat B obſequium, ſed ad carnis ſe conferat voluptates, & in illis conſolationē requirat. Porrò qui Deũ purè ſinceritérque diligunt, quique ficticio amore pro ſua ſola delectatione ei inhærens, hoc in caſu probantur & innoteſcunt patulæ.

Nonnunquã agit vt qui ſtatum aliquē delegerit eos qui in illo ſunt defectus & incommoda cōſideret. Certum enim eſt quemlibet ſtatũ proprios habere ſingularéſque defectus & illos quidē frequentes ac plurimos qui profectò patienter ferendi & modeſtè tolerandi ſunt. Hæc autem efficit C hoſtis vt ad impatientiã quemque impellat alium ſtatum oſtendens ſemper eſſe quærendum. Sed de his particularius loquamur. Delegit aliquis celibē & ſine coniugio ducere vitam. Huic ſuggeret id eſſe nimis periculoſum, ea etiam quæ in connubio bona ſunt ſibi proponet, neque verò illius diſpendia & fermè infinitas moleſtias eum ſinet attendere. At contra cum quis iam matrimonio deuinctus obſtrictuſque eſt, nec ab eo reſipiſcere licet menti obijcit quanta felicitas, quanta quies D eſt libertate perfrui, ſine horum terrenorũ occupatione Deo poſſe ſeruire, geſtandæ prolis non angi doloribus, non maritorum duros perferre mores, nullius quam ſui curam habere oportere, cæteráque ingentia bona (quorum proculdubio expers eſt coniugium) demonſtrat, atque coram oculis conſtituit, & hoc facit non quidem intendens bonum aliquod afferre, aut propalare veritatem de eminentia aut ſecuritate talis ſtatus, aut etiam acceptiori eius apud Deum cōditionę. Sed hæc quæ profectò vera ſunt proponit, vt eorum E conſideratio ad impatientiam & deteſtationem ſui ſtatus quem nequit deſerere præcipitet. Viuit quis hominum in frequētia, puta in religioſo cœnobio, apud hunc ſolitudinis bona magnificat atque plurimi pendit, oſtendit ibidem melius eſſe orationis locum, non adeſſe mundi tentationes, iracundiæ non occaſionem adeſſe, tacet verò quę ſolitarijs contingant pericula. Ex aduerſo ſolis abditéque viuentibus deſiderium mundi ingerit dicens quod ſibi tantum non alijs hoc modo proſunt, in mundo verò mæſtos ſolarentur, ægros viſitarent, largirentur eleemoſynas magnas. In habitanti vrbes ſuadet ſalubrius fore ac tutius villulas aut rura incolere, eò quod in ciuitatibus omnium malorum exempla ſint. Quo contra ei qui extra ciuitates habitat, ſuggerit multo fore melius in vrbibus morari, neminem enim hic eſſe, à quo erudiri queat, ibi verò eum verbum Dei auditurum, & ingentia quædam patraturum opera, nec oſtendit quam innumera illic conſcientiæ diſcrimina ſint, quam etiã difficile ſit propter rerum neceſſariarũ caritatem nimiam vitam ibi tranſigere. F

Cæterum iſta omnia ob id ſicut initio dicebam in conſiderationem deducit, atq; ante oculos ſtatuit hoſtis vt nemini ſuus ſtatus placeat, nemo in illo contentus ſit, nouas quiſque mutationes cupiat, vtque ita pectoris tranquilla priuetur pace, & continuò grauibus ac moleſtis inconſtantiæ fluctibus agitetur. Has igitur cunctas tentationes & ſi quæ ſimiles inueniuntur, à ſe quiſque depellere, & illis in hunc modum apud ſe reſpondere debet. Scio vtique mala & bona vbilibet reperiri, quod ſi mala quædam mens continet ſtatus, in eo tamen nonnulla ſunt bona quæ alibi minimè reperiuntur. Alibi præterea mala aliqua inueniri certum eſt, quibus vita mea caret & eſt immunis.

Admonet nonnunquam hoſtis vt ad hoc quis hominũ in conſpectu ſeſe vituperet, vel etiam delicta quædam committat & perpetret vt ſe indicet nec fictum eſſe nec hypocritam. Quod perfectò in grande malũ ab hoſte ſuggeritur. Nam per huiuſmodi quæ hic aduerſus ſuam gloriã dicere agereque videtur aliquando in eum maior irrepit ſuperbia, vult quippe hoc pacto verax haberi & reputari is qui ſuam laudē minimè quærat, quã tamē ſuo in animo flagrantiſſimè cupit. Ita autem eſſe ignoſci cōperirique poteſt cũ ea ipſa quæ is de ſe indigna dicit, alius quoq; aſſerit & teſtatur. Nam id & moleſtè fert, & ſeſe tũc excuſat & cōmendat.

Nonnunquam hortatur hoſtis, vt cum alicui opus ſuum agere incumbit vel rem quantalibet ſecundum morem eorum quibus conuiuit efficere, tunc ad vacandum Deo cunctis huiuſmodi occupationibus & quibus debitis ſe ſubtrahat & ſolum conſtituat, vel id ab hoſte fit vt in illo tempore facilius tetræ abominandæq; cogitationes rancoris, inanis gloriæ & ſingularitatis, quæ certè peſſima eſt mentem huius ſubeant. Agit etiam nonnunquam hoſtis vt maiori complacentia quis bonum voluntarium ad quod nequaquã obligatur, quã rē ſaluti neceſſariam efficiat. Puta ꝙ quis potius ſoluere infringeréque malit ieiunium quod præcepit Eccleſia, quã illud quod propria volũtas inſtituit, quæ profectò res prorſus eſt illicita. Ex aduerſo aliquando ſuggerit corporeo ſemper labori intēdere, vt quis nunquam Deo vacare queat, neque propriam vitã animaduertere diſcuteréque poſſit. Sanè optimum eſt vtroque moderatè vti, & iam huic etiam illi viciſſim operam dando vnum altero temperare.

Nōnunquam aliorũ peccata conſiderare facit, vt proximũ quis iudicet & infamet, vt non eum diligat, ſed cōtemnat, vt nullã ſalutarem doctrinã ab hoc dictam recipiat, vt quicquid hic boni egerit, mala intentione fieri aſſeueret, vt ei ſi ſuperior fuerit obedire recuſet, vt eum ſi ſubditus eſt tractet immaniter atque vlla ſine miſericordia corrigat & ſuper omnia, vt quia huiuſmodi delicta nō operatur meliorem ſimpliciter ſe cenſeat, & hoc pacto teterrimã in ſe aſſumat ſuperbiam, quæ fortaſſe maius peccatũ erit quã omnes aliorũ defect⁹, quos tanta diligentia conſiderat, curioſitate tanta explorat. Quamobrem conuenit ab alienis delictis oculos abducere, & eos cōuertere in propria quod ſi aliena peccata conſiderare neceſſarium extiterit, id fiat illis compatiendo. De his enim multo pluſquã de corporali morbo dolere debet & compati. Id etiam fit dominum pro his orãdo, & cogi-

& cogitando denique quod ſui defectus maiores ſunt, aut niſi eum Dei miſericordia protexerit gra- A uioribus multo criminibus irretiri implicaríque poterit, qui etenim non vult diuinam miſericordiam ita alienis ſicut ſuis delictis ignoſcere, is profectò illam odio habere videtur.

Nonnunquam aliena bona oſtendit & demōſtrat vt quis in ſceleſtiſſimum facinus corruat, in liuorem ſcilicet & inuidiam, vel is inflammetur ad concupiſcentiam talium diuitiarum, talis ſtatus pompatici, talis gloriæ, talium veſtium, equorum talium, pulchritudinis talis, & generaliter talium B quorumcumq; bonorum, vt etiam cum eiuſmodi bona nanciſci adipiſcíque nequit, doleat, angatur, atque melancholiam incurrat.

Nonnunquam de aliorum dictis & factis in mentem alicuius vehementē ſuſpicionem inducit hoſtis perſuadens illi huiuſmodi cūcta fieri vel ad irriſionem turbationémque eius vel ad ſibi damnum inferendum. De quibus tamen in veritate nihil eſt. Suboritur autem hæc aliquando tentatio inter vxorē & maritum, inter fratrem & ſororem, & inter quoſque amiciſſimos ex qua grauiſſima C mala & fermè incredibilia proficiſcuntur. Et eſt planè peſſima tentatio de altero & de amico, præſertim malum ſuſpicari adeò faciliter, & id ita celeriter credere quod penè ſemper eſſe falſum poſtmodum comperitur. Quare ſummo ſtudio vitanda eſt huiuſmodi infauſta ſuſpicio. Quod ſi eam quis à ſe nequit penitus abijcere, tunc multū proderit ea quæ aduerſus alterum quis animo ſuo verſat, illimet aperire vt is proinde ſe excuſet & ſatisfactionem afferat. Verum nonnunquam agit D hoſtis vt has ſuſpiciones in corde quis recondat & apud ſe teneat, vt hac recluſione illæ incrementa ſuſcipiant plus quam inferant nocumenti, neque alter inde ſe excuſare queat. Contra verò nonnunquam inconſiderata neque obſeruata opportunitate congruentiáque temporis, vel ex malignitate iracundiáque animi illas proferri facit, vel etiam cum nimia aſſertione, vt per hoc is cui hæc dicuntur iraſcatur & turbetur, atq; in alium odium concipiat, quaſi hoc modo apud ſe cogitans. Quid ita? iſte ne iſtud de me arbitratur? me talem is æſtimat? E ſi mihi amicus eſſet profectò hæc minimè ageret non ſibi oſtendi, vnde de me ſic ſentire debeat. Sic de eo ipſe non commeruit. Ecce itaque quomodo hoſtis vndequaque tam dicendo quam tacendo ſuas fraudes inijcit.

Nonnunquam cōmouet hoſtis malè de aliquo effari, vel ex ira aut liuore, illi fieri detrimenta atq; grauamen inferri, & nihilominus dat intelligere callidus hoſtis hæc fieri propter veritatem, iuſtitiam & publicam vtilitatem. Vel etiam propter F bonum & ſalutem aliorum. Dicit enim hoc ipſum quod agitur alijs nociuum & pernicioſum eſſe, itaque eſſe optimum & illum & ſuam malitiam in aliorum notitiā deduci, vt cæteri proinde ſe tueri, conſeruare cauereq; valeāt, ídque omittere etiam fore aduerſum veritatis amorem. Hæc res tamen proculdubio eſt ſummè pericoloſa his qui aliorū non ſunt conſtituti iudices, nec ad eos puniendos ordinati. Et præterea huiuſcemodi mala poſt tergum in abſentiáque referre, ſiue his qui prodeſſe nihil, obeſſe verò aliquid poſſunt in bonum vergere nequit. E contra nonnunquam agit hoſtis vt ex metu per inuidiam aut detractionem peccandi quis alterius malū occultet & taceat in illius ſimul & aliorum ingentem perniciem. Videtis igitur laqueos perplenos diſcriminis, & quod rectè hæc incedere difficillimum eſt.

Nonnunquam cohortatur vt quis rem aliquam ſublimem incipiat veluti quidem ſibi videtur ad proficiēdum alteri. Vti verò veritas habet ad propriam oſtentationē quod manifeſtum eſſe poteſt, cum is hanc in rem per ſeipſum fieri maluit quam per alium quemquam. Dato quod æquè bene vel melius eam alter aliquis facere poſſet, dato etiam quod ita Deo gratum foret eam hunc omittere ſicut & efficere. Eſt enim euidens indicium quod in hoc opere aliquid ſuæ gloriæ is admiſcet quādo potius optat quod homines eum quam alios hoc agere cognoſcant. Eſt inquam ſignum quod non ex integro illud propter Deū operatur. Per iſtud verò etiam in alijs pleríſque caſibus intentionis puritas diſcerni poteſt.

Nonnunquam ſub prætextu ſubueniendi pauperibus, aut inſtituendi Eccleſias, aut in vltimis annis ſecuritatem habendi, agit hoſtis vt quis in auaritiam labatur, vel fraudulentæ negotiationi intendat, vel emendo vendendóque committat periuria, vti prius tactum eſt, nunquam tamen mortaliter peccādum eſt etiam quantumcumque bonum inde oriri queat.

Nonnunquam in bono opere grādem acediam & triſtitiam per magnam immittit hoſtis ſuadens tunc in delectationibus ſeculi cōſolationem quærere. Ex quo duo mala accidunt, vnum eſt quod frequenter per hoc quis in ſtultiloquia aut peccatum illud decidit, per quod etiam alios peccare facit. Secundum eſt quod illius acedia hoc pacto non ſanatur, verum magis ac magis nutritur & creſcit, etſi enim eo tempore hic à triſtitia liberetur, ipſa tamen poſtea redit longo validior. Qui verò ea abigere ſuperaréque vult aduerſus illam forti perſtare animo, & ſibi acriter reſiſtere debet. Nam tunc diſcedet poſtmodum minimè reuerſura.

Nonnunquam alicui ſubijcit hoſtis ardentiſſimam cupiditatem cernendi modi vanitates, plauſúſque nuptiarum. Et agit quod illo puncto temporis quo quis videt huiuſmodi qui illic plerúmque ſunt impudici geſtus non tentatur de peccato carnis, & per hoc illum nimium audacem efficit hoſtis, atque immoderate ſua de caſtitate præſumere. Vnde euenit vt is vel in ſuperbiam decidat, vel finaliter in obſcœna opera, aut ſpurcas ruat in cogitationes, ſiue hoc in loco, ſiue poſtmodum alibi cum ſolitarius erit, tunc enim huiuſcemodi cuncta redibunt in memoriam. Quamobrem tutius eſſe nihil poteſt quam ſemper hæc deuitare pericula, neque vnquam in illis confidere.

Nonnunquam ſub velamento ſanctitatis & deuotionis, in perſonas religioſas ſpiritualis amicitiæ agit hoſtis vt ex conſuetudine intuendi, loquendi, epulandi ſimul ridendi mutuo ſeſe iocosè tangendi, vertitur ſpiritualis amor in libidinoſum carnalémque amorem, & demum in finem ignominioſiſſimum.

Nonnunquam ſub prætextu fugiendæ ſingularitatis & obſeruandi mores aliorum, vel alicuius ſimilis boni ſuadet hoſtis vt quis plus veſcatur aut

bibat quam ſibi conueniens eſt. Et pariformiter eſt de veſtitu & huiuſcemodi rebus. Quare ſummopere eſt in omnibus adhibenda diſcretio.

Nonnunquam agit hoſtis vt ſancta intentione quis loqui incipiens, continuando ſermonem ad plura defluat inordinatè dicendum, quod euenit vel quia is loquendo commouetur iraſcitúrque, vel quia ſuam gloriam quærit, vel quia erubeſcit & verecundatur niſi audientibus admirationem ingerat ſubtile aliquod extraneum nouum, inauditúmque dicendo. Quo fit vt & quæ ſcit & quæ neſcit immoderatè loquatur, aut ea proferat quæ ab audientibus ob eorum ſimplicitatem minimè cõueniunt. Quamobrem ſub rationis regula ſemper lingua tenenda eſt æquè in medio finéque ſermonis, ſicut in initio.

Nonnunquam ſub humilitatis ſpecie & ſeſe cuſtodiendi facit vt quis ſileat ex contemptu, iracundia, ſuperbia, vel cum loqui deberet ex vecordi puſillanimíque metu reticeat.

Nonnunquam ſub tegumento honeſti fortè deſiderij quo quis rem aliquam ſcire geſtit & agnoſcere, hortatur hoſtis vt is ad cuncta videndum, audiendum tentandum, curioſus ſit atque prorſus intentus. Vnde ingens poſtmodum fœdarum tentationum impudicitiæ & odij obrepit frequentia. Et quanquam nullum exinde aliud malum naſceretur, ea tamen res admodum homini per ſe nociua eſt. Nam vſque adeò illius mens eiuſcemodi nouitatibus obruitur, vt nullam poſt hæc puram de Deo cogitationem is habere valeat.

Nonnunquam gratas de carnis voluptate cogitationes menti offert aduerſarius, dicens, non eſſe periculoſum illis (dummodo conſenſus abſit) immorari paululum, atque hoc modo intentum hominem ſuccendit & inflammat vt eas à ſe vix excutere poſſit. Itaque nihil eſt ſalubrius quam illis initio intercludere aditum. Aliquando autem oriuntur huiuſcemodi noxiæ cogitationes, cum ſtudioſè quis ſuorum affinium qui in mundo & connubio viuunt ſtatum animaduertit.

Nonnũquam alicuius mentem plurimum conturbat hoſtis in illã magnam fœdarum ac turpium cogitationum multitudinem immittendo, vt his continuò peccare ſe credat. Dicit enim horrendum eſſe ſcelus cum legendo horas & Deo obſequendo hæ cogitationes adueniunt. Itaque hortatur vt illis prorſus penitúſque fugandis ſemper inuigilet, neque aliud quicquam agere curet. Scit nempe malignus hoſtis ventum facilius in manu poſſe fixum manere quam illas tolli funditus radicitúſque conuelli, vel ita poſſe abigi, vt nequidem poſtea vnquam redire queant. At qui non cum impiæ mentem cogitationes tangunt peccamus mortaliter, ſed duntaxat cum eis conſentimus, id eſt, quando illis voluntas noſtra fauet, quando eas ipſa cum delectatione complectitur, quando eas adeſſe gaudet, quamdiu verò hæ ſibi diſplicent, ſibíque ſunt horrori ac odio nullum eſt mortalis noxæ periculum. Sciendum autem non eſſe poſſibile in occupatione laboris vel temporalis adminiſtrationis tantam ineſſe homini mentis ſerenitatem, ſicut in ſua quiete poſt diuturnam moram. Et aliter illam quærere eſt ſæpe irritus labor & ſola tentatio. Frequenter autem hæ cogitationes melius vincuntur ſi eas nihilipendimus aut curamus,

A ſed alijs in rebus occupamus animum, quam ſi eas vi nitamur propellere.

Nonnunquam bonas cogitationes ſubijcit hoſtis, non certè propter bonum aliquod verum ad id ſolum vt ſanctæ orationi impedimentũ pręſtet: Nam illas eo immittit tempore cum eas ſuſcipere nec licet, nec conuenit. Non enim audiendo vel canendo miſſam opportunum tempus eſt de re cogitare familiari, quod tamen alijs horis bonum expediénſque foret.

Admonet nonnunquam hoſtis ſemel in tantum
B alicui peccato incumbere aut illicitæ cuidam vacare voluptati vt exinde ad plenum is ſatietur neque poſtmodum illius vnquam rei concupiſcentiam habeat. Ideo verò iſtud agit hoſtis, quia in hoc grauiter iſtum nouit delicturum. Agnoſcit etiam quod & ſi is modico tempore huiuſmodi deſiderio carebit, paulò poſt tamen hic multo tentabitur fortius. Vt enim qui æſtu graui febréq; laborant cum gelidam aquam biberint, primò releuari videntur, deinde verò longè grauius & vehementius affliguntur. Sic expleta libidine illius
C poſtmodum amplius ingraueſcit cupido. Sicut etiam & hi qui quanto plus ſe vngulis ſcalpunt & fricant, tanto magis pruriginem ſentiunt. At qui ſi modicum id tolerare poſſent citius multò liberarentur.

Nonnunquam in ſe quis percipiens motus iracundiæ & vindictæ in alterum, quanquam in hoc ſibi diſpliceat ingratúmque ſit. Attamen ei dat intelligere hoſtis non debere orationem dicere dominicam, neque pacem in Miſſa ſuſcipere, quo-
D niam non libenti animo cuncta ignoſcit. Reuera tamen ſi inimicum is optat ſuum propter Deum diligere, debet & tutò poteſt Deũ orare vt quemadmodum alijs in ſe malefacta remittit, ita ſuorum quoque delictorum veniam ſibi largiri dignetur. Nam ſi efficaciter inimicum amare volet, id vtiq; efficere valebit.

Nonnunquam ſuadet vt ſuæ quis famæ integritatem nimiũ tueatur & docet hoſtis ad hoc quemquam teneri, ſecúſque agere velle id eſſe crudelitatis & immanis ſæuitiæ. Qua de re innumera
E mala conſurgunt. Nam cuncta is quæ de ſe dicere audit excuſare conatur omnia ſua facta collaudãs & de illis volens rationem reddere, putat nempe hoc pacto claudere hominum ora, quod profectò impoſſibile eſt. Ita ergo plerúmque is labitur in iram, impatientiam arrogantiam, perturbationem mentis, accuſationem alterius, ſecretorum quæ cælari deberent reuelationem, vt per hæc omnia ſuam aſtruere innocentiam queat. Ruit item per id frequenter in hypocriſim & fictionem, habens
F ab hoſte perſuaſum ſua opera hominum in proſpectu fieri debere, non quidem vt dicit, ob mundi vindicandum applauſum, verum ad præbendum alijs boni exempli viam ſimul & ad propriam vitandum infamiam. Nam mihi (ita eloquitur) illęſa fama manente, plures homines mea verba ęſtimabunt, fiéntque exinde meliores.

Ex altera partę monet nonnunquam hoſtis vt quis nihili pendat quid de ſe homines loquantur & ſentiant, neq; in aliquo ſuam famam cuſtodiat ſed æquale ducat in manifeſto & occulto peccare, atque in tali ſuæ vitę negligentia incuriáque viuat, ſecum inquiens, mea qualis ſit conſcientia Deus agnoſcit.

Digitized by Google

agnoſcit. Id profectò mihi ſatis eſt, dicat alij quicquid eis libuerit. Ecce itaque videtis quam difficile ſit hunc vtrumque effugere laqueum, & recto gradiendo tramite à neutro detineri & capi, ſunt enim ambo perniciosiſſimi. Quamobrē primum debet quiſque conſiderare quale opus ſuum exiſtat bonum ne an malum? Nam ſi eſt malū quanto magis illud in patulo apertóque facit, tanto grauius ipſe peccat: Et hoc in caſu his celare, abdere & occultare debet, non quidem ob ſuperbiam, ſed ne alijs occaſionem peccandi malè loquendíque tribuat. Sin verò opus bonum ſit, attamen is noſcit alios ipſum veluti malum iudicaturos, animaduertere oportet an qui ita iudicant ad hoc ex ignorantia & ſimplicitate adducantur, & tunc hoc opus ſi ad ſalutem non neceſſarium extiterit, intermittendum eſt, vel illius rei cognitio & veritas eſt eis aperienda, docendíque ſunt non ſic de illo arbitrari debere, quod ſi ex malitia huiuſmodi prodeat iudicium. Sunt enim nonnulli quibus aliena virtus inuiſa eſt, qui nequeunt quicquid fieri vident maligno non carpere dente. Hi prorſus contemnendi ſunt, neq; enim poſſunt vllo pacto claudi iſtorum ora. Itaque minimè opus eſt eum qui bonum operatur aduerſus huiuſcemodi homines ſuam famam tueri. Porrò hoc loco animaduertendum eſt quod ſublimia opera crebrius efficere dignatus eſt dominus per illos qui (vt docet Apoſtolus) fatui, inſcij vel nullius æſtimationis habiti ſunt quam per alios quoſque. Quare nequaquam optare quis debet, vt in eo quod agit bono ab alijs commendetur, neque multo minus ſuam debet depromere prædicaréque laudem, vel etiam procurare vt hoc fiat ab alijs, ſed totū Deo, relinquendum eſt, qui de nihilo nouit operari ingentia. Frequenter namque videmus quò amplius ſuam quis oſtentare quærit innocentiam aut proprium bonum in aliorum notitiam ducere eò minus ab alijs æſtimatur & curatur. Longè etiam minus, tum ſibi, tum cæteris apud Deum proficit.

Agit nonnunquam hoſtis vt ſecum quis ſciſcitetur & inquirat an prædeſtinatus à Deo ſit ad gloriam vel ad pœnam æternam præſcitus, vt hoc pacto vel in præſumptuoſam ſpem, vel in deſperationem labatur & corruat. Proinde neutrum eorum definita ſententia iudicare debet homo, ſed in Dei ſperare miſericordia, cum ingenti timore ſuæ diſtrictæ iuſtitiæ.

Nonnunquam ſuggerit hoſtis apud ſe percunctari an potius nunc quis mori vel æternaliter damnari mallet, quam aliquod mortale committere peccatum, vt ſi is affirmatiuè reſpondeat in eo denuò peccet quod magis eligit peccatum admittere, atque ita offendere Deum quam huiuſcemodi pœnas perpeti, Deum quippe offendere pro quocumque vitando ſupplicio velle nequaquam debet. Sin verò contrariam is partem aſſeruerit, primum forſitan mentietur, decidet etiam fortaſſe in iactantiam atque arrogantiam. Quamobrem magnopere vitandum eſt huiuſmodi facere quæſtiones neque eis ſi ſurrepſerint, eſt reſpondendum, abijciendæque ſunt & dicendum Deo: Meam domine fragilitatem agnoſcis, certus equidem ſum, quoniam niſi tua gratia mihi foret auxilio, nullo ita modica eſt pœna quin me vinceret atque peccato faceret præſtare conſenſum. Quare

A me miſerum in tuas proijcio manus, obſecrans ne ea tentationum pericula incurrere me ſinas, quæ tuorum ſine tranſgreſſu mandatorum ſuperare non queam. Hoc itaque modo periculoſus is malignúſque laqueus tutò pertranſiri valebit fragilitatem videlicet propriam humiliter recognoſcendo & in Deo ſolo conſtituendo ſpem, neque quodcumque iudicando aliud. Scitis nempe beatum Petrum qui prius ſe velle mori quam Deum relinquere ſpondebat, Deum poſtmodum deſeruiſſe, neque huius quod promiſerat effeciſſe aliquid.

B Sic profectò agunt quam plurimi putantes quod omnia perferrent antequam ad peccandum pertraherentur, quaſi non diuina gratia, ſed ſua virtute ipſi peccatum deuitent.

Nonnunquam aliam tentationē immittit hoſtis huic pœnæ conſimilem & eſt cum quis præterito tempore grauia perpetrauit ſcelera, vnde bona ſibi aliqua euenerunt, ſicut per fornicationem aut adulterium prolem ſuſcepit quam ardentiſſimo amore complectitur, tunc agit hoſtis vt is à ſemetipſo inquirat vel ab alio interrogetur. Vellet ne

C non peccaſſe, & hanc non habuiſſe prolem? Accidit enim hominem delinquere qualitercúmque huic reſpondeat quæſtioni, vt in præcedenti tentatione dictū eſt. Dico itaque dictum remedium hic etiam locum habere tali ſcilicet quæſtioni non reſpondendo, vel poteſt homo dolere de ipſo peccato, dolere item poteſt quod per huiuſmodi delictum ſibi proles orta eſt, non autem abſolutè dolere oportet de eo quod prolem habet.

Nonnunquam incitat hoſtis hominem ad hoc

D vt apud ſe petat an ſit cæteris hominibus vel hoc aut illo deterior. Vnde plurima frequēter peccata ſurgunt, puta mentiri, ſuperbire, alios temere iudicare. Debet itaque is dicere, quicquid ex me habeo totum peccatum eſt, ſi verò in me eſt aliquod bonum, id eſt ex gratia Dei, quā æquè alteri ſicut mihi Deus ipſe largiri poteſt, ſatis profectò ſum iniquus ſi nihil ex me niſi peccatum habeo, non ergo me cæteris comparare opus eſt, cum ipſe ſim ex me ſceleratiſſimus.

Nonnunquam gratias & dona quæ in aliquo

E ſunt ante huius oculos ſtatuit hoſtis, vt hinc intumeſcat paruipendátque cæteros. Quare ex aduerſo is cogitare debet eo ſibi maiora pericula grauiorémque imminere damnationem ſi non rectè diuinis vtatur muneribus. Cogitare etiam poteſt quod nemo adeò eſt impius qui nō melius huiuſmodi vteretur donis ſi hæc ipſa ſibi collata fuiſſent, & ita quemcumque proximum, ſiue Iudæum ſiue Gentilem ſeipſo meliorem iudicabit, aut ſaltem non deteriorem.

F Nonnunquam efficit hoſtis, vt cum quis penitere conteríque debet, à ſeipſo quærat tantam ne de peccato ſuo diſplicentiam habeat quantam habere tenetur. Quod non arguit, quoniam plus doloris & lachrymarum de damno haberet temporali quam nunc habeat de diuina offenſa, quare nequaquam huiuſmodi diſplicentia ſufficere videtur. Sed ſciendum quod non eſt neceſſe corporalem de peccato eſſe dolorem tantum, quantus fortaſſe eſſet de temporali malo vel incommodo. Sufficit enim quod cōmiſſum peccatum ſibi diſpliceat, & nequaquam in ſimili caſu Deum offendere vellet. Non enim (ſicut prius dictum fuit)

Digitized by Google

oportet malle dãnari, mori aut omnibus ſpoliari bonis quam peccaſſe aut hoc modo peccare. Rurſus nec talem hunc oportet eſſe dolorem qualem de ſe diuina poſtulat immenſitas, cum hoc ſit impoſſibile. Quia ipſa prorſus eſt. Is ergo dolor qui dictus eſt ſufficit. Verum quidem eſt quod tanto hic dolor eſt melior quanto & in anima & in corpore eſt maior, adſit modo quoad corporalem dolorem recta diſcretio. Non enim ex eo corpus deſtrui aut ratio lædi debet. Plurimæ per iſtud vitantur tentationes, quæ ſubeunt cum quis nimium veretur nunquam ſatis pœnitere aut ſuum non facere debitum inquam quantum ad ſalutem ſatis eſt, vt enim eſt dictum nequaquam noſtrum debitum facere poſſumus quantum Dei altitudo depoſcit, neque etiam ſecundum beneficia quę ab ipſo recipimus, nec hoc profectò à nobis indulgentiſſimus ille pater expetit, immo pro mira gratiæ ſuæ benignitate ſibi ſufficere vult, & nos in amicos habere paratus eſt, ſi ea quæ in certo numero certis agenda temporibus mandata nobis tradidit, ipſi compleuerimus, quæ etiam ſub æternæ mortis interminatione implenda mandauit. Vniuerſa autem hæc præcepta in his duobus continẽtur. Dilige Deum ſuper omnia, & proximum tuũ ſicut teipſum. Si quis verò ſuper hæc aliquod bonum effecerit, is proinde maiorem gratiam obtinebit. Quod ſi interroges, quid eſt ſuper omnia Deum amare? Planè groſſéque reſpondeo: Hoc eſt ſic eum diligere vt nullo pacto quodlibet aliud quis amare velit per quod perderet Dei amorem. Proximum autem ſicut ſeipſum diligere, eſt ei finaliter quidam vitam optare æternã, gratiam verò in præſenti ſeculo, inſuper id ei facere velle quod rationabiliter & iuſtè in ſimili caſu ſibi quiſquis fieri vellet. Vnde manifeſtum eſt quod is qui eſt iudex conſtitutus, nequaquam velle debet latronem à morte vel carcere liberare, quanquam ipſe fortaſſe in ſimili caſu contra rationem liberari cuperet. Et ex hoc plurimis eiuſcemodi tentationibus reſponderi poteſt.

Si nonnunquam qui ſacrum altaris ſuſcipere conſtituit ſacramentum occurrit ſuæ indignitatis cogitatio, quod videlicet nequaquam ad hoc dignus eſſe poteſt, & præſertim ſibi videtur quod non bene ſua ſit delicta confeſſus. Fieri autem poteſt hoc ſuggeſtione dæmonis vt tantũ bonum impediatur. Quare igitur is cogitare debet ad hoc nunquam ſe dignum proprijs viribus fieri poſſe, quanquam etiam centum annis ad id laborans incumberet, niſi ex ſpeciali Dei munere id fiat, quod ſanè munus poteſt æquè nunc ſicut poſt centum annos dominus elargiri. Debet rurſus conſiderare quoniam hac in vita nemo per infallibilem abſolutámque certitudinem ſcire poteſt vtrum in gratia ſit, an non, verè ne ſit pœnitens, an non, niſi ad hoc ſingularis accederet reuelatio. Itaque qui ſine hac certitudine ſuſcipere nollet Euchariſtiam, is profectò ſeipſum deciperet & quandam ſuperbiæ ſpeciem habere videretur. Eſt alia humana vel moralis certitudo quæ in noſtro propoſito & requiritur & ſufficit, cum videlicet quis in propria recollectione & conſcientiæ diſcuſſione id egit, quod tum ſua diſcretio, tùm bonum aliorum conſilium eum debere facere iudicat, atque hoc per ſufficiens tempus ad id communiter obſeruatum conſuetúmque. Quod ſi tunc in peccato mortali
A ſecũdum proprium iudicium is ſe eſſe non videat, tutò & ſine noui periculo peccati ad communionem accedere poteſt, & quanquam vt frequenter accidit ſibi fortaſſe leuia quædam dubia ſuperueniant, ea tamen contemnere immò vincere debet, & ad contrarium agendum ſemetipſum cogere. Leue autem dubium voco cum quis potius de aliquo fert iudicium quod ſit bonum, iuſtum, &c. quam quod ſit malum & peccatum, nihilominus quaſdam rationes vel cogitationes in contrarium
B habet, quę aliquam dubitationem ei afferunt, non tamen ita quin primum iudicium multo ſibi ſit certius, intantum quod ſi res ipſa alterius foret, de ea nequaquam ambigeret aut cunctaretur. Verum ſi non maiorem certitudinem de vna partium habet quam de altera, ſiſtere debet quouſque ad earum aliquam magis aſſentiatur, & hoc vel aliorum vel ſuæ rationis conſultatione, vel inſpiratione diuina obtenta per orationem. Niſi enim hoc modo quis ſecuritatem in ſemeipſo capiat ſe malè fuiſſe confeſſum ſemper iudicabit, neque tran-
C quillus eſſe aut conſcientiæ pacem vnquam habere poterit. Quod profectò nequaquam bonum eſt.

A ſeipſo pœnitens nonnunquam inquirit ſi firmam nunquam peccandi voluntatem habeat, & tunc ei plurima proponit hoſtis, præſertim quod nimium eſt fragilis, quod item tam crebrò in peccata lapſus eſt & adhuc quotidie labitur. Conſiderare autem is debet verum quidem eſſe non poſſe eum vitare peccatum viribus ſuis. Non
D etiam aſſerere opus habet nunquam ſe peccaturum, præſumptuoſum quippe eſſet hoc, neque tamen etiam iudicare debet ſe peccaturum. Iam enim eſſet hoc delinquere. Satis igitur eſt ſi firmũ ei propoſitum adeſt cum Dei adiutorio deuitandi peccatum & ad id diligentiam adhibendi, nec ſecundum præſentem voluntatem vllo vult pacto in poſterum peccare.

Nonnunquam vt dictum eſt enititur hoſtis perſonis Deum timentibus magis quam cæteris nimium timorem immittere, quo in cunctis ſuis o-
E peribus deficere formident. Quamobrem eiuſmodi timoratis neceſſarium eſt vt in primis magnopere animaduertant ad quid ſub pœna peccati mortalis ſecundum ſuum ſtatum obligantur, & ad quid non. Poteſt autem de hoc haberi non quidem ineffabilis, ſed humana certitudo per ſapientum & deuotorum bonum conſilium, per ſcripturas, per iudicium propriæ rationis, & per ſuum confeſſorem. Nam ſecundum harum perſonarum conſilium & dictamen debet is frequenter pro-
F prium iudicium mutare & vincere. Cum ergo de eo quod agendum eſt, habet is huiuſmodi certitudinem, poteſt ſe meritò quietare, licet plures alias negligentias quæ venialia peccata ſunt, admiſerit. Sed ſi in his punctis principalibus ſe defeciſſe cognoſcit, pœnitere debet, & poſtmodum, loco & tempore confiteri, Videtis itaque prorſus eſſe neceſſarium vt quiſquis diligenter perquirat quæ res peccatum mortale ſit, quæ non, in quo quiſque obligetur, in quo non. Et tunc quicquid ſuper hoc egerit id vltroneum erit & ſupererogationis ad augmentum ſuæ gratiæ, ſimul & aliorum. Credere enim quod illud melius bonum quod quis facere

Digitized by Google

facere valet, ſemper implere teneatur; ita quod ſi hoc obmiſerit, peccet mortaliter, erroneum eſſet, nunquam etiam quis poſſet obtinere conſcientiæ pacem.

FINALITER pro generali regula accipite quam vti Deus & bonus Angelus ſemper ad bonum hortantur, cunctáque ſeu proſpera ſeu aduerſa, ſiue bonum ſiue malum, ſui vel alterius ad ſalutem & profectum bonorum conuertunt, ſic ex aduerſo omnia in damnum & perniciem detorquere molitur hoſtis. Abundat quis diuitijs, enititur hoſtis vt illis abutatur vel in ſuperbiam, vel in luxuriam, vel in vſuram, & iniquam temporalium acquiſitionem. Contra ſanctus Angelus conatur & ſuadet vt illis vtatur ad largiendas eleemoſynas ad ſuppliciter reddendas gratias Deo, ad habendam ſufficientiam.

Similiter conſiderare in pulchritudine, viribus, ſcientia, ſtatu, bona hominum fama, & horum contrarijs, paupertate, deformitate, mala obſcuráque fama. Diuerſitatem etiam inclinationis hominum ad hoc vel illud nouit ſanctus Angelus benè vti, hoſtis verò malè. Quanquan etiam frequenter & ipſam Dei inſpirationẽ in malum conuerti facit hoſtis, ſicut ex aduerſo bonus Angelus malam inimici tentationem in bonum puta quis tentabitur ideo religionẽ ingredi vt poſtmodum egrediatur & exeat. In ea tamen perſeuerans conſtánſque manebit. De ſuperbia aut inuidia tentabitur, huic validè reſiſtet, & inde merebitur plurimum. Ita frequenter dum grauiter nocere cupit hoſtis prodeſt admodum & proficit in tantum quod hominem crebrò tentare, deſiſtit, ne tentationem ſuperando mereatur. Aduerſus verò cunctas ſuas illaqueantes tentationes, quæ certè ſunt innumeræ, non niſi vnicum generale remedium reperitur, vt beato Antonio reuelatum extitit, vt videlicet profundam ſemper habeat humilitatem, & affectione ſyncera puróque corde ſuam totam ſpem in Dei ac ſanctorum auxilium ſtatuat, ídque ſe facere poſſe, eſſe Dei gratiam cenſeat permaximam. Nihilominus tamen ſemper ſuum debitum faciat apud Deum & obſeruantiam mandatorum eius prædictæ innitendo ſpei. Nam ſicut firmiter credimus hominem ſola Dei ſaluari miſericordia, ita eam miſericordiam ſummopere venerari, diligere, charipendereque debemus, ſecus enim faciens vel hoc intermittens agere, profectò illam perdere ſeſe reddit digniſſimum. Quod ſi ſuggerens tibi hoc modo dicat hoſtis, quicquid egeris certè nouit Deus an damnatus eris nec ne, neque vllatenus aliter eſſe poteſt. Reſpõdebis, quicquid de me ordinauerit Deus, ipſe tamen amari dignus eſt & coli, cúmque mentiri nequeat, ipſe ſibi obſequentibus, & ad hoc pro ſuis viribus conantibus infallibiliter gloriam cæleſtem largietur. Quanquam verò mihi meus ſit finis incognitus, benè tamen ſcio quoniam bona vita in bonum finem perducit, neque ob hanc incertitudinem omittere debeo quò minus meum efficiam debitum, immò profectò magis ac magis enitendum mihi eſt, ſicut etſi infirmus ſe ſanandum ignoret, iure tamen ad id ſuum debitum facit. Concludendo dicimus nihil ita inſtruere hominem in prædictis tentationibus infinitíſque alijs, ſicut gratiam Dei quæ per deuotam orationem in profunda fuſam humilitate atque contritione cordis acquiritur. Hanc nobis gratiam meritis ac interceſſionibus omnium Sanctorum ſanctarúmque largiri dignetur Pater & Filius & Spiritus-ſanctus, Amen.

CONTRA PROFESSVM INOBEDIENTEM EIVSDEM

Ioannis Gerſon.

DE ore tuo te iudico ſerue nequam. Si hoc diximus parabola dominus de ſeruo non multiplicante, licet reddente talentum, quid dicturus eſt de ſeruo diſſipante ſimul & negante talentum? Talis eſt ille inobediens profeſſus, ſi clericus, ſit laicus qui propriam ſpiritus ſui voluntatem acceptam à Deo cauſa lucrandi vitæ theſaurum æternæ dedit illam in manu ſuperioris ſui dicẽs: Suſcipe me & viuam Abba pater. In manus tuas domine commendo ſpiritum meum, quoniam fidens in te & de me diffidens do illum tibi. Adiuua me & ſaluus ero. Nunc tu quiſquis es profeſſus hoc modo vel ſimili, qui patri cuius eſt voluntas tua dono tuo, immo ſpontaneo prius, nunc in neceſſitatẽ verſo parere recuſas, qui cõtra ſtimulum calcitrare præſumis, interrogabo te paucula quatenus ex ore tuo te iudicet conſcientia tua. Interrogo te non dico ſerue nequam, ſed fratrem & conſeruum in Chriſto chariſſimum, agens in ſpiritu lenitatis, & inſtruens iuxta monitionem Apoſtoli & Chriſti, cupiens te ſaluum eſſe ab errore viæ diuinæ, quoniam omnis inobedientia deuiat à via vitæ, ad quam qui reduxerit & conuerterit peccatorem, operit multitudinem peccatorum? Interrogo te ſi memineris profeſſionis tuæ, & ſi pœnitet te feciſſe? procul abſit hæc ingratitudo à ſpiritu tuo procul & talis. Porrò ſi memineris & approbas, interrogo quis ſapientior & potior interpres erit profeſſionis huius qualiter obſeruanda eſt, aut ſuperior pater tuus, maximè cum conſilio conuentus, aut tu ſubditus & vnicus, & vt fertur laicus? Si te tuum dixeris præferendum præponendúmque iudicium, quam erras intollerabiliter, neque eſt qui talem te non aſpernatur, tuam protinus arrogãtiam ſubſannans & dicens. Quis poteſt hunc audire? certè puto quod pudet te etiam hæc interrogatio auditu ſuo primo. Interrogo deinceps putas ne patrem, immo & patres tuos, ita malignantis eſſe nequitiæ, quam in malè conſulendo ſaluti tuæ vellent ſe ſimul & te perire? Exclamabis arbitror ad hanc interrogationem cachinnans & indignans rugata fronte. Longè ſit hæc inſania à me pauperculo idiota ſubdito & peccatore, vt de ſanctiſſima ſuperiorum meorum probatiſſimáq; ſapientia tam ſacrilegè deſipiam. Euigila nunc & perſpice, ſi non breui ratiuncula protinus ex ore tuo te iudico, qui iuſſus hoc & illud facere tu non obedire perſeueras. Si enim ſuperior tuus ſapientior eſt in cognoſcendo præcepta regulæ quam profeſſus es, ſi præterea credis quod nollet ſe damnare dũ tibi præcipit obedire, quid obniti poteſt, quid excuſationis afferre ſuper inobedientia tua ne dicam pertinacia. Sed dices fortè dimiſſis oculis & facie humi deiecta, ſi non omnis à te

Digitized by Google

pudor abſceſſerit, ſi non attrita iam fronte meretricem imitaris dicens: Volo virtuoſus eſſe,& domino per afflictiones abſtinentiámque placere, exemplo priorum Sanctorum, nominatim Ioannis baptiſtæ. Sentio fortitudinem corporis mei, ſcio quod ieiunium à vino non erit in grauamen mihi. Ecce frater recedis iam à cõceſſis prioribus. Tu iudicium tui præfers omni alteri quaſi ſi dicat infirmus & inſanus medico ſuo: Cognoſco melius diſpoſitionem meam quam tuipſe. Scio qualiter optemperandum mihi non eſt regulis artis tuæ.

Aggrediar nunc te altera via duriore vt ex ore tuo te iudicem ſi pertinax eſſe decreueris, non tantummodo ſeruum nequam, ſed vel hæreticum apoſtatam vel de hæreſi & apoſtaſia vehementer ſuſpectum, ita tamen ſi deperditio iudicij rationis per cerebri læſionem tibi non fuerit excuſationis ſubditum, quo caſu non ita argumentis theologiæ, ſed fomentis medicinæ opus erit. Dixit dominus noſter Ieſus Chriſtus ad omnes in Eccleſia prælatos loquens ad perſonas Apoſtolorum & diſcipulorum. Qui vos odit, me odit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Credis hoc? Credis ſi Catholicus es. Scio præterea quod ſuperiores ſunt & prælati tui patres ordinis ſancti, in quo & ſub quo profeſſum te negare non potes, aut ſi negas, erras in facto & conuinci teſtibus immo verberibus & carceribus coerceri, alioquin fas eſſet exemplo ſimili & pernicioſo cuilibet profeſſo religionem ſe negare profeſſum & impunè. Cæterum ſi fateris te profeſſum, fatearis oportet te ad obedientiam contra proprium etiam voluntatis arbitrium teneri ligatum. Alioquin contradicis euangelico nunc inducto præcepto, Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem ſpernit Chriſtum vtique blaſphemat & apoſtatizat. Et ſi addit quod hæc licitè faciat, ſe palam in hæreſim præcipitat, ex qua ſi non velit extrahi, pertinax eſt iudicandus, & vt talis brachio ſeculari relinquendus, nedum à monaſterio pellendus. Prouideat ſalubriora Deus, tamen etſi ita loquimur & verè loquimur. Tentabo viam rurſus alteram quæ ſanioris eſt ad morbum fomenti. Dicis (vt accepi & iam prætactum eſt) quod non ex inobediẽtia deſiſtere vis à potu vini, cæteríſque cibis lautioribus ordini conceſſis, ſed ad virtutes acquirẽdas ex pœnitentia. Vide quæſo frater ne mentiatur iniquitas ſibi ne ſit iſte laqueus ſathanæ ſub angelo lucis, non virtus abſtinentiæ in ſpiritu humilitatis. Itaque ſi vis vt credam tibi, oſtende vel pauliſper obedientiam in quantulo potu vini, nec non in alio fratrum edulio ſaltem pauculo, vnde non poſſit corpus ad laſciuiam excitari, neque rigor abſtinentiæ perdi. Nunc verò quale iſtud eſt quod abhorres à vino taliter vt nec conſuetudini Eccleſiæ velis conformis, quæ poſt ſacram communionem dat laicis poculum vini tantillum. Qualis eſt iſta obſecro ſingularitas? nunquid de radice procedit abſtinentiæ, & non potius ex intimis hypochri talis dementiæ? vt dum facis quod nemo, mirentur omnes & tibi laudem ſingularitatis impunè præſumas. Legimus de multis ita ſeductis, peſſimo fine terminantibus vitam. Fuit ſancto Franciſco collaudatus frater vnus qui iuſſus confiteri per verba, noluit niſi per nutus. Tollite (inquit ſanctus Franciſcus) figmentum hoc diabolicum, docuit exitus ita eſſe. Dicit

A Climachus: Si videris aliquem qui ſibi ſit in communitate ſingularis, ipſe non indiget dęmone tentante, quia factus eſt ſibi dæmon. Et apud ſapientem ſcribitur: Vidiſti hominem ſibi ſapientem videri, plus illo ſpem habebit inſipiens. Quis verò plus ſibi videtur ſapiens quam ſit ille qui iudicium ſuum præfert iudicio quorumcumque? At verò dicit frater iſte ſicut accepi. Nullum audiam in abſtinentia mea, niſi ſolam Eccleſiam, quaſi videlicet pro quolibet tali ſit conuocandum generale

B concilium, aut ſit Papa ſpecialiter adeundus, & non ſufficienter dicat Eccleſia quando ſuperior præſertim in re tali decernit & iubet. Exiſtimo proinde quod ſi mitteretur ad Papam frater iſte, nec ſic obedire iuſſioni ſuæ vellet. Eſt apud narrationes patrum de quodam gloriante in abſtinentiæ ſingularitate quod remedium innuerunt patres, ligauerunt ipſum tanquam fatuum, & certè iam ipſe talis erat. Compulerunt vti lautiſſimis cibis & vino ad ſaturitatem & nauſeam. Quid tandem? Sanatus eſt à præſumptione vel arrogan-

C tia ſingularis abſtinentiæ, & conſequenter à vanitate & periculo inſaniæ liberatus. Tradidit beatus Bernardus quod diabolus non habet machinamentum maius ad perditionem quærentium placere Deo, quàm ſi ſuadeat currere indiſcretè, quatenus qui currit incurrat & præceps ruat. Vocatur hoc dæmonium meridianum quando ſub ſpecie magni boni & ſingularis profectus incidit quis in magnum malum. Et quod maius malum quam inobedientia, quæ peccatum ariolandi, id

D eſt, idolatriandi à domino nominatur? Præterea dicit Apoſtolus: Sic eſca ſcãdalizat fratrem meũ, non manducabo carnes in æternum quãto magis ſi abſtinentia tua ô frater ſcandalizat fratrem, nedum vnum ex puſillis, ſed patrem & maiorem. Væ tibi timendum eſt. Itaque non expedit tibi contriſtare patrem tuum, non contumacem eſſe ad illum, id eſt, non tollere te ſibi, cui te voto tradidiſti, hoc rapina eſt, hoc ſacrilegium. Dicam tibi in veritate, nec mentiar, ſi de duobus malis alterum eſſet faciendum, vel comedere carnes in die

E veneris ſancta cum reniſu conſcientiæ timoratæ, aut abſtinere à vino contra præceptum obedientiæ rationabilter impoſitæ, præferrem primum, quia ſecundum non ideo malum, ſed vt bonum deberet impleri bibendo vinum. Alioquin cum pertinaci reniſu non ſtaret ſalus, vbi aliud perpetrando cum ſubſequenti humili pœnitentia comedens carnes ſaluaretur. Denique ſi fortè dicturus es: Moueor lege Spiritus-ſancti, vide ſi Spiritus-ſanctus eſt diſſentionis Deus. Vide ſi quilibet

F profeſſus regulam ita diceret, quanta confuſio ſequeretur? Vide ſi ſufficientem doces exceptionem à regula generali quam & ſecundum quam profeſſus es. Sed formido ne faciam verba mea ſurdo, niſi quod non iam tibi ſed patribus pro te loquor. Et fortè pro cæteris in poſterum ſi (quod auertat Deus) occurreret caſus talis. Benè vale, cor boni concilij, ſtatuens tecum, non plus aut aliter ſapiens quam oportet. Ioannes Cancellarius Pariſienſis, Lugduni. Anno 1426. In Ianuario, &c.

FINIS.

ITEM

Digitized by Google

ITEM AB EODEM CANCELLARIO PARISIENSI DE ZELO ET *feruore nouitiatus &c.*

SOLET zelus domus Dei, præſertim dum eſt nouitius, homines bonæ voluntatis comedere, hoc eſt vrgere, vt omnia quæ conſpiciunt vitiorum ſcandala ſatagant vel tollere vel culpare, vel cæteros ad ablationem acriter animare. Non diſſimulandum aſſerit, non parcendum, non ſcandalum formidandũ, ſed incedendum viriliter per arma iuſticiæ à dextris & à ſiniſtris per infamiã & bonam famam, per verbera ſi opus eſt, per ſanguinem & per mortem. Verum euenit quod poſt experientias varias, poſt irritos conatus, poſt agnitã humanæ fragilitatis & iniquitatis abyſſum inexhauſtibilem, temporatur & molleſcit feruor iſte bullienti muſto ſimilis, & quò maturior eò ſanior efficitur. Mitigátq; tribulationis aqua vinũ nimis feruidæ charitatis. Porrò nõ negauerim me prioribus annis zelum huiuſmodi qualemcunq; ſenſiſſe: ſed quam frequenter fuerit non ſecundum ſcientiam me docuerunt exitus. Finis.

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS PRO DEuotis *ſimplicibus, qualiter ſe in ſuis exercitijs diſcretè & cautè habere debent de gallico in Latinum tranſlatus per quendam. Qui quidem tranſlator ad vitandum ruſticitatem Latini eloquij, quã reſultaſſet magis ex vulgari in ſenſu è ſenſu quam verbum è verbo transferre curauit, vnde nec mirandum ſi opuſculum iſtud non conuenerit ſatis in ſtilo cum alijs eiuſdem Cancellarij operibus.*

DEVS vult vt ſit rationabile obſequium noſtrum, ita vt cuncta quæ in eius ſeruitio facimus fiant cum diſcretione, tam quoad corpus, quam quoad animam. Nam iuxta commune prouerbium: Omne quod eſt nimium vertitur in vitium. Studeat ergo anima ſic regere corpus ſuum, vt ex vna parte non contra ſe præualeat, & ex alia parte vt in ſeruiendo ſibi etiam non deficiat. Quorum primum fit cum non nimis lautè ipſum corpus enutritur. Secundum quando non nimium exercitijs ſiue corporalibus ſiue ſpiritualibus fatigatur. Et maximè in ſpiritualibus ſeu ad ſpiritualitatem tendentibus exercitijs eſt cautela adhibenda, quia in talibus propter ſimplicitatem nonnullorũ deuotorum & antiqui hoſtis inſidias, ſub ſpecie boni poſſet homo incurrere periculum magni mali. Exempli gratia, ſi quis nimis & non cum debita diſcretione nec cum concilio aliorum deuotorũ expertorum & ſuorum ſuperiorum intẽdere vellet ieiunijs, fletibus, vigilijs, diſciplinationibus, orationibus, meditationibus, imaginationibus circa ſubtilitates quaſlibet & diuinas res, terroribus mortis extremi iudicij & inferni, & cæteris his ſimilibus. Hic poſſet caput & cerebrum ſuum aliaque organa quibus anima vti

habet in ſuis operationibus in tantum lædere vt
A vſum rationis amittat, aut fieret totus debilis, phantaſticus & melancholicus, ſibiipſi, Deo & hominibus inutilis non ſolum, ſed & periculoſus & grauis. Vnde conſilium meum eſt vt homo deuotus ſi omnino menſuram ſeruare nequit, nutriat potiùs corpus ſuum aliquali cum exceſſu quam ſubtrahat ſibi nimis cum defectu. Ratio, quia difficiliùs, immo quandoque nullatenus ſubueniri poteſt corpori læſo per huiuſmodi nimiam neceſſariorum ſubtractionem, vbi tamen facile per vnam aut duas abſtinentias reprimi poſ-
B ſet quod exceſſum erat per nimis delicatam educationem.

Cuſtodiat ergo homo deuotus pro regulis ea quæ ſubiunguntur documenta.

De humiliando ſe coram Deo.

PRimò det obliuioni totum tẽpus ſuum præteritum, ita vt non nimis continuè in ſpecie recogitet de ſuis peractis peccatis prius contritis
C & confeſſis, ſed ſufficit vt quandoque per contritionem generalem ſic dicat ore vel corde: Domine Deus meus confiteor tuæ bonitati paternæ, quod vſque in præſens malè prohdolor perdidi tempus vitæ meæ in peccatis & vanitatibus, quia tibi dignè nunquam ſeruiui. Sed & inſuper multipliciter te offendi, & nihil habeo quo poſſum tibi pro neglectis & malè geſtis ſatisfacere niſi cor meum, vtinam debitè contritum & humiliatum. Hoc ergo tibi Domine offero, & ro-
D go ne deſpicias, & delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas, immo & nequitias meas ne memineris. Etiam ſcio Domine quod totis viribus meis non ſufficio talem facere confeſſionem, qualem bene exigerent peccata mea. Sed & tu ſcis Deus meus deſiderium meum & voluntatem meam bonam, quia ex tuo dono & tua inſpiratione nihil volui vicario tuo meo confeſſori celare de peccatis meis. Et ipſe confeſſor ſe ſatis putat informatum de mea vita. Rogo igitur pie Domine ſufficiat tibi, & da vt oblitus ea quæ retroacta
E ſunt extendere per amplius me poſſim in anteriora in tuo ſancto ſeruitio. Si autem Domine in futurum aliquid aliud tibi de me placuerit ſuper confitendis meis peccatis iteratis vicibus offero me paratum iuxta conſilium cuiuſcunque per quem tuam mihi dignaris innoteſcere ſuper hoc voluntatem. Nihil enim intendo retinere apud me quod ſit contra te. Tamen non ignoro etiam Domine Deus meus quod quamuis milleſies cõfiteor, ex hoc non poſſum ſatis iuſtificari, ſed ex tua ſola miſericordia mea dependet iuſtificatio.
F Cum enim tu mihi non imputaueris peccatum, tunc iuſtus ſum & non aliàs.

Informatio & conſolatio officialium qui circa exteriora occupantur.

CIrca præmiſſa etiam notandum quod perſona deuota quæ circa curam rei familiaris & erga exteriorum diſpenſationem multum eſt occupata, non debet cum nimia anxietate conari ad habendum talem pacem, tranquillitatem

Digitized by Google

& puritatem cordis, qualem perſona ſoli Deo & ſpiritualibus vacans poteſt & debet habere. Nec Deus requirit hoc à tali de neceſſitate ſalutis, ſcit enim quod humanę infirmitati id impoſſibile eſt. Ad hoc enim conari nimium eſſet ſignum ſuperbię & labor inanis, perditio temporis inutilis. Nõ ergo perſona ſic exterioribus occupata pro ſua & aliorum ſalute ex diuina haud dubium prouidẽtia triſtetur multum ſi deuotionem tantam non habuerit quantum libenter haberet, & qualem alios habere conſiderat. Impleat ipſe tantũ fideliter miniſterium ſuum ad quod Deus vocauit & ſatis eſt, ſicut namq; ipſe non ſolũ pro ſe ſed & pro alijs ſe exterioribus occupat iuxta diuinam voluntatem, ita etiam alij non ſolum pro ſe, ſed & pro ipſo ſic occupato & pro alijs Deo & ſpiritualibus exercitijs vacant. Hoc adiecto vt quandoq; certis horis ſibi magis aptis prout poſſibile fuerit ad Deum etiam recurſum habeat conquerendo humiliter de ſuis negligentijs & exponendo, Domino Deo ſuo neceſſitates, occupationes & miſerias ſuas, orando vt pius Dominus dignetur eaſdem ſuſcipere à paupere ſeruo ſuo loco deuotionis quam libentius ſibi offerret ſi eam haberet.

Hinc ſurgit pia & pulchra conſideratio de corpore Chriſti myſtico, in quo ipſe Dominus Ieſus Deus & homo eſt noſtrum caput, noſq; membra eius. Vnde & ſicut in corpore organico omnia membra non eundem actum habent, nec ſibi ſoli, ſed toti homini in ſuis actibus deſeruiunt. Pedes quippe non ſibi tantum ambulant, nec manus ſibi ſoli laborant, nec os ſibi ſoli comedit, & ſic de alijs, ſed ipſi toti homini. Ita etiam in hoc corpore Chriſti myſtico quodcunque bonum operatur non ſibi ſoli, ſed omnibus in Chriſto exiſtentibus id operatur in ſalutem. Et ex eo quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus & homo mediator eſt Dei & hominum, & caput noſtrum opera noſtra bona per ipſum fiunt diuinæ maieſtati grata & accepta & nobis ſalutaria & fructuoſa non ex nobis. Nemo ergo deputatus operibus inferioribus deſperet, nullusq; intendens maioribus ſuperbè ſe eleuet. Quia omnia in Chriſto Ieſu Domino noſtro erunt nobis communia. Non bene itaque agunt illi qui prædicantes aut alia magnalia agentes ſe magnificant & cæteros religioſos & Chriſti fideles non prædicantes, ſed quieti contemplationis & orationis vacantes vilipendunt velut eccleſiæ Dei inutiles, non attendentes quod ſi ſermo debeat proficere ex ore prędicantis deuota contemplatiuorum oratio habet hoc efficere apud Deum & impetrare, aliàs in vanum erit conatus laborantis. Similiter non bene agunt qui ſpiritualibus vacantes, contemnũt temporalium adminiſtrationem exercentes, ſicut enim ſpiritualia ſic & temporalia bona quamdiu ſumus in via & peregrinamur à cœleſti patria nobis neceſſaria ſunt. Et non omnibus omnia proſunt, nec omnes omnia poſſumus. Sit ergo quilibet contentus de ſituatione ſua in corpore Chriſti myſtico etiam pro quocunque reputetur mẽbro infimo, & ſtudeat fideliter agere in ea vacatione qua Dominus eum vocauit.

Ex præmiſſis apparet error illorum qui in religionibus ex obedientia deputati ad exteriora officia ſua cum murmure & inuoluntariè, imo quandoq; vix ex coactione & per conſequens negligenter & infideliter implent, ſpiritualia ſibi furtiuè contra bonum obedientiæ vltra quam ad eorũ ſtatum pertinet vſurpantes, & id quod aliorũ eſt, ſuperbè ſibi vendicantes, quodq; ſuum eſt, negligentes, & ſic & iſtud & illud non ſolum ſaluti ſuę infructuoſum, ſed & ſæpe per propriæ voluntatis & inobedientię vitium damnoſum facientes. Apparet quoq; ſimiliter ex præmiſſis quod incautè agunt nonnunquam religioſi modicam compaſſionem cum ſuis fratribus ad exteriora explenda deputatis, ſi quando in ſpiritualibus minus prompti inueniantur, habentes ipſos temere quandoq; tanquã indeuotos, nõ ſolum corde dijudicantes, ſed quod peius eſt, ſæpe gladio linguæ ſuæ detractoriè percutientes, nõ attendentes illud vulgare prouerbium: Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Nec recogitant quod ſi ipſi explerẽ deberent talia ſcilicet temporalia & ſpiritualia neutrum horum forte facere ritè poſſent. Neque aduertunt quantum deberent eſſe Deo & hominibus grati quod ipſis ad ſeruiendũ Deo in quiete & pace ordinatis alij coguntur ſeruire cũ multa fatigia & tribulatione & Deo & ſibi & alijs, & quod ipſi velut Domini recumbunt alij velut ſerui eorum miniſtrant eis, & in tẽporalibus de neceſſarijs eis prouidere habent. Timere deberẽt hi tales quod ſpiritualium operum ſuorum fructum nõ ipſi ſed alij officiales .ſ. exterioribus occupationibus propter eos detenti, apud Deum iuſtũ iudicem percipient, propter ſuam potiſſimè ingratitudinem quæ Deo maximè, in nobis diſplicet. Iuxta præmiſſa quoq; inſtruitur nõnullorum ſimplicitas, qui occupati alijs, conantur nõ tantum corde ſed etiam ore ſemper orare propter verba apoſtoli quibus ait: Sine intermiſſione orantes, Nam ſecundum expoſitores licet ſemper oret qui bonũ operari nõ ceſſat & qui per peccatum mortale orationem ſuam non interrumpit, poſſumus tamen ex præmiſſis & ad propoſitum dicere planè & veriſſimè, quod ſemper orat qui alia bona opera ſiue ſpiritualia ſiue corporalia pro Dei honore & ſeruorum Dei vtilitate facit. Licet enim nõ oret per ſe, orat tamen per alios in Chriſti corpore myſtico, & hoc ſufficiat ſibi dummodo aliàs debitum orandi ad quod ipſe obligatus extiterit, non neglexerit vitioſè.

Qualiter & quare orandum ſit ſpiritu ſine imaginibus.

Rurſum perſona deuota debet diligentiam adhibere vt non incurrat aliquam ſingularitatis notam per ſuam deuotionem præ cæteris inter quos conuerſatur. Hoc enim reprehenditur à patribus, quia turbat nonnunquam alios cum quibus viuitur, & eſt ſignum ſuperbiæ & hypocriſis. Studeat ergo eſſe in publico communis & alijs conformis abſque tamen peccato. In ſecreto verò poterit eſſe ſingulariter Deo deuotus & corde & moribus & geſtis & exercitijs cum diſcretione tamen ne ſe deſtruat. Pro iſtis autem deuotorum exercitijs quæ communiter aptius fiunt in priuato quàm in publico, vt ſunt videlicet mẽtales orationes & meditationes. Notandum quod quicunq; in his & per hęc vult amorosè

amoroſè & affectualiter tendere in Deum ſecurè & diſcretè, ne caput & ſenſus ſui forſan lædantur, debet diſcere cogitare de Deo ſine aliqua re corporali ſiue abſque imagine, ita vt non cogitet rem magnam aut paruam, longam aut breuem, albam aut nigram, hic aut ibi, in tali aut alio loco exiſtentem. Sed omnibus talibus & ſimilibus excluſis eleuet cor ſuum ad intellectualia pura & incorporea, cogitando Dei omnipotentiam qua omnia poteſt, Dei ſapientiam qua omnia præterita & futura ſcit vt præſentia, Dei bonitatem qua omnibus quantum in ſe eſt bene vult & nulli malè. Similiter eius miſericordiã, dulcedinẽ, pulchritudinem, & ſic de alijs perfectionibus, Deo ſummè conuenientibus & exiſtentibus, dicendo corde & ore: O Domine Deus meus creator & redemptor & ſaluator & meus omnipotentiſſime, ſapientiſſime, præoptime, totus pulcher, dulcis & miſericors. O pater pijſſime, amantiſſime, amabiliſſime, qui ſolus verè pater patrum es, plus me diligens quam vnquam carnalis pater ſuum chariſſimum dilexit filium. Quod bene oſtendis in tuis beneficijs magnis & multis mihi indigniſſimo datis per te, & adhuc dandis ex ſola tua maxima hoc faciens bonitate, te adoro, te laudo, glorifico, toto corpore & ſpiritu tibi gratias ago pro omnibus donis tuis, quia quicquid ſum, poſſum, ſcio & bene ſanctéque cupio, volo & deſidero, hoc à te habeo totum, & nihil habeo ex meipſo niſi peccata, quæ clementer peto ignoſce propter gloriam nominis tui benedicti. Quod me cum omnibus ſanctis tuis benedicere laudare & prædicare ſine fine propicius etiam concedere digneris. Vel alio modo orando prout ſpirituſſanctus inſpirauerit.

Talem reſpectum habendo in orationibus & meditationibus ſuis homo non facile incurret phreneſim, nec erit phantaſticus & in capite ſeu ſenſibus ſuis deſtructus, quemadmodum aliter faciliter poſſet contingere, cum homo nimis figit cogitatum ſuum in res corporeas & rerum ſenſibilium imagines. Nolumus tamen per hæc reprobare imaginationes de opere noſtræ redemptionis, de captione, allegatione, colaphis, ſputis flagellatione, crucifixione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cæteris huiuſmodi, immo hortamur quantum poſſumus vt de talibus homo ſæpe cogitet, ſed ſub hac conditione & huiuſmodi cautela, vt videlicet cum diſcretione & non nimis hoc faciat atque vt non nimis diu & immobiliter quaſi ſeu nimis fixè circa corporalia & imagines rerũ huiuſmodi cogitatio immoretur. Sed ſemper conetur cogitatum ſuum ab iſtis corporeis imaginationibus trahere ſurſum ad earundẽ rerum corporalium ſpiritualitatem quæ inde (ſpirituſancto docente) elici poterit copioſè ſi homo aſſueſcat & dederit ſe ad talia facienda. Et ne videatur impoſſibile totaliter licet appareat inexpertis difficile aliqualiter id quod dicimus, ſumamus exemplum de venerabili ſacramento Dominici corporis quod cum vidimus in manibus ſacerdotis oculis corporeis, adoramus deuotè ſicut verum Deum & hominem humani generis redemptorem, angelorum Dominum & dæmonum expugnatorem, propter hoc quod ibi videmus oculis cordis, nec moramur cum cogitatu

noſtro diu circa illud quod exterioribus appare
A oculis, vt pote circa albedinem, rotunditatem & paruitatem ſacræ huius hoſtiæ, ſed cogimus quaſi violenter noſtrum vt ab illis viſibilibus ſpeciebus ſe auertat, & conuertat ad inuiſibilia quæ oculus mentis per lumen ſanctæ catholicæ fidei ibi videt & credit veraciſsimè, quaſi diceremus cogitationibus noſtris, id quod oculi corporis nobis repręſentant, non eſt Deus noſter, ſed id quod ibi oculis cordis cernitur eſt Dominus Deus noſter. Hoc ergo cogitante & in hoc vos figite. Aliud exemplum poteſt applicari de puero extra patriam po-
B ſito qui nunquam vidit patrem ſuum, & cui pater mittit victum & amictum & alia neceſſaria, ſalutátque dulciter ſæpius per medios nuncios eundem. Nõ dubium quin puer iſte licet patrem ſuum non videat, moueatur naturaliter quodam amoroſo affectu ad diligendum hunc patrem & ad cogitandum ſæpius cordialiter de eo, & quod libenter eſſet apud eundem ad videndum ipſum ſicuti eſt, quia neſcit an ſit longus aut breuis, an albus aut niger, & ſic de alijs corporalibus circun-
C ſtantijs, ergo etiam in cogitando patrem ſuum qualeſcunque huiuſmodi corporeæ imaginationes occurrerint, non in eis quieſcit, ſed repellit tanquam deceptorias & inutiles. Sed quoniam alibi de hoc latius tractatum eſt, ſufficiat hic modicè tactum. Itaque iuxta præmiſſa diſcat perſona deuota in ſimilibus ſimiliter agere, alioquin in orationibus & meditationibus ſuis non ſolum pertimeſcere habet præmiſſa pericula, ſed etiam incommoda grauia alia. Poterit enim contingere
D dum homo nimis cogitat cum imaginibus & de rerum corporalium circunſtantijs, vt propter phantaſiæ fluxibilitatem, & inuiſibili hoſte illudente & cooperante deueniat à deuotis & pijs cogitationibus ad cogitatus turpes & impios, à puris affectionibus ad immundas, à ſpiritualibus ad carnales, & nonnunquam à ſanctis cogitationibus ad execrandę blaſphemiæ cogitationes, prout in nonnullis deuotis perſonis in his incautis compertumq; quandoq; eſt. In ipſa etiam veneranda imagine crucifixi ex nimia fixa cõſideratione cir-
E ca corporis dominici nuditatem, eiuſq; fœmoralium. Qui caſus ſicut mulierculis eſt valde poſſibilis, ſic viceuerſa poterit caſus iſte & viris eſſe nõ impoſſibilis, ſi nimis fingantur eorum cogitatus erga ſanctarum virginum imagines corporeas, prout etiam experientia nonnullos docuit. Caueamus igitur dum cogitare volumus nudũ crucifixum ne incautè id fiat: Alioquin contingere poterit Dominum noſtrum crucifixum de cruce nobis euaneſcere, noſque cum latronibus non tantum his qui cum Domino crucifixi ſunt, ſed
F & illis inuiſibilibus illic inſidioſè contra nos latitantibus ſolos remanere, qui & deſpoliantes nos cogitationibus & affectionibus puris & ſanctis & plagis turpium & execrandarum impoſitis, vix ſemiuiuos nos ſub cruce relinquant. Semiuiuos & ſemimortuos namque nonnunquam deuoti ſimplices ſe putant, cum ex huiuſmodi corporalium ſpecierũ incauta & nimia imaginatione veniũt à sãctis cogitationibus, meditationibus & orationibus ad cogitationes nefarias ſpiritu nequam ſæpius cooperante, æſtimantes cum quadã deſperatione ſe à Deo derelictos & reprobatos

propter huiuſmodi turpitudines cogitatui eorũ occurrentes & per conſequens ſe in anima à Dei gratia mortuos fore, & vix vita corporis viuere, quod tamen falſiſſimum eſt. Ecce ad quanta peruenitur pericula ex nimis forti imaginum corporalium rerum phantaſia, & ex antiqui hoſtis cooperatione malicioſa. Nemo propter præmiſſa credat ſanctorum imagines (ſicut quidam hæretici ſenſerunt) eſſe contemnendas, ſed ſunt potius reuerenter tractandæ: & ea intentione qua eccleſia Dei eas inſtituit dignè honorandæ. Et ſic diſcamus ab his viſibilibus mente trãſire ad inuiſibilia, à corporalibus ad ſpiritualia. Ille namque eſt finis imaginum.

Remedia contra ſpiritum blaſphemiæ.

DE blaſphemiæ tentatione, occaſione præmiſſorum eſt etiam notandum quod ipſa nouiter ad Dei ſeruitium conuerſos quandoque grauiter infeſtat, inimico humani generis, vt tales per hoc in deſperationem deducat, & à Dei ſeruitio viâque ſalutis arrepta retrahat, id agente, Deo autem (vt per huiuſmodi graues tentationes ſi eis non conſenſerint, à peccatis ſuis purgati, influente ſuæ gratiæ idonei reddantur) hoc piè permittente. Cum igitur cogitatio huiuſmodi mala horrenda, groſſa, turpis, & nefaria importunè occurrerit, non terreatur nec triſtetur perſona deuota propterea nimium, neque credat ſe propter talem à Deo derelictum, etiam quantumcunque talis cogitatio blaſphemiæ videatur eſſe contra Deum vel alicuius ſancti honorem, aut contra fidem, caſtitatem &c. Sed maiorem fiduciam ſe pertinendi ad Deum inde accipiat, dicendo corde aut ore.

Domine Deus meus grauiter & immitiſimè tolero hanc tentationem, tamen quia multum peccaui, iuſtum eſt vt multum affligat. Confidens Domine quia tam forte certamen mihi committis quod etiam inter magnos & electos tuos milites velis computare me indignum. Si igitur Domine eſt tuæ voluntatis vt hæc tentatio dura me colaphiſet, non recuſo laborem, ſed ſuppliciter rogo vt tribuas ſeruo tuo virtutem pugnandi & vincendi, ne ei vnquam in æternum conſentiam. Tu enim Deus meus ſcis creaturæ tuæ impotentiam, nec etiam ignoras inimicorum meorum, inuiſibilium inueteratam inuidiam & maliciam contra me. Et hæc orando dicat homo deuotus poterit, ſignando quoque ſe interim ſæpius ſigno ſanctæ crucis & aqua benedicta ſi affuerit ſe aſpergendo. His peractis ſit homo contentus & non curet de eis amplius multum, nec litiget vltra pro illa vice nimis cum eiſdem, ſed contemnat, & ſic citius euaneſcent à memoria. Super præmiſſis habemus exemplum de quodam monacho in eremo, qui talibus turpibus cogitationibus vexabatur viginti annis, & nemini audebat aperire tentationem hanc propter eius abominationem. Tandem tamen cuidam antiquo experto patri eam non ore ex verecundia, ſed ſcripto detexit. Qui ridens ait: Pone manum tuam ſuper caput meum quod cum ille feciſſet, ait idem pater. Super caput meum ego accipio totum iſtud peccatum tuum & omnẽ pondus eius. Non ergo tu amplius inde conſcientiam aliquam ha-

A beas. Cum autẽ monachus ſuper hoc miraretur, & cauſam huius quæreret, Reſpondit pater quærendo: Placuit ne vnquam tibi iſta turpis cogitatio? Abſit inquit ille, nam maximè mihi ſemper diſplicuit. Et ait ſanctus pater: Manifeſtum eſt ergo quod tu eam non agis, ſed eam pateris antiquo hoſte procurante, & te vt decipere tandem per deſperationem poſſet ita fatigante. Nunc ergo fili mi audi conſilium meum: Et cum iterum inuaſerit talis turpis cogitatio dic: Tibi & ſuper te inimice nequam ſit hæc tua blaſphemia, ergo nihil

B in ea habere volo, ſed Dominum Deum meum ego adoro & veneror, in ipſumque credo. Ex poſt verò iſte frater nunquam habuit amplius hãc grauem tentationem conſilio ſenis adiutus. Et notandum quod perſona deuota huiuſmodi tentationes graues non debet confiteri indifferenter cuicunque ſacerdoti quamquam plurimum literato, ne forte occaſionem deſperationis habeat propter multorum inexperientiam, ſed recurſum habeat ad viros deuotos, religioſos, diſcretos. Nec

C eſt opus in ſpeciali nimis declarare in confeſſione talem turpitudinem, ſed ſufficit ita dicere vt confeſſor intelligat mentem confitentis, & hoc pro ſemel. Si amplius vexauerit ſatis eſt eidem confeſſori amplius ſimpliciter in genere eandem dicere.

Pro illis quæ præmiſſa ſunt notetur pro regula generali, quod qualeſcunque cogitationes malæ occurrerint, ſiue ſint de carnalitate ſiue de inuidia, ira, ſuperbia &c. fiat diligentia vt ab intra eis non cõſentiatur, & vt ab extra non impleantur, &

D ſecurus erit homo quod nullo modo huiuſmodi erunt peccata mortalia, imo communiter cum eis ità reſiſtitur erunt magnæ virtutis hic, & in futuro remunerationis ſingularis materia ſeu occaſio. Ex humilitate tamen poteſt homo de eis confiteri non in ſpecie, ſed in generali, dicendo ſic: Tales malas cogitationes habui, tamen per Dei gratiam ipſe mihi nunquam placuerunt. Timeo nihilominus quod non tam citò eas impugnauerim ſicut debuiſſem, & cum Dei auxilio potuiſſem.

E Notandum autem eſt quod ſi in his adueniret (quod abſit) delectatio cum ſenſu hoc omnino expreſsè & ſpecificè eſſet confitendum, & ſi in operationem procederetur, tunc adhuc multo amplius, quia hoc foret grauius.

Huic regulæ generali videtur addendum quod ſi perſona deuota fuerit ex naturali quodammodo inclinatione nimis prona ad aliquod peccatum ſeu vitium, ſit hoc ira, inuidia malè loqui de alijs, aut aliud quodcunq;, ita vt quandoq; etiam cadat mortaliter, nullo modo propter hoc de ſpe-

F ret, ſed cordialiter de hoc doleat & confiteatur humiliter, & proponat in animo nunquam amplius ita velle peccare, etiam ſi milleſies tunc vna die ceciderit aut vltra, non tamen propterea dãnabitur, dummodo ſaltem totiens ſurrexerit quotiens ceciderit. Ante caſum igitur cogitet diuinam iuſtitiam, ſed poſt caſum diuinam miſericordiam ſemper attendat. Miſericordia enim Dei tanta eſt vt ſi homo haberet omnia peccata mundi ſuper ſe, & doleret quod cum eis tam bonũ Dominum Deum ſibi ſuperbè offendiſſet, & firmiter proponeret amplius abſtinere, Deus

talem

talem nunquam damnaret imo habemus multa exempla de pluribus ſanctis qui grauiter peccauerunt, & poſt peccata ſua propter pœnitentiam ſuam: & maximam Domini Dei noſtri dulcedinem & pietatem qua diligit humanam naturam, facti ſunt apud Deum maiores ſancti quam nonnulli ſancti qui non ſic ceciderunt. Veruntamen ſuper his nemo debet peccare. Sed poſtquam peccauit, cõfidat de Dei bonitate, & propter præmiſſa reſurgere feſtinet, & ſaluus erit. Nam Deus per os prophetæ dicit quod non velit mortẽ peccatoris. Sed iuxta veriſſimã ſancti Ioannis Chryſoſtomi ſententiam, Deus quaſi dolet cum hominem per ſuam iuſtitiam damnare debet propter hominis iniuſtitiam, ex quo homo eſt imago Dei tam nobiliter creatus & tam precioſè redemptus. Nemo ergo debet deſperare de Dei miſericordia quantumcunque etiam grauiter & innumerabiliter peccauerit, ſed toto corde doleat, quia tam dulciſſimum dominum inhonorauit propter ſua peccata, & in futurum cauere proponat, & ſic dubitare non habet quin diuina pietas ſecum miſericordiam faciat.

Eſt etiam pro regula ſeruandum, quod ſi homo in aliquod peccatum ceciderit etiam mortaliter, non tantum ſemel ſed pluries, nõ triſtetur in tantum ex hoc quod ſibiipſi grauiter indignetur inde, & aliquid mali indiſcretè ſine ſcitu & conſilio ſui confeſſoris vel ſuperioris propterea faciat ſibi, ſed cum quadam mentis libertate & cordis fiducia humiliter recurrat ad Dominum Deũ ſuum, petendo cordialiter veniam & ſe accuſando & emendationem cum diuino adiutorio in mente habendo. Faciat ergo homo iſte ſicut facere ſolent pueri nondum ſatis fortes ad ambulandum, qui cum libenter vellent ambulare, cadunt ſæpius. Et cum cecidiſſe cognoſcunt, & per ſe non poſſe reſurgere, non ſibijpſis ita indignantur, vt ſic velint iacentes permanere, ſed humiliter & fiducialiter extendunt manus ſuas ad piam matrem vt ſe releuet ex quo per ſe ſurgere nequeunt. In infinitum plus nos ſumus chari & dilecti diuinæ maieſtati quæ nos creauit & redemit, & perpetuò ſaluare diſponit, quam vnquam aliquis filius ſuæ matri carnali extiterit charus & dilectus. Recurramus ergo ad eam cum humilitate & confidentia poſt lapſum: & impoſſibile eſt vt dãnemur. Nullus autem præſumat quod velit aut poſſit per ſe ſurgere à peccatis, aut ſolius diuinæ eſt gratiæ. Caueat ergo quiſq; à ligno tantæ ſuperbiæ, nam propter ipſam ſuperbiam permittit Deus quandoque cadere hominem in peccata, in quæ non cecidiſſet ſi humiliter & timorate ſe ad Dominum Deũ ſuum & compaſſiuè ad proximum ſuum qui prius in ſimilia peccata cecidit, habuiſſet.

De malarum cogitationum cauſis atque remedijs.

QVia tactum eſt ſuperius de grauibus & abominandis tentationibus cordis ſeu cogitationum cum doctrinarum aliquarum pro earumdem remedio annotatione. Vt adhuc clarius poſſit intelligi quod dictum eſt, vt facilius poſſint inueniri remedia ſpiritualia contra morbum ſpiritualem tam peſtiferum, expedit declarare aliqualiter cauſas quantum poſſibile fuerit, & Dominus

A donauerit ex quibus ortum habeant quandoque tam turpes cogitationes. Primum itaque fieri poſſunt ex ſuggeſtione & immiſſione inuiſibilis hoſtis, qui virtutem phantaſticam & imaginatiuam ſimplicium mouet huiuſmodi abominationibus, prout fecit illi monacho viginti annis, vnde ſupra dictum eſt. Probationem huius docet experientia in nonnullis deuotis innocentibus & caſtiſſimis perſonis, quæ nunquam ab extra audierunt blaſphemias & turpitudines tales quales ab intra percipiunt. Vnde clarum eſt quod niſi ab

B hoſte inuiſibili immitterentur, minimè ſentirentur. Immiſsiones autem huiuſmodi permittit Deus fieri ad humiliandum hominem, & vt timoratus operetur ſalutem ſuam, & ad diſcendum antiqui hoſtis inſidias & vt homo eò deuotius ad diuinum auxilium recurrat. Remedium bonum eſt, vt homo faciat vt ſupra eremita docuit. Item prodeſt vt homo diuino adiutorio confidens, derideat & contemnat ſpiritum nequam & ſuperbum cum ſuis immundicijs dicendo: Immunde

C ſpiritus ſi quod poſſes amplius, etiam faceres, ergo te non curo, quia Dominum Deum meum, ne tibi vnquam conſentiam, in adiutorem inuoco. Scio perſonam quę per huiuſmodi irriſionem ſolacioſe de facili eruit ab his ſpurcicijs. Spiritus quippe ſuperbus non diu patitur ſe ita contemptui haberi. Primò fieri poſſunt huiuſmodi cogitationes turpes & abominabiles ex cauſis naturalibus ſecundum humani corporis diſpoſitionem. Primò videlicet aut ex nimia cerebri euacuatio-

D ne per ieiunia per ſtudium vel fortem imaginationem. Secundò aut ex nimia abundantia groſſi fumi cauſati ex corruptis humoribus propter cibi & potus intemperantiam, vel etiam cauſati ex certo cibo vel potu, qui licet modicè ſumptus habet naturaliter generare groſſos humores caput perturbantes. Tertiò aut ex eo quod perſona talis eſt nimis otioſa. Quartò aut exinde quod homo eſt conſuetus curioſè & incautè videre vel audire res de quibus faciliter ſumitur occaſio poſtea cogitandi nefaria. Quintò aut etiam ex inor-

E dinato & nimis continuo timore offendendi Deum, quemadmodum videmus exemplariter quod ſæpe & communiter pertranſitur lignum quantumcunq; etiam anguſtum in terra ſimpliciter poſitũ abſq; aliqua trepidatione, quod non ſic fieret ſi lignum foret in alto, aut de ſubtus haberet profundam foueam, etiam quamquam eſſet magis amplum. Nam tunc imaginatio de periculo faceret huiuſmodi timorem. Et timor conſequenter faceret caſum ex eo quod ſecundum naturales in magno timore ſanguis totus cona-

F tur iuuare partem nobiliorem corporis ſcilicet ipſum cor, recurrendo ad ipſum, & ſic cæteris membris euacuatis, homo per totum corpus quaſi ſpaſmatur & deficit viribus, vnde neceſſe eſt vt cadat. Similiter eſt exemplum de timore in tenebris. Experientia enim docente ſcimus quod in loco obſcuro vel tenebroſo, & in nocte cum videre non poſſumus quæ iuxta nos ſunt timemus naturaliter velimus aut nolimus. Ita vt etiam quandoque videatur nobis ex timore nimio (licet phantaſticè) quod videamus vel ſentiamus circa nos tetras imagines vel au-

Digitized by Google

diamus voces aut ſibilationes horribiles, cum tamen in re nihil ſit.

A

DIcamus igitur nũc ad propoſitum noſtrum quod quantum ad euacuationem cerebri, vel eius abundantiã in humoribus corruptis &c. perſona talis indiget magis conſilio expertorum artis medicinæ & bono regimine corporali, quã doctrina theologorum & ſpirituali medicamine. Sed quantum ad otioſitatem nimiam ſi ipſa fuerit in cauſa quæ omnia mala docere conſueuit, remedium principale eſt vt homo ſtudeat cogitationes ſuas beſtiales & indomitas freno rationis tenere, ne vagentur liberè ſemper quò voluerint. Et poterit hoc fieri ſi homo occupauerit ſe diuerſis exercitijs vtilibus tam ſpiritualibus quam corporalibus alternatis vicibus, dummodo tamẽ hoc fiat cum mentis quadam delectatione, & non vſque ad tædium & nauſeam in vno exercitio, alioquin cogitationes propter tædium non recederent ſed æquè vt prius & quandoque multo amplius diuagando ad alia ſe redigerent. Super his habemus exemplum de ſancto Antonio, qui quadam vice in eremo grauiter affligebatur tentatione malarum cogitationum, vnde conquerebatur Domino dicens: Domine vellem ſaluari, ſed non volunt permittere cogitationes meæ. Tunc apparens ei angelus in ſpecie eremitæ, oſtendens eidem remedium contra cogitationes huiuſmodi, nunc paululum laborando manibus, nunc genubus flexis orando deinde corpus reficiendo, poſt quieſcendo, & rurſus iterum laborando, & tandem ait: Antoni ſic facies & tu, & ſaluus eris. Vtinam attenderent bene hoc exemplum nonnullæ perſonæ quæ ſub ſpecie quaſi vacandi Deo & deuotioni nihil operari volunt manualiter, cum tamen apoſtolus dicat: Qui non laborat non manducet: Quamuis enim vacare Deo per ſpiritualia exercitia non ſit ſine labore, laborare nihilominus interdum etiam manibus expedit. Vnde contingit nonnunquam vt hoc negligentes non quidem ob corporis debilitatẽ, ſed ex deſidia & carnis voluptate deueniunt ad magna pericula ſuarum animarum non ſolum in malis cogitationibus, ſed etiam quandoq; grauioribus. Prudenter itaque & rectiſſimè religionum inſtitutores ſuis deputarunt filijs, certas horas non ſolum ad cantandum, orandum, ad meditandum &c. verum etiam ad labores manuum exteriores faciendum, prout clarè patet in regula ſancti Benedicti & aliorum approbatorum ordinum inſtitutionibus. Non eſt enim aliqua cogitatio tam turpis, tã abominabilis, mala & execranda, quam non inueniat teſtanda otioſitas. Nam cor vacantis otio, eſt ad inſtar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſeipſum, etiam vſque ad totalem ſui conſumptionem aut deſtructionem: niſi prohibeatur alicuius diligentia. Et æquè citò molit aduolantes fœdas muſcas, ſicut granorum electorũ adipes, præſertim cum ſuum ſit continuè molere & nõ quieſcere, nequaquam verò quid molat ſiue bonum ſiue malum diſcernere & eligere poteſt, niſi regentis prouidentia aliter curet diſponere. Si cui exempla præmiſſa pro vitando otio non ſufficiunt, attendat etiam quod ipſi fratres Carthuſienſes qui plus cæteris religioſis quieti contemplationis & ſpiritualibus exercitijs deputari videtur, habent (prout intellexi) certas horas quibus corporalibus intendunt operibus ſecretè & ſine ſtrepitu in ſuis cellis, ſit hoc ſcribendo, libros ligando, corruptos emẽdando, hortulos ſuos colendo, aut cætera huiuſmodi exteriora pro loco & tempore congruo faciendo. Quippe conſiderantes quod ſpiritualibus ſemper intendere non ſinit humana fragilitas religioſi, ſi quandoque corporalia exercent vt vitetur periculoſa otioſitas. Atteſtatur prædictis diuina ſcriptura quomodo non ſolum periculoſum, ſed etiã damnoſum ſit otium de Sodomitis qui peſſimi peccatores nominantur, & inter cæteras cauſas quæ eas ad tantum perduxerunt malum commemoratur (niſi fallor) ipſum otium. Addendum propter præmiſſa eſt, quod licet quaſi omnibus generaliter ſit periculoſum ſimpliciter velle intendere contemplationis quieti, & non labori quandoq; intendere manuali, ſpecialiter tamen videtur hoc pernicioſum iuuenibus perſonis, & ſi non omnibus, tamen multis, maximè propter naturalis coloris in ipſis exceſſiuum dominium ac etiam propter eorum indiſcretionem & inexperientiam, quæ diuturnitate temporis remouentur, imo etiã propter præſumptionem quæ ſatis connata eſſe conſueuit iuuentuti. Vnde ad magna poſſent peruenire iuuenes animarum pericula, ſic non quandoque & ſæpius corporalibus exercitarẽtur operibus. Nulli tamen dubium quin contingat iuuenes quandoque præmultis ſenibus contemplationi inueniri magis idoneos, quamquam de cõmuni curſu id negandum videatur. Inueniuntur nãq; iuuenes vel ex naturali diſpoſitione, vel ex bono regimine, vel ex ſingulari dono diuinæ gratiæ quietiſſimi, & ad exteriora quaſi in nullo inclinati, ſed totaliter penè deuotioni dediti. Inueniuntur etiam inueterati dierum malorum, in quibus quaſi nulla mentis eſt ſtabilitas, nec animi tranquillitas, nec cordis deuotio, ſed ex mala conſuetudine paſſionibus vitioſis abundantes, & penè in nullo mortificati, nihil aliud quam quæ penè carnis ſunt, ſapiũt. Quis ergo dubitet quin illi iuuenes ad vacandum Deo plus ſint apti, quam iſti ſenes? Et ne quis murmuret attẽdatur quod ſunt (ſcriptura teſte) pueri centum annorum, & ſunt adoleſcentes non contemnendi, qui poſteri priorum vitam moribus tranſcenderunt. Hæc remedia data contra malas cogitationes dum cauſam habuerint ex otio, valent etiam ſi cauſatę fuerint ex nimio & inordinato timore offẽdẽdi Deum. Occupatus namq; diuerſis exercitijs facilius obliuiſcetur timoris huiuſmodi, quam vacans continuo otio, remedium nihilominus contra eãdem cauſam efficax eſt, vt homo cogitet potius diuinam miſericordiam, quam Dei iuſtitiam, & cum quadam mentis libertate fiducialiter ſe totũ proijciat in abyſſum diuinæ bonitatis & clementiæ dicendo. Domine quamquam multa & magna ſit mea iniquitas, vnde meritò te timere habeo, ſcio tamẽ quod multo eſt maior tua pietas quia eſt infinita, vnde multo amplius in te confidere volo. Aufer ergo à me Deus meus nimium timorẽ ſeruilẽ, & confirma me in timore tuo filiali, quo magis te cordialiter diligam quã nimis vehemẽter timeam.

Digitized by Google

meã. Si autẽ cõſuetudo mala & curioſitas intẽdendi illis de quibus facile occaſiones malorum oriri poſſunt, fuerit in cauſa tam turpium & iniquarum cogitationum, remedium difficilius poterit inueniri, quia ſemper inquieta & famelica ſolet eſſe curioſitas in molis enutrita & conſueta. Remedium tamen hoc eſt vt ſupra vt homo occupet ſe vtilibus vitando otium. Et cuſtodiat ſe à videndis, audiendis, loquendis & tangendis noxijs, & non dando occaſionibus peccatorum locum. Etiam valet vt homo cum ſenſerit ſe inuadi talibus cogitationibus, ſtatim quaſi cum violentia reuocet mentem ſuam inde & applicet ad alia. Etiam ſi milleſies vna die hominem inuaſerint, milleſies homo ſe ab eis auertat, ſignando ſe ſigno ſanctæ crucis, ſuſpirando ad Deum, inuocando noſtram dominicam & ſanctum angelum cuſtodem ſuum cæteroſque ſanctos, quos in ſpeciali habet veneratione & dilectione. Vel ſi hæc omnia non proſint, infligat homo ſibijpſi aliquẽ dolorẽ per flagella aut aliàs, ſalua tamen diſcretione. Et ſi nec adhuc ſic pax fuerit, nihil melius eſt niſi vt tunc homo contemnat tales ſpurcitias & faciat ſicuti faceret ſi quis ſibi diceret vel oſtenderet aliqua quæ ipſe audire vel videre dedignaretur. Tunc enim quaſi cum indignatione auerteret & aures & oculos, & conuerteret ſe ad alia, etiam quantumcunque alius loqueretur ſeu modo mõſtraret quæ ſibi non placerent, ſic & hic fiat. Si autem nec ſic infernales tales muſcæ pungitiuæ pacem permiſerint, optimum remedium eſt vt homo nihil de eis amplius curet, ſed ſub diuina confidentia patientiam habeat, & ſit ſecurus quod non eum nocebunt non ſolum, immo & ad magnam coronam eidem proderunt.

Quatuor generalia documenta contra malas cogitationes.

PRo pleniori intellectu eorum quæ dicta ſunt & pro faciliori remedio conſequendo, cõtra tam groſſas & ruſticanas tentationes cogitationum ponamus aliqua documenta breuiter. Quorum primum eſt iſtud. Periculoſiſſimum eſt cum quis ſe dare vult ad deuotionem & ad ſpiritualia exercitia ſi non ſcit ſcripturas, nec habet bonum directorem, conſiliarium fidelem, expertum, deuotum & diſcretum, Deum timentem, de quo audeat & poſſit totaliter confidere & cõſcientiæ ſuę ſecreta ex toto eidem reuelare, alioquin enim cõtinget talem perſonam facilius & periculoſius errare à vera via ſalutis, quam aliquem qui communi ſecularium fidelium graditur via. Exemplum ſuper hoc habemus in vitis patrum. Nam dicebat quidam ſanctus pater: Si videris iuuenem per ſe volentem intrare paradiſum.i. ſine doctore, etiam ſi iam vnum habuerit pedem in paradiſo, retrahe ipſum infra per alium pedem, quia ſic nũquam intrare poterit.

Secundum documentum eſt: poſtquam perſoſona deuota expoſuit ſuo patri ſpirituali illam tẽtationem villanam verbis generalibus, non eſt neceſſarium de ea vltra in ſpeciali aliquid dicere, niſi forte in illum finem vt melius intelligi poſſit ex qua cauſa ſit orta, & vt ex conſequenti conueniẽtius poſſit dari remedium. Non tamen adhuc fieri debet hoc frequẽter, qui enim pręſumeret A liberari ſe ab huiuſmodi tẽtatione graui per cõfeſſionis & manifeſtationis reiterationem nimiam, erraret valde. Nam experientia docente frequenter habiturus eſſet peius ex hoc. Attendatur ergo prout ſupra tactum eſt, quod nõ eſt neceſſarium, vt inde quis confiteatur, eò quod non eſt peccatum niſi forſitan ipſa perſona eſſet in culpa ex vna quinque cauſarum ſuperius expreſſarum. Tunc enim poterit fieri ita vt petat conſilium & auxilium à confeſſore, & vt veniam conſequi mereatur de occaſione pręſtita tam abominabili tentaB tationi vt puta ſi videlicet ipſæ perſona deuota conſueta eſſet nimis vacare otio aut curioſitati, aut quia nimis ieiunaſſet indiſcretè aut quia nimis in cibo & potu exceſſiſſet. De his bene poteſt fieri confeſſio, aut etiam extra confeſſionem peti conſilium, abſque tamen ſpeciali & aperta manifeſtatione talis blaſphemiæ quæ ipſam perſonam vexat.

Tertium documentum eſt, vt diligentiſſimè ab omnibus caueatur ne quis aliquo modo quicquã C dicat aut faciat vel ſcriptis vel picturis vel geſtibus vel figuris quibuſlibet coram vtriuſq; ſexus pueris ſiue iuuenibus, vnde poſſit in eis cauſari poſtmodum huiuſmodi nefariæ aut aliarum quarumcunq; turpium cogitationum incentiuum. Prout prohdolor nonnulli facere non verentur qui ſine omni neceſſitate & ex mera ſua carnalitate ſeu animi leuitate loquuntur audacter de ſecretis matrimonij, aut contra fidem contra Deum eiuſque ſanctam humanitatem, vel cõtra ſanctos per moD dum ioci, vel àlias leuiter coram puellis & iuuenibus, aut per turpes picturas aut per geſtus laſciuos innocentum corrumpunt corda. Aut qui caniculos vel cattos aut pullos vel alias beſtias laſciuientes & ad laſciuias & turpes cogitatus de facili inſpicientium animos prouocare valentes nutriũt, & ab huiuſmodi talium viſu, auditu & tactu pueros & puellas innocentes non cautè cuſtodiunt, ſed ſine omni verecundia corã eis cum his turpia fieri permittunt in magnum ſuum & talium innocentum periculum animarum. De facili namE que pueri etiam innocentiſſimi occaſione ex huiuſmodi nefandorum auditu, viſu, tactu vel &c. data cogitabunt inimico cooperante vtinam nõ ex cogitatione etiam opere poſtmodum compleant, quæ loqui non licet. Sed dimittamus illa & veniamus ad alia. Quartum documentum eſt, tentatio illa grauis & turpis blaſphemiæ ſeu quæcunque alia quæ in ſola cogitatione adhuc verſatur vincitur, vt communiter melius eam contemnendo, obliuioni tradendo, & ſe de ea excutiẽdo F & ad alia fortiter mentem retrahendo, quam multum cum ipſa litigando, repugnando & diſputando. Ratio efficax eſt huius, de quanto enim nititur quis ſufflando fortiter extinguere magnũ ignem, de tanto ignis amplius inflammeſcit vehementius & augetur citius. Similiter eſt de potentia hominis imaginatiua ſiue virtute phantaſtica, quia quanto magis aliqua ſpecie apprehẽſiua per cogitationes compugnantes fricatur & mouetur tanto fortius in ipſis figitur & indebilius fortificatur. Nihil ergo conſultius niſi vt tranſeantur faciliter in his, & non nimis immobiliter, & quaſi ex directo eis repugnetur, ſed quaſi ex aduerſo

per indirectum alia videlicet in cogitatu fortiter apprehendendo. Et vt breuiter remedium breue dicam aqua pœnitentiæ in lachrymis corporis & gemitus ſpiritus in contritione cordis pro peccatis hanc malam tentationem & quamcunque aliam maculam animæ efficacius abluit, purgat, & extinguit experto credatur, ſi tamen (vt ſupra monuimus) diſcretio non deſit, ita vt caput, ſenſus & ratio non lædantur. Et dummodo firma ſpes de Dei miſericordia non abſit, ita vt ex nimio timore offenſionis diuinæ in deſperationis voraginem non labatur, deficimus quippe ex nobis in cunctis, ſed non vſquequaque ad perditionem gratiæ Dei. Ipſe enim nouit ſuſtentare noſtram ſufficientiam & infirmitatem plus quam pater & mater qui nos ſecundum carnem genuerunt, dummodo nos noluerimus ſponte declinare extra eius confidentiam & diuinam charitatem.

Finis.

DOCVMENTVM NOTABILE EIVSDEM CANCELLARII *de ſacramento altaris.*

QVI eſurientes implet bonis iuſſit nos orare tanquam pauperes & mendicos ſed filios à patre qui eſt in cœlis, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Tu da qui verè es amicus ille euangelicus ad quem eundum eſt media nocte præſentis miſeriæ, petendo, quærendo, pulſando: Cõmoda mihi tres panes, commoda hoc eſt cum modo da, vel commode da .i. ad commodum da. Quoniam amicus meus venit de via, vt ponam ante illum. Amicus veniens de via, poteſt intelligi vel ſpiritus proprius ab euagatione ſe colligens vel noſter proximus viuus aut mortuus ſuffragijs indigens vel ipſe Chriſtus ad oſtium ſtans & pulsãs & cœnare volens. Amicus autem eſt ipſe Deus ad hominem tripliciter. Vno modo ſicut dominans ad liberum ſubditum. Alio modo ſicut parens ad filium delicatum. Tertio non ſicut ſponſus gerens ſe ſicut philocaptum ſeu inamoratum, gallicè *amy par amours* quod ſonat dilectus ex dilecto. Amicus autem iſte propriè potens commodare, à quo omnem donum fontaliter & initiatiuè, liberaliter & irreditiuè, indeuiabiliter & terminatiuè quaſi circulo quodam intelligibili, vnde fit vt repetant proprios quæque recurſus, nec manet vlli traditus ordo niſi quod fini iunxerit ortum, ſubtilémque ſui fecerit orbem. Amicus autem veniens de via, quos panes alios petere poteſt quam corporales ſpirituales & ſacramentales, & hæc omnia ſunt vnus panis vnus Dominus & trinus, qui ſolus eſt panis ſecundum veram nominis interpretationem. Panis enim dicitur à pan quod eſt totum. Et quid totum niſi ſolus Deus? Sicut & nihil aliud perfectum eſt, qui eſt omne bonum, iuxta illud dictum Moyſi: Oſtendam tibi omne bonum. Propterea vt ad compendium veniamus, panis ſacramentalis ſolus & propriè dicendus eſt quotidianus & ſuperſubſtantialis qui noſter eſt, nobis mirabiliter ſuper omnem æſtimationem vtiliter miniſtratus. Miniſtratur A itaque ſicut hoſtia & oblatio, ſicut communio & incorporatio, ſicut viaticum & refectio. Et recipitur ad inhabitationem, conſecrationem & ſanctificationem recipitur ad ſui transformationem & vnionem, recipitur ad nutritionem & oblectationem. Et hæc omnia per excellentiam omnimodam, quoniam excedit omnes hoſtias oblationes & holocauſta veteris & nouæ legis quantumcunque multiplicatas. Copulat inſuper omnia eccleſiæ membra influens motum & ſenſum B meritorum & virtutum vt fiant cor vnum & anima vna & vnum corpus in Domino. Extendit ſe denique ad refectionem ſeu reparationem omnis virtutis tam corporalis quam ſpiritualis prout neceſſe eſt, & ſicut petimus dicentes panem noſtrũ quotidianum & ſuperſubſtantialẽ (vt ait Matth.) da nobis hodie. Et dat profectò amico petenti, quærenti, pulſanti perſeueranter quotquot habet neceſſarios, ſicut ille qui verus & ſolus amicus & adiutor eſt in opportunitatibus in tribulatione C qui dixit: Nunquid poteſt mater obliuiſci filij vteri ſui vt non miſereatur eius? etſi illa fuerit oblita non tamen obliuiſcar vos. Et rurſus, ſi noſtis bona dare filijs veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

Tripliciter autem offertur panis iſte ſacramentaliter. Primò in perſona totius eccleſiæ pro ſua generali refectione. Secundò in perſona propria ſacerdotis & debita miniſtratione. Tertiò in perſona conferentium ſtipendia pro miniſtri ſuſtentatione. Rurſus offertur ſicut ſatiſfactio pro pœnis D & vt deletiua maculæ venialis & vt imperatiua gratiæ primitialis. Offerentis autem intentio habitualis bona eſt, virtualis melior, actualis optima. Oblatio ſimiliter ſi fiat abſque conſcientia peccati mortalis & alterius impedimenti legitimi, licet cum ſcrupulo & tepore bene fit. Si ſine ſcrupulo & cum feruore, melius fit. Si cum exultatione ſpiritus & iubilatione optimè fit. Sic enim dicitur de primitiuis eccleſiæ diſcipulis perſeuerantibus in communicatione fractionis panis. Actuum 2. quod ſumebant cibum cum exul- E tatione & ſimplicitate cordis, & hoc quoad ſe collaudantes Deum & habentes gratiam & omnem plebem, & hoc quoad Deum & proximum. Sequitur fructus: Dominus autem augebat qui ſalui fierent quotidie in idipſum. Sumendus eſt panis iſte iubente Chriſto, qui eſt panis ipſe, in memoriam ſui. Et hoc tripliciter fieri poteſt. Quamuis ſi Chriſtum ſecundum carnem cognouerimus non tamen ſecundum carnem cognoſcimus ſupple tanquam moriturum, nihilominus in lumine fidei reuoluentes oculos ad ea quæ pro F nobis ſuſcipere dignatus eſt, conſideramus infantiam & omnem vſq; ad triceſimum annum conuerſationem pro refectione lactea concupiſcibilis. Conſideramus prædicationem pro illuminatione rationalis, conſideramus paſſionem pro ſtabilitione & exaltatione iraſcibilis. Dubitat forſan aliquis maximè peccator conſcius immundiciæ & iniquitatis ſuæ, pergere ad amicum qui reſpicit terram & facit eam tremere, Deum vltionum, Deum terribilem ſuper omnes deos, reformidabit dicere: Amice commoda mihi tres panes. Venit iſta conſideratio cuidam ex deſiderantibus

Deum

Digitized by Google

Deum & quaſi complectens diceret: Deus cordis mei Deus amor & deſiderium, Deus dulcis amor meus. Repreſſit ſe cõtinuò reuolutus in indignitatem & paruitatem ſuam. Sed agente ſpiritu qui ſtimulabat cor, recepit non in ſe amante, ſed in Deo ſpem reponens. Conſiderauit amorem dici nedum paſſiuè ſed actiuè & vidit quod nullus vnquam amator vel amor actiuè & inſaniſſimus & philocaptus præ amore tantundem amauit affectu & effectu, quam amoroſiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus dilectionis animam rationalem amauit, ſit illa peccatrix, ſit ſaluata, & quid diſtinguit peccatricem à ſaluata. Omnes enim peccauerunt & eguerunt gratia Dei. Neque prius dileximus eum, ſed prior dilexit me, inquit apoſtolus, & tradidit ſemetipſum pro me, non ex operibus. Neque minus ideo quia pro multis, ſed neq; minus pro non ſaluatis, immo tanto magis quodammodo quò plus doluit pro talibus & de talibus propter quorum ingratitudinem quia non receperunt eum vel infidelitatem mors ſua glorioſa de ſe ſufficiens efficaciam non eſt conſecuta. Conſideres obſecro tu quiſquis es egens triplici pane vnico, quod eſt verbũ Dei, conſideres quanta fiducia ibis media nocte ad amicũ iſtũ quo maiorem charitatẽ nemo habet, & hoc media quadam nocte ſub vmbraculo ſpecierum ſacramentalium ſub nebula, in cuius feſtinatione eſt medicina omnium. Et dices ad eum: Amice. Nunquid non verus amicus & ſolus amicus ille fuit & eſt, qui prior dilexit te, qui tradidit ſemetipſum pro te, qui de captiuitate & morte perpetua redemit te, non gratis ſed proprio ſanguine, qui iuſſit diligi ſe, pollicens inæſtimabile præmiũ ſi facias, comminans horribile ſupplicium, ſi renuas? Si vendere vis amorem tuum, emit illum, quaſi recogitans illud amatorium: Si vis amari, ama. Si gratis præſtare volueris, nullus inuenietur dignior in quo tuum reponas amorem. Quiſquis hæc recogitauit alto & fideli animo non poterit non amare amorem ſuum talem qui pure gratus eſt ex amore, non ex meritis vel vtilitate vel oblectatione, ſed ſolus amor per amorem prout Salomon dictus eſt amabilis Domino, non quia mereretur qui tanta demeruit, nec (vt dicitur) pro ſuis pulchris oculis, ſed gratuito prorſus amore præueniente nec aliud præter amorem quærente. Tu fac & redde ſimiliter, ama amantem te, & ſi non pari affectu, nec affatu, nec effectu. Fac quod tuum eſt, deſidera, & ſi deſiderare non ſufficis deſidera deſiderare & concupiſcere, quoniam, deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Fiet vt aliquando cor accenſum inflammetur amore & ita lucebit & radiabit latiſſimè amor tuus ambiẽs totã ſpheram actiuitatis tuæ, nedum vſq, ad cœlum, ſed etiam ſupra cœlum cœlorum. Dices ex ſententia illud amatricis inſanæ, ſed cupiẽtis:

Ille meos primus qui me ſibi iunxit amores.
Abſtulit, ille habeat ſecum ſeruetque ſepulchro.

Primus itaque qui ſibi te iunxit quis alius fuit niſi creator tuus? Quid enim prius merueras? Habeat ille amores tuos primus & ſolus ſecum & tuo ſuóque ſeruet ſepulchro, exhibiturus eos vbi non habebit finem amor. Transfer ad te vulgare carmen illud non petulanter, ſed vtiliter.

A mes premieres amours ie me tiendray,

A hoc eſt: Ego me referam vel reducam ad primos amores meos. Vide quæſo fuerint primi amores tui præterquam illius de quo apoſtolus: Deus autem qui diues eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos cum eſſemus mortui peccatis conuiuificauit nos Chriſto. Conſequenter adaptari poſſunt conſiderationes variæ circa panem hunc ſacramẽtalem & ſuperſubſtantialẽ ſub diuerſis ſimilibus & ſymbolis ſub quadã inconnexione connexis, ſicut omnia quæ fiunt in mundo reducuntur ad monadem qui eſt vnus
B Deus. Noſtrum hic & nunc æternitatis & temporis centrum. ſ. æternitatis quod vbique eſt & circumferentia nuſquam. Et poſtremò qui perſeuerauerit pulſans dabit amicus panes quotquot habet neceſſarios, qui profectò omnes quotquot ſunt, ſunt vnum neceſſarium quod eſt res huius ſacramenti, vnitas videlicet corporis myſtici, qua fit vt vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Vnam hanc petebat Dauid à Domino
C quod particeps eſſet omnium timentium. Beatus qui manducat hunc panem in regno cœlorum quod eſt eccleſia, qui panis eſt angelorum, non ſacramentaliter vt nobis, ſed ſpiritualiter & conformitate, & ſi non ſpecifica, quoniam angelos Chriſtus non apprehendit, conformitas tamen eſt in genere intellectualiter naturæ, quam in humanitate ſuſcepit Chriſtus hoc eſt ad ſe cepit in incarnatione, ſed & quotidie ſuſcipit comedentem ſe, non tanquam cibum carnis, ſed ſpiritus,
D qui in Deum ſuo modo conuertitur, & fit vnus cum Deo ſpiritus. Propterea voluit in ſcripturis beatitudinem Chriſtus ſignificare ſub comeſtionis nomine. Non enim eſt cõiunctio proximior, realior & intimior quam cibi ad cibatum. Verius ergo Chriſtus comedit nos, ſuſcipit nos, & continet in hoc ſacramento quam nos ipſum. Exemplo formæ atque materiæ, quamuis ibi ſit reciprocatio mirabilis, quia viciſſim vnum eſt in altero, qua verificatur illud Chriſti: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me
E manet & ego in eo. Hoc eſt exœnium ſingulare quod ſacerdos celebrans dat eccleſiæ tam in corpore quam in mẽbris. Beatus igitur qui celebrat, maximè ſi non expertẽ ſe fecerit per indignationem tanti doni quod amicus non ſolum cõmodat vt petebatur quaſi reddendum, ſed dat poſſidendum, nec ad ternarium coarctat, ſed ad omnem prorſus neceſſitatem dat ſufficienter & accumulat, quia merita ſupplicantium excedit & vota. Finaliter ſi gratiam dicit ſapiens vnus, eſſe paradiſum in benedictionibus, nunquid non eu-
F chariſtia quæ per excellentiam dicitur bona gratia, ritè dicetur erit paradiſus? Eſt igitur recipiens euchariſtiam particeps illius ſuperadmirandæ dignitatis promiſſi particeps quod Dominus petenti latroni, Domine memento mei dum veneris in regnum tuum, iureiurãdo dixit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Vbi papa, ibi Roma, vbi rex, ibi regnum. Gaudeat idcirco ſacerdos, & tantæ fœlicitati non ingratus nec abijciat gratiam Dei quæ nutrix eſt omnium, vt dicit alter ſapiens, & de qua apoſtolus: Gratia Dei vita æterna. Sit illud hodie hic & nunc temporis per

Digitized by Google

ſpem & ſubarrationem,& hic & nunc ęternitatis per finalem animæ perſeuerantis aſſecutionem.

Finis.

SEQVVNTVR EPISTOLÆ QVÆDAM EIVSDEM CANCELLARII.

DVM placuit humili charitati reuerendiſſimi patris ac præceptoris mei præcipui, quem circumſpectione & diſcretione fideliſſima præditum eſſe nullus negat qui eũ cognouerit. Is eſt Cameracenſis epiſcopus, dum inquam ſibi placuit dicere me ad viſitandum te & domum veſtram. Tandem inter multa conuertam cum Domino priore veſtro & tecum vt mutuo ſuper ſtatu germani noſtri nouitij ſcriberemus, quæ inquirenda cognoſcendáq; videntur. Nam ea lex eſt vt vel ſermone vel ſcripto libenter ſe viſitent, ſe inſtruant ſe ſolentur amici. Ego præterea iure meo mihi videbar rationabiliter vſurpare magiſterium aliquod iudicãdi de ſtatu ſuo tam per experientias proprias, quam per inſtructiones acquiſitum iam vſque ad propinquam ætatem ſenectutis, ſi conditiones eiuſdem fratris, ſi tentationes inſuper aut motiones circa ſuum propoſitum emergẽtes eodem fraternaliter reuelante cognoſcerem. Ita enim compoſita eſt hominum natura, ſicut ponitur apud Terentium, vt melius aliena quam noſtra videmus, quod maximè locum habet in adoleſcentibus inexpertis, qui de ſe ſibi citò mẽtiuntur neſcientes, qui præterea ſuam ægritudinem animorum credunt frequenter ſanitatem magnam eſſe, vſqueadeo vt iraſcantur volentibus eorum curam gerere & non acquieſcant monitoribus niſi omnia dixerint quæ in eorum verſantur corde. Fit amplius vt ſępe docendi, inſtruendi, conſulendi ſententias, adaptandi magiſterium præſumant etiam apud incomparabiliter ſeniores & expertos, non aliter quam ſi ægrotus aliquis doceat medicum quomodo curandus ab eo ſit, & qui medicamentis quibuſue modis & regulis ac dictis ſubleuandus. Intellige frater quæ dico, res talis apud me pridem incepta continuatur, abijcior, doceor, nolo plura dicere. Nunc verò ſi ita eſt frater vt indignus ſim, inſipiens ſim, reprobus ſim, neſciens quippiam, iudicet me ſecundum iudicium diligentium nomen ſuum. Si autem alter ſentis, noli obſecro dare ſollicitæ charitati meæ repulſas iam acerbas, noli tibi tuæque opinioni affectæ ad religionem propriam ſic inniti vt lędas ſponte eum qui te diligit in veritate. Sit pectus tuum tam dilatatum vt duos fratres ſimul recipiat alterum & me, coanguſtatum eſſe nimis ſtratum cordis tui ſi ab eodẽ cadere me neceſſe eſt, ſed nec neceſſe, nec oportunum, nec etiam volũtarium ſcio hoc, & ſi ita loquor, verumtamen vocem operis huius voluntarię dilectionis indicatricem exigo. Communicemus vt amantes ſi amantes.

At verò forſitan obijcies immo obijcies certè: Turbant hæ litteræ tuæ fratrem noſtrum, inquietant eum, ſurripiunt ab eo ſomnum, phantaſias importunas gignunt, quamobrem dimittatur ſibi ipſi & Deo, relinquatur conſcientiæ ſuæ, quid A oportet eius ſecreta rimari quid neceſſe eſt quieſcere volentem de ſcriptis alloqui? Videris frater quid iam reſponderim. Volo ſicut amicus & frater vel conſolari vel gaudere cum gaudẽte & flerẽ cum flente. Aut deſidero velut magis expertus & inſtructus viarum diuerticula & offendicula tentationum diſcutiendo docere & docendo diſcutere, præſertim dum adhuc eſt in biuio, quid expedit ſibi & ſaluti ſuæ conſideratis circunſtantijs, quis qui non attendit, facillimè decipitur ſub ſpecie boni in genere quod peſſimum reddi poteſt. B Ecce iam accipio quod grauiſſimis torquetur in ſomnijs. Hanc vtique moleſtiam reuerendus pater antedictus & ego, ſibi maximè pertimeſcimus, quam tamen in ſæculo ſibi contigiſſe non memini. Et ô ſalutifer Chriſte, quid ſibi futurum eſt ægrotanti & ſeneſcenti, ſi adhuc ſano iuueni & vegeto talis cruciatus obcurrit? Cruciatus quo nullus poteſt reddere ipſum magis hebetẽ in ingenio, fluidum in memoria, turbatum in rationis iudicio, & generaliter ineptiſſimum ad omnia. C Nam parum refert amania vel furia talis turbatio. Ecce quid efficiet ſollicitudo tua & tuorum preces, ſi de ſano & ingenioſo reddit ſtolidum & inſanum?

Abſit inquies, vt hoc nos vnquam videre contingat. Et abſit obſecro, nihilominus nequeo ſuper hoc non extimeſcere præſertim dum hocipſum quod formidabam, in poſterum accidit tam velociter. Non accidit inquies, ex religionis arctitudine vel conditione, ſed literarũ pulueres hanc D ſtimulationem ſuis aculeis attulerunt, has voluit & reuoluit inuitus, nec à memoriæ domo poteſt eas vlla diligentiæ manu ſecludere. Ingerunt ſe nolenti & intellectui ſuo roſtra figunt, hinc illa capitis turbatio, hinc ſomni carentia, hinc cerebri vertiginoſa rotatio.

Hæc te dicturum fore nunquam æſtimaſſet iudicium quod de te déque tua iam in religione experientia teneo, ſi non ita per expreſſum ſcripta notaſſet. Verumtamen attende frater ſi ſolæ tales litteræ binæ vel trinę ſufficerent verecundum iu E uenem diſciplinatum, ſolitum audire longè grauiora, in talem defectum inducere niſi ieiunium arctum, vigiliæ ſupra modum, orationis vocalis exercitium ingens, atque lecti duricies, & ſimilia concurrant, nec allegaueris alios qui ſimilia agentes, nequaquam ſimilia patiuntur. Siquidem poteſt meminiſſe quid reuerendus pater prædictus & ego diximus tibi ſuper hoc, & ibi prænotabamus. Sunt enim complexiones diuerſæ hominũ, ſunt vocationes Dei ſimiliter variæ, ſunt ſicut in F corpore vero ita & in myſtico membra non eundem actum habentia; aliud oculos, aliud manus, aliud nares. Sic alius ad intelligentiam ſcripturarum, aliud ad vigilias orationum, alius ſic, & alius ſic vocatus eſt. Scio de meipſo, quia ſi vigilare qualiter vigilant multi compelleret, parum vel nihil differrem ab inſano cum auentagio iam habito ſicut vulgo dicitur. Denique ſuper hac conſiderationis radice fundantur omnes articuli & ſimiles quales verè ſcripſi & ſalubriter venerint attendendi in profeſſione religionis conſumenda. Hæc interim frater dilectiſſime malui tibi ſcribere quã alteri germano noſtro, quatenus

ſatis-

ſatisfacerem ſicut & frater indulgentiſſimus delicato adhuc filio & fratri. Petiuit itaque ne ſcriberem aliquid vlterius, immo obteſtatus eſt quam iuſtè videritis omnes vos & quam diſcrete. Nolo tamen contriſtari eum, nolo aliquid diutius, etſi iure meo id poſſe viderer requirere. Si nihil impedit quietem ſuam, neque turbaturum eſt pręter litteras meas ego ſponte immo cupidè derelinquas illas. Sed apud me profectò caret hoc probabili reſponſione.

Poſtremò frater obſecro te cum tuis per communem fidei Chriſtianæ religionem, quam profeſſi ſumus omnes ſub abbate Chriſto in baptiſmo, & in qua ſufficienter ſtat ſalus omnis carnis, per communem inſuper matrem omnium charitatem, quæ finis eſt omnis legis, ſiquidem etiam germana ſanguinis affinitas te mouet ad compaſſionem diſcretam atq; laudabilem, tu miſericorditer age cum hoc germano noſtro, miſericorditer autem ages ſi diſcretè. Diſcretè verò id agere non poteris ſi propria & libidinoſa te & tua tuos affectio ſic te obſideat, vt aliorum à te conſilia non recipias, monita contemnas, aut contemnenda ſuadeas. Si denique nullis difficultatibus vel accidentalibus præſentibus aut veriſimiliter futuris nequaquam poſſis ab incepto de profeſſione fratris iudicio deterreri. Bene vale frater intime cordis mei, memor mei in orationibus tuis. Et de ſtatu tuo tuorúmque maximè huius nouitij fratris aliquid dignum & verum reſcribere non pigeat, polliceor omnia ſic recepturum & interpretatum qualiter ego mea recipi interpretarique requiro.

Alia epiſtola eiuſdem.

FRater ſecundum carnem germane, in Chriſti, tamen charitate germanior. Salus & benedictio ſuper te. Tardiores ad te quam ſperabam veniunt literulæ meæ, non quia tui oblitus ſum, ſcit veritas, ſed obſtitit irruens aliorum negotiorum turba, quæ ad ſe me trahens, adduxit à te. Nunc dato paululum ad reſpirandum ſpacio, valefactio curis alijs, & tibi qui animum meum prorſus habes, manum & calamum præſto.

Fatebor in primis molliciem animi mei indicatricem, quam non ſatis adhuc ſim capax & amator cœleſtium, quantum prætereа tentator non deeſt mihi ſicut nec tibi ſcio, nec vlli penitus mortalium, cuius vita eſt tentatio ſuper terram. Itaque frater poſtquam ab illa angelica ſocietate in humanis corporibus exiſtente, cui feliciter adiunctus es, ſeparati ſumus nos illi quos vidiſti, ſenſi equidem tum in via tum Pariſijs teneritudinem erga te quendam in corde meo vltra quam aliàs ſim expertus. Viſa eſt mihi tunc abſentia tua oneroſior & ſors durior ſupra ſolitum. Gemebam ad te vt bos ſeparatus à compare ſuo. Dilaniabat inſuper & non abſque ſenſu magno doloris quodammodo lacerabat animam meam euultio ſeparatióque tui à me. Atque inter cogitandum & loquendum de te percurrebant non vocatę lachrymæ ad oculos & ægre mihi erat. Coarguebam me vitio inſecretis animæ meæ, increpabam quoque ipſam hanc eneruationem meam ſtultam quæ condolebat felici tuo ſtatui cui congaudere ſciebam eſſe iuſtius. Sciebam dixerim quoniam me
A ſciebam, quando ſcilicet ad me rediens dicebam in lumine fidei & experientiæ quod nihil eſt vità præſens, quemadmodum ipſa eſt ad modicum parens, & omnis caro velut fœnum & omnis gloria eius quaſi flos fœni, & multa ſimilia exinde conſiderabam. Conſurgens intrabam ſanctuariũ Dei, & conſiderabam viuaciter nouiſſima iuſtorum dies antiquos & annos æternos. Tunc verò tu mihi felix pro quanto felicitatem hic ſpes inchoat, tu ſalubriter poſitus, tu in portu quadam
B ſecularium fluctuum atq; procellarum nauigare videbaris. Magnificauit anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Ita frater mihi erat dum bene erat & dominabatur ratio. Sed ex aduerſo viciſſim de repente inſurgebat tumultus ingẽs carnalium affectionum, quę tuam apud me obiectabant imbecillitatem in corpore, pœnam intolerabilem in auſteritate religionis tuæ conclamabant. Quærulabatur apud me de meipſo ſenſualitas ſtolida, me durum increpans, me culpabilem inſuſurrans, quod parum
C fraternaliter & piè olim te tractaſſem, & tunc velut vnum ex aduenis & extraneis à me procul abijcerem. Fuiſſet inquit, neceſſaria tibi & iocunda ſocietas eius, fuiſſet etiam ſibi cum ſalute animæ ſuæ tecum minor aſperitas vitæ. Ita perſtrepebat in auribus meis ſenſualitas improba quæ cæca eſt tantummodo præſentia vix aſpiciens, & de ſola corporis voluptate curam habens. Ita felicitatem alienæ ſortis miſeram ſuadebat, non aduertens ipſa quam miſera & miſerabilis & pauper & cæca & nuda ſors propria.

D Faſſus ſum tamen & repeto quod eius vocibus grauiter impellebar & parum aberat quin in ſuã me traduceret ſententiam. Sed obnitebatur ſicut Deo propicio iugiter ratio fide illuminata. Hæc tibi tuóque ſtatui congratulabatur vehementer & de meo congemiſcit nec fallitur. Hæc non moleſtiam tui corporis, non abdicationem ſordidæ voluptatis, non ieiuniorum vigiliarumque extenuatione, non frigus aut æſtum conſiderat, vt talia in te deploret, defleret potius ſi ab his licenter
E ſe poſitus atque liberatus in ſæculo morbos vitiorum pernicioſiſſimos & crudeliſſima vulnera introrſus incurreres; ſi religionẽ talibus aduerſum peſtibus refugiſſes; ſi relicto manna deſerti & via promiſſionis ad ollas aſpiraſſes Ægyptij, & in deuium damnationis retrò aſpiciens corruiſſes. Prudenter ſanè elongatus fugiens vt ſaluus fieres à puſilanimitate ſpiritus & tempeſtate. Nunquid tempeſtas in ſeculo eſt vbi peſſima contagioſiſſimáque ſordet vbique ſocietas, vbi iniquitas eſt &
F labor in medio eius & iniuſtitia, & non defecit de plateis eius vſura & dolus & ſimilia monſtrorum crimina conuerſantur. Quamobrem frater dilectiſſime cordis mei, noli animo contabeſcere ſi forte perſenſeris irripere in animam tuam molliciem tibi inſidiantem qualem de me nunc explicui. Suſpicor enim hoc tibi faciliter euenturũ, quoniã non dormit qui tentat te, ſed non dormit etiã qui cuſtodit te. Exurge velociter ergo ad eius auxilium, & dic cum glorioſo Martino in cuius ſolemnitate profeſſus es: Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo. Noli ſecuritatem à tentationibus tibi inaniter polliceri, quin

Digitized by Google

potius audi ſapientem. Fili accedens ad ſeruitutem A Dei ſta in timore & iuſtitia & præpara animam tuam ad tentationem. Siue ergo iſta tentatio ſeu aliç multiformes inſurgant aduerſum te, viriliter age & confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum.

Denique frater chariſſime noli in vanum gratiam accipere quæ data eſt in te. Noli obmurmurare, noli ingratus eſſe, ſed dic cum propheta: Miſericordias Domini in æternum cantabo. Dic animæ tuæ: Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius & cætera quæ ſequuntur. B Ille enim qui ſegregauit ab vtero matris tuæ, ſegregauit nunc à ſæculo & futuræ hæreditatis pignus dedit. Ille qui à puero miſertus eſt tibi, dans tibi cor pium & timoratum & ſuper afflictos compatiens, ſuperaddidit miſericordiam vt te repelleret à ſeculo nequam, in quo iam demergendus penè fueras irreuocabiliter, ſi licentiam aut magiſteriū in artibus adeptus fuiſſes, vt proprias conſecturas ex alijs recipe.

Porrò magna eſt miſericordia Dei hæc quod C neminem è parētibus vel amicis habuiſti, qui volens (vt fit) te aliquem magnū eſſe in ſeculo fuerit aduerſarius propoſiti tui. Mihi longè aliter eſt & fuit aſſiduè & cæteris innumeris in experientiæ libro legentibus, quoniam inimici hominis domeſtici eius. Vt enim ſuccurrunt liberis eos nunquam liberos eſſe volunt, quamquam mihi multo minor fuerit inimica dilectio, fuit tamen.

Denique noli obliuiſci miſericordiam Dei in progenitoribus noſtris & germanis ſororibus, in D matre præſertim quæ ineffabilibus votis etiā ante tui conceptum te talem aliquem à Domino quæſiuit, velut Anna altera Samuelem. Deinde natū & adultum iugibus fere lachrymis in hoc te ſtatu (ſicut piè ſentio) pergemuit. Meminiſti vt opinor litterarum quæ ſuper hoc præbent iudicium, & quæ alteram Auguſtini matrem repræſentant eā erga te. Reddes ei vicem orationum tuarum. Et in te vno nos omnes erga Deum interceſſorem habebimus. Ita age frater & vale in Domino feliciter. Supplico recommendari patri noſtro venerabili E Domino priori domus veſtræ & ſingulis fratribus habitantibus in ea. Nondum ſcripta habeo quæ tibi mittere diſpoſui, tu interim ſtude in vno voluminum Auguſtini ſuper pſalteriū quod apud vos eſſe noui. Eſt enim doctrina hæc Chriſtiana, tibi tuiſque ſimilibus qui quotidie pſallitis ſupra modum vtilis & approbata, quatenus ex fauo arido litteræ pſalmorum mel ſapidiſſimum internorum ſenſuum cātando noueritis eliquare. Iterum bene vale cum tuis patribus & fratribus oremus pro inuicem. Scriptum quinta Decēbris. F

Alia epiſtola ab eodem edita de fratre ſuo Nicolao.

VEnerabilis pater & Domine in Chriſto dilectiſſime non indignetur obſecro charitas veſtra ſi idipſum quod agitis & hucuſq; egiſtis, præſumo commonere de & ſuper filio veſtro fratre meo Nicolao. Multum quippe ſollicitor, quia multum diligo, quoniam (ſi Naſoni, immo experientiæ credimus) res eſt ſolliciti plena timoris amor. Supplico igitur pauidus & in Chriſti viſceribus ſynceritatē veſtrę dilectionis obteſtor vt non deſeratis opus veſtrum in eodem fratre meo, quin A fragilitatem ſuam in anima & corpore pia iugiter compaſſione ſupportetis. Exhibete quæſo vos aſſiduè talem & taliter erga eum vt omnes neceſſitates ſuas etiam corporales cum omni fiducia vobis aperiat. Alioquin periret ex facili in ſimplicitate aut timoroſitate ſua aut per fauorem indiſcretum in lachrymis aut alijs religionis quæ per ſe dura eſt exercitijs. Scitis quoniam ſupra vires eſt opus quod profeſſus eſt, adeò vt admirer & extimeſcam vehementer dum mecum recogito & deficerem ſi non eſſet ſpes in Deo, & poſt eum in B vobis amande pater & in alijs fratribus veſtræ religionis de quibus ſperandum rationabiliter eſſe cenſeo, quod non crudeles ſunt, non indiſcreti, vt perdere ſinant animā pro qua Dominus mortuus eſt, & quam tanta concordia ſecum aſſumenda poſt longas probationes decreuerunt. Credat igitur per omnia ſe & ſua veſtro conſilio ſicut crediturum eſſe confido, ſecurus reddor nō peribit, nec pereat obſecro precor & ſupplico, ſed habeam in eo oratorem perpetuū apud Deū, C in quo bene valete, memineritiſque mei peccatoris. Scriptum Pariſijs in nocte conceptionis virginis Mariæ glorioſæ.

Epiſtola incitatiua ad ſpiritualem profectum.

CHariſſime frater libenter tecū diuido ſi quid boni Dominus pauperi ſeruo ſuggeſſerit. Ego ſum pauper & medicus, ſed ſpero quod Dominus ſollicitus erit mei & tui ſimiliter. Vnde oro D eius clementiam vt eleemoſynam communis ſit nobis de largitate mēſæ eius. Occurrit hodie Dominus mendico ſuo cū ſuauiſſimo pane de cœlo. Dulcis admodum & gratioſus ſermo infuſus eſt in auribus meis, ſonuit enim lectio Apoc. 2. & de multitudine tantorum myſteriorum retentus eſt apud me breuis verſiculus, plura capere non ſufficio, ſed nec pauca quæ nec obſcurius ſonant. Dedit Dominus vt aliquid breuiter & dulciter ſonaret vnde traheretur affectus, vtinam donet etiam vt hocipſum aperiatur intellectui, quia ſi ſpiritalibus E videtur liquidum, manet tamen carnalibus occultum. Volo ergo te participem fieri huius muneris. Nam tunc verè comites indiuidui ſumus cum in Chriſto vnum ſapimus, vnum quærimus & ad vnum tendimus. Appone aurem & auſculta diligenter quod ſonat valde dulciter. Qui habet inquit, aurem, audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs. Vincenti dabo manna abſconditū, & dabo illi calculum candidū, & in calculo nomen nouū, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Audis iam frater F cœleſtem vocem vtinā & interiorem cordiū noſtrorum auditū tangat & vim virtutis illius ſentiamus. Sermo viuus eſt, & omni acceptione dignus. O quam cœleſtis vox quæ nil terrenum fatur, quod ſi caro non capit capiat ſpiritus, quo nimirum totus hic ſermo plenus eſt. Verba inquit, quæ ego loquor ſpiritus & vita ſunt. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquā. Nō ergo ſētit arcana ſupernę reuelationis homo externus, carnalis, vagus & elatus, Paulo atteſtante qui ait: Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & nō poteſt intelligere quia ſpiritualiter examinatur, ſpiritualibus ergo loquitur

Digitized by Google

loquitur, qui ſpiritu facta carnis mortificant, & mundum odio habent & maligna diaboli cõſilia A reſpuunt. Hi enim primitias ſpiritus habentes quid ſit hoc abſconditum manna ignorare non poſſunt, quia hoc guſtando potius quam legendo vel audiendo didicerunt. Datur autem manna dilectis filijs ex amore Deo patri ſeruientibus, qui eius voluntati ſemper placere, eius gloriam ſtudẽt quærere. Et ſi non horres accipere manna, interioris mentis exprimit dulcedinẽ ſiue conſolationem ſanctorum in hac vita. Eſt igitur congruus ſenſus: Vincenti dabo manna abſconditum B contemnẽti carnalem conſolationem dabo ſpiritualem, reſpuenti terrena & exteriora bona oſtendam cœleſtia & interiora chariſmata, quæ merito ſui excedunt omnia alia delectamenta. Talia ac tanta etiam exiſtunt, vt dignus nemo ſit cognoſcere niſi prius diſcat vana & vilia ſolatia contemnere. Scriptum eſt enim: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Libet autem pro expugnandis vitijs & malis conſuetudinibus vincendis aliqua latius introducere. C Sicut quondam filijs Iſrael in deſerto habitantibus Deus manna pluit, ita & modo ſpiritualibus filijs ſuis gratiam internæ conſolationis contra tentamenta tribuit. Tandiu filij Iſrael illo cibo aliti ſunt donec terram promiſſionis attingerent, & quamdiu electi in mundo peregrinantur, pane vitæ & intellectus fouent, donec depoſito corpore terram viuentium intrent. Dum autem de frugibus illius terræ manducare cœpiſſent, ſtatim manna deſijt, & dum ſancti aſſumpti fuerint in beatitudinis gloria, ammodo non indigent D recreari noſtro more ſpiritali alimonia. Vnus tamẽ panis eſt qui angelos paſcit & homines, animas in gloria & viatores in gratia.

Sed eſt quod me multum mouet quia plures ſibi deeſſe manna cauſantur, plures qui illo refici conſueuerunt guſtum iam perdiderunt. Quæ eſt alia cauſa huius ariditatis & inſipidioris veſtri, niſi quia ad egena & infirma mundi huius reuerſi eſtis? Mementote egreſſionis veſtræ ex Ægypto. Dies ille memoriale nominis Domini in ſempiternum recordetur, nulli dubium quin manus E Domini vobiſcum erat, alioquin in ſæculo remãſiſſetis. Vbi eſt ergo ille ſpiritus, ille primitialis feruor? intentio firma? propoſitum immobile? fortis vt mors dilectio? Quodammodo armati egreſſi eſtis mundum dum conſtanti animo omnia perferre aduerſa, vilia & aſpera aſſenſi eſtis. Inſuper & cum gaudio veniſtis, ad montem Dei Oreb, ad audiendum legem Dei vitæ & diſciplinæ, dum monita ſeniorum libenter audire & ſecundum ea religioſè viuere reſpondiſtis. Cur F ergo nunc vos itineris tædet? cur ad ſarcinas ſedetis & grauati ingemiſcitis? Iam propter tempus & annos de fructibus terræ promiſſionis botros & malogranata alijs afferre & propinare deberetis, & ecce vobis manna etiam deeſt. Conuertimini filij reuertentes quia ſi corpore non eſtis reuerſi ad ſeculum, tamen corde adhuc tenemini in varijs deſiderijs terrenorũ. Prohdolor multi ſpiritaliter exeunt Ægyptum tranſeunt mare rubrum, ambulant per deſertum, portant tabernaculum & vaſa eius, ſed non intrant terram promiſſionis. Pene omnia accidunt eis quæ contigerunt filijs Iſrael, qui murmurantes contra Moyſem pœnituerunt, quia educti ſunt de Ægypto. Sic quã plures hodie reperiuntur qui mundum relinquunt, parentes & amicos deſerunt, peccata & vitia plangunt. Præterea carnalia deſideria abominantur, ignotam iuſtitiæ normam ad manum magiſtrorũ ducti ſequuntur. Vitam Chriſti crucifixi aſpiciũt, & iugum Domini ſuaue in obedientia & abnegatione propria ferunt. Ita vt omnes parati & feruentes ſunt ad labores, ad abſtinentias, mites ad increpationes, humiles ad obiectiones, patientes ad correctiones & aduerſa quælibet & indigna cõſtantiſſimi. Sed non in tali feruore omnes perdurant.

Nam aliquanto tempore egreſſionis ideſt conuerſationis ſuæ peracto, minus cauti & ſolliciti de profectu ſuo incidunt in varias tentationes & ægritudines paſſionum, ita vt nonnulli ſe incepiſſe contriſtentur. Quidam verò deliberant & modum excogitant redeundi. Alij autem & ſi mãſerint cum tempore quodam & vſu aſinariam molam trahunt, & paruam deuotionem & affectũ habent in his quæ agenda didicerunt, laborioſa & dura omnia ſentiunt, quia manna non habent, cœlum eis videtur æneum, terra ferrea, quia neq; cœleſtia contemplari, neque agrum cordis virtutibus & deuotis exercitijs colere ſciunt. Dicunt tamen quia libenter eſſent deuoti, libenter haberent virtutes, vellent ſe viciſſe paſſiones. Sed non ſufficit tantum bene velle ſi deeſt manus & opera. Oportet quod laboretis, quod vim naturæ faciatis, ſicut Dominus dicit: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Violentia opus eſt, & ſcitis quod ſancti non otio & ſomno promeruerunt regnũ Dei. Vſquequò tardatis? & quare non armamini contra paſſiones, vt obtineatis virtutes & diuerſas conſolationes ſuſcipere digni inueniamini? Quanto amplius tardaueritis, tãto peius ſemper, & ſine dolore & labore optatam requiem non percipietis, petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Pigritia & negligentia vos tenent, ſed contra has primo accingimini & bellate prælia Domini. Quid negligitis proprium profectum, certè pro vobis eſt, & pro pace veſtra erit labor veſter. Dicit ſcriptura: Modicum laboraui & multam requiem inueni. Sed forte reſpondetis, aduerſus vitia & paſſiones certare quis ſemper poteſt? Multæ ſunt & penè inſuperabiles vt nobis videtur, quis tãtam ſuſtinere poteſt vexationem? Audite increduli & rebelles, delicati milites & ſerui pigri, laborem attenditis, pugnam conſideratis, ſed de præmio & victoria cur non cogitatis? Et quid eſt omnis labor ad ęternã requiem? Et quid breuis exercitatio ad bonæ conſcientiæ conſolationem? O ſi inciperetis, & fortiter ac integrè proponeretis quod modo inſuperabile putatis, vix aliquando vitioſus quis repertus eſt, cui diligentia cum perſeuerantia boni virtutes negauit. Videtur vobis laborioſum vincere paſſiones veſtras, ſed niſi edomitæ fuerint nunquam habebitis veram cordis requiem. Quando ergo alij cum Deo ſunt in deuoiione & bona pace, tunc vobis erit triſtitia, grauedo & tædium foris & intus. Nunquã eritis ſecuri & veraciter lęti, niſi mortificaueritis carnalitates veſtras. Quod ſi non

trahat vos ſanctorum religioſitas & plurimorum deuotio,terreat ſaltem mirabilis inopia veſtra, & diuinæ vltionis ſententia. Congregabo inquit, ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis, conſumētur fame & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo. Satis durè intonant verſiculi iſti,& vtinam conuertāt vetuſtatem veſtram, quatenus innouitati & feruidi effecti, meliores vos quotidie & alacriores faciant promiſſa ſpiritusſancti. Vincenti ait dabo manna abſconditum.Si volueritis & audieritis me,bona terræ comedetis. Orietur vobis pro ſpina roſa pulcherrima, & pro tribulo candidiſſimum lilium.Magna ſunt hæc dulcia & conſolatoria cupientibus proficere. Non ergo te cōturbet homo Dei,non te deijciat multitudo vitiorum.Crede Deo & ſpera in eo,& eris melior quam fuiſti. Dominus pugnabit pro te,& tu tacebis,intelligis ne hoc? Dominus ipſe dabit fortitudinem vt reſiſtas iræ,pigritiam excutias,& concupiſcenti animo non conſentias, & tu tacebis,quia tibi hanc potentiam non aſcribes,te propter hoc non eleuabis, ſed Deo totum purè tribues,qui aſſiſtit à dextris pauperis, etiam quantū vales hominibus abſcōde,& nihil aliud quam infirmum & inopem te confitere.Si quando inſurrexerit contrarius tibi & dixerit quod non libenter audis,eſto patiens & tace. Illatis malis Dominus reſpondebit:Iuſtus enim Dominus inultum non patietur abire quodcunq; nociuum verbum. Quid tibi nocere pōteſt alterius malitia ſi contra te inflatur,ſi detrahit, ſi obiurgat:Seipſum magis prodit,quia bonus nō eſt. Nam ſi tu bonus fueris & in patientia manſeris,nihil mali tibi intulit,ſed potius meritum tuum auxit.Tu clarior ex opprobrio coram ſapientibus, tu probatior ex virtute patientiæ. Nemini nocet prauitas alterius,neminem lædit verbum cōtumelioſum, quamdiu ipſe pius & immotus fuerit.Omnis homo qualis interius eſt, talis ei exterior aduerſitas erit, quia ſi tu bonus ſimplex & rectus ac Deum timens probatis,nemo tibi bonitatem,iuſtitiam & pacem tuam poteſt auferre,niſi eam voluntariè reliqueris. Nō eſt magna patiētia quā parua res perturbat. Diſce ad minus tacere ad iniuriam,quia prudentis eſt tacere in tempore malo. Qui vincere deſiderat, victum ſe tradat. Cogita de carona, non de iniuria, & quomodo poſſis alium ſanare, non quid poſſis è contrario quaſi zelo iuſtitiæ motus reſpondere. Si ille non ignoſcit tu ignoſce,quia vt frequenter maiorem habet culpam qui alteri iraſcitur quam qui iratum patitur. Miſerorum proprium eſt cōqueri,& impatientium citius commoueri,& cauſas alijs imponere. Tu ergo eſto libenter reus,vt fias ante Deum innocēs,tu primò à teipſo incipe & ſic poteris etiam alium ſanare. Audiat tamen qui zelum videtur habere aduerſus aliorum defectus,qui indignatur ſi quid cōtra iuſtitiam agitur quam rectè & prudenter ageres ſi zelum tuum etiam cōtra cōmotionem tuam exerceres,& quod in alio reprehendis, prius in te emendares. Cum ergo aliorum culpis iraſceris, quid iuuat de oculo fratris tui feſtucam tollere,& tuæ impatiētiæ motus non cohibere. An tibi videtur non etiam feſtuca,ſed potius trabs illius culpa? Vide ne forte ex tuo iudicio trabem ſuſpicioſè reputas, quod coram Deo vix feſtuca habetur. Non fidas nimis proprio iudicio,quoniam homo es & non Deus, A ſiue tamen magnum ſiue paruum fuerit,vtilius tamen ſemper teipſum conſideres,quia & tu peccator es,& curatione indiges.In quo ergo alium iudicas teipſum cōdemnas cum eadem facis. Quid enim mihi prodeſt ſi aliquem verbis meis ſanauero & in proprijs meis paſſionibus māſero.Bene illi cui malitia cedit in bonū,ſed væ mihi propriæ ſalutis interremptori,non eſt indicium manſueti cordis inconſideratè alium corripere aut correptione modum tranſire,vel non poſſe motum inuectionis differre, donec ira in manſuetudinem B & zelus amara redeant in dulcedinem. Forſitan tunc videbis non eſſe tantæ culpę reum quem reprehenderas,ac etiam magis excuſabis,ſuper quo prius ſubito indignabaris, ſed & tuæ malitiæ imputabis,non incongruè quod tantillūm non potuiſti iniuriæ perferre.Lugebis quoq; plus iniuſtā correptionem quam illius culpam. Pudeat igitur te nondum didiciſſe paruos fratris defectus tolerare,qui quotidie infirmitatem propriam ab alijs deſideras portari. Cur ergo eandem miſericordiā C nō exhibes alteri quam optas fieri tibi? Reuertere ad temetipſū & pertimeſce ne grauius deliquiſti indignando & malè ferendo quam frater tuus peccando.Ille forte caſum ſuum mox vt agnouit fleuit,& de cætero cauere propoſuit, tu verò impatiens & incompaſſiuus peccatum tuum nec inſpexiſti nec fleuiſti. Adhuc ille ſatis bene in corde ſuo per amorem tecum ſtat,& nihil mali de te exiſtimat, ſed ſe magis humiliat & ſuper ſe iuſtificat. Videas ergo ne ille qui videtur peccator in regno D Dei te præcedat,& tu cum iuſtitiæ præſumptione ſimilis fias ſuperbo phariſæo qui reprobatus eſt à Domino propter ſuam ſuperbiam aduerſus publicani humilitatem.

Ecce iam aliqualiter audiſti chariſſime quomodo teipſum debes vincere & zelum contra propria vitia exercere. Studeas ergo magis ac magis proficere & ſemper aliquid vitioſę conſuetudinis amputare.Sicut negligentia vitia nutrire ſolet & virtutes amittere,ita diligentia quælibet inueterata mala euertit & expugnat. Nam & ſi labor eſt E eſt in principio pugnæ, tamen cum videris paulatim hoſtes ruere conſolaberis de proſpero fine. Impedit nos valde,quia non audemus violentiā inferre naturæ. O quantos labores faciunt homines pro terrenis lucrandis, & nos pro æternis bonis marceſcimus. Nauta petit mare mercator circumit regiones, miles fert arma bellica, ruſticus vomere ſcindit arua,& ſine labore nō queunt diuitias & honores obtinere.

Vt quid ergo nos virtutes,ſine magna ſollicitu- F dine adipiſci credimus? Hodie aliquid inchoare, & cras modicū addere, & ſic diebus ſingulis virtutem virtuti, propoſitum propoſito iungere perficit hominem virtuoſum, deuotum,purum, ſanctum & religioſum, Deo charum & hominibus gratioſum. Hoc ordine promeretur homo nomen nouum in calculo clauſum, quia calcatis vitijs efficitur candidus interius, & ſæpe fruitur conſolationibus ſupernæ dulcedinis,quæ ignotæ manent carnalibus & tepidis.Ruminemus igitur ſedula mente præſentem verſiculū aduerſus deteſtabilē deſidiā ad igniendū nos & fratres noſtros in amorem ſpiritualis proceſſus, vt & vitia noſtra curentur

Digitized by Google

curentur, & donationes cœleſtium virtutum in nobis augeantur. Neque enim fraudabit à deſiderio ſuo fideles certatores ſpiritusſanctus qui vt viriliter certarent hortatoria voce inſonuit, dicens: Vincenti dabo manna abſconditum.

Finis.

Epiſtola de cuſtodia habenda ad ſeipſum.

FRater mi in Chriſto dilecte, videas quomodo cautè ambules, quoniam dies mali ſunt. Magna cautela eſt ſeruo Dei habenda in omnibus verbis & operibus ſuis. Nam qui non eſt præuiſus in rebus ſuis aut citò lædit aut læditur, & magnũ damnum ſentiet in fine quiſquis in principio fuit negligens aut præceps. Diu perpendendum eſt antequam fiat aliquid, & ſæpius recurrendum eſt ad cordis habitaculum, ne homo ſit abſque conſilio ſicut gens praua & exaſperans quæ non direxit ad Deum cor ſuum. Igitur præcedat oculus tuus omnia opera tua, & omnia age cum prudentia, nec in cedas per aliena facta te neglecto, quia nemo illo ſapientior eſt, cuius anima ſua ſemper in manibus eius eſt. Non habet homo chariorem theſaurum nec meliorem ſubſtantiam ſuper terrã (ſi bene cogitauerit) quam animam ſuam. Debet igitur vigilare & ſemper eſſe in cuſtodia animæ ſuæ, quia nihil comparari poteſt ſaluti eius. Salus enim conſiſtit in veris virtutibus odit & abominabitur omne vitium. Quanto quis nititur cõtra vitia tanto magis accedit ad virtutes, quanto virtus amplius placet tanto plus deteſtatur eius contrarium. Cognitio vitiorum multum prodeſt ad ſuperandum vitia, plures non cognoſcunt in veritate proprios defectus, & quidam quamuis ſciũt non ſatis ponderant, aut ſi ponderant, citò oculos auertunt, & obliuiſcuntur quod tolerant. Nõ eſt ita faciendum chariſſime frater, ſed reſiſtendum eſt ſemper malitiæ & iniquitati, & remedium inquirendum & auxilium à Deo flagitandum. Maximè eſt autem obuiandum motibus paſſionum in principio pugnæ, quia ſi magna creuerit, infirmus homo vbi erit? Ex parua re fit ſæpe grauis inquietudo & ex verbo vno naſcuntur verba multa, & de modico riſu ſcaturit ſæpe grandis diſſolutio. Parua contumelia generat ſtultis & inconſideratis hominibus difficilem exitum & profundum vulnus, Bene ergo & prudenter agit qui omnibus neglectis ſe cuſtodit, iudicat & ordinat. Tanto minus poteſt vnuſquique prouidere ſibi quanto pronior eſt ad conſiderandum alios. Deſiderans habere pacẽ debet habitare in Sion, hoc eſt vtile homini qui nõ inuenit requiem in hoc ſæculo vt confugiat ad Dominum, & cupiat citò diſſolui & eſſe cum Chriſto, quia non eſt alius qui pro nobis pugnet, niſi ipſe qui fecit nos. Si ſentis inſurgere vitia, oppone remedia quæ ſcis tibi eſſe vtilia, & quæ audiuiſti ab alijs, cogita ſemper ſi tibi deſeruiunt. Quotidie bellum gerendum eſt, quoniam tentamur quotidie, nec eſt victus qui vitioſam conſuetudinem ſæpe rebellare ſentit. Dolere tamen debet quia adhuc in eo malum viuit, & nondum perfectè ſibi mortuus eſt. Accipienda eſt ſẽper noua fiducia, licet ſæpe deijciatur homo. In ſpeciali proponendum eſt & contra illa vitia quæ

magis moleſtant & frequentius adueniunt, ali- A quando ira, aliquãdo ſuperbia, aliquando concupiſcentia cor hominis tribulatur & vehemẽter inflãmatur, ſed ſcuto orationis aut gemitu cordis, aut inuocatione ſancti nominis Ieſu eſt occurrẽdum, & in cœlum reſpiciendũ vnde veniet omne auxilium. Et quando ſic oret vel conſimiliter: O bone Ieſu ſuccurre mihi modo. Eya Domine Deus adiuua me, quid ego miſer agã, ſine te? quid incipiam, & quomodo finiam dies meos Deus meus? Melius noſti quid tibi ſit neceſſarium magis, quia & hoc quotidiana docet infeſtatio & B qualiter euades docet & docebit ſpiritusſancti vnctio. Ita igitur quęre auxiliũ & cõſilium, & ab eo poſtula tui cordis refrigeriũ. Cõſidera teipsũ, quid quæris in operibus tuis? quid diligis? & quid non diligis? Secundum deſideria ſua ſit homo ſtabilis aut vagus. Qui multum conſpicit & multa habere vult, quomodo in ſe manebit? Diſpergitur in omnem ventum cœli, & capitur laqueo deſiderij terreni. Parua res eſt ſæpe propter quã adipiſcendam generatur homini perplexitas magna, C ſed qui omnia à ſe expellit permittẽs vnumquodque ſtare ſicut inuenit, bene in pace erit, qui verò multis ſe ingerit, ac multa ordinat & regitur, iſte ſeipſum lædit & perdit. Et quia magiſter vult eſſe in rebus alienis non eſt mirum ſi neſcit eſſe diſcipulus in ſuis. O quanta adhuc diſcere habet quæ non videt, quantum illi adhuc deficit & ô quam longè ſtat. Quid ergo vult ſe intromittere in alijs & quæ emendare non poteſt? Aut cur ſe implicat talibus quæ ad ipſum non pertinent? Quid per- D tinet ad me inquis? Vt tantum cogites de te, & aliud quodcunq; fuerit, proijcies procul à te. In iſta cogitatione inuenies te, & cuſtodies, & proficies maximè, eris ſæpius liber à ſuſpicatione & indignatione, parum curabis de exteriorum occupatione & gubernatione eorum quæ fiunt in domo. Dilecte frater Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus.

Epiſtola pro confortatione cuiuſdam tentati.

E SVſcipiamus chariſſime de manu Dei quicquid voluerit ſuper nos venire Deus, nihil enim ſine iuſta & certa cauſa agitur in terris, & ideo curemus nos Deo ſubijcere cor noſtrum & ſenſum noſtrum vt reſpiciens humilitatem & patiẽtiam noſtram bene diſponat deſiderium noſtrũ. Inclinemus nos ſub ſancta & glorioſa maieſtate eius, quia puluis ſumus, & cogitemus quam magnum & dignum ſit vt recogitet aliquando de nobis Deus. Ex hac humili æſtimatione ſenſus noſtri, & accuſatione culparum noſtrarum con- F feſſionéque iuſti iudicij Dei (quod vt frequenter occultum ſemper autem rectum eſt) apprehendamus ſpem & confidentiam ad ipſum, & oremus largiter, ac ab alijs etiã intimè flagitemus orationes, quatenus ſua maxima pietas noſtram miſeriã & tribulationẽ tãtarum tentationũ immutare dignetur. Nec ideo diffidamus de nobis quia multa contraria ſentimus & patimur & ſæpius quã vellemus & grauius quam alij tentamur. Vel quia inconſtantes ſumus & tam parũ laborare poſſumus, ſeu quod totiẽs cadimus & tardè reſurgimus. Aut quod tam indeuoti & aridi inuenimur, & paruum

Digitized by Google

appetitum ad virtutes & ad Deum ſentimus. Omnia iſta ſolent bonis accidere & ſępiſſime deuotiſſimi talia sũt experti. Cum ergo taliter nos affligi ſenſerimus inter triſticias totidem Domino humiliter dicamus: Dominus Deus ſi dignus non sũ, nec tibi placet vt liberer à preſſura cordis mei, ſaltem hoc mihi largire digneris vt patiens ſim, vt non murmurem contra virgam tuam qua me percutis. Memor etenim bene ſum quid canitur in eccleſia tua: Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides. Et quia illic introducitur omnis qui pro Chriſti nomine hic in mundo premitur, propter ꝙ peto vt quæcunq; pro culpa iſta patior ad meã purgationẽ ſemper prouenire facias & pro ſigno clemẽtiæ non reprobationis furore capienda eſſe doceas. Debemus ergo ſic nos Domino integro affectu reſignare, & plus eius bonitati confidere quam audemus poſtulare. Eius creaturæ ſumus & ipſi cura eſt de nobis, qui vocauit nos ipſe adiuuabit nos & cuſtodiet nos à tentatione hac in æternum, vt non velimus cum hoc mundo gaudere, neq; latam viam quam multi tenent denuo ambulare. Admoneo at attende ſcripturas ſanctas. Sequi vis Chriſtum an mundum iſtum? Credis apoſtolo, an magis philoſopho? Chriſtus dicit: Intrate per anguſtam portam quæ ducit ad vitam. Et iterum: Tollite iugum meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Dicit apoſtolus: Nolite conformari huic ſęculo, & ſi ſecundum carnem vixeritis moriemini. Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Quicumq; ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Ego Chriſto confixus ſum cruci. Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. Omnia arbitror vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam. Iſta ſunt verba apoſtolica. Sed apud philoſophos & ſæculi prudentes talia non inuenies. Et quãuis aliqui gentiles cõtemptum diuitiarum laudabãt & voluptates ſpernebant, & eorum doctrinam multi hodie commendant. De Chriſto tamen nihil ſciebant, nec æternæ vitæ amore id agebant, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Et omnes (ni fallor) homines cupiunt eſſe cum Chriſto & ad populum eius pertinere, ſed pauci volũt ſequi vitam Chriſti. Iterum dicunt ſe diabolum odire & eius veſtigia nolle ſequi, ſed vita paucorum continentium ſe à ſecularibus actibus carnalibuſque deſiderijs oſtendit quod multi ſunt ex parte eius. Opera probant cuius ſeruus quis fuerit. Ait ergo Chriſtus. Qui ſequitur me non ambulat in in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. In mundum hunc veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant. Ac ſi diceret: Ego humilis & pauper in hoc mundo apparui hominibus vt exemplo meo efficiantur ſimplices & humiles, & intelligant opera diuina & cœleſtia miracula ad credendum mihi. Et qui ſeipſos peccatores & quodammodo cæcos & inſcios cognouerunt, per gratiam meam illuminari digni erunt, ſicq; capiũt deuota humilitate quod ſuperbi & apud ſe ſapiẽtes nequaquam intelligere queunt. Atque idcirco in cæcitate cordis & ſtulta opinione manent, æſtimantes ſuam doctrinam certiorem: meam autẽ dubioſam & mundo exitialem. Sicut olim Iudæi Chriſtum præſentem in carne contemnebãt,

ſic modo plures carnales eum contemptui habẽt A & in cæcitate prohdolor perſeuerãt. Malunt potius credere ſibi quam euangelio, & carni magis ſeruire quã Deo atq; ideo longos optant dies & voluptuoſos ſuper terram, cœlum autẽ reſpicere negligunt, & quam velociter tollentur non attẽdunt. Hæc ſi cogitas nimirum ſenties melius eſſe ſequi humilem Deum crucifixum & paſſum pro nobis, & merito debere nos pati cũ illo, & relinqui à parentibus & amicis in hoc mundo. Mane igitur apud eum qui te vocauit, & ne diſcedas ab B amore eius, ſed aſcende arborem crucis, vt inde videas Ieſum ambulantem, & viam ad æternam vitam præparatam. Hæc eſt via (ait propheta) ambulate in ea. Via crucis vita noſtra, via electorum via paucorum, via amara via vitæ & ſalutis, via breuis, via directa, via laboris, via perfectionis. Via in quã crucis eſt, ſed ducit ad gloriam, ad latitudinem, ad regnum cœlorum, ad multa milia & frequentiã angelorum, ad dulcedinem mirabilem & interminabilem, ad longitudinem dierum in ſæculum ſæculi, ad deſideratũ finem omnium frui- C tionum & appetituũ cordium, ad requiem & pacem ſecuriſſimam, ad iocunditatẽ & exultationẽ amœniſſimam. Quæ bræui quodam verſiculo, qui cantatur in feſto ſanctæ crucis, pulchrè tanguntur. Serui crucis crucem laudent, qui per crucem ſibi gaudent vitæ dari munera. Quia ergo vita Chriſti crux fuit debet vita Chriſtiani etiam crux eſſe. Et multo magis vita monachorũ clericorũ & omnium religioſorum in cruce erit. Extra crucem non eſt ſalus, præter crucem non D venitur ad regnum Chriſti. Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam. Si aliam viam quærimus, erramus, & in perditionem ducimur. Et qui crucem fugere cupimus, in medium lacus ardentis picis & ſulphuris incurremus. Crux noſtra æterno cruciatui comparata eſt delectabiliſſima, labor noſter perpetua requie donanda leuiſſimus eſt. Frangere propriam volũtatem crux eſt, & forte quia maior vix eſt, ſed in inferno quis vnquã vel in minimo E ſua voluntate vtitur, cum ſemper quod nolit pati cogatur, quod voluerit nunquam accipiat. Fili inquit recordare quia recepiſti bona in vita tua, & & Lazarus ſimiliter mala. Comediſti, bibiſti & ſaturatus es nimis. Meliora & delicatoria elegiſti tibi veſtimenta & ornatus es. Riſiſti, cantaſti, ſaltaſti præ lætitia, nec prohibuiſti cor tuum à voluptatibus, ſed quodcunque libuit ſine contradictione impleſti. Et hæc exiſtimaſti partẽ tuam, & regnũ tuum, & gloriam tuã, nec de Lazaro quicquam cogitaſti, quantum egeret, quantum pateretur, quantum infirmaretur. Recordare ergo fili F quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nũc autẽ hic cõſolatur, tu verò cruciaris. Ille dum viueret crucẽ habuit, & ad modicũ ſpaciũ ſe ſuſtinuit, tu dũ viueres, cœlum tuũ in terra habuiſti, & libenter vitam in delitijs protraxiſſes, ſed nunc ille nec pœnã corporis nec animæ patitur, ſed in requie beata lætatur, tu verò & modo cruciatum in anima habes, & poſtea ſimul in corpore & anima torquendus condemnaberis. Hæc meditare inter tentationes tuas & Domino aſpirante ceſſabit earum impetus. Nam ſolet ardor ardore expelli, & labor labore grauiore minui.

Sta

Digitized by Google

Sta ergo in loco iſto quem egiſti,& eleua patiétię clypeum contra ictus tentationum, mori eligens magis quam cedere antiqui hoſtis vexationibus. Qui vicerit (ait ſpiritus ſanctus) faciam illum columnam in paradiſo Dei mei,& ſcribam ſuper eū nomen patris mei, nomen ciuitatis nouæ Hieruſalem. Inſuper ſanctorum exempla intuere,& eorum ſuffragia iugiter quære. Memento quantū ſancti pro vita æterna laborauerunt, in qua nunc cum Chriſto ſine fine regnantes gaudent. Quāto in mundo deſpectiores & pauperiores fuerunt, tāto nunc glorioſiores & nobiliores in cœlo fulgent. Propter amorem igitur Chriſti & locus & ſtatus inferior ſemper plus facere debet,& dulceſcere cordi tuo, quia vanitas eſt in hac vita aliquid appetere. Quanto in inferiori & humiliori ſtatu quis fuerit, tanto verius ſępe bona agit,& facilius habita cuſtodit. Si alij pręcedunt nos quis ad nos? Sequamur Ieſū humilitate & ſimplicitate,& non curemus humanā vanitatem. Nos propter Chriſtum, ſtulti, ignobiles & infirmi. Non propter illum libenter ſimus abiecti & nouiſſimi reputati. Ego inquit, ſum vermis & non homo, opprobriū hominum & abiectio plebis. Quæ maior gloria, quam cum Chriſto gloriari in cruce? Quæ maior conſolatio cordis, quam portare viuentem imaginem crucifixi? Confortare igitur & eſto robuſtus,& ne timeas, quia ego tecum ſum vt liberem te, dicit Dominus. Compaſſus tibi locutus ſum tanquam infirmo, vt pariter in Domino conſolati per ipſum conualeſcamus in ipſo. Amen.

Epiſtola de conuerſione & perſeuerātia in bono propoſito.

DIlecte frater intime congaudeo tibi, quia inueniſti locum Deo ſeruiendi. Sit Dominus noſter ex hinc benedictus, qui te dignatus eſt vocare ad ſuum ſeruitium. Agnoſco hanc vocationem donum Dei eſſe, quoniam non ex meritis tuis, ſed ſecundum miſericordiam ſuam de ſeculi vanitatibus te eripuit,& in electam ſocietatem perduxit, vbi audires atque oculis etiam cerneres qualiter illi ſeruires. Quam multi diuites, nobiles & potentes, quam multi ſapientes, literati & famoſi adoleſcentes in hoc ſæculo mirabiliter fluctuant,& abijcere iugum diaboli à ſuis ceruicibus non pręualent, nec illo ſpiritu adhuc mouentur vt ſæculo renuncient. O vanitas vanitatum mundum diligere,& quæ Dei ſunt minus curare, venit tempus, veniet citò tempus quando omnes ſæculares & carnales delectationes ſimul finem habebunt. Et tunc relinquent vel inuiti præſens ſæculum qui modo voluntarij non ſunt abrenunciare pompis eius. Tu autem dilecte frater maiorem gratiam à Domino accepiſti, quia inter tot ſodales tuos à multis periculis corporis & animę, à laqueis diaboli es præſeruatus,& in loco apto ad ſaluandum animam tuam conſtitutus. O quātas gratias Deo debes qui tibi regnum ſuum promerēdum obtulit, quod diues pecunia poſſidere non poteſt. Et quam miranda Dei gratia vt inualidus & imperitus ſanctorum viam fortiter ambulet, quam robuſtus & doctus vix ſequi valet. Recogita vbi nam ſunt olim tecum ſtudētes, vbi illi familiares ſocij cum quibus viuere & ludere ſecūdum carnem dulce erat, cum quibus peregrinari in remotis partibus non amore Chriſti, ſed cupidine temporalis proceſſus & lucri iocūdum tibi videbatur, quam multi iam obierunt, quam A multi etiam vagi in ſæculo remanſerunt. Bene de ipſis cum ſancto Moyſe dicere potes conſideratis finibus eorum: Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Audiſti alios Romam pergere & pro beneficijs laborare. Alios Pariſijs reſidere & ad magiſterium tendere, alios perceptis dignitatibus & prælaturis in medio populi iā exaltatos eſſe. Tu autē quid? Gratias Deo, quia nihil horū attentaſti, immo & propter Chriſtum iam veluti ſtercora iſta mūdana omnia gaudia reputas, adieciſti etiam teipſum contemnere, B loquens cum beato Dauid: Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis quā habitare in tabernaculis peccatorum. Tu itaque elegiſti hodie Dominum Deum in patrem, cui ſeruire, regnare eſt, pro quo humiliari in præſenti ſæculo æternæ exultationis tibi cauſa erit, pro illo labor, requies penuria, diuitiæ, contemptus, honor, tribulatio, conſolatio, infirmitas, robur, mœror, gaudium tibi ſemper ſit. Et quò purius & ardentius eum amaueris, eò viliora terrena omnia cenſebis. Caue tamen chariſſime C ne aliquando permittas maligni ſpiritus conſiliū intrare cor tuum vt contriſteris, quia amicos & ſocios reliquiſti,& quia ipſi iam magni Domini effecti nunciantur,& tu adhuc permanes in innocentia tua. Noli audire eos qui te in aliam viam conantur trahere,& dicunt: vſquequo ſic trāſies? & quare ad altioris ſtatus gradum non tendis, nec aliud opus inchoas vnde alijs etiam aliquem fructū feras. Solet enim diabolus poſt aliqua tēpora conuerſionis tentare ſeruum Dei de pręteritis re- D bus in ſæculo, de amicorum viſitationibus, de multorum ſociorum ſuorum conuerſationibus, quatenus talibus cogitationibus eum retrahere poſſit ad ſæculum, aut impedire à profectu & ab obliuione mundanorum. Sed crede expertis, nocet ſeruo Dei memoria & retractatio vitæ ſæcularis qui nondum plenè ſibi eſt mortuus. Nocet etiam perſuaſio blanda multorum loquentiū de altiori gradu & meliori loco, qui veluti ſapientes prudenter conſulere volunt, ſed ſenſum Chriſti. In obiectione & humilitate, in fuga mundi & E tenore altioris vitæ non habent. Nam nudum Chriſtum ſequi aut recuſant aut pigreſcunt incipere, ne videantur proximis ſolatium ſubtrahere. Et quia gratiā non ſentiunt, quibus Deus ſibi ſeruientes & omnia relinquentes imbuit & confortat, durum ſermonem hunc eſſe dicunt omnibus amicis & rebus proprijs abrenunciare. Et ſicut ipſi ſapiunt, ita & alijs libenter perſuadent. Sed cōtra tales loquitur ſententia ſaluatoris: Cauete inquit, ab hominibus. Multi enim ſunt qui pulchris ſer- F monibus & aptis (vt ipſis videtur) rationibus viā leuem & planā commendare ſciunt,& hominem imperitum quandoq; iuſtificant & laudant, atq; per tales ſermones bene proficientem & firmiter ſtantem quandoque vacillare faciunt. Verumtamen Deus conterit dentes eorum in ore ipſorum, quia iuxta iter ſanctorū non ambulant neq; loquuntur. Non veniat anima mea in conſilium eorum,& domus eorum lōgè ſit à me. Ideoq; frater dilecte nunquam placeat tibi talia audire,& multo minus credere velis. Siue enim diabolus inſtigat, ſiue homines fabulantur, quod incepiſti in eo permaneas obſecro. Recurre ad euāgelium,

& optimum audies remedium. Quid prodeſt homini ſi lucretur vniuerſum mundum, ſeipſum autem perdat? Hoc apud te ſẽper retine, & cuiuſuis manus pugnauerit contra te, ſcuto euangelico vtere. Sed ſolent quidam homines ſine ſpiritu & ſcientia Dei obijcere quando ſæculo renunciantibus. Ergo qui in ſæculo ſunt peribunt, & vos ſoli ſalui eritis. Aut non poteſt aliquis venire ad cœlũ niſi ita viuat ſicut vos viuitis. Quid fabulamini ſic iniuſtè contra Deum & ſeruos Dei? Neque hoc Chriſtus dixit, neque ſerui eius ita locuti ſunt. Benefacite, iuſtè viuite, & mandata Dei cuſtodite, & nemo vobis ſalutẽ negabit. Ad hæc illi iterato. Mandata inquiunt vellemus ſeruare, ſed non poſſumus, ſi debemus lucrari victum & neceſſaria vitæ, oportet nos ſæpe contraria agere. Qui cum ſæculo conuerſamur, ſæcularia negotia quomodo cauebimus? Si iſta perfectè cõſideratis, & pericula atque fallacias mundi non ignoratis, quid ergo obſequimini quia ſerui Dei mundum fugiunt, & monaſteria deuotorum aut congregationes intrant, vt Deo ſine tali impedimento ſeruiant? Si imitari non vultis aut non valetis, ad minus congaudere & adiuuare bonos pro veſtra ſalute deberetis. Sed non plus frater de iſtis, quia taliter loquentes excuſationem habent de peccatis ſuis. Conſtanter igitur age, Chriſtus qui tibi incipere donauit, ipſe perficiet conſolidabitque in finem propoſitum tuum. Ecce nunc tẽpus breue, mors incerta omnia caduca in mundo & vana. Multi iam in ſepulchris fœtẽt, qui diu ſe viuere æſtimabant. Receſſerunt à memoria hominum qui in ore verſabantur omnium. Colit modus pręſẽtes, abſentes neſcit, deſerit morientes. Beatius ergo contemnere fallacem & ſequi veritatem, qui nobis pariter concedat vitam æternam.

Epiſtola de pia memoria defunctorum.

MVltum iam temporis præterijt dilecte frater, quod decreueram aliquid pro pia memoria defunctorum charitati tuæ inſinuare, & maximè parentum noſtrorum & amicorum ſpecialiter, omniumque deuotorum, quorum nomina Deus in libro vitæ ſcribere dignetur, & inter ſanctos ſuos collocare animas eorum in cœlis, ſicut & corpora apud nos ſepulta ſunt in terris.

Nos debemus libenter pro eis & pro omnibus fidelibus defunctis orare, quia hoc opus ſummæ charitatis eſt & miſericordię. Sic igitur nobis ſubuenire poſt mortem deſideramus, ita & eis quantum melius poſſumus Domino opitulante ſubuenire laboremus. Qui enim pro animarum liberatione fidelis & ſedulus fuerit, nimirum & ſibiipſi plurimum proficit, cum pro talibus orans nequaquã ſe ſpoliat fructu orationis, & inſuper ſibi recordationem mortis adducit, & vix ſine compunctionis gratia ad ſolita redit, ſciẽs quia omnes viam vniuerſæ carnis ingreſſuri ſumus, & quod illi iam expleuerũt certiſſimè ſibi conſtat futurũ. Oremus igitur pro charis noſtris, quia poſt modicum ipſos ſequimur, & cũ melius habuerint, omnino in eadem neceſſitate recordabuntur noſtri. Non ſit fides noſtra ore tenus, neq; quæ in facie ſunt reſpiciamus, ſed dilectionem faciamus, ſiue præſentes ſiue abſentes corporaliter fuerimus. Charitas enim nunquam excidit, & qui ſe in veritate diligunt, ſeipſos obliuiſci non poterunt. In neceſſitate probatur amicus fidelis. Etenim impiũ & crudele nimis, ſi videas fratrẽ tuum aut cordis A tui amicum carceri traditum vel flammis iniectũ, nec moueris ad fletum & cum manum porrigere poſſis, nihil agis charitatis, at etiã ſi loqui aliquid pro eis quiueris liberatione, clauſo pertraſeas ore. O fidelem Samaritanum, qui viſo homine vulnerato latronibus & expoliato, miſericordia motus eſt. Heu heu pincernarũ magiſtro, qui oblitus eſt Ioſeph ſui interpretis cũ de carcere eſſet eductus. Sic timeo quod multotiens cõtingit, cum aliquis amicorum obierit, & pro ſe inſtanter orare petie- B rit, ac fidei viuentium ſe commendauerit, quod aliquando obliuionem accipit, aut paruam & tardam ſentit aduenire expiationis hoſtiam quã ſperaſſet. Propter quod dilectiſſime meipſum & te pariter admoneo, vt pietatis oculum frequenter dirigamus ad memoriam defunctorum, & quicquid pro eorũ abſolutione nouerimus prodeſſe, deuota exequimur feſtinatione, ponderantes quã graui tenentur tormento, & quia niſi purgati fuerint, ad requiẽ tranſire nõ poſſunt. Eorum etenim C conſolatio maximè in Chriſti meritis & ſanctorũ ſuffragijs, & fidelium cõſtat oblationibus. Simus ergo feruentes ad ſoluenda beneficia ſalutaria, & deuotè oremus pro eis generaliter & priuatim. Attentè vigilias legamus, libẽter & ſæpius ad miſſam miniſtremus, & cum ſacerdote vota labiorũ noſtrorum in conſpectu veri & ſummi ſacerdotis offeramus, qui eſt hoſtia digniſſima ad exhauriẽdum omnia peccata. In illa hora dum Chriſtus in altari inter manus ſacerdotis Deo patri pro ſalute viuorum & defunctorũ offertur, teipſum cura cũ D omnibus tibi in oratione commẽdatis offerre in acquiſitionem & poſſeſſionem perpetuæ ſalutis, vt omnes ſint participes huius precioſiſſimi ſacrificij, quod immolatum ſemel in cruce ſufficiens eſt præcium pro peccatis totius ſeculi, habeas tũc ſpecialem memoriam eorum qui tibi ſunt commẽdati & recita nomina eorũ in præſentia Chriſti, & reuerenter ac deuotæ ſæpius flecte genua cordis tui, vbi cõſiſtis ante fontem miſerationum Domini. Quotienſcunque etiam ad perceptio- E nem corporis Chriſti præparas & perceptum tecum habes, eſto quæſo memor fidelium defunctorum & implora tanto ardẽtius miſericordiam eius, quanto certius retines in te pignus æternæ redemptionis. Sępe de mane, ſæpe de veſpere, ſed in labore & tempore ſcripturæ chariſſimorũ tuorum recogita obitum, quomodo habeant, & quomodo aliquid facias pro eis quod ipſis poteſt prodeſſe, & tibi nihil obeſſe. Antequam comedam ſuſpiro, ait ſanctus Iob. Ex quo verbo pietatis tibi & cõpaſſionis innuitur opus, vt nũquam cibum corporalem ſumas, niſi prius fidelibus defunctis F aliquam ſpiritualẽ eleemoſynã mittas. Ego noui aliquorum talem eſſe conſuetudinem, qui ligno refectorij facto ſe expediunt & vacant orationi, ad refrigerium animarum fidelium, quorum eleemoſynis ſuſtentantur &c.

Finiunt epiſtolæ.

TRACTATVS EIVSDEM DE PASSIONIBVS ANIMÆ, EDITVS.

Anno. 1409.

PASSIONEM

Digitized by Google

PASSIONVM feruorem, affectum & originem cognoſcere prodeſt animæ ad deuotionis ſcholam vocatæ. Sanè quemadmodum ſumma vitiorum eſt tranſiſſe in affectum maliciæ, ita vt ipſum iam vitium ex intimo ſenſu placeat; ſic culmen virtutis eſt tranſiſſe in affectum iuſtitiæ. Affectus verò vel eſt paſſio ab agente derelicta in potentia cognoſcente, vel ſimilitudinem habet paſſionis. Nō eſt autem deuotio ſine affectione, nam deuotio quid aliud eſt quā extenſio vel eleuatio mentis in Deum per pium & humilē affectum. Rurſus omnis virtus cum ſit affectio moderata & ordinata, vitium ex defectu modi & ordinis in affectibus proueniat, nunquid nō ſalubris erit affectionum paſſionalium cognitio. Paſſionum quippe ignorata qualitate, neq; virtutum neq; habituum, imo nec ipſius hominis, neq; tentationum ſuarū multiplicium poterit ſufficiens notitia vel ars adipiſci. Quo pacto deniq; ſicut oportet orabimus mente, orabimus ſpiritu iubilātes in cordibus & laudantes Deum in pſalterio decachordo cū cantico in cythara, ſi deſideriorum & affectionum quæ ſuauem hanc harmoniam reddere habent, naturam ignorauerimus. Sentiuntur ab idiotis & ſimplicibus aliquando experimentaliter tales affectus, nec negamus. Veruntamen additio doctrinę multum confert. Hac conſideratione permoti ſunt ſancti patres, nominatim Poëmen & Arſenius, in quorū ore vix aliquid niſi de paſſionibus animarum ſermo verſabatur. Præſentem igitur materiā de paſſionibus & earum conditionibus de cauſis & effectibus, de modo quoq; vtendi eis placuit ſub aliquibus conſiderationibus pertractare. Id quod reliquum erit (multa autem relinquentur) inuenietur apud ſanctum Thom. in 1. 2. 7. quæ. 21. & deinceps. Additis quoq; allegatoribus.

Conſideratio prima.

Paſsio eſt inclinatio quædam vel coaptatio ſeu ſimilitudo & conuenientia derelicta ab agēte in paſſum, per quam trahitur quodammodo ipſum paſſum ad agens, aut eidem coaptatur vel aſſimilatur, & refugit contrarium. Certè quemadmodū ignis generans ignem ex aëre, & relinquit in igne genito caliditatem & leuitatem, quæ leuitas ſuo pondere vel tractu mouet ſurſum ad ſimilem ignem, & dum illic eſt quieſcit, odit verò locum deorſum tanquam ſibi non conuenientem, & refugit ipſum, neq; quietem habet in illo. Sic homo proportionabiliter affectus per amorē ad aliquid, inclinatur ad illud. Et ſi non habet, deſiderat ſeu concupiſcit ipſum. Et ſi adipiſcitur, quieſcit & delectatur in eo. Odit verò contrarium, & abhorret approximationem eius, & ſi ei coniungitur, dolet ſeu triſtatur. Et hę ſunt ſex paſſiones, tres reſpectu boni ſimplicis, & tres ſimiliter reſpectu mali, prout infra docebitur, amor, concupiſcentia, delectatio, odium, fuga, dolor vel inquietudo.

Conſideratio ſecunda.

Paſſio quælibet inſequitur cognitionem, vel coniunctam vt in cognitiuis, vel non coniunctā, vt in non cognitiuis. Habet itaque quodlibet ens naturale ſuas inclinationes certas tanquam rememoratum & directum ab intelligentia non errāte quæ Deus eſt. Agit quippe Deus omnia tanquā bonum ſummum ſuijpſius diffuſiuum, & propter ſeipſum creauit omnia tanquam finis omnium.
A Ideo bonum quod habet rationem efficientis & finis, ponitur à beato Dionyſio primum nomen Dei. Conſequens eſt igitur, quod in re qualibet derelinquat Deus paſſionem, quæ ſit aſſimilatio quædam vel coaptatio & conuenientia vel inclinatio & tendentia ad ipſum ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ, in qua fecit omnia in numero, pondere & menſura. Hæc autem inclinatio generalis ad finem vltimum per fines particulares, & proximos, nominantur quandoq; appetitus vel affectio naturalis, quandoq; pondus rerum, quando-
B q; tractus ſeu tendentia, quandoq; amor inſitus, quandoq; lex, quādoq; regula, inſtinctus, quādoque ęquitas naturalis, quandoque fœdus rerum ſtabile, quandoque ſenſus naturæ, aut aliquo tali vocabulo. Sed res eadem eſt, quæ ſæpe nihil dicit ſuperadditum ad ipſam naturam, neque vt accidens, neque habitus, ſed vt ipſa natura taliter inſtituta, quæ ex agente Deo & diſponente omnia fortiter atque ſuauiter habet tendere in talem vel talem finem, & moueri ad illum ſi abſens ſit, niſi
C impediatur, & quieſcere in adepto, odire verò contrarium, fugere quoque nec in illo quieſcere. Hoc ſomniaſſe viſus eſt Ra. Heclitus dicens, omnia fieri per litem & amicitiam. Hoc quoq; vidit Ariſtoteles enuncians bonum eſſe quod omnia appetunt, & hunc eſſe finem omnium Deum confeſſus eſt, qui ſolus ſicut eſt ineffectibilis ab alio, ſic impoſsibilis ſolus inuenitur, tam paſsione perfectiua, vt eſt illuminatio in cœlo, quam defectiua, ſicut dolor in corpore animato. Niſi fortaſ-
D ſis quis abuti auſus diceret in emanationibus diuinis reperiri paſsionem ſicut generationem filij paſsiuam dicimus, & ſimiliter paſsiuam ſpiritusſancti ſpirationem.

Conſideratio tertia.

Paſſio ſequens cognitionem coniunctam reperitur in omni virtute cognitiua, in qua paſsiones derelictæ ab agentibus inchoātur & terminantur in appetitiua virtute, ita vt paſsio talis generali nomine deſcribi poſſit, quod eſt inclinatio vel motus proueniens ex cognitione vel apprehenſio-
E ne alicuius vt conuenientis vel diſconuenientis, præſentis vel abſentis. Et ſiquidem motus ille qui quandoque ſucceſſiuus eſt quandoque permanens vel immanens ſicut eſt amare. Si inquam, conſequitur cognitionem purè ſenſitiuam, ſic dicitur paſsio animalis. Si verò ſequitur cognitionem ipſius rationis deliberantis vel dictantis de particularibus agendis, ſic dicitur paſsio voluntaria vel rationalis vel conſcientioſa. Si verò ſequitur cognitionem purè intellectualem ſeu mentalem, in cuius lumine cognoſcuntur prima princi-
F pia moralia, ſic poteſt nominari paſsio ſynderiſis vel mentale exceſſus, vbi fit raptus & extaſis.
Et ita quadruplex genus paſsionum poteſt apud hominem inueniri, naturalium, animalium, rationalium, intellectualium. Et quoniam apud philoſophantes principalis ſermo eſt de paſſionibus conſequentibus cognitionem ſenſitiuam tam in animalibus quam in hominibus eò quod ad illas tranſmutatur corpus tranſmutatione ſenſibili, & ad tranſmutationes iſtas ſimiliter ipſæ paſsiones aliquando conſequuntur, Exiſtimamus idoneum tractare primò ſeparatim de paſsionibus huiuſ-

Digitized by Google

modi animalibus, quibus cognitis, facile erit per ſimilitudinem & coaptationem de reliquis, tam naturalibus quam voluntarijs quam intellectualibus habere ſermonem.

Conſideratio quarta.

Paſsiones animales cognoſcuntur ex ſubiecto & obiecto & effectibus. Suum equidem ſubiectum eſt vis appetitiua ſenſualis, quæ reſpicit bonum temporalem particulare hoc vel illud tanquam ſibi conueniens,& malum tanquam diſcõueniens,& hoc ſub ratione commodi vel incommodi, quia ratio iuſti propriè non eſt ibi, nec ſecundum eam propriè ſumũtur paſsiones, ſed magis ipſæ virtutes in ipſa ratione & mente. Cauſatur ergo motus quidam in appetitiua virtute conſequenter ad apprehenſionem virtutis cognitiuæ ſenſualis exterioris vel interioris, cuius obiectum eſt verum ſimplex, velut quædam adæquatio rei cognitæ ad cognoſcentem,bonum verò ſuperaddit conuenientiæ rationem. Et quoniam bonum commodi poteſt conſiderari abſolutè ſine contractione aliqua, vel conſideratur nunc vt abſens nunc vt præſens,nunc vt arduum & difficile, atq; ita proportionabiliter de malo. Propterea ſecundum hoc diuerſificatur vel ramificatur vis appetitiua,& ſimiliter paſsiones. Eſt quippe virium appetitiuatum, alia concupiſcibilis, alia dicitur iraſcibilis, quarum diſtinctio ſumitur ex obiectis, nam vis concupiſcibilis reſpicit bonum vel malum non ſub ratione aliqua difficultatis vel arduitatis. Sed quoniam multa ſuperueniunt nata impedire concupiſcibilem in ſua inclinatione vel tendentia vel quiete circa bonum,& in odio, fuga vel inquietatione circa malum, hinc data eſt ei tanquam propugnatrix ipſa virtus iraſcibilis quod tendit in bonum adipiſcendum vel malum depellendum,non vt ſimpliciter tale,ſed vt arduum & difficile adipiſci vel euadi, quale nullum in Deo reperitur, ideo nec iraſcibilem habent vllam.

Conſideratio quinta.

Paſsionum numerus & ſufficientia ſumitur tam à ſubiecto quam ab obiecto. Vis itaq; concupiſcibilis vel reſpicit bonum commodi abſolutè, & ſic cauſatur amor vel libido, qui vel quæ eſt coaptatio vel inclinatio quędam ad bonum commodi. Vel reſpicit illud vt abſens, & ſic cauſatur deſiderium & concupiſcentia ſeu cupido vel cupiditas, quaſi ſatagens illud adipiſci. Vel reſpicit bonum commodi vt iam adeptum, & ſic cauſatur delectatio vel lætitia vel voluptas. Dicendum quoque eſt proportionabiliter de tribus alijs paſſionibus reſpectu mali ſeu incommodi. Quale ſi apprehenditur abſolutè,ſic cauſatur odium,quod eſt diſconuenientia quædam & diſproportio paſſi ad ipſum malum. Vel apprehenditur malum vt abſens, licet vt imminens, & ſic oritur fuga vel abominatio & horror. Aut apprehenditur ipſum malum vt iam præſens,& ſic oritur triſtitia, dolor & anguſtia cum ſimilibus. Et ita ſex reperimus paſsiones in concupiſcibili, tres reſpectu boni, amorem, deſiderium & delectationem, & tres reſpectu mali, odium ſcilicet fugam & dolorem. Rurſus ipſa vis iraſcibilis cum non reſpiciat bonum vel malum niſi ſub ratione difficilis & ardui ad adipiſcendum vel fugiendum, quale nullum eſt bonum vel malum vt præſens, propterea manet A ſolum in tendentia vel fuga, nam quicquid eſt præſens vel adeptum vt tale eſt cadit in concupiſcibile rationem. Tendit ergo vis iraſcibilis in ſolum bonum vel malum abſens, tanquam difficile ad obtinendum vel refugiendum ſeu depellendum. Et ſiquidem hoc fiat reſpectu boni futuri cum fiducia adipiſcendi, ſic dicitur ſpes. Si cum diuidentia, ſic dicitur deſperatio. Si verò fiat reſpectu mali futuri,& hoc cum fiducia repellendi & oppugnandi,ſic habemus audaciam. Si cum diffidentia,ſic metus aut timor exoritur. Et vtro- B biq; fiducia vel diffidentia, poteſt inueniri nunc cum certitudine,nunc ſine certitudine, quamuis iſtę paſsiones certitudinem magis importare videantur. Sic ergo quatuor habemus paſſiones in iraſcibili,duas reſpectu boni difficilis futuri,ſpem & deſperationem, & duas reſpectu mali futuri difficilis,audaciam & metum ſeu timorem. Superadditur quinta paſsio reſpectu mali præteriti, quã dicimus iram dum vis iraſcibilis aſſurgit ad vindictam illatæ iniuriæ, quæ iniuria apprehenditur vt C læſiua propriæ excellentiæ,& inductiua minorationis ſeu vilipenſionis, ideo quæritur viciſsitudo quædam læſionis, quaſi agens compatiatur vt dignum eſt, & ſic fiat quædam æqualitas, & hoc apprehenditur vt difficile vel arduum. Sed cur hæc paſsio non habet contrariam. Reſpondemus quod virtus ira ſcibilis ſic obfirmatur, quod nullo modo ſatagat vel audeat aſſurgere in vindictam iniurię iam illatæ hoc non fit niſi duplici cauſa. Vna quia malum apprehenditur vt pręſens & ine- D uitabile,& ita cadit ſub ratione triſtabilis & doloroſi,nec exit concupiſcibilis rationem. Aut hoc fit quia vis iraſcibilis non ſatagit in vindictam, & ita cadit à ratione iræ,quia reputat quod iniurians ſatis contra paſſus eſt: aut compatietur abſque vlla difficultate quandocunque placuerit, & ita quietatur ſeu quieſcit,& quodãmodo delectatur tanquam in adepta victoria,& hoc iterum ſpectat ad concupiſcibilis rationem. Hic ſequitur arbor.

Conſideratio ſexta.

Paſsionum animalium prima & velut vnica E radix eſt amor ſeu libido. Amor quippe animalis eſt inclinatio vel motus conſurgens in animali ex apprehenſione boni vel tanquam boni ſibi, vtpote quia valet ad ſuum eſſe vel bene eſſe conſeruandum. Cum igitur bonum ſit prius quam malum (nam malum non dicitur niſi priuatio boni) & habitus non eſt dubium prior eſt priuatione (vnde nec aliquid odio habetur, niſi quia alicui quod diligitur apprehenditur eſſe contrarium) ſupereſt vt omnes paſsiones reſpectu boni pręce- F dant eas quæ directè de proximo malum reſpiciunt tam in concupiſcibili quam in iraſcibili. Inter eas verò quæ circa bonum verſantur, vt ſunt deſiderium,delectatio,ſpes,deſperatio,amor, qui abſolutè bonum reſpicit,præcedere habet paſſiones habentes pro obiectis bonum vt abſens vel vt iam adeptum, vel vt futurum & arduum, aut ſub aliqua tali contracta ratione. Habemus cõſequenter quodvis concupiſcibilis prior eſt ad iraſcibilem,quamuis paſsiones iraſcibiles frequenter ad concupiſcibilem terminẽtur, vt ſpes aut audacia ad delectationem ſi vincãt, deſperatio & metus ad triſtitiam ſi vincantur,cadunt. Inueniemus

præterea

Digitized by Google

præterea quod omnes paſsiones reducuntur ad quatuor principales, duas in concupiſcibili, quæ ſunt delectatio & dolor,& duas in iraſcibili, quæ ſpes & metus appellantur. Sed & ſub generaliori conſideratione omnes reducuntur ad duas ſecundum duplicem rationem ſci. boni & mali, & illæ ſunt delectatio & dolor. Tandem fit omnium ad vnam velut radicalem originem reductio,ſc.ad amorem, licet conſummatior & principalior paſſio ſit delectatio cõſequens hunc amorẽ,vt quieſcit in re iam adepta. Amplius verò licet amor ſeu libido ſit prima paſſionum, ſortitur tamen ipſa concupiſcibilis nomen à cõcupiſcentia vel cupidine. Etiam ſecundum fictionem poëticam dicitur,quod Cupido Deus amoris eſt & filius Veneris, & hoc quia bonum abſens vel deſideratum magis facit ſe ſentiri cæteris paribus ratione defectus & indigentiæ,tanquam oppoſita iuxta ſe poſita magis ſentiãtur. Similem aſsignare poſſumus cauſam,cur iraſcibilis ab ira potius quam à ſpe vel audacia nominetur. Ira quippe reſpicit minorationem ſeu vilipenſionem, quæ inter mala maximè fugitur,ſicut ex aduerſo excellentia magis appetitur, & ita appetitur, vt vitæ propriæ aliquando præferatur, quemadmodum introducit pacta Euryalus, reſpondit ad Niſum.

Et hic eſt animus mortis contemptor & illum,
Qui vita bene credat emi quem quæris honorem.

Conſideratio ſeptima.

Paſſiones omnes in animalibus brutis cenſendæ ſunt bonæ & pulchræ. Exempli gratia,audacia & animoſitas in leone &gallo,ira in tigride & apro, voluptas in porco hirco & paſſere,timiditas in lepore & oue,fraudulentia in vulpe,adulatio in cane, ſuperbia in equo, triſtitia in melancholico, in catto,auaritia in cornice.Itaque paſsiones iſtę neq; malæ ſunt vel deformes in genere moris, cum deſit ipſis animalibus libertas arbitrij, in qua fundatur ratio laudis vel vituperij. Neq; turpes dici poſſunt aut malæ in genere entis,quoniam ens & bonum & pulchrum,conuertuntur,propterea tãtundem habet quælibet res ſit ſubſtantia, ſit accidens de bono & pulchro quantum de ente, nec habere poteſt malum contrarium. Amplius verò quælibet res naturalis dirigitur in ſuis motibus ab intelligentia nõ errante vt dictum eſt iam ex ſententia philoſophorum, cui conformans ſe Augu. dixit,quod Deus ſic rẽs quas cõdidit adminiſtrat, vt eas proprios motus agere ſinat. Vbi autẽ deeſt error, & adeſt rei id quod ſibi eſt proprium, deſit & turpitudo neceſſe eſt. Quod paſſiones in brutis aliquando turpitudinis arguimus vel horremus & odimus & expugnamus. Reſpondemus hoc ideo fieri, quia nobis & deſiderijs noſtris aduerſantur, inferúntq; læſionem aut aliqua tali ratione.Monſtra proinde quę videantur peccata & turpitudines in natura quomodo ad cauſã primã & ſinẽ vltimũ relata pulchra ſint videri facile eſt.

Conſideratio octaua.

Paſsiones animales in omnibus viatoribus ſunt vt plurimum vituperabiles & malæ turpes. Inueniemus hoc eſſe verum,non ſolum ex determinatione fidei, ſed ex naturali deductione ſi proſpexerimus conditionem & finem ſecundum quem homo conditus eſt. Homo namq; cum ſit natura rationalis, ipſe factus eſt vt diſcerneret inter bonum & malum,& vt magis bonum,magis diligeret.
A Conſtat verò Deum eſſe ſummum bonum. Ordinatus eſt igitur homo ad cognoſcendum & diligendum Deum,in quo ſtat ſua iuſticia,ſua bonitas & gloria. Oportet quoq; vt hoc aſſequatur aliquando homo alioquin fruſtra & inſipienter ad hunc finem fuiſſet ordinatus ſupra brutalem naturam.

Ex hoc radice veritatis philoſophicæ ſequitur quod homo debet ſummum bonum ſummè diligere,& magis quam parua bona aut quam mala. Debet ad operationes partis ſuæ principalis quæ
B eſt ratio magis inclinari quam ad illas corporis. Debet quanto erit iuſtior iuſticia morali, vel nullo modo vel minus affligi. Debet ſecundum portionem ſuperiorem & diuiniorem ac liberam dirigere inferiorem, & ei liberè & ſine contradictione dominari. Debet habere corpus ſuum tanquam inſtrumentum conforme rationi, immortali ſc.nec impediens, ſed adiuuans rationem, ac minus indigens quam corpora inferiorum naturarum. Sed omnium iſtorum ac ſimiliũ videmus
C in hominibus contrarium propter paſsiones corporis,quæ trahunt animam ad dilectiones ſordidas & malas, trahunt in errores & ſuperſtitioſas inſanias, trahunt magis ad operationes corporis quam ad operationes virtuoſas, trahunt ad obligationem, ignorantiam & inquietudinem, trahunt ad afflictiones,ad rebelliones,ad pœnam & mortem plus quam in brutis,& in iuſtis ſępe plus quam iniuſtis. Quid ſupereſt niſi concludere tales paſsiones eſſe contra rectum & debitum ordinem naturæ primitus inſtitutæ. Hic autem ordo
D non aliter peruerti poteſt, quam ex culpa liberè perpetrata per ingratitudinem contra Deum, ſicut vidit qui deplorans dicebat: Homo cum in honore eſſet &c.Sed heu iam non ſimilis, ſed deterior & turpior. Sunt igitur paſſiones huiuſmodi vituperabiles,quia tollunt obedientiam. Sunt & malæ turpes, tanquam priuantes in homine ex vitioſa radice modum, ſpeciem & ordinem, præueniunt, quippe iudicium rationis quod oporteret ſubſequi turbant, ligant atque tyranni-
E zant dominium rationis, ita vt nimis ſentiat homo illam ſententiam: Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.Et illud: Iugum graue ſuper filios Adam.Denique multi philoſophorum experientia & ratione conuicti, confeſſi ſunt hanc corruptionem, licet ad veram cauſam nequaquã peruenerint. Tandem ex his radicibus quæ multiplicius extendi potuerant, neceſsitas oritur recreationis humanæ per mediatorem Chriſtum Deum & hominem, & alioquin finis humanæ creationis in nihilum corruiſſet pro tota ſpecie,
F quia non ad gloriam ſuæ viuificationis & fruitionis, ſed ad pœnam æternæ damnationis tota deueniſſet, quod ſapientiæ diuinæ, ſuæque potentiæ & bonitati neque decens neq; rationabile eſt aſcribere. Deus quippe & natura nihil faciunt fruſtra. Hinc ortum habuit illa exclamatio prophetica: Nunquid enim vanè conſtituiſti filios hominum? dans intelligi quod nequaquam. Notentur tamen pro his quæ dictat ſequens conſideratio.

Conſideratio nona.

Paſsiones animales pro ſtatu naturæ inſtitutæ

Digitized by Google

fuiſſent pulcherrimæ. Huius ratio eſt, quia præueniſſet iudicium rationis, ſed ad obſequium & nutum eius vel ſurrexiſſet vel quieuiſſet. Sic in Chriſto neq; dolorem neq; cõcupiſcentiam, neq; deſiderium, neq; ſpem aut metum inuenire erat, aut aliam paſſionis cuiuſcunq; ſimilitudinem, niſi ſubſequenter ad imperiũ & dictamen rationis. Porrò quilibet homo quanto amplius profecerit in virtutibus moralibus atq; gratuitis, tanto reformabitur ordo iſte in eo vt paſsiones non præueniãt aut obruant iudicium rationis, ſed potius ad eius iuſſionem moderentur. Hinc ortum eſt diuinum illud Ariſt. verbum, quod in virtuoſo omnia cõſonant rationi. Si tamen eſt in hominibus inuenire talem, prius quam corpus mortale hoc & corruptibile induerit incorruptibilitatem & immortalitatem & abſorpta fuerit mors in victoria. Sic fortaſſis eleuare naturam humanam voluerunt ipſi Stoici, dum dixerunt quod virtutes ſunt impaſſibilitates, non vtiq; quod virtuoſi nihil ſentirent aut paterétur, alioquin lapidibus eſſent pares, ſed quia paſſionem quãlibet præuenit virtuoſus, nec ſurrepit aliqua velut effrænis atq; tyrannizans rationem. Sed ſtatus talis vtinam æquè faciliter acquireretur quam pulchrè & citò deſcribitur. Epicurei autem quia naturam humanã in beſtialem detorquebant, nec aliquid porrò melius aut diuinius ponebant in homine, dixerunt conſequenter paſſiones omnes eſſe pulchras & optimas. Ita enim de beſtijs iam diximus. Cæterum Ariſtoteles quaſi medium iter pergens, negauit paſſiones omnes bonas eſſe, quia multæ præueniunt & impediunt rationem. Negauit nihilominus omnes iudicandas eſſe malas & turpes, eas videlicet quæ ratione regerentur.

Puto ex iſtis facile eſt elicere regulam generalem de morali bonitate vel malicia paſsionum. Dum enim paſſiones regi debent ratione nec reguntur, illæ tunc iudicandæ ſunt aut criminaliter aut venialiter malæ; nam ſenſualitas in homine participat de voluntario in hoc quod ordinata eſt audire rationem, quam dum renuit audire, peccat & turpis eſt, bruta verò nullam hoc modo habent cum ratione colligantiam, nec ordinata eſt eorum brutalis obtemperare rationi coniunctæ quã non habent. Sed oritur difficultas de pueris & fatuis non habentibus vſum rationis primitus à natura inſtitutæ in tantũ ſunt ſui motus illi paſsionales turpes, non habentes modum, ſpeciem vel ordinem, qualem humanæ naturę poſtulaſſet integritas, ita vt verum ſit iuxta hãc conſiderationem, quod nemo viuens eſt ſine peccato ſuper terram, etiam infans vnius diei. Solus Chriſtus poſt peccatũ primi hominis ſicut habuit innocentiam originalem, ſic in ſolo regno animæ ſuę ſeruata eſt iugiter ab inſtãti ſuę cõceptionis talis obedientia ſenſualitatis ad rationem, qualem primaria naturæ inſtitutio in homine plantauerat. Et talem neque in Virgine Maria neque in Ioanne Baptiſta dum infantes eſſent inuenire erat. Quamuis hæc deſtitutio naturæ nequaquam imputaretur tunc rationi ad culpam actualem vel mortalem vel venialem apud eos, ſicut nec apud nos dum infantes ſumus, & dum non habet ratio liberum vſum ſuum, abſq; omni præcedente culpa actuali noſtra, ſecus vbi culpa noſtra in cauſa

A eſt. Nihilominus eſſent hinc attendenda multa circa conditionem ſtatus innocentiæ, & circa liberum dominium, quod habuiſſet ratio pro omni tempore ſupra ſenſualitatem, tam in pueritia quã in ſenio, tam motibus potentiarum naturalium, cuiuſmodi ſunt nutritiua & vegetatiua, & generatiua quam ſenſitiuarum, ſicut ſunt imaginatiua & phantaſtica, & exteriores quinque potentiæ, de quibus non eſt hic dicendum per ſingula, ſicut nec quale dominium in iſtis comprehenſores fuerint habituri.

Conſideratio decima.

B Paſſionum animalium generalis origo duplex inuenitur. Prouenit enim frequenter à ſenſibus exterioribus agentibus in ipſos ſenſus, vt in viſum, auditum, guſtum, tactum, & olfactum. Et hic modus in homine eſt velut ab inferiori. Proueniunt nihilominus velut à ſuperiori dum ſpiritus rationalis actuatus hac vel illa cognitione ex cõſequenti volitione vel nolitione, imperat membris inferioribus mouens ea. Quemadmodum Chriſtus horribilem mortis apprehenſionem

C immiſit à ratione in ſenſualitatem. Talis enim colligatio iungit portionem ſenſualem ad portionem rationalem, quod viciſſim actus vnius redundant in alteram, quamuis in non virtuoſis tractus ſenſualitatis ſit fortiter & ita fortior quod non eſt in poteſtate rationis non tangi irruentibus primis paſſionum motibus, licet ſub ea ſit appetitus ille & dominetur eius taliter quod nequit ab inuita ratione conſenſum extorquere. Secus in perfectè virtuoſis, ſecus in beatis, ſecus in Chri-

D ſto, ſecus præterea in ſtatu primario, de quo probabile eſt ſentire, quod nunquam niſi de ſuper imperante ratione potuiſſet quodcunque ſenſibile forinſecus agere in ſenſus, alioquin vix haberi poteſt exitus, quin neceſſe ſit concedere deceptiones, & errores potuiſſe contingere pro illo ſtatu, & paſſiones de neceſſitate præueniſſe tionem. Expediunt autem ſe leuiter qui ſentiunt vt diximus. Sanè modò nunc apud naturam deſtitutam contrario, quando neceſſe eſt vt omnis noſtra cognitio incipiat à ſenſu deorſum tunc

E autem deſurſum ſemper deſcendiſſet.

Conſideratio vndecima.

Paſſiones ſuas ſuo modo dicendus eſt habere ſpiritus noſter rationalis, ſimul & ratio ſeu voluntas. Præſupponenda ſunt hic omnia quæ de diſtinctione ſpiritus & rationis & ſenſualitatis tradiderunt doctores ſacri, non diſcrepantes in hoc à philoſophis eleuatis, de quibus alio loco tractauimus, dum ſcientiam de theologia myſtica vtraque declarare tam ſpeculatiuè quam practicè conati ſumus. Et quantum patitur præſens

F breuitas, dicimus iuxta iam notata, quod ſicut ad cognitionem ſenſualem natus eſt ſequi quidam motus ad proſecutionem vel fugam, dum apprehenditur aliquid vel tanquam conueniens vel vt diſconueniens. Sic ſuo modo nata eſt ſequi quædam affectio, longè tamen purior ad cognitionẽ ſpiritus in lumine puræ intelligentiæ à phantaſmatibus denudatæ, dum ſe ad lumen æternum deſuper conuertit quaſi ad ſpeculum quoddam æternitatis, & ad montes æternos, à quibus mirabiliter illuminat Deus. Voluntas ſimiliter dum inſequitur cognitione rationis quaſi mediam inter

Digitized by Google

ter lumen ſpiritus & cognitionem ſenſus, habet in ſe motus paſſionales ſuo modo, qui tamen nō alterāt per ſe & immediatè corpus, quia nec fiunt organo corporeo mediante, quemadmodum paſſiones ſenſuales oriuntur, quarum effectus varij ſunt in corpore, vt ad lætitiam ſequitur dilatatio cordis, ad triſtitiam conſtrictio, ad iram ſupercalefactio, ad timorem frigefactio, & ita de reliquis. Vnde cor in gaudio paulatim dilatatur, & maximè ad anteriora, propter quod moueri dicitur à medicis verſus pectus. In triſtitia verò paulatim è contra ſcili. ad interiora, & maximè verſus deorſum. In ira verò ſubitò verſus pectus. In timore mouetur ad oppoſitum ſubitò, in verecundia ſubitò ad vtrumq;, in anguſtia verò paulatim. Et ita non ponunt medici niſi ſex paſſiones, iuxta ſex modos alterandi cor ipſum. Animaduertat autem ſtudioſus diligenter hanc de paſſionibus diſtinctionem, quoniam multa videtur inter ſapientes varietas de modo ponendi vel negandi paſſiones, niſi concordaret eos iſta conſideratio ſiue diſtinctio. Poſuerunt Stoici paſſiones non cadere in ſapientem, prout Proſper improbat ex ſacris litteris Ariſtoteles ſimiliter eis per rationes ab experientia ſumptas contradicit. Sed intelligamus quid in re ſentiunt, & eos ſtatim conuenire videbimus. Concedunt Stoici gaudium, ſapienti lætitiam tollunt tanquam vanum aliquod & ludicrum nec ſeuerum, concedunt & ſapienti amorem virtutum & odium vitiorum, & ſpem bonam, & fugam vel horrorem inhoneſtatis, alioquin nullum in ſapiente plus quam in lapide virtutis locum linquunt. Negant tamen in ſapiente timorem, miſericordiam, dilectionem, iram, tanquam ægritudines & morbos animi peſtiferos, ſicut nominat Cicero in de Tuſculanis. Sic ſentire viſus eſt Boëtius dum has quatuor paſſiones adijciendas in veritatis metricæ iubet.

Tu quoque ſi vis lumine claro cernere verum, tramite recto carpere callem, Gaudia pelle, pelle timorem, nec dolor adſit, ſpémque fugato, nubila mens eſt: vinctáque frenis, hæc vbi regnant.

Quis tamen exiſtimauerit Boëtium vel alterum ſapientem negauiſſe quin plures & varij ſint animarum noſtrarum ad virtutes & ad vitia ſpirituales affectus. Ecce quod differentia negationis & conceſsionis paſsionum inter philoſophos magis ex nominibus quam ex re pendere videtur, cum vera ſit conſideratio noſtra quod paſſiones ſuas ſuo modo dicendus eſt habere ſpiritus rationalis. Similiter & ratio ſeu voluntas proportionabiliter ad appetitum ſenſitiuum, differenter tamen.

Conſideratio duodecima.

Paſſiones ſpirituales magis attendendæ ſunt animæ ad deuotionem vocatæ, quam ſenſuales, vt illas adipiſci & ſecundum eas affici mereatur. Si enim deuotio eſt, ſicut eſt eleuatio mētis in Deū per pium & humilem affectum, vtiq; iam affectus ille non eſt intelligendus eſſe ſolum ſenſualis, qui frequenter non eſt in noſtra poteſtate nec reſpicit iuſtum vt iuſtum eſt, nec eſt ſolius voluntatis inſequentis cognitionem portionis inferioris ipſius rationis, aſpicientis phantaſmata, licet abſque phantaſmate, quoniam hoc nondum eſt perfectorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ſpirituales inſitos in apice portionis ſuperioris ipſius rationis quæ portio legibus ęter- A nis innititur in lumine puræ intelligentiæ impermixtæ loco & tempori. Et quoniam nominum grandis eſt ſæpe penuria, quorum nihilominus inſtitutio libera eſt. Transferamus deinceps nomina paſſionum animalium de quibus philoſophi tractauerunt, ad affectiones huiuſmodi ſpirituales, quales habet anima, dum contemplans Deum amat ipſum vt totum amabilem. Concupiſcit ipſum vt totum deſiderabilem. Fruitur & quietatur & delectatur in eo vt in toto bono vt- B cumque iam adepto. Odit verò quicquid ab hoc toto amabili, toto deſiderabili, toto delectabili ſeparare poteſt. Hinc illud ſibi vehementiſsimum odium ad peccata, horror & abominatio & fuga & deteſtatio, ſi videantur inſtare, dolor autem acerbiſsimus & inquietudo moleſtiua ſi forſan affuerint. Hinc præterea ſpes ingens dum conſiderat magnificentiſsimam & munificentiſsimam Dei liberalitatem repromittentem æterna. Audacia rurſus magnanimis in aggrediendo grandia propter Deum. Zelus quoque diuini cultus C & honoris. Deſperatio autem in viribus proprijs, vel de viribus proprijs, vt ex conſideratione tantorum criminum & diuinorum iudiciorum inſcrutabilium metus ingens. Ecce habemus in ſpiritu paſsiones vndecim principales. Amorem, concupiſcentiam, delectationem, odium, fugam, triſtitiam, ſpem, deſperationem, audaciam, metum, iram vel zelum. Et vt ad vnum ducamus & differentiam propriam aſsignemus, paſsiones animales vt tales ſunt, verſantur circa rationem D commodi vel incommodi, ſpirituales verò ad rationem ſolius iuſti vel iniuſti reſpiciunt.

Conſideratio decimatertia.

Paſsiones ſpirituales habentes originem ex cōſideratione pura & lucida iudiciorum diuinorum quoad bonos & reprobos, habendæ ſunt iugiter apud deuotos tanquam centrum aliquod, vel cardo, vel axis, vel ſydus immobile inter volubiles alias qualeſcunque & vndecumque ſurrexerint paſsiones. Puto quod paſsiones huiuſmodi ſpirituales habuerat qui dixit: Domine ante te E omne deſiderium meum. Et rurſus: oculi mei ſemper ad Dominum. Pro cuius intellectus placeat vti manuductione groſſa figurali. Conſtituamus nauem in medio mari, ordinemus eam, & armemus tam hominibus quam inſtrumentis omnibus requiſitis, ſit in medio nauis malus erectus portans velum expenſum ad ventorum ſuſceptionem, ſit in ſummitate mali rector nauis ita collocatus, quod poteſt quaquauerſum ſurſum & deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum, ante & F retro proſpicere ſibi de omnibus, ita vt neque fluctuoſæ elationes maris, neque caligines nebuloſæ, neque vndarum aſperſiones, neque extenſiones, neque diſtenſiones veli pro varietate ventorum, neque concurſus & occurſus nautarum ſeu remigantium ſeu nauem regentium valeat obſtare, quo minus aſpiciat omnia quæ videnda decreuerit. Talis rector & ſi feratur nunc hac nunc illac per hanc nauem, ſi circunſonantes etiam vndique varias mutationes prædictas perpeti compellitur, nihilominus liberum habet aſſiduè proſpectum ad immobilem cœli plagam quam polum nominamus. Detorquet inſuper

Digitized by Google

oculos, ſi & dum placuerit per omnem circunquaque in infimis regionem. Exiſtima talem debere eſſe ſpiritum in nauicula corporis qualis tibi deſcriptus eſt rector nauis. Aſcendat ipſe oportet arcem ſeu ſpeculum ſynderiſis, quam appellauit myſticè propheta montem Domini, Paulus tertium cœlum, Ioannes eſſe in ſpiritu. Proſpiciat ex illa ſpecula tanquam ex ſummitate mali ſtabilem cœli axem quæ Deus eſt, qui ſcilicet manens ſtabilis dat cuncta moueri. Videbis quod ſpiritus iſte poterit annotare ventos paſsionum variarum tanquam ex duodecim partibus & plagis ducentium originem à Deo, à bono angelo, à malo, à cœlo, ab innata complexione, ab actione qualitatum primarum, ab actione qualitatum ſecundarum, ab imaginatiua virtute, à ſpiritu, à ratione, ab habitibus acquiſitis vel innatis, tandem à varia cõbinatione ſeu configuratione cauſarum prędictarum. Super quibus omnibus conſiderandum aliquid exiſtimamus per ſingula.

Conſideratio decimaquarta.

Paſsiones ſpirituales originari à Deo tam mediatè quam immediatè fatendum eſt. Si omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & ſapientia dicitur à ſapore ſecundum nomen ſuum. Si pręterea gratiam, dona & virtutes infundi ſupernaturaliter à Deo, nemo fidelis ambigit. Si rurſum virtus ſacramentorum attingit ſaltem miniſterialiter in ſpiritum. Si denique multi ſunt tractus Dei amoroſi quales orabat anima ſancta in Cantic. Trahe me inquit poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Et hæc omnia atque ſimilia, cum ſint paſſiones ipſius ſpiritus vel cauſant eas, quid ſupereſt niſi vt fateamur Deum agere paſſiones in ſpiritum, vſque adeò vt iubilet & exultet ſpiritus in Deo ſalutari ſuo. Amplius verò ſi naturam quinque ſenſuum ſpiritualium proſpicimus, qui ſuam habent ſimilitudinem ad ſenſus corporales, inueniemus quod Deus eſt ipſi auditui ſpirituali harmonia ſonoriſsima, & ipſi viſui lux ſplendidiſsima, & ipſi guſtui ſapor dulciſsimus, & ipſi olfatui odor ſuauiſsimus, & ipſi tactui amplexus iocundiſſimus. Porrò ſemel locutus eſt Deus per ſcripturam ſuam ſacram, qui quamuis & idipſum non repetat ſemper per ſingulos, vt dicit Iob, repetit tamen aperiendo ſenſum, vt intelligantur huiuſmodi ſcripturæ, repetit quoque induendo mentem virtute ex alto, repetit inclinando, inſpirando, alliciendo, illuminando, ſtabiliendo, vt non ſolum intelligatur, ſed impleatur & ametur.

Puto ſic affici poſtulabat qui dixit: Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Cuius rationem vnam reddens, quia teſtimonia tua inquit, meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. Bonum certè ſecurúmque conſilium iuſtificationes Domini, quas ſcriptura ſacra tradit, quod conſilium qui deſerit volens inniti propriæ vel alienæ prudentiæ humanæ, volens præterea ſequi deſideria cordis ſui, & ire in adinuentionibus ſuis, vt tandem fallar & fallatur inter tot varietates affectuũ videlicet orientium, neceſſe eſt, prout infra docebitur.

Conſideratio decimaquinta.

Paſſiones ſpirituales ab angelo Dei bono frequenter immitti credendum eſt. Nolo quiſquam A expectet vt nunc pertractemus ſtudioſè modos quibus angelicus ſpiritus copulari poteſt ad humanum, illuſtrando ipſum, afficiendo, monendo & docendo, perſcrutabor quippe, conquiſitio fit à doctoribus ſcribentibus ſuper ſecundum ſententiarum.

Fatemur itaque quod angelus non illabatur in ſpiritum noſtrum, quoniam hoc ipſum ſolius Dei proprium eſt, qui ita ſpiritum noſtrum ſolus poteſt dominanter poſſidere, fortiter atque ſuauiter, vt ſuæ motioni atque viuificationi ſpiritus B noſter obediat vltro, & ſic vltro tamen vt non habeat fas obniti. Et hunc ingreſſum Dei dominatiuum nominamus illapſum.

Sunt nihilominus alij modi quibus angelus bonus agit in ſpiritum noſtrum. Vnus eſt per applicationem immediatam ſuæ ſubſtantiæ & virtutis ad ſpiritum, non quidem naturali ordine pro ſtatu præſentis miſeriæ, ſed diſpenſatione ſupernaturali. Facta autem applicatione tali cum angelus ſit ſubſtantia luminoſiſſima, virtuoſiſſima ac C benigniſſima, quis negauerit quin alliciatur & quodam modo trahatur ſpiritus noſter ab huiuſmodi illuminoſa & benigna & ſuaui olenti virtute, tanquam ſi ferrum trahat à magnete, vel appetitus ab obiecto placidiſſimo & conuenientiſſimo moueatur, præſertim ſi fuerit ſpiritus noſter purus, caſtus, integer, ſanus, ſine dyſcraſia febrillis corruptionis vitioſæ, ſine interpoſitione ſordidorum cogitatuum, cum deſiderijs turpibus & fœdis. Porrò ſicut imaginati ſunt philoſophantes, D quod actiones cœli corporei per orbem ſtellarum atq; planetarum & per omnia zodiaci ſigna formant corpus humanum, influuntque & imprimunt in ipſum concatenatione quadam indiſſolubili, proportionabili ſimilitudine poſſumus dicere quod ex diſpẽſatione Dei gratuita, quælibet cœleſtis hierarchia à ſummo vſque deorſum per omnem iuncturam ſpiritualem influere habet in humanum ſpiritum, quilibet angelus ſuo modo, mediatè vel immediatè. Sic Seraphin inflammat, Cherubin illuſtrat, throni ſtabiliunt. Et E hoc ſecundum tres vires animæ affectiuam ſc. intellectiuam & executiuam, & ſecundum tres eius portiones, ſuperiorem, inferiorem & infimam ſenſualem, vnde & appropriatius prima hierarchia mouere dicitur portionem ſuperiorem animæ quæ reſpicit prima principia, ſecunda portionem inferiorem, quæ reſpicit concluſiones generales, & tertia portionem ſenſualem, quæ ad ſingularia magis dilabitur. Quiſquis pręterea ſtudioſè recogitauerit ea quæ tangere ſuperficialiter in- F tendimus de cauſis naturalibus paſſionum animalium, per quas diſponitur vel indiſponitur ſpiritus ad paſſiones ſpirituales, animaduertat quantum dominium habeat bonus angelus ad inducendum ſaltem diſpoſitiuè hos vel illos affectus, diſponendo vel immutando ſenſus corporales tam interiores quam exteriores qui ſunt organicæ potentiæ, & hoc modis varijs & penè infinitis, iuxta varietatem applicationum multiplicium huius vel illius cauſæ corporalis. Verum de his non eſt hic dicendum per ſingula.

Conſideratio decima-ſexta.

Paſſiones ſpirituales perturbantur crebrò ab immiſſio-

Digitized by Google

immiſsionibus per Angelos malos factis. Poſſunt quidem Angeli mali (quantum Dei prouidentia permiſerit) agere ſimilia multa ad Angelos bonos tam ob ſubtilitatem vigorémque ſubſtantiæ ſuæ, quam ob perſpicuitatem naturalis ingenij, quam propter experientiarum diuturnitatem, nunc in naturalibus actionibus ſurſum & deorſum,in cœlo & in terra, nunc in operationibus miraculoſis Angelorum & omnium ſpirituum beatorum, quamuis errent frequenter. Excæcat eos malitia amens, ſuperbia furens ſine lege & ordine, liuor inſaniens. Excæcat eos iuſtum Dei iudicium illudens eis peruerſiſsimos eorum conatus aduerſus electos ſuos conuertens in vſum ſuæ bonitatis.

Transfigurat ſe angelus ſathanæ in angelum lucis ſicut tradit Apoſtolus. Quod fieri ſic vno modo poteſt intelligi, vt ipſe malus angelus celet innatam malitiam & horrificos affectus ſuos,fingendo ſe placidum,pulchrum & benignum,ad exemplar Angelorum bonorum , imitando præterea doctrinas & obſeruationes eorumdem beatorum Angelorum in amore caſtitatis & virtutum , tam vt ſeducant facilius,quam venerentur & colantur ſicut Deus. Nam propter quid aliud inuenimus in ſuperſtitionibus magicis fieri thurificationes & orationes deuotas & ieiunia? petit quoque fieri miniſteria per pueros innocentes,niſi vt efficacius fallat & colatur ſicut Deus. Denique quantas habeant efficacias ad immutationem corporis actiones iſtæ malignorum ſpirituum ſcriptura ſacra docet de magis Pharaonis, & alibi. Et ratio certa deducit, præconceſſo quod dæmones aliqui ſint aduerſus quos nobis eſt colluctatio ſicut tradit Apoſtolus. Et idipſum & ſancti patres multis ſupra numerum argumentis experti ſunt.

Conſideratio decimaſeptima.

Paſſiones ſpirituales immittuntur à cœlo, mediatè tamen,& ſolummodo diſpoſitiuè. Similiter à qualitatibus ſecundis conſequentibus cœleſtes influxus, & primarum qualitatum actiones. Longus eſſet hic ſermo de traditione aſtrologorum quoad actiones cęleſtes in corpus humanum ſecundum varietatem ſignorum & planetarum & aſpectuũ, vt quod Saturnus inducit ad triſtitiam, Iupiter ad lætitiam, Mars ad iram, Sol ad audaciam, Venus ad concupiſcentiam, & ita de reliquis. Inde venit diſtinctio illa, quod planetarum alius eſt beneuolus, alius maleuolus, quamuis hoc non ſit accipiendum de malitia quę ſit innata planetis. Inducit enim quantum de ſe eſt ad bonum, ſed in hominibus abuſus eſt, qui bonæ naturæ inclinationes deducunt in malum. Potuerat etiam rememorari quo pacto cœleſtes influxus varias imprimunt & miras tam in lapidibus quam in herbis & metallis proprietates, ſicut in magnete perſpicuè cernimus. Sicut præterea dicunt rerum huiuſmodi curioſi, quod lapis aliquis portatus vel inſpectus dat audaciam, alius lætitiam, alius amorem. Hæc autem omnia quantum habent veritatis, nihil aliud probant quam conſiderationem noſtram, quoniam acceptiones huiuſmodi fiunt non immediatè in ſpiritum rationalem, ſed in corpus ad cuius alterationem hanc vel illam non parum inclinatur ſpiritus ad hunc affectum ſpiritualem vel ad illum in ſe producendum, quemad-
A admodum memoratur Helizæus euocaſſe ſaltem dum prophetiæ ſpiritum in ſe vellet excitare.

Quod autem dæmones dicuntur per aliquas huiuſmodi virtutes allici vel eijci vel compelli, alterius eſt ſpeculationis. Vocant autem aliqui virtutes huiuſmodi virtutes occultas ſicut Auicenna. Alij virtutes à tota ſpecie, vel quæ inſequuntur formam ſpecificam rei, ſicut natura ſpecifica caliditatis eſt calefacere, ita natura ſpecifica ſtructionis digerere ferrum. Et ita de reliquis effectibus,
B quos non dicunt fieri ex concurſu vel actione qualitatum primarum, vel ex combinatione earum ſeu configuratione, quemadmodum fuit intentio quorumdam ad hæc principia generalia qualeſcumque effectus inferiores reducere, qui vel non poſſunt vel difficillimè poſſunt in aſſignatione tot varietatum in affectibus ſemet euoluere. Inueniemus præterea quoſdam philoſophorum opinatos eſſe (ſicut ex articulis Pariſienſibus condemnatis palam elicitur) quod cœleſtes intelligentiæ quæ animant cœlum ſecundum eos taliter
C agebant in ſpiritum, qualiter cęlum agit in corpus, ita vt ſpiritus ſe haberet ſolum paſſiuè ad omnem ſuam cognitionem vel affectionem, & nil agebat, ſed agebatur tanquam ſi obiectum lucidum agat imaginem ſui in ſpeculum obiectum, vel tanquam pictor aut ſcriptor ſi agat in tabulam, prout etiam Boëtius in ſuo de conſolatione metro vno commemorat. Dixerunt rurſus aliqui, quod hæc actio intelligentiarum fit liberè in ſpiritum, nunc ad hoc cognoſcendum nunc ad illud. Alij naturali
D neceſſitate id fieri contẽdebant, ponebant tamen quod diſpoſitio ſpiritus prout abſtrahitur magis aut minus à carnalibus vinculis & carcere cæco corporis, iuuat plurimum vel impedit radioſos hos influxus. Sic ſaluant magicam naturalem, ſic propheticam illuminationem, & ita de plurimis. Sic imaginati ſunt Auicenna, Algazel, Alkindus, & nonnulli Chriſtianorum doctorum, ponentes animam illuſtrari quaquauerſum. Et hoc poſuerunt aliqui fieri per liberam conuerſionem ſpiritus ſecundum duplicem faciem ſuam, nunc ad ſu-
E periora, nunc ad inferiora. Ariſtoteles verò nullam poſuit niſi ab infimis fieri cognitionem vel affectionem originatius & immediatè, quam inſecuti ſunt communes doctores Catholici dum loquuntur de ſtatu naturæ deſtitutæ, nec eleuatæ per raptus aut illuſtrationes miraculoſas, ſicut dicit Petrus, quod non humana voluntate allata eſt aliquando prophetia. Raptus autem vel extaſis apud deuotos, tunc ideo dicitur fieri, dum illuſtratur ſpiritus immediatè deſurſum, quia præter
F naturalem curſum vitæ præſentis hoc euenit.

Conſideratio decimaoctaua.

Paſſiones ſpirituales iuuantur plurimum vel impediuntur ab innata complexione corporali. Auctorizauit Plato quod animę inſequuntur corpora, non quidem naturali neceſſitate, ſi ad ſpiritum liberum fiat aſpectus, ſed quadam inclinatione prout corpus ipſum ſubminiſtrat animæ tanquam inſtrumentũ. Conſtat enim quod ad inſtrumentorum varietatem cõſurgit in operationibus facilitas maior vel difficultas. Videmus itaq; circa

mechanicas artes, quod faber aliter operatur cum inſtrumento quadrato, aliter cum acuto, aliter cum hebeti, ſic & ſcriptor vel pictor. Sic erit ſuo modo de varia complexione membrorum, & de his quæ membris ipſis ſubſeruiunt, vt ſunt ſpiritus corporei, tam radicales quam fluentes, vt eſt præterea ſanguis qui eſt communis materia tam membrorum quam huiuſmodi ſpirituum. Circa quod oportet attendere iuxta traditionem medicorum, quod ſanguis ſubtilis & clarus in ſubſtantia, temperatus verò in qualitatibus diſponit ad gaudium maius vel minus ſecundum quantitatem talis ſanguinis qui generat ſpiritus ſplendidos atque temperatos. Sanguis autem clarus & ſubtilis & calidus à domino (qualis eſt ſanguis corporum in quibus color rubeus dominatur) diſponit ad velociſſimam iram, cum ſit velocis inflammationis & motus, ſed ira hæc modicum eſt durabilis, cum omne ſubtile & tenuè celeriter reſoluatur. Si verò ſanguis fuerit ſubtilis & clarus, ſed frigidus, qualis eſt in corporibus in quibus aquoſitas naturalis phlegmatis dominatur, inclinat ad timorem & puſillanimitatem, quæ à quibuſdam vocatur cordis debilitas. Et hoc eſt quia ſpiritus à tali ſanguine generatus eſt modicus, frigiditate impediente ſuam generationem. Eſt etiam grauis & parum inflammabilis propter frigiditatem & humiditatem, ideo ſupereſt vt ſit ineptus calefacere cor & ab exteriori moueri, propterea neque ad iram, neque ad gaudium, neque ad audaciam poteſt inclinare. Sanguis autem groſſus & calidus ſi fuerit niger aut tenebroſus & inæqualis groſſiciei, qui turbidus appellatur, qualis eſt ſanguis corporum in quibus còlor appropinquans fini aduſtionis dominatur, diſponit ad triſtitiam propter tenebroſitatem ſpirituum & ad iram propter caliditatem ipſorum. Diſponit inſuper ad pertinaciam vel fixam iram propter eorum ſpiſſitudinem vel groſſiciem. Deletur enim tardè nimis forma eius impreſſa, & à corpore tardè diſſoluitur. Si verò ſanguis fuerit groſſus & calidus, non tamen turbidus, qualis inuenitur in corporibus habentibus cor temperatum & hepar notabiliter calidum atque ſiccum, ſed longè amplius ſiccum & vtentibus dieta mediocri, vel in corporibus temperatis quorum ſanguis forti exercitio calefactus & inſpiſſatus nondum cœpit aduri & denigrari, non diſponit ad triſtitiam, ſed ad conſtantem audaciam, quam quidam vocant fortitudinem cordis, diſponit quoque ad mediocrem iram, quia lætitia frangit eam, cum ad eam ſint magis proni quam ad triſtitiam. Sed ſi ex vehementiſſimis cauſis ira fortis excitetur, in talibus tardè ſedatur propter groſſiciem ſeu ſpiſſitudinem prædictorum. Sanguis autem groſſus & frigidus, non tamen turbidus, qualis eſt in corporibus habentibus cor temperatum & hepar ſiccius & frigidius temperato, ſed magis ſiccum quam frigidum, vt vtentibus dieta generatiua de ſe mediocris ſanguinis, reddit hominem mediocrem in omnibus accidentibus animi, vt non magis ſit pronus ad hoc quam ad illud. Sed in tantum differt ab his quorum ſanguis eſt temperatus, quoniam ex diſpoſitione ſui ſanguinis eſt ſolidus ſiue conſtãs in inchoatis propter groſſiciem ſpirituum ſuorum. Si verò ſanguis ſit groſſus & frigidus &

turbidus ſicut in habentibus hepar æqualiter frigidum & ſiccum temperato, vel amplius frigidum vtentibus his quæ generãt huiuſmodi ſanguinem, diſponit ad celerem & permanentem triſtitiam, & ad lentam vel tardam iram. Sed ſi excitetur ira ex forti cauſa, nimium perſeuerat, inclinat ad odium vel ad rancorem. Fortitudo tamen iræ iſtorum minor eſt quam in habentibus groſſum & turbidum atque calidum ſanguinem. Sed maior quam in habentibus ipſum ſubtilem, propter quod naturaliter odium inueteratur in iſtis. Ecce quod ſecundum iſta & ſimilia ſumũt medici ſigna complexionum, & attribuunt alias conditiones ſanguineis, alias colericis, alias phlegmaticis, alias melancholicis.

Conſideratio decimanona.

Paſſiones ſpirituales ſolent immutari, mediatè tamen & diſpoſitiuè per actionẽ qualitatum primarum. Subſequitur hæc conſideratio ad declarationem præcedentis. Nam varia diſpoſitio ſanguinis atq; ſpirituum cauſatur principaliter à multiplici actione qualitatum primarum. Sumamus autem pro manuductiua declaratione prædictorum exemplum quod in ebrijs quotidie conſpicimus. Conſtat enim aliquos priuſquam vino ſe repleuerint, temperatos eſſe & ſedatos in affectionibus, qui poſt vinum abundanter ſumptum trahuntur, hi ad iram vehementer, hi ad triſtitiam melancholicam, hi ad lętitiam effuſam, hi ad ſpem, hi ad timorem, hi ad audaciam, hi ad odium & indignationem, hi ad benignitatem & amicitiam. Cur autem fit hæc tanta varietas? nimirum quia variatur accidentalis diſpoſitio ſanguinis & humorum atque ſpirituum ex actione vini & qualitatum ſuarum. Quocirca facile eſt perpendere quantum operetur hæc vel illa complexio fixa quodammodo & permanens, ſi in accidentali & tranſeunte diſpoſitione corporis, diſſimilis tanquam ſubita & potens operatio ſubſequatur, adeò quidem vt ſi videris ebrium prius ſobrium, ferè dicere poſſis, hic vtique non eſt ille. Denique quantũ proſit in morali negotio cognoſcere tales paſſionum origines, tam apud ſe quam apud alios vel corrigendos vel docendos, non operoſum eſt aduertere, cum non eadem videantur ebrijs & ſobrijs ſecundum philoſophum, aliterque proinde ſint ad deuotionem & virtutem inducendi, ſic vel ſic affectati. Quod vtique vidit ſapiens mulier Abigail, quæ Nabal nõ niſi poſt vinum digeſtum commonuit. Hoc inſuper luciditſimè tradidit optimus moralis artifex Gregorius in paſto. ſuo.

Conſideratio vegeſima.

Paſſiones omnes per imaginatiuam virtutem ſolitæ ſunt vel intendi notabiliter vel minui. Et hic inſeremus de reliquis originibus ipſarum paſſionum. Itaque quantam vim habeat virtus imaginatiua, tradunt philoſophantes & medici per experientiæ librum edocti. Dicunt enim ipſam habere virtutem regitiuam & immutatiuam totius corporis. Quod vt facilius innoteſcat, ſupponamus primò cum philoſopho, quod ſpecies ſeu forma rei vel eius phantaſma ſeu imago, habet vim alterandi proportionabiliter vel agẽdi, ſicut habet res cuius eſt imago, queadmodũ ſpecies ignis habet vim calefaciendi, ſpecies niuis infrigidãdi, non

tamen

tamen in æquali gradu ad rem ipſam. Supponamus præterea quod ſpiritus animalis delatiuus eſt formarum ſeu ſpecierum, ſicut aër recipit ſpecies coloris vel aliorum ſenſibiliũ. Et hæ ſpecies licet non ſint ſenſibiles aëre, faciunt tamen ſenſibiles impreſſiones in corporibus diſpoſitis, ſicut ſpecies coloris cauſant imaginem in ſpeculo. Sic imaginatio turpis figuræ recipitur in ſpiritibus, & defertur, & facit in ſemine deciſo tempore talis imaginationis, notabilem effectum turpitudinis, ſicut imaginatio Æthiopis aſſimilationem inducit ad Æthiopem. Hæc autem delatio formæ imaginatæ poteſt fieri dupliciter. Vno modo quod ipſamet forma moueatur & deferatur ad motum ſui ſubiecti ſicut ſi ſal liquefiat in aqua, defertur & expanditur per aquam. Alio modo fit hæc diffuſio per radiationem ipſius formæ imaginatæ, quæ habet vim ſuijpſius diffuſiuam & cauſationem aliarum ſpecierum ex ſeipſa, ſicut lux cauſat lumen quod cauſatum poteſt producere aliud lumen.

A

B

Supponamus inſuper quod delatio talium formarum per ſpiritus poteſt prouenire vſque ad ſenſus exteriores, quo caſu fiet in ſenſibus exterioribus talis ſenſatio ſuo modo, qualiter fieret ſi ab extrinſecis obiectis moueretur. Hanc cauſam reddunt aliqui, cur dormientes exercent opera vigilantium? Cur etiam maniaci & aliqui melancholici credunt ea videre vel ſentire extrinſecus, quæ non niſi intrinſecus certum eſt fieri. Hinc euenit vt dum homo eſt in tenebris & timet, putat ſe quandoque videre imagines terribiles vel audire ſonos horrendos, quemadmodum melancholici etiam in pleno die & locis lucidis patiuntur talia propter tenebroſitatem ſpirituum, quos horret quodammodo ipſa anima vel virtus imaginatiua: Et hinc ſemper triſtes incedunt, quia cauſam triſtitiæ ſuæ ſecum ferunt. Hæc eſt ratio cur aliqui timent non timenda, cur in ſuſpiciones mirabiles & falſiſſimas cadunt, ita vt credant ſe aliquando quæri ad mortem vel ad incarcerationem vel ſpoliationem, & inde fugiunt nemine perſequente, trepidantes timore vbi non eſt timor. Cognoui talem tempore meo qui ingenioſiſſimus erat & peritus valde in medicina, qui tandem fugit in nemora occulta, nec vltra comparuit. Sic aliquis æſtimabat ſe gallum, & more galli cantabat. Alius murilegum & ſub lectis mures quærebat. Alius imaginans ſe habere cornua in fronte, verecundabatur quotienſcúmq; videbat ſe inſpici & frontem tegebat. Alius imaginans ſe notari de infectione lepræ vel de morbo caduco homines fugiebat & trepidabat aſpectus & ſermones. Alius imaginans ſe habere pedes ferreos, calcabat validiſſimè ſuper terram. Alius ambulare non audebat phantaſians pedes pedes ſuos eſſe vitreos. Sic ſaluant expoſitores aliqui, quomodo Nabuchodonoſor comedebat fœnum ſicut bos, & cum feris habitabat, quia ſe bouem eſſe phantaſiabatur. Sic aſſerunt medici, quod imaginatio facit caſum & mortem inducit. Et hanc virtutem vſque ad hoc eleuare voluerunt aliqui, vt per eam mirabiles impreſſiones fierent in elementis & in rebus extrinſecis, vt quod ad imaginationem alicuius (ſicut refert Auicenna) cadat camelus. Talia ſunt innumerabilia. Nam infinitæ ſunt ſpecies huiuſmodi phantaſiarum vel melancholiarum ſecundum traditionem medicorum, quos Horatius furores appellat vel inſanias, deducens ex hoc omnes homines in aliquo ſtultos eſſe, Mille puellarum inquit puerorum mille furores. Et in Eccleſiaſtico dicitur, quod ſtultorum infinitus eſt numerus. Hæc autem conſideratio docet quam ſaluberrimum eſt aſſuefieri, vt animus noſter à phantaſmatibus quantum poſſibile eſt fieri ſe denudet, & auertat in exercitatione ſua. Quod qualiter fieri habeat, tetigimus alibi in tractaculo de practica theologiæ myſticæ conſideratione vltima.

C

D

E

F

Rurſus apparet quam periculoſum ſit homini dimittere ſe nimis labi & profundari in imaginationes vel phantaſias, præſertim vitioſas, & circa peritura, ſempérque labentia, vt ſunt beneficia, honores & diuitiæ. Nam cum generentur habitus ex actibus frequentatis, & habitus cauſent, naturaliter fit vt pondere ſuæ inclinationis ſic immutent imaginatiuam virtutem, & ex conſequenti totum hominem, quod neceſſitate quadam trahitur homo velut brutum, vt quemadmodum fit in illis quos philoſophus beſtiales appellat. Sic vtique verum eſt, quod omnis imaginatio profundata habet ſuam inſaniam vel ebrietatem & quaſi dæmoniacam paſſionem, ſicut dicit Origenes. Lædit quoque notabiliter ſeu peruertit totaliter iudicium rationis, patet in philocaptis, patet in ambitioſis, in auaris, in inuidis, in impatientibus, in quibus verificatur illud prouerbium: Furor fit læſa ſæpius patientia. Ita demum prouenit vt dimiſſo vocatiuo caſu, quo venire & introire in domum Dei neceſſe eſt, quia nemo ſibi aſſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo ſicut Aaron, alij per nominatiuum caſum, alij per genitiuum, alij per accuſatiuum, alij per ablatiuum contemperati paſſionibus quærant aſcẽdere. Addamus ad hæc concurſum multiformem, flexum & reflexum quem habet in potentijs cognitiuis, ipſæ imagines vel phantaſmata vel ſpecies ad inuicem, & cum habitibus & paſſionibus inde ſequentibus in potentijs affectiuis, ita vt non ſit dubium quin mirabilior varietas inde reſultet, quam ſufficeret cauſare ſimplex aliqua imago talis vel phantaſma vel paſſio ſequens. Quod ſi fuerit concurſus ordinatus vt in virtuoſis, nemo dubitauerit quin oriatur inde ſuauiſſima & mirabilis harmonia, veluti cytharœdorum multorum cytharizantium in cytharis ſuis, quam ipſa inhabitatrix ſapientia delectatur audire. Alioquin reſultat horrenda prorſus & amariſſima tumultuatio tanquam maris refrangentis in ſe & ad cautes fluctus ſuos. Puto non ob aliud dixiſſe Prophetam: Cor impij tanquam mare feruens. Denique ſicut diximus de imaginatiua virtute, ita proportionabiliter ſuo modo traducere poſſumus ad potentias ſuperiores non organizatas, quæ ſunt ratio & ſpiritus, quamuis ad actus iſtarum potentiarum non ſequatur de per ſe corporis immutatio, quemadmodum virtus imaginatiua mutat illud, fit tamen vt actuata vehementer ipſa ratio rapiat ad ſe quodamodo potentiam imaginatiuam, & ab actu ſuo ſuſpendat eam. Sicut ipſe ſpiritus ſimiliter actuatus rapiat ad ſe rationem & imaginationem, vt neſciat qui huiuſmodi eſt, an in corpore vel extra corpus, ea quæ videt intelligat. Rurſus fit aliquando redundantia ſuperiorum harũ potẽtiarum in inferiores,

Digitized by Google

quemadmodum beatitudo animæ redundabit in corpus, & dotabit illud.

Conſideratio vigeſimaprima.

Paſſiones triplices ſpirituales & rationales & animales reddunt in virtuoſis pſalterium decacordum cum Cantico in cythara. Spiritus enim (ſi quadam appropriatione loquimur) pſallit, ratio cantat, ſenſus cytharizat. Videamus in primis de pſalterio myſtico, quod ad exemplar cordis ſicut & cytharam ars ipſa fabricauit. Nominemus ergo corpus ſeu lignum noſtri pſalterij vim affectiuam ſuperiorē, in qua tot chordæ ſonabiles extenſæ ſunt, quot ſunt veritatis aſſertiones, vt quod Deus pater noſter eſt, quod Deus in cœlis eſt, quod Deus eſt iudex iuſtus, & ita de reliquis, quibus ita aſſentit ratio humana quaſi digito aliquo ſtudioſæ meditationis directa. Sed ne quid nimis, ſpiritus habet plectrum diſcretionis, quo tendit & remittit chordas ſententioſę veritatis. Rurſus chordæ tales debito moderamine tēſæ & percuſſæ, reddunt ſonos varios ſecundum varietatem paſſionum ita vt amor qui eſt generalis & radicalis paſſio, ſtabiliatur pro tenore. Porrò decem reliquæ paſſiones efficiunt decem ſonos alios principales, de ſonis enim lateribus & appenditijs non eſt numerus, ſicut nec de huiuſmodi paſſionibus.

Conſtituamus ſi placet pro manuductione exemplari pſalterium aliquod decem chordarum ex decem orationis dominicæ ſententijs, ſicut ex decem præceptis iuxta imaginationem Auguſtini vel ex alijs ſcripturæ locis fabulari potuerat. Primam chordam ſumimus ex hoc nomine pater, & hæc appellatur paternalis adoptio. Secundam in hoc nomine noſter, quæ appellatur fraternalis aſſociatio. Habemus tertiam cum dicitur in cœlis, hæc eſt Dei exaltatio. Habemus alias ſeptem iuxta ſeptem petitiones, quæ ſunt: Diuini nominis ſanctificatio, ſanctificetur nomen tuum. Dei dominatio, Adueniat regnum tuum. Voluntatum diuinæ & humanæ vnitio, Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Propria defectio, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Debitorum multiplicatio, Et dimitte nobis debita noſtra. Tentationum inuaſio, Et ne nos inducas in tentationem. Mali æterni notatio, Sed libera nos à malo. Percute chordam primam digito ſtudioſæ & attentæ meditationis, illa reddet ſonitum amoris Dei. Percute chordam ſecundam, illa reddet ſonum conſtantis audaciæ. Percute chordam quartam, illa reddet ſonum zeli & iræ in profanantes Dei nomen. Percute chordam quintam, illa reddet ſonum ſpei ſanctæ. Porrò chorda ſexta dum tangitur, ſonat dilectionem atque lætitiam. Chorda ſeptima deſiderium & perſecutionem. Octaua dolorem & odium. Nona fugam & horrorem. Decima timorem & de ſuis viribus fidentibus deſperationem. Potuerant hæc latiori ſermone deduci, oſtendēdo quod etiam chorda prima quæ eſt paternalis adoptio ſi tangatur ſapienter digito ſanctæ meditationis aptè reddit ſonum quemlibet virtuoſæ & ſpiritualis affectionis. Sic rurſus in alia qualibet (quamuis non æqua facilitate) reperies vt ſit ſonus tuus multiplicatus ſuper numerum. Ex qua reſonantia fit quod cadunt & recedunt maligni ſpiritus vitiorum tanquam cy-
A tharizante Dauid deſinat nequam ſpiritus exagitare Saül, ita vt cuilibet decem ſonorum principalium poſſit aptari vna ex tranſgreſſionibus decem præceptorum. Addamus hæc quod dum meditatio noſtra fertur ſuper huiuſmodi chordas ſētentioſæ veritatis, & ad reddendum ſonoritatem religioſæ affectionis ſeu paſſionis. Fit hoc aliquando per rationes ſumptas æternas & ex primis ſapientiæ principijs, & tunc redditur ſonus in pſalterio tanquam de ſupernis. Fit hoc aliquando per
B rationes ſumptas ex affectibus & ſenſualibus experiētijs, & ita reſultat ſonus in cythara tanquam ex infimis. Fit hoc aliquādo per rationes ſumptas ex deductione cōcluſionum per principia prima, vel per ratiocinationem ab affectibus ad cauſas ſuas ſumptam, & ita redditur canticum iocundum veluti in gutture & faucibus rationis. Sic pſallimus ſpiritu & mente cantamus in cordibus noſtris Cantica domini. Sic cytharizamus mortificatis quodammodo & per diſciplinam, deſiccatis, alioquin non eſſet pſalterium iocundum
C abſque hac cythara. Sic optabat pſallere, canere & cytharizare qui dicebat: Exurge pſalterium & & cythara, exurgam diluculo. Sed quid precor eſt exurgere diluculo? puto quod eſt ad primos gratiæ contemplatiuæ radios ſplendentes per animæ regionem protinus erumpere & velut ex ſententia dicere: Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſſime, myſticis modis dictis. Ad annunciandum mane proſperitatis miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem
D aduerſitatis. In decacordo pſalterio cum cantico in cythara.

Conſideratio vigeſimaſecunda & vltima.

Paſſionales ſermones aſſumi poſſunt vt inducantur homines ad virtutem veritate tamen & diſcretione ſemper obſeruata. Laudat Ariſtoteles in rhetoricis illa iudicia, apud quæ prohibentur dici ſermones paſſionales, & vbi veritas nuda proponi iubetur. Rectè id quidem ſi nulla ex parte iudex quæreretur aliunde diuerti à tramite recto
E iuſtitiæ quemadmodum ſi nullos vnquam fieri contingeret per alogiſmos, ars de Sophiſticis & Elenchis fruſtra eſſet. Sed cum perſuaſiones paſſionales quotidie fieri cernimus aduerſus veritatem tam per noſipſos in quibus habitant huiuſmodi paſſiones ex corruptela peccati quam per alios, quis perhibuerit (ſicut arguit Auguſtinus 4. de doctrina Chriſtiana) quis inquam prohibuerit eloquentiam ſeu perſuaſionem rhetoricam induci licere pro defenſione veritatis & pro ſua in cor-
F dibus humanis plantatione, vt libenter & obedienter audiatur veritas aduerſus palliatam & fucatam falſitatem?

Addimus in conſideratione quod veritas tamen & diſcretio ſemper obſeruetur. Malè enim pro veritate certaret falſitas, quoniam non ſunt facienda mala, vt bona eueniant. Similiter nec aſſerenda falſa ſunt vt veritas confirmetur. Proinde ſi mouere quęſieris aliquem per ſermones paſſionales non obſeruata diſcretione, nihilominus magis effeceris quam ſi equum velocem ſtimules ad currendū ſine fræno, ſicut enim diſcretio ſine paſſionali iacet, ſic affectio ſine diſcretione præcipitat.

Digitized by Google

Qua in re placet attendere quas induſtrias obſeruat diſcretio. Diſcretio permittit ſæpe paſſiones aliquas vitioſas ſuccreſcere, dum plantandis virtutibus curam impendit. Docet quippe eam parabola euangelica de non extirpandis pro omni tempore zizanijs, ne ſimul eradicetur & triticum. Rarò enim vel nunquam germinat in nobis triticum virtutis ſine zizanijs aut paleis alicuius vanitatis præſertim cum primum neceſſe ſit eſſe illud quod animale eſt ſecundum Apoſtolum, deinde illud quod ſpirituale. Viderint ergo quàm indiſcretè ſe habeant eruditores puerorum vel aliorum animalium hominum, qui parum differunt in moribus à pueris, ſi protinus eos quæſierint exuere ab omni paſſione vitioſa, eos velut ad ſpiritualem ſenectutem ſubitò prouehere contenderint. Si demum ſine ordine & tempore zelus eorum non ſecundum ſcientiam implacabili feruore, immo furore, paſſionem omnem perſequi moliatur. Amplius verò permittit diſcretio paſſiones aliquas germinare vel creſcere, non quia placeant aut pulchræ ſint, ſed ne deteriores inualeſcant paſſiones, ſicut retunditur clauus clauo, & dolor eſt medicina doloris. Sic enim reſpectus humanæ laudis vel timor infamiæ vincit aliquando turpiores adulteriorum & ſtuprorum & rapinarum, aut aliorum huiuſmodi flagitiorum operationes, ſic tolerabilius eſt permittere diuiſionem odioſam fieri inter quaſdam perſonas, quam impudico ſe amore commaculent, ſic ad fœlicem reipublicæ miniſtrationem, inducuntur principes aliquando per famæ repromiſſionem. Sic ad literas cognoſcendas prodeſt pueris æmulatio quædam, licet vitioſa, vt ſocios exuperent. Rurſus diſcretio ſicut permittit paſſiones aliquas vituperabiles, ſic aliquas laudabiles, præſertim feruidas & ſublimes, quandóque ceſſat inducere, ſi in deteriorem exitum eas verſum iri cognouerit. Vtputa ſi parere ſibi, ſi frænum ſuum pati poſtea recuſarent. Non enim præſentia tantum ſpectare ſatis habet diſcretio, ſed rerum exitus prudenter ipſa metitur. Nihil quidem ſublimius, ſed nihil periculoſius in tentationibus magis expoſitum, quam ambulare per viam affectionis amoroſæ, dum vehementiam in ſe habet, ſic amor, vti zelus domus tuæ, vehementiſſima eſt paſſionum. Poſtremò placet ipſi diſcretioni ſobria mens & modeſta, ſi tamen ſollicita eſt ambulare cum Deo ſuo per viam mandatorum ſuorum, & hoc via regia à patribus trita, tanquam ſi iumentum ſit apud Deum, tanquam præterea ſit aſina quam agitat Ieſus in Hieruſalem. Plus inquam placet talis quædam rudis mens & arida terra ſine aqua quam ſi reiecto freno diſcretionis, quæreret ductu propriorum affectuum in mirabilibus ſuper ſe per prærupta montium contemplationis, per alta & ſublimis ſapientiæ, per deſideria flammantia quibus accenditur, fœliciter quidem ſi diſcretioni ſemper inhæſerit, ſaluare ſe in monte, & illic deſpectis imis iubilare Deo in decacordo pſalterio cum cantico in cythara, & cum propheta Abacuk dicere ex ſententia: Super excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.

A CARMEN AD PETRVM DE ALIACO CAMERACENSEM Cardinalem, quomodo hæc vita quodammodo ſomnium eſt.

PETRE *quem totum phreneſis repleuit*
Somnium cur non miſeram vocemus
Plurium vitam? an caret ſapore
Cor vigilantum?
Non caret, nam quas aliunde ſomni
B *Tradimus cauſas, niſi quod recludit*
Miſſa de corpore cerebri meatus
Fumida nubes?
O quis & quantus varius frequénſque
Fumus occurſans modo vel recurſans,
Occupat ſenſus vigiles ab intus
Idola turbans.
Ebrij teſtes, varijs homo fit
Ebrius cauſis, prout appetentum
Paſſio ſeſe, vehementer alto
Corde profundat.
C *Nonne veſano furiunt amore*
Plurimi, ſic dat odium vel ira
Liuor aut zelus vel opum cupido
Gloria vana?
Error hinc in vi ſtolidus reſultat
Æſtimatiua, ſpecies quod intro
Res quaſi feras capit, ac ineptum
Iudicium fert.
Somnians crebrò vigil eſſe credit,
Diſputat, verſúſque facit, reflectens
D *Se ſuper, dicit vigilo, nec erro*
Somniculoſus.
Soluitur ſomnus, quid eum fefellit,
Conſpicit, vultis ſimili carere
Diliramento, vitioſa primum
Paſſio cedat.
Vana virtutum ſimulachra fingit
Paſſio, nunquam bona iudicatrix
Fert ſuam prauus phreneſim, videbit
Liber ab illa.
Liberat clamor, melius momentum
E *Soluit letargum, reueriſa ceſſat*
Pœna ſi detur, ſine vel furoris
Tempora labi.
Sortis humanæ miſeratus eſto,
Suauit interpres, ratio vigorem
Seruat in paucis, habet hinc minorem
Culpa reatum.

ANNOTATIO CAPITVLORVM OPVSCVLI DE MONTE contemplationis.

F PRIMVM Cap. *Cauſa quare de materia tam alta conſcribit Gallicè potius quam Latinè & ſimplicibus & illiteratis potius quam doctoribus.*

2 *Literatura & magna ſcientia non eſt omnino contemplatiuis neceſſaria.*

3 *De duobus hominum generibus, & qui habiliores ſunt ad contemplationem.*

4 *De duobus modis contemplationis, vno in ſcientia, alio in affectu.*

Digitized by Google

5 *De magna differētia inter ſapientiam & ſcientiam.*
6 *Quod nullus debeat dici ſapiens niſi ſit bonus.* A
7 *Quomodo ſimplices & idiotæ poſſunt peruenire ad ſapientiam per exemplum à ſimili.*
8 *Quæ ſunt opera per quæ De⁹ perfectius cognoſcatur.*
9 *Continuatio breuis ſeu epilogus prædictorum.*
10 *Quod amor Dei principium eſt & finis vitæ contemplatiuæ.*
11 *Quod amor mundi primo eſt remouendus.*
12 *Qualis ſit pœna in dimittendo amorem mundi.*
13 *Quomodo aliquis poſſit amittere amorem mundi per exemplum oſtenditur.*
B
14 *Quod legere aut audire Sanctorum aut ſanctarum vitas proſit ad contemplationem.*
15 *De Angelorum ſuffragijs & aduerſitatibus atque generibus aliquorum hominum proſperitatem vel aduerſitatem habentium.*
16 *Incipit loqui de ſchala contemplationis Dei, cuius tres ſunt gradus, ſcilicet humilis pœnitentia, locus ſecretus cum ſilentio, fortis perſeuerantia vt beatus Bernardus ponit ſuper Cantica Canticorum.*
17 *Quomodo à labore actiuæ vitæ incipi debet vita contemplatiua.* C
18 *Gratia ſingularis aliquibus collata non eſt ab omnibus imitanda. Et quod multi oppoſitum facientes ſunt decepti.*
19 *In quo ſtatu conſiſtit perfectio vitæ contemplatiuæ per ſimilitudinem amoris mundani declarat.*
20 *Qualis ſit amor Dei quem contemplatiuus habere debet.*
21 *De ſecundo gradu contemplationis & duro conflictu ibidem exiſtente.* D
22 *In quali ſtatu ſit contemplatiuus in ſecundo gradu contemplationis.*
23 *De duobus modis ſilentij & ſolitudinis.*
24 *De naturali ſecreto.*
25 *Quomodo corpus contemplatiui debeat ordinari, & de impedimentis aduenientibus.*
26 *Diſputatio quomodo vita contemplatiua ſit proficua & primo ſibiipſi.*
27 *De profectu magno quem contemplatiui alijs afferunt.*
28 *Quod non ſit ſuperbia tendere ad vitam contemplatiuam, oſtendit per exemplum.* E
29 *De excellentia contemplatiui ſuper actiuos.*
30 *De neceſſitate gratiæ Dei ipſi contemplatiuo.*
31 *Qualiter anima in contemplatione dicitur eleuari ſuper corpus & quodammodo ipſum deſerere & efficitur ſimplex & vnica.*
32 *Memoria libri magiſtri Richardi de ſancto Victore de contemplatione.*
33 *De tertio gradu contemplationis, & ſimilitudines quædam naturales.* F
34 *Quomodo fortis perſeuerantia neceſſaria eſt contemplatiuis, declarat per exemplum.*
35 *De impedimentis pluribus ne poſſit quis mentem contemplationis aſcendere.*
36 *De quibuſdam adhuc alijs impedimentis in via iſta.*
37 *Quidam modi meditandi qui poſſunt ſeruari in contemplatione.*
38 *De modo contemplandi quem beatus Bernardus tenuit in principio.*
39 *De alio modo meditandi per exemplum medicantis.*
40 *Commendatio iſtius modi contemplationis tanquam ſecuri, vtilis & leuis.*
41 *De modo ſe viſitandi in contemplatione ſecundum iſtum modum.*
42 *De tribus Dei iudicijs ante oculos mentis reuocandis pro materia contemplationis.*
43 *Quomodo quidam deficiunt in perſeuerantia forti, & ideo in contemplatione modicum proficiunt.*
44 *Quædam imaginatio montis cum tribus tabernaculis ſiue habitaculis ſcilicet fidei ſpei & charitatis.*
45 *De tribus modis gratia Dei detur.*

PROLOGVS IN TRACTATVM EIVSDEM DOMINI IOANNIS DE Gerſon, Cancellarij Pariſienſis, de contemplatione ex Gallico in Latinum tranſlatum.

Capitulum primum. Cauſa quare de materia tam alta conſcribit Gallicè, & ſimplicibus & illiteratis.

MIRARI nonnulli fortaſſe poterunt ac quærere proinde, cur de materia tam ſublimi puta de vita contemplatiua ſcripſerim tractatum præſentem idiotis ſimplicibúſque videlicet ſororibus meis, ac etiam lingua materna Gallicana & non potius ſermone Latino ipſis ſcientia ampliori imbutis, cum iſta materia ad illiteratos ſimplicéſque non pertineat? Ad quod ego inquam: Quia enim in libris varijs Doctorum ſanctorum de vita prætacta ſubtiliter tractatur, vtpotè à ſancto Gregorio in moralibus, necnon à beato Bernardo ſuper Cantica, item à Richardo de ſancto Victore, & à quam pluribus alijs, ad dicta quorum eruditi ſcientijs confugium facere poſſunt: Idcirco talibus ſcribere talia ſuperſedeo. Sed eſt ſecus de ſimplicibus & illiteratis præſertim ſororibus meis, quibus præſentia conſcribo de materia contemplationis Latinos ſermones non intelligentibus. Et cum dicat Apoſtolus, quod mulier innupta & virgo cogitat quæ domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, quæ autem nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro ſuo. Ideò vtilius & conuenientius me compilare, & ſcribere non poſſe iudico dictis meis ſororibus (quæ Dei gratia pridem abſque matrimonij vinculo viuere propoſuerunt) quam quomodo & ipſe Deo placere poterint eidem famulando continuè, eúmque amando & honorando. Nec earum me ſimplicitas ab opere illo retardare habet, cum ſecundum intellectus ſui capacitatem velim procedere, quem in eis expertus ſum nihil incomprehenſibile dicturus aut difficile.

Capitulum ſecundum. Literatura magna & ſcientia non eſt omnino contemplatiuis neceſſaria.

QVAMVIS autem copia ſcientiæ & literatura eruditióque legis diuinæ ac ſacræ ſcripturæ non modicum ad apicem contemplationis volare

cupientibus

cupientibus præſtet adminiculum , nihilominus
idipſum interdum obeſt multum pluribus, non
quidem ex ſe, ſed occaſione inflationis ex ſcientia
prouenientis & acceptæ. Impoſſibile autem eſt ad
veram contemplationem alio itinere quam per
humilitatem peruenire ſicut dicit Apoſtolus. Si
quis inter vos videtur ſapiens eſſe in hoc ſeculo
ſtultus fiat vt ſit ſapiens, hoc eſt intellectum ſuum
humiliet, ſtultum ſe reputans reſpectu diuinæ ſa-
pientiæ, puta non valens comprehendere Dei iu-
dicia atque opera. Hinc eſt quod in cõtemplatio-
nis acquiſitione pluribus ſcientificis viam ad eam
perueniendi nil tantum includit quam quod ſe
humiliare dedignantur, ſcilicet eorum intellectũ
occupando & ſubmittendo myſterijs redemptio-
nis Domini noſtri ſuiſque factis tam humilibus &
exemplis relictis.

Et tamen per iſtud oſtium quod tam humile at-
que baſſum eſt non intrans, fur eſt & latro, in va-
númque laborat. Sicut dicit Dominus. In vanita-
te ſenſus cui capite incedens leuato, in magna ſci-
licet ſui intellectus reputatione & ſcientiæ ſuæ,
ſpernens inclinari effícique vt paruulus, nũquam
per oſtium illud humile poterit introire quin po-
tius offendens abibit retrorſum ad inſtar quorun-
dam Domini noſtri diſcipulorum de quibus ſcri-
ptum eſt, quod abierunt retrorſum cum ſcilicet eũ
capere & intelligere nequiuerant de ſui corporis
myſterijs docentem. Qua de re etiã accidit quoſ-
dam doctiſſimorum optaſſe quod vtinam ad tan-
tam ſcientiam nunquam perueniſſent, ſed potius
permanſiſſent in ſua ſimplicitate, quemadmodum
matres eorum ſine literatura: Non ratione ſcien-
tiæ ex ſe quod. ſ. proficua non eſſet, immò pro-
deſt multum per omnem modum ea vtenti bene
humiliter & in Dei gratia, ſed prouenit iſtud ex
ſurreptione ſuperbiæ, ſicut dicit Apoſtolus, quia
ſcientia inflat. Accidit item & ſecundum com-
plexionem ac perſonarum varietatem. Experimur
vinum optimum obeſſe non parum febribus la-
boranti. Sicque enſem furibundo, qui quippe cũ
tali ſeipſum mactet. Videmus etiam oculis ægris
odioſam eſſe lucem quæ puris delectabilis, dulcis
& amabilis eſt. Similiter eſt de ſcientia, quod ipſa
ſcilicet homini moribus inordinato atque indi-
ſpoſito per abuſum multum eſt damnoſa.

Capitulum tertium. Qui ad contemplationem meliores ſunt.

SICVT dicit beatus Gregorius ſexto moraliũ
ſunt quidam naturaliter aut ex complexione
conſuetudine ad exteriora occupationéſque ter-
renas ita inclinati, quod ad contemplationem ſe
eleuare nequeunt, multo autem habiliores repe-
riuntur ad vitam actiuam. Quod ſi ad oppoſitũ
nitentur, in magnos inciderent errores & blaſ-
phemationes. Tanto enim deteriores cordis tu-
multus tolerant, quanto eis licentius ad cogita-
tiones vacat. Ideóque tales in actiua ſeipſos exer-
citare debent. Alij verò mentis ſunt tranquillæ
& otioſæ, vt ſi eos labor occupationis excipiat, in
ipſa operis inchoatione ſuccumbant, ſed delecta-
biliter viuunt in conſideratione operum Dei vi-
tæque cœleſtis & hæc ruminantes, atque tota hu-
militate de ſua ſalute meditantes. Et tales quantũ
valent mentes ſuas ab exercitatione immoderati
A operis abſtrahant. Sæpè enim qui Deum contem-
plari quieti poterant, occupationibus preſſi ceci-
derunt. Et ſic tales in operationibus exterioribus
occupati, plus deficerent quam proficerent.

Sunt alij qui ex conſuetudine aut per virtutẽ con-
templationis vel Dei dilectionem excellentẽ aut
certè eis à ſuis progenitoribus aduenit, vt ſcilicet
habeant mentem habilem & quaſi ambidextram,
valentes ſe modò vni modò alteri ſe tradere vitæ,
quales eſſe prælatos decet. Modo accidit quan-
B doque quod quidam clerici & literati ſunt de ſta-
tu primo & conditione talium, quare ſequitur
quod ſæpius ipſi errant, ſi ſe nimis profundis co-
gitationibus ingerunt, dimittendo operationes &
exteriores occupationes. Etiam euenit quod ſim-
plices perſonæ & literatæ ſunt de alio ſtatu & cõ-
ditione alia, & tales ſecurè poſſunt viuere in ſoli-
tudine, & ſemper aut frequenter cogitare de eorũ
ſalute, ſine alia occupatione terrena. Ita ergo vi-
detis manifeſtè quod perſonæ ſimplices non ſunt
repellendæ, quin etiam eis eſt bene ſcribẽdum de
C vita iſta contemplatiua. Videmus etiam & vidi-
mus per experientiam in ſanctis eremitis & in ali-
quibus fœminis, quod plus profecerunt in Dei a-
more per iſtam vitam contemplatiuam, quam fe-
cerunt vel faciũt plures magni clerici. Ratio, quia
iſta vita melius acquiritur per bonam, ſimplicem
humilitatem quam per literaturam magnã. Sicut
dicit Salomon de Dei ſapientia, quod ipſa gradi-
tur cum ſimplicibus & cum eis eſt ſermocinatio
eius. Ideo præcipitur alibi: Quærite Deũ in ſim-
D plicitate cordis, quia ipſe ſimpliciſſimus & reperi-
tur per ſimplicitatem.

Capitulum quartum. De duobus modis contemplationis. Vno in ſcientia, alio in affectu.

SED pro pleniore ſatisfactione in iſta materia,
conſidero quod vita contemplatiua habet in
ſe gradus & partes, quarum vna eſt ſubtilior alia.
Et eſt vna talis quæ inquirit per rationes fundatas
in vera fide Dei naturam & ipſius eſſentiam & eius
E opera. Et valet iſta contemplatio ad reperiendum
nouas veritates, vel ad declarandum & docendũ,
aut etiam ad defendendum contra errores & fal-
ſitates hæreticorum & infidelium. Et de tali ma-
teria non intendo loqui ad præſens, pertinet enim
ſolummodo ad bonos theologos, bene in ſacra
ſcriptura inſtructos, non autem ad ſimplices, niſi
eſſet per inſpirationem & miraculosè ipſis data, ſi-
cut accidit in Apoſtolis, qui erant valde ſimplices
& ſine literatura & pluribus alijs. Vna alia pars
F contemplationis eſt quæ principaliter tendit ad
Dei amorem, & ad ſapiendum ſuam bonitatem ſi-
ne magna inquiſitione clarioris cognitionis quã
eſt talis de vera fide quæ data eſt eis aut certè in-
ſpirata. Et ad hanc contemplationem poſſunt
pertingere ſimplices perſonæ in dimittendo cu-
ras mundiales & in cuſtodiendo cor ſuum purè
& mundè, & de tali loquor in præſenti.

Et credo quod iſta ſit ſapientia & contem-
platio quam principaliter beatus Dionyſius in li-
bris ſuis de myſtica theologia edocuit & eſt ſa-
pientia excellentior & altior quam poſſumus ha-
bere in hoc mundo quæ fuit ei reuelata per bea-

Digitized by Google

tum Paulum Apoſtolum, cuius ipſe extiterat diſcipulus.

Capitulum quintum. Magna differentia eſt inter ſapientiam & ſcientiam ſecundum Doctores.

MAGNAM differentiam aſſignant Doctores ſancti inter ſcientiam & ſapientiam & principaliter beatus Bernardus, Quia ſcientia pertinet ad intellectum, & conuenit iſti ſoli, ſed ſapientia ad affectum. Et ideo ſecundum nomen ſuum ſapientia valet tantum ſicut ſaporoſa ſcientia, qui ſapor reſpicit affectionem, deſiderium, appetitum & voluntatem perſonæ iſtius cui ineſt. Et ideo poteſt in aliquo magna ſcientia vel cognitio eſſe, in quo erit modica vel nulla ſapientia. Ratio, quia non habet ſaporem vel affectionem ad illud quod ipſe ſcit. Et declaratur per exemplum groſſum: Poteſt enim aliquis cognoſcere mellis naturam, quia audiuit aliquando de tali narrare ſiue loqui, vel etiam quia legit in libris de natura mellis, ſine hoc quod quandoque mellis dulcedinem guſtauerit. Item medici cognoſcunt naturam infirmitatum, & ſæpè melius quam ipſe infirmus ſeu patiens. Sed quantum ad ſenſum doloris, clarum eſt ipſos infirmos plus ſcire infirmitates, non per rationem, ſed per experiẽtiam. Sic ſuo modo poteſt aliquis habere maximam ſcientiam vel cognitionem alicuius perſonæ ſine magna affectione amoris vel odij, complacentiæ vel diſplicentiæ ad talem perſonam. Et ex alia parte poteſt aliquis capere magnam affectionem vel complacẽtiam alicuius ſine magna eius cognitione.

Videtis ergo quod ſecundum hoc poſſumus concipere & intelligere poſſe eſſe magnam ſapiẽtiam in aliquo ſine magna vel clara cognitione, & claram & magnam ſcientiam ſeu cognitionem, ſine multa vel magna ſapientia.

Capitulum ſextum. Nullus debet appellari ſapiens niſi bonus exiſtat.

SECVNDVM vſum loquendi communiorẽ dicuntur communiter aliqui magni clerici; Theologi & philoſophi habere ſcientiam vel ſapientiam, qui ſunt inſtructi in prima parte contẽplationis de qua locutus ſum. Sed in tali contemplatione videntur poſuiſſe philoſophi felicitatem vel beatitudinem humanam. Sed hoc dicere eſt minus rectum, & eſt abuſus loquendi, niſi tales clerici habeant cum cognitione eorum ardentem affectionem per dilectionem ad Deum, & ad hoc quod facit eius amorem. Et ſine tali dilectione & charitate non poteſt eſſe poſita ipſa felicitas in cõtemplatione, nec fuit vnquam intentio Ariſtotelis alia, ſicut ego teneo. Et qui aliter fecerunt, ſunt ab ipſo Apoſtolo reprehenſi dicente, quod illi qui dicebant ſe ſapientes, hoc eſt habere ſapientiam, facti fuerunt ſtulti. Et cauſam aſſignat, quia cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum ipſum glorificauerunt, nec ſicut Deum amauerunt, nec gratias ei reddiderunt, ſed euanuerunt &c. Sic ergò poſſumus videre, quos veraciter loquendo dicere debeamus ſcientes vel habere ſapientiam & quos non, quantumcunque literati extiterint.

Capitulum ſeptimum. Quomodo ſimplices & idiotæ poſſunt ad ſapientiam pertingere per exemplum à ſimili.

COGNITIO vel ſcientia quæ habetur de Deo per veram & ſolam fidem, ſufficit ad perueniendum ad talem ſapientiam (ſicut dictum eſt) per amorem Dei & ſeruitium & eius honorẽ. Et videtur mihi quod ſicut dicit Ariſtoteles quod ſimplices poſſunt habere felicitatem credendo hæc quæ philoſophi teſtificati ſunt de Deo & Angelis, & ponere ſecundum hoc cogitationem ſuam affectionémque. Per hoc concludo quod Chriſtiani ſimplices habentes fidem firmam de Dei bonitate, & ſecundum hoc ardenter amant, verius habent ſapientiam, & potius debent dici ſapientes quam quicunque alij literati exiſtentes, ſine amore & ſine affectione ad Deum & ſanctos eius & etiam plus placent Deo tales magis quam alij. Et quod plus eſt, tales literati ſine affectione Deo diſplicibiles ſunt, exiſtentes ſicut ſal corruptum & ſapientes infatuati. Et patet hoc per exẽplum groſſum. Si pater vnus habeat filios duos quorum vnus nihil ſcit de ſecretis ſui patris, ſed ſolum quod ſit pater ſuus & quod totum ſuum eſſe ab eo habeat, & quod debeat eum amare ex toto corde & ei ſeruire, & eum honorare, & ſic facit de tota ſua affectione. Alter autem filius multum ſciat de ſecretis patris ſui per reuelationem à patre ſibi factam, & de talibus ſcit loqui magnanimiter, & tamen non habebit aliquam vel quaſi nullam affectionem dulcem & amoroſam ad patrem ſuum neque ad obſequium eius. Iſtis ſtantibus peto quis illorum filiorũ à dicto patre plus amabitur & plus honorabitur & magis remunerabitur? Non enim dubium quin primus. Et inſuper à patre ſuo propter talem affectionem ad ipſum habitam inſtruetur amplius de ſecretis patris ſui & de tota eius hæreditate. Secundus autem condemnabitur propter ſuam ingratitudinem & malitiam, & propter abuſum cognitionis ſecretorum ſui patris ſibi reuelatorum ab eodem.

Capitulum octauum. Quæ ſint opera per quæ Deus perfectius cognoſcitur.

CLARE iam oſtendi, ſicut mihi videtur, nõ non fruſtra & impertinenter eſſe loquendũ ſimplicibus de vita contemplatiua pro introductione eorum ad Dei amorẽ & eius deguſtatiõnẽ & ſaporem per ſcientias dulcéſque affectiones, ſicut per ſpem bonam, timorem ſanctum, per ardens deſiderium, per diſplicentiam & triſtitiam offenſæ diuinæ per peccatum, & ſic de affectionibus alijs, & quantum ad hoc cognitio vel ſcientia literarum ſeu literatura non requiritur vltra plenam groſſámque fidem ſeu credulitatem quã tales ſimplices tenent de Deo & de ſua potentia & ſapientia & bonitate, de ſuis mandatis & myſterijs generalibus, de noſtra redemptione, de paradiſo ac de inferno.

Et non eſt exile poſſe acquirere ſapientiam huiuſmodi de qua dixi. Teſtatur enim Guillelmus Doctor eximius, quod inter omnia Dei opera nullum plus notificat & agnoſcere facit Deum ſuámque bonitatem, quam iſta delectatio quæ cũ ſpiri-

Digitized by Google

ſpirituali placentia recipitus in anima cum ipſe Deus eam ſecretè viſitat, poſtquam ſe profundè humiliauerit ante eius maieſtatẽ. Et ſi ita eſt, immò quia ita eſt, patet quod ſimplex & illiterata perſona melius cognoſcit Deum amando eum, & in anima ſua eius opera recolendo ſicut dictum eſt, quam facere poteſt quantumcunque literatus & philoſophus per opera exteriora & per rationes naturaliter acceptas. Vnde Dominus noſter Ieſus Chriſtus patri ſuo gratias agit, quia abſcondit hæc alta myſteria à ſapientibus & prudentibus huius mundi, & reuelauit ea paruulis. Exempla etiam ſupra poſita & de infirmitatibus & mellis natura hæc declarant manifeſtè.

Capitulum nonum. Continuatio ſeu epilogus dictorum ſub breuitate.

POSTQVAM reſpondi & rationem aſſignaui quam ob cauſam modò gallicè conſcriberẽ ſimplicibus perſonis ſcilicet vobis ſororibus meis & dilectis per genealogiam carnalem, & ſi Deo placet, plus per ſpiritualem affinitatem. Nunc intendo deſcendere ad proſequendum quod concepi, demonſtrando vobis aliqualiter & modo groſſo iter vitæ cõtemplatiuæ illius quæ ad vos pertinere poteſt, quæ perducere vos poterit ſufficienter ad veram ſapientiam & veſtram ſalutem. Quia (vt Auguſtinus teſtatur) plures ſimplices abſque ſcientia operati ſunt ſalutem eorum habendo fidem ſpem & charitatem, alij autẽ cum ſua ſapientia demerſi ſunt in profundum inferni. Dimittamus igitur tales ſapientes ſe damnare ſicut dicit Bernardus & nos cum noſtra ſimplicitate quæramus ſaluari.

Capitulum decimum. Amor Dei principium eſt vitæ contemplatiuæ & finis.

RADIX & initium vitæ cõtemplatiuæ debet eſſe Dei dilectio, hoc eſt quod eius amore dimittatur vita mundana, omnéſque curæ terrenæ & occupationes, ſe totum tradendo ipſi Deo. Secus autem faciens ſeipſum decipit & ſæpè non peruenit ad finem laudabilem, niſi ſe emendauerit ſicut ſunt qui ſe tradunt religioni vel ſtudio extra mundum, non pro Dei amore, ſed propter pigritiam, & fictè mundi laborem ſubterfugientes, vel propter habere vnde viuerent, aut propter vanitatem & ſuperbiam cupientes reputari magni clerici aut deuotæ perſonæ vel etiam propter curioſitatem, ſcilicet ſolum propter ſcire, quemadmodum plures fecerunt philoſophi.

Finis etiam vitę contemplatiuæ debet eſſe amor Dei, hoc eſt quod pro eius dilectione & amore nitatur de bono in melius proficere & quod velit ſe abſtrahere ab omni alio opere & occupatione. Et quod dico quod debeat ſe abſtrahere ex toto ab alijs occupationibus, hoc intelligo de terrenis principaliter, & de tali quæ notabiliter impediret ſuam contemplationem. Scio enim quod modica & temperata occupatio aliquãdo neceſſaria eſt & valde proficua ad vitam contemplatiuam ad pigritiam aut etiam malam triſtitiam depellendam. Prædicta Apoſtolus affirmat inquiens: Plenitudo, id eſt, finis legis ſcilicet diuinæ eſt charitas ſiue dilectio. Et ideo in lege Dei quæ dicta eſt

A ſapientia vel theologia, iſte excellentior appellari debet magiſter qui plus amat Deum, iſte etiã habet vitam perfectiorem ſtatumquam nobiliorem qui melius diligit & plus.

Et quia vita contemplatiua conuenientior eſt de ſe ad bene amãdum Deum ſicut ſchola vel ſtudium vbi melius iſta ars ſcilicet dilectionis acquiritur, ideo vita iſta plus laudatur & approbatur in ſacra ſcriptura & à ſanctis Doctoribus & principaliter per verum Deum amoris, Ieſum Chriſtum

B qui iſtam dedit ſententiam quod Maria meliorẽ partem elegerit. Et quæ eſt iſta pars. Certè quod illa ſedebat ad pedes Ieſu & audiebat verba illius, & audiendo de ſuo amore inflammabatur.

Verum eſt tamen quod aliquis poteſt interdum in vita ſua actiua plus Deum amare quam alius facit in vita ſua cõtemplatiua, & talis eſt magis perfectus quamuis ſit in ſtatu minus perfecto quam contemplatiua. Et etiam taliter vita actiua perfectior erit vt hæc, quamuis de ſe ſit in ſtatu minus perfecto quam contemplatio. Ex quo vlterius

C patet illos decipi, putantes vitæ contemplatiuæ finem eſſe ſolum ſcire vel acquirere nouas veritates, immò potius finis principalis eius eſt Deum diligere & deguſtare quam bonus & ſuauis ſit ipſe. Quamuis iſte ſapor ſeu guſtus vel attactus aut ſpirituale illud ſentimentum poteſt dici fore vnus modus cognoſcendi, quia amor ipſe cognitio eſt, ſicut Auguſtinus teſtatur. Quæ cognitio talis eſt & ita ſecreta quod à nemine niſi eã habente percipitur, quia per verba aut doctrinam explicari &

D demonſtrari non poteſt alteri, quemadmodum dici ſolet de infirmitate valida quod dolorem huius infirmitatis nullus tam bene ſentit ſicut qui iſta premitur.

Capitulum vndecimum. Quod amor mundanus ſeu mundi primò eſt remouendus.

CVPIENS inchoare & ſcire artẽ bene amãdi Deum per vitam contemplatiuam, primò & principaliter toto conamine laborare de-

E bet ad remouendum amorem fatuum & contrarium, quem appello vocabulo generali amorem mundanum. Amor enim mundanus iſte eſt, vt glutinum quoddam alas animæ ſpirituales impediens ne ſe in altum poterit ſubleuare. Et etiam ſicut calx ſeu cementum tenax & forte, pedes animæ retinens ne liberè valeat pertranſire. Rurſus comparatur iſte amor catenæ ſimiliter tenens & alligans animam ipſi corpori, vt ab eo non ſe poterit elongare, in ſimilitudine vnius vrſi vel ſimiæ

F continuè ſe vertentis & gyrantis ſeu circumeuntis columnam aut pilare cui alligata eſt vltra tranſire non potentis. Item eſt ſicut truncus quidam alligatus ſimiæ, per quem inimicus animam ipſam affixam tenet ſemper, prohibens fugam eius lõgiorem quatenus etiam citius aliquando fugientem reapprehendat. Similatur inſuper compedibus quibus aues rapaces alligatæ pedibus deferuntur. Et ſic pariformiter de pluribus figuris quibus cõparatur. Iſte amor eſt regina illa peſſima quæ conſtituit & fundauit Babylon ciuitatem confuſionis & inimici infernalis in creatura humana. Fecit enim amare ſemetipſum vſque ad contemptum &

Digitized by Google

nihilipenſionem Dei omnipotentis. Eſt item terra mala ſterilis & maledicta non producẽs fructum quantulumcunque bonum. Eſt & cadauer prohibens coruum reuerti in arcam, hoc eſt animam in hoſpitium cœleſtis paradiſi. Poſtremò gerit typum fatuæ mulieris in tantum garrientis & vlulantis, & tam horribilem ſtrepitum excitantis per ſuas phantaſias quas inducit in domum ipſius animæ ſine ceſſatione quod ipſa anima cogitur exire proprium domicilium, & Spiritus-ſanctus qui eſſe deberet verus hoſpes non poteſt inibi inhabitare, ſed inde abſcedit.

Capitulum duodecimum. Qualis ſit pœna dimittendi amorem mundi.

EX quo amor mundi ſeu mundanus talis eſt, ſicut prædiximus & quod amor bonus illud peruenire non valet vbi iſte habitat. Oportet ſe ergo inde expedire & remouere & ipſum totaliter rumpere, eiúſque ciuitatem confundere, atque ab hoſpitio ſuo expellere. Sed heu hoc facere eſt multo difficilius quam plures credunt. Et qualis pœna ſit, iſti melius percipiunt qui ſeipſos à tali ſtudent alienare quam cæteri qui de hoc nullum computum faciunt, nec ad hoc nituntur. Sicut enim auicula quod conſtricta & capta ſit compedibus non percipit, & cum ſuper ſidet glutino nõ ſentit ſe annexam quouſque recedere voluerit & inde volare. Sic & in propoſito. Inde accidit plãctus & triſtitia iſtis qui nouiter ad Dei amorẽ conuertuntur. Sentiunt enim ipſi dolorem & pœnã multo pluſquam antea. Hoc etiam facit diabolus, quia inimicus ſalutis tunc tales magis nititur retrahere, quemadmodum cattus ſolet muri facere, cum nimis ab ipſo ſe voluerit elongare. Aut etiam ſicut iudex aliquis captiuis ſuis à captiuitate ſua fugitiuis. Tunc enim clientes ſuos mittit ad reducendum tales, antea autem non mittebat eos ad requirendos, ideo ſic neceſſarium eſt quod verus Deus amoris Saluator noſter Ieſus Chriſtus attrahat ad ſe animam illam quam eſſe voluerit ſuam amicam & ſponſam, inſtruendo eam in arte veræ dilectionis & boni amoris. Attractionẽ autem iſtam facit ipſe varijs modis: Modò per inſpirationem & ſecretas monitiones cordis interius ſine alio medio, aliquando per medium Angeli, ſæpè autem mediantibus alijs hominibus tradentibus doctrinas & bonas inſtructiones, interdum per magna beneficia & dona diuerſa, quandoque etiam per aduerſitatem & tribulationem, ſiue ſit ab extra infirmitate, paupertate, aut ab alijs guerris, ſiue ab intra tentationibus varijs.

Capitulum decimum-tertium. Quomodo aliquis amorem mundi poſsit deſerere per exempla.

SANCTA anima in Canticis ſentiens in ſe grauitatem & durum iugum ſeu graue onus terreni amoris, cupiens appropinquare Deo ſponſo ſuo & amico, deprecatur in hæc verba: Trahe me poſt te, curremus ſimul in odorem vnguentorum tuorum, id eſt, tuæ dulcedinis. Et pari modo Deus omnipotens facit ſuis famulis. Ipſe enim eis immittit quandam dulcedinem aut odorem, aut ſaporem internum, vel gaudium quoddam ſobriũ, A vnam claritatem, pacem, dilationem mentis, guſtum, aut etiam ſonum ſine ſono. Et breuiter loquẽdo, eſt quidam attractus & operatio, & quoddam motiuum, quod fari non poteſt, nec verbo explicari, ſed ſentitur bene. Et tunc ipſa anima deuota expedit ſe de ligamine & nexu huiuſmodi amoris mundani, nec eſt tunc aliquid huius mũdi quod eam retardare poterit, non diuitiæ, non carnales deliciæ, nec cibi & potus delectatio, nec ludus nec iocus aliquis. Inde mundani homines B pleni amore fatuo, multum mirantur, & totum in deriſum & ſubſannationem conuertunt, & fatua putant omnia facta huiuſmodi animæ à Deo ſic attractæ. Ratio, quia vident ipſam ſpernere & derelinquere quæ ipſi amant, & bona valde eſſe iudicant. Sed in rei veritate ipſi ignorant quomodo ſit animæ tali, & quid intra ſe ſentiat.

Videmus manifeſtè quod ſi inter centum canes habentur quatuor venatici qui ſentiunt ceruum quem ipſi non videbant, nec etiam alij canes, ſtatim iſti quatuor venatici canes ſentientes odorem C cerui, poſt ipſum current, & eius veſtigia inſequẽtes, nec ipſos reſeruare nec trahere poterit impedimentum aliquod obſtans, nec ſepes, nec rubus, nec riuus, non lapis, nec etiam cibus in itinere obiectus. Alij autem canes non percipientes cerui odorem per veſtigia eius, aut qui non ſunt venatici, ſed ignobiles & craſſi, corrodentes fortè cadauer aliquod tales non inſequuntur ceruum, niſi fortè ad modicum ſpatij, & hoc ideo, quia alios vident currentes quatuor, ideò currunt & ipſi. D Sed citius ceſſabunt tanquam eſſent ſtupefacti de alijs quatuor, quare ſe in vanum currendo vexarent, non enim ſentiunt quod iſti, ipſi autem continuè ad cadauera corrodenda ſunt intenti. Comparetis nunc habentes bonum Dei odorem, de bonitate, de gloria cœli, iſtis quatuor canibus venaticis. Alios autem mundanos nihil de Dei bonitate & gloria cœleſti, & cæteris ſentientes alijs.

Capitulum decimum-quartum. Legere vel audire ſanctorum vitas, multum prodeſt ad contemplationem. E

SED etiam amorem iſtum mundanum depellunt & remouere habent ab homine ſacra ſcriptura & ſanctorum exempla, lecta deuotè & audita & ſedulè recogitata. De quo tradere exẽpla non eſt neceſſarium, ſunt enim ſine numero quotidiéque experimur in perſonis ſe tradentibus ad vitam meliorem ſalutémque ſuã diligenter penſantibus. F Accidit ſæpè quod triſtis, frigidus aut certè tentationibus vexatus aliquis accedit ad ſermonem, aut ad alicuius libri lectionem, & ſubitò nec tranſibit hora quod inter verba quæ inibi audiet, leget aut reſpiciet, ipſe conſequetur lætitiam quandam & ſanctum calorem & à ſuis tentationibus liberatum ſe ſentiet. Et cognoſco quod reperiens ſe induratum corde ad habendam deuotionem, ſi applicauerit alicui ſalubri doctrinæ aut vitæ alicuius ſancti vel ſanctæ, ſatis faciliter ſentiet internam dulcedinem, & citius quàm ſi niteretur ad iſtam habendam ſine medio tali, ſcilicet quod ſimpliciter ſe daret ad cogitandum de Dei bonitate.

Digitized by Google

tate. Nec mirum, ſecundum quod beatus Gregorius de hoc adducit exemplum. Experientia docet quia ſolis rotam & eius perfectam claritatẽ intueri non poſſumus, ſed ipſum videmus in mõtibus in quibus reſplendet, ſimili modo percipimus Dei claritatem & eius dignitatem in ſanctis ſuis vbi mirabilis relucet. Valent etiam & operantur ad obtinendam deuotionem iſtam ſanctorum merita, quorum dicta recitantur & deuotè recipiuntur cum quibus tali modo quodammodo loquimur eorum ſcripta perlegentes.

Sic ergo patet quam proficuum ſit ſanctorũ dicta & verba legere attentè vel audire. Poſito etiã quod ex tali lectione nihil retineatur niſi pro tali hora. Non enim fruſtra & incongruè Dominus noſter verba ſua cibum appellauit animæ. Vnde non eſt mirandum famæ ſpirituali deperire tales qui ſe à ſtudio ſacræ ſcripturæ elongant exiſtentes macri & in deuotione ſua ſicci.

Capitulum decimum-quintum. De angelorum ſuffragijs, & de generibus aliquorum hominum proſpera & aduerſa habentium.

CONSEQVENTER niſi nobis ſanctorũ Angelorũ adeſſet frequens auxilium, quis ſufficeret euincere aut euadere fraudes laqueóſq; inimici? Certè nullus. Idcirco angelo nobis in cuſtodiam deputato honorem magnum ac reuerentiã ſemper impendere debemus, licet etiam in locis ſimus poſiti ſecretis & priuatis, nihil inhoneſtè perpetrantes quo eius præſentiam offendere poſſemus. Sunt homines quidam naturæ tam laudabilis pleni gratitudine & recognitione acceptorũ à Deo, quod in proſperis eidem fideliter famulantur & melius quam in aduerſitatibus & tales ipſe nutrit ſæpius in proſperitatibus habéntque paradiſum in hoc mundo & in futuro. Ratio, quia ex toto corde & perfecto non ceſſant laudare Deum & gratias agere de collatis beneficijs. Et ipſis videtur & in veritate ſic eſt, quod quantulumcunq; donum licet modicum & exiguum ab eo acceptũ ſit chariſſimè & valde gratanter accipiendum nõ propter donum, ſed propter eum à quo venit. ſ. tale donum. Rectè ſicut filius bonus in terra aliena poſitus multum gaudet, cum recipit qualecunque locale à ſuo patre tranſmiſſum & charè tenet. Et ſi à caſu accidit Deum remouere beneficia ſua à talibus de quibus locutus ſum ſtatim permittens eis aduenire aduerſitates, ipſi ſimiliter hoc gratanter accipiunt tanquam à Deo veniens, & iſto modo ſicut in proſperis & ſic de corde dulci omni tempore Deũ benedicunt & laudant. De quorum numero fuit beatus Iob ſecundum ſuam hiſtoriam & plures alij. Sed & ſunt alij alterius animi & conditionis plus indurati & quodammodo naturæ aſininæ qui ſtimulari volunt, & tales melius accelerant ad Deum per tribulationes & aduerſitates quos ad ſe trahit Deus omnipotens ſicut mater puerum ſeparatum ab ea. Ordinat enim per aliquos vt lædatur puer, & ſic acclamans matrem, ad eam reuertitur & lachrymans, quem in vlnas ſuas ſuſcipit, adhortans ne ſe de cætero ab ea elonget, adijciens quia alibi non niſi mala ſuſtinebit. Et in veritate loquendo nimis pauci reperiuntur qui ſic viuaciter & fundi-

tus ex toto corde certiſſimè recurrunt ad Deum
A & ad eius auxilium in vera & bona humilitate, quemadmodum in aduerſitate faciunt cum ſe ſenſerint deſolatos, neſcientes vbi habeant recurſum niſi ad Deum, & hoc ſpecialiter quando non ſentiunt dolorem illa hora qui ſit omnino impedimentum intellectus quin poſſint conuerti ad cogitandum Deum & ſeipſos. Et ideo conuenienter reſpondit quidam ſanctus vni diuiti grauato infirmitate, ipſum deprecãti quatenus Deum pro ipſo exoraret ſanitatem impetrando. Quando (inquit iſte ſanctus) deuotionem habetis ampliorem &
B melior eſtis an in infirmitate an extra? Cui reſpõdenti, quia in infirmitate. Dicit ſanctus: Et ego oro Deum vt vos in tali ſtatu conſeruet in quo melior eſtis. Et licet aliquis oportet tribulationem tranſire & ceſſare ab eo propter dolorem quem ſentit ad præſens, ſicut dicit Apoſtolus, ipſa tamẽ generat & apportat fructum valde placabilem. Videmus in pueris ſcholaribus qualem profectũ reportant per ſuas vapulationes & correctiones, quamuis ad horam eis hoc ſit durum. Et breuiter
C loquendo, non eſt aliquid quod ſic viuaciter eradicat amorem iſtum mundanum à terra animæ quemadmodum tribulatio bene & patienter recepta & temperata exiſtens. Et quod plus eſt, ab iſto amore perfectè non poteſt quis ſequeſtrari ſine tribulatione ad extra adueniente, vel accepta per voluntariam pœnitẽtiam & carnalitatis mortificationem, niſi miraculosè aliter factum fuerit & per Dei donum ſpeciale.

D *Capitulum decimum-ſextum. Incipit de ſcala contemplationis Dei, cuius tres ſunt gradus ſcilicet humilis pœnitentia, locus ſecretus & ſilentium, fortis perſeuerantia, ſicut beatus Bernardus ſuper Cantica tractat.*

AD pertingendum ad fructum vitæ contemplatiuæ & eius altitudinem neceſſe eſt ſcala vti & ſic aſcendere, principaliter tres in ſe gradus continente, quos nominare poſſumus pœnitentiam humilem, locum ſecretum & ſilentium &
E fortem perſeuerantiam. Inter iſtos autem gradus tres principales, plures ſunt medij, ſed minus principales per quos fit aſcenſus de alto in altum, & de virtute in virtutẽ, quouſque peruenitur ad ſummitatem arboris ſeu montem contemplationis. Humilis autem pœnitẽtia hæc incipit, locus quietus & ſecretus cum ſilentio mediat, fortis perſeuerantia finit terminátque. Sed antequam ad horum trium proſecutionem deſcendam pro meæ imaginationis melioris intellectu & cõprehenſio-
F ne, aliquibus vtar naturalibus & intelligibilibus & ſimilitudinibus ad oſtendendũ quid nos oporteat facere prius quam ad Dei amorem perfectè veniamus. Non enim ſine medio de imperfecto ad perfectum tranſire valemus, nec ſubitò quis & repentè fit ſummus & in virtutibus perfectus, ſed acquiritur ipſa in ſimilitudine operationis naturalis, quæ procedit ab imperfecto ad perfectum. Ignis enim (vt videmus) per fumum incipit, poſt hoc eſt flamma cum fumo, deinde ignis purus & clarus & lucidus in carbone. Similiter granum in terra ſeminatum primò putreſcit, ſecundò germinat, poſtea ſe leuat extra terram, creſcitque vſ-

Digitized by Google

que ad maturitatem. Et planta tranſplantanda in terra ſterili exiſtens, primò eradicabitur, ſecundò replantabitur & erit tanquam mortua poſtea videſcit & in altum ſuccreſcit. Suo modo eſt videre in alijs naturalibus per totum.

Pariformiter volens viuere in vita contemplatiua in ſuo initio nō poteſt habere perfectionem, quia potius oportet eum prius emittere fumum diſplicentiæ de vita ſua præterita, & eum flere amarè & ſeipſum turbare ſine magna conſolatione, poſtea veniet flamma amoris cum fumo tali, poſtremò amor purus ſine fumo. In ſtatu primò mortificabitur vita carnalis præterita, in ſecundo germinabit altius extra terram, in tertio fructus erit perfectus. Simili modo in ſimilitudine plantæ eradicabitur, talis de terra mala & ſterili vitæ mundanæ, quod fiet cum pœna magna & labore, poſtea replantabitur vbi adhuc leuiter ſuſtinebit grauitates, vltimatè verò erit radicata fortiter & perfecta afferétque fructum multum. Tres ſtatus iſtos conuenienter quidam aſſignauit dicens, ꝙ in primò aliquis languet amore, in ſecundo nutritur, in tertio autem viuit amore, ſicut patebit manifeſtius in ſequentibus.

Capitulum decimum-ſeptimum. Quomodo debet incipi à labore vita actiua vita contemplatiua.

PRIMVS gradus pertinens ad ſtatum incipientium & imperfectorum eſt humilis confeſſio pœnitentia mediante, qua quis in ſe amorē mundanum cum deſiderijs prauis mortificat, ſimul & motus illicitos & cōſuetudines malas, hæc carnem caſtigat & domat ne rebellet animæ ſed ei ſit ſubiecta, quod facit per ieiunium vigilias & abſtinentiam afflictiones, lachrymas, gemitus & ſuſpiria crebra, ac etiam per corporalem exercitationem ſeu laborem ſecundum ſtatum ſuum.

Qui enim ante pœnitentiam talem aut ſine labore huiuſmodi repente vellet vti perfecta vita contemplatiua, hic ſeduceretur & compararetur volenti vno ſaltu montem altum conſcendere. Ideo dicit beatus Gregorius aliiſque ſancti quod vita actiua quæ ſita eſt in laboribus & afflictionibus corporalibus debet aſſumi ante contemplatiuam tanquam aptans viam pro illa. De quo habemus figuram in Iacob, qui ſeruiuit pro Rachel repræſentante vitam contemplatiuam prius tamen ei ſupponebatur Lya eius ſoror, per quam vita actiua deſignatur. Ex quo trahitur quod iuuenes pleni adhuc carnalibus tentationibus & vitijs & etiam magni peccatores qui multum temporis vitæ ſuæ malè viuendo deduxerunt, nō poſſunt nec debent ſubitò ſe tradere ex toto ad perfectionem contemplationis: Quare? propterea cum enim crederent cogitare de Deo, & puras habere orationes in ſecreto & otio, citius ipſi tunc cogitarēt & abundantius ad malas ſuas inclinationes & peiores efficerentur. Et Seneca in hac intentione diſſuadet ne quis ſolus lōgo tempore demoretur. Et omnes ſancti & philoſophi propter cauſam hanc otioſitatem reprehendunt. Nihilominus ipſemet Seneca & cæteri ſancti laudant ſolitudinem & otioſitatem ad liberius Deo ſeruiendum, ſicut fecerunt ſancti eremitæ & alij plures religioſi boni. Sed diuerſitas iſta ſecundum diuerſi- A tatem perſonarum eſt attendenda & mores varios eorum, quemadmodum in gradu ſecundo declarabo.

Capitulum decimum-octauum. Gratia ſingularis aliquibus collata ab omnibus non eſt imitanda.

QVIBVSDAM ex gratia Dei ſpeciali collatum fuit vt in iuuentute ſua ſolitudini & ſolitariæ habitationi ſeipſos traderent, quemadmo- B dum ſanctus Benedictus legitur feciſſe. Ipſe tamē in regula ſua per ſe illud non conſulit, ſicut etiam faciunt alij eremitæ & Doctores, perſuadentes ne quis illud audeat attentare & aggredi, quia gratia vna ſingularis alicui donata, non eſt omnino trahenda ad conſequentiam, ſeu non omnibus imitanda. Et qui quandoque oppoſitum auſi ſunt facere, ſcilicet quærere ſolitudinem & otioſitatem ſine præcedente labore, & præuia bona inſtructione ac conſuetudine conuerſationis inter ſocietatem, miſerabiliter ſunt defraudati: Ratio. Vo- C lare enim niſi ſunt antequam eſſent alati, & congredi bellum cum inimico immaniſſimo, priuſquam alios minores debellaſſent aduerſarios, ſcilicet mundum & carnem.

Et ideo non magnam habeo fiduciam in quoſdam noſtri temporis eremitas, ſe dicentes magnū afferre profectum ſibijpſis. Quod & ſentiendum puto de fœminis in recluſorijs poſitis. Scitis vos ipſæ ſorores meæ dilectæ, quam neceſſitatem ſuſtinuiſtis vſque huc eſſe in labore magno (& for- D tè adhuc ex vobis aliquæ tali indigent) antequam potuiſſetis vos tenere in ſecreto & ſolitarijs & vos tradere omnino ad cogitandum de Deo in ſimilitudine eremitarum & recluſarum. Habemus enim & recluſorium non ſolum in nemoribus locíſque deſertis poſitum, ſed vbicunque poſſunt haberi vel exerceri ad declinandum mūdum ſeu euitandum eius tumultum cum omnibus ſuis occupationibus & ſollicitudinibus. Propter iſta igitur videtur in religionibus bene ordinatis & inſtitutis nouitios & nouellos oneratos fortiter E in addiſcendo magnum habere ſeruitium in laboribus & vigilijs, ieiunijs, & clamoribus & cantibus, ad remouendum per iſtas cogitationes quas ad alia ſolitarij exiſtentes poſſent habere. Sed tamen aliqui bene experti in talibus pœnitentijs, & ſcientes tentationes, cogitationes prauas carnales deuincere, habent de ſpatio ampliori eſſendi in ſolitudine & abſque labore.

Vnde accidit aliquos talis exiſtere complexionis tam fortis & duræ naturæ ad vincendum do- F mandúmque cum labore tentationes ſuas, quod inhabiles ſunt ad perfectionem contemplationis, ſed oportet eos continuè occupari laboribus vitæ actiuæ, & reperiuntur tales multi tam clerici quā laici quos cognoui. Sicut è regione ſeu à contrario eſt inuenire quoſdam quibus vita ipſa actiua eſt graue onus, & mirabiliter per eam impediuntur. Etiam accidit quod aliquis ſit talis, & tā bene in ſua naturali complexione ordinatus, vel etiam ex gratia Dei ſpeciali, quod plus vna die proficiet, ſe tradens conuenienter ex toto contemplationi quam faciet alius in toto anno. Nihilominus nō intendo ꝙ quis taliter ſe applicet vni

vitæ quod ſe non debeat aliquando occupare in alia vel plus vel minus ſecundum tempus, & ſecundum hoc quod ei prodeſſe poterit. Nō enim debet ſe ita dare ad vitam actiuam, quin interdū cogitare habebit ad Deum ſuámq; cōſcientiam emendandā, ad confitendum & ad pœnitētiam agendam. Et ex parte altera non ſit ita deditus contemplationi, quin aliquando etiam ei opus ſit aliquid laborare. Et ideo ſemper in eadem perſona Martha eſt neceſſaria cum Maria, & Maria cum Martha, vel plus vel minus vt dictum eſt. Talis tamen vſurpabit ſibi nomen vitæ illius in cuius officijs plus & frequentius occupabitur.

Capit. 19. In quo conſiſtit perfectio vitæ contemplatiuæ per ſimilitudinem amoris mundani.

CONgruum eſt aliqualiter declarare in quo conſiſtat perfectio vitę contemplatiuę antequam ad vlteriora progrediar. Quamuis enim antea dixerim amorem Dei finem eſſe huius vitæ, ſic poſſet dici (vt mihi videtur) quod ipſe finis ſit & eſſe debet omnium operationum, quia pro Dei amore debet fieri & ordinari quicquid facimus. Propter ergo iſtam cauſam dicturus ſum conditiones quaſdam vitæ contemplatiuæ. Verum non ſufficienter nec quaſi iſtas bene nouerim, ſed de talibus loquor ſicut cæcus de coloribus recitando quæ ſancti in ſuis tradiderunt ſcripturis, & hoc modicum quod ſentire potui per longum tempus & experientiam ac diligentiam & cum Dei auxilio reliquum cōmittendo potioribus & in hac materia expertioribus. Et ad facilius apprehendum ad qualem Dei amorem perfectio vitæ contemplatiuæ perueniat, volo oſtendere per eius contrarium ſcilicet mundanum amorem. Illum enim multo melius cognoſcimus familiariórq; nobis exiſtit quam diuinus. Reſpiciamus itaq; quid operetur talis amor mundanus in homine profundè in tali capto, ſicuti amor argenti, amor honoris vel dignitatis, aut malę carnalitatis. Certum eſt quod in tali homo primò languet propter deſiderium id habendi quod ſolū amat ſic fatuè. Poſtea taliter ſtabilit ſuam mentem, totum cor & intellectum in iſto quod nihil aliud valet cogitare quam id quod amat, in tantū quod ſui obliuiſcitur perditq; omnem pudorem, nec eſt quicquā ipſum valens retinere aut prohibere, nō labor, non vexatio, non periculum, nec mors, nec amicorū cōſilium, nec timor Dei vel ſuorum iudiciorum. Siue talis dormiat, de amato ſomniat, ſiue vigilet, de nulla re alia curat audire vel loqui vel auſcultare, taliter quod perdit omnem rationē efficitúrq; tāquam fatuus aut ebrius vel furibundus. Nihil enim eſt quod talē hominē retardare poſſet aut impedire à tali amore vel quod recuſaret & euitaret facere homo talis vt ſolū ad hoc pertingeret ad quod ipſum amor talis mundanus ſic inflāmat & vulnerat. Obliuiſcitur etiam omne bonū pręſentis & pariter vitę futurę in tantū vt ſi interdum eidem à caſu loquitur quis de paradiſo inferno aut morte videtur ſibi hoc ſomnium vel vt fabula. Nec etiam quamuis modicum intra ſe retinet aut recipit ſpiritualem huiuſmodi cogitationem amor mundanus citò eam inde expellit qui inibi prædominatur.

A *Capit. 20. Qualis ſit amor Dei quem contemplatiuus debet habere.*

AD exemplum ſtatim datum conſideremus pari modo quod amor Dei ſi eſſet talis in aliquo quod faceret ipſum ex toto ſeu omnino cōtemnere mundum & eius obliuiſci, ſicut mundanus amor facit obliuiſci Deum, & quod eſſet ita fortis ac ardens ſicq; radicatus in corde eius quod nec poſſet nec ſciret voluntariè & ſua ſponte ſeu

B liberè alibi cogitare, nec timeret cōtemptum ſeu non curaret vituperia aut increpationes perſecutionum, nec etiam de ipſa morte metuit propter iſtum amorem Dei ſc., & quod omnia viſa & audita huius mundi ad memoriam duceret & viderentur ſibi tanquam ſomnium, quędam fabula, & pro nihilo reputaret reſpectu Dei & gloriæ ſuæ. Et breuiter iudicio mundi haberetur vt ſtultus & ebrius, ideo quod ea tam modicum quæ huius mundi ſunt curaret, & adhuc minus quam alijs de Deo cura eſt vel paradiſo ſc. qui in amore mundi

C ſunt abſorpti quodam modo. Tūc dico quod iſte eſſet perfectus Dei amor ad quem tendere debet aliquis per vitam contemplatiuam. Et in ſtatu talis amoris iam dicti aliquis diceretur mortuus & crucifixus mundo propter hoc quod nihil ſit eum retinere Deo eſſetque huius ſeculi vanitatibus dormiens & æternis bonis inuigilans, haberétque ſenſus ſuos omnes ſui corporis tanquam clauſos dormientes & obſtructos ad omne quod ſit per homines huius mundi, ſed apertos gaudijs

D ſanctorum & ſanctarum. Et hoc eſt quod doctores ſancti dicunt figuratum, vt cum Moyſes Deo loqui voluiſſet nubem obſcuram idem intrauit repræſentans volentem habere Dei amorem introire oportere nubem obſcuram quæ eum obliuiſci faciat, nec videre nec percipere ad mundum iſtum pertinentia.

Et quomodo poteſt acquiri amor iſte hoc intendo conſequenter aliquo modo demonſtrare, quia hic eſt finis vitæ contemplatiuæ, & qui illuc peruenerit iſte iam aſcendit ad montem vbi cum

E diſcipulis ſuis tribus Chriſtus ſe transfigurauit. Ille loquitur Deo in figura Moyſi, quando legem ipſam recepit, ille raptus eſt in ſpiritu vel potius ſupra ſuum ſpiritum, ille habet conuerſationem ſuam in cœlis, ipſæ viuit amore, ipſe feliciter ardet, delectabiliter & placidè ſine fumi obſcuritate. Sed heu heu quam paucis iſta gratia aduenit & ad modicum tempus durat quamdiu quis degit in hoc exilio.

F *Capit. 21. De ſecundo gradu contemplationis & duro conflictu inibi exiſtente.*

MOdò ad ſecundum & tertium gradus ducentes ad iſtam quæ dicta eſt contemplationem accedamus.

Poſtquam perſona deuota in vita actiua vſitata fuerit, & corpus ſuum per pœnitentiā humilem in ſeruitutem ſpiritus redegerit, ad minus ſaltē in maxima parte, ſi nō ex toto, ac amor mūdanus eidem diſplicuerit, licet eam valdè vexauerit, talis perſona tunc erit tanquam languida. Non enim vult recipere complacentias ſeu delectationes

& conſolationes quas habere poſſet ipſius mundi, nihilominus tamen adhuc non habet ſpirituales placentias ſeu delectationes quas deſiderat. Et ita ſuſtinet feroces inſultus ſæpius duros & graues cauſantes ſibi pœnam mirabilem ad vincendum, & modicum vel nihil recipit conſolationis. Ibi certè eſt fumus obſcurus, multum offendens ſine igne. Hæc eſt eradicatio plantæ alibi plantandæ, vbi adeſt grandis violentia, hæc eſt occiſio mortificatióque grani ſeminati, hoc eſt dicere de receſſu vitæ primæ ac carnalis, ad perueniendum ad ſpiritualem. Heu quam aſpera hęc eſt ad tranſeundum & deuincendum, quam multi incipiunt, ſed citò victi ad conſuetudines ſuas priſtinas reuertuntur. Alij autem ſæpe cadunt, ſæpeque ſeipſos releuant, ſæpe fugiant & ſæpe reuertuntur, ſæpe deſperant peruenire poſſe quò tendunt & ſæpe ſpem reaſſumunt. Sæpe dicunt ſufficit nobis vt alij viuere ſine hoc quod ad altiora tendamus & ſæpe reſumentes ſibi cor propriam deſidiam & tepiditatem redarguunt, & ita in ſeipſis durum faciunt conflictum grandémq; diuiſionem. De quo? Certè voluntatis carnalis contra ſpiritualem, amoris mundani contra diuinũ. Sed amor Dei adhuc eſt valde modicus & debilis, mundanus verò fortis & potens repugnátq; fortiter ne nidum ſuum ſeu hoſpitium quod habuit ab infantia in homine perdat. Et quod plus moleſtat ipſe amor mundi oculis cernitur corporis & ſentitur dulcis eſſe ad retinendum, amarus verò ad perdendum. Amor autem Dei è contra non videtur & ſentitur durus ad acquirendum & dulcis ad dimittendum. Ecce certè durum diuortium ſeu partitio, ſed in Dei nomine niſi tã durũ quod prompta & bona voluntate quis non poſſet exuperare & vincere per diligentem laborem & ſpem bonam in futuro melius habendi, ſecundum ſponſiones affirmationéſq; quas tam recipit ex ſacris ſcripturis quam per iſtos qui hoc pædagium ſeu viam iſtam percurrerunt experti omnino & probati in malo dehinc in bono, quibus meritò fidem noſtram firmiter tradere debemus.

Capitulum 22. In quali ſtatu eſt contemplatiuus in ſecundo gradu contemplationis.

POſt hoc duellum & hunc languorem incipit quis conualeſcere meliuſq; habere. Nõ enim tam grauiter & difficulter portat carere amore mundano quam antea, quamquam adhuc nõ recipiat magnam placentiam ſeu conſolationem & delectationem in amore diuino ad quem tendit. Habet autem ſe tanquam inter duos ſtatus, non omnino nec ex toto mortuus mundo nec etiam totaliter viuens Deo. Et ibi in ſtatu tali poteſt dici mori amore. Non enim ſentit vt antea dolores ſalutaris ſuæ infirmitatis quos ſenſerat mortificãdo vitam ſuam carnalem, ſed etiam adhuc nõ eſt viuificata ſeu reſuſcitata ad recipiendum conſolationem amoris ſpiritualis. Et in tali ſtatu poteſt aſcendere in ſecundo gradu ſchalæ contemplationit, quem appello locum ſecretum & ſilentiũ, quamuis enim antea poterat quis locum quærere ſecretum & ſolitarium ad exorandum Deum & de ſua cogitare ſalute, non tamen erat ſecurum ſe illic totaliter tradere frequentius propter cauſas A ſuperius aſſignatas. Sed hic poteſt ſe audacius exponere ad ſolus manendum, & niti ad acquirendum vitæ contemplatiuæ perfectionem, ſe figendo in amore diuino taliter quod ſui obliuiſcatur ac aliorũ conuertendo omnino & ex toto animæ ſuæ vultũ ſpiritualem ad ſpiritualia, & auertendo eundem à materialibus, niſi quãtum tales proſint ad amandum, & adiuuant ad cognoſcendum ſpiritualia. Et quod in iſto ſtatu videat viuacitérque ſentiat hoc quod ſapiens Eccleſ. dicit: Vanitas vanitatum & omnia vanitas, & quod nihil ſit in quo B ſe reponat, nec delectationem accipiat aut conſolationem niſi in vltimo & optimo ſuo bono in fine ſuo recto & felicitate quæ eſt Deus, & ſe in illo continuò moueat anheletq; ad Deum tanquam languida incendio amoris quouſq; eum teneat ad quem ſic tendit, quemadmodũ lapis extra locum ſuum proprium exiſtens tendit ſuper terram, qui locus eſt ex quo grauius eſt, & ignis tendit in aliũ, vtpote leue ſurſum quouſq; ibi peruenerit.

C *Capit. 23. De duobus modis ſilentij & ſolitudinis.*

SEcundum ſtatuum diuerſitatem & conditionum & varietatem hominum, poteſt quilibet reperire locum ſibi ſecretũ, vt inibi in pace quieſcat & in ſilentio. Veruntamẽ eſt quod principale ſecretũ & ſilẽtium haberi debet ad intra in anima magis quã ab extra, hoc eſt quod anima excludat à ſe & habitatione ſua omnem curã humanã mundanam, omnémq; cogitationem vanam vel nociuam, & quæcunq; eam impedire poſſunt ad illud D perueniendum quò tendit. Accidit enim quod aliquis ſæpe corpore ſolus ſit ab hominibus ſegregatus, nihilominus tamen per phantaſias, cogitationes & melancholias patitur & ſuffert grauiſſimam oneroſámq; ſocietatem in ſemetipſo, quæ phantaſmata generãt ſibi varios tumultus & magnas collocutiones ſeu garrulationes coram ſui intellectus oculis adducentes modo vnum, poſt reliquum, inducẽtes eum nunc ad coquinam, nũc ad forum, adducentes ei inde delectationes im- E mundas carnales monſtrantes ſibi choreas, pulchritudines, cãtilenas & huiuſmodi vanitates trahendo ad malum & peccatum. Quemadmodum confitetur B. Hiero. de ſeipſo humiliter, quod cũ erat abſq; ſocietate qualibet in deſerto, præter beſtiarum ſylueſtrium & ſcorpionum, erat nihilominus ſæpe cogitatione ſc. in choreis & in ſocietate dominarum Romæ. Phantaſiæ etiam tales facient animam ſolam exiſtẽtem iraſci & litigare ad alterum abſentem tanquam pręſens ſit & iniuriari, poſteaquam ipſa computabit argentum & me- F reabitur cõportans theſaurum validũ, interdũ ibi tranſuadabit mare per ſuas operationes & deſideria. Nunc peruolabit terram, modò erit in magnis dignitatibus. Et ſic breuiter de conſimilibus phãtaſmatibus & fatuitatibus ſine numero. Anima verò talis ibi non eſt in ſecreto nec eſt in ſolitudine, quamuis ſola ſit ab extra. Nec certè anima deuota contemplationi vacans ſola eſt, quia nunquam minus ſola eſt, niſi quando ipſa ſola eſt. Sed iſtarum ſolitudinum duarum abſentia inter ſe multum differt, anima enim deuota contẽplatiua non eſt ſola, quia exiſtit in ſocietate optima, vtili

&

Digitized by Google

& delectabili ſc. cum Deo & ſanctis eius per ſancta deſideria, deuotas ſanctáſque cogitationes. A Alia autem vtitur ſocietate valde damnoſa, vel ſaltem nihil proficua, anima ſc. ita inutiliter mente vagabunda.

Capitulum 24. De materiali ſecreto.

VErum eſt tamen quod ad habendum ſecretum ac ſilentium ab intra in anima, prodeſt quærere ſecretum & ſilentium ab extra, ſaltem mediocriter ſi non ex toto. Ex maximè iſtis proficuum eſt qui nondum vſum habent, nec ſciunt ſeipſos retrahere intra ſemetipſos, cum ab extra B ſocietati ſunt coniuncti, quod perfectionis eſt & fortiſſimum, nec acquiritur tali niſi per longam bonamque conſuetudinem. Aliquibus delectabilior eſt locus ſecretus nemoris aut deſerti. Alijs autem ſufficiunt ſecreta camporum, alijs eccleſiarum aut certè ſuarum domorum taliter inibi ſe collocantes ne videant alios, nec ab alijs ipſi videantur, aut quia non eſt ibi aliquis alter homo, vel ſic ſe continent & ordinant ad modum eremitæ. Vnde Arſenius eccleſiam ingreſſus retro C pilare vnum vbi neminem videret nec videretur à quoquam ſolitus erat ſe locare. Aliquibus ſonus quantulumcunque etiam modicus ſiue hominis ſiue auiculæ ſiue cantus aut etiam locutionis pręſtat impedimentum ſuæ contemplationis. Alijs quibuſdam cantus eccleſiæ ſæpius non modicum præſtat auxilium cogitandi ad ea quæ cupiunt, quare ipſum libenter audiunt. Taliter beatus Auguſtinus de ſeipſo confitetur quomodo audiendo modulationem pſalmorum aut hymnorum D eccleſiæ in ſui conuerſionis initio lachrymis rigabatur, & cordi ſuo veritas infundebatur, & ei multum bene fuerat pro tunc. Et propter diuerſitatem talem generalis regula ad ſciendum quis locus ad ſecretum quærendum aptior eſſet dari non poteſt, ſed quærat hunc quilibet ſecundum gratiam à Deo ſibi traditam, & etiam ſecundum ſtatum ei cõuenientem in quo fuerit quem poteſt continuare, aut in quo ſeipſum poterit exercitare ſine nota erga alios quibus conuiuit vel ſingularitatis vanæ gloriæ aut etiam hypocriſis. E Poterit enim eſſe aliquis de ſtatu tali aut in vita tali quod eccleſiam ſæpius viſitare non habebit, vel à tali nimis diſtabit. Breuiter ergo loquendo ad habendum leuius aſſueſcendum eſt in propria domo aut in ſua camera (ſi talis ſola haberi poterit) aut alicubi intra eam. Et ad hoc conſequendum multum faciet conſuetudo ei aut complacentia & delectatio ibidem recepta. Noui mulierculam cauſa infirmitatis coactam ſe in quadam camera per tempus non breue continere quadam F vice mihi loquens. Neſcio quid faciam inquit, cum perdidero hanc camerulam, non eſt enim mihi locus alius ad cogitandum Deum & ad meipſam ita bene conueniens ſicut iſte. Nec oportet ſemper attendere quod habeatur talis ſecreta ſolitudo aut etiã ſecretus locus determinatus: ſed vbicumq; fuerit ſiue in cãpis ſiue in villis ſiue in balneo (quemadmodum tradidit Chry.) ibi ſolum ſe homo poteſt recolligere & à mundo ſubtrahere. Et prodeſt ſæpe diuerſitas & loci mutatio ad delectationem & recreationem quam aliquis ſic poteſt accipere. Nocturnum autem tempus ad hoc conuenientius eſt, quia quietius & magis pacificum abſque tentationibus vanæ gloriæ mundi.

Capitulum vigeſimum-quintum. Quomodo corpus contemplatiui debet ordinari, & de impedimentis aduenientibus.

DOcet doctor quidam eximius Guillelmus olim Pariſienſis epiſcopus, quod corporis debita ordinatio multum prodeſt ad firmam cogitationem alicuius rei habendam. Et quilibet corpus ſuum in tali ſituet diſpoſitione, quam ſibi magis nouerit delectabilem & expedientem, ſiue hoc fuerit genimilando, ſiue ſtando, ſiue ſedendo, inclinando, appodiando, ſiue etiam iacendo. Et eſt hoc intelligendum cum quis ſolus extiterit, poterit enim tunc ſine ſingularitate id agere, in eccleſia enim oportet ſe alijs conformare. Subdit enim ſententialiter quod ei videtur modus iſte bonus eſſe & proficuus, quod ſi quis rectum teneat ſupra brachium ſiniſtrum inclinando. Credo bene hoc ipſum experientia accepiſſe. Scio & alium cui nulla diſpoſitio & corporis ordinatio maius præſtat auxilium ſicut ſedendo inclinatus ſupra dorſum & quaſi iaceat, vultum verſum tenens ad cœlum aut terram. Aliquibus placet ire & redire quod interdum poteſt eſſe proficuum pro recreatione aliquantula, ſed cõtinuè & ſæpe hoc agere, puto quieti animæ non modicum fore impedimentum, quæ tamen quies ſuper omnia debet inquiri ad pertingendũ ad hoc de quo noſtra eſt locutio. Nec fruſtra dicit Ariſt. Anima ſedendo & quieſcendo ſapiẽs efficitur. Sed ex quo aliqui ſpiritus habẽt ita leues & mobiles, ac ita ad mũdialia opera inclinatos, quod eis eſſet paruus infernus eſſe ſine ſocietate, vel ſe in loco vno fixos continere, quãuis etiam bene ad modicum tempus, ideo huiuſmodi modicum vel nihil proficiunt ad vitã cõtemplatiuam, imo ipſis eſt melius eam dimittere, & ſe tradere actiuæ niſi tales conditiones per violentiam conſuetudinis poſſent quãdoq; deuincere. Nihil eſt enim quod per laborem & diligentiam non poſſit ſuperari. Sunt & alij qui ſtatim tentantur blaſphemijs & alijs vitijs ita horribiliter quod vix ſuſtinere valent. Exinde incidentes interdum in phreneſim, aut extra bonam fidem efficiunturque etiam melancholici, triſtes & iracundi, omniáque ipſis diſplicent, agnoſcuntq; tales per experientiam quod eis ſit multo melius eſſe in ſocietate & labore exteriori, quia tunc talia non cogitant quę eos ſic turbare poſſent. Et iſti ſimiliter non valent ad contemplationem niſi ex gratia ſpeciali, vel ſaltem ipſa eſt eis duriſſima & periculoſiſſima.

Sunt item alij aut per naturam vel gratiam, aut per iſta ambo, ſimul amantes ſolitudinem, ſollicitique de ſua ſalute, deſiderantes agnoſcere Deum, ac ſpiritualia, iſta adamare. Non habent etiam nimis fortes vehementéſque carnales motus quos vincere non valerent. Iſti habiles ſunt ad tradendum ſe vitæ contemplatiuæ, & ſpecialiter habentes cor dulce ac tenerum ad deuotionem flexibile. Difficile eſt enim cor durum ad bonum pertingere quod malè habebit in nouiſſimo. Et accidit pertingere aliquem paulatim

Digitized by Google

aſcendendo ab actiua vita vſque ad gradum ſummum cõtemplatiuæ, qui tamen poſtea reuertetur deſcendétq; ad actiuam. Quod contingere poteſt in caſibus duobus, vel per negligentiam & fictionem aut certè per abundantiam virtutis, tali modo quod pro ſuo libitu vtatur vna vita ſine alterius impedimento, vel ſecundum ſuum officiũ. Et ſtatum talem habere decet prælatos, ſic quod ſint vitæ contemplatiuæ ita perfecti & in tali radicati quod deſcendere poſſint ad actiuam, non tamen deſerẽdo omnino contemplatiuã. Quemadmodum angeli ad noſtram cuſtodiam deputati hic inferius contẽplatur, ſemper videntes faciem Dei patris qui in cœlis eſt.

Capitulum viceſimum-ſextum. Diſputatio quomodo contemplatiua proſit in primo ſibijpſi.

PRopter tria motiua ſeu rationes tres inter alias, quidam mirantur quod aliquis ſe tradit vitæ contemplatiuæ. Prima, quia contemplatiui non niſi ſibijpſis proficiunt. Secunda, quia videtur eis quod contemplatiui nimis velint inquirere & ſapere, atq; nimis altè volare. Tertia eſt, cum multi ſint decepti exinde & effecti fatui & melancholici. Ad quas rationes tres, ſi ſaltem rationes dicendæ ſunt, breuiter & manifeſtè reſpõdebo. Sancti enim doctores de materia tali abundãtius, ſubtilius, profundiuſq; loquuntur. Ad primam rationem reſpondeo quod aliquis vitæ contemplatiuæ ſibijpſi proficit, multo plus atq; diuinius placétq; amplius Deo quam per vitam actiuam, quod ſatis eſt. Nihil eſt enim poſt Deum à me plus diligendum quam egomet, & plus etiam quam totum reſiduum mundi, ideo prçeligendũ eſt mihi placere Deo, iſtamq; vitam acceptare qua ſibi acceptior eſt fieri poſſum, & potius quam habere modicũ meriti, vel forte vt alium lucrifacere eum ſaluando, mei autẽ detrimentum paterer me condemnando. Et eſt hoc intelligendum cæteris paribus, & quod aliquis tam liberè poſſet vti vna vita ſicut & altera. Quod dico propter publicos officiales & prælatos & habentes alias dignitates ipſos obligantes vitæ actiuç intendere, quemadmodum ſunt etiam mulieres maritatæ pueros habentes & familiam gubernantes, aut obligati ſuis ſeruire parentibus. Si enim huiuſmodi pro tunc ſe tradere vellent contemplationi, ipſi ſe damnarent propter obligationem qua ligati ſunt ad alijs proficiendum, eſſétq; vna mala tentatio & periculoſa vni tali vt dictum eſt quod ſibi delectabilius eſſet ſemper intendere contemplationi, negligendo aut poſtponendo hoc quod facere teneretur. Et eſſet propter hoc damnoſus, & noceret ſubditis & reipublicæ. De tali eſſet benè conquerendum & ſabbatum contemplationis ſuç deridendum. Sed aliter eſt de non obligato ad ſeruiendum alijs propter officium quod habet vel non neglecto quod facere alijs tenetur.

Capitulum viceſimumſeptimum. De profectu quem contemplatiui alijs afferunt.

COnſequenter oſtendo quod perſona contemplatiua multum etiam prodeſt alteri. Primò, quia dat exẽplum bonç vitç, prædicátq; facto & opere Deũ ſuper omnia diligendũ, & quod reliqua omnia ſunt vanitas nec curanda. Et hçc non eſt modica doctrina imo de tanto præualet quanA to opera plus cõprobantur eſſe ſine fictione quã verba. Item contemplatiui per deuotas ſuas orationes omnibus alijs proſunt. Et accidit ſæpius quod propter eorum merita Deus faciet quibuſdam mediãtibus mundanis (licet etiam mali ſint tales) quoddam maximũ bonum, puta pacem alicuius regni vel cõſimile, quia nihil poſſumus ſine gratia Dei ſpeciali, quã citius boni contemplatiui impetrant à Deo, quam actiui. Et ſunt ipſi tanquã oculi corporis illuminantes & dirigentes omnes operationes factas per mẽbra cætera. Et ſi oculi nõ B laborant ſicut manus & pedes, nõ dicere oportet pro tanto quod in nullis ſeruiãt niſi ipſiſmet. Tales enim contemplatiui ordinati ſunt ad referendum Deo & dirigendum omnium aliorũ opera, non ita in ſpiritualibus illuminatorũ ſeu ſubleuatorum, quod ipſi ſcirent aut poſſent ſemper omne quod faciũt ad Deum ordinare tanquam in finẽ. Non dico quod in caſu neceſſitatis perſona non debeat dimittere ſuam contemplationem ad ſuccurrẽdum alterius neceſſitati. Sed qui pſſit vtrãC q; vitam tenere inſimul perfectè, hic eſſet melior, quemadmodum teneo B. Greg. ac ſanctum Bern. & cæteros feciſſe. Et qui bene perpenderet qualis excellentia ſit animç & bonorũ ſpiritualium erga corpus & bona temporalia, hic clarè cognoſceret, quod plus prodeſt toti eccleſiæ oratio deuota vnius contemplatiui quam faciunt centum & centum vitam actiuam ducentes, ad ſuccurrendum aliorum neceſſitatibus corporalibus. Et multo plus proſunt quam ſe in mundo occupantes, non D vt alijs ſubueniant, ſed pro ſuo proprio commodo laborantes, & ſæpe in damnum alijs.

Igitur dico quod ſi aliquis ſpirituſſancti inſtinctu ſenſerit ſe inclinatum & commotum ad vitam contemplatiuam ſectandam, & hoc cognouerit, talis ſine vituperio vitæ actiuæ poterit abrenunciare, immo faciet cum laude magna, præmiúmque non modicum inde accepturus, niſi forte per contrarium aliquis à ſuo prælato obligaretur obediri ad publicum officium exercenE dum, vel etiam in caſu vltimæ aut vrgentis neceſſitatis ſicut dictum eſt. Vrgentem autem neceſſtatem voco, quando veriſimiliter aliqui perire poſſent niſi per talem eis ſubueniretur.

Capitulum viceſimumoctauum. Quod non eſt ſuperbia tendere ad vitam contemplatiuam vt quidam putabant, oſtenditur per exemplum.

NEc eſt dicendum quantum ad ſecundam rationem antedictam, quod tẽdens ad finem contemplationis quem ſuperius declaraui, hoc F eſt ad amandũ Deum ſummè ex toto corde, quod talis nimis in altum aut præſumptuoſè agat, imo aliquis aptus ad hoc faciendum, & gratiam talem à Deo conſecutus, deficeret & minus bene agere vt videtur, ſi Dei dono non vteretur. Et ſpiritualiter eccleſiaſtici & religioſi quorum vita ad hoc ordinata eſt, omnino ſe dare debent ad vitã hanc potius, quã ad aliam. Similiter & clerici, præcipuè quoq; theologi, aut certè eorum ſcientia non iam eis auxiliabitur, ſed idem inflabuntur efficiũturq; vani, vacui & ſuperbi. Patet per ſimile exemplum ad oculum. Erit in regis curia ſeruitor quidam

coquinæ

coquinę, cui rex talem dabit gratiam, vtpote facere eundem volens ſuum camerarium, quia iudicat ipſum ad hoc ſufficientem, & ſic placet ſibi. Nulli dubium quod ſi prædictus famulus hoc refutat cauſa ſuæ pigritiæ, aut propter fictioné cordis, aut ingluuiem ſeu guloſitatem, dicens ſe malle permanere continuè in coquina in officio ſ. ſordido priori, ipſe vtiq; erit criminabilis & reprehenſibilis. Similiter qui poteſt famulari Deo in ſtatu excellēti erit damnabilis ſi ſe occupare ſemper voluerit in minoribus, nec excuſabitur humilitate ſed imputabitur cordis ſui fictioni aut tepiditati. Nec dico quin deficiant & errant qui in contemplatione ſua nimis volunt inquirere, ſummè enim talibus neceſſaria humilitas eſt, quæ cuſtos eſt & nutrix ipſius charitatis.

Capitulum viceſimumnonum. De excellentia contemplatiui ſuper actiuos.

QVantum ad rationem tertiam ſcil. quod aliqui tales contemplatiui ſunt decepti, effectique fatui & melancholici. Reſpondetur quod in actiua vita ſimiliter plures ſunt decepti, quia non vtuntur diſcretione requiſita ad bene terminandum inceptum opus. Nec etiam omnibus eſt data gratia talis viuendi ſc. in contemplatiua vita, propter cauſas certas ante ſignatas, ſicut dicit apoſtolus. Quilibet habet donum proprium à Deo, vnus quidem ſic, alter verò ſic: & iterum. Si in corpore vno omnia membra eſſent oculus, vbi eſſent manus &c. Verum eſt quod mundani contemplatiuos leuiter iudicant fatuos eſſe atque melancholicos. Non enim faciant quomodo & ipſi, contemnuntque omnia quæ iſti mundani chariſſima tenent, ſed non vident magnas conſolationes & ſancta opera, ſpiritualéſque diuitias quas adipiſcuntur contemplatiui mundum refutando, & à ſe procul expellendo omnem auariciam, ſuperbiam, omnem iram & inuidiam, inſuper & vanitatem, quæ mundanis ſine mora præſtant non modicam vexationem. Et viuunt contemplatiui in magna requie & pace conſcientiæ, quod eſt bonum tale quod aliud ei comparari nequit, locóq; occupationum mundanarum ſuper terram in anguſtiſſimo loco & re modica, ipſi cōtemplatiui occupātur in maiori & ampliori loco ac negotio quam ſit totus mūdus, hoc eſt in Deo. Quid per hæc vellim dicere, norunt qui ſunt experti. Certū eſt quod vita rationalis creaturæ verſatur plus in operatione intellectus & rationis quam alibi, hoc eſt in meditationibus rationabilibus & in voluntaria dilectione. Et ideo veraciter & quaſi ſoli totales viuere dicuntur, qui in cōtemplatione nutriuntur cibo tali atq; potu, & nō illi qui ſuas animas ac vitam non plus leuant ad cœleſtia quam beſtiæ, ipſi enim comedunt & bibunt, ipſi lætantur & gaudent, rident, atq; leuitatibus inſiſtunt, ipſi ſua corpora vexant, ſicque ſuo modo faciunt vt beſtiæ. Sed forte obijciunt, quia auxiliantur alijs per labores ſuos. Ita etiam faciunt equi & aſini, & interdum amplius, quamquam hoc ipſum laudabile eſt ei qui neſcit & non poteſt amplius, & qui implet hoc fideliter ad bonū finem & intentionem ſcil. ad ſeruiendum Deo, & ſubueniendum alteri.

A Fateor quód contemplatiui in factis mundanis non ſunt ita ſapientes & prudentes quemadmodum actiui. Ratio, quia ſuum ingenium & intentionem in talibus non ponunt, vnde accidit eos iudicari ſimplices & inſipientes, quamquam eis modica de iſto ſit cura, ad hoc enim ſunt vocati vt apoſtolus innuit, & ad hoc nituntur toto conamine ſc. reputari fatui vt ſapientes effici poſſint.

Capitulum triceſimum. De neceſſitate gratiæ Dei ipſi contemplatiuo.

B REuertor igitur ad priora ſc. ad gradum ſecundum ſcalæ cōtemplationis quem dixi locum ſecretum & ſilentium. Declaraui aliqualiter de ſecreto duplici, & ſic de ſilentio, vno ſc. extra animam, & alio intra eam. Ipſa verò contemplatio tendit ad habendum nō extrinſecum, ſed intrinſecum ſc. ſecretum atq; ſilētium. Ad quod conſequendum prodeſt quærere etiam ad extra (ſicut dictum eſt ſupra) ſolitudinem & ſilentium. Dicit ergo beatus Bernardus quod ſponſus animæ Ieſus verecundus eſt amicus nec libenter ſponſam C ſuam accedit multitudine pręſente, quærit autem ſolus. Oportet igitur animam à ſe omnino expellere omnes occupationes interius & exterius, vt ſc. ſolummodo intendat ad recipiendum ſponſum ſuum. Ex quo enim Deus ipſe ſimplex eſt & vnus, inquiri vult in cordis ſimplicitate & vnitate. Cor autem tale ſimplex non eſt & vnum, quod in tot partes diuiſum eſt per curas mundiales malas & vanas. Sed heu in quantam miſeriā per peccatum redacta eſt nobilis ipſa anima, quæ in ſtatu D primo innocentiæ ex toto & omnino ordinata fuerat ad cogitandum de Deo ſuo creatore, atque conſiderare ſpiritualia ſine aliquo impedimento & difficultate quod ipſa modo per tantam pœnam, difficultatem, grauata onere ſuæ corruptionis poteſt operari quod eſt mirabile, quod noſcunt optimè qui ad hoc nituntur. O Deus meus quid eſt nunc quod eſt ipſam animam in altum releuare poſſit, ponere in vnitatem, redducere ad ſimplicitatem, eámque expedire de mari iſto proE celloſo, tumultuoſo atque fluctuanti per curas abſque numero, per phantaſias varias imaginationéſque ſine mora abundè ſcaturientes? Certè hoc facere principaliter nihil valet, niſi virtus tuæ gratiæ & huius maris magni & ſpacioſi motus mitigare quod intra nos eſt. Tu ſuſcitas egenum proſtratum de puluere vanarum cogitationum, & pauperem erigis à ſtercore inordinatarum delectationum, collocans eos in altum vt ſedeant cū principibus, hoc eſt cum angelis atque ſanctis, & F vt eorum conuerſatio in cœlis ſit. Donum autem iſtud gratię veraciter tribuitur ſolis inquirentibus ipſum diligenter atque ardenter & ad hoc ſe diſponentibus.

Capitulum triceſimum-primum. Qualiter anima contemplatiua dicitur eleuari ſupra corpus, & efficitur ſimplex & vnica.

NEc intelligendum eſt animam corpus deſerere ſecundum ſubſtantiam cum in cōtemplatione rapta fuerit, ſaltem de curſu communi, ſed pro tunc eſſe dicitur, vbi fuerit cor ſuum atq; amor ſuus, ſicut Auguſtinus dicit, quod anima

verius eſt vbi amat, quod vbi animat, hoc eſt quã vbi vitam præſtat corpori. Et ideo dico quod talis eleuatio animæ deuotæ extra mundum, ac ſuper iſta corporalia vſque ad ſemetipſum, aut vſque ad angelos, vel certè vſque ad creatorem ſuum, altius fieri non poteſt, ſit per fortem ſanctamque meditationem vel ardentem amorem. Tali modo quod talis meditatio aut iſte amor virtute ſit tam potens, vt ipſam faciat obliuiſci, vel ceſſare ab omnibuſq; operationibus alijs & phantaſijs, ſicut eſſet in ſopore perfecto aut ſomno, vel ſaltem ſi non ex toto tales ceſſant operationes, ipſæ tamen non poſſunt corrumpere, extinguere aut ſuperare meditationem vel amorem ardentem ſupradictum propter vigoroſam eius potentiam. Oportet etiam quod anima totaliter in tali meditatione ſit occupata & amore, ad huiuſmodique ſit omnino intenta, nec de quacumque re alia ſit ei cura, nec ad alia reſpiciat, niſi forte talia prætereundo, non tamen ibidem pedem figendo ſcilicet quod in talibus non arreſtetur ſiue moram faciat. Et hoc fieri poſſe experientia quotidiana in minoribus hoc manifeſtat. Affirmátque idem Ariſtoteles inquiens: Accidit interdum aliquem ſuper re aliqua tam fortiter meditari, quod nec apertis oculis intuebitur hoc quod ipſum præteriet, ſeu quod ante eum vadit. Sæpéque in ſocietate cum qua ſociabitur, plura dicentur, & coram ipſo exercebuntur ſeu fiunt, de quibus nec aliquid ſciet, ſed in ſua forti meditatione perſeuerabit acſi dormiret, vnde quandoque de tali prouerbium iſtud commune ſolet adduci & dici. Iſte ad ſuos meditatur amores.

Talem ſimiliter modum raptus percipiunt ſæpe ſtudentes ipſi aliquod ſubtilitatis compilare molientes. Pictores ſuo modo facere conſueuerunt ſicut ego teneo, alijque opifices ſubtilium, poſiti in imaginationibus fortibus. Recitatúrque de philoſopho quodam nomine Archimenides excellenti geometro, qui imaginaliter deliberauit facere ingenia ſubtilia ad bellandum & defendendas inuadendáſque ciuitates. Vnde accidit ciuitatem quam inhabitabat dictus philoſophus, ab inimicis debellari, princeps autem exercitus præcepit ne antedictus philoſophus occideretur. Sed à caſu quidam eundem ſuas figuras protrahentem, ſecundum ſcientiam geometriæ reperijt, quæſiuitque ab eo quo nomine appellaretur. Ipſe verò tam fixè ſuarum figurarum formationibus intentus extitit, vt quid ſibi iſte interrogans diceret penitus ignoraret, niſi quod inſinuabat eidem quod ſe non impediret, nihil aliud reſpondens vnde idcirco vitam perdidit. Ecce quam fortis huius erat meditatio, vt ob eius vigoroſitatem ciuitatis ſuæ expugnationem non perciperet, atque nec quidem inimicum agnouit ipſum occidentem. Alius item philoſophus Neades dictus, ad menſam poſitus ſæpe comedere oblitus eſt, oportebátque ne fame periret, famulam ſuam ad cibum percipiendum eius manum cõducere. De quo Valerius hoc recitans, dicitur ipſum ſolum anima vixiſſe, corpore autem circundatum fuiſſe tanquã re extranea & inutili. Dicta exempla adducta ſunt ad oſtendẽdum quod anima imaginationes atq; curas non proficuas à ſe poteſt depellere, vt ſubleuari poſſit & ad ſanctiora conuenientioráq; conſcendere, atq; ſe taliter ad vnitatem ſimplicitatemq; deducere, meditando ſolũmodo qualiter ad ſuum creatorem poterit pertingere, qui eius eſt locus, finis atq; amor, quamuis illud facere fortius ſit atq; difficilius, quam in dictis exẽplis ꝓſteſum eſt. Et hoc de tanto quanto cogitationibus vti oportet ſpiritualioribus, haberéq; meditationes magis extraneas atque ſubleuatas.

A

Capitulum 32. Memoriam facit libri de contemplatione Richardi de Sancto Victore.

B Richardus de Sancto Victore quendam edidit librum quinque partes continentem, vbi multum ſubtiliter atque ſecundùm profundam ſcientiam tractat materiam iſtam ſcilicet de contemplatione, diuidens ipſam contemplationem in ſpecies ſex ſeu modos. Quorum modorum duo in imaginatione ſunt poſiti, duo in ratione, item duo in intelligentia, ſecundum hoc pręfatus doctor ponit tres modos cœlorũ intra animam, & iuxta hoc quod ipſa anima cogitando ſeu meditando ſeipſam vertit diuerſimodè ſci. aut medi-C tando corporalia quæ ſenſibus percipiuntur exterioribus, aut ad ſeipſam cogitando aut angelos & eorum ſtatum, aut certè ipſarum deitatem. Et pręſertim dictus Richardus in vlt. parte lib. memorati tradit quomodo contemplatio formatur ſeu diuerſificatur modis tribus. Aliquãdo per hoc quod ipſa anima dilatatur interdum amplius, & quãdoq; plus eleuat ſuum intellectum, & quandoq; per hoc quod ipſa habet ipſum ſc. intellectum ſicut alienatum ſeu oblitum. Declarátq; per quem mo-D dum iſtud fiat & qualiter quandoq; hoc accidit, adducens autoritates atq; exempla ſcripturarũ & naturarum, quod hoc fiat per admirationem vehementem, aut per magnam deuotionem, vel certè per delectationem non modicam ſpiritualem atq; conſolationem. Sed quia meæ intentionis eſt loqui non ſubtiliter, ſed rude & breuiter, idcirco poſtpono vobis declarare nominati doctoris doctrinam quaſi nimis ſubtilem, niſi fortè in certis punctis ſubſequentibus & hoc modo capaciori E atque vobis familiariori.

Capitulum 33. De tertio gradu contemplationis, & ſimilitudines quædam naturales.

Nunc reſtat de gradu tertio ſcalæ contemplationis diſſerere, quem fortem forte baptizaui perſeuerantiam. Cũ adiutorio enim gratiæ diuinæ perſeuerantia fortis ponit atque collocat in altitudinem perfectæ contemplationis, ordinátq; hominẽ in ſtatu perfecto in quo poteſt dici viuere amore. Tunc enim recipit diuinas cõſolationes F amoris, non ſentiendo tribulationes carnis aut mũdi. De nulla enim re alia ei ex tunc cura eſt niſi Deum amare, de ipſo meditari atq; loqui, & pro eius amore fugit fatuas delectationes huius mũdi, atq; eiuſdẽ mũdi aduerſitates cũ gaudio ſuſcipit. Et ideo non eſt quod ei poſſit obeſſe ſeu nocere. Non proſperitas, iſtam enim ſubterfugij, aut certè ipſam humillime ſuffert & in magna gratiarum actione. Item non aduerſitas, hanc enim ardenter deſiderat, ſicut mediãte quadeo adducitur, & qua ipſa deuota anima purgatur & edocetur, per quã quoq; ſpõſo ſuo ac amico Ieſu Chriſto ſimulatur, qui

Digitized by Google

qui plenus fuerat tribulationibus. Recipit itē aduerſitatem quemadmodum ſignum certum quod Deus omnipotēs ſponſus eius eam diligat,ex quo dignatur ſic ſe veſtigare & caſtigare.

Et in ſtatu iſto anima deuota ardet dulciter, ſuauiter atque purè,igne ſpirituali ſuccenſa;rectè, vt carbo clarus & totus,& ſine fumo & ſine crepitatione,aut ſine tumultu.Ibi eſt anima totaliter radicata in terra optima,multum fructum afferens. Ibi eſt deſtructa amoris mūdani ciuitas, & diuini amoris ciuitas conſtructa. Sed tamen non eſt quod quamdiu hac mortali vita viuitur ſine dono ac priuilegio gratiæ ſpeciale aliquis in tali perfectionis ſtatu ſēper poſſet permanere ſine ſui mutatione, quin potius dicō vſque ad mortem de ſtatu in ſtatum variationem ſæpe & mutationem fieri. Sed qui iam ad talem ſtatum perfectionis peruenit, tale diutius in eo permanet & ſæpius quam alij immoratur. Et ſi ipſum quandoque excidere contingit & labi ex eo citius reuelatur in aliquem de duobus primis ſtatibus.

Primus ſtatus comparatur conuenienter hiemi, in qua viget quaſi ſemper frigus & obſcuritas.Secundus ſimiliter tempori vernali,in quo propter mutationem grandem modo viget calor,poſt frigus, modo obſcuritas, & poſt temperātia aëris, modo ſol lucet,poſt nube tectus occultatur, modo pluit,poſt eſt ſerenum. Tertius ſtatus æquatur æſtati calidæ, in qua quaſi continuè feruor eſt ſolis atque aëris claritas,licet interdum veniant pluuiæ & obſcuritas, fortioréſque oriantur tempeſtates atque horribiliores mutationes quam in qualicunque tempore alio. Et tali modo perfecti contemplatiui ſufferunt promptius tentationes grauiores alijs, & hoc aut propter ipſorum probationem & purgationem vt in humilitate conſeruentur,vel certè interdum ad eorum perditionem ſecundum occultum Dei iudicium, exigēte eorum ſuperbia & iniquitate, exemplo Luciferi creati in tanta pulchritudine,ſapiētia & contemplatione ſublimi.

Poteſt itē aliter primus ſtatus ſimilari diei primæ horæ in mane qua claritas tenebris adhuc inuoluta cernitur,atque multum obſcurè incipit apparere.Secundus horæ tertiæ diei. Tertius verò claræ meridiei,& ſic de multis alijs figuris ſimilibus & exemplis.

Capitulum triceſimum-quartum. Fortis perſeuerantia neceſſaria eſt contemplationis.

QVi abſque perſeuerantia forti ſummitatem & altitudinem montis contemplationis putat ſe obtinere aut perfectum habere calorem amoris diuini, talis conuenienter aſſimilatur aſcendenti montem excelſum, poſtea ſemper deſcendenti priuſquam pertingat in ſummum, & hoc quia reperit quandam difficultatem aut impedimentum.

Vel comparatur volenti ignem aſcendere vel ſuccēdere in lignis viridibus aut putridis qui cum non ſtatim accenditur,aut cum primo non percipit niſi fumum vel modicam flammam faciliter extinguibilem,quaſi commotus recedit,deſtruit, aut per totam domum proijcit, ſpargendo hinc-inde ſtruem lignorum.

Item meritò comparatur præfatus non potenti A pacificè maturitatem grani ſui ſeminati expectare,aut quod ſua plātula inſerta terræ radices benè figat propter moram aut periculum vel difficultatem quam percipit talis.Ruſus gerit typum ſimiæ cupienti nucem viridem deguſtare ſentiens autem corticis amaritudinem, ad nuclei dulcedinem non perducitur,ſtatim eam à ſe proijcit non perſeuerans.

Poſtremò aſſimilatur pigro militi, qui ante ciuitatis obſeſſæ captionem perfectam, tædio affectus inde diſcedit. Videtis igitur quod taliter B faciendo aliquis non pertingit ad apicem montis, nec ignem habere poterit, neque bladum. Item nec arborem;neque nuclei guſtum,nec etiā ciuitatem obtinere,referendo iſta punctis iam dictis.Sic ſimiliter non poteſt peruenire aliquis ad perfectionem contemplationis ſine forti perſeuerantia.

Capitulum triceſimum-quintum. Impedimenta plura ne quis montem contemplationis vſque ad ſummum aſcendere valeat. C

STemus adhuc modicum in vno ſupradictorum exemplorum, conſiderantes factum volentis ad finem montis alti atque pendentis conſcēdere. Iſte cōtinuè aſcendit non redeſcendēdo in baſſum. Quod ſi eum pauſare contingat, non incipit progreſſum ſuum à pede montis dicti, ſed à loco vbi moueri deſijt. Pari modo cupiens poſſidere contemplationis perfectionem non D debet quieſcere aut ſeipſum arreſtare, quia pauſare eſt redeſcendere, non progredi retrocedere inferius eſt. Nec debet etiam ſemper reincipere à baſſo ſed vnde receſſit & vbi dimiſit.Et propter iſtius perſeuerantiæ abſentiam tam pauci reperiuntur ad perfectam pertingunt contemplationem. Quam citò enim quidam modicum aſcendentes ſentiunt pœnam aliquam & laborem credunt ipſi pauſare ſicque retrocedunt inferius.

Sunt autem alij non habentes ordinem & modum aſcendēdi non cuſtodiunt, ſtatim enim vo-E lunt ſalire vſque in altum,non incipiendo à baſſo per mediū ituri. Baſſum autem ſeu inferius huius montis conſideratio eſt ſuorum peccatorum atq; defectuum. Sed reperiuntur alij collis ſuis impoſita habentes grandia onera nec hæc ipſa abijciunt & nihilominus ſic ſe putant aſcenſuros omnino. Onus autem iſtud eſt occupatio mundana & fortis cogitatio inibi poſita ſeu fixa,quæ animam aggrauat mirabiliter faciēs eam ſemper ad ſe reuerti & relabi ſi quando leuauerit ſe. Ruſus quidam F propter minimas volitantes coram ſe muſcas totum dimittunt & ire deſinunt vel redeſcendunt. Muſcæ iſtæ ſunt volantes cogitationes, quibus anima in ſuo progreſſu nequaquam debet arreſtari ſeu impediri,ſed vlterius procedere fugando iſtas à ſe manu ſanctæ indignationis.Reperiuntur etiā alij tales muſcas inſequentes ad modum puerorum poſt papiliones currentium.

Item ſunt quidam qui latratu canum infernalium ſtatim terrentur, hoc eſt quam citò ſentiunt tentationem aliquam turpem totum dimittunt, vel certè ſe cum tali occupant nitunturque talem expellere & omnes huiuſmodi tentationes,quod

Digitized by Google

ſæpe fieri nō poteſt,ſed bene poſſunt præteriri. ſ. A eas non curando, exemplo peregrini qui ad quẽ-libet latratum canum nō ſiſtit pedem cum ſibi in via talis occurrit latratus, ſed concito greſſu tanquam non curando iter continuat & ſic ſilent. De quanto enim plus perſiſteret ad ſe defendendum, vel ad eos compeſcendum, tanto amplius latrarent, & iter ſuum taliter perderet. Aliqui autem non extendunt ſemper manum dexteram huic qui eos in altum debet ſubleuare, immo retrahunt appodiantes confidentéſque in multitudine diuitiarum ſuarum & ſuæ fortitudinis, ideóque non mirum ſi huiuſmodi citò labuntur. Pro- B pter hoc debet homo ſemper extendere manum ſuam ad auxilium diuinæ gratiæ, diffundẽdo omnino de propria ſua potentia, non præſumendo ſe poſſe illuc peruenire quò tendit per ſeipſum. Iterum ſunt alij qui putant ſtatim eſſe ſe in ſummo, cum tamen adhuc ſint bene in baſſo, ideo aſcendere diſſimulant & dimittunt & ſic dimittendo retrocedunt inferius. Aliqui procedunt vſque ad altum ſed ſtatim efficiuntur vanè glorioſi ſeu gaudioſi. Videtur ipſis opus ſuum mul- C tum bene peregiſſe & ſuam dietam bene feciſſe. Nec ponunt diligentiam ad ibi.ſ.in alto demorãdum. Ergo tales præcipitantur ſeu ſtatim decidũt, non aſcendentes ita velociter ſuperius ſicut vellent vna alia vice. Vel forte eis Deus nunquam auxiliabitur ad illic aſcendendum exigente hoc ſuperbia eorum & ingratitudine, & abuſu cognitionis habitæ, quod eſt horribile & cauſa nunquã præſumendi immo ſemper ſe tenẽdi in profunda humilitate, cum ſcilicet percipitur quod homo D qui Deo fuerat iam proximus atque familiaris in collocutione ſua, & ſicut auicula quæ conſtruxiſſet nidum ſibi intra cœlum, poſtea deijceretur vſque ad infernum ſine reuocatione aut reuerſione. Dehinc ſunt aliqui qui cum viderint ſe modicum altius cæteris in monte iſto, alios aſpernantur & derident inferius exiſtentes, qui iuſtè derelinquuntur à Deo vt labantur quatenus cadentes agnoſcant quam modicum à ſemetipſis poſſint. Alij autem qui iſtum montem non niſi propter E curioſitatem conſcendere volunt & vt dicere poſſint etiam fuimus ibidem, aut certè vt ſecreta excellentia inquirant, aut propter ſolam placentiam ſeu delectationem, aut propter loci eminentis amœnitatem, non autem vt Deo melius placeant, proximiúſque ei ſeruiant, honeſtius, amplius & magis meritoriè. Et iſti citò amittunt Dei auxilium atque eius gratiam, aut certè reperiunt ſe deceptos nimis durè, turpiter atque miſerabiliter. Putant enim ſe eſſe in montem Dei, cum ſint in monte diaboli. Poſtremò eſt aliquos inuenire F nimis quam ratio dictat ſeu ius ſit feſtinantes nitentes præire ſuum ductorem, & fortius quam vult idem quod magna eſt fatuitas. Gratia Dei eſt ductor iſte, ſicut dictum eſt. Qui ergo non poteſt aut dignatur expectare ſpatium temporis pro motu gratiæ iſtius & auxilij iure eam perdit, & alia vice ipſam pro libitu ſuo tam cito nō reperiet, ſicu è regione etiam eſt cum iſtis qui ad iſtam gratiam ſequenda non ſunt parati, cum ab ea vocantur & mouentur ad aſcendendum, immo refutant aut alibi vadunt aut certè verbo vel facto dicunt gratiæ vt adhuc modicum ipſos expectet, & ſic ipſa depulſa mox recedit. Oportet igitur continuè ſtare ſupra ſui cordis cuſtodiam ad imitandum viſitationem diuinæ gratiæ, & procedere ſecundum ipſius motum atque voluntatem, nec velocius neque tardius omni tempore cum profunda humilitate indignum ſeiudicando, etiam ad montis iſtius latus iacere, quanto magis ad eius apicem aſcendere. Poſt hoc enim de tanto trahetur altius. Quemadmodum rex præpotens volẽs honorare militem ſuum de tanto eum libentius collocat ſuperius, vt ſedeat cũ principibus quãto magis renititur ad hoc, & de tanto magis trahit & compellit de quanto miles ipſe plus humiliat ſe excuſatque. Super omnia enim diſplicet Deo præſumptio nec delectat eum modus volentium eum accedere effrenatè & ſine timore quaſi ad ſuum ſocium & ſibi ſimilem, ſed debet ſemper cuſtodiri ſancta & laudabilis verecundia tremor & pauor atque timor cum confidentia ſuæ benignitatis. Sine enim confidentia tale timor nimis eſſet culpabilis & impedimentum aſcenſus noſtri montis propter tremorem & tribulationem ampliorem quam ratio exquireret ſeu quam iuſtum eſſet à timore conceptam.

Capitulum triceſimum-ſextum. De quibuſdam aliis impedimentis iſtius via.

Loquamur adhuc de alijs quibuſdã obſtaculis ſiue impedimentis. Sunt enim quidam qui aſinum ſuum, hoc eſt corpus proprium, nimis vexant, ita quod anima ſe de eo iuuare nō valet. Alij autem nimis ſunt repleti atq; ponderoſi, infirmi & dormientes ſiue pigri. Nimis enim diu extiterũt in infirmario aut infirmitate canalitatis per comeſtionem exceſſiuam atque potationem aut vaniloquium. Suntque tales tanquam contracti, reſoluti, paralitici & dormitantes, ideóque ipſos oportet curari à baſſo incipiendo ſc. per humilem pœnitentiam.

Sed quidam ſunt qui aſcendendo vehementem patiuntur aliquando verbi Dei famem ſpirituale͂, cupiuntque poſt hæc illud audire & legere, vnde accidit quod legendo nimis ſeipſos detinent. Recipiunt illic refectionem ampliorem quam ratio exigit, ſeu immoderatè, vel quam tempus requirit in tantum quod ſui aſcenſus initio obliuiſcuntur, nec aſcendunt ſecundum quod cœperunt. Verum eſt ex parte altera talem refectionem ſæpe fore proficuam atque neceſſariam, & præcipuè in exordio, vel quando ſumitur menſuratè, ſemperque conſideret homo ſuũ aſcenſum, hoc eſt quod in legendo plus quærat deuotionem quam ſcientiam. Rurſus reperiuntur alij recalcitrantes atque ſaltantes contra ſtimulum ipſos pungentem ad aſcendẽdum in altum, hoc eſt, qui fugiunt nimis tribulationem. Item ſunt quidam non adhuc ſufficienter inſtructi de itinere quærendo ſeu interrogando à ſcientibus, ad habendum deſuper conſilium, ſed abundantes in ſenſu proprio, confidunt in ſeipſos, & ſemet in hoc docere volẽtes, & ideo oberrant, & ſæpe turpiter deficiunt. Sed ſunt alij non deſiſtentes petere viam & inquirere per ſtudium feruens, ad tantum quod de hac in cathedris etiam ſciant loqui & legere, alioſque docere, licet ibi non fuerint ſcilicet in itinere tali.

Loquuntur

Digitized by Google

Loquuntur autem quia ſic audierunt ab alijs,nec nituntur aſcendere per illud quandoque & ideo non mirum ſi tales inferius permaneant ſemper. Nõ enim itur ibi per ſola verba,ſed oportet pedes ad opus mittere. Iſti ſunt quemadmodum illi qui in prælijs exhortantur inſtruuntque alios ad fortiter bellandum, ſed ipſi ad tangendum manus non apponunt,vel ſicut qui alijs demonſtrant itinera ad recipiendas eleemoſynas à peregrinis,ipſi verò non vadunt,aut non poſſunt ire pro ea propter ſuam infirmitatem ſeu impotentiam.

Sunt alij qui poſtquam iter ſuum arripuerunt per viam vnam,ſtatim ſaliunt ſeu declinant ad aliam, & hoc propter inconſtantiam eorum , aut quia putant leuiorem ſe inuenturos vel delectabiliorem,& ſic nec quicquam aſcendunt neque comprehendunt. Sicut canes ceruum agitantes, eum non venantur,ſi modò poſt vnum,tunc poſt aliũ inſequuntur. Potius oportet eos veſtigia inſequi primi nec ſe circa aliquid aliud arreſtare, qualiter ſolent agere canes ad hoc bene inducti. Alij non bene ſeipſos intendunt ſeu reſpiciunt & ad pericula itineris ſui ſed improuiſè & ſine auiſatione & cautela ponũt pedes ſuos, ideo ruunt de tam alto in tam baſſum. Alij verò aſcendentes retroſpiciũt aut inferius reſpiciunt & quam cito quis de baſſo eos vocauerit totum derelinquunt. Qui de tanto redduntur inhabiles quanto diutius inferius detinentur,& inde difficilius & grauius aſcendunt, quia mundana conuerſatio in loquẽdo aut aliud mundiale exercendo,non modicum impedimẽtum & retardationem generat,& in talibus nimis cor ſuum figens & ſeipſum tradens huiuſmodi non velociter reſiliens & diſcedens citius ad aſcendendum iter ſuum,iſte qui eiuſmodi eſt, vſq; ad longum tunc cauſat ſibi impedimentum magnum. Ideóque in iſtis non oportet moram trahere niſi pro ſola neceſſitate & prætereundo ea vel ſaltem quod ſi corpus inferius fuerit ſurſum ſine corda. Sed hoc his qui non didicerũt eſt difficile, quia neque ancoram cordis fixam habent ad montem nec cordas bonæ conſuetudinis eidẽ alligatas. Interea ſunt quidam qui cum aſcenderint,nunquam putant ſe inde receſſuros, ſed illic perſiſtere tanquam hæreditario iure. Sed in ſuo caſu deorſum fragilitatem propriam agnoſcunt ſentiũt quã tribulationẽ bene conſiderãtes tunc, quia diuina gratia ipſos ibidẽ collocauit tenuitq; quamdiu ſibi placuit,& tunc diſcunt cogitare de inferiori per bonam humilitatem exiſtentes in alto,& è contra cum inferius fuerint iterum ſperant; reaſcendere habentes bonam patientiam. Oportet enim ita bene & plus in ſpiritali aduerſitate ſicut corporali.ſ.tentationibus duriſque afflictionibus mentis quæ ſine conſolatione ſunt,& quales habere conſueuerat vel deſiderat ſic ſe immobiliter conſeruare.

Poſtremò aliqui aſcendendo expenſas faciunt nimis largas & exceſſiuas, puta per lachrymas & afflictiones, prætermittuntque facere opera ſua neceſſaria. Et ideo miſericors Deus cum huiuſmodi gratioſè agit permittendo eos temporibus certis decidere & labi inferius, vt ſic illa facere poſſint & eorum quæ tenentur non obliuiſcantur ea operando. Talia ſunt impedimenta ad perueniendum ad montem contemplationis & cætera ſine numero, quæ comprehendi atq; reduci
A poſſunt ad prædicta. Ad quæ vincenda & vitanda neceſſaria eſt fortis perſeuerantia cum gradibus ſupradictis.ſcil.humili patientia, locóque ſecreto & ſilentio.

Capitulum triceſimum-ſeptimum. Quidam modi meditandi qui poſſunt ſeruari in contemplatione.

IN legendo vel audiendo prædicta dubitare poſſet aliquis & petere,quem in ſua contemplatione modum ſeruare debeat meditandi. Non
B enim itur ibi pedibus corporis ſed ſpiritualibus, qui cogitationes atque affectiones ſunt ipſius animæ. Et ergo non ſemper vnus & idem modus meditandi tenetur,ſed valde varietas, ſecundum perſonarum, locorum atque temporum diuerſitatem,& ſecundum gratiam Dei, doctrinam vel ſcientiam quam quis habet. Vnus vadit ſic,alius verò ſic,vnus atque idem hodie vno modo incedit craſtina verò aliter. Cogitaui tamen quod non erit inutile recitare exemplariter qualiter aliquando quidam pertranſierint iſtam vitam. Forc
C taſſis enim hoc proficiet ad facilius intelligendum & reperiendum huius itineris introitum. Et recolo me quandoque ſcripſiſſe vobis chariſſimis meis ſororibus plura ad propoſitum conueniẽtia & ad ſequentia quæ non reſumo pro præſenti. Magiſter Richardus de ſancto Victore libro ſupra memorato tradit modum magis,meo videre, appropriatum & conuenientem profundis clericis quam ſimplicibus,qui bene generalis eſt, ſed ad
D declarandum prolixius eſſet,quare hunc prętereo & doctoribus relinquo. Sanctus Auguſtinus li. confeſ. dat modum quendam quem cum matre ſua propria habuit, ſtans ad vnam feneſtram cuiuſdam hortuli, non multum ante obitum dictæ matris ſuæ, quem propoſui in ſequentibus breuiter tangere. Beatus Gregorius largiſſimè in ſuis moralibus de contemplatione loquitur oſtendendo pericula atque profectus inibi exiſtentes. Sed modum particularem intrandi vel illic ſe locandi quem quæro non percepi. Beatus Hiero.
E inter alia ſcribit modum vnum ad virginem Euſtochium qui eſt quod meditetur mortis ſuæ horam qualéque præmium tunc receptura eſt, quomodo virgo Maria cum filio ſuo Ieſu Chriſto ſancti angeli atque virgines ſibi obuiabunt ipſam ſuſcipientes cantantéſque canticum quod Maria Moyſi ſoror poſt trãſitum maris rubri ſicco pede filiorum Iſrael cecinit. Cantemus.ſ. Domino glorioſè &c. Et ſimiliter idem beatus Hieronymus de ſeipſo, qualiter poſt fortes tentationes & crebras pectoris tunſiones, continuè in ploratibus &
F lachrymis quærendo Dei auxilium ſibi videbatur ſocietati angelorum intereſſe, ob magnam ſuæ conſcientiæ pacem & iocunditatem ei poſt ſuam pœnitentiam & tribulationem cœlitus à Deo tranſmiſſam. Concordant omnes doctores communiter in modo.ſ.iſto, qui eſt meditari inferni pœnas horridas, paradiſi gaudia, ſua peccata atque mundi vanitatem, ſed ego adhuc particulariorem modum inquiro. Beatus Bernardus pœnè in omnibus ſermonibus ſuper Cantica. tractat modum vnum.ſc. de ſpirituali matrimonio inter Deum & animam quem quidam doctor plus

Digitized by Google

nouellus inſequitur, faciens inter diuinam ſapiétiam & animam pariformiter quoddam matrimonium. Liber verò intitulatur horologium æternæ ſapientiæ. Verum quidem modus talis eſt altus & ſubtilis ſatiſque periculoſus ſic loquendo, præſertim à principio ſuæ conuerſionis eum tenere volentibus. Ratio, cum enim tales nouitij æſtimarent meditari de ſpirituali connubio leuiter laberentur in recordatione de ſprituali ad carnale matrimonium. Nec ignoro in dicto libro quoſdam modos alios forte tactos vtpote cogitando de iuuene ſine adoleſcente morituro nolenti vel non potenti pœnitere, ſimiliter meditando Dei iudicia item conſiderando beatam virginem Mariam in hora paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti qui modi boni ſunt atq; conuenientes, & poſſunt ibi videri quibus placuerit.

Capitulum triceſimum-octauum. De modo contemplandi quem beatus Bernardus tenuit in principio.

Recitat beatus Bernardus de ſeipſo qualiter in conuerſionis ſuæ principio perpendit ſibi opus eſſe quod habere deberet opera bona & merita, qualia ex ſeipſo nequiuerat exquirere & habere, idcirco prouidit ſibi habiturum ſe talia ex meritis Ieſu Chriſti. Et ex tunc diligentiſſimè meditabitur tota Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam, ab eius conceptione vſq; aſcenſionem, & ex omnibus pœnia & amaritudinibus eius, colligit ſibi faſciculum myrrhæ, qui inter vbera ſua commoraretur continuè, atque hunc periugem memoriam ſuppoſuit ſuo pectori intimè compatiendo.

Per quod concluo ipſum beatum Bernardum ſuam contemplationem & aſcenſum in eadem incœpiſſe, meditando aſſiduè Domini noſtri Ieſu Chriſti vitam, quemadmodum legitur de ſancta Cæcilia, quomodo euangelium Chriſti in ſuo pectore portabat. ſ. eius vitam memorando, & non diebus neque noctibus vacabat à colloquijs diuinis & oratione.

Et doctor quidam in libro ſuo de ſtimulo amoris intitulato, iſtam materiam ſimiliter tractat & ſpecialiter de paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti oſtendens quod in ea omne bonum reperitur, & quod eadem paſſio. ſ. ſit viæ huius puta cõtemplationis oſtium, volénſque aliunde intrare in contemplationem, ipſe ſe ſeducit & decipit, & confirmat dictum ſuum auctoritate Domini, dicentis: Ego ſum via, veritas & vita. Via per quam progrediendum eſt, veritas viatorem illuminans, vita eundem nutriens, ſuſtentans & remunerans. Vtinam præfatus liber eſſet in gallicũ tranſlatus, meo enim iudicio valde vobis fieret proficuus. Sunt autem quidam communiter alium modum non tenentes ſuæ contemplationis, quam quod ad quendam librum deuotionis ſe tradunt, vitam alicuius ſancti aut aliud ad excitandam deuotionem perlegentes ſecundum materiam quam reperiunt, quibus ſemper neceſſarij eſſent libri. Et ideo iſte modus ſolus inſufficiens eſt, niſi hoc etiam aſſueſcerent agere ſine præſentia chartarum. Alij verò faciendo ſua ſeruitia diuina in eccleſia, addiſcunt & ſe exercitant contemplari nitentes. Quamuis iudico iſtud eſſe multũ difficile, ſpecialiter in principio & poſſe pertingere iſto modo ad

A contemplationis perfectionem propter laborem cantui annexum, niſi forte antea ſint aſſueſacti in ſuo ſecreto via contemplationis.

Capitulum triceſimum-nonum. De alio modo meditandi per exemplum mendicantis.

Noui perſonam quę non modicum profecit ad reducẽdum ſuas cogitationes ſeu recolligendum in vnum & ad ſimplicitatem per hoc quod diligentius ſeipſam intuebatur fore pauperem miſerabilémque creaturam, nihil ſe habere
B ex ſuo nec quicquam poſſe acquirere. Qua ex cauſa mendicare meditabatur, atque ſic acquirere bonorum ſpiritualium eleemoſynam à paradiſi conciuibus in talibus diuitijs opulentiſſimis atq; plenis quos noſſet largos miróq; modo charitatiuos exiſtere, ideo pręfata perſona ſub arbore quadam loco ſecreto ſe collegit, in quo pro ſuo libitu atque diutius ibidem meditari poſſe putabat. Cõuertit itaque ſe cordetenus ſine loquela modo ad vnum, poſtea ad alium ſanctum, ſecundum ſuæ
C deuotionis miniſterium àquolibet eleemoſynam expetendo aperiendóque ſuam neceſſitatem & indigentiam exponendo, ſed & memorando eorum magnam gratiam atq, largitatem, deprecãdo etiam eos vt dignarentur intercedere pro ſe ad Deum omnipotentem, quia perſonaliter comparare coram eo digna non eſſet. Verum eſt dictam perſonam in huiuſmodi meditatione plura ſenſiſſe impedimenta extranearum cogitationum atque phantaſiarum, ipſa tamen forti perſeuerantia ſe arctauit atque in dicto loco continuit, inde
D non mouendo ſeu diſcedendo, quouſque quod quæſiuit inuenit eſſetque ſtabilita omnino in huiuſmodi oratione, nec aliquid aliud intenderet. Per dies autem plurimos modum dictum continuabat fuerátq; interdũ ad duas tres vel quatuor horas priuſquam quod petiuit habere potuiſſet, ſcilicet cogitationum & affectionum vnitatem atq; recollectionem ad vnum tale quale diximus ſupra. Et per modum talem quaſi ſemper peruenit ad quod tenebat, quandoq; tamen citius, interdũ
E verò tardius, percepitq; clarè verum eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti promiſſum qui perſeuerauerit pulſans petendo, aperietur ei. Poteſtis igitur optimè perpendere quanta fuerint huius perſonæ deſideria ardentia & anxia ſuſpiria atq; gemitus erga ſanctos, modò ad vnum modò ad alterum ſpecialius ad eos quorũ feſtum tunc colebatur, quandóq; abſq; ſuccurſu & auxilio perceptibili permiſerant dictam perſonam ad ſuos pedes prouolutã, ad tanti tẽporis ſpaciũ permanere in bello conti-
F nuo ſuarũ cogitationum, tumultũ non modicũ, atq; in ſuo aſcenſu impedimentum validum cauſantium, nec per ſancta deſideria loqui permittentium eiuſdem. Ipſi tamen tandem de eadem optimè ſe quitabant animæ ſuæ deſiderium eidẽ tribuendo ſecundum Dei voluntatem & eius vtilitatem. Reperit itaque dicta perſona huiuſmodi expertam difficultatem ſibi conuerti ad profectũ vt ex hinc diſceret viuacius & ardentius flagitare. Vnde accidit quod ſe de cætero in ſua oratione reperit citius, atq; quaſi ſine impedimẽto collectã in modum talem ad ſuarum cogitationũ vnionẽ atq; ſimplicitatem, leuiuſque modo prædicto & cæteris,

Digitized by Google

cæteris, bona conſuetudine comite ad prædicta peruenit. Et puto iſtum modum in initio Guillelmum Pariſienſem doctorem præcipuum tenuiſſe quem affirmaſſe legendo reperi; quia pauperes trutanni atq; captiui ipſum Deum exorare docuerunt. In libris etiam eiuſdem patet quemadmodum orationem vni viatori paradiſum adeunti pro impetranda eleemoſyna & auxilio pulchrè comparat. In quo pariter libro quaſi per totum ad Deum, ad dominumque noſtrum Ieſum Chriſtum & ſuos ſanctos ſpecialius ad virginem Mariam, rationes adducit quatenus auxilientur creaturæ eis ſupplicanti ſuamque paupertatẽ alleganti. Loquitur item de coram iudicibus præſentatis quomodo tales in ſuis petitionibus ſint circumſpecti atque ſapientes. Nimirum, timent enim & periculum ſibi vident imminere. Tali modo & nos, immo & adhuc amplius coram Deo præſentati facere nobis multum expediret.

Capitulum quadrageſimum. Commendatio iſtius modi contemplationis tanquam ſecuri, vtilis & leuis.

IStum modum inchoandi contemplationem cui placet ſequi poteſt, ſatis enim eſt ſecurus, ſimplex atq; leuis. Conueniens etiam gradui bene primo contemplationis antedicto qui aſſignatur humilis pœnitentia. Ibi enim non aliud quam indulgentia petitur, atque bene operandi tempore affuturo gratia item etiam remedium contra plagas ſuas & peccatorũ infirmitates varias. Ad quod non parum orationes beati Anſelmi, diuerſorũq; cæterorum ſanctorum, editæ ad ſanctos & ſãctas, proficiunt. Liber quoque de quo pridem locutus ſum qui rhetorica diuina intitulatur, à Guillelmo Pariſienſi compilatus, multum ad iſta vtilis eſt.

Super modo iſto initiandi contemplationem dudum optabam orationem quandam fabricare in modum pauperis panem ſuum oſtiatim quærentis vel indulgentiam quærentis & petentis ad inſtar incarceratorum aut certè ad ſimilitudinem eleemoſynam petẽtium non quidem pro ſeipſis, ſed pro in hoſpitalibus degentibus. Sæpe enim aliquis deuotionem ſuam pro alio interpellendo reperit magis quam ſi pro ſe Deum exoraret, ibique multum proficit. Tenẽtur etiam ad hoc plures ex officio ſuo quẽadmodum viri eccleſiaſtici, alijque ex eleemoſyna vitam ducentes corporis, immo dico omnes debere hoc facere tam propter Dei mandatum, quam etiam propter beneficia ab alijs recepta, ſiue talia ſint bona naturæ à ſuis parentibus ſiue bona fortunæ ipſis collata iure hæreditario poſſidenda à viuis aut à mortuis. Compilaui pridem orationem quandam ad Dominum Ieſum Chriſtum initiantem. Ieſu ſponſæ virginitatis &c. Intendo autem (ſi Deo placitum fuerit) de hoc in breui diffuſius conſcribere opus. Verum eſt omnes mundi ſcripturas non poſſe perducere contemplatiuum quò tendere habet quemadmodum facit fortis perſeuerantia auxiliante Dei gratia faciendo exemplo perſonæ ſupra memoratæ, ponendóque ad practicam, ſcilicet ad opus, quia affectiones ſcribi nequeunt, neque generantur per litteras aut per verba ſed per operis exercitium.

A *Capitulum quadrageſimum-primum. De modo vſitãdi ſe in contemplatione ſecundum iſtum modum.*

QVem verò delectat præhabita ſimilitudo hic multam largam materiam habet vſitandi & aſſueſcendi ad ſuarum cogitationum recollectionem intra ſe, erga etiam Deum atque ſuos ſãctos. Noſtræ enim neceſſitates & miſeriæ ac infirmitates, tam corporis quam animæ infinitæ ſunt. Dehinc virtutes nobis acquirendæ in magno ſunt
B numero ſicut & ſancti & ſãctæ quibus nobis ſupplicandum eſt, nunc ſimul omnibus, nunc verò cuilibet ſeorſum. Inter cæteras etiam neceſſitates mortis hora poſtremum eſt negotium, quod plus nobis eſt timendum. Ob cuius horrorem ſollicitè prouidendum foret nobis remedium & vita ſuperſtite procurare amicos atque defenſores, laturos auxilium in momento tam terribili ad beneplacitum Dei. Horam iſtam ſummè ante mentis oculos reducere, proficuum eſt eius memoriam recentem omni tempore vitæ in omnibuſque fa-
C ctis noſtris habere. In noſtræ contemplationis ſecreto à nobis ipſis ſæpius quærendum eſt. Modo anima mea dic mihi, pauper & miſerabilis confitere mihi, ſi in præſentiarum aut intra vnius horæ ſpacium ſeparari te à corpore oporteret ad aſtandum tremendo Dei iudicio, quid dictura? ad quẽ denique confugeres? Si reſpondes quia ſic & ſic faceres, & ex toto tunc miſericordiam atque veniam ab omnipotenti Deo flagitares à ſuiſq; ſanctis. Fac igitur taliter in præſenti. Ignoras enim in
D quo puncto infirmitatis protunc eris aut quod ſpacium temporis ad hoc faciendum habere poteris. In huiuſmodi meditatione viuaciter ſeu cordintimè & diu morari debemus quouſq; nobis videatur quod ſentiamus mortem multum approximare. Item cõſiderandi ſunt amici noſtri pro quibus orare volumus eſſe eos in neceſſitate vltima, puta ad lectum mortis. Et quomodo à nobis ſuppliciter auxilium requirunt, deſiderantes quatenus pro eis preces effundamus, cõpatiamúrque eis ac ſi in præſenti ſic ageretur nobiſcum.
E Hoc ergo quoniam fiet & non diu tardabit, miſereamur, interea animæ noſtræ, ac ſi eam in medio flammæ purgatorij conſpiceremus collocatam. Ad quod bene iuuat conſiderare diligenter miſeriam aut dolorem validum quem quis per ſuam ſuffert infirmitatem aut aliunde, qualiter vehementer inde cruciatur. Quid ergo erit de anima miſeria perpeſſura tanta in futuro ſæculo?

Capitulum quadrageſimum-ſecundum. De tribus Dei
F *iudicijs ante oculos mentis reuocandis pro materia contemplationis.*

POſſumus inſuper in huiuſmodi contemplatione reuocare ante mentis noſtræ oculos tria Dei iudicia, quæ tenturus eſt ſeu tenebit aut tenet. Vnum tenebit ſicut pater in quo regnat & iudicat miſericordia dulcis & pia, & talis eſt in vita præſenti. Secundum tenet ſicut Dominus contra ſeruum ſuum, vbi regnat atque iudicat iudicia rigoroſa. Oportet enim illic omnia exoluere debita, & hoc eſt in purgatorio. Ter-

Digitized by Google

tium eſt in inferno, vbi regnat horrenda & crudeliſſima iuſtitia, ſcilicet propter peccatores damnatos, ibi enim Deus punit ad inſtar iudicis flecti non potentis cõtra maleficos morte æterna dignos. Modò poſtrema duo iudicia declinare poſſumus, appellando & ſubmittendo nos ad primam curiam ſcilicet miſericordiæ, quæ durat ſolum iſta vita ſtante. Bonum ergo eſt nobis dum tempus habemus eligere, & interim quod habere poſſumus ſanctos interceſſores ad Deum. Præcipuè ibi habemus in dicta curia noſtram dominã reginam dictæ curiæ ſcilicet miſericordiæ exiſtẽtem, ſimul noſtram matrem & aduocatam dulciſſimam & glorioſiſſimam virginem Mariam. Pariter eſt illic Ieſus Chriſtus pater noſter, frater noſter, aduocatus, conſiliarius, mediator atque redemptor. Et in veritate iſte nimis eſſet ſtolidus & infatuatus qui recuſaret vna cum propheta ſeipſum ſubmittere Dei miſericordiæ ſuppliciter dicente: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Vbi tangit propheta iſta tria iudicia. Dicit enim: Domine ne in furore tuo arguas me, id eſt in inferno. Neque in ira tua corripias me, hoc eſt in purgatorio. Sed ſecundum miſericordiam tuam miſerere mei, quoniam infirmus ſum, ſcilicet in hac vita. Et ad hoc poſſumus inquirere alleuiamen flagelli quod iuſtè meruimus, ſcilicet mediante interceſſione tali quæ dicta eſt & ſæpe ex toto ſic quitari ſeu etiam abſolui. Qui etiam attentè penſaret atque ſibi proponeret exitum huius carceris quo detinemur, quod erit in articulo mortis, cogitarétque ad prædicta tria iudicia, talis omnino cum gaudio ingenti huius mundi infirmitates & diffamationes, atque paupertates, & ſimilia quæ pœnalitates dicuntur leuiſſimè ſufferret, & certè de nulla aduerſitate vitæ huius curaret. Qui inſuper quotidie ad memoriam reduceret mori ſe oportere, ſed quando & qualiter ignorat, examinarétque ſe ſæpius an in ſtatu in quo eſt mori auderet, quod ſi non profectò remoueret in breui impedimenta, vt ſecurè mortis præſtolaretur aduentum.

Capitulum quadrageſimum-tertium. Quomodo quidam deficiunt in forti perſeuerantia & in contemplatione medicum proficiunt.

PLures autem minus bene auiſati ſunt circa perſeuerantiæ fortitudinem ſeu circa contemplationis fructum, ac per hoc ad iſta conſequendum multum remoti. Renuunt enim ſeipſos dare orationi aut meditationi incumbere, niſi ſe deuotione ſentiant effectos ad illa, ac niſi cum eos iſta delectant veniantque ad cor ſuum. Videntur enim talibus aliàs dicta nihil prodeſſe. Sed huiuſmodi comparantur huic qui frigoris nimium cruciatur, recuſat tamen accedere ad ignem niſi prius habeat calorem. Aut certè æquiparantur alicui fame pereunti, nolentíque quærere ad manducandum niſi antea ſaturatus ſit. Quare enim aliquis ſe dat in orationem vel meditationem niſi vt caleſiat diuini amoris igne, vel vt ſaturetur donis vel gratia Dei.

Tales in hoc deficiunt ſeu errant putantes ſe tempus perdere cùm poſiti in oratione vel meditatione non mox deuotionis imbre irrigantur. Ad quod reſpondeo quod ſi nitantur quantum in ſe eſt ad hoc atque faciunt laborem ſuum, ſint in bello & pugna continua contra ſuas cogitationes cum diſplicentia, quia non abſcedunt nec pacem habere permittunt, tales pro tunc maius habent meritum quàm ſæpe ſi eis aduenirét deuotio ſubitò ſine tali conflictu. Ratio, quia militant Deo & ſeruiunt ſuis expenſis proprijs & ſumptibus, atque cum labore maiori & pœna.

Verum tamen eſt quod volens ad exemplum prænarratæ perſonæ ſuperius ſeipſum exercere, oportet ad hoc habere ipſum magnum temporis ſpacium, reiecto etiam omni onere aliarum occupationum tam ex parte ſua quàm aliorum, ſéque arcere ad permanendum in vno loco fixum longo tempore, ſiue conſolatio ſubſequatur aliqua ſiue nulla, quod tamen ad eandem habendam laborare non ceſſet atque ſit continuus. Cúmque ſe nimio ſenſerit tædio affectum, ſibi ipſi dicat quod adhuc expectet ad mediæ horæ ſpacium, ac ore faciendo pœnitentiam ſuam expectans diuinæ gratiæ eleemoſynam. Poſt horam verò elapſam adhuc ſe commoneat ad perſiſtendum taliter ad alteram horam. Et ſæpe in poſtrema dimidiæ horæ parte talis in ſua contemplatione amplius proficiet quàm omni tempore præterito, & quàm alijs decem diebus aut certè in vno menſe.

Quod ſi à caſu in ſuo regreſſu aut iterato acceſſu reperit ſe quaſi refutatum, ſic ſcilicet quod eleemoſyna ei denegetur, puta non conſecutus gratiam deuotionis, tunc humiliter ei conuenit conuerti ad Deum, confitendo indignum ſe fore tantæ gratiæ, immo quod plus meruiſſet verbera & flagella atque tribulationes quàm huiuſmodi conſolationes. Et ſic dicat: O Domine Deus tuæ conſolationes, laudes & gloria tibi ſint ſemper, mihi autem (vt dignum eſt & iuſtum) confuſio, niſi oppoſitum proueniat mihi de tua miſericordia. Per talem modum vincet Deum faciens ei ſacrificium de cordis ſui duritia, & certè Deus eius non obliuiſcitur conferens miſericordiam ſuam cum cognouerit horam atque punctum expedientem ſecundum ſuum beneplacitum.

Nec etiam debet aliquis huiuſmodi conſolationes nimis affectare in lachrimis atque deuotione, pro ſua delectatione & ad ſuam placentiam, ſed vt per talem conſolationem amore ardentiori Deo vniatur, ad Deum poſſit melius, diutius & delectabilius ſe conuertere. Si igitur magis ei placitum fuerit quod pro tunc aliquis ei famuletur ſine talibus conſolationibus, conformiter & nobis idem placere debet, debemúſque dicere: O Domine Deus omnipotens ſufficit mihi optimè vt pręmium meum atque remuneratio à te reſeruetur mihi in paradiſo, in præſenti illud non tribuens. Illud vnum ſuppliciter oro vt mihi non iraſcaris, ſed vt viuam in tua gratia tantummodo, de cętero fiat voluntas tua.

Qui verò deuotionem aſſecutus fuerit, diligens exiſtat

exiſtat gratiarum actiones ex toto corde referens Deo omnipotenti, orando inſtantius vt augmentet & confirmet opus plantationis ſuæ in eo inceptum abſque hoc quod tale quid ei hic conferat, ſicut præmium, quin potius in futurum reſeruet præbendam integram.

Capitulum quadrageſimum-quartum. Quædam imaginatio montis cum tribus habitaculis, ſcilicet fidei, ſpei & charitatis.

ITER montis antea adducti pro faciliori ſui eleuatione in contemplatione, poteſt quis imaginari conuenienter, quemadmodum aliquando quidam quem noui fecerat. Et breuiter perſtringam eandem. Imaginemur igitur mare magnum periculoſiſſimum, quod diuerſorum generum homines euntes & redeuntes nauigio pertranſeunt diuerſis nauibus, ad vnum tamen finaliter portum tendentes, in quo etiam magna pertranſeuntium pars propter pericula maxima atque tempeſtates varias neceſſario habet perire. Ad ripam verò huius maris ſeu in littore eleuata erit rupes altitudinis miræ, ſupra quam exiſtẽs quicunque ſecurus eſt, de qua pariter quæ in magno iſto mari fiant ſpeculari poteſt abſque ſui periculo. In iſta rupe tres erunt ſtationes ſiue habitacula tria, vnum in baſſo, aliud in medio, tertium verò in fine ſiue ſummo.

In primo imaginemur fidem eſſe hoſpitatam, in ſecundo ſpem, in tertio verò charitatem. Modò quando quis in primo fuerit habitaculo ſcilicet baſſo, fides ipſa eidem maris horribilia oſtẽdit pericula, quantum ad animam, per quæ concipiet timorem validum, quia conſpicit iudicia Dei mirabilia contra ipſos peccatores, ab eo in iſtius maris voraginem præcipitatos damnatione perpetua abſque vllo remedio. Et ibi poteſt homo deuotus in certa fide coram ſuæ mentis oculis ſtatuere omnia ſua facta, ad generandum in ſe ſanctum timorem & pauorem ſecretorum Dei iudiciorum. Quemadmodum eſt fragilitas & mutabilitas, breuitas vitæ mortalis, mortis incertitudo, damnatorum horror, multitudo eorum qui damnantur propter ſua peccata, defectúſque temporis præteriti, quotidianos etiam exceſſus. Item quomodo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſanctíque omnes multa paſſi ſunt tormenta, afflictiones & tribulationes, ita ſit certus quod adhuc plura ſuſtinebunt mali & damnati. Et quilibet ſiue bonus ſiue malus, expectare habet tribulationem affuturam ſiue citius ſiue tardius.

In ſecunda vero ſtatione aut manſione locabitur ſpes tradens homini deuoto fiduciam, ne per timorem nimium deſperet, & ſic ſemetipſum perdat & damnet. Et ibi debent conſiderari omnia quæ faciunt ad ſpem bonam concipiendam de Dei bonitate. Sic enim nobis eſſe faciendum ipſe nobis mandauit. Reuocemus illic ad memoriam miſericordias ſanctorum & ſanctarum, beneficia infinita ab ipſo nobis exhibita, & quæ quotidie exhibet abſque vllo noſtro merito, ſpecialiter autem maximam dignationem & miſericordiam paſſionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. A Item gratiam quam Deus facit ſubitò peccatoribus eos ſuſtinendo. In hoc tabernaculo ſpei anima deuota reſumit aliqualiter cor ſuum transferendo ſe de vno tabernaculo ad aliud, ad miſcendum pauorem & humilitatem cũ ſpe bona, vnum enim alio abſente non ſufficit.

In tertia verò manſione dictæ rupis demoratur charitas, ibíque conſiderabit anima deuota Domini ſui magnitudinem, & quomodo dignus ſit amari, appreciari atque laudari. Qualiter omnia gubernat atque ſuſtinet, omnia ſua ex B nihilo pura bonitate creauit, Et ſic de ſimilibus conditionibus nobilibus ſine numero, ſic & de gloria quam ſuis tradidit amicis.

Sanctus Auguſtinus docebat quãdoque agnoſcere Deum per mentis eleuationem ſupra terram, ſupra cœlum, ſupra propriam ſuam animam, atque ſupra res omnes ab eo creatas, & tunc in momento temporis & raptu ſubito ad ſimilitudinem coruſcationis aut velocis nubium curſus anima deuota attingit quid ſit de Deo, & ſtatim decidit è contra & relabitur. Sed ibi non oporC tet vos eſſe curioſos, nec nimis ſtabilire & ſtare. Sufficit vobis Deum agnoſcere in paradiſo cœli, & quantum in præſenti ſeculo debet ſufficere vobis, quod credatis & cognoſcatis, quia ipſe creator, factor & Redemptor veſter eſt, & ſic de alijs dignitatibus de quibus in fide Catholica edocemini, ſiue hoc quod ſcire velitis quid ſit ipſe Deus in ſua natura per claram viſionem eius. De quo trado vobis tale documentum ſancti Dionyſij: Quotieſcunque in contemplatione & meditatioD ne de Deo factis ſcitis qualis ſit res quam videtis, videtúrque vobis quod tres hæc viſa quocunque modo aſſimiletur alicui rei alteri huius mundi, tũc certitudinaliter teneatis vos non videre Deũ taliter per claram viſionem. Et ſimili modo dico & de angelis. Non enim eſt Deus corporaliter magnus, nec albus nec rubeus, nec clarus neque coloratus, ſic nec ſunt Angeli. Verum quidem eſt quod cognoſcitur & ſentitur bene per modũ alium qui ſcripto tradi non poteſt, neque verbis edoceri, niſi quod iſti ſic cognoſcentes ſentiunt E & ſciunt hoc quod cognoſcunt, ſicut ſentiendo vnum dulcorem aut plenitudinem vnam, vnum ſaporem aut vnam melodiam, & talia ſentimenta enarrari nequeunt. Sicut à ſimili aliquando inter nos ſentimus bene amorem aut gaudium & tamen amor & gaudium non ſunt magna corporaliter aut gratilia, alba vel nigra. Nec poſſet aliquis facere intelligere aliquem qualia eſſent talia qui nunquam huiuſmodi ſenſiſſet in ſe. Non tamen dico quin concipi poterit Deus quid ſit in humaF na natura, habet enim vt ſic corpus, formatúſque eſt vt alius homo. Sed quod dixi de Deo, intelligo in ſua diuina eſſentia. Et quando anima deuota bene vſitata eſſet inhabitando iſtam rupem aut montem forti meditatione, & per fortem cogitationem, ſemper illuc reuerteretur, facilius ſe eleuandi ac promptius ad habendam fidem, ſpem & charitatem, & alias pulcherrimas contemplationes abſque numero, quas ibidem reperiet, eſſétque ei tanquam portus & littus ſeu confugium contra omnes tribulationes & impedimenta maris magni huius præſentis mundi.

Digitized by Google

Capitulum quadrageſimum-quintum. De tribus modis quibus gratia datur.

SICVT ſupra memini, mille & mille modis contemplatio variari poteſt & haberi, ideóque pro tanto ad præſens non perſiſto, relinquendo quemlibet ſuo ſenſui & gratiæ à Deo collatæ, ne videor quoddam largiſſimum atque copioſiſſimum & quodammodo infinitum in tam breui & modica imaginatione velle perſtringere. Sed pro finali adhuc dico gratiam Dei præſentem eſſe animæ tribus modis ſpecialiter. Vnus eſt per iuſtificationem, ſine hoc quod ſentiatur atque animam cui ſic adeſt Deo acceptabilem reddet.

Alius modus eſt per ſentimentum & conſolationem aliquam ſicut in iſtis qui in ſua contemplatione recipiunt & percipiunt diuerſos conſolationum modos atque gaudia ſpiritualia. Nam interdum eiſdem videtur quod liqueſiant omnino in quadam dulcedine, in tantum vt omne quod cernunt aut meditantur, plenum eſſe tali dulcore iudicant. Aliquando verò recipiunt ſecuritatem quandam admirandam humilitate plenam, qua mediante ipſi ſibimet diſplicent, ſolam accipientes delectationem & placentiam eorum in Deo. Quoties enim ſibimetipſi quis placet, atque in ſe de ſeipſo gaudet, certus ſit à vera humilitate ſe eſſe alienum, nec conſolationes ſuas quibus iocundatur, à Deo habere ſciat originem. Vera enim humilitas ſemper exiſtens ſociata viſitationibus bonis atque diuinis, dat cognoſcere ad imum & veraciter defectus ſuos, per quos ſibi homo diſplicet redditúrque vilis atque abominabilis in aſpectu ſuo, nihilominus placentiam maximam habens, ſed quæ in gratia, miſericordia, bonitatéque diuina conſiſtit. Aliquando anima deuota ſentiet cordis ſui quandam dilatationem vel ſui intellectus comprehendens in ſe plus quàm etiam totus mundus, iudicabítque Deum fore tam excellentis atque infinitæ maieſtatis, quod quaſi omne quod reſiduum eſt, ei nihil omnino eſſe videatur, niſi in quantum eſſe in talibus Deus cognoſcitur. Quandoque verò ſentiet anima in ſe quandam ſpiritualem ebrietatem commouentem eam ſobriè in laudes ſpirituales ſuſpiriáque ſancta & deuota, non ſe valens ad intra continere, quin oporteat deforis erumpere ſeu ad extra id oſtendere quod ſentiat, videtúrque interdum eidem quod omnia plena ſint gloria & laude plena. Tertius verò modus habendi gratiam præſentiæ Dei eſt, per vnionem, quemadmodum beatus Paulus Apoſtolus habuit, cæteríque contemplatiui excellentiſſimi. Sed de modo iſto loqui me indignum reputo, & os meum contineo, altioribus doctioribúſque illud relinquens diſcutiendum.

FINIS.

EPISTOLÆ AB EODEM edita.

ATTVLERVNT eximiæ charitatis veſtræ litteræ non paruū leuamen infortunio meo (ſicut ſpero) felici. Eſt enim flagellum patris miſericordiarum, quod vſque modo verè ſupra ſpem A & omne meritum meum temperauit. Fecit enim cum tentatione prouentum vt poſſem ſuſtinere. Gratias igitur veſtræ benigniſſimæ pietati, quæ cōpaſſionem præſtitit taliter flagellato, quæ plena conſolatione documenta ſuperaddidit, quæ demum præconijs qualia nec vſurpo mihi, nec eis me dignum cenſeo, prægrauauit. Sic planè, ſic decebat ſapientiam profeſſos, vt vnum è conſortio ſuo quamquam abortiuum, quia tamen in tribulatione poſitum ſolarentur. Verum & ſi abſque vlla fictione cum laboribus plurimis & expenſis B olim iā conatus ſum debiles humeros meos & fragilitatis ſuæ conſcios ſubducere oneri tanto Cancellariæ Pariſienſis, & in alium gradum trāsferre, nihilominus ingreſſibili quodam labyrintho circumactus, & quaſi poſuerim pedes meos in rete, & in maculis eius ambulem, confuſus ſum ab expectatione, ſentióque illud Terentianum, quod non licet hominem ſæpè eſſe vt vult. Mandatus ſum quippe ab illo cui poſt Deum me & omnes operas meas debeo, Dominum meum C Dominum Burgun. loquor, cuius vtinam aliud circa me modeſtius, humilius ſalubriuſque conſilium extitiſſet, ignoſcat Deus idipſum conſulentibus. Ibam obediens, ſed impediuit iter meum, qui olim aſinæ Balaam obſtitit, & interim ab executione officij cancellariæ me ſpontaneum illud etiam prorſus deſerere paratum, tamen illud pro obedientia exequi volentem ſuſpendit. In qua re facio quod mandatis, neque aliud pro nūc ſub eſſe video, & ſubſtituo eum pro exercendis omnibus quæ præſens agerem cum ſolennitate fa- D ctum mitto. Bene valete, mei memores in orationibus veſtris. Scriptum Burgis XXVII. Aprilis.

Alia epiſtola eiuſdem.

IOCVNDVM eſt ſocij & fratres in Chriſto dilectiſſimi, iocūdum valde, quia verbis neque vos alloqui. Sunt enim amicorum grata vndecunque colloquia. Quod ſi iuxta Terentianum ſenem, proximus amicorum gradus eſt vicinitas, multa E prorſus eſſe mihi debet amicitia ad collegium iſtud venerabile quod incolitis, cui non tam vicinus, quàm ineunte adoleſcentia familiaris ſemper intraneus fui, & traxi mores ex conuictu. Solabor igitur mutua vobiſcum confabulatione coactam quietem meam qua me diuinum flagellum alligauit in lecto valetudinis, vbi ſupinum immobilémque iacere conſtrinxit, vtiliter ſpero & magna Dei miſericordia non ſolum tolerabiliter ſed penè optabiliter. Cur ita? Quoniā neque F lectionem, neque orationem, neque ſalubrium cogitationū protractionem exultauit à me quies talis, quin etiam familiariores, ſi non obſtitero, conſtituit. Quo pacto ſic? Dolorem namque corporis & animi anxietatem diuina gratia vſque modò vel abſtulit, vel fere ſupra ſpem & verè ſupra omne meritum meum temperauit. Gratias ei qui nunc adiudicauit me contumacem vſque nunc ſeruum ſuum non in ira & furore corripere, ſed in virga filiali, & Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Sed ad vos redeo, quibus è cogitationibus

Digitized by Google

nibus meis familiariter aperire ſtudui, & ſi non ob aliud, vt vel voluptatem aliquam ex tali com- A municatione ſcribendo concipiam.

Alia epiſtola eiuſdem.

CVm nuper deuoti Bernardi Homilias ſuper cantica relegerem, pater & frater dilectiſſime, perueni in eum locum qui docet media perueniendi ad generationem verbi, hoc eſt ad contemplationis arcem. Gauiſus ſum non mediocriter quod ita conſonè ad eum de hac B materia olim Burgis in lecto valetudinis meæ cõſcripſeram, ſicut habes tractatuli copiam. Neſciebam vtique alium taliter & tali ordine tradidiſſe ipſam contemplationis adipiſcendæ arcem. Quò fit vt mihi ſecurius eadem ſcripta mea placeant. Sunt autem verba beati Bernardi talia Homilia centeſima: Viſio hæc non induſtriæ eſt, ſed gratiæ reuelationis non inueſtigationis. Si quid tamen poteſt ad hoc induſtria operari, illud primum obſeruate quod dicitur: Lauamini, mundi eſtote, ſecundò vt ſcribatis ſapientiam C tempore otij, qui enim minoratur actu percipiet eam, tertiò vt violenti ſitis, & gaudium regni quod vobis diutius ſurripitur, præripiatis, vt habeatis cor purgatum, præparatum & probum. In primo efficieris anxius, in ſecundo deuotus, in tertio vehemens, hoc eſt idoneus, obuius vrgens. Hæc ille. Vides pater & frater quemadmodum tria hæc conueniant tribus illis gradibus ſcalæ myſticæ contemplationis, quos nominaui amaram contritionem, otium vel ſolitudinem D & fortem perſeuerantiam. Gratias illi à quo omnis veritas & cui veritas omnis conſonat.

Quod ſi quis nunc aut aliàs inculpauerit me temeritatis quod materiam hanc prorſus altiſſimam & abditiſſimam vſurpauerim tractaſſe velut ipſe agnoſcerem, habeat reſpõſum illud quod nouiſſimè recolo apud vos dixiſſe. Scio itaque ex multis ſcriptis & quorundam verbis aliquam eſſe cognitionem & mentis eleuationem, quam habere poſſumus vltra communem & vſitatiuæ E cognitionis normam. Hoc modo etſi non aliter ſcire potui nobis aliquid deeſſe perfectionis huiuſmodi quam ſancti patres habuerunt & docuerunt.

Sic enim poteſt ipſe cæcus colores etiam cognoſcere vago tali concepta & ſe cœcum iudicare. Quærebam dudum à quodam cæco viro intelligente, quomodo ſe ſciret cæcum eſſe; Scio reſpondit, quia aliquam perfectionis integritatem quam in alijs eſſe audio, mihi deeſſe ſentio. Denique pater & frater nihil ex tribus prædictis F gradibus tantum deeſſe formido, ſicut occupationem neceſſariam in religioſo exercitio tuo, quod vtique nullo modo, nulla profectus alterius occaſione deſerendum eſſe non ambigo. Sic vocatus es, noli violenter obniti, quia non hoc tibi cederet feliciter, ſed irriderent hoſtes ſabbata tua, hoc eſt vocationem tuam. Neſcis præterea quid tibi eſt vtilius & Deo placentius. Reuelabit cum voluerit & dum beneplacitum erit ante ſe quod abſcondit à ſapientibus huius ſeculi & reuelat paruulis. Soli paruuli hoc attingunt, non quia meritum, ſed quia ante placitum eſt. Præcipua inſuper ratio huiuſmodi munus deſiderandi eſt, vt ſimus parui in oculis noſtris, habita contemplatione tantæ & tam immenſæ maieſtatis, vocabit te fortaſſis Deus occaſione otij data per ægritudinem aut alias. Sic interim opus tuum age, & vaca non quantum placet ſed quantum licet ad videndum & guſtandum quoniam ſuauis eſt Dominus. In quo bene vale, mei memor in orationibus tuis, & fratrem germanum pupillum commendatum habe. Scriptum Pariſijs XIII. Aprilis.

FINIS.

SECRETVM COLLOQVIVM HOMINIS CONTEMPLATIVI AD *animam ſuam & anima ad hominem ſuper paupertate & mendicitate ſpirituali, docens recurrere ad Deum & Sanctos per deuotam orationem pro impetranda eleemoſyna gratia & virtutum. Inſuper & pro adipiſcenda ſcientia affectionum, quæ propriè ſapientia dicitur quaſi ſapida ſcientia. Et continet duas partes. Prima tractat quæſtiones & reſponſiones diuerſas hominis ad animam & è contra. Secunda continet orationes & meditationes diuerſas quas format anima ſub forma pauperis mendicantis & quærentis panem.*

HOMO.

OMEA pauper, mea infirma, mea paralytica, mea miſerabilis anima, quæ nihil in te aut ex te boni habes, ſed nec tuo labore vales comparare: Audi quæſo meum conſilium, diſce mendicandi officium, fiat tibi quæſtus mendicantis ordinarius vitæ ſuſtentandæ prouentus, cur fame, ſiti, algore interires? Vitioſa profectò multum foret, hæc verecundia vel ſegnities.

Anima. O homo hoſpes quidem meus, qui mecum de patria tuæ primæ conditionis eiectus es, & detruſi ſumus in hunc tetrum ac doloroſum carcerem præſentis exilij, fateor heu me pauperem, ægrotam, captiuam, læſam, ſauciam, nudam, omnibus egentem. Verè infelix illa hora qua parens primus commiſit in Deum ſummum regem grande illud nefas crimenque læſæ maieſtatis, quo iuſtiſſimè nobis illa noſtra præclara hæreditas adempta eſt, ac de loco voluptatis, gaudij & omnis excellentiæ deportati fuimus in hũc locum lachrymarum, tribulationis, anguſtiæ & deſolationis de diuitijs in paupertatem, de ingenuitate in vilitatem, de vita in mortalitatẽ, de loco ſecuritatis in locum plenum diſcriminis, & vt ſub vno claudantur omnia, de vniuerſitate bonorum in profundum omnis miſeriæ ſumus iniecti. Quare prorſus ignoro quid factura ſim, laborare nec ſcio nec valeo. Verſaretur quidem labor meus ad Deum cognoſcendum, amandum, laudandum, honorandum. Sed heu nimis longè factus eſt à me, nimium me à ſe projecit. Conſpicio me in tenebris poſitam, circundatã, ignorãtia, incertitudine, errore, quibus inutilis facta ſum

ad illum intuendum ſeu contemplandum. Ita igitur meo fruſtrato labore, amodo quid agerem, quid laborarem, quid lucrifacerem? Dicis mihi mendicandum eſſe & pro vita quæſtuandum. Volo quidem ſed quò ibo captiua & concluſa intra hoſpitale tui corporis in magno carcere huius mundi mortalis, quo pacto pro petendo auxilio valerem hinc effugere? Quis inſuper me clamantem audiret? Quis ad me reſpiceret? quis ſuccurreret? Circumſpice vndique, cum deficiamus omnes & pauperes facti ſumus nimis, nemo noſtrum eſt qui ſibi ipſi vel in modico valeat opem ferre, vnde igitur alteri ſubueniet? Quid dabit nihil dandum habens. Ita profectò non aliam niſi ſortem video propiciam, niſi contra hæc mala remedium deſperationis quærere & deſperando vitam hanc finire miſeram.

Homo. Quid dicis ô anima deſperandum eſſe? Abſit. Minimè certè deſperabis. Meum potius audias conſilium, tibi enim demonſtrabo locum charitate & miſericordia plenum, in quo omnes pauperes quærentes inueniunt refugium. Ibi enim copioſi ſunt illi pij ac liberales Dei eleemoſynarij in Eccleſia videlicet cœleſti, ſancti & ſanctæ, in quibus eſt illa theſauraria gratiæ, regina miſericordiæ, mater pauperum orphanorum, vbi adeſt & Redemptor humani generis Saluator noſter Ieſus Chriſtus mediator & aduocatus apud patrem pro peccatoribus. Quæris qualiter illuc tendas. At ego reſpondeo. Illuc te ſanctum ferat deſiderium, vbi enim tuum ſanctum erit deſiderium, & ibi teipſum eſſe iudicabis. Deus inquit, propheta, deſiderium pauperum exaudiet. Quid autem magis in tuo eſt arbitrio, quàm tuum deſiderium, quo potes continuò ad Deum proficiſci, cum Deo loqui & cum ſanctis, ab eiſque ſubſidium implorare?

Anima. Si ita eſt ô homo vt aſſeris, deſiderabo vtique ſatis. Verum plurima frequenter deſidero quæ minimè accipio, & ſi deſiderando loquor, non eſt qui mihi reſpondeat, & rarò vel nunquam me experior adiutam.

Homo. Firmiter tene ô anima quod ſanctum deſiderium ſemper auditum promptè exauditur, niſi fortè propter alteram trium cauſarum. Vel quia non eſt de conuenientibus ad ſalutem, ſicut Paulus deſiderabat liberari à ſtimulo carnis. Vel quia præualet in te aliud peruerſum deſiderium vanitatis mundanæ tuæ ſaluti contrarium, quod reclamans impedit ſanctum tuum deſiderium ſuum ſortiri effectum. Vel quia hoc ſanctum tuum deſiderium nimis citò euaneſcit. Rationabile quidem valde eſt ſi te iuuari voles vt hoc tuo cedat profectui, nec contrarium quæras altero deſiderio prædominante, quódque patienter & conſtanter expectes oportunitatem ſubuentionis ſecundum rationabile beneplacitum adiuuantis.

Anima. Fateor homo ita eſſe, ſed in hac re vnum me conturbat, quia frequenter ignoro quid mihi expediat, quídve officiat, quantum ad primam deſiderij ſancti qualitatem. Abundant inſuper in corde meo vana ac mundana innumera deſideria, quantum ad ſecundam. Demum mox faſtidit animus & laſſatur in ſanctis deſiderijs, nec in eis perſeuerat, quantum ad tertiam.

A *Homo.* Propterea tibi dixi à principio ô anima mea tibi vacandum eſſe, diſcendum quoque mendicandi officium quo tibi innoteſcat modus petendi vtiliter, efficaciter & perſeueranter. Vtiliter quidem petes ſi tantummodo ſalutaria, ſi diuinæ voluntati placita, ſi diuinæ legis mandata implere deſiderabis. In omnibus itaque tuis deſiderijs diuinum antepones beneplacitum, dicéſque vt ſua non tua voluntas fiat.

Anima. Miror valde ô homo cur per ſanctum deſiderium petendum velis vt Dei volun-B tas fiat cum velim nolim aliter eſſe non poſſit. Cùm etiam Deus ab æterno videat & cognoſcat omnia, & ſecundum hanc ſuam immobilem notitiã circa me ſingula futura diſpoſuerit prout meis neceſſitatibus nouerit eſſe oportunum, quid eſt quod dicis vt loquar ad eum per ſanctum deſiderium, quaſi ignoraret quid mihi expediat, & ſuper hoc ipſum conarer inſtruere.

Homo. Ita quidem anima vt dicis & nihilominus orandus eſt Deus, ob alium tamen finem C quàm ipſa tetigeris. Sicut enim Deus fecit omnia cum bonorum noſtrorum non egeret, nec inde ditior & melior factus ſit, ſed creatura ſuæ bonitatis particeps effecta eſt, ita vult Deus vt eum diligamus, & per ſancta deſideria deuotè ipſum alloquamur propter bonum noſtrum. In hoc quidem noſtra conſiſtit perfectio, ſicut & perfectio ſolis in lucendo & illuminando, & ignis in calendo & calefaciendo. Scito ergo quod Deus ordinauit vt noſtram comparemus D ſalutem deuotas ad ipſum & ſanctas fundendo preces, & mandata ſuæ legis ſtudioſè adimplendo, atque ita frequenter vult ad preces ſanctorum aliquid conferre quod conferre inſtituit antequam ſancti forent. Certum quippe eſt quod Deus per ſeipſum poſſet omnia formare, vult nihilominus ſibi ad rerum multarum formationem ſecundus cooperari cauſas, ſicut homo naſcitur officio generationis humanæ, & hæc inferiora corpora conſeruantur & gubernantur operatione ſuperiorum ſcilicet cœleſtium. Ita E quidem vult Deus vnum ſaluari auxilio aliorum ſanctorum hominum vel Angelorum. Ita igitur perpendis ſatis cur orandus ſit Deus & ſancti eius.

Sed forſan adhuc dices vanum eſſe Deum ſua prece vel deſiderio velle inclinare ad alteram partem, cum illum conſtet eſſe penitus immutabilem, nec in eo alternationem eſſe voluntatis qua flecti poſſit de vno velle ad aliud, aut iratus placari aut offenſus reconciliari. Ad quod F reſpondeo verum eſſe quod de immutabilitate diuinæ voluntatis aſſeris, nec tamen ideo vanas eſſe deuotas preces ad Deum fuſas, quoniam alio fine orandus eſt Deus & homo. Orandus quidem eſt Deus non quaſi noſtra oratione flectendus aut placandus aut aliter quouis modo à ſuæ voluntatis inſtituto immutandus, ſed nosipſos orãtes excitemus & prouocemus ad deuotionem & noſtræ miſeriæ compaſſionem. At è contra, non ob aliud hominem rogamus niſi vt eũ ad miſericordiam moueamus. Fine igitur contrario laborat intentio Deum orando, & hominẽ depre-

deprecando. Ibi quidem finis eſt immutatio orãtis, hic eius cui deprecatio dirigitur. Qua in re nõ incongruè animaduertendum eſt quod etiã modo contrario noſtra cauſa verſanda eſt corã Deo & coram homine. Coram Deo quidem eò meliorem facimus cauſſam noſtram, quò purius & ſyncerius noſipſos condemnamus aut condẽnandos profitemur, nullam excuſationem prætendẽtes. Ita ſanè miſericordiam liberationis à morte ſpirituali, cuius rei fueramus Deo facto propicio conſequimur, cuius vtique contrarium obſeruari cernimus in curia forenſi iudicis humani. Nolens itaque Deum tibi fore pium & miſericordem, eſto & tu tibi ipſi miſericors. Eſt enim durus duris, pius pijs, bonus bonis, ſeuerus malis. Talem vtique illum inuenies qualis & tu fueris in tuis deſiderijs non quidem per mutabilitatem eius, ſed per tuam. Volens inſuper in curia ſuæ iuſtitiæ abſolutionem conſequi, tu teipſam accuſabis, iudicabis, condemnabis, punies, & ſic remiſſionem impetrabis. Quod ſi te coneris defendere & iuſtificare vias tuas, confuſionem proferto & condemnationem reportabis. Et ſi millesies pecces, millesies te condemnes, quoniam ſi extrema hora vitæ teipſam ſic condemnans inuẽta fueris, vtique liberaberis à morte. Sed animaduerte cautius quod is non legitiuè ac veraciter ſe condemnat qui ſe pro poſſe emendat.

Anima. Satisfeciſti homo bene meæ petitioni oſtendens, & proponens tres egregias varietates, quas ignorando frequens in me fuit turbatio. Nunc igitur animum recipio, volóque (vt admones) per ſanctum deſiderium meipſam ad deuotionem commouere, inſuper & recurſum facere ad ſanctos, ad meipſam condemnandam & puniendam. Ita enim prius à principio ſuaſiſti, vt diſcerem mendicare & quæſtum facere. Doce me igitur rogo te, quid mihi incumbat faciendum.

Homo. Mihi videtur ô anima quod hoc facilè diſcere poteris ſi diligenter inſpexeris modos & conatus, quibus vtantur pauperes mendicantes oſtiatim varios diſcurſus hinc inde facientes pro ſubleuandis ſuis corporalibus neceſſitatibus. Cõſidera quæſo captiuos vel conſpectui iudicis præſentatos, ſuáſque ſententias trepidis animis expectantes. Proſpice infirmos graui qualibet ægritudine correptos. Perquire pauperum œconomorum occultas & verecundas indigentias. Et generaliter oculum dirige ad omnes in quacunque aduerſitate vel periculo conſtitutos, puta in coniunctorum funeribus, in exilio, in incendio, in diluuio, in bello. Animaduerte inquam, & ſtudioſo mentis intuitu perluſtra, quàm ardens ſit in his deſiderium ad ſuam liberationem aut ſubuentionem. Inſuper attende quid dicant & quid gerant, & hæc omnia confer in teipſam tuos recognoſcens defectus ac miſerias, tuam captiuitatem, tuam mortem, tuum exilium quod peccando incurriſti, tuam inſuper deſolationem perpendens, quoniam Deum tuum & patrem & cœleſtem patriam tua culpa perdidiſti. Ita ſi feceris & cum tali deſiderio & conatu, audacter affirmo quod hoc tibi ad ſalutem ſufficiet, eris bonáque quæſtuaria bonorum ſpiritualium & alimoniarum gratiæ & virtutum, atque ita inuenies auxilium deſuper in cunctis tuis ne-
A ceſſitatibus immò quod amplius eſt efficieris admodum diues, immò domina bonorum totius mundi. Cur ita? Quoniam ſic facta eris hæres Dei tui patris, de cuius hæreditate eſt totus mundus. Ita enim dixit Apoſtolus: quod ſi filij & hæredes, &c.

Anima. Rem magnam mihi promittis ô homo, magnam dignitatem, excellentiam, nobilitatem, quæ mihi ex dicta quæſtuoſa mendicitate prouenient. Volo igitur eſſe huius officij, quamuis vituperabile multum atque inhoneſtum il-
B lud iudicet mundus, præſertim perſonæ generoſæ & altæ proſapiæ. *Homo.* Non aliter quàm tibi affirmaui iudicabis ô anima mea niſi omnino deſipueris. Et vt hoc tibi certius appareat propono oculis tuis ſummum imperatorem mundi qui voluit huius eſſe officij, ſicut ipſe per prophetam proteſtatur. Ego, inquit, mendicus ſum & pauper. Apparuit hoc in omnibus ſuis orationibus quas ad Deum patrem fecit, præſertim in cruce, quando dixit: Deus Deus meus vt quid me
C dereliquiſti? Magna igitur eſt differentia corporalis illius & coactæ mendicitatis, quæ iudicio plurimorum cenſetur fugienda & vituperalis & huius ſpiritualis, de qua ſermo quam voluntariè ſuſceperunt omnes ſancti, immò ipſe Chriſtus vt dictum eſt. Nónne & Rex ille potentiſſimus Dauid in ſuo Pſalterio ſe huius quæſtuoſæ mendicitatis ſectatorem profitetur, dum ſe nominat nunc infirmum, nunc orphanum, nunc vulneratum, nunc cœcum, nunc ſurdum, nunc impotentem,
D nunc alienum peregrinum, nũc captiuum iacentem in puluere & ſtercore, & ſic de alijs innumeris neceſſitatibus. Et Salomon ille ſapientiſſimus ſe dicebat pauperem, infirmum, breuiſſimi temporis, minorem ad intelligendum legem Dei. Et ita in tota ſcriptura diſcurrendo inuenimus vniuerſaliter de omnib⁹ ſanctis. *Anima.* Multũ profectò laudabilis eſt huiuſmodi quęſtus quem conſtat omnibus ſanctis fuiſſe communem, immò & ipſi Chriſto Deo & homini.

Verum quia iam dixiſti, mihi tu homo ſpiritua-
E lem hunc quæſtum facilè diſci poſſe, ſi diligenti proſpectu mentis attendantur ea quæ in quæſtu corporali ab his qui in aduerſitatibus & indigentijs conſtituti ſunt, obſeruantur. Accedamus igitur inuicem proprius, & plenius de his miſerabilibus perſonis & earum obſeruantijs conferamus.

Homo. Ita fiat anima, quoniã hoc tibi nõ paruo veniet profectui. Tum propter compaſſionẽ quã inde concipies ad proximum, adimplens legem
F charitatis in officio pietatis & miſericordiæ. Tum propter fructuoſam inſtructionẽ tuam, quã exemplo corporalis huiuſmodi quæſt⁹ accipies in quæſtu ſpirituali, cognoſcẽs per hoc quo pacto quęras opẽ in tuis ſpiritualibus neceſſitatib⁹ multo periculoſioribus, vt ab illis liberatus, glorioſum illum æternæ felicitatis fructum tandem conſequaris. Loquamur itaque in primis de his mendicis qui non incluſi degunt, victum quotidianũ oſtiatim quærentes, & eorum exẽplo diligentiã diſcamus. Hi namq; quãuis plurimũ debiles, & ſenio vel ægritudine vel alio quouis accidente fracti, ſeipſos vel baculorum beneficio portant, vel in manibus

Digitized by Google

trahunt, vel aliorum innixi viribus (quãuis difficulter & impeditè) incedunt. Suſtinent nihilominus in his laboribus multas inedias, nũc algore conſtringũtur, nunc diſſoluuntur ab æſtu, nunc à ventis & pluuijs infeſtantur, adeò vt etiam bene incolumes crederentur in huiuſmodi moleſtijs ſuccumbere, & graues oportere incurrere infirmitates, pẽſata præcipuè laboris difficultate & indigentiæ magnitudine, quam oculariter in eis experimur, dum eſuriẽtes & ſitientes & nudi in inedijs vehementiſſimis frigoribus incedũt, vel etiam frequenter nudatis corporibus ad terram ſedent à mane vſque ad veſperam. Et hæc omnia patiẽter ſuſtinent incommoda ſperantes & deſiderantes aliquid eleemoſynæ accipere, qua ſpe nihilominus frequenter fraudantur, vacui ad domum redeuntes. Dumque eis aliqua certa largitio innoteſcit, conſidera quanta celeritate, quãto feruore illuc confugiant ibi prouerbium commune verũ probatur quod neceſſitas facit anum currere. Suſcipe ergo ô anima in te hanc diligentiam petẽdi eleemoſynam ſpiritualem, nihil hinc te auertat, nec alibi inhæreas. Sin autem, fraudaris poteris, & abeſſe largitioni cœleſtis patris, ad inſtar pauperum illorum deſidum qui per vicos vel cãpos diſcurrentes, vel verbis vt factis inutilibus ſe occupantes negligerent tempus deuotionis, tardius autem venientes & putantes ſe aliquid accepturos, repulſam acciperent, dicendo eis. Ite hinc, quoniam eleemoſyna hæc facta eſt. Et ſic confuſi & vacui recederent, ceteriſque paterent deriſui. Ita & tibi ô fatua anima mea accideret, ſi tempus tuum inutiliter expenderes, dum ad eleemoſynam Dei deberes feſtinare, præcipuè dominicis & feſtiuis diebus & alias dũ tibi fuerit opportunitas. Ignoras enim tempus in quo Deus velit ſuam eleemoſynam diſtribuere, an mane, an veſpere, an citò, an tardè. Et ſi vtriſque his horis eleemoſynam ſuam tribuerit, tanto vberior ſubſequetur fructus.

Anima. Bonum eſt hoc tuum conſilium ô homo. Verum me cognoſcere oporteret loca idonea in quibus vtiliter eleemoſynam iſtam quæram, ita enim per eos de quibus locutus es, pauperes fieri conſpicio. Studioſè enim & cum magna diſcretione loca exquirunt ad quæſtum opportuna, ſcientes quia non paſſim in quibuſlibet locis fructuoſus eſſet quæſtus, vt ſi tabernas aut alia ſuſpecta & infamia loca frequentarent plurimum verbera & iniurias pro eleemoſyna reciperent. Et ideo in locis ſacris & in ianuis diuitum ſe præſentant, ibique à longè non ingredientes, humiliter eleemoſynam petunt, dicentes: panem propter Deum.

Homo. Ad hoc tibi reſpondeo ô anima, quod locus diſtributionis tuarum eleemoſynarum eſt in cœlis vt prædixi, & illuc te poteſt & debet ferre tuum deſiderium. Debes enim conſiderare tuũ deſiderium ad ſimilitudinem equi volantis qualem fuiſſe fingunt poëtæ Pegaſum, cuius quidem equi alæ duæ ſunt, timor & ſpes. Vel etiam ad ſimilitudinẽ currus ignei, ſimilis illi in quo delatus eſt Helias in paradiſum terreſtrem. Cuius rotæ quatuor, ſunt quatuor virtutes cardinales, equi verò trahentes, ſunt tres theologicæ virtutes, auriga verò eſt diſcretio. Latè diffuſeque poſſet hæc materia deduci, ſed ſub hac breuitate nunc trãſeo. Satis ſit per hæc innotuiſſe, quod tuo deſiderio te valebis quò voles ferre, ſed cautè circunſpice quò perges. Proficiſcere igitur ad Eccleſiam cœleſtẽ; ne tamen ingredi præſumas in ſanctuarium vel nimis propè altare accedere. Tibi ſufficiet ad præſens apud ianuam reſidere, ibique à remotis vociferando eleemoſynam petere propter Deũ. Ibi enim ſunt innumeræ manſiones ſanctorum, vbi potes oſtiatim ſimiliter vehementi deſiderio clamare & te quæſtuare.

Anima. Rem facillimam factu putaui ô homo hanc eleemoſynam conſequi, audiens ex te hoc ſolo deſiderio ferri poſſe necdum huius negotij difficultatem experta, nunc verò aliter inuenio, quoniam dum hæc inferiora derelinquens, in ſuperna mea volui conferri deſideria, mihi ſuperuenerunt infinita impedimenta adeò vt nihil difficilius factu iam cenſeam, eò quod prius tam facile iudicaui. Mox enim vt illuc ſurſum ferri volo per ſanctum deſiderium, experior meum deſiderium aridũ, aut ſubitò alior ſum deflexum, nunc ad theatra, nunc ad ſpectacula, nunc huc, nunc illuc, nulla in eo manente conſtantia, ita ad omne quod occurrit, diſcurrit & peruolat, nec vllibi quieſcit, atque ita in meipſa deficio, neſciens aduerſus hæc impedimenta remediũ efficax inuenire quo reddi poſſim idonea ad petendum ſalutarem eleemoſynam. *Homo.* Contingunt hæc omnia tibi ô anima mea quia non plenè ſatis ac profundè adhuc tuam agnoſcis paupertatem periculúmq; in quo verſaris, quoniam ſi hoc ad plenum cognoſceres, minimè profectò ita perſtreperet in te ſenſualis appetitus & ad vana quælibet diſtractus ſineretur tuum ſanctum deſiderium diuellere atque diſcerpere. Et hoc quidem intelligere poteris pauperũ ſupra dictorum exemplo. Inſuper & eorum qui carceribus pro crimine detinentur, quorum vtiq; continua eſt expectatio comparendi ante iudicẽ. Quid ſanè tales abſque intermiſſione deſiderant niſi ſuam liberationem? quantumcunque in eis hoc ferueat deſideriũ teſtificantur exteriora quælibet ſigna verbis & operibus, nunc apud iudicẽ, nunc apud cauſarum patronos, nunc apud alios quoſlibet qui præſidio eſſe poſſunt, exhibita. Minimè profectò tunc eis ridere aut iocari libet aut cum ſuis concaptiuis petulanter, aut rixoſè conuerſari, quinimo tota humilitate de ſolis ſuis periculis & miſerijs conferunt, intra ſe pœnitentiam amaram agentes, ſuſpirantes & gementes.

Dic ergo mihi ô anima. Nonne & tu (vt à principio fatebare) es captiua? Sed in quo quæſo carcere? Certè in carne fœda, moleſta, plena obſcuritate miſeriæ & penè infinitæ neceſſitatis, de quo quidem carcere egreſſura es, & diſtricto tremendóque Dei iudicio ſuper tuis mortalibus criminibus præſentanda, vbi non de qualibet morte corporali cauſa verſabitur, ſed æterna. Ignoras autem horam qua porta huius carceris attolletur, vt hinc egrediaris. Quomodo igitur hæc animaduertens poteris tua deſideria alior ſum conferre, præterquam ad ſollicitè petendũ auxilium & liberationẽ, præſertim cũ videas huiuſmodi pauperes tanto ſtudio vacare, immò etiã plerunque per diẽ integrã in vno eodémq; loco reſidere pro bucella panis, aut pro paruo aliquo denario obtinendo.

Cur

Cur igitur non illic figes plenè deſiderium tuum, vbi conſtat plenam ab omni malo liberationem A & ſecuritatem te indubiè reperturam. *Anima*. Talis eſt fateor ô homo mea miſeria, tantúſque meus defectus. Et idcirco vocabo ex nunc, & conabor amplius mea illic deſideria colligere. Cognoſcis tamẽ & perpendis quoniam mihi incumbit corpori intendere, & pro eius ſuſtentatione & alimento frequenter impediri, & varijs inuolui laboribus, ſicque plurimum deorſum in terris verſari, cum ſurſum meritò mens tolli deberet, & ſuis eleemoſynis petendis ſtudioſius intendere.

B *Homo*. Non eſt profectò prudentis ô anima, proprijs negotijs neglectis aliena proſequi, atque ita curam alterius gerere, vt hinc ſibijpſi iacturam afferat grauiſſimam. Suſtentandum quidem eſt atque alendum corpus, ſed longè minore diligentia, breuioréque labore ac remiſſiori ſtudio id fieri poſſet & deberet quam facias. Hoc ſanè eſt quod te turbat & fallit, quia nimis & ſupra quam poſtulat neceſſitas, corpori complacere curas, eique diligentius ſeruire, non attendens illius quam deordinatus ſit appetitus quam inſolens, quam a- C uidus, immo inſatiabilis, ſi illi ad plenum ac de omnibus reſpondere curabis. Erit igitur illi veſtitus ne frigeat, alimentum & paſtus ne fame ſitiq́; pereat. De reliquo pro teipſa ſollicita eris, & velut prudens & fidelis tibijpſi vacabis.

Anima. Ita volo quidem facere ô homo, ſed infeſtum mihi nimis eſt corpus & ſatellites eius, nec quouis modo volunt contẽtari præſentibus, quin immo ſemper rebus nouis inhiant atque indies ſibi aliquid deeſſe quærũtur. Petunt oculi pulchra D vndique intueri, in veſtibus, in equis, in ædificijs, cæteriſque omnibus rebus. Plangit os & importunè clamat dum ſibi vina & eſcæ modis omnibꝰ exquiſitæ atque delicatæ deficiunt. Quid de auribus dicam? quæ vanis ſermonibus detractorijs aut adulatorijs, inſuper & ſonorum reſonantijs atque alijs ſimilibus innumeris petulantijs ſaturati nullatenus poſſunt. Sed heu quis linguam frenabit à ſua clamoroſo ac libero eloquio quem quæſo ſtrepitum, quantum diſturbium quale murmur mihi frequenter concitat? Erubeſcerem pudendos ta- E ctus mores aperire, cuius inſatiabilis eſt appetitus ad lubricas & fœdas, immò abominabiles carnis delectationes. Ideóque affirmo tibi ô homo nullum mihi adeſſe poſſe deſiderium ſanctum quod ſurſum valeat liberè pergere & volare his obuiantibus diſturbijs, quibus intra hoſpitium cordis mei experior velut forum quoddam commune ac theatrum tumultuoſum, quotiens menti deberet dari quies, & per ſanctũm deſiderium in cœlum deportari ad ea peragenda quæ ſuades. F

Homo. Iam reſpondi tibi ô anima atque demonſtraui, quod hæc impedimenta ſuperare poteris, atque ſecura & quieta præterire per intenſum & vehemẽs deſiderium ad tuam in tanto diſcrimine ſubuentionem vnde fiet vt ſub obtentu tam neceſſariæ ſubuentionis cõtemnas planctum & clamorem quantumlibet infeſtum corporis & vaſallorum eius. Et quamuis exempla quę præceſſerunt meritò ad hoc ſufficerent, accedunt tamen adhuc & alia. Animaduertere precor, ſi pauper aliquis vnam ex ſuis ouibus amiſerit, vel ſi domus ſua incendio pereat, vel ſi filius eius morti incumbat, nonne mox omnibus prætermiſſis ouem ſuam diligentiſſimè quęrit, aut occurrit ſuæ domus incendio, vel ſui filij periculo conſulere ſatagit? Minimè tunc aduertit quid ſuum corpus aut ſatellites eius (quorum tantum dixiſti eſſe ſtrepitum) agant aut dicant, ſed omnia illa aure ſurda præteriens, ſuo tantummodo negotio vacat, quin immo nec de qualibet alia re loquentem alium quemlibet nec attendit. Cur igitur & tu, dum es lætaliter ſauciata & perdita per peccatum inſuper & tentationibus prauis æſtuans non poteris tuum conuertere deſiderium ad petendum in tanto tuo periculo ſubſidium. Caue ne tua culpa tibi ſis impedimento quo minus hoc facere valeas dum tuo corpori adminiſtrando, minus prudenter intendis, laxans ſibi nimis habenas, quærens illud non ſolum nutrire, ſed laſciuè tractare atque oblectare nimis ſine modo. Vnde fit vt te & illud perdas & deſtruas, ac tandem etiam cum illo pereas.

Anima. His à te dictis ô homo nequeo contradicere, ex quo vtique amplius mea permaxima innoteſcit miſeria quoniam præter hæc quæ expoſuiſti, conſidero quod dictum eſt in pueris, quos dum matres aliquando ſolitarios relinquunt, mirum videri poteſt quanta deſolatione torqueantur, quam feruenti etiam deſiderio illas requirant, flentes inceſſanter & eiulantes, nec aliud quicquã cogitantes. Quantò magis ego miſera meritò dolorem, & in meo exardeſcerem deſiderio, dum mea culpa me video perdidiſſe meum patrem cœleſtem & ſua gratia priuatam, quæ eſt mea mater & nutrix. Fertur de multis, qui parentibus orbati, vel etiam hæreditate fraudati paterna ſeipſos peremerunt. Legitur inſuper de quamplurimis fœminis, quæ à ſuis derelictæ maritis, per mortem aut aliàs, ſibijpſis necem intulere. At ego heu infœlix perſæpe perpendo me patrem cœleſtem offendiſſe, ac proinde à ſua præſentia legitimè proſcriptã, & paterna hæreditate æquiſſimo iure priuatam, ſed & is qui mihi eſſet ſponſus ob meas inſolentias & lubricas fœditates, me contemnit, abijcit & repellit. Quotiens inuentum eſt vt pro amico perdito alter ſibi necem inferret. Et quis talis ac tantus amicus ſicut dominus noſter Ieſus Chriſtus qui mea pro ſalute mortẽ ſuſcepit, quam nec pro meipſa vellem ſuſtinere? Itaque ſi hæc propter infortunia aut damna temporalia fiant, meritò in tantò meo ſpirituali detrimento mihiipſi dabo vexationem, eróque ſupra modum dolens & triſtis. Quo non obſtante loquar ad te confidenter, & exponam quid in hac re aliquando mihi contingat. Inuenio enim dum per deſiderium clamo ad dominum & ſanctos auxilium petens, de ſuper nullam adeſſe conſolationẽ, nullum meis neceſſitatibus afferri præſidium. Vnde fit vt remaneam apud me frigidior ac minus feruida ad eos deprecandum & orandum.

Homo. Non hinc miraberis ô anima quoniam ita diſpoſuit aut permittit fieri Deus propter alteram cauſarũ quas exponam. Vna quidem eſt propter tuam inſtructionem, vt ex hoc videlicet officium mendicandi tibi plenius innoteſcat. Sic enim mox te petente petita acciperes, tunc vel donum Dei paruipendens, ad alia facilè tua diuerteres deſideria, vel Dei beneficio ingrata, ſuſceptum gratiæ munus iuſta viciſſitudine perderes, per quod & te

Digitized by Google

diuinis redderes indignam beneficijs. Frequenter id fieri videmus apud homines, vt his qui beneficia citò ſuſcepta paruipẽdunt, petita vel denegentur, vel difficulter & tardè concedãtur, quaſi vana & indigna ſit talibus facta donatio. Quemadmodum etiam mater aliquotiens infantem ſuum propter eius abſentiam eiulantem, ad tempus relinquit ſolum, vt poſtmodum apud eam diligentius remaneat eique inhæreat feruentius. Contingit etiam vt delectet aliquando filiorum amorem per hoc experiri, & experto dolore maternę abſentiæ, maiorem ad eos excreſcere dilectionem. Ita quidem diuinum indultum differri putandum eſt aliquando, vt hinc tua innoteſcat diligentia, humilitas & patientia vnde perpenditur an vera ſit tua paupertas an ficta. Nam & ſic fieri comperimus apud pauperes huius mundi quos per longam expectationem tentari cernimus, an vera ſit vel ſimulata eorum paupertas. Quos enim deſides, impatientes & murmurantes cum indignatione & contemptu dilatæ donationis inſpicimus, hos indubiè ſimulatores paupertatis iudicamus. Ita & apud quoſdam hypocritas contingit, qui ſeipſos intra ſe iuſtificant, & cum ſe opulentos virtutibus iudicent, nullius diuini doni ſe egere pręſumunt, quamuis verbotenus contrarium ſimulent. Deus autem qui ſcrutatur profunda maris hanc eorum ſuperbam ſimulationem agnoſcens, per longam expectationem eos miſericorditer ad patientiam & humilitatem reducit, dum in hac dilatione ſuæ miſeriæ atque indigentiæ facit eſſe certiores.

Animæ. Quomodo quæſo fieri poteſt ô homo, vt anima aliqua ſe diuitem & potentem arbitretur, quę ſe tot miſerijs, anguſtijs, carceribus, indigẽtijs, periculíſque grauiſſimis videt obnoxiam?

Homo. Meritò profectò obſtupeſcis anima ſuper hac temeritate ſuperbiſſima. Eſt nihilominus ita vt aſſerui. Tunc propter negligẽtiam & incuriam petendi auxilium deſuper, quam vtique deſidiam minimè incurreret anima, ſi eius miſeriam & deficientiam attenderet. Tum propter ſummam indignationem quam aduerſus eos conciperet, qui ſibi ſuam paupertatem & miſerabilem conditionem commemorarent, eam vt verè eſt peccatricem aſſerentes, quam nihilominus verbis ſimulatorijs profitentur. Nam ſi ex conſcientia veræ humilitatis hoc facerent, quid cauſæ eſſe poſſet vt poſſet vt eos indignè ferret qui propriæ ſuæ conſcientiæ teſtimonio concordarent? Non mirum igitur ſi taliter anima diſpoſita minimè diuinum indultum ſuſcipiat, & gratiæ impetret alimoniam, cum ſe nec illius indigentem recognoſcat, immò plena manu adueniat peritura. Ita ſanè non iniuria repelluntur mendici quæſtuarij & fraudulenti, qui cum abundare cognoſcantur, ſe fingunt verbis & ſignis mendacibus deficere.

Eſt & altera cauſa cur non ſtatim exauditur anima, vt videlicet congruo tempore ſecundum occulta ſua iudicia, Deus tribuat quod mox concedere non expediret, vel ſic anima ſtudioſius vacet, & ſine intermiſſione ſingulis horis annonam cœleſtem expectet, & non torpeat certificata de tempore indubitato beneficæ perceptionis. Eſt deinceps & alia huius dilationis cauſa vt ſic Deus moram faciens, tunc primum cum videbitur inurbanus denegator, vberius ſua dona largitur, ſicut frequenter pauperi diutius
A tardanti, & etiam iniurias & opprobria humiliter & æquanimiter toleranti pinguior accedit largitio. Contingit etiam hinc rationabiliter pauperem aliquem à perceptione eleemoſynæ repelli, quia cognoſcitur alijs quæ poſſet & deberet impendere pietatis officia denegare. Ita nimirum accidit animæ contra proximum induratæ, quæ ſuis debitoribus nihil vult dimittere nihílque largiri petentibus. Interdum etiam fit vt ſtudioſè pauperi alicui hoc ipſum neſcienti, larga manu
B ſuccurratur, ſubtiliter ac occultè ſua munera in domum eius inferendo, vt fecit beatus Nicolaus vel etiam amicis ſuis tradendo, quatenus ei prout viderint opportunum fideliter adminiſtrent. Et hoc fit plerúmque dum talis pręſumitur perceptis donis non benè vſuris, ſed vel ad faſtum conuerſurus vel ad voluptatem. Poteſt & huiuſmodi dilatio diſpenſatione diuina contingere, quæ maiora & largiora pręmia reſeruat ſuo tempore conferenda, ad modum quo pater filio non ſtatim hæreditatem ſuam largitur, ſed ei vſque ad annos
C pubertatis legitima ordinatione reſeruat. Tardat etiam aliquando Deus petita largiri, quia cùm ſint nimis exigua quæ petũtur, vult congruo tempore maiora tribuere ad inſtar regis magnifici, qui ſuum aliquem prædilectum ſeruitorem humile aliquod officium, clientelæ petentem, non audit, volens & intendens eum ad altiora promouere. Contingit præterea ideo etiam aliquando non exaudiri petentem, quia propter ingratitudinem præteriti beneficij ſe indignum fecit ad perceptionem
D futuri, ſicuti ſi pauper aliquis mox dum eleemoſynam acceperit ſe à donante auertat, nullam viciſſitudinem honoris aut gratiarum actionis ei tribuens qui tamẽ antequam acciperet ſummam humilitatem fingebat. Sed & fraudatur aliquando quis ſuæ petitionis effectu, quia mens petendo cogitatione vel locutione auertitur à Deo ad terrena penitus diſtracta, velut Deo exhibens manum ad reſpiciendum, & ad mundum faciem conuertens, quod vtique permaximè diſcõuenit pauperi mendicanti vel reo criminis eleemoſynam aut gratiam
E requirenti. Contingit inſuper aliquando, quia talem orantem habet Deus velut prophanum & excommunicatum aut nolentem audire ipſum loquentem in ſuis ſermonibus & ſcripturis, ſicque nimirum Deus talem ſpernit in ſuis petitionibus. Contingit denique hoc aliquando quia talentum creditum reconditur, & non multiplicatur ad intentionem donãtis per bonum vſum illius, quemadmodum pater minimè daret filio centum libras ad vſum negotiationis, quem non ſperaret nego-
F tiando aliàs centum ſuperlucraturum. Et eſt itaq; nobis ſpiritualis negotiatio cum Deo, videlicet donis ſuis benè vti & vigilanter operari.

Anima. Sunt (vt ex te audio ô homo) iudicia Dei plurimum admirabilia, & circa meas petitiones iuſtiſſima. Animaduerto enim quod frequenter Deus mihi petita mea concederet iratus multum & indignatus, quoniam hæc conceſſio plerumque eſſet mihi nociua & damnabilis. Magis itaque mihi cõuenit ſæpius tardare & dilationem ferre, nec ideo multum animo exultare & confidere, ſi quandóque me perpendo exauditam, ne forſan hæc ſit mea merces, & illa futura æterna

iuſto

Digitized by Google

iuſto Dei iudicio denegetur. Nec etiam ideo par-
te ex altera nimium deijci & contriſtari, ſi non
ſtatim me contingat exaudiri,ſed potius hinc con-
ſolari & ſperare, quoniam hoc nouit Deus ad ſa-
lutem meam expedire. Comprehendo itaque ex
cauſis quas expoſuiſti plures conditiones in ora-
tione mea obſeruandas, puta quod fiat ſtudioſè,
fructuoſè & veraciter abſque fictione, proteſtan-
do & recognoſcendo propriam paupertatem &
miſeriam more pauperum mendicorum qui plenè
detegunt & declarant omnem ſuam impotentiam
& læſionem, ex hoc ſperantes facilius ac celerius
miſericordiam conſequi à diuitibus ſibíq; ſubue-
niri,immo ſub hoc interuentu tacent & occultans
quamlibet in eis incolumitatem. Erit inſuper o-
ratio mea cum patienti expectatione. Fietque in-
telligibiliter & perſeueranter, lætanter ſuſpiciet
datum cum gratiarū actione, & beneficij accepti
per bonum vſum multiplicatione.

Sed hic mihi duo ſurgunt dubia. Videmus enim
libentius abundantiúſque ſubueniri à diſcretis &
pijs diuitibus, pauperibus verecundis œconomis,
qui publicè petere ex honeſtate formidant, quam
alijs publicè & inuerecundè petentibus ſuámque
penuriam in aperto prædicantibus. Videtur præ-
terea plurimum oneroſum ac tædioſum, ſi tam
frequens tamque aſſidua (vt aſſeris) debeat eſſe
oratio. Vnde redduntur ex hoc plurimum pau-
peres diuitibus huius ſeculi odioſi, quia importu-
nè nimis petunt, quaſi de nullo contenti, nec ce-
dentes dum petita denegantur aut recuſantur.

Homo. Magna eſt ô anima diuerſitas hic conſi-
deranda inter diuinam & humanam largitatem.
Primò quidem quoad notitiam, ideo enim diui-
tes huius ſeculi denegant aliquando mendicis pa-
lam petentibus,quia in ipſis plurimi ſunt decepto-
res & ſimulatores, qui datis ſibi eleemoſynis ab-
utuntur,vel etiam aliunde abundantes alieno non
egent auxilio. Et propter hanc fraudem ſæpe de-
trimentum ſuſtinent veri & boni pauperes. Non
ita res agitur cum pauperibus œconomis, quam-
uis & illi ſecretam ſubuentionem à diuitibus ſpe-
rantes, ſubtiliter ſuas exponūt aut exponi faciunt
neceſſitates, licet cum quadam verecundia quæ
aliquando ex ſuperbia procedit, quæ vtique de-
teſtanda eſt, aliquando autem ex humilitate qua
etiam humilitate Deum exorando vti potes &
debes. Non enim tua peccata quibus pauper de-
gis omnibus detegis,ſed his ſolis qui tibi poterunt
eſſe auxilio & ſub ſecreto, quibus cum Deus ea
velit ad tuam ſalutem prodi, ſi celata ſeruares,
pernicioſè ſuperbéque vtique venires arguenda,
puta ſi in confeſſione veritatem taceres.

Secundò perpenditur dicta diuerſitas quantum
ad donantis poteſtatem. Importuna enim peti-
tio, ideo diuites huius ſeculi contriſtat & à do-
nando retrahit quia non omnibus ſubuenire poſ-
ſunt,& cunctis eorum adeſſe defectibus,nec enim
ad hoc quantumlibet immenſæ copiæ ſufficerent.
Alia longè eſt diuinorum & magnificentiæ Dei
conditio, qui abſque detrimento ſui omnibus dat
affluenter, promptiórque eſt ad dandum, quam
ſumus ad recipiēdum, ideóque vult te ſemper eſſe
per ſanctum deſiderium diſpoſitam ad ſuſcipien-
dum dona ſua. Quantò enim ea feruentius deſi-
derabis & petes, tantò abundantius accipies, ſicut
quò ſoli corporali amplior aperitur aditus, eò co-
A pioſius lumen eius percipitur. Laudabis igitur do-
minum & perſeueranter, immo inceſſanter exo-
rabis admodúmque cauebis ne aliquando menti
ſurrepat de teipſa grandis opinio, quaſi diues ſatis
effecta ſis, non amplius egens mendicare. Quini-
mo quò plus augebitur donatio, eò erit inſtantia
frequentior, quoniam tunc amplius egebis gratia
Dei ad conſeruationem donorum eius,inſuper &
ad bonum & legitimum vſum eorumdem, ſine
cuius vtique præſidio continuò,mox totum amit-
B teres quod prius acceperas, fientque deteriora
nouiſſima prioribus, & eſſes ſolito pauperior.
Vnde fit vt nullus inueniatur tam periculoſus tan-
quam latens & inſidioſus hoſtis tuis percipiendis
eleemoſynis quam ſuperbia, quæ vt plurimum ex-
pellit, exufflat & abijcit de manibus quicquid di-
uinitus conceſſum eſt. Prudenter igitur ages tibi
ab hoſte toto ſtudio præcauens.

Anima. Satisfeciſti iam homo meis dubitatio-
nibus, reſtat vt rurſus te interrogem apud quos
C me conferam pro meis ſuſcipiendis eleemoſynis,
an ad Deum (à quo omne datū optimum & do-
num perfectum) ſufficiat abſque medio proficiſci.
Quæ inſuper ad hoc hora ſit aptior,& quis locus?

Homo. Attendere debes ô anima quod ægrotus
aliquis vilis & fœdus aut ſcurra aut morti cōdem-
nandus vel quilibet alius ſimilis nequaquam præ-
ſumeret in conſpectu alicuius excellentis princi-
pis abſque medio ſeipſum exhibere præcipuè dum
deputati ſunt alij quo tales audiant & eis patroci-
nium impendant. Tibi igitur ſuadeo vt mediato-
D rem recipias ad ſanctos te cōuertens quorum ſuf-
fragijs apud Deū te quæſtues. Hoc ſanè tua exigit
humilitas, hoc fieri vult Deus, ad honorem San-
ctorum. Conſidera hoc in curia alicuius regis in
quo foriſfactor aliquis foraneus qui videlicet non
eſt curiæ domeſticus non ſtatim ad regis præſen-
tiam ſe confert,ſed ad aliquem domeſticum curię.
Et aliquotiens ſtudioſè quæret ex minimis vnum
puta ianitorem per quem ad maiores dirigatur, &
ſic tandem vſque ad regem perueniat. Nec tibi
mouebis ſcrupulū dum aliquem Sanctorum ſpe-
E cialiter tuum mediatorem recipies quaſi cæteri de
hoc velut inuidi turbentur: Tanta quippe chari-
tas ac dilectio verſatur apud eos, vt eorum peni-
tus ſit idem velle, atque per hoc quod vnus orat
& deſiderat alter. Liberum ergo erit tibi pro tua
deuotione ad quemcumque ſanctum ſpecialiter
recurrere in tuis opportunitatibus ſecundū quod
ad hoc te inclinabit conſideratio virtutum & do-
norum,quas in tali ſancto,cognoſcis floruiſſe.Cui
quidem ſancto conſulto te cōmittes tanquam tuo
F protectori ac directori nec tamen propterea cæ-
terorum negliges auxilia poſtulare. Quæſiſti au-
tem quis ad interpellādos ſanctos locus habeatur
idoneus? Eſt profectò omnis locus aptus oratio-
ni Dei & interceſſioni Sanctorum. Templa tamen
Deo & ſanctis dedicata ſpeciali cōgruitate ad hoc
deputantur, in quibus quoniam nomine totius
Eccleſiæ fiunt orationes ſunt virtute & meritò
præſtantiores. Sic & de tempore de quo etiam
mouiſti quæſtionem ſentiendum arbitror. Depu-
tati ſunt quidem ad orationē ſpecialiter feſti dies
& ſolennes, quibus etiam frequentius dona gra-
tiarum diuinitus immitti credūtur. Experimento

Digitized by Google

enim certiſſimo didicerunt plurimi, diebus his vberibus ſe diuinitus adiutos & conſolatos, nec huius aliam ſcirent aſſignare rationem præter diuinam magnificentiam & liberalitatem inſuper & Sanctorum interceſſionem copioſam.

Anima. Vellem præter hæc adhuc ô homo ex te informari ſi mihi liceat & expediat pios homines adhuc in ſeculo viuentes deprecari atq; etiam in eorum interceſſionibus confidere, præſertim quia meo iudicio in præſenti exilio nemo eſt qui ſuperabundet, & non ſatis opus habeat is quæ poſſidet, vixque ſibi ſufficiat vnuſquiſque vt quod ſat oret pro ſeipſo.

Homo. Tam grata tam dilecta Deo eſt charitas mutua fratrum ô anima vt eis mandatum dederit pro inuicem orare. Et contingit quod vnus exaudiatur orans pro altero qui non exaudiretur orans pro ſeipſo. Hac (ni fallor) ratione quia is alter pro quo orat eſt in charitate, cum tamen ipſe qui orat ſit peccato mortali obnoxius & gratia priuatus. Sed optimo iure voles vt ex ore infantium tua deprecatio dirigatur in conſpectu domini, etiam ſi quod dicant penitus ignorent dicendo? Pater noſter pro te & ad tuam inſtantiam. Facti enim ſunt per regenerationis lauacrum filij adoptionis & regni, ac per hoc Deo in ſuis orationibus accepti. Sicut ſi filius regis nondum annos intelligentiæ attingens offerat patri ſupplicationem alicuius malefactoris, non vtique repelletur à patre vacuus, & ſi neſciat quid ipſa res importet. Quam profectò ſupplicationem ſi per ſe malefactor porrexiſſet, mox à facie regis eiectus, grauiorem forſan indignationem incurriſſet. Hac conſideratione mota perſona quædam mihi nota per pueros innocentes pro ſe orari & dici pater noſter diſponebat. Et licet vt dicis vix ſatis quilibet ſibi ſufficiat, nihil tamen iuſto aut cuilibet alteri deperit, dum pro alijs orat, quin immo ex charitate hoc faciens, apud Deum abundanter in merito proficit. Conſidera etiam quis aditus eſt iuſtis apud Deum exorandum, per miracula quæ legimus vicibus innumeris ad eorum preces facta. Conſidera inſuper quod quantumcumque grauis peccator, ſi id boni faceret quod iuſtus quilibet etiam ſi tantum ad horam fecerit ita moriens indubiè ſaluaretur. Quãtum ergo valebit deprecatio iuſti aſſidua qui triginta vel quadraginta vel pluribus annis in bonis vita perſeuerauerit & profecerit.

Anima. Benè mihi prorſus hæc quæ dicis placent ô homo atque tecum ſentio quod frequenter miſericors Deus alicui ſubuenit non ad ſuas ſed alterius preces, quamuis hoc ita fieri is qui iuuatur ignoret. Ita inquam ſentio & ſentire debeo indéque maiorem humilitatem concipere. Sed & propter hoc iam cognoſco plurimum ad ſalutem prodeſſe pro inuicem orare idque fieri ab inuicem expoſcere, præſertim quia ſtabit aliquem ad horam eſſe in gratia altero non exiſtente. Quod ſi vterq; ſit in gratia tanto cenſebitur oratio amplius vndique valitura. Hoc enim cõſidero in eleemoſyna dum per aliũ fieri mandatur, quę vtique fructuoſa erit, ſi alter eorum fuerit in gratia ſcilicet, vel mandans vel exequens, fructuoſior tamen ſi vterque. Sed & oculum conuerto ad illos quæſtuarios & procuratores hoſpitalium aut captiuorum, quibus ſatis abundéque datur eorum intuitu pro quibus petunt, cum tamen nihil eis pro ſe petentibus da- A retur immo forſitan turpiter abigerentur. Et nihilominus hi quæſtuarij partem diſtributionis accipiunt. Ita ſanè concipio multum vtile ac tutum eſſe pro alio & pro inuicem orare. Sicut etiam in corpore membra ſe inuicem iuuant, & mutuò tribuunt alimentum, dum ſanguis & ſpiritus ab vno defertur ad alterum. Ita & in corpore myſtico & ſpirituali quod eſt Eccleſia vita gratiæ diriuatur à capite Chriſto per glorioſam eius matrem quæ eſt velut collum, & per cæteros ſanctos Dei & quoſlibet alios quoquomodo ad corpus hoc myſticũ B pertinentes. Vnde etiam rurſus concipio quod ſemper proficit oratio facta pro exiſtentibus in purgatorio quos conſtat eſſe in gratia. Si præterea nihil præter diuinum mãdatum moueret ad orandum pro altero adhuc ex hoc ſic orare prodeſſet. Valet etiam ſemper oratio nomine Eccleſiæ facta, puta cum dicitur officium canonicum aut Miſſa celebratur. Credo tamen quod opus pœnale factum pro altero per modum ſatisfactionis non æquè valet ſatisfacienti ad ſatisfaciendum pro ſe- C ipſo, ſicut ſi ex intentione hoc tantum pro ſeipſo faceret. Poteſt tamen & ſic plus vel æquè valere quantum ad meritum & gloriæ incrementum.

Homo. Sunt hæc tua dicta ô anima & dictis meis & rationi conſona. Verum aliquid vnum adhuc mirabilius conſiderabis. Frequenter enim vtilior & efficacior ad impetrandum eleemoſynam gratiæ redditur oratio in communi cœtu peccatorum facta quam ſeorſum in priuato ſicut & eleemoſynam corporalem ſecurius & promptius per- D cipiunt pauperes minus abiecti minúſque debiles, dum debilioribus deſpectioribus & miſerabilioribus ſociati, communiter cum eis petunt. Ita vt inquit Apoſtolus vbi abundauit peccatum ibi ſuperabundauit & gratia. Non ergo fugiendi ſunt peccatores in ſuis orationibus, niſi forſan ſint per Eccleſiam excommunicati. Nec ſolum corporaliter hoc modo cum peccatoribus eſt communicandum, immò & ſpiritualiter ſecundum mentem ſurſum cum eis in oratione intentio ad Deum habenda eſt.

E *Anima.* Volo igitur ammodo ô homo & pro alijs & cum alijs orare faciendo quæſtum magni illius ac generalis hoſpitalis totius mundi, in quo decumbũt innumerabiles ægroti varijs languoribus laborantes. Nemo quidem hanc mortalem vitam ducens ab hoc hoſpitali exemptus eſt, ſicut nec ab infirmitate penitus immunis, licet ſecundum plus & minus. Vnde ſemper mihi adeſt opportunitas quæſtum meum proſequendi & petendi ſpiritualem eleemoſynam, tum pro me, tum pro aliqui- F bus, tũ pro omnibus in hoc hoſpitali degentibus. Præſertim quia id cæteri pro me faciunt, & mutuũ ſuffragium cõmmunis expoſcit charitas. Si mihi facultates ſuppetunt ad vitæ huius onera ſuſtentanda abſque graui & aſſiduo labore ſurgit hoc haud dubiè ſub Deo principaliter agente, per labores & operas aliorum tam principum qui tuentur & protegunt, quam minorum qui laborant & procurant, quod & de bonis ſpiritualibus ſentire debeo. Incumbit etiam mihi frequenter in illum duriſſimum purgatorij carcerem ingredi, in quo plurimæ detinentur pauperes animæ grauiſſimis ardoribus ac pœnis intolerabilibus afflictæ, quæ

nec

Digitized by Google

nec ſibi ipſis opem ferre poſſunt quæ tamen ſua purgatione completa carcerem hunc egreſſæ atq; in gloriam aſſumptæ pro me vtiliter orare valebunt. Cæterum dic mihi homo, quemadmodum loquendi obſeruabo hanc (vt propoſui) faciendo meam quæſtuoſam proceſſionem.

Homo. Ad hoc tibi ô anima reſpondeo quod benè atque intensè deſiderare eſt vehementer ac efficaciter loqui. Fitque hoc aliquando abſque exteriori quolibet ſono. Aliquando autem erumpit exterius in gemitibus & ſuſpirijs, in planctu, in lachrymis in manuum torſione, in ſublimatione oculorum, in tunſione pectoris, in clamoribus doloroſis, abſque tamen diſcretione ſermonis eo pacto quo beſtiæ & infantes ſuos dolores inſinuant. Aliquando verò vocalis exprimitur oratio per aliquem alium facta, ſicut magnus ille magiſter & miniſter magni huius hoſpitalis, de quo ſermo habitus eſt, nos orare docuit & dicere: Pater noſter, & cæt. Vnde hæc erit præcipua & ſpecialior noſtra oratio, vtpote omnium à Deo legitimè petendorum comprehenſiua, eique qui illam inſtituit acceptior ac per hoc exaudibilior. Aliquotiens autem intermittendus eſt luctus & dolor, & animi ſobria tamen & humilis lætitia ſuſcipienda, in qua anima ſuę paupertatis aliquantulum oblita, ſuſpenditur in diuinas laudes, & meditabitur magnalia Dei & ſanctorum ſuorum. Huius vides exemplum in magnis ſolennitatibus domorum curialium quæ dum celebrãtur adſunt & pauperes exterius, non vtique continuè pro eleemoſyna queruloſè proclamantes, immo in ianuis moram facientes ſtudioſè quæ illic fiunt oculis atq; auribus explorant de quibus inuicem conferunt & nihilominus poſt hæc eleemoſynam percipiunt. Inſuper videas & alios aliquos in ſua paupertate cum muſicis inſtrumentis ludentes aut canentes, nunc cum muſa, nunc cum vigella, nunc cum cymbalo, &c. quibus congratulantur diuites & domini, per hoc eorum commendabilem patientiam conijcientes dum eos in ſua ſimplicitate & humilitate vident æquanimes & iocundos, nec eorum inuidentes (immo congaudentes) fortunis, ſicut & in natiuitate filij regis omnes debent exultare omnéſque confluere. Sed & aliquando adueniunt pauperes gratias pro ſuſceptis eleemoſynis reddituri, quibus nihilominus æqua vel abũdantior eleemoſyna tribuitur vt cæteris petentibus. Quibuſdam etiam aliquando ſufficit vt ſeipſos tantummodo præſentes exhibeant, & ſuas detegant plagas. Sed & tympanum aliquando vel ſonorum quodlibet aliud inſtrumentum perferunt, vt hinc vel defectum clamoris ſuppleant vel maiorem prouocent compaſſionem. Sunt & alij qui maiorem ſimulãt paupertatem ſeipſos vel verberando vel lacerando, ſicut & quidam deuoti ſibi inferunt vel inferri faciunt diſciplinas & correctiones quibus emolliatur duritia cordis eorum & prouocentur ad deuotionem & pietatem. Ex his ſatis apertè potes intelligere quam varij ſint modi ſe apud Deum & ſanctos quæſtuandi, nunc in dolore & timore diuinæ iuſtitiæ, nunc in lætitia & conſolatione ſpei ſuæ, nunc inſuper & in gratiarum actione laude veneratione atque dilectione ſuæ bonitatis & largitatis. Et hoc fit non modo voce humana, immo etiam alijs ſonis quibus vtitur Eccleſia puta campanarum aut organorum, A nihil quippe eſt quod non legitimè poſſis ad tuam vtilitatem conuertere, & per hoc te reddere idoneum ad ſuſceptionem ſpiritualis eleemoſynæ diuinæ gratiæ. Sed circa hoc diligenter caue tibi ne deſperes ex pondere triſtitiæ, neue in ſublimitate lætitiæ ſuperbias. Verum & ſub vno colligam omnia, is orat aſſiduè qui bonum quodlibet opus benè facit ſcilicet ad gloriam Dei, ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue etiam dormiat, quando videlicet quis ſe ſomno tradit vt hinc poſtea diuino B reddatur aptior obſequio.

Anima. Scirem libenter ô homo cur frequenter, ſub forma orationis dicuntur plures Pſalmi, qui nihil vt plurimum ad rem pertinent pro qua orandum eſt. Sæpéque accidit vt is qui hos pſalmos canit aut dicit, ignarus eſt & indoctus ſermonem Latinum ignorans ac per hoc nullum pſalmorum habens intellectum.

Homo. Ita enim anima, non enim ſemper vniformis eſt impetrandi modus, vt circa ſeculi principes C aliqualiter eſt ſuperius declaratum, quod & Hugo de ſancto Victore latius declarat. Et pro compendio tria ſunt quæ præcipuè conferunt ad inclinãdum maioris alicuius animum & fauorem illius procurandum ad ſuum ſubditum. Vnum eſt dum ſubditus ipſe illum vehementer laudat & virtutes eius extollit, magnitudinem, opulẽtiam, bonitatem, manſuetudinem, largitatémq; prædicat. Et per hunc modũ oratio dirigitur ad Deum non expreſsè aliquid ab eo petendo, ſed tantummodo pio & humili corde laudes eius depromendo, quã D puta dicendo quam pius quam magnificus quam manſuetus quã benignus es domine & ſic de alijs eius infinitis laudibus. Alterum eſt dum illi aduerſariorũ ſiue hominum ſiue dæmonum cõmemoratur tyrannica crudelitas per quem modum plures orationes traduntur in pſalterio. Tertium eſt, dum is qui impetrare deſiderat, ſuã proteſtatur miſeriam, paupertatem & anguſtiam, commemorans ſe cum ſit debilis & imbecillis, omni opere, omni conſolatione deſtitutum, & hæc eadem aliquando in alijs eſſe commemorat, propter quod E nullum ſibi ab homine, ſed à Deo ſolo expectat auxilium. Et fit aliquando huiuſmodi oratio abſq; expreſſa aliqua petitione, nudè & ſimpliciter tales & ſimiles defectus & neceſſitates aperiendo. Et hoc vel quia ſe indignum impetratione iudicat, vel quia propter eius magnitudinem rem deſideratam non audet exprimere. Qui diligenter ſcrutatur ſcripturas, nihil in eis inueniet quod non ad alterum horum trium modorum orandi reduci poſſit. Super quo adiungo quod nec in F orando ſemper vno modo diſponitur orantis affectio ſeu deſiderium, quin immo multiuariè variatur, & nihilominus manet recta & fructuoſa, quemadmodum ipſa oratio, quæ ad veritatem nihil aliud eſt quam humilis & deuota affectio in Deum finaliter relata. Aliquando igitur ſiſtit affectio in quadam profunda reuerentia & ſubiectione ad Deum, diuinam ex vna parte conſiderans altitudinem, & ex alia miſeriam fragilitatis humanæ, ſicut ſi aliqua humilis perſona magnum aliquem imperatorem haberet obuium, mox ſe diligenter retraheret, & profundè inclinaret totáque tremebunda ſe quoad poſſet in

Digitized by Google

ſuum contraheret locum. Plerúmque autem affectio reſidet in timore, dum tremenda Dei iudicia profundè conſiderat quæ aduerſus impios hic & apud inferos exercet, ſicut cum princeps aliquis aduerſus ſuos ſeruitores grauiter indignari percipitur, cæteri omnes contremiſcunt etiam ſi nullius offenſæ ſibi conſcij ſunt. Eſt & alius affectionis modus, qui per conſiderationem propriorum defectuum, quibus noſtris viribus occurri non poteſt ſummam ſibi ſuadet humilitatem. Surgit & aliquando in affectione motus vehementis anguſtiæ atque anxietatis nimiæ, dum ſe quis perpendens vndique diſcriminibus inuolutum & circunductum, remanet in ſeipſo ſtupidus, neſciens quò diuertat & qualiter effugiat.

Erumpit etiam aliquando in affectu cordis motus quidam languoris qui ſermone exprimi nequit, ſed ſuſpirijs, gemitibus, continuíſque planctibus aut etiam ſubitis & grauibus clamoribus innoteſcit, ſicut de pueris & beſtijs in tædio conſtitutis ſuperius exemplificatum eſt. Ingeritur quandoque affectui motibus ruboris & verecundiæ, dum in mentem venit turpido & fœditas ſui peccati, inſuper & ſua ingratitudo apud cœleſtem patrem & dominum, à quo tot & tanta beneficia percepta ſunt. Concipit etiam aliquando affectus odium quoddam ſuiipſius, dum quis ſuos miſerabiles defectus & caſus conſiderans ſibijpſi diſplicet, ſéq; abominatur & deteſtatur, adeò quod ad inſtar fœtidi cadaueris ſibijpſi fiat intolerabilis. Format & aliquādo in ſeipſo affectus zelum quendam & indignationē laudabilem aduerſus peccata ſua aut aliorum, & ob id ſeipſum per pœnitentiam perſequitur & punit. Eſt & affectio quandoque zelotypa circa ſe & alios, ex quo fit vt ſtudioſè peccatorū diſcrimina & opportunitates deuitare conetur, quælibet ſalutis ſuæ aut alienæ detrimenta repellere, ſicut vir zelans vxorem cautam adhibet cuſtodiam ne turpe aut ſuſpectum admittat cōſortium. Commouetur aliquando animus affectu quodā pietatis & cōpaſſionis ſeu miſericordiæ ad ſe vel ad alios, qui ſurgit plerūmq; ex commemoratione humanæ fragilitatis parte ex vna, & periculorum quibus omnes incumbimus parte ex altera, vbi nihilominus pauca vel nulla ex nobis parata ſunt remedia. Suſpenditur aliquando affectus in admirationem grandem dum videlicet altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei incomprehenſibilium iudiciorum eius ad mentem reuocat, in tantúmque aliquotiens hæc meditatio mentem ad ſe aduocat & ſurſum rapit vt ſenſum & memoriam derelinquat, & fiat velut deſipiens & inſana. Concipitur aliquando in affectu motus ſanctæ confidentiæ & bonæ ſpei in Deum & ſanctos, dum ea præcipuè beneficia ſuæ largitatis recogitantur, quibus nos adiuuant & tuentur. Accedit aliquando eiuſdem ex ſuorum maleficiorum commemoratione pœnitentiæ & contritionis affectio. Superuenit etiam quandoque in affectu motus cuiuſdam bonæ deſperationis, dum conſiderans quod vana ſpes eſt hominis in ſolum Deum ſe proijcit eiq; ſoli finaliter & principaliter inhæret. Oritur quaddoque in affectu motus horroris & abominationis ſurgens ex conſideratione vilitatis & turpitudinis peccati, quam turpitudinem facit hæc affectio per os euomere per ſincerā confeſſionem. Subintrat quan- A doque affectum motus ſancti deſiderij vel ſanctæ cupiditatis veniens ex conſideratione diuinæ pulchritudinis & excellētiæ gloriæ cœleſtis, ad quam videndam & habendam totis aſpirat conatibus.

Ingreditur aliquando mentem affectio quædam ſpiritualis & ſobriæ cuiuſdam complacētiæ quam ſibi legitimè ſuadet dum ſibi cōplacere perpendit in Deo domino & in gloria eius, inſuper & in quibuſlibet ſuis operibus. Quæ quidem ſpiritualis iocunditas aliquotiens in tantum robur excreſcit, vt B verbis exprimi minimè queat, ſed ſub ſignis quibuſdam ad extra prorumpit, vt puta ſub iocundis ſuſpirijs & gaudioſis ſingultibus. Vocatur autem hæc plerúmque affectio mentis interna iubilatio ſeu exultatio. Exurgit aliquando affectio laudis benedictionis & glorificationis, commemorando dignitatē Dei inæſtimabilem & aduocando creaturas omnes vt laudēt eum & exultent in nomine ſancto eius. Adeſt etiam aliquādo affectus recreationis in diuinis beneficijs, quæ modis innumeris indies percipimus. Excitatur aliquando affectus C in feruorem diuini amoris per conſiderationem immenſæ ſuæ bonitatis. Et eſt altiſſima perfectiſſima & digniſſima in cęteris affectionibus, ad quam nihilominus tutè & perfectè hi ſoli pertingunt, qui prius cæteris exercitati ſunt quaſi per illas purgati & conuenienter præparati, quoniam ſecundum declarationem beati Bernardi per illos oſculamur pedes & manus, per hāc autem ad oſculum oris accedimus. Hæc ſiquidē ſancta affectio mentem Deo ſummè approximat & domeſticam facit, D & velut ſponſam ei copulat. Ex pluribus iam dictis facilè perpendens cur ſimplices & illiterati laudabiliter & fructuoſè ſuadentur frequenter dicere orationes quas minimè intelligunt. Hoc enim fit vel vt hoc agentes Deum venerentur aut laudent, aut ei gratias pro beneficijs rependant ſub ſanctis & ſecretis verbis per os Prophetarum & Sanctorum reuelatis, vel etiam vt Eccleſiæ obediant aut ſuo confeſſori. Accedunt etiam & aliç cauſæ quas perpendis adeſſe dum huiuſmodi orationes deuotè dicuntur.

E *Anima.* Declaraſti mihi iam ô homo quam plurimos mendicitatis modos inſuper & orandi, & varios affectus formādi doctrinam tradidiſti perutilem, nunc reſtat vt ex te audiam ſi quotidiana mihi erit aliqua vna oratio quæſtuſue vnus quotidianus apud omnes ſanctos ſimul obſeruandus, quas etiā eleemoſynas ero in hoc quæſtu petitura?

Homo. Poteris anima in hoc modum quemlibet obſeruare prout tibi videtur magis opportunum magíſque fructuoſum pro conuenientia tempo- F rum & locorum & neceſſitatum quibus eris obnoxia, vel altera quælibet perſona pro qua orare voles. Debes igitur toto ſtudio tota diligentia diſcere quæ ſint ſeptem dona gratiæ præcipuè in tuis orationibus petenda, puta virtutes theologicæ, fides, ſpes, charitas, & virtutes quatuor cardinales, temperantia, prudentia fortitudo & iuſtitia, qui ſint inſuper ſeptem Spiritus-ſancti dona, ſeptem beatitudines, ſeptē petitiones in oratione dominica expreſſę, ſeptem miſericordię opera ſpiritualia & corporalia, decem præcepta legis. In his tua verſabitur meditatio & ſecundum tuam opportunitatem aduerſus morbos varios peccatorum

&

Digitized by Google

&periculorũ & tentationum quibus te ſubiacere cognoſces tuam formabis orationem. Diriges etiam frequenter oculum tuæ conſiderationis ad illam ſeptem capitalia vitia, ad illos inſuper multiplices defectus quos in adminiſtratione corporalium ſenſuum quotidie incurrimus, & ſic de alijs infinitis miſerijs. Ad hæc plenius cognoſcenda & diſcernenda confert plurimum ſumma vitiorum & virtutum, quam quidam ſummam regis appellant. Poteris præterea tuum quæſtum diuidere in 7. partes & ſingulis partibus ſingulos deportare dies. Puta vt ſingulis ſeptem dierum petitionem facias de ſingulis ſeptem donorum, & ita de alijs omnibus in oratione petendis poteris ordinare, & tibi quaſi legem regularem ad hoc ſtatuere. Et nihilominus alijs vrgentibus cauſis extraordinariè poteris ad alia petenda frequenter conuerti. Sic etiam cœleſtem ciuitatem velut in ſeptem partes ſeu vicos diuidere, & per ſingulos illos vicos ſingulis 7. dierum diſcurrere & te quęſtuare. Statueſque in vico vno beatos angelos, in alio prophetas & patriarchas Chriſti adhuc venturi præcones, & ſic de alijs prout tibi tua deuotio ſuadebit. Poteris etiam iuxta dierum ſolemnium exigentiam recurſum ad Chriſtum facere eiuſque myſteria cõtemplari ac etiam ſanctorum quorum celebrantur ſolennia, tuncque deuotius ſolito eorum implorare ſubſidia eoſque apud alios facere mediatores. Iam itaque anima abſque intermiſſione prolixè ſatis locuti ſumus conuenit vt finem ſermoni tribuamus cætera diebus poſteris reſeruantes. Nam etiam tempus adeſt vt ad quæſtum te conferas, quem vtique practicando ſemper in hoc officio doctior fies, non modo in his de quibus exempla ſunt poſita paupertatum modis, verumetiam alijs innumeris erudita, ita ſanè eſt commune prouerbium quod fabricando fabri fiamus. *Anima.* Ita fiat vt ſuades ô homo. Statuam itaque in meipſa certum ordinem ad eleemoſynam petendum, meaſque petitiones pro neceſſitatum occurrentium opportunitate conabor inſtruere. Nec tamen tibi moleſtum erit ſi non vniformem regulam in meis obſeruabo deprecationibus, quoniam abſque ordine & menſura mihi meę inſurgunt paupertates & indigentiæ, pro quarum exigẽtia meæ ſunt penitus orationes inſtruendę. Quibus etiam modus eſt nihilominus adhibendus, ſecundum qualitatẽ quibus aut pro quibus meus eſt ſermo dirigẽdus. Cæterum vbi me deficere videbis atq; torpeſcere velis obnixè precor me dirigere, mihique adeſſe conſilio atq; auxilio. *Homo.* Libenter id efficiam ô anima. Deus autem tuus ſit auxiliator detque tibi bene ac prudenter orare ita videlicet ei grata ſis, & bene deſiderata quælibet impetres. Amen.

SECVNDA PARS IN QVA CONTINENTVR ORATIONES ET MEditationes animæ deuotæ ſecundum diuerſas materias, quæ parum aut nihil deſeruiunt niſi iam deuotioni totaliter mancipatis, & qui in ſeipſis experiuntur affectiones virtutum, inſuper & Dei viſitationẽ cum contemptu mundi.

A *Orationes & meditationes deuotæ circa orationem Dominicam. Et primò ſuper prima petitione eius: Sanctificetur nomen tuum.*

VOLVISTI Domine Deus omnipotens vt te orantes patrem appellemus. Hoc itaq; ſuppoſito, te deprecor sãctificetur hoc nomen & confirmetur in me hoc eſt vt perſeueranter tua ſim filia. Alias enim quomodo mihi pater eris, ſi tua eſſe filia deſiero? Mutuo ſe profectò ponunt hæc nomina. O quantum detrimentum eſt talem amittere patrem quæ etiã B ignominia illum offendere vel ei non ſeruire? Quãdo quæſo hunc videre potero patrem in ſuo palatio quæ iam verſor in hoc exilio miſerando? Quando illa mihi reſeruata ſua hęreditate potiar? Quando ſtatuar in illa ſua aula regia imperiali palatio, quæ iam duriſſimè sũ carcerata & varijs circundata bellicis impugnationibus, cum tamẽ ſim regis immo talis regis filia? Quo auſu temerario genus meum, meã nobilitatẽ obliuiſcar? qua deniq; inſania me velut ſcortũ corruptoribus expo- C nã, corruptoribus inquã totius caſtitatis proditoribus aduerſarijs meis & patris mei? qua præterea fiducia debeo cõcipere confugiendi ad talẽ patrẽ tam opulentũ, tam ſapientẽ tam benignũ? Confidẽter illũ interpellabo qui prior me dilexit, nullis meiſq; meritis me ſuã filiã appellare dignatus eſt. Quod ſi illum velut inobediens & peruerſa aliquotiens offenderim, ſcio tamen quod pro peccato filię patri pœna ſufficiet exigua. Si ab eo panẽ petiuero ad viuendum nunquid indignanter atq; iracundè mihi porriget lapidem aut pro ouo ſcor- D pionẽ aut pro piſce ſerpẽtẽ? Non hæc profectò faciet, quippe cuius hoc verbũ eſt & exemplum, quia parentes carnales non hoc filijs ſuis faciunt, quinimmo & tam bonis quã malis bona tribuere ſoliti ſunt. Noſter igitur pater ſpiritũ ſuum dabit petentibus. Te igitur per hoc nomen conteſtor, vt illud in me ſanctificetur, ita ne mentiar te patrẽ appellans. Nonne vtiq; mendacij arguerer ſi non tua exiſtens filia te patrem appellarem? Hoc igitur te nunc peto & exoro ſpecialiter vt tibi talis exiſtã E qualem me tibi eſſe voles. Quod ſi mihi negaueris cum hoc veniret tuo detrimento, quid aliud mihi donabis? Quis quæſo pater ſuæ naturali filię talia petenti denegabit. Verumetiam pater mi, cum tua ſim filia meã oro cuſtodi caſtitatẽ meũq; honorem. Si me include, tales adhibe cuſtodes, ne tui aduerſarij me valeant corrumpere, quodq; illos non audiam vel ad minus nõ exaudiam. Recedite recedite à modo infideles & petulantes inimici infernales qui vultis infamare, qui à me F dedecus atq; conuicium expoſcitis. Ignoratis vos quæ & qualis ego ſim & cui vos loquimini. Ego enim ſum filia ſummi regis veſtri iudicis qui vos condemnabit. Qua igitur præſumptione quæritis illi ſuam ſurripere filiam? Nunquid vobis aures prębeo auditrices? O turpiſſimi, viliſſimi, horribiliſſimi hoſtes, nunquid vobis aſſentiã qui eſtis fallaces & mendoſi? nunquid veſtro ſuaſu meum patrem derelinquam, mea fraudabor hæreditate & vobiſcum meipſam æternaliter condemnabo? hoc profectò nullo pacto faciam. Quod ſi aliàs me non infeſtatam non dimiſeritis, mihique vim facere volueritis ſcitis quid factura ſim.

Digitized by Google

Adibo certe patrem meum & ei rem inſinuabo, qui mihi vtique feret opem vt eruar à manibus veſtris ac deinceps grauiter vos puniet.

Meditatio & oratio ſuper ſecunda petitione orationis dominicæ: Adueniat regnum tuum.

EXcellenter in hoc ſuam ad me dilectionem declarauit meus pater cœleſtis cum talem ac tantam dignitatem atque excellentiam mihi voluit indulgere vt regnum quoddam eximium intra me collocauerit meo regimini deputatum. In quo ratio velut domina ac magiſtra debet præſidere, cæteræ autem omnes vires & potentiæ illi parere & obſequi. Sed profectò nimis experior verum eſſe quod antique dictum eſt: Vix ſine guerra erit qui terram habet. Reuera regnum hoc de quo ſermo continuè & inceſſanter perſecutionem & impugnationem patitur. Non eſt vitium aut peccatum quod non ipſum hoſtiliter inuadat vimque omnem faciat ad ingreſſum per ſenſuum quinque aditus vt illic dominetur & imperet. Inſurgit ſuperbia cum clamore valido & iactanter illic præſumit dominari. Inuidia ita & odium conueniunt cum iuramento affirmantes ſe illic manſione ac reſidentiam facturas. Accedit illa torpens acedia nullo pacto ac diſceſſum ſuaſibile. Gula fœdiſſima exercitum parat ſuamque illic vult inſtruere coquinam. Luxuria furit & affirmat quod regnum hoc prorſus conſumet. Auaritia cupida inſidioſè ſe ingerit nec ſe hinc arbitratur depellendam, atque ita innumeri alij ſurgunt tyranni, qui nullo ordine ſed horribili confuſione ſatagunt in hoc regno dominari. At ego illos repello, illos abijcio clamanſque & ſuſpirans proteſtor hoc regnum mihi datum à patre meo, cum ſummum nefas eſſet tale tradimentum facere quod id regnum ſuis pateret hoſtibus.

Sed heu quid me aut meam æſtimant potẽtiam quæ ſola ſine viribus ſum deficiens & miſera. Quid quæſo niſi à te patre meo adiuta aduerſus hoſtes hos efficere valebo? Aderis igitur pater mi in regno tuo & quo maneat inuictum, illi feres præſidium. Tuum profectò eſt ipſum tibi tuæque cuſtodiæ reſtituo. Ita ſanè & non aliàs in me adueniet regnum tuum, ſemperque remanebit, aliter illud cogar amittere à deuaſtante angelo eritque in illo ſempiternus horror & æterna confuſio.

Meditatio & oratio ſuper tertia petitione orationis dominicæ: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo.

DOmine Deus omnipotẽs pater optime qui es in cœlis fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Voluntas inquam tua qua ſecundum viã mandatorum tuorum vadam ego debilis pauper & miſera ad te potentiſſimum, inſipientiſſima ad te ſapientiſſimum, ægrotiſſima ad te ſummũ medicum ac ſaluatorem. Et quomodo fiet iſtud Domine niſi tua voluntas me conduxerit & traxerit ad te. Cum ergo ita velis, etiam velim nolim tua voluntas fiat. Vidi ſæpius Domine quod pater duxit & traxit filium debilem atque impotentem vel etiam ſtolidum ad implendum voluntatem paternam. Ita quæſo pater me trahere digneris ad te, non me derelinquas in manu mei cõſilij, A nec meæ tradas voluntati, immo dum aberrare à tramite virtutis me videbis, retrahe me Domine Deus velut pauperem, ſtolidam, cęcam atque impotentem, & hoc ſiue per tuas virgas aduerſitatis, ſiue per dulcorem proſperitatis, ſiue per occultæ inſpirationis inſtinctum à tua bonitate, ſiue per altam manum tuæ poteſtatis, ſiue per bonorum tuorum angelorum vel etiam hominum miniſterium, ſiue per quemcunque alium modum tibi placitum. Hoc tantum fac ne pereant, quodque tua de me & in me non mea voluntas fiat & impleatur. Quid poſſet Domine conuenientius atq; B humilius pauper, cæca aut ſtolida petere à ſuo ductore & gubernatore quam vt eam non permittat ambulare ſecundum ſuã temerariam in tentationem in deſiderijs animæ ſuæ.

Oratio eiuſdem concernens iterum hanc tertiam petitionem ex alia ſimilitudine ſumpta ſuper hoc verbo: In chamo & freno.

C AIt Domine Deus tuus propheta, quod homo comparatus eſt iumentis inſipientibus, in quibus non eſt intellectus. Quod ſi ita eſt dirigas me Domine velut beſtiolam indomitam, quę non poteſt aut non vult per ſeipſam domari immittens frenum in os meum, aut aliàs me ligabis, prout mihi opus erit dulcibus illis ac ſolidis vinculis tuarum virtutum, & præcipuè funiculo triplici qui difficile rumpitur, videlicet fidei, ſpei & charitatis. Auidum eſt Domine os meum, impone ſibi temperantiæ & ſobrietatis frenum. Indomita eſt lingua mea, diſchola & vagabunda per D multiloquium & vanum, conſtringe illam freno ſilentij, atque ita fac circa ſingula membra mea. Et quamuis frequenter tuo ductui renitar aliter aut aliò volens ire quam tu impellas ad modum equi laſciui qui ſibi dimiſſus frequenter impingeret, ne quæſo propterea Domine ita contra me iraſcaris, vt præ indignatione me derelinquas & ſinas ſecundum impetum propriæ inclinationis aut voluntatis incedere: Ita enim mox impingerem & me morti traderem doloroſæ, more illorũ E quos te dimiſiſſe ire ſecũdũ deſideria cordis, eorũ, eratq; profectò illa duriſſima libertas lõgéq; eligibilior atq; ſuauior eſt tua ſeruitus tuáq; ſubiectio.

Oratio ſuper hoc verbo: Sicut deſiderat ceruus ad fontem aquarum.

OFons vitæ Domine Deus omnipotens ego ſum illa pauper, laſſata, depulſa & vexata quæ ad inſtar cerui deſiderat venire & reuerti ad te, vt ſit mihi recreatio contra nimium calorem F atque ardentem ſitim, quam mihi illi infernales intulerunt inimici, me per deſertum huius mũdi continuè inſequentes cum turba numeroſa canum ferociſſimorum mordentium & lacerantiũ. Quapropter vagabunda non inuenies requiem, per hoc deſertum diſcurro. Sunt autem hi canes curæ illæ diuerſæ ſollicitudines mundanæ, quæ varijs modis me mordent & lacerant, quibus plurimum turbor & euagor in deſerto prædicto, nuſquam requiem inueniens nec amplius reſpirare valeo niſi venero ad te qui es fons vitæ & refugij locus, in quo mihi erit refugium & ſecuritas.

Meditatio

Digitized by Google

Meditatio & oratio diuiſa per partes ſuper quarta petitione orationis Dominicæ: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

PAuperi panem propter Deum. Ego ſum pauper illa famelica, locata inter duas menſas; quarum vna eſt cibis huius mundi onuſta, quibus quidem veſci poſſem, ſed illos deteſtor & recuſo, altera bonis exuberat ſpiritualibus, quibus cum affluerem deſiderem, minimè pro voto illa conſequi valeo. Heu morietur mi pater hæc miſera famelica in tuo conſpectu ac tuorum omnium ſanctorum in hac menſa bonis gratiæ & gloriæ referta diſcumbentium, vbi edunt & bibunt vſque ad ſatietatem immo vſq; ad ſobriam ebrietatem. Non pridem ſum digna ſedere in hac menſa, nec hoc requirere præſumo, ſed humiliter peto vel de micis & reliquijs huius menſæ magnificæ paruum aliquid percipere, quo aliquantulum refocillata valeam famem ſitimque meam (etſi non ad plenum) ſedare. Lego in euangelio de diuite epulone qui grauiter de duritia atque auaritia arguitur, quod immiſericorditer pauperem Lazarum à ſe repulit, illi ſuæ menſæ micas nec volens tribuere. At ego ſum illa pauper, infirma, mendica, vlceribus & vulneribus plena diuerſorum vitiorum quæ veſtris adſum in conſpectibus.

O ſancti & ſanctæ Dei omnes veſtris ianuis clamo ſuſpirans, & peto de micis veſtris, ne quæſo moleſtè feratis, & morte filij diuitis reprobi, ne me immiſericorditer tractetis. Abſit à vobis hoc improprium, abſit vt in tam pijs ac magnificis cordibus tanta inueniatur inhumanitas, præſertim cum ſine vllo veſtro detrimento ac ſine vlla diminutione id facere poteritis. Mementote vos aliquotiens ab hac menſa fuiſſe alienos, & nihilominus tunc ex ea paſci libenter voluiſtis, ita ergo & nunc mihi facite quæ vobis fieri tunc voluiſtis. Veſtra quidem ſoror ſum, & ſi in humilem ſtatum deiecta, & ſi in exilio, etſi in carcere, etſi in miſeria & paupertate maxima conſtituta. Ne igitur me fame perire ſinatis in conſpectu veſtrorum, & quidem pijſſimorum oculorum, & in tanta plenitudine ſpiritualium alimentorum. Sum ego heu deterioris conditionis & magis repellenda quam catellus qui vel de reliquijs domini ſui ſinitur refici. Fateor quippe me per peccatum factam etiam cane deteriorem maneo tamen ſuper naturali conditione veſtra ſoror. Ne igitur tam graui animo meum peccatum feratis, quod vtique mihi odio eſt atque à meo repello conſortio, quin potius ad id quod naturali conditione vobis tam de propinquo iunctum eſt, compatiendo veſtros inclinabitis animos.

Secunda pars. Verum fateor me omni iure & ob mea maleficia carcere digna mancipatam, ſed heu quis tam ſeuerus iudex tanquam ſæuus, qui captiuum adhuc indemnatum fame perire permittat, & petenti non porrigat panem? Qui etiam eſſent illi conſiliarij aut officiales adeò impij & agreſtes qui hoc tolerarent aut ſuaderent, quinimmo etiam damnatis ad carcerem perpetuum miniſtrantur aliquotiens pitātiæ ſpeciales & præcipuè in magnis ſolēnitatibus. Nunc autem credo & certitudinaliter ſcio, quod quantumlibet ſim incarcerata & grauibus oppreſſa criminibus, mitior tamen eſt & ad miſerandum pronior veſtra curia quam quælibet alia iudicis aut prælati cuiuſcunque mortalis.

A

Tertia pars. Ego ſum pauper illa filia elongata quæ partem paternæ hæreditatis me contingentem dilapidaui, quæ in extra regione fame morior, & vrgente famelica rabie volo frequenter implere ventrem porcorum pabulis; hoc eſt prauis huius mundi voluptatibus, quas ſæpe nec conſequi valeo. Sed & ne conſequar opto & oro, ſciens quod cibus ille minimè ſatietatem afferret immo amplius faceret eſurire tandemque perimeret. Quid igitur faciam? Certè ſcio. Animaduerto in domo patris mei quam plurimos eſſe ſeruitores qui pane veſcuntur abundanter. Surgam igitur de ſtercore & foueam in qua iaceo & ibo ad patrem meum & dicam ei: Peccaui in cœlum & in te, non ſum digna tua dici filia; fac me ſicut vnam ex ancillis tuis aut pediſſequis. Auditu autem didici immo aliquotiens viſu quod ipſe eſt mitiſſimus & miſericordiſſimus, atque ita nec me venientem repellet immo in priſtinam reſtituet dignitatem, & tanquam filiam ſuam denuo ſuſcipiet educandam. Heu quotiens & quamdiu conor ad patrem meum pro pane obtinendo reuerti, nec tamen valeo, quoniam tali ac tam miſerabili fame ſum afflicta, vt viribus penitus deſtituta nequeam exurgere & moueri de hac infelici extranea regione, in quam inconſultè me intruſi, niſi aduenerit aliquis qui mihi manum porrigat & ferat auxilium & conſolationem ad me ſuſtinendum & dirigendum in via ne deficiam. Vos igitur deprecor ſancti Dei omnes adeſtote mihi & ferte opem vt hinc egrediar ſine deuio, ſine offendiculo ad domum patris mei profectura & refectura.

Quarta pars. O me miſerabilem infelicem, vilem, fœdam, Deo & mundo odioſam, qua temeritate aut præſumptione patrem illum mitiſſimum & miſericordiſſimum audebo conſpicere, quem adeò contempſi & dehonoraui. Qualiter aderit mihi lingua ad aliquid ab eo poſtulandum, præſertim cum iam illos temerarios conatus meos expleuerim, méque proſtituerim & fœdauerim cum inimicis præfati mei patris. Vnde non iniuria ſibi facta ſum penitus odioſa. Nunc igitur cum melius non poſſum reuertar ad illum quem tam grauiter offendi. Dic mihi miſera & inuerecunda qua fronte hoc audebis attentare, quo pacto præſumes poſtulare panem ad manducandum, cui potius debentur verbera quam paſtus.

Verum & ſi ita ſit præterquam pœnam & tormenta meruerim, tantam nihilominus illius ad quem reuerti propono miſericordiam eſſe cognoſco vt me ad id faciendum vocare dignetur & commonere, quantumcunque etiam cum offenderim atque deſpexerim. Vrgent inſuper ad hoc & impellunt famelica rabies & extrema neceſſitas. Audiuit enim Deus deprecationem etiam legionis dæmonum, quando petierunt mitti in porcos, multo minus & ego diffidam exaudiri.

Digitized by Google

Hic loquitur anima quaſi exaudita & conſecuta ſpiritalem conſolationem.

GRatias ago tibi pater dilectiſſime propter pitantiam nunc à te ſuſceptam. O quam ſapida eſt quam ſuauis & bona, quam nutritiua, nuper famelica rabies omnia membra torquebat. Aures interibant in auditu vanitatum ſæculi, ardebat lingua peruerſis ſermonibus, oculi vanis aſpectibus defluebant, os turpi vileſcebat guſtu, tactus probroſa voluptate fœdabatur. O quam ſubitò euanuerunt à me hæc omnia pernicioſa deſideria, ad præſentiam dulcedinis cibi illius quem miſiſti deſuper. Da mihi Domine ſemper hunc cibum quo refecta adijciam & faſtidiam venenoſum ac mortiferum huius mundi cibum. O Domine Deus quam ſubitò mihi facile factum eſt his carere, immo contemnere quæ prius deſiderabā, quoniam bonitas huius ſpiritualis cibi facit omnia mundana arbitrari velut ſtercora, & abominationi penitus haberi. Concede Domine vt hæc diſpoſitio diutius in me permaneat. Ita ſanè iocūda eſſē & beata. Sed heu ego miſera citò nimis hunc guſtum & ſaporem amitto, quoniam non debitam adhibeo diligentiam, & pro hac mortali vita me fateor indignam ad perpetuam atq; hæreditariam illius poſſeſſionem. Vnde me penitus tuæ miſericordiæ ſubmitto.

Oratio & meditatio ſuper quinta petitione orationis dominicæ: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus &c.

OBligata ſum plurimum. Surgitque obligatio hæc ex fatuis commercijs & contractibus cum dæmone in foro huius ſæculi initis, cum pro momentaneæ vanitate breuiſſimáq; ac fœda voluptate ad æternam damnationem me aſtrinxi, nec habeo heu vnde perſoluam, cum ſim pauper & omni ſubſtantia fraudata per infortunatum ictum peccati. Quò igitur ibo, quò diuertam? Ad meum certe reuertar patrem, eumque deprecabor, vt me ab hoc graui debito abſoluat. Et ne repulſam patiar, ei ſuas deferam litteras à ſuis ſecretarijs & euangeliſtis conſignatas. His obteſtabor ipſum me debere penitus abſoluere. Siquidem hæ litteræ continent, vt ſi dimiſerimus alijs & nobis ipſe dimittet. Et ego ex nūc omnibus dimitto ſicut ipſe dimitti iubet. Oportet igitur vt & ipſe mihi dimittat. Et ſi forſan ipſe vel alter quilibet mihi obiecerit, quod non integraliter dimitto aut ſyncerè, aut eo corde quo debeo. Reſpōdeo mihi ſaltem adeſſe deſiderium dimittendi ſub modo & forma quibus ipſe hoc fieri vult & iubet & hoc vtique ſatis eſt. Ita enim & mihi ſufficit vt Deus mihi condonet, hoc eſt vt ſit ei deſiderium mihi ex integro condonandi, quemadmodum & mihi eſt, quoniam ſi huiuſmodi ſuum fuerit deſideriū, infallibiliter ita fiet. Ex nunc igitur mihi bene erit dum quiſquis apud me debitum quodcunq; contrahet, iniuriam mihi aliquam irrogans, aut conuitium dicens, præſertim dum hoc præter meam culpam accidet, & mox illi condonabo, per hoc enim mihi tutus parabitur aditus apud Deum per condonationem omnium meorum debitorum.
A Non quidem quod alios in me peccare libeat, quodq; Deum non exorem vt eis debita condonet, mihi enim propria peccata ſatis oneri ſunt præter hoc quod alijs ad peccandum ſim occaſio, aut pro eis me condemnem. Sed cum aliter occurrere non poſſim, mihi conuenit alterius peccato ad meam vtilitatem bene vti.

Oratio & meditatio ſuper ſexta petitione orationis dominicæ: Et ne nos inducas
B *in tentationem.*

QVis heu conſolabitur hanc deſolatam, hanc mille laqueis circunductam, ac in varias tentationes præcipitatam in via hac in qua pericula ſibi imminent innumera, tam ab inimicis qui nūc in aperto ſe exhibent vim inferentes, nunc inſidijs, ſuis fraudulentijs me morti tradere moliuntur, quàm etiam à via ipſa quæ lubrica eſt & tendens in decliue inſuper & obſcura plenáq; antris
C & ſerpētibus? Quis igitur hinc me liberabit & cōducet ne in aliquam iſtarum tentationem incidā? Nemo profectò niſi tu meus pater ac tuus bonus ſpiritus qui me deducet in terram rectam, qui vndiq; laqueos inimici diſſoluetis & illuminabitis meas tenebras, meóſque pedes ſtabilietis.

Meditatio & oratio ſuper ſeptima petitione orationis dominicæ: Sed libera nos à malo.

EXprimi non poteſt malum quo ſum irretita, ac etiam neceſſitas quæ me angit quotidie.
D Multis modis ſubdita ſum legi peccati quod ſine lege eſt, agitque frequenter vt malum quod nolo id faciam, quot mihi inſurgunt motus mali horis ſingulis quos minimè vitare poſſum? tunc temerariè de alio iudicium ferendo, nunc delendo de bono ipſius, nunc de malo exultando, nunc meipſam plus debito extollendo & mihi complacendo, nunc iraſcendo aut dedignando, nunc vana loquendo, nunc leuiter aſſerendo, nunc indeuotè orando, nunc comedendo & bibendo,
E dunc in aſpectu, nunc in auditu, nunc in tactu. Te igitur exoro dulciſſime pater cœleſtis vt me à tali modo liberes, vt tandem à magno illo malo quod omne malum ſuperat in horrore & anguſtia, morte.ſ.perpetua immunis euadem ac libera.

Oratio ad bonum angelum ſuum, & ad reliquos omnes per medium eius plures continens partes.

GLorioſe angele Dei qui vnus es ex inclitis
F principibus ciuitatis cœleſtis, cuius cuſtodiæ diuina bonitate ac pia ordinatione commiſſa ſum, per eundem dirigenda ac protegenda, inſuper & iuuanda ad ingreſſum dictæ ciuitatis bene viuendo ac Deo parendo & ſeruiendo, hoc pie & hac hora me grandis vrget neceſſitas ad te recurrere, hoc profectò bene perpendis & agnoſcis. Adſū ego tua pauper, cœca, in profundis concluſa tenebris huius inferioris carceris, in quo nihil eſt luminis ſpiritualis ad cognoſcendum bona gloriæ cœleſtis, & id parum claritatis quod illic eſſe poteſt, in me eſt obuolutum & circūductum fumis

Digitized by Google

fumis ac tenebroſis nebulis de turpi cœno ac luctuoſis paludibus fœtidorum meæ carnalitatis deſideriorum ac terrenarum cogitationum eleuatis. Quamobrem incidere neſcio per vias rectas in vicos cœleſtis ciuitatis, vbi mihi mendicare incumbit & eleemoſynas meas petere, niſi ab alio ducta vel aliter illuminata. Te igitur precor dux fidelis apprehende manum huius tuæ excæcatæ, deduc eam per vicum magnum paradiſi diſcurrendo oſtiatim vbi valeam clamare, aduocare, gemere, flere, auxilium implorare, & pauperi eleemoſynam petere propter Deum. Verè pauper eſt qui penitus viſu caret quique panem ſibi lucrifacere non poteſt. Trahe me quæſo ſpecialiter apud tuos conſodales, cæteros angelos tuos amicos & domeſticos vtique prędiuites & gratiæ bonis refertos. Exhibe illis hanc mendicam miſerabilem ad eleemoſynam percipiendam. Cum gaudio enim recipienda eſt, eſt enim hæc peccatrix quæ vult conuerti, vt dicit ſaluator Chriſtus. Ne perdas igitur hoc gaudium, quod vtique perderes, ſi ab hac mea conuerſione recederem per defectum victus, quem non niſi meo quæſtu conſequi poſſum. Ne igitur me derelinquas, ne hoc mihi recuſes fidelis cuſtos, quamuis te pluries paruipenderim malè iurando aut agendo in conſpectu oculorum tuorum, quod nec facere debuiſſem in conſpectu ſcurræ alicuius aut viliſſimi alterius hominis. Condona mihi quęſo rurſus meam inſipientium meóſque exceſſus. Sum fateor ſtolida, deſes ac pręſumptuoſa. Noſti hoc, & ideo tuæ cuſtodiæ relicta ſum ſicut ægrota medico, ſicut cæca duci, ſicut ſtolida & phrenetica ſuo gubernatori. Ideoque neceſſe eſt vt me ſupportes in meis defectibus, aliàs enim indeſinenter nec ſcirem nec poſſem abſque errore deuio mendicare & vitam meam quæſtuare. Quocumque pergo aut ducor, illic multum obſcurè conſpicio inclytam illam ciuitatem cœleſtem, de qua tam glorioſa dicta ſunt. Illic velut in vmbraculo proſpicio nouem angelorum ordines, patriarchas, prophetas, apoſtolos, martyres, confeſſores & virgines, & ſuper omnes Ieſum Chriſtum glorioſámque eius matrem, atque ita ſum abundanter munita ad percipiendum eleemoſynas copioſas. Te igitur deprecor amantiſſime conductor qui me illuc perduxiſti, vt pro conditione mearum neceſſitatum ab vnoquoq; peccata ſecundum dona & gratias quibus abundantius affluunt. Da mihi aditum, conforta me, & doce me petere. Erubeſco plurimum ac vereor comparere, ſed pro certo neceſſitas frangit legem. Ex præcepto etiam mihi hoc facere incumbit, vt pulſam & petam, nec recedam quantumcunque repulſa donec aliquid accipiam. Ita igitur faciam.

Loquitur anima quaſi in paradiſum ducta.
Oratio ad Seraphim.

VOs Seraphin qui placido igne diuini amoris incenſi eſtis, mittite mihi paruã aliquã ſcintillam huius ignis. Mittite inquã in cor meũ pœnitus gelidum, vt parum ad diuinum amorem incaleſcat. Per hoc enim vobis nihil deperiet. Aut certè me vobis tam proximam faciatis vt hinc excaleſcam. Copioſa eſt apud me materia ad hunc ignem conſtruendum. Affluunt enim diuina beneficia. Inſuper & mea peccata quæ ſimul iuncta, in me ipſa nutrire deberent maximũ aliquod incendiũ, verum frigiditas negligentiæ adeò pręualuit in me, vt vix aliquid incendi poſſit. Ne igitur mihi tam alieni ſitis quin parũ aliquid veſtri ignis ad me incendendam, męq; inde purgandã compræſtetis, ſicut olim Eſaiæ factum eſſe conſtat.

Ad Cherubin. Vos igitur Cherubin in quibus eſt plenitudo ſcientiæ & ſapientiæ, erudite hãc ſtolidam, indoctam, quæ frequenter iudicat malum bonũ, & bonum malũ, quę ſemper inter laqueos & tranſitus periculoſos inimicorũ verſatur. Date mihi clarè notitiam, qua valeam huiuſmodi pericula declinare & abſq; offendiculo incedere per vias rectas, inſuper & Deum abſq; errore, & me abſque inordinato fauore cognoſcere vt clarè & ſyncerè diſcernam magna illa prę mia mihi repromiſſa parte ex vna, horrendáq; illius ignis gehénę tormenta mihi comminata parte ex altera. Quæ vtiq; ſi diligenter & viuaciter ante oculos ponerē ſimul cũ breuitate manſionis meę in hoc mortali corpore nunquam peccatum admitterem.

Ad Thronos. Vos Throni in quibus propter profundam humilitatem ac pręcipuam reuerentiam quę in vobis eſt ad ipſũ requieſcit ac reſidet Deus, inſuper & ſua iudicia exercet ſicut iudex in ſuo throno, impetrare mihi illã humilitatem, illámq; ad Deum reuerentiã, per quam ſe dignetur in me collocare & requieſcere. Ad hoc enim creata ſum, & hoc ſic vtiq; obtinebo ſi vobis in hoc fuero cõformis, ſicut & ipſe repromiſit.

Ad Dominationes. Vos Dominationes impetrate mihi precor plenũ dominiũ ſuper corpus meũ, ita vt in nullo me ſuæ ſubiectioni reddat obnoxiam.

Ad Principatus. Vos Principatus reddite me ſubiectã ſublimioribus poteſtatibus, abſq; murmure, abſque rebellione, abſque detractione.

Ad Poteſtates. Vos Poteſtates eripite me ab aduerſarijs meis omnibus, quibus vtiq; talis eſt poteſtas, cui non eſt aliqua comparabilis ſuper terram.

Ad Virtutes. Vos Virtutes facite intra me miracula, me per peccatum mortuam reſuſcitantes & infirmã ſanantes. Cum excæcata fuero, viſum reſtituite, cum obſurdata, reddite auditum, & ſic de alijs, & ſi quid mortiferũ aut venenoſum bibero, ſper malum cogitatum aut prauã delectationem, facite vt mihi non noceat per conſenſum. Sunt hęc profectò pręclara miracula longéque viſibilibus pręclariora.

Ad Archangelos. Vos Archangeli nunciate mihi quantum opus eſt ſublime fidei myſterium & quò à me vel ab alijs per me inſtruendis in maiori veneratione habeatur, obſcuras ſacrę ſcripturæ ſententias elucidate. Et ſpecialiter tu ſancte Gabriel per ſanctam inſpirationem mihi denuncies rumores placitos, ſicut feciſti beatæ Mariæ matri Domini & Zachariæ. Et tu inſuper ſanctæ Michael qui es cuſtos & princeps eccleſiæ, qui viciſti dracoñe, hoſtem.ſ. infernalem, qui pręſentas animas ante conſpectũ Dei & impetras eccleſiæ pacem, tene ſemper illũ inimicum in tuis vinculis ne nocere poſſit, & me in deceſſu ab hoc ſæculo conſpectum Domini præſentare in ęterna gloria.

Ad Angelos. Vos Angeli nunciate mihi qualibet dietim cognitu & factu oportuna pro me aut

quibuſlibet alijs prędicando, exhortãdo, vel aliud quodlibet exercendo, ponite in ore meo verba ſancta & ſalutaria quæ ſint ad ædificationem meã & aliorum, nec aliqua fallacia aut verſutia quæcunque valeat præualere. In triſtitia quæ non eſt ſecundum Deum afferre conſolationem, in deſolatione me confortate, de errore me reuocate. Emolite cor durum, deuotionis aridum lachrymis rigate, mentis illuminate tenebras. In laudibus Dei mihi ſitis comites, in exceſſu me reprimite, in benefactis roborate, aduerſus omnes aduerſarios meos adiuuate, humiliate me proſperis, extollite in aduerſis, in mea paupertate pro me quæſtuate, in infirmitate ſanate, in hora mortis me viſitate, auiſate, excuſate, liberate, ſaluate. Sunt hæc veſtra officia ſecundum veritatem hiſtoriæ ac ſcripturæ ſacræ. Specialiter tu Raphael ſancte deduc me per viam bonam, ſicut duxiſti, Thobiã iuniorem, & per te talis mihi accedat profectus, qualis per tuum ſapientiſſimum conſilium acceſſit patri eius & vxori ſuæ Saræ.

Oratio ad omnes ſanctos; continet plures partes.

NOn poterit quæſo inuenire ſubſidium, refugium aut miſericordiã hæc paupercula miſerabilis anima apud tot principes opulẽtiſſimos ac potentiſſimos in felici patria, in vrbe beata, in loco totius amœnitatis & ſuperabundantiæ, in templo pietatis & charitatis regnantes? Quamdiu quæſo clamabo & eiulabo ad eorum oſtia, petens pauperi panem propter Deum & nemo aduertet? Quamdiu viciſſim diſcurram & procumbam ad pedes eorum, & nemo ſuccurret? O paupercula deſolata vbi Dei pro reuerentia proficies, ſi hic expulſam paſſa es, ſi hic miſericordiam non es cõſecuta? Si hic eleemoſynam gratiæ & indulgentiæ non impetres, quis alibi te ſuſcipiet? O felices, ô glorioſi ſancti & ſanctæ Dei omnes, totiens audiui magnum illum amorem ac fauorem commendari, quem geritis ad pauperes & miſeros atque indigentes peccatores, inſuper & illam veſtrorum donorum largitatem & ſuperabundantiam eleemoſynarum. Heu ero ego omnibus alijs infelicior, deſpectior, indignior, magiſque reiecta? Deficiet hæc propter me veſtra commendatio? Ceſſabit fons ille veſtræ clementiæ manare, ne ſola ego bibam? Claudentur mihi veſtræ ſupplici manus veſtræ quæ cæteris omnibus apertæ ſunt. Veſter profectò theſaurus propter me minimè decreſceret. Non aderit quiſquam ex vobis qui ſuſcipiat hanc pauperculam alienam ſub ſuo ſaluo conductu, qui dietim periclitari minatur? Non erit qui ex compaſſione vel hoſpitem colligat, aut velut vnam ex minimis ancillis ſuæ familiæ dignetur aſcribere. Satis profectò mihi eſſet ſi ex his vel vnus me benignè ſuſciperet, & inter ſuos vltimam ſtatueret. Quod ſi in cæteris inuenta ſim viliſſima, indigniſſima, infeliciſſima, grauiuſque cæteris exceſſerim, eò magis veſtram meis precibus inclinabitis miſericordiam, ſcientes quod his non opus eſt miſericordia qui carent miſeria. Scio quippe ab altero veſtrum eſſe dictum quod vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia. Si me à pedibus veſtris indignanter abijciatis, animaduertite qui me velitis eſſe facturam, inſtruite me quò proficiſcar A miſericordiam repertura. Scio veraciter non alibi hoc futurum. Quo igitur diuertam? Incidam in deſperationem? Abſit hoc. Mandatum enim accepi ſecundum doctrinas veſtras, etiam vſque ad nouiſſimum mortis ſuſpirium, ſpem haberi debere. Certiſſimè enim tenete & credite me à vobis non diſceſſuram, etiam totiens quotiens repulſam, donec à vobis aliquid eleemoſynæ pro mea paupertate ſuſtendenda percepero. Quod ſi languere aut malè petire cogar, hoc coram veſtris oculis faciam veſtris aduoluta pedi- B bus, clamans ac veſtrũ implorans auxilium. Poſſet ne hoc veſtra benignitas admittere, veſtra clementia & humanitas? exiſtimo vtique quod non. Commemorate vos glorioſi ſancti non ad veſtram verecundiam loquor, ſed ad meam ingentem neceſſitatem, commemorate inquam quod meas partes aliquando geſſiſtis. Sum quippe nunc in eo carcere, in eo auxilio, in eo paupertatis regione, vbi dum fuiſtis, voluiſtis vtique libenter aliunde iuuari, aliunde confortari. Id ergo C & vos nunc mihi facite quod tunc vobis fieri deſiderabatis: Illam diſtribuite mihi gratiam, quæ ex gratia vobis pridem donata eſt. Quod ſi aliter veſtrum mihi improperet & dicat me longè plus fœdatam & profundatam in cœno peccati quàm fuerint illi glorioſi ſancti, fateor profectò ita eſſe. Sed vnde hoc eis? Non niſi ex gratia indultum eſt. Ex eadem quippe maſſa peccati mecum extitere, proni ad malum ab adoleſcentia ſua niſi ſuperabundanti miſericordia Dei fuiſſent præ- D ſeruati aut liberati. Et exinde magis obligantur ad gratiam impendendam, vt illam eo liberalius diſtribuant quò largius & copioſius acceperunt.

Vos quidem eſtis in ſumma proſperitate, in honore atque felicitate. Non inuidens loquor, immo veraciter hic plurimum gaudeo. Sed quid factura eſt illa veſtra ſoror miſera, degens hic deorſum in tanta miſeria & tanta neceſſitate? Mirè durum eſſet cor veſtrum atque innaturale nimiũ ſi illam perire ſineritis aut à canibus infernalibus quibus vndique vallata eſt deuorari, præſertim E cum occurrere valeatis, & ad vos exclamo & extendo manus, lachrymis vndique perfuſa veſtrũ petens auxilium. Non peto veſtram gloriam aut veſtras diuitias. Eripite me à morte, & mihi ſatis eſt. Quod ſi veſtram ſororem hac vos deprecantem repuleritis, quam quæſo audetis, aut cur alteri benefacietis?

Si meam miſeriam & paupertatem non dignabimini reſpicere, ſaltem obiectis Deo ſummo veſtro regi atque imperatori. Is fecit & inſtituit vos in ſuos eleemoſynarios, quibus incumbit indi- F gentibus neceſſaria impartiri. Specialiter te virgo glorioſa inſtituit theſaurariam gratiæ, matrem miſericordiæ, nutricem orphanorum, deſolatorum conſolatricem, aduocatam & conſultricem. Ad te igitur confugio, te requiro per iſtorum officiorum virtutes, ne mihi deficias in hac diſtricta neceſſitate. Impartire mihi de theſauro gratiæ nutri, conforta & conſule, & ſi non propter me, cum ſim indigna omni munere gratiæ, tamen propter te & propter tibi commiſſum officium legitimè ſecundum inſtitutionem ſummi regis exercendum.

Adhuc

Digitized by Google

Adhuc dico vobis ô glorioſi ſancti Dei omnes, quod apud me eſt ſignetum ſummum regis ad eleemoſynam veſtram percipiendum. Cognoſcitis haud dubiè ſignetum hoc, non enim ignoratis quoniam ſine ſpeciali Dei inſtinctu, nec poſſem, nec ſcirem ad vos pertingere pro requirendis veſtris eleemoſynis. Nonne ergo veniens cum ſigneto, à vobis audiri debeo & veſtram alimoniam percipere? Infallaciter enim me Deus ad vos mittit, quos nouit huiuſmodi eleemoſynis abundare. Ne igitur me coëgeritis ad ipſum reuerti & de veſtra repulſa querelam exponere. Loquor vt præſumens fateor, ſed neceſſitas mea parte ex vna, & diuina benignitas ex alia, me tranſmittunt ad vos, & hunc auſum ſic loquendũ præbent, quoniam (vt verum canit prouerbium) Quod Dominus concedit, non iure familia denegabit. Liberalis Dominus, liberales habebit ſeruitores.

Sed forſan mihi dicetur aliquis. Cum Deus (vt aſſeris) tibi velit eleemoſynam impendi, ab illo petes, per ſeipſum enim ſi volet tibi quod petis largietur. At ego reſpondeo. Quæ gratia quæſo ſanctis eſſet habenda, ſi nullo ſuo medio mihi Deus per ſeipſum ſubueniret. Qua inſuper ratione gratiarum eleemoſynas ad ſuper effluentem menſuram accepiſſent ſancti, ſi non inde cæteris indigentibus eſſent diſtributuri? Itaque hæc Dei voluntas eſt, vt ſuos veneremur ſanctos, illos deprecantes & requirentes, illique nobis ſuccurrãt, ſuas nobis donantes & impartientes gratias. Talem quidem decet Dominum tales habere eleemoſynarios, qui videlicet querelas verecundorum pauperum audiant qui ſine medio principem adire non audent.

Rurſus quęſo, propter quid me repellitis? Si propter peccata mea quæ aduerſus me clamant atque objiciunt, heu quæſo dabitis vos potius audientiam fidémque & fauorem his cruentiſſimis aduerſarijs, non modo meis, verumetiam & veſtris quos miro modo exoſos habetis, quam veſtræ ſorori pauperculæ, quæ vtique creatura eſt & factura Dei veſtri ſummi principis. Exclamant fateor & ſtrepitum magnum veſtris auribus ingerunt aduerſarij iſti ſcilicet peccata mea, méque ſibi obligatam aſſerant, cum illa commiſerim, ſintque opera mea.

Silete ſilete infideles aduerſarij, vos reprobo & abnego, per vos enim quia nimium decepta ſum pœniteo. Decepta ſum, non dimidiati iuſti precij, ſed in toto. Iterum igitur atque iterum, doleo, vos fugio & maledico, iuſtumque bellum aduerſus vos indico. In quo vtique bello mihi debent eſſe auxilio omnes qui partem Dei fouent, eique fideliter ſubiecti ſunt & ad fidelitatem tenentur.

Quid quæſo glorioſi milites Dei aliud facere valeo dicite mihi. Si temerariè aliquid operata ſũ, ſi in aliquo exceſſi heu non in vno tantum, imò in mille milleſies, non aliud mihi eſt remedium quam ſine fictione pœnitere, atque in poſterum præcauere, & pro poſſe id proſequi quod nouero veſtro ſimul & meo imperatori diſplicere. Hoc autem faciendo, mihi vtique eſſe debetis conſortio, cum id fiat in honorem illius quem tam ſingulariter diligitis atque honoratis, & id vtique

conuenienter facere poteritis. Sed nec objicitis A quod minus debito hos perſequor aduerſarios, imo ſæpius proditrix exiſto, cum illis rurſus paciſcendo & tractando, illoſque humaniter recipiendo, amando atque honorando. Ad hoc profectò quid dicam ignoro. Ceſſent omnes allegationes meæ, ignominia, rubor & confuſio irruunt ſuper faciem meam. In hoc me fateor conuictam eſſe & dignam omni opprobrio. Hic itaque nil aliud reſpondeo, niſi quod per miſericordiam peto. Miſericordiam inquam & indulgẽtiam, gratiam & veniam, hoc ſatis ſit vobiſque hoc reſponſum B ſufficiat. Si centies à pugna fugio, & centies reuertar, veſter iubet imperator ne repellar. Verum hæc eſt principalis meæ petitionis cauſa, vt veſtro præſidio ſic munita ſim, & talem in me ſuſcipiam animum vt amodo non reuertar ad illius mei aduerſarij ſæpe dicti ſcilicet peccati maledictum cõſortium, quodque ſuis inſidijs promiſſis & cautelis amplius me non detineat, aut vi quacunque ſuperet. Non vtique à debili, ægrota & proſtrata vltra vires exigentis. Facile fateor eſt de me triumphum C ſumere prona ſum ad deceptionem. Nec eſt mea miſeria, & quod plus eſt, non ea diligentia qua deberem, veſtrum peto & expecto ſubſidium, immo in hoc ſum ſomnolenta, deſes & inattenta. Et hoc eſt heu vnde ſummè doleo quod nunc queror & deploro, hoc eſt, pro quo vos deprecor pro quo veſtris aduoluor pedibus, pro quo veſtram interpello gratiam & præſidium poſco, vt ex nunc ſim robuſtior, magiſq; ſollicita ex toto corde ad vos in meis agreſſibus & aduerſitatibus D recurrere.

Minimè opus eſt ô glorioſi ſancti Dei veſtras diuitias, veſtram gloriam in aliquo diminui dum mihi ſuccurritis. Nihil à vobis peto præter verbũ, & vt pro me apud Deum quibus oportuna ſaluti mihi proueniant dignas preces dirigatis. Non arbitror tam anguſtam eſſe veſtram charitatem, veſtramque largitatem, vt hoc mihi denegetis. Incomparabilis quippe eſt modica illa charitas (ſi vel modica in me ſit) ardenti illi fornaci veſtri amoris. Et tamen nemo adeò mihi cenſetur alienus, E etiam ſi Iudæus vel gentilis, immo ſi patris aut matris occiſor, cui corde ſyncero per ſe aut per alium pro ſe preces ad Dominum per me fieri inſtanter requirenti, non libenti animo acquieſcerem. Quo igitur pacto pro me apud Deum nõ intercedetis, cum ſim Chriſtiana & veſtra ſoror in fide, & vos ad id faciendum inſtantius interpellem, præſertim cum vos in nullo offenderim? Et ſi offendi, doleo & veniam peto. Cum profectò talis ac tanta ſit veſtra dilectio tanquam ampla largitas & extenſa, præſumi nõ poteſt vt quod F tam humiliter ac decenter peto mihi recuſetis. Quod ſi feceritis, bene mihi vtique erit, quoniam certa ſunt quod apud Deum infallaciter impetrabitis quicquid pro me petieritis. Cur enim vellet ipſe me vos deprecari, veſtrámque orationem ad meam inſtantiam ſicut incenſum dirigi in conſpectu ſuo, niſi vos duceret audiendos? Nunquam vobis talem afferret confuſionem, vt vos vacuos à ſe repelleret. Quæ etiam eſſet illa veſtra felicitas ſi non repleretur deſiderium veſtrum in omnibus quæ expoſtulatis.

Adhuc præſumam amplius & dicam, quod

Digitized by Google

Deus per os veſtrum & per veſtram doctrinam mandatum mihi dedit, vt ad ipſum & ad vos ſit A meum refugium in omnibus neceſſitatibus meis. Cũ igitur hoc præceperit Deus, & ſub hac fiducia vos interpello, quo modo credi poterit quod vnum iubeat & alterum faciat, atque ita mihi nõ ſuccurratis: Iubet quippe per voſipſos vt ſemper ſit ſpes mea in ſuam bonitatem, & ita vtique eſt, intantum vt etiam ſi me occidere voluerit, nihilominus ſperabo in ipſum, non igitur ob aliud vult me ponere ſpem in ſuum auxilium, niſi quia vult ſuum & veſtrum auxilium petenti aſſiſtere. Quod ſi mihi quis dixerit hoc intelligendum eſ- B ſe dum modo bona & ſancta ſit hæc ſpes mea, & nihil contra mandata eius admiſero. Heu me hoc eſt præcipuum propter quod bonum arbitror ponere in Domino Deo ſpem meam, & eius inniti auxilio vt videlicet ſuo munere mihi ſit perſeuerantia in obſeruantia mandatorum ſuorum, & tandem in extremis inueniar in gratia ſua, & in ſuo ſeruitio. Et ſi non concedetur hæc mihi gratia intuitu precum mearum, ſaltem concedetur propter diuinum mandatum quo ſtimulor ad pe- C tendum.

Conſidero inſuper quod ſi veſtrum quilibet vnius diei indultum ſeu remiſſionem impetrauerit, magnis abundabo diuitijs. Minimè aut difficile eſt ita impetrare, immo longè plus quam petere præſumerem, quoniam & ſi magna recipere nõ merui, veſtra tamen largitas expoſcit vt magna mihi tribuantur, ſed & mea ingens neceſſitas pręſidium magnum efflagitat non alibi quam apud vos inueniendum. Quod ſi quis dixerit hanc eleemoſynam bonis operibus & legitimis ad vos D obſequijs eſſe mihi conſequendam. Reſpondeo quod iam eſſet eleemoſyna quodammodo vendita non donata, quamuis tamen etiam id modicum honoris quod vos interpellans, meq; ſubijciens & humilians vobis impendo, quodam iure poſtulat vt quadam viciſſitudine mihi ſuccurratis, atque ita non in vanum ſpem meam atque refugium in vobis poſuerim. Fateor quidem me non condignum ad vos habere honorem & amorem, ſed debilis ſum viribus & facultatibus inops. E De modico autem modicum gratè ſuſcipiendũ eſt. Itaque dum ero locupletior in donis ſpiritualibus abundantius & opulentiori corde vos honorabo, vos amabo. Dico inſuper quod noui perſonas aliquas abſque litteris, ætate etiam iuuenes, quarum conuerſatio ab vtero fuit in campis, quæ nihilominus ex vehementi affectu largiendi alijs, dum ſibi nihil donandum adeſſe viderent, voluerunt id vaſculum in quo ſepeliri debuerant in eleemoſynam conuerti, ſeq; nudas in terram proijci & exponi vermibus, fuit hoc nobile teſtamẽ- F tum. Quod ſi vna parua ſcintilla charitatis tantũ opus hic deorſum valuit efficere, tantámque ſuſcitare flammam exterius ad ſubuentionem alterius, quid quæſo eſſe debebit apud veſtram abundantiſſimam ardentiſſimamque charitatem circa nos pauperes, qualem emittet ille ignis flammam, quale inſuper opus demonſtrabit?

Conuerto præterea conſiderationem mentis ad illam veſtram charitatem atque largitatem, quam dum hac mortali vita fungebamini, erga pauperes habuiſtis, vnde magnum certiſſimumque auſum concipio ad vos interpellandum, ſperans vtique mihi venire deſuper auxilium. Cum indubiè non diminuta ſit per gloriam veſtra charitas, immo ineſtimabiliter aucta & perfecta. Et ſi enim vobis deſit miſeria, miſericordia tamen adeſt, cum illi ſitis propinquiſſimè iuncti, cui proprium eſt parcere & miſereri.

Non ſufficeret tempus nec lingua aut intelligentia illa numerare pietatis opera quæ vobis veſtra ſuaſit charitas erga pauperes exercere. Quæ enim ægritudo, miſeria aut paupertas inuaſit homines cui mox non eſſetis præſidio, ſanando, ſuccurrendo, famem, ſitim, algorem patiendo, vt alios paſceretis & reficeretis. Alter veſtrum ſeipſum in ſeruum venundedit, vt filium pauperis viduæ de manibus hoſtium liberaret. Alter ſe mortis periculo commiſit, vt hinc alium eriperet. Alter diuiſit veſtem qua indutus erat hyeme profunda, vt alium nudum hinc tegeret. Alij nec metu mortis imminentis à pietate ſepulturę mortuorum aut viſitatione captiuorum retrahi potuerunt. Alij tanto gratiæ priuilegio donati ſunt, vt etiam vita functi de ſuis corporibus oleum miniſtrent ſanandis ægritudinibus opportunum. Hęc autem quę loquor non niſi corporalibus defectibus ſubleuandis deſeruiunt, quos reiterata incomparabiliter ſuperant animæ ſpirituales indigentiæ ac neceſſitates, tanto illis periculoſiores quanto corpori mortali præeminet anima immortalis, & mors ęterna magis timenda eſt quam temporalis & tranſitoria. Cum igitur nihil veſtræ charitati iam deperierit, immo multum accreuerit perfectionis, quanto magis nunc quam tunc ſuccurretis. Succurretis inquam mihi vos inſtantius in tanta neceſſitate requirenti, præſertim cum de his mea ſit ad vos obſecratio, quæ longè plus diuinum honorem ac veſtram laudem concernunt quam quælibet corporum ſubuentio.

Et verè ita eſt, quod etiam in carne viuentes, maiorem longè charitatem ad ſalutem aliorum demonſtrandis quam lingua ſufficiat exprimere. Nec etiam quamlibet acerbiſſimam pœnam aut mortis quodcunque horrendum genus perhorruiſtis, dum in medijs tormentis conſtanter verbum fidei ſalutaris prædicabatis, ad illuminãdum eos qui in tenebris idolatriæ ſedebant, ad dirigendum pedes eorum in viam pacis. Heu glorioſiſſimi ſancti, iam nec vos morti oportet, nec huiuſmodi perſecutiones & tormenta perpeti ad mihi auxilium ferendum, ad me ſanandum, ad me illuminandum, ad me denique dirigendum per tramitem virtutum, nec aliud circa hoc peto, niſi vt tantummodo ſenſeritis vel Dominum oraueritis, vt ita fiat quemadmodum fieri deſidero, & tunc abſque dubio fiet, ſiquidem nihil vobis denegandum arbitror à parte miſericordiarum. Mala quidem ſum fateor, & vitijs vndique irretita, id enim heu nimis experior. Sed Deo protegente nos vos perſecuta ſum, non vos morti tradidi, & nihilominus etiam pro his qui vos perſequebantur etiam in medijs tormentis, dum adhuc eſſetis hic ſuperſtites orare conſueuiſtis, quanto magis nunc ab his perſecutoribus immunes, pro me nihil horum conſcia deprecari curabitis. Condonate mihi obſecro nimium forſitan præſumenti & magna exaltanti. Meritò enim inquam mihi vos

humiliter

Digitized by Google

humiliter ac deuotè deprecanti aderitis adiutores atque oratores, qui iam tuti in gloria reſidetis, cũ etiam veſtra recuſantibus ac ſpernentibus præſidia, voſq; atrociter inſequentibus voluiſtis adeſſe propitij.

Loquitur anima inimicis eam in deſperationem inducere volentibus.

Recedite à me recedite inimici, & vobis ſilentium indicite. Dicitis enim quia fruſtra ſanctos imploro, fruſtra leuo in eos oculos meos quoniam de numero ſum reproborum, & æternę Dei iudicio damnationi obnoxia, atque ob id ſancti Dei omnes diuinam ſuper hoc voluntatem cognoſcentes, nullius momenti me reputant, & meas preces aure ſurda ſuſcipiunt. O mendaces atque infideles hoſtes, quis vos ſuper hoc certiores fecit? Certa quidem eſt hæc de vobis ſententia, quoniam irreuocabiliter damnationi traditi eſtis. Circa me certè non ita eſt, quoniam ſi me damnare Deus voluiſſet, iam dudum id facere potuiſſet, ſi quidem id dudum demerui, niſi miſericordia eius præueniſſet me. Si etiam me damnationi tradendum decreuiſſet, minimè mihi ſuo munere hoc tam vehemens adeſſet pœnitendi deſiderium, ſuumque patrocinium medijs ſanctorum ſuorum interceſſionibus implorandi. Scio profectò quicquid vos hoſtes iniqui dixeritis, me nunc in ea adhuc vita ſubſiſtere, in qua mihi facultas eſt meam Deo propicio ſalutem operari. Nec id mihi dubito futurum, ſi in toto corde ſcrutata fuero mandata eius. Scio inſuper id me ſuo munere & ſuorum ſanctorum præſidijs hoc poſſe adimplere.

Sinite ergo hoſtes nequiſſimi amplius ita me ad deſperationem proſequi, quia minimè pręualebitis. Et quod amplius eſt, quicquid in futurum circa me facere diſpoſuerit, ſua enim ſum, qua pro ſuo vti poteſt libito inſtitui nihilominus quamdiu gratia, tempus & facultas ad hoc aderunt, ipſum diligere, optimumque ac iuſtiſſimum iudicare, quod vos ipſi omnes inimici veſtra in malo impediente obſtinatione minimè facere valetis, in quo vtique veſtri ſtatus deterior extat conditio, cum ille vobis odio ſit, cui proprium eſt eſſe ſummum bonum, illumque in iuſtum ac crudeliſſimum cenſeatis, quem conſtat eſſe iuſtiſſimum ac pijſſimum. Abſit ergo vt vobis ſimilis fiam. Cur enim ſalui fieri non valetis, niſi quia indulgentiam poſtulare non vultis. Non itaque ſic faciam, immo inceſſanter indulgentiam petam & requiram. Ipſe etiam mihi mandatum dedit, vt ſpem in ſuo reponam auxilio, quod minimè faceret ſi me ſtatuiſſet condemnare. Cur quæſo mihi bonę voluntatis præberet initium cui complementum dare non vellet? Cur me ad meditationem ſui, inſuper & ad ſui cultus deſiderium commoneret, ſi non id me ſemper vſque in finem vellet eſſe facturam. Idcirco ſcitote fallaces inimici, illi potius quam vobis fidem adhibebo, nec ab inuocatione ſui patrocinij vllatenus deficiam. Diſcedite itaque hinc, & mala veſtra hora huc veneritis, & ad veſtram confuſionem me ſinite meæ orationi dare finem. Nec enim in conſpectu ſanctorum quibus aſſiſto nunc abibo, donec ſigno aliquo certo

A mihi innotuerit me fore exauditam. Quod vtique ſignum non aliunde certius ſumendum arbitror, quam ſi in profunda humilitate meos defectus meamque paupertatem recognoſcam, & ex toto corde illis intercedentibus in Domino habuero fiduciam. Quod ſi milleſies me ſeduxeritis ac deieceritis, milleſies reſurgam, quia mihi ſemper aderit aperta gratiæ porta. Illos in deſperationem adducite, qui diuinam bonitatẽ ignorant & ſanctorum potentiam, vel etiam qui eos exorare vel negligunt vel contemnunt. Fruſtrati quippe eſtis (fauente Domino) veſtra intentione

B circa me. Nec opus eſt vt mihi mea peccata commemoretis, inſerentes hinc me cœleſtibus præmijs eſſe penitus indignam. Id enim ſcio. Sed ſcio quod pius ille meus pater Ieſus Chriſtus meum debitum ſoluit, & mea omnia quotienſcunq; mihi diſplicuerint, deleuit peccata, mihiq; ſuo precioſiſſimo ſanguine cœleſte regnum lucrifecit & emit, & hoc titulo & nullo alio poſſeſſionem huius regni præſtolor, ſicut & olim ab illo glorioſo beato Bernardo in ſua viſione reſponſum ac-

C cepiſtis.

Adhuc loquitur anima inimicis volentibus eam in deſperationem inducere, & reſpondet eis.

Qvid dicitis adhuc fallaces atq; infideles hoſtes? Dicitis hanc meam ſpem temeritatem quandam eſſe ac præſumptionem, quoniam non eſt homo viuens ſuper terram quantuncunque etiam grauis peccator, qui non ſe confidat ſaluan-

D dum. Sed plurima eorum reſtant quæ ſtultus non excogitat. Dicitis inſuper multos vos in me cernere defectus, quos minimè diſcerno, méque obſeruatis vſque in finem, cum me ſic inuadere atque circunuenire proponitis, vt parum mihi prodeſſe poſſit hæc ſpes mea, quam præſumptuoſam temeritatem appellatis, cum illius regis legem minimè obſeruem vnde ſpero auxilium.

Nec profectò per hunc modum me deijcietis à ſpe bona. O nequam ac deſperati. Non quidem

E dico mihi hanc adeſſe fiduciam vt abſque obſeruantia diuinæ legis ſaluari præſumam. Eſſet hæc indubiè non ſpes, ſed præſumptuoſa temeritas. Huiuſmodi ſunt quam plures qui ſine pœnitentia & correctione malæ vitæ Deum eos ſaluaturum arbitrantur, dicentes non ideo eos Deum feciſſe vt condemnet. Abſit vt ſic ſpem meam inſtituam, quinimmo ſummè cupio in melius reformari, & legem totam adimplere, ſine qua impoſſibile eſſe ſcio me ſaluari. Ad id autem faciendum mihi confido præſtari vires à Domino, & ſancto-

F rum ſuorum ſuffragijs. Et quamuis iam ignorem an ſim in gratia vel non, aut ſi in ea permanebo, ſpero nihilominus quod Deus tandem meas illuminabit tenebras, ad dijudicandum illos in me defectus quibus forſan ad præſens à gratia Dei ſum aliena. Idque ipſum quotidie deprecor, vt ſic de tenebris meis lumen faciat ſpleneſcere, quod inimicis tandem dicere non incumbat: Nos eam proſtrauimus, nos eam ſuperauimus. Ipſum inſuper inſtantius exoro, vt me inſtruat, quo pacto legitima ſeu integra confeſſione, vel quomodolibet aliter à peccatis quibus forſan ignorans ſum

Digitized by Google

irretita, liberari valeam. Et quidem videtis qualiter ego frequenter meipſam præparo, vt ſciam quid reſponſura ſim in illa extrema hora mortis, quando ſum à corpore migratura, & ad id ſciendum ſummè anhelo. Sit igitur hæc vobis mea reſponſio videlicet quod cœleſtium bonorum retributionem peto ſub titulo & in ſpe mei glorioſi redemptoris Ieſu Chriſti, qui mihi ius in illis vendicauit, & ob id ſuam mihi impartiri miſericordiam precor, qua in primis à peccatis meis ex mera ſua gratia ſuam auertat faciem, & omnes meas deleat iniquitates, & exinde me faciat ſuæ legis factricem & mandatorum eius.

Scitis ne hic quidquam dicere? Quid ad hæc reſpondebitis ô vos inimici immortales, qui veſtris fraudibus malè me deterrere ſatagitis, quid vobis amplius reſtat replicandum? Si Deus pro me quis contra me? Quis me accuſabit? quis me condemnabit? Non vos profectò tortores, nullam niſi quanta vobis permiſſa eſt diuinitus habẽtes poteſtatem. Diſcedite igitur cum omni veſtra confuſione & ignominia.

Reuertar ad vos glorioſos cœleſtis curiæ ſanctos, ex quo his reſpondi proditoribus inimicis qui præcipuè in conſpectu veſtro mihi cõtinuas parant inſidias: me quoad poſſunt impedientes atque impugnantes. Non profectò vos in hoc venerantur. Nunquid non ero dum veſtris aſto cõſpectibus veſtra autoritate protecta? Nuncius etiam in medijs hoſtibus tutus erit, nunc autem hos cernitis perfidos hoſtes, ad meam quæ vobis velut nuncia dirigitur dirimendam lacerandamque orationem, niti méque deorſum de paradiſo velle præcipitare. Omni igitur iure illos odio habebitis nec eos audietis aduerſus me ſeu aduerſus meam deuotam orationem vociferantes, vos inquam hoc videntes ac conſpicientes, & ſi non alia ſubeſſet vobis cauſa mihi miſerendi pauperi veſtræ ſorori iam diutius vos deprecanti quam illorum ſpretus rationabilis & gaudij ſubtractio, quod vtique me vos repellentes ei afferretis, poteritis nihilominus & debebitis me videre me exaudire ac replere meæ indigentiæ ſaccum ab vbertate eleemoſynarum veſtrarum, vt ſic cum gaudio & profectu ad patris mei cœleſtis honorem & ad veſtram laudem & gloriam, inſuper & inimicorum veſtrorum confuſionem reuertar à vobis exaudita.

Oratio pro alijs viuis & mortuis ſuper hoc verbo: Orate pro inuicem vt ſaluemini.

ESto quod ego adeò perdita ſim ac deiecta, vt pro me nullam eleemoſynam valeam aut debeam meo quæſtu impetrare, ſupplicio ſaltem ne mea miſeria fiat nocumento cæteris pauperibus magni hoſpitalis huius mundi ac carceris purgatorij quos quæſtus & pro quibus interpello. Satis quippe immo nimis magna eſt mea pro me miſeria abſque hoc quod cæteris ſim detrimento, ſed & cæteri ſatis abundéque ſua torquentur inopia abſque hoc quod mea eis infeſta ſit, dum mihi iam ex officio incumbit huiuſmodi pro eis quæſtum facere, aut quia per eos ad hoc ſum deputata aut requiſita aut rogata, aut quia ob id aliqua re-
cepi temporalia, aut quia mihi ſanguine iuncti
A ſunt aut quia dum eis vires ſuppetunt, ſimile mihi beneficium impendunt.

Vererer profectò pro his ſpirituales eleemoſynas non poſtulare ſecundum eorum indigentias, quæ multum certè ſunt miſerabiles. Et haud dubiè non poterit eleemoſyna illic inutiliter accedere, quia & ſi non huic ſaltem alteri conueniet. Non eſt paupertas infirmitas, moleſtia vel afflictio quæ non inueniatur in hoc hoſpitali atque in præfato carcere diriſſimo. Quidam namque ardentiſſima febre luxuriæ correpti, adeò vehemen-
B ter cruciantur vt nec ad momentum reſidere aut quieſcere poſſint, alij auaritiæ hydropiſi turgentes indeſinenter ſitiunt, alij torporis & acediæ putreſcunt lepra, alij velut canes furioſi, iurgijs ac detractionibus perſtrepunt, alios porcina defœdat crapula, illos ira vindicandíque feruor inſanire facit, hos inanis gloria tumeſcere, alios abſque intermiſſione torquet inuidia, ita vt nec vlterius proſpera patienter cernere ſinat, habet hic aures impias, ille cæcos habet oculos, cæteris cor graui-
C ter laborat, plurimis nec vnum membrum validum eſt, ſunt qui per malam famam vndique fœtidi ſunt, & vt breui ſermone multa quæ ad plenum exprimi non poſſunt amplectemur, nemo eſt qui non alicui ſubiaceat indigentiæ aut miſeriæ, hic quidem plus ille autem minus. Quantum autem ad eos qui carceri purgatorij mancipati ſunt res ipſa patula eſt, pœna ſeipſam manifeſtat. Sunt nihilominus hi Deo ac ſuæ familiæ dilecti, poſt breue temporis interuallum filij regis in glo-
D ria coronandi, ac proinde merito eis eleemoſyna impendenda eſt. Et cum pro ſeipſis mendicare nequeant, ego paupercula in cæteris ex compaſſione commoueor & impellor (vt iam dixi) pro eis mendicare, etiam ſi nihil hinc ſim commodi perceptura. Offero igitur ſaccum meæ mendicitatis vobis opulentiſſimis eleemoſynarijs, imponatis larga munera huiuſmodi infirmis ac captiuis eroganda ac diſtribuenda, vbi tam euidens inuenta eſt neceſſitas. Eſt profectò paupertas non ficta, nec enim eſt paupertas alia quæ paupertati
E peccati valeat comparari. Plures quidem veſtrum ô glorioſiſſimi ſancti Dei experimento didicerunt quod nunc dico, ne igitur me vacuam remiſeritis à conſpectu veſtro, quæ tam iuſto titulo & in tanta neceſſitate vos interpellare compellor.

Oratio ad Dominum Ieſum Chriſtum & ad glorioſam virginem.

O Certa ſpes ac finale refugium animarum Ie-
F ſu Chriſte redemptor noſter, & tu Virgo ſua mater glorioſiſſima. Et ſi ego paupercula apud cæteros omnes ſanctos eleemoſyna gratiæ fraudarer repulſamque ab illis omnibus paterer, conſiderem nihilominus adhuc in excellenti ſuperabundantia veſtræ dulcedinis miſericordiæ, atque largitatis veſtræ bonitatis immenſæ. In vobis ſiquidem duobus & per vos celebratum eſt atque perfectum noſtræ redemptionis opus, datique eſtis ac ſpiritualiter ex officio deputati ad ferendum opem miſeris & reconciliandum peccatores qui ſi vtique non fuiſſent, nec tu Domine Ieſu

ſu Chriſte humanitatem ſuſcepiſſes, nec tu domina glorioſa fuiſſes effecta mater Dei. Hic ſanè reperio meum quidem carne fratrem meum eſſe Deum ac meum iudicem. Inſuper & meam ſororem optimam illius quidem iudicis matrē meam conſpicio factam aduocatam ac protectricem. In his diues ſum cum in meipſa ſim pauperrima. Apud hos quælibet neceſſaria mihi atque opportuna copioſè reperire valeo, qui vtiq; nihil vtile ac ſalutare mihi denegabunt. Non egredientur profectò extra portam meæ memoriæ, ſi non prius partem ſuæ dulcedinis ac bonitatis guſtauero. At ego quidem inter hæc duo tam tuta præſidia collocata quo pacto deficiam, cur non ſperabo? Cur diffidam? præſertim ſi non ab eis abiero, ſi non mea ignauia eorum fecero longè à me auxilium? Et hoc vtique eſt pro quo nunc inſtanter vos deprecor, vos exoro, vos inquam talem matrem talémque filium, qui me talibus tanquam ſolidis bonæ ſpei vinculis vobis iungi connectique voluiſtis, vt veſtra protegente gratia nunquam à vobis valeam ſeparari, ſi tamen in nouiſſimo ſuſpirio mortis in hac ſpe & gratia reperta fuero.

Alia oratio ad Dominum Ieſum Chriſtum & glorioſam virginem.

O Me inconſultam, deſidem atque infelicem, qua temeritate frequenter ab illa mei patris Ieſu Chriſti, ac meæ matris tuta protectione me ſubtrahere audeo? cur euagor per amaras voluptates & per periculoſos riuos magni huius mūdi maris? Quid alibi tam ſtudioſè perquiro quod lōgè abundantius tutiuſque hic paratum inuenio, diuitias honores ſapientiam, voluptatem? Cur non expaueſco ne dies mortis in eo ſtatu me præoccupet, in quo meo diſtituta præſidio, vadam præceps in profundum inferni vbi nulla eſt redēptio. Cur recuſo, cur negligo in eorū ſocietate per ſanctam meditationē verſari quorū ſolo præſidio cōſtat omne bonū adipiſci malaq; vniuerſa poſſe vitari? Magna quippe eſt hæc ingratitudo, magna inſuper inertia, immo verius horrenda quædam miſeria hoc mihi ſemper dū venire voluero paratum refugium auxiliumque non recognoſcere. Verum ô dulciſſime pater Ieſu Chriſte ac beniniſſima mater virgo Maria, ouis illa ſum quæ ſæpe nimis errans perdita eſt. Sum & illa fatuella, deſidioſa, errabunda filia, quæ non niſi tracta & coacta vult per vias recta incedere. Aſſumite ergo manum illius & tenete, nec eam ſuo dereliqueritis regimini, quoniam ſic citò iret in perditionem.

Hic loquitur anima in tribulatione exiſtens ad ſui conſolationem & patientiam, plurimos tribulationis fructus ſibi commemorans.

O Ptime venerit mea gratioſa domina tribulatio, & cum gaudio & affectu bono ſuſcepta ſit. Meus quidem pater optimus te miſit ad me non dubito. Te ergo æquiſſimo iure benignè lętantérque debeo ſuſcipere, & non indecenter tractare aut repellere per impatientiam, tibi aut

A iniuriam irrogando, aut aduerſus te improbè murmurando.

Erraui fateor, venis ad me iuſtam pœnam acceptura. Inſipiens ſum ac ignara, venis me inſtructura. Deturpata ſum ac fœdata, ad decorandum ac mundandum me aduenis. In deuium propero, accedis ad dirigendum. Mortem æternam demerui, ad liberandum me feſtinas. Grauibus oppreſſa ſum, debitis releuare me prætentis. Elōgaui me à facie patris mei Ieſu Chriſti, ad me illi denuo approximandum reconciliandumque huc profecta es. Cum his qui me oderunt & occidere quærunt

B inij conſortium, hinc me venis eripere. Nunc penè excæcata ſum & ſurda, nimiumque mollis & laſſa in omnibus membris meis facta, veniſti ſalutem ac robur largitura. Fiat igitur in me ac de me ad plenum ſecundum inſtitutum veſtri beneplaciti iuxta mandatum & commiſſionem optimi patris mei. Gratias ago illi milleſimas, qui non vt ego illum frequenter ita me neglexit, qui me nolens perdere, per te me velut filiam dilectam viſitat, quæ nec digna ſum ad ſuam gratiam vocari,

C quæ potius mortem merui quam aliam quamlibet diſciplinam & potius horrendam gehennam quam paternam ac manſuetam correptionem.

Verum te vnum deprecor (ô mea veneranda domina) vt ea circa me commiſſione quam à Deo non quam ab hoſte ſuſcepiſti, fungaris. Quodque tuam pro menſura meæ fragilitatis mitiges diſciplinam, non me ſupra quam ferre valebo grauius affligens. Quo non obſtante, volo vt nec clamor, nec gemitus, nec actus, nec ſignum quodlibet in

D me diſplicentiæ, aut amaritudinis, aut indignationis te retrahant, quominus dulciſſimi mei patris iuſſionem, de me & ſuper me quantum ſufficit impleas. Longè enim melius me nouit quid mihi expediat, fiat itaque vt inſtituit, & ſua non mea voluntas impleatur. Quantuncunque mihi grauis extiterit dolor, etiā ſi ferra, ſi ignes ſi verbera vulnera diſpoſuerit, fiat voluntas eius, tantummodo me in ſuam ſuſcipiat filiam, mihique ſociam faciat tuam ſororem patientiam ſine qua vtique nimium dura es & minus accepta. Ita ſi fiat

E mihi, profectò ſatis erit, nec aliam ergo me peto clementiam, nimium ſanè dura, nimiumque dira mihi forte illa clementia, quæ ad breuiſſimi temporis moram ſuſtineret huius ſeculi abuti voluptatibus, atque in ſtercore meo volutari ac putreſcere, donec in momento infernalibus canibus traderer deuoranda, illic moritura ſine fine. Longè fiat à me talis clementia taliſque miſericordia. Tibi igitur magiſtra optima parere recuſem, tuam æquanimiter ferens diſciplinam, tuam percuſſionem, tuam quantumlibet duram correctionem?

F Tolerare quippe oportet mala præſentia, vt potiora tandem obtineantur. Nam & pater meus Ieſus Chriſtus ab hoc ſeculo non migrauit abſque dura admodum pęna, ſed nec eius mater dulciſſima. Quæ ego ſum vt hinc immunis euadam? non eſt hoc profectò poſtulandum.

O veneranda magiſtra & domina, dicito (ſi libuerit) ac denuncia patri meo, in quanta nunc afflictione detenta ſum, quam pęnam ac preſſuram ſuſtineo, quatenus ſuæ miſereatur pauperi filiæ, fragili atque labili, plenę anguſtiarum & tormentorum, ploratuum & gemituum. Quodque pro-

Digitized by Google

pter ſuam bonitatem immenſam in his tormentis mihi miſericordiam impendat, reperiens in me bonum aliquod quod remuneret. Vides nempe propter vehementiam doloris nec conuenienter orare, nec ad Deum meum mentem meam dirigere poſſe.

Sed vt vos pijſſimi curatores curiæ patris mei præfati, & præſertim tu benigniſſima mater miſericordiæ dic ſæpe dicto patri meo iam ſatis eſſe, poſtula mihi pacem & reconciliationem, vt tui honoris ac precum tuarum intuitu, conſolationē aliquam experiar atque alleuiationem ab his quibus nunc premor flagellis, ſicut de his pueris qui ſcholaſticis incumbunt diſciplinis fieri ſolitum eſt. Exhibete mihi ad inſtar illius piæ matris, quæ ſuam filiam eripit de manibus patris eam verberantis. O nequam inimici vereor ne in meis verberibus rideatis eo modo quo de his inſolentibus pueris rideri ſolet, qui pro ſuis petulantijs in ſcholis verberantur, dicendo, ne perceperitis, quoniā bene meruerunt. O peccatum væ tibi, quia me tormentis huiuſmodi tradidiſti. Infelix illa hora qua me ad patris mei offenſam induxiſti. Initio quippe mihi vultum oſtendebas hilarem tēque placitum ac humanam mihi ſimilabas, ſed heu grauiter nimis tua cauda pungitiua eſt & amara.

Quomodo igitur tibi amplius fidem dabo? Cur te non toto conatu deteſtabor? Nunquam ita ad me reuerti valeas, nunquam mihi te videre conceſſum ſit.

Adhuc loquitur anima tribulationi congratulando ei.

O Tribulatio ſi per hæc flagella tuta ſim, ac ab illa morte horrenda ſæuiſſimáque facta immunis, ſi per hæc ius hæreditatis paternæ quod iam perdideram recupero, & (quod longè melius eſt) ſi per hæc ad gratiam mei patris reuertor, atque hinc mea conualeſcant præmia, profectò mihi optimè eſt. Conabor tamen amplius huiuſcemodi facinus nullatenus admittere, ignorans certè an vice altera mecum tam miſericorditer ageretur, vt nunc actum eſt.

O magiſtra tribulatio, ex quo mihi mundanas ſubtrahis conſolationes ac ſocietates, nec mihi poſſibile abſque aliqua conſolatione viuere. Cōcede mihi vel alteram aliquam conſolationem ad ſupportandum tuas afflictiones atque tormenta. Fac me illius dulcedinis participem quam ſecundum prophetæ dictum Deus ſeruat & abſcondit his qui timent & diligunt eum, per quam dulcedinem beatus Stephanus ſuos nihil æſtimabat lapidatores. Beata Agatha ad carcerem tanquam ad nuptias properabat. Apoſtoli in verberibus exultabant. Sanctus Paulus dicebat ſe libenter gloriari in infirmitatibus ſuis, & ita fuit de alijs quibuſlibet ſanctis.

O quid dico ego inſipiens & inconſulta, quid dico? Cur amplius velim meum quærere ſolatium? Hæc eſt enim gloria Dei, vt iuſticia eius impleatur, quod vtique fit dum tribulationem ac triſtitiam patior pro prauis ac ignominioſis voluptatibus, quibus prẹter Dei nutum ac mandatum frequenter fruitus ſum. Decentius itaque eſt ac rationabilius, vt Dei voluntas impleatur, me verberans & corrigens, quam de mea vanitate A conſolationem accipiam. In hoc itaque mea ſit conſolatio, vt pater meus mihi pacatus ſit, atque in me pacem & iuſtitiam ſe oſculari faciat te mediante magiſtra mea tribulatione. Per te inſuper illi ſimilis facta ſum, qui repletus eſt dolore & anguſtia in ſua benedicta paſſione.

Debent itaque hi & plurimi alij profectus quos adducis ſufficere ad congratulationem tuæ præſentiæ, longanimiter expectando illud excellentiſſimum regni cœleſtis præmium, ad quod per te intrandum eſt. Nondum quidem tempus eſt B perceptionis præmij huius. Præmium ſiquidem labor antecedet, non laborem præmium. Fiat itaq; voluntas tua.

Meditatio animæ ad recognoſcendum Dei beneficia, & ad ſe excitandum, ad gratias reddendas Deo.

PLaceat tibi Domine Deus omnipotens & pater glorioſe, placeat tibi vt ea cognoſcam, C & commemorem bona quæ mihi quotidie tribuis. Ingratitudo enim atque inconſideratio beneficiorum tibi ſummè diſplicent, optimóque iure nobis quidem vis tuorum bonorum vtilitatem afferri, tibi autem honorem & gloriam. Ita igitur ſit Domine, prẹſerua me ab illa tam reprehenſibili ambitione qua tuam volui furari gloriam, illamque mihi aſcriberem. Hoc enim faciēs dum gloriam quæ in tuam cedit ſortem, mihi vellem tollere atque vſurpare, iuſta viciſſitudine vti-D litatem omnem quæ in meam partem accederet, amitterem. Lucifer ille de altiſſimis cadēs ad ima, mihi exemplo eſt ne ita præſumam, ſimiliter & ſuperbus ille phariſæus. Heu miſera quid habere valeo quod ex te non accipiam. Cur igitur hinc meipſam glorificabo? Cur hinc honorari deſiderabo? cur cæteros quibus huiuſmodi dona non adſunt, contemnam? Aufer Domine hanc à me ſtultam ac temerariam arrogantiam, ſit itaq; tua gloria tota tua.

Sed ad tua me conuerto beneficia, atque in pri-E mis hæc in natura conſidero vbi animaduerto, quod ſi cœlum tale, ſolem talem ac lunam ac tale vniuerſum quale eſt hoc in quo nunc poſita ſum, propter me ſolam ac meum amorem inſtituiſſes, in ſtuporem duceretur omnis creatura hoc audiēs atq; diceret: Hæc eſt illa à Deo præcipuè dilecta, propter quā tā magna & precioſa dona iſta creauit. Conſtat nihilominus quod etiam in hoc caſu mallem aliorum quorumlibet adeſſe conſortium quam in ſolitudine relinqui, nec etiam ſi in mea F foret optione vellē alios homines aliáſq; beſtias & aues huic mundo deeſſe, in eóq; nō viuere eóq; mecum non vti, dum illorum carentia mihi nulli eſſet profectui, quoniā abſq; conſortio minus iucunda minuſq; grata eſt cuiuſlibet boni poſſeſſio. Vnde me tibi hinc magis obſtrictā cōcipio, quod ſic me in hoc mundo ſtatuiſti quam ſi mihi ſoli illum deſeruire feciſſes. Apparet igitur quantū me dilexeris talem mihi mundū tribuens ac meo deputans vſui. Inſuper ſi euentu aliquo, ratione atq; intelligentia prorſus eſſem deſtituta, & hęc in me tam precioſa naturæ dona ſuffragio medicinæ aut alio quolibet modo quis in integrum repareret.

Nonne

Digitized by Google

Nõne hinc me infelicem multũ reputarẽ, necnõ & illi qui hoc mihi impendiſſet beneficiũ, me cẽſerẽ vehementer obligatam? Et tamẽ lõgè præclarior ac melior eſt mea conditio, dũ hęc tuo dono ſuſcepta integrã cõſeruo quã ſi deperdita aliũnde recupero. Idem de cæteris omnibus mei corporis mẽbris ſẽtio. Et generaliter de omnibus in me bonis ex dono creationis acceptis. At verò gratię dona lõgè his maiora ſunt ac potiora, quãuis ea quæ numeraui naturæ dona mereãtur abundanter tibi gratias reddi, te à nobis diligi, te à nobis honorari, in hoc tibi reddẽdo quod tuũ eſt. Non quod bonorum noſtrorũ egeas, ſed quia ſic fieri voluiſti & diſpoſuiſti ad noſtra vtilitatem & ad tuã gloriam. Super hæc tamẽ omnia mihi tales ſuperaddidiſti gratias vt te poſſim habere in patrem ſingularem & tanquam legitima filia totius tuæ hæreditatis fieri participes, atq; in tua gloria glorioſè regnare perenniter. Sed & poſtquam protoparens in hanc ſuo demerito perdidit hæreditatem, tu illam mihi per lauacrum regenerationis reſtituiſti, mẽq; voluiſti de tua fieri ſingulari familia in lege tua chriſtiana. Quæ ſunt Domine opera mea aut merita, vt mihi poſt ſic perditam hæreditatem hoc tam ſingulare tamque excellens munus largiri volueris? ad illius denuo perceptionem miſericorditer me reuocans præ cæteris illis omnibus qui veram fidem non habent, tui ac tuæ veritatis noticia carentes & ſine baptiſmo ab hoc ſeculo decedentes. Eſt profectò hæc vna ſingularis & mera gratia vnde tibi ſoli meritò gloria donanda eſt. Hic verſatur opus meæ redẽptionis, in quo longè plus quam in mea creatione laboraſti, dum vſque ad mortis acerbiſſimę ſufferentiam militaſti. O qualem gratiã, ô qualem dilectionem pro me ipſa exhorreſcerem, quod pro me Deus meus pati dignatus eſt, ſi tuam in terris conuerſationem commemorare velim, à tempore conceptionis incipiens vſque ad horam aſcẽſionis in cœlum, nihil præter euidentia incomparabilis dilectionis ac ſupermirabilis dignationis ſigna reperiam erga me indignam atque miſerabilem. At poſtquam reſuſcitata ſum per gratiam regenerationis baptiſmalis, heu quotiens iterata gladio peccati me morti reddidi obnoxiam? Quotiens te meum patrem ac benefactorem offendi, te meum ſupremum iudicem, qui me in momento potes in profundum inferni præcipitare? ſicut præcipitaſti luciferum & angelos eius in tanta perfectione inſtitutos, ſicut & plurimos alios peccatores, quibus non dediſti ſpacium aut animum pœnitendi aut veniam percipiendi, ſed eos irremediabiliter cõdemnaſti, hic quidem in crimine deprehendens, & mox horribili patibulo infernali tradens ſuſpendendos. Mirum quippe eſt ſi aliud quicquam facere voluero quam tibi regratiari quam tibi ſeruire quam te honorare. At ego nonnunquam te offendere audeo malè tuis vtendo bonis, & quod omnem ſuperat offenſam inde tibi etiam aliquãdo bellum mouendo? Sed & ſuper hæc vt mihi ſemper cura morbi parata ſit pœnitentiæ ſalutare tribuiſti ſacramentum. Et ad me tibi reconciliandum ac veniam imperrandum, tuos ſanctos pro me fieri oratores voluiſti & ad eos eſſe recurrendum, quod vtique eſt mirandæ dilectionis ſignũ, dum illos tuos amicos præcipuos pro me dignaris

interceſſores fieri quę mortem merui milleſies & A præcipuè illam tuam glorioſiſſimam matrem meam inſtituis aduocatam ac mediatricem, & quod amplius eſt, mihi præcipis vt in te ac tuum præſidium ſpem meam atque fiduciam totam reponam. Verè inexcogitabilis eſt hæc gratia quam mihi præſtas, iſtáque dilectio quam mihi inſinuas talis ac tantus Dominus tali miſerabili, talis iudex tali peccatrici, talis maieſtas tali vtilitati, talis felicitas tali infelicitati. Quid de illa dicam ſplendida atque opulenta ſcripturæ ſacræ menſa, in qua me ſuauiter reficis, vbi propiciam & ſalubrem aduerſus omnem morbum inuenio medicinam, vbi tota eſt dulcedo, & pro mea conſolatione ſuauiſſimus ſapor? B Nec ſilentio prætereunda eſt ſpecioſa illa tuorum angelorũ cuſtodia mihi tua dignatione impenſa, ad me dirigendũ & ad conducendum in via hac tenebroſa ſqualentiq; deſerto ad mihi conſulendum & auxiliandum in neceſſitatibus meis, ad me potenter protegendum contra terribiles illos ac ſęuos canes infernales ne me deuorent, aut ſuis circumueniant fraudibus, ac peruerſa ſubtilitate qua pleni admodũ extant. C Quomodo igitur illis reſiſterem ego ſola ignorans atque infirma, niſi illius præfatæ cuſtodiæ adeſſet præſidium? Certè nequaquam poſſem. Demum quis ore proferre poterit aut corde cogitare magnam illam tuam gratiam qua ad perceptionem ſanctiſſimæ euchariſtiæ me dignaris admittere, vbi tua corporalis adeſt præſentia, vbi adſunt & miniſtrantes angeli, vbi deuotarum mentium potentiſſimum inuenitur nutrimentum, vbi etiam tua paſſio amariſſima & ememoratur, vbi denique patri omnipotenti Deo noſtro redemptionis D ac purificationis offertur ſacrificium. Heu pater mi dulciſſime, heu benefactor ſingularis, heu inquam atque milleſies: Heu mihi tuæ miſerabili creaturæ, quæ pro his donis immenſis pro his gratiæ excellentiſſimis muneribus, dietim tibi malum pro bono rependo, pro gratia ingratitudinem, pro honore conuitium, pro beneficio nullum ſeruitium, immo maleficium. Videor mihi profectò omnem creaturam ad vſum meum tua bonitate creatam, oculis meis atque auribus in- E geri legitimo iure contra me inſurgentem, ac de me cum clamore valido damnationis vltionẽ expetentem. Condemnetur exclamant hęc maligna atque inſenſata, quæ ſic nobis malè abutitur, quæ aduerſus creatorem ſuum & noſtrum, nos ſuis cogit obſequi temerarijs ac turpibus voluptatibus, quæ nos totali maliciæ ſuæ ſubmittit, quæ ſine medio ſoli Deo ſeruire debemus, atq; in perſona eius bona operando cum laudare atque magnificare. Abijciatur ergo hæc maleuola ab omni alia creatura, & impugnetur velut omnium F noſtrum inimica & proditrix noſtri ſummi regis atque imperatoris. Inſuper rationem meam atque intelligentiam conuerti ad vanitatem aut curioſitatem. Aut etiam hinc malè meo corpore velut beſtia vſa ſum. Conſtitui magiſtrum & patrem meum malignum illum hoſtem humanæ ſalutis, cum tamen tua clementia tua eſſem in baptiſmo facta filia & diſcipula, omnia quæ in baptiſmo promiſeram tranſgreſſa ſum. Tuã conuerſationem in terris. Tuam ſalutarem paſſionem minimè commemoraui, aut per deuotam

Digitized by Google

compaſſionem honoraui. Sacramentum etiam fructuoſæ pœnitentiæ duxi ridiculo, dum mox poſt petitionem veniæ reuerſa ſum ad vomitum. Scis etiam pater mi cœleſtis, quam paruum honorem, cultum aut reuerentiam tuis ſanctis atq; angelis impẽderim, & præſertim fidelibus illis meis cuſtodibus. In frequentatione menſæ ſcripturæ ſacræ deſidioſa fui aut curioſa nimis inanem magis quærens gloriam quam in virtute profectum. Poſtremò dum mihi commemoro illam meam indignitatem, indeuotionem erga ſanctiſſimum euchariſtię ſacramentum penitus contremiſco, & meritò erubeſco & expaueſco, timens ne in hac tam precioſa refectione frequenter vt Iudas verſata ſim, aut ſicut præ propere cõmedens, aut ſicut is qui venit ad nuptias non habens veſtem nuptialem. i. charitatem. Nec hic habeo quid reſpondeam, niſi quod nunc de hoc quantũ valeo, etſi non quantum debeo doleo, indéq; magnam atq; abominabilem cõfuſionem intra me patior, & ſuſtineo. Sum itaq; mihijpſi intolerabilis, ſi nõ aliter vitam correxerim, ſi non aliter ad te amandum, ad te colendum me impenderim, quamuis id ſcio quod ex me nihil valeo, nihil ſcio. Eſt itaque ſpes mea finaléq; refugium in te ſolum, vt id bonum quod cepiſti in me perficias & conſumes vſque in finem, inſuper & malum quod in me dominatur magis ſemper ac magis expurges & diluas. Parum ſiquidem prodeſſet, imo mihi grauiter obeſſet omne bonum mihi à te conceſſum, ſi non per te fuerit à malorum incurſibus indeſinenter cuſtoditum ac protectum. Inſuper & mihi tuipſe donaueris per gloriam quod apud præſens in ſpe indulges & promittis.

Meditatio quadam anima cum ſe perpendit in temporali proſperitate & ſpirituali ſimul reddendo gratias Deo.

O Excellentiſſima atque ineffabilis Dei bonitas. O pater miſericordiæ & Deus totius cõſolationis, quibus meritis data ſunt mihi hæc bona quæ peccatrix ſuſcipio? Cur mihi bonum pro malo redditum eſt, gratia pro ingratitudine, pro dedecore gloria? In te Domine in te ſurgit ſpiritus meus, & omnia quæ intra me ſunt te benedicunt & magnificant. Tu enim meas deles iniquitates, tu omnes infirmitates meas ſanas, tu me liberas à morte, tu me circundas miſericordia & miſerationibus, tu reples in bonis deſideriũ meũ, tu renouas vt aquilæ iuuentutem meam, tu me dimittis in pace mentis & corporis.

In labore & ſudore alterius comedo panem, quoniam mihi tribuis quod alij magnis nacti ſunt laboribus, nunc æſtum, nunc frigus paſſi, mari terráque in medijs periculis peruagantes. Tu mihi terras & poſſeſſiones populi largiris vt diligentius ac liberius mediter in mandatis tuis & legem tuam exquiram. Principes ac nobiles ſuorum corporum periculis me ſemper in pace cuſtodiunt, vt ſine timore de manu inimicorum liberata, tibi ſeruiam in ſanctitate & iuſticia omnibus diebus vitæ meæ. Iuſtum igitur eſt vt & ego parte ex altera te pro omnibus alijs deprecer, à quibus tua bona ad me perueniunt, téque pro illis laudem, te obſeruem, te honorem præſertim A quia non ſatis frequenter ad hoc valent intendere. Laborant quidem pro me iuxta ſui officij exigẽtiam. Rationabile igitur eſt vt ego non obdormiam aut pigreſcam in his exercendis quibus ſum deputata, hoc ſanè mutua charitas poſtulat, vt inuicem benefaciamus. Vnum te potiſſimum precor Domine, vt hæc mihi à te indulta proſperitas & ſecuritas inſuper & tibi ſeruiendi libera licentia non meo veniat detrimento, ne ſit hæc proſperitas mihi loco præmij finalis. Ne quæſo in hoc mundo mihi mea merces tribuatur. B Fateor quippe me etiam bonis præſentibus indignam. Sed largiſſimè Domine pro beneplacito tuæ voluntatis potes me in tuo ſeruitio cum his proſperis legitimè inſtituere, quoniam adhuc longè meliora ac ſublimiora promittis & tribuis tibi ſeruientibus, vitam ſcilicet illam beatam atque ſempiternam. Tu profectò meam cognoſcis fragilitatem ſciens me illam eſſe imbecille atque infirmam filiam, quæ velut delicata ac tenera infantula vtiq; magnas non poſſet ferre moleſtias, C atque ideo ſibi plus cæteris & ſupra ſua merita parcis. Veniet tempus in quo virtutibus amplius roborata, & ab vberibus non libens auulſa, potero forſan tutius experiri & probare duriciem aduerſitatis, ac ſolido cibo tribulationis veſci.

Alia meditatio anima diſceſſum ſuum à corpore rememorantis ad tunc habendum aliquod auxilium, & ad ſe excitandum ad ſanctum pauorem. Et continet plures particulas.

D

QVis erit mihi quæſo fidus amicus, quis mihi fideliter aderit in extrema mea neceſſitate, in illa diſtricta hora ſeparationis à meo corpore, quis tunc erit mihi auxilio? Quis tunc loquetur aut reſpondebit pro me? Quis me liberabit dum vocata fuero in tremendo iudicio ſummi iudicis, quando me circundabunt vndique inimici me multifariè accuſantes, ac ſecum in gehennam trahere ſatagentes, quando teſtimonium contra me E dicet propria conſcientia, inſuper & opera mea? Tunc ne mundus aut amici carnis mihi venient præſidio? Non profectò, imo me ſinent ire quò potero. Aderit ne corpus cui tam ſtudioſè intendi? Certè minimè. Siquidem tunc iacebit putrefactum in terra, eritque vermium cibus. Aſſiſtet ne vel qualiſcunque conſolatio prius à me delectabiliter ſuſcepta? Reuera non, imo dum ad corporis portas aut priores conſuetas voluptates ad meam conſolationem regredi voluero, inueniam oculos, aures, linguam tactum & cætera vndique F membra (vt mihi voluptas adeſſe ſolita fuit) clauſa & ſerata, fortiſſima atque horribiliſſima ſera mortis.

Tunc igitur quid factura ſum ego miſera, quò diuertam? Quam aduocabo, ſi non aliunde veniat auxilium per aliquam aliam conſolationem aliunde quam à corpore venientem, ſi non antea mihi aliquem comparauero amicum, à quo aliter confortata ſubſiſtam? Cadam profectò intra me prorſus deſolata in laqueum deſperationis, & infra me in interitum æternæ damnationis.

Virgo

Digitized by Google

VIrgo glorioſa, ſpes certa & refugium ſingulare peccatorum, & tu ſancte angele Dei cuſtos bone, ac cæteri alij ſancti cœleſtes adeſtote nunc mihi, & mei eſtote adiutores. Tunc me defendite, nunc mihi conſulite, nunc me ſtultam deſolatam aſſociate, tunc me præſentate ad dexteram ante faciem ſummi iudicis ſub veſtra protectione, propellite canes illos infernales me deuorare quærentes, ſicut circa beatiſſimum illum epiſcopum Martinum & plurimos alios facere tentauerunt, impetrate nunc mihi illam gratioſam ſententiam. Veni benedicta patris mei accipe regnum, quod paratum eſt ab initio mundi.

EXpaueſco nimirum ac vndique contremiſco cum alterius illius memor ſum ſententiæ: Recedite à me maledicti, ite in ignem æternum. Heu quam amara ſeparatio à ſummo bono ad ſummum malum, de omnimoda felicitate ad totam miſeriam, de pace perpetua ad ſempiternam & abominabilem confuſionem. O ira Dei ac ſententia intolerabilis, ne cadas ſuper me, nihil quippe eſt in me quod te ferre poſſet. Allide me potius & flagella ſecundum multitudinem miſerationum tuarum in hac vita, & me ne ſinas in hac, quæ tam horrenda terrendáque eſt peccatoribus, eam in ſuo iudicio ſuſcipientibus iuſtitiæ curiam incidere.

EXpergiſcere expergiſcere miſerabilis creatura, & auribus erectis attende tonitruum huius ſententiæ, oculis apertis proſpice huius iudicij tenorem. Nimis profecto conſopita es, nimis obdurata, nimis excæcata ſi non perpendis hanc miſeriam punitionémque acerrimam, & perpendens non grauiter reformidas & totis viribus effugere conaris, & in recogitatione horum non contremiſcis, plus quam folium arboris à vento agitatum. Non eſt hæc fabula aut truſa, ſi chriſtiana es (ſicut vtique es) Deo annuente firma fide tenebis, quod ſi cum ſolo vno mortali deceſſeris ſententiam hanc horribilem irremediabiliter incurres. Qua igitur diligentia meritò fugies quaſi à facie colubri mortale peccatum, quam ſollicita eris in ſuperfluas & fictas huius ſeculi amicitias ſpernere, ac etiam ineptas illius delectationes, quæ tibi nullo poterunt eſſe ſubſidio in hac ſumma neceſſitate, & ſtudebis tibi facere amicos vel paucos aliquos ſanctos, imo præcipuè Deum glorioſum bene viuendo, vt tunc tibi ſit directio, ſalus & liberatio.

NE te quæſo ſeduxeris anima, ne te ipſam adulando palpaueris, ne querularis. Nec enim Deus illi ſuo ſupremo pepercit angelo lucifero, cuius tantus erat decor, tanta ſapientia, tanta perfectio, quinimmo illum cum ſuis complicibus propter vnum ſuperbiæ motum de altiſſimis paradiſi ſedibus in infirmas partes præcipitauit. Sed nec Adę protoparenti pepercit, quem cum tota ſua poſteritate propter vnam inobedientiam in eſu vetiti ligni condemnauit ad mortem. Immo nec cum toto mundo diſſimulauit, cum præter octo animas omnes vſque ad infantes vberibus adhærentes, immo in vteris adhuc recluſos aquis diluuij deleuit à facie terræ. A Sic & illam pentapolim, vnica ipſius Loth domo liberata, perdidit igne ac ſulphure, gentemq; totam illam æternis tradidit ſupplicijs: Nunquam ſanctum illum prophetam Samuëlem exaudire voluit pro rege Saül, quantuncunq; pro illo intercęderet ac ploraret. Sed nec illo ſuo proprio diſcipulo Iudæ pepercit, quem laqueo ſuſpenſum miſit in gehennã ignis. Sunt & alia plurima huiuſcemodi Dei iudicia ſuper homines Saracenos, Iudæos atque Chriſtianos dictu & cogitatu terribilia atque horribilia.

B Et tu igitur pauper ac miſera peccatrix, quid præ cæteris de te futurum arbitraris? Quid tibi eſt euadendi atque fugiendi fiducia? Tu dietim in deterius declinas, cum tua quam plurima, grauia facinora deflere ac emendare deberes. Nullam pro his condignam facis pœnitentiam, imo omnifariam tuam exquiris conſolationem, omnémq; dolorem ac tribulationem deteſtaris. Si frequenter tibi quies negatur in molli ſtrato, ſi nec paruam famis aut ſitis moleſtiam ferre vales, ſi leuis C etiam aliqua febris te languidam atque impatientem reddit, quæ tua quæſo virtus eſſe poterit ad ferendos illos ardores, non quidem leues non momentaneos aut ad horam tranſeuntes, immo verò ſupra quam dici poſſit duriſſimos ac ſempiternos confert ad illa tormenta tuos quos hic aliquando pati cogeris dolores & vel aliquando tui miſerere & tuæ puellæ proſpice.

NE quæſo de illorum ſis numero anima mea de quibus commune loquitur prouerbium D gallicanum: *Fol ne croit de ce qu'il prent.* Quod Latinè dici poteſt: Stulto ſemper contingit præter id quod credit. Tales vtique fuerunt illi quibus Loth ad receſſum de Sodomis ſuadebat ne perirent cum cæteris cui non credentes ſed tanquam deliramenta verba eius reputantes, die ſequenti cum tota pentapoli abſorpti ſunt. Sic & illis contingit quibus Noë (dum arcam faceret) iram Domini denunciabat, immo etiam illis qui ſibi comites erant in fabricatione arcę. Quibus E ſimiles hodierni noſtri videntur prædicatores.
Ne igitur ſic credere differas, & tibi contra hoc tam incomparabile periculum conſulere donec in illud incideris, tunc enim ſera nimis eſſet prouiſio. Audi quid dicat Deus diuiti illi petenti vt mortuum aliquem ſuſcitaret qui ſuos quinq; fratres admoneret ne ſecum in illum locum tormẽtorum venirent. Habent, inquit Dominus, Moyſen & prophetas, illis credant ſi voluerint. Tu itaq; anima habes ſcripturas & exempla plurima tiF bi nimirum hæc ſufficient ad iſta credendum: Tibi igitur caue & fac vt ſis parata circa horam tui deceſſus. Stultus enim eſt qui ſibi non prouidet in tempore. Ita repelle à tuo conſortio mortale peccatum pro tuis viribus, vt tunc tibi non ſit neceſſe ad eius expulſionem vacare. Libera te citò de manibus hominum ſi in eas incideris per debita aut rapinas, aut furta, aut odia aut alia quælibet huiuſmodi, atq; tunc te diuinæ miſericordiæ committe dum tempus eſt, ne differas donec ipſe veniat ad te, non quidẽ vt pater nõ vt benefactor, ſed vt iudex ſeueriſſimus & Deus vltionis, quoniã

Digitized by Google

tunc nulla erit redemptio. Si te experiris in eo ſtatu eſſe in quo non auderes à corpore recedere, cur non ſtatim abſque mora te ad illum reuocas? frequenter euenit vt qui non vult dum poteſt non poſſit dum vellet. Dat tibi Deus ſpaciũ pœnitentiæ, quo ſi abuteris ac deterius hinc facias, quæ tibi ſpes aderit vt tibi alio tempore Deus hoc ſpacium indulgeat? Caue ne ſi nunc Dei fueris immemor, & ipſe tui obliuiſcatur dum opus habebis. Non igitur tibi anima refugium aliud eſt niſi vt indilatè pacem habeas ad Deum fructus agens dignos pœnitentiæ, ac de teipſa iuſtam expetens vltionem. Si enim noſipſos iudicauerimus Deus nos non iudicabit. Quod ſi in tuis maleficijs non erubeſcas quæ totiens contra talem patrem ac tantum benefactorem admiſiſti, formidare debes te incurſuram atque experturam in te ſuam potentiam ac dominationem. Humiliabis te igitur ſemper in conſpectu maieſtatis eius, vultumque demittens in terram facie lachrymabili ſuam miſericordiam implorabis. Animaduerte qualiter ſancti dum in terra vixerunt iudicia Dei tam ſacra quam mirabilia expaueſcebant, cum tamen in ſumma puritate vitæ conſiſterent. Tu igitur quæ ab annis diſcretionis nec per diem à peccatis, etiam plerumque grauiſſimis, vixiſti immunis, iudica per hæc quid tibi ſit faciendum.

Hic luctatur humilis anima cum ſuperbia.

VEllem ex te ſcire ſuperbia temeraria quo titulo quoue iure prætendas in me regnare, omnia inſuper opera mea tibi conaris aſcribere & deputare? Deberet reuera potius humilitas dominari cum nihil ex me habeam præter malum. Et ſi quæ bona ex liberalitate Domini mei ſuſcepi, mox bona illa perdidi & abiecti ſicut illam primam ac puram innocentiam ſeu iuſtitiam in baptiſmo collatam, & poſt recidiuum per ſacramentum pœnitentiæ reſtitutam mortaliter peccans deſerui & repuli. Et plerumque etiam per venialia fœdis & obſcuris denigraui maculis ita vt meritò non minus erubeſcerem ante oculos Domini mei præſentare quam maculoſos leproſi alicuius pannos ſanie ac putredine vulnerum ſuorum plenos quis in conſpectu viri alicuius inſignis detegere formidat? Quid reſpondes ſuperbia? nunquid talibus panniculis gloriaberis quãtumcunque etiam prius mundi ac decori extiterint? Certè vt arbitror minimè. Si manſionem apud me facere quæris, & in ea demorari te delectat propter meam pulchritudinem, propter meas diuitias, aut propter fortitudinem, famã, ſapientiam, & ſic de alijs, cautius proſpice ne fallaris, quoniam hæc bona mihi non niſi ſub mutuò prouenerunt, & ad bene operandum ad gloriam Domini mei ſunt conceſſa. Et tamen vides qualiter his frequenter prorſus abutor ad contrarium Domino meo de ſuis bonis mouens bellum. Vnde penitus erubeſcere debeo atq; expaueſcere & confundi. Minimè ergo in me hoc titulo manſionẽ ſuſcipies, & præſertim quoniam ſi diligenter me perſpexeris inuenies me totaliter deformatam per culpam infirmam infamem atq, ignorantem. Nonne inſuper in illo huius mundi mari procelloſo ſum conſtituta in tenebroſa obſcuritate in fragili nauicula corporis huius mortalis, inter latrones & prædones aliáque diſcrimina quã plurima, vbi qualibet hora damnationis imminet periculum? Non eſt profectò tibi ſuperbia hic locus aut ſtatus tuæ manſionis.

A Dices forſitan quod ego regno & dominor ſuper multos. Et quid inde ſuperbia? Si in carcere aliquo tenerentur plures ad mortem condemnati niſi gratia eis impenderetur, & ego etiam condemnata cum illis præficerer eis ad aſſiſtendum, obſequendum & confortandum, quæ gloria mihi foret hinc ſumenda præcipuè ſi nõ in hoc meo

B legitimè fungerer officio, imo plus debito illos grauarem & opprimerem eorũ bona tollẽdo aut fame perire faciẽdo, aut quomodolibet aliter eos vexando fatigando aut perſequẽdo. Scis quia qui plus accepit amplius reddere rationem formidabit. Non igitur hoc titulo poteris in me locum accipere. Verum quid rurſus in occulto murmuras ſuperbia? Vis apud me forſan hoſpitari quia te abijcio & humilitati acquirendę ſtudeo. Nihilque

C bonorũ quæ in me ſunt mihi deputo, ſed Deo ſoli vt debeo tribuens, hinc ei gratias ago. Miranda quippe res moduſq; plurimũ alienus. Hinc apud me te velle reſidere, quia te morti trado, & quod magis ſtupendum eſt tuum hoſtem. ſ. humilitatẽ, medium quęris ad ingreſſum regni mei. Quęlibet bona opera mea, eleemoſynas, orationes, ieiunia, patientiam, pietatem, ac cætera ſimilia, tibi ſumis auxilio ad ſtatuendum in me regnum tuum hoc titulo qui me vtique tibi ex aduerſo meritò repu-

D gnaret, intra me & ſuper me dominum vendicare prętendis. Non ſic erit profectò ſuperbia. Eſſet enim beſtia nimium monſtruoſa nimiumq; prodigioſa. Quis enim aliquando tale portentum expertus vt res aliqua ſua morte naſceretur, ſuiſque contrarij filia exiſteret, velut frigus ex calore procederet, & aqua ex igne gigneretur?

Conſidera diligenter ſuperbia quid facere prætendis. Si enim non aliter quam per medium humilitatis quam in me perpendis, in me regnum tuum quæris ſcito, quoniam mox vt ingreſſum

E feceris, humilitas feſtinabit ad receſſum, atque ita mox dum abierit, tui dominij priuaberis titulo, quem in mea humilitate ſtatuiſti, & ſic etiam de qualibet alia virtute poſſum concludere, vel etiam de tua morte. Non enim ſimul poteris adeſſe mortua & viuens. Omnes etiam aliæ virtutes tuum refugiunt conſortium. Quare (vt arbitror) euidenter perpendis quam turpiter te fallis & inuoluis: quoniam tu ſola etiam cæteris omnibus excluſis malicijs, ſufficis me penitus odio ſam Deo reddere, me condemnare, méque extra

F meam habitationẽ irreuocabiliter eijcere ac propellere. Verum quid adhuc ſemper in deterius eniteris? Num aliquando deuicta ſuccumbes? Inuincibilem profectò te hoſtem experior. Quotiens enim te per vnam portam depello, per aliã regrediẽris, imo etiam ſi clauſa quælibet oſtia inueneris, per feneſtras aut paruas quaſlibet rimulas inſidioſè ſubintras, & quo te ignotam facias tuumq; fallacem vultũ abſcõdas, omnifariã tuum noſti ſimulare ac variare habitum. Non eſt virtus cuius non ſimulatoriè geras habitum ſanctum, om-

omnéſq; geſtus ſimules, adeo vt abſq; lumine gratiæ monſtrante ſpiritusſancto diſcerni non poſſis. A
Nunc quidem te ſub veſte humilitatis occultas, nũc formam geris iuſticiæ, nũc pietatem fingis, nũc vt pium eleemoſynarium te exhibes, nũc te laudibus exteris regis. Aliquando bonus videris prædicator, aliquando bonus paſtor, aliquando te propicium ſimulas conſiliarium, aliquando rectorem proficuum, & ita de alijs ſimilibus cautelis innumeris. Et cum per hunc modum non præuales, inter virtutes latitas, vbi tam ſubtiliter ingrederis vt nullatenus innoteſcas donec feriēs interimis aut prædictas expellis virtutes, pauperémque animam ſolitariam ac deſolatam derelinquis. B
O quam frequenter dum præcipuè deuotioni ac ſpirituali iocunditati ſimul ac ſanctę conſolationi intereſſe putaui mox inſpiratè tuam inueni præſentiam intra me conſtitutam. O perfida ſuperbia nec tuum acceſſum nec præſentiam experta ſum, donec omnia tuo vento fuerunt exufflata, deinde magnis ſuſpirijs ac graui contritione cordis reuertebatur ad me lumen gratiæ ac ſol iuſticiæ ſub vmbra ſobriæ deuotionis, & tunc primum ſigna tui ingreſſus perpendebam. C
Tunc (licet tardè nimis) intelligebam ſub qua forma te intruſeras. Nec enim ita laterę potes vt non aliquod ſemper tuæ maliciæ veſtigium relinquas. Tecum quippe accedit altitudo quædā cordis ad ardua immoderatè tendens, puta ad aliquam habendam viſionem inſolitam vel ad miraculum operandum, vel inſurgit temeraria quædam de ſe pręsũptio, aut immoderata de ſuo opere aut ſtatu complacentia, ſublimiſq; ac tota inflammata lætitia, vel nimium leuis & effrons ad ſui iactantiam D
aut excuſationem ſub vmbra profectus aut proprij ſeruandi honoris, vel etiam aliquando ex altera parte duriciem quādam cordis tecum adducis, maturitatem quādam atq; grauitatem inſimulās. Eſtque huiuſmodi duricies prætēſa & dedignans pertinaciter ſuis dictis & voluntatibus inhærens ad iraſcendum, & ſub vmbra correctionis omnia tremere & lacerari facit. At his contraria penitus adueniunt, vbi tu ſuperbia fueris miſſa foris. Ibi ſiquidem adeſt humilis demiſſa ac temperata lætitia, nulla leuitas, nulla iactantia, nulla ſui excuſatio. E
Ibi adeſt maturitas & grauitas ſine ira, ſine amaritudine, ſine vindicta, immo cum omni dulcedine & manſuetudine cordis. Tunc eſt anima patiens & benigna, tunc vituperia & laudes humanas contemnit, & pro ſolius Dei Domini ſui beneplacito circa ſe & alios operari ſtudet. De reliquo nulla ſibi cura eſt, immo (quod amplius eſt) ſe vilem videri volet non honorabilem quantum eſt propter ſe, quoniam ſe ipſam cognoſcens & F
iudicans ad intra opprobrio dignam, non vtique ſe pluris æſtimandam volet exterius in alienis laudibus quam ſe interius dignam arbitratur: Quinimmo exemplo Ieſu Chriſti & ſi omni honore digna extiterit, talémque ſe interiori notitia verè dijudicet, proprio tamen inſtinctu & affectu humilis & abiecta videri deſiderabit.

Meditatio altitudinis iudiciorum Dei ſuper filios hominum prouocans ad humiliationem ſui & alios non iudicandi.

O Altitudo incomparabilis & abyſſus profundiſſima iudiciorum Dei in omnibus, præcipuè autē erga homines. Quis illa ſcire poterit aut inueſtigare? Cum enim miſereri voluerit nihil eſt eo clementius, cum verò iuſticiam tribuere nihil eo terribilius. Si enim milleſies in die homo illum prouocauerit & milleſies ad ipſum reuerſus ſupplex veniā & gratiam petierit, mox impetrat quod petit. Ecce velut quandam ſtultam miſericordiam ac ludum puerilem. Rurſus ſi in ſolo mortali deceſſerit homo irreuocabiliter mittitur in ignem æternum, cum tamen ſit Dei filius & plaſma eius per creationem. Ecce velut furorem quendam ac horrorem intolerabilem. De quam plurimis nempe legimus qui pene vſque ad mortem à peccatis immunes ſeruati ſunt, & poſtmodum ad mala opera declinantes mortes præuenti ſunt & damnati. At contra fuerunt alij qui ſemper malam vitam ſectati tandem nihilominus quaſi in momento conuerſi ſunt ad Dominum, & citius martyres facti gloriam æternam ſunt adepti. Conſideremus quod in paſſione Domini noſtri cum eius prædilectus diſcipulus eum negauit, latro confeſſus eſt. Quis quæſo id antea præcogitaſſet? Mirum quippe valde eſt ſi perſona quantuncunq; bonæ vitæ conſcia ſub manu potenti Dei ſe non humiliet, ſi alium quempiā quātumlibet peccatorem iudicare præſumat, quoniā ſcire nō poteſt quæ ſint circa ſe aut alios Dei iudicia, ignorat quid in ſua cauſa lateat. Sumus quippe omnes in carcere condemnationis & mortis, vnde nemo eripi poteſt niſi ex ſingulari & mera Dei gratia, quam vt & vbi vult diſtribuit. Neminem ergo licet contemnere ſi ad præſens huiuſmodi gratiam non habeat, quoniam in momento illam habere poterit. Nec viceuerſa hinc ſe aliquis extollat in ſublime ſi à Deo gratiam hanc acceperit, quoniam non eſt hæc hæreditas ſua, imò ſic agendo mox eam perdidit velut vſurpator ac raptor gloriæ Domini Dei ſui. O quando veniet tempus illud & locus vbi cum ſecuritate hanc gratiam poſſidebimus, & hæc ipſa in gloriam cōuertetur. Verè beati ſunt qui ſibi ſunt.

Meditatio animæ ſuper duobus ſtatibus ac quibus ſe inuenit iam in deuotione, iam abſque deuotione. Inſuper ſigna noticia ipſius.

PLorate oculi mei plorate & plangite duriſſimam illam ſeparationem ac diſiunctionem amariſſimam Dei mei & patris, qui in ira & furore elongauit ſe à me abducens ſecum bonam illam meam nutricem gratiam, méque prorſus derelinquens deſolatam dolore ac tremore plenam, tędio, & anguſtia vndiq; circundatā, ſedeóq; tenebris inuoluta, & lumen cœli non video. Væ tibi ſuperbia quæ mihi hoc damnum intuliſti, quoniam ſi illa ſimplex humilitas apud me manſiſſet, Deus qui in cordibus humilium requieſcit, ipſiſq; dat gratiā minimè ita ſuam à me ſubtraxiſſet gratiam. Nunc omnes mei amici angeli ſancti elongauerunt ſe à me, & ponunt me abominationem ſibi. Nunc omnes inimici mei vehementi cū conatu appropinquant & exclamant aduerſum me: Euge euge perſequamur hanc miſeram, quoniam Deus eam derelinquit non eſt qui poſſit eam

de manibus noſtris eruere. Illam itaque ad damnationem quam meruit impellamus.

O Domine ô cœleſtis pater audi vocem aduerſariorum meorum, ne recedas, ne elongeris à me, intende in adiutorium meum & adiuuandum me feſtina. Exurge & diſſipa inimicos tuos tanquam fumum, aliàs enim illa imminet hora in qua pauper ego tua creatura, tua orphana, tua indigna ancilla, tua infidelis ſponſa, irremediabiliter peribo; quoniam præter te nō eſt alius qui me hinc valet eripere.

Reuertere Domine reuertere, quoniam à tuo receſſu ſentio cur durum & admodum praua plenum acedia, faſtidio ac mala triſtitia. Arida ſum nulliuſque deuotionis, in nullo iam, vt conſueui, bono condelector, nec lectio nec cantus, nec oratio, nec contemplatio placent, prædicationes ac ſanctæ quælibet admonitiones mihi sūt faſtidio. Euanuit à me guſtus omnis ac ſapor cibi cuiuſlibet ſpiritualis, grauis ſum atque oneroſa nimis mihijpſi. Languidè omnia operor, ſolitudo atque ſilentium mihi ſunt horrori. Et (quod deterius eſt) nec iſtam meam valeo deflere miſeriam, nec ab ea me per condignam pœnitentiam ac diſplicentiam eripere, quinimmo indies volo meas proſequi vanas ac mundanas conſolationes. Leuitas mihi omnis grata eſt. Quæro manducare, bibere ac fabulari ad deducendum tempus, illóſque felices iudico qui ita in hoc mūdo viuunt in ſubiecta, immo ſtulta libertate. O qualis mutatio, heu in quem ſtatum prolapſa ſum. De cœlo profectò cecidi ad inferos, de vita ſpirituali ad carnalem, de veritate in vanitatem, de ſecuritate & trāquillitate conſcientiæ in conturbationem, de timore in ſtuporem, confuſionem atque infelicitatem horribilem. Et certè ita mihi optimo iure contigit idque planè demerui, quia cum ex me nihil eſſem meipſam nihilominus glorificaui, & de me & in me confiſa ſum extollens me aduerſus Deū meum, illi ſuam ſurripiens gloriam. Inſuper & de ſuis donis laudari volui atque honorari, iactanter mihi illa aſcribens tanquam propria, & quod deterius eſt, cæteros contempſi, minoraui & temerariè iudicaui. Scio igitur quid faciam, illam mihi recuperabo humilitatem quæ me vtiq; patri meo reconciliabit, eumque placatum ad me reducet. O glorioſa & beata pax iam omnia bene ſucceſſerunt, eſt hæc mutatio dextræ excelſi. Commouetur quippe cor meum & exultat ad præſentiam Dei mei ac gratiæ. Euelluntur autem atq; explantantur illę inutiles vitiorum plantæ. Inſeruntur virtutum rami & plurimum conualeſcunt, nunc in claro lumine meos defectus, mea peccata, meā fragilitatem experior, nunc denuo bonorum ſpiritualium guſtum ac ſaporem diſcerno. Sicut itaq; illuceſcente die in ſolis ortu mox abſcedunt tenebræ, auiculæ ſuos repetunt cantus, renouantur omnia, & ad colorem, vigorem, ac decorem ſuum reuertuntur, ita planè eſt mihi dum ſol iuſtitiæ oritur in corde meo.

Meditatio animæ ſentientis ſe ad deuotionem commoueti, & ſubitam Dei viſitationem denuo percipientis.

A QVis eſt hic qui pulſat ad oſtium meum quid vult, quid poſtulat? Eſt profectò Deus meus Dominus meus & pater meus. O Domine optime veneris. Tibi ſupplico vt ſit mea vrgente infirmitate ac debilitate peccati pigritor nimis aut tardo tibi aperire, tuo iure, tua autoritate oſtium effringas. Regijs vt tibi licet vtere clauibus.

ABite extra meum hoſpitium abite vniuerſa meo magno patri ingrata, qui apud me vult hoſpitari. Fugite hinc fugite abſque mora. Fuge
B tu dedignans, ſuperbia, inflata iactantia, ficta & palpans hypocriſis, ira furioſa, deſpectuoſa vindicatio, venenoſum odium, infelix ac liuida inuidia, anxia triſtitia, acedia ſtulta, auaricia cupida quæſtuaria, fœtida luxuria, gula immunda cum tota vitioſitatis peruerſa familia ignobilis ac ſtultæ otioſitatis.

EIjciatur hinc omnis ſpurcicia flagello pœnitentiæ, ſpargatur vndique cum ſuis floribus
C grata & viridis herba virtutum. Ponatur menſa ſobrietatis, ſternatur caſtitatis lectus. Ingredere pater dulciſſime, ingredere hoſpitium puſillæ tuæ atq; humilis ancillæ, pauperis adoleſcentulæ tuæ ſuſcipe gratanter quæ apud illam inueneris, ſimul in cœna noſtra diſcumbamus. Ne quæſo reſpexeris ad meam paupertatem, ſcio quidem quia nullius horum eges quæ apud me ſunt. Apud te ſunt omnia, ſufficit tibi bonus affectus. Verum dulciſſime pater, hoc eſt quod à te præcipuè conſequi deſidero vt mea tibi placeat voluntas, quoque ex
D tua clementia de tuis ſuperabundantibus diuitijs ad meam ſubleuandam ac ſuſtentandam paupertatem vel parū aliquid impartiri digneris, vt hinc ſuſtentata fame ſiti ve malè non peream in carcere huius corporis in quo ad præſens incluſa ſum.

REuertere Domine reuertere ad hoſpitium tuæ humilis ancillæ. Breuem nimium ibi traxiſti moram. Heu quam dura huius hoſpitis re-
E ceſſio. Formidabam vtiq; aliquid in me eſſe quod oculos tuæ maieſtatis offenderet. Heu me miſeram quæ non aliam adhibeo diligentiam ad talem conſeruandum hoſpitem, à quo mihi prouenire poſſunt omnia bona, voluptates atq; diuitiæ. Quid itaq; ad præſens faciam? Quo medio illum à me ſic elongatum ad me reuocabo? Mandabo omnibus quæ intra me ſunt vt illum vtique inceſſanter requirant donec inuentus reuertatur. Exurgite fides, ſpes & charitas, expergiſcimini & vos ad curſum lumbos accingite, diligenter quæ-
F rentes patrem meum donec illum inueneritis atq; ad hoſpitium meum reduxeritis.

Oratio nuncius animæ mittitur.

DIſcurre tu oratio per magnam cœleſtem ciuitatem, per vicos & plateas ac per domos ſingulas, ita vt nullum ſanctorum prætereas quem tu non cum fletu & gemitu requiras ad eorum pedes proccumbens, nec hinc diſcedas donec inſimul omnes vel eorum aliqui glorioſi

patris

Digitized by Google

patris mei tibi demonſtrauerint manſionem, téq; ad Deum deduxerint ac eius præſentauerint aſpectibus. Illos exora vt illum mihi placatum faciát, mihique de multis meis exorbitantijs impetrent veniam, atque ita ſuæ gratiæ reſtituat quodq; rurſus declinare dignetur ad hoc ſuum humile hoſpitium quod tam citò deſeruit, mea fateor indignitate exigente. Verum ſua magna benignitas atque clementia parte ex vna, ſuorumque ſanctorum deprecatio parte ex altera & rurſus meæ paruitatis, paupertatis, impotentiæ atque inſtabilitatis conſideratio ad reditum poterunt eum inclinare.

Quid dicis oratio, quæ noua refers? Multum nimis dimiſſa eſt ac verecunda facies tua. O ſcio quis tibi hoc fecerit, rigoroſa videlicet illa iuſtitia quæ ſe contra te & me ingerit vehementer allegans me non eſſe audienda, immo quod ex tunc indigna ſim filia Dei nominari, cum iam mea ignauia meam ingenuitatem, meam diuinam naſcentiã, meamque celſitudinẽ penitus amiſerim, & hoc in meo certe hoſpitio deformem ad horrendum hoſpitem. ſ. peccatum admittẽdo. Quod vtique omnem quæ ipſum ſuſcipit, corrumpit animam fœdamque atque deteſtabilem reddit, ac inimici ſalutis conſtituit filiam. O iuſtitia quis te aduerſum me & aduerſus meam orationem procuratricem conſtituit? Non ego certè te ad hoc aduocaui. Scio enim quia coram te ſubſiſtere non poſſem. Illi potius miſericordiæ clementi curiæ me ſubmiſi, illamque meam conſtitui aduocatam, immo ſuo penitus iudicio ſtare volo, quamuis & te etiam iuſtitiam mihi decet eſſe propiciam & amicam. Cur ita? quoniam tecum ſum vnius ſententiæ. Tu quidem odio habes peccatũ, & ego nunc illud odi. Tu illud perſequeueris, hoc idem facio de illo pœnitentiam agens, puniens & vehementer dolens, quod illud vnquam admiſerim, aut ei tribuerim fidem. Ita quippe agens tuum ô iuſtitia exerceo officium de meipſa iudicium ſumẽs. Tu itaque etiam pro me intercedes. Sed forſan mihi dices, quod longè citra condignum in hac parte de me ſumo iudicium, non cõdignè vt merui, mea vindicans peccata. Proh dolor iuſtitia, fateor ita eſſe vt aſſeris, ſed hoc venit condonandum, quoniam non ſubeſt hoc viribus meis. Neceſſitas autem legem non habet, infirmitas quidem mea, paupertas atque imbecillitas nõ me ſinunt ad condignum vel etiam ad votum expugnare ac perſequi peccata cum ſua familia. Sed ab inope, vel parua ſolutio ſibi poſſibilis acceptanda eſt, & ab operario debili labor remiſſus, non ſpernendus. Sis itaque iuſtitia de mea poſſibilitate contenta, quod reliquum eſt tua potenti virtute ſupplebis.

Conſidera igitur ſi tui ſit officij tuæque conſuetudinis vltra vires expoſcere. Cum autem mihi maior aderit incolumitas ac potentia diuinæ gratiæ, virtutumque fortius robur, tunc & potentius cum peccato congrediar, eique viribus aduerſabor. Dico inſuper quod benedictus filius Dei pro me debitum ſufficienter, immo ſuperabundáter ſoluit, quantumlibet etiam antea offenderim, ſaluo quod ei me legitimè ſubijciam, & ſuæ ſim aſcripta familiæ. Nullo autem iure duplex de offenſa exigitur emenda, nam & Deus

non punit bis in idipſum. Quicquid igitur miſe-
A ricordia filij Dei circa me facere diſpoſuerit, minimè tu poteris contradicere. Cæterum iuſtitia te interrogo, ſi non ad inſtantiam ſanctorum qui apud te hoc meruerunt tenaris aliquid annuere? profectò ſic. Quem enim honorem illis impenderes, ſi eos te pro peccatoribus deprecantes velut alios quoſlibet quibus nunquam fuiſti honori vacuos repelleres.

Vade igitur oratio mea & recurrere confidenter ad cœleſtem ciuitatem, illicque ſanctos illos ſollicites vt tibi & mihi iuſtitiam paccatam red-
B dát, vt & illa ſimul cum miſericordia mihi pacem impetrent ad Dominum Deum meum & patrem meum, atque ita ad domum meam vnde exijt denuo reuertatur. O vtinam horam illam præſcire poſſem qua dignabitur Dominus meus ad me declinare. Cur non aliquem nunciorum ſuorum præmittit, vt legitimè parata poſſem illum decenter, id eſt deuotè ac ſanctè ſuſcipere.

Aliquotiens enim adeò latenter aduenit pul-
C ſans ad oſtium vt alibi me diſtractam inueniens, mox antequam valeam ei occurrere & decenter recipere diſcedat. Sed quid loquor tam inconſultè, quid tam temerariè tãquam præſumptuosè peto, vt talis ac tantus Dominus ſuos mihi præmittat nuncios. Abſit. Mihi potius incumbit ſemper eius aduentum explorare, nihilque aliud meditari, nihil aliud operari quam aduẽtum eius præſtolari, moxque ad oſtium pulſanti aperiri ipſumque reuerenter ſuſcipere. Non igitur cum curis huius ſæculi mea amplius tenebuntur collo-
D quia, ſed ſedebo ſolitaria in pace & ſilentio, diligenterque obſeruabo, ne aliud meum ſubintret hoſpitium quod tanti hoſpitis oculos poſſit offendere, quinimmo & ego ipſa vadam in occurſum ſui iocundi aduentus.

Meditatio animæ apud diuinam Trinitatem ad ſpeciale robur obtinendum in virtutibus & in ſancta vita.

ATtende anima mea quæ tam infirma es atq;
E inſtabilis, attende verba prophetæ: Verbo inquit, Domini cœli firma ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Facilius longè eſt tibi à Deo conferri fortitudinem & perſeuerantiam in bonis operibus quam cœlis firmitatem præſtari. Si igitur præſtitit tibi Deus in hac gloria ſolemnitate beatiſſimæ Trinitatis, vt per potentiam patris in ſapientia filij & propter bonitatem & dulcedinem ſpiritusſancti robur habeas, conſtantiam ac perſeuerantiam in bonis operibus, teipſam omneſque vires tuas fige in Domino Deo Trinitate
F ſancta, illique ſic inhæreas vt in ſola eius potentia tua ſit fiducia, nec extra ipſum ſapientiam quæras finaliter aut voluptatem. Ita quippe tuam cõſeruabis pulchritudinem qua facta es ad imaginẽ & ſimilitudinem illius ſãctiſſimæ Trinitatis ſecũdum memoriam intelligentiam & voluntatem. Sed heu frequenter illam de fœdo & obſcuro, ac luto peccatorum inuoluens ac demergens demorranſque in terrenis occupationibus ac voluptatibus immundis. Nihilominus ad ipſum reuertere & ipſe te mundabit, téque liberabit & tuæ pulchritudini te reſtituet quã inſuper in te firmabit

& ſtabillet, ſi tantummodo illi iungi volueris ac velut tuæ ſummæ voluptati inhærere, ipſum potenter amando abſque fine ſapienter abſque errore ſuauiter abſq; amaritudine. Eritque tua ſpes in ſua inuicta potentia, tua fides in ſua limpida ſapientia, tua charitas in ſua voluntate dulciſſima. Hoc profectò potius facies quam in creatura in qua non niſi vmbra eſt & vanitas potentiæ. Quapropter nimirum in vmbram atque vanitatem deſluis cum creaturæ finaliter inhæres.

Anima Chriſti ſponſa ſe humiliter accuſat, atque ſuo ſponſo totaliter ſe commendat, petens veniam de offenſis gratiam ſuam in præſenti & gloriam in futuro.

(Aliàs ſic.)

Lachrymabilis quærela ac deuota oratio creaturæ de ſtatu peccati ad Dominum reuerti cupientis.

O Ieſu virginitatis ſponſe, Ieſu caſtitatis fidelis amice, Ieſu mea ſpes finalis, mea ſalus, meum ſingulare refugium, nunc ad te reuerti deſiderat anima mea pauper, inops & miſera, quæ totiens per temerariam rebellionem atque inertiam deſidioſam id facere contempſit & recuſauit, quæ anulum gratiæ quo illam ſpiritualiter deſponſaueras negligenter amiſit, ſuſcepitque anulum peccati, ſe tradens ſponſam, ſeruam & ſubiectam tuo antiquo hoſti. Heu quam periculoſum connubium, heu quam ſtulta & miſera commutatio eius qui pulcherrimus, potētiſſimus & opulentiſſimus eſt ad illum deformiſſimum, miſerrimum, egentiſſimum. Dic mihi ô anima quis tibi hoc fecerit? Reſponde mihi, cuius conſilio freta es quod ſic tuum ſupremum Dominum tuū glorioſum præceptorem parum honoraſti. Sic tuum creatorem, tuum ſaluatorem (à quo tibi eſt omne bonum) oblita eſt. Sic tuo vero ſponſo tuo fideli amico videnti & conſideranti fidem violaſti. Is quidem primum tibi cor ſuum impenderat, ſuamque ad te tantam oſtenderat dilectionem vt etiā pro te mortem acerbiſſimam pati dignatus ſit, & tu illi cor tuum & amorem penitus ſurripuiſti, immò (quod grauius eſt) velut perfida & infideliſſima ſpōſa ſuæ propriæ habitationis portas præcluſiſti, quas nihilominus illis ſuis miſerijs ac nefarijs hoſtibus ſinis eſſe patentes qui te perdere quærunt & æternæ morti tradere. Quid quæſo arbitraris ô anima? Putas ne à pœna immunis euadere? Manebit ne tanta iniuria tanquam grandis offenſa tandem penitus inulta? O perfide totius humanæ creaturæ hoſtis iam anima mea tua ſeductione perdita eſt, infelix ac proſtrata, quoniam ſicut carnifex viridi ramo ac modica herba ducit ad mortem agnellam petulantem & ſaltantem futuræ ſuę occiſionis neſciam, ita meā fatuellam animam deduxiſti, momentaneam aliquam huius mundi vanitatem ſibi demonſtrans, quam ſic tractam tuis vinxiſti vinculis eamque excæcaſti, & poſtmodum plurimis criminum mortalium lanceis ad mortem vulneraſti. Demumque ſuper eam impoſuiſti grauem illum malę cōſuetudinis lapidem. Inſuper & frigidam illam duram atque horribilem obdurationis cordis tumbam qua reſurgere prohibetur, quin immò continuò magis preſſa iacet terrenis affectionibus obuoluta, & in ſimo ac ſtercore criminoſæ delectationis incluſa putreſcit, ita vt vſque ad finem maneat fœtida & abominabilis Deo & ſanctis eius. Heu me miſeram creaturam, heu me ſi hàc in diſpoſitione relinquo vſque ad finem. Quid nempe factura ſum in tali ſtatu moriens, quò profectura? Contremiſco iſta commemorans, exhorreſco vehementer tantummodo hæc recogitans. Perpetuis certè ſic moriens ardoribus, ſtridoribus & fletibus mācipater, & prę rabie tormentorum Deum blaſphemarem nullam ab ipſo conſolationem percipiēs. Tunc euidenter perpenderem (ſed ſerò nimis) quali præceptori paruiſſem, & cum quanto detrimento deſerto Deo diaboli mundi & carnis oblectamenta ſuſcipiuntur. Præſerua me Domine Deus ab his horrendis tormentis, ab hac morte tam crudeli me protege. Aduoco te anima olim à Deo formata, anima ſuo precioſo ſanguine redempta, anima plurimis donis ſuper cæteras creaturas nobiliſſimè decorata, à tot & tantis periculis totiens præter tua merita præſeruata. Te aduoco inquam audi me. Tuos nunc paululum aperies oculos & intuere vbi iaces. Conſidera vbi tu es, quam propinqua ſis inferis, quam à cœlis elongata. Cogita quem deſeris, quem deſpicis, cui ſurdam aurem præbes. Et tu dulciſſime Ieſu animarum medice clementiſſime, fons omnis dulcedinis, ſi humana miſeria te valeat ad miſericordiam inclinare, reſpice oculis pietatis ac compaſſionis ad hanc animam miſerabilem, nunc exurgit, nunc expergiſcitur, & cum ſuam nuditatem & ſtatum miſerabilem aduertit, magnam hinc concipit diſplicentiam, confuſionem & abominationem, & de ſua tam diutina ſtultitia admodū admiratur & dolet tāquam miſera peccatrix, quæ amplius indigna eſt tua vocari ſponſa, tua amica, demiſſo vultu, flebili facie ad te ſuſpirat erubeſcēs nec loqui pręſumēs. Dulciſſime Ieſu hāc clemēter proſpice, brachia & manus ad te extendit, vt te trahēte de profundo lacu peccati & de ſtercore in quo tandiu proſtrata iacuit erecta proſiliat. Tu qui ſolus es ſaluator, propterea & ei manum porrigens eam ſubleua, eamque perire ne permittas. Tot vides peccatores qui te minimè deprecātur, immo te perſequuntur. Conuertere igitur & iuſtifica tuam hanc pauperem animam tuam, ancillam humilem, tuam puſillam pediſſæ quamquam aliquando prius dilexiſti ſicut & ipſa te dilexit, quæ nunc in magnis ſuſpirijs & in amaritudine cordis te deprecatur. Poſſes ne hanc non exaudire, poſſes-ne eam non ſuſcipere? Profectò minimè, immo magnam hinc ſpem concipio, quod tuam in me experior gratiam in qua nunc adeſt mihi hæc voluntas ad te reuertendi, quod tibi ſūmo medico doloroſa illa vulnera animæ meæ te inſpirante detego ac demonſtro. Olim ſiquidem per os tui prophetæ promiſiſti, quod in quacunq; hora ingemuerit peccator & pœnitentiam egerit, ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt omniū iniquitatum eius non recordaberis, & reuera paucos habuiſſes iuſtos niſi peccatores miſericorditer recepiſſes. Ideóque ſaluator Ieſu Chriſte, aduocate & mediator noſter ſimilis imperator & frater, qui ſolus noſti meam miſeriam ac fragilitatē, ſi vera ſunt quæ video, audio & credo de tua dulcedine, pietate & miſericordia, & vtique vera ſūt ideo te finaliter deprecor vt meas omnes deleas iniquitates,

iniquitates,ſynceram & mundam contritionem tribuens & integram pœnitentiam. Fac vt per bonam patientiam omnes tribulationes, aduerſitates & labores quos dietim ſuſtineo ad purgationem deſeruiant, & ad pœnæ quam mea peccata demeruerunt remiſſionem, vt ſic in hoc mundo meum ſit purgatorium. Fac itaque meam huius mortalis mundi peregrinationem tibi acceptam. Tribue mihi baculum firmæ fidei,ſtolam charitatis & ſcalam ſanctæ ſpei. Confunde per tuam potentiam quicquid mihi impedimento eſſe poteſt, ita vt in via nulla me retineat delectatio,nulla me confundat aduerſitas. Genera in me cor humile, pium,clemens erga proximum,ſine radix,ſine inuidia,ſine indignatione, ſine ſuperbia,ſine omni detractione. Tuo amore inflamma cor meum. Vulnera illud ſagitis potentiſſimis tuæ pulchritudinis,tui dulciſſimi conſpectus, tui gratiſſimi geſtus,tui pulcherrimi apparatus,tuæ ſpeciei dulciſſimæ. Fac vt te ſemper meditetur,lætanter de te ſermonem audiat,ad te ſuſpiret,ad te ingemiſcat, tibi complaceat,totam intelligentiam,totã mentem,totam curam ad hoc impẽdeat, vt dignè tibi ſeruiat, quoniam non eſt alius amator qui ſic vt tu vices rependat. Inſuper da mihi Domine cor liberum,cor ſublime & inclitum quo deteſter,fugiam & ſpernam vile lutum mundanæ cuiuſlibet voluptatis,quo qualibet contemnam creaturam, quæ honori meo ac promotioni ſalutari non venit adiumento,quo te in te diligam, alios autem omnes in te & propter te. Demum tu qui es mea ſpes finalis, mea ſola ſalus, meumque refugium ſingulare,ſubleua me,doce me,ſuſtine me, dirige me, ita vt in illa hora tremenda mortis meus ſis protector,potenſq; defenſor ſpiritus mei aduerſus illos canes infernales,ita vt in pace & benignitate illum recipias in gloria, in qua te facie ad faciem ſummo cum gaudio videre valeam ac perenniter adorare, amare ac laudare.

EPISTOLA EIVSDEM AD SORORES SVAS DOCENS DE QVO *quis per ſingulos dies cogitare debeat.*

SORORIBVS meis in Chriſto Ieſu chariſſimis & dilectiſſimis ſalutem,atque in ipſius deuoto ſeruitio iugiter permanere. Non facile exprimi poſſet gaudium atque conſolatio ex bonis nouitatibus frequentius de vobis perceptis, prouenięns. Vtinam idipſum nunquam inimicorum tentatione aut aliter quouis modo gaudium in triſtitiam vertatur, contrariũ videlicet de veſtra dilectione audiendo. Quãquam amantiſſimæ ſorores omni tempore ad Dei obſequium exercitandum & informandum litteras, libróſq; ſufficienter habueritis ad habendum conſolationes ſpirituales,& adhuc habebitis alios in poſterum. Nihilominus noctis vnius vigiliam arripiens (quamuis pluribus implicatus negotijs) ad præſens ſcribere curaui breuiter ac ſimpliciter peregrinationis proceſſum à me poſt modicum temporis factum, ſpeciales etiam requeſtas à me fieri ſolitas,ſecundum ſeptem dierũ hebdomadæ numerum,ſecundum ſeptem ſanctiſpiritus dona, ſecundum etiam ſeptem dominicæ orationis petitiones contra peccata ſeptem criminalia corre-

A ſpondẽtes ſeptẽ beatitudinibus.Inſuper ſecundũ ſeptem ſtatus in cœleſti paradiſo conſiſtentium. Quod verò tranſmitto ſcriptũ pro præſenti, non eſt niſi breue ac ſimplex auiſamentum ad cognoſcendũ nominatim ac ſpecialius, de quo quis per dies ſingulos cogitare debeat.Bonæ enim cogitationes inſuper venturæ ſpiritusſancti ſpiramine repertæ pariter ſtudio lectiones ſanctæque meditationes.Huiuſmodi enim non poſſem neq; ſcirẽ omnes in ſcriptum redigere,nec opus eſt. Primò igitur cum preces veſtras humillimè ac reuerẽter

B coram diuina maieſtate funditis aut ſanctorum ſuorũ inuocetur vnà cum oratione veſtra cuſtos veſter angelus videlicet bonus, necnõ ſancti aut ſanctæ illius ſuffragium imploretur cuius pro tũc ſolẽnitas agitur.Ea de cauſa,vt ſcilicet veſter nuncius puta veſtra oratio ſaluum habeat conductum bonamq; ſocietatem. Die quippe dominico ad benedictã atq, indiuiduã Trinitatem ſolitus ſum meam dirigere precem vnicuiq; perſonarũ appropriata diligentius meditando. De patris videlicet

C potentia,filij ſapientia,ſpiritus quoq; ſancti bonitate,conſiderans magnã Dei celſitudinẽ admirabilemq; diſpoſitionẽ ſuper filios hominum. Die autem lunę.ſ.ſecunda feria meam ordino proceſſionem ad ſanctos angelicos ſpiritus beneficia ab eiſdem nobis exhibita omni tempore recognoſcens.Die verò martis.ſ.tertia feria ad prophetas, patriarchas, apoſtolos cæteroſq; diſcipulos Domini & euangeliſtas. Die Mercurij.ſ.quarta feria ad beatos athletas.ſ.martyres Chriſti, ipſorum in

D in ſua pugna fortitudinem atque conſtantiam admirando.Die Iouis.ſ.feria quinta,ad ſanctos confeſſores,eremitas & religioſos.Die veneris.ſ.feria ſexta, ad paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad ſuaque verba acta iſto benedicto die ab eodem peracta. Die inſuper ſabbati ad beatam Mariam virginem ſpecialius me ipſum conuertor, & ad electas Chriſti ſponſas. Porrò primo die.ſ.dominico immoror diutius,donum ſancti ſpiritus primum ſuppliciter efflagitando, donum.ſ. timoris Dei. Et beatitudinem humilitatis & ſpiritualis

E paupertatis,ad expellẽdum ſuperbiæ vitium cum filiabus ſeu ramis eius. Et dico pariter, Domine Deus pater omnipotens libera me à malo, quæ clauſula eſt petitio prima in dominica oratione contenta,& hoc ordine præpoſtero. Die autem lunæ deuotius atq; ſpecialius precibus inſiſto,petens ſecundum ſancti ſpiritus donum.ſ. donum pietatis ſeu miſericordiæ, tam ad me quã ad meũ proximum. Cum beatitudine alia.ſ. mititate ſeu manſuetudine. Et hoc contra inuidiæ venenum, & vt Deus in tentationem ne inducat, id eſt ne

F in tentationibus ſuccumbere & vinci permittat, quod eſt ſecũda petitio orationis dominicæ. Die verò martis ſingularius pro dono ſanctiſpiritus tertiò ſupplico.ſ. pro dono ſcientiæ, ad cognoſcendum clarius & melius propriam fragilitatem & finem meum,necnon & ſtatum meum amicorum quoque meorum.Et dono iſto mediante,ad beatitudinem peruenio tertiam, quæ eſt luctus ſancti ac lachrymarum deuotarum. Et hoc contra peccatum iræ.Conſequenter etiam Deum deprecor vt debita mea dimittat,ſicut & ego meis ignoſco ſeu dimitto debitoribus meis.ſ.proximis,quæ

Digitized by Google

eſt tertia dictæ dominicæ orationis poſtulatio. Die vero Mercurij peto donū fortitudinis mihi largiri, contra omnia tentamenta mundi, carnis & diaboli. Similiter oro fortitudinem mihi dari contra acediam bonorum operum. Atq; quartam beatitudinem, quæ poſita eſt in bonorum operum iuſtitiæ deſiderio, in vehementi fame & ſiti eiuſdem. Peto nihilominus panem quotidianum tam corporis quam ſpiritus mihi tribui ad fortitudinem habendam. Cæterum in die Iouis inſtantius deprecor pro dono conſilij, ad ſciendum in ſingulis caſibus per quod iter eundum mihi ſit. Quem etiam ſtatum tanquam conuenientiorem pro Dei obſequio tenere debeam. Et quod auaritiæ malum me non retineat, peto beatitudinem quintam dictam miſericordiam. Et quod Dei fiat voluntas ſicut in cœlo & in terra. Die veneris donum intellectus ſpecialius rogo, ad cognoſcendū in tota ſcripturarum ſerie mihi obiectis, in omnibus ſimiliter huius mūdi rebus occulta ſeu incluſa mihi myſteria, & vt quælibet viſu percepta ſciam ad proprium conuertere profectum ſpiritualem quemadmodum ſi cœlum intuitus fuero, ſciam protinus conſiderare quia illic ſit mea patria, pulcherrima exiſtens ibidem habitatio. Cum videro canem cæteráque animalia bruta, quanta ſollicitudine ſuis obſequuntur dominis, meditabor quod iuſto Dei iudicio condemnantur homines inobedientes & ingrati Deo benefactori liberaliſſimo. Si ſubulcum poſt porcos conſpexero, recordabor parabolæ euāgelicæ de filio prodigo & miſericordi patre. Videbo pauperem mendicum vlceroſum, memorabor parabolæ de Lazaro & diuite. Videbo diuitem multa ſibi conquirentem in annos plurimos, recordabor euangelicæ comminationis: Stulte hac nocte morieris, & animam tuam tollent, & quæ paraſti cuius erunt? Videbo filios huius ſæculi qui habent conſolationes ſuas multis modis, ſciam memorari quanta ſit conſolatio quam præparauit Deus diligentibus ſe. Sic generaliter per omnia diſcurrendo, ſciam ſemper reperire amplam & præſentem deuotæ orationis materiam in omnibus quę ſub aſpectu, auditu aut alio ſenſu ſe præſentauerint me ipſum in exercitio orationis viſitando. Cum hoc pariter deprecor munditiam cordis mihi præſtari, quæ eſt beatitudo ſexta, luxuriam omnem depellens. Et vt Dei regnum mihi adueniat, vt videlicet nō in me peccatum, ſed Deus ipſe regnet. Poſtrema die ſabbati obſecro ſapientiæ donum, ad ſapiendum, ac guſtandum ſpiritualem bonorum virtutem, & gratiæ bonitatiſq; Dei ineffabilé dulcediné, & vt nulla penitus cura mihi ſit de huius mundi falſa dulcedine. Et eſt contra gulæ vitium. Itemq; peto veram cordis pacem ac conſcientiæ ſeptimā beatitudinem. Et quod Dei nomen benedictum in nobis ſanctificetur, hoc eſt quod omnis immunditiæ expertes ſimus. Chariſſimæ ſorores, ſi quotidie aliquid modo ſupradicto ex libris veſtris, aut certè aliter addiſceretis ſic exercitando voſipſas, multum ſine dubio profectum in ſcientia, virtutibus atque in deuotione acquirere poſſetis. Nec meæ eſt intētionis, quod propter mea ſcripta præſentia alias meditationes pias & vtiles atq; bonas deſeratis ac modū veſtrū faciendi. ſ. proceſſionē ſiue peregrinationē ſpiritalē ad ſanctos & ſāctos, tam pro vobis quam pro alijs amicis veſtris, viuis

A

ac defunctis. Non enim ignoro quod ſæpius vna perſona per aliquid ad deuotionem facile incitatur, quo alia nō ita ad eā mouetur. Et idcirco quiſquis ſuo relinquitur ſtudio, ſuáq; in talibus experiētia. Mihi verò ſupra agēdi ſcriptus modus proficuus eſt repertus. Rurſus quotieſcunq; orationis arcanum intraueritis, primò cogitationi veſtræ peccata propria obiecta ſint, indignitatéq; veſtrā intimè conſiderantes, & ſic Deo ſanctiſq; ſua dicite. O Domine Deus ecce venio tuam exorare maieſtatē, nihil omnino de bonitate mea præſu-

B

mens, de virtute aut dignitate, ſed in tua maxima gratia atq; miſericordia confido. Quia certè aliter oratio veſtra citius impedietur, execrabiliſq; Deo reddetur ſuperbia comitāte, diligētius obſeruātes quod in tali cogitatione & petitione perſeueretis, quo aduſq; corde intimo ſenſeritis nullā omnino fiduciā de vobiſmetipſis habere, ſed ſolummodo in Dei miſericordia infinita, & ſic poſtea de alia ſecurius poteritis cogitare quam antea. Equidem quotienſcunq; deuotionis imbre ſuaui perfuſas

C

vos ſenſeritis, nō id veſtris meritis & proprijs bonis actibus eueniſſe meditamini, quin potius ob alicuius ſancti aut ſanctæ interceſſionem, aut alicuius amicorū veſtrorū certitudinaliter putetis. Et pariformiter ad voſmetipſas reuerſæ ſi fueritis, quotienſcunq; vanæ gloriæ ventū ſonare perceperitis, nihil vobis nocebit hic ſibilus, conſiderabitis enim voſmetipſas intuentes defectus proprios, dicentes intra vos, tale peccatum nefandū ac talia miſeria perpetraſti, & quomodo ergo cogitare auſa es talem deuotionē à Deo tibi ob tua

D

merita concedi. Interea cum aliquem electorum aut electarum vos contingit conuerti, audaciter eidem dicatis, quia à Deo ad ipſum trāſmiſſi fueritis, ad petēdum ſuam eleemoſynam gratiarum. Nec ſic falſū dicetis. Siue enim Dei inſpiratione aliquem ſanctorū deprecari velle ſeu voluntatem habere non poteſtis. Poteſtis igitur ipſum alloqui dicentes, quod ex quo Dei complacet voluntati vt ipſum ſanctum exoretis, refutare vos omnino ei non licet, quin pro vobis idem ipſe ad Deū in-

E

tercedat eleemoſynam expectando, ex quo eum requiritis. Magna enim foret ruſticitas & indignū omnino alicui refutare & ſpernere quempiam diligentius ſe requirētem. Dicere nihilominus poteritis huiuſmodi electis à veſtra deuotione requiſitis, quia plures veſtris orationibus perſecutores crudeles conuerſi ſunt, multo magis igitur facere precem debetis pro eis qui vos nunquā perſecuti ſunt, ſed modo deuotius deprecantur. Deinde attendite diligentius in cuiuſlibet ſancti feſtiuitate bona miſericordiæ ab ipſo dum hic vixe-

F

rat patrata ſupplicantes, vt & vobis faciat ſimiliter reducendo eadem ad bona animarum veſtrarum. Conſiderate inſuper maximam ſāctorum ac ſanctarum, angelorumque cohortem ſiue multitudinem, & à ſingulis eorum deuotius rogetis, quatenus apud Deum vnum remiſſionis diem impetrare dignetur pro pœnæ relaxatione ob veſtra demerita debitæ. Et certè obtineretis vltra mille millia dierum, ſi ab ipſis exaudiri vos contingeret. Et exaudimini vtique: ſi ſolummodo modo debito & congruo eos deprecemini. Demum oremus ſuper omnia, quod Deus omnipotens iudicet,

Digitized by Google

iudicet, puniátque nos in ſua curia miſericordiæ in præſenti ſæculo, & nequaquam in curia iuſtitiæ ſuæ rigoroſæ, puta in inferno. Et hoc eſt quod oratis dicentes: Domine ne in furore tuo arguas, &c. Faciatiſque nihilominus dilectiſſimæ proceſſionem veſtram in infernum, ex hoc timorem reportando. In paradiſum etiam atque in purgatorium pro gente veſtra ſanctáque matre eccleſia Deum exorando. Specialius vero pro parentibus, cognatis & amicis, viuis ac mortuis.

Finis.

TENOR APPELLATIONIS CVIVSDAM PECCATORIS A DIVINA *iuſticia ad diuinam miſericordiam ab eodem Cancellario edita.*

IN tua ô regina cœli & mundi totius domina Dei genitrix illibata virgo Maria, ac veſtrum omnium cœleſtis regni procerum, ciuitatis æternæ conciuium, & beatæ felicitatis cohærendum, coram Dei throno & agno iugiter aſtantium, tuique ſacer euangeliſta Ioannes pudicitiæ virginalis paranymphæ cœleſtium ſcrutator egregie, & diuinorum ſcriba doctiſſime, tanquam in perſonæ ſingularis autenticæ, & prærogatiuæ ſanctitatis & dilectionis amplioris digniſſimę pręſentia. Ego. N. omnium filiorum Dei ingratiſſimus, meritorum pauperrimus, & cœlorum heu abundantiſſimus, ab omnium peccatorum meorum grauaminibus firmo correctionis propoſito & animo, ad emendationem vitę melioris fiducialiter appellandi, & lachrymarũ mearum profluuijs diſtrictiſſima tua Domine iuſtitia, ad clementiſſimã bonitatis tuæ miſericordiam prouocandi dico, proteſtor, confiteor & propono, quod licet ego peccator impius, indignus & miſerrimus tantilla mea tempora, pueritiæ metas, adoleſcentię curſum & prouectionem, virilitatis meæ progreſſum, immo omnes vitæ meę proceſſus, annos, menſes, dies, horas & momenta, timore tuo poſtpoſito, animo irreuerenti & infrutu cogitatu, deſiderijs & conatibus malis, voluntate propoſito & conſenſu peioribus, necnon opere, conſuetudine & contemptu peſſimis, inceſſanter & impiè trãſegerim, legem tuam peccando derelinquerim, iuſtitias tuas profanauerim, gratiam tuam abiecerim, mãdata tua non cuſtodierim, ſalutaria tua conſilia & monita paruipenderim, pietatis opera ſegniter neglexerim, dona ſpiritus ſeptiformis mortaliter à me repulerim, beatitudines & virtutes malicioſè ſpreuerim, eccleſiaſticis me ſacramẽtis indignum reddiderim. Temereque boni proprij ſalutis immemor peccata commiſerim, obſeruantias eccleſiæ ſanctę catholicas & pręcepta pertinaciter trãſgreſſus, flagitioſis meis operibus fidem tuam violauerim, peccatis meis rurſum te fili Dei, crucifixerim, omnibus tuis beneficijs & donis gratuitis ingratus extiterim, flagella tua, licet pauca murmurando ſuſceperim. In ſuperbia vitæ, auaritia cordis, inquinatione mentis & corporis, inuidioſis actibus peculiaribus gaſtrimargijs, iracundis motibus, acedioſis temporibus, innumeris voluptatibus, actualibus culpis & mortalibus & cri-

minalibus vitijs, venialibus peccatis, offenſis ſpiritualibus corporis cordis & oris, iniquitatibus factis illicitis præſumptionibus temerarijs, crebris inobedientijs, negligentijs & delictis plurimis, & alijs nefandis exceſſibus, ex malitia & fragilitate omnibus interioribus & exterioribus meis ſenſibus te Deum meum grauiter & multipliciter offenderim. Et his malis proprijs non cõtentus, mala malis accumulans, alijs occaſionem peccandi præbuerim, eos in puteum interius mecum traxerim. Peccantibus conſilium, auxilium & fauorem impenderim, exemplis peruerſis ipſe peruerſus innocentes peruerterim. Ad peccata qui rariſſimè defleui, quaſi canis ad vomitum, & ſus ad volutabrum luti, poſt lamenta tanquam ea non planxiſſem impudicè redierim, ac præmiſſa & omnia alia mea facinora tibi cuncta videnti nouiſſima, ordine, ſcientia, loco, tempore, & cauſa vltra modũ auxerim & aggrauauerim, mala quorum non eſt numerus nequiter commiſerim, & per ea ſententiam mortis æternæ (qua dicitur: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur) damnabiliter incurrerim, in iudicium tuum horrendum & iuſtiſſimum Domine, & in manum tuam Dei viuentis pernicioſè nimis inciderim, indignationem tuam incurrerim, à conſortio cœleſtis exercitus me ſeparauerim, & ab ea iniquitate mea in qua vſque adhuc quaſi ſuper talentum plumbi reſideo, vt reſurgere non adiecerim, ſemperque te Dominum vocantem me ad pœnitentiam non audiuerim, promittentem te præmia æterna renuerim, & te comminantem perpetuam, & diuitias bonitatis, patientiæ & longanimitatis tuæ in animæ meæ periculum & ſalutis diſpendium cõtempſerim. Tamen tu rex fortis & potens, vltor metuendæ terribilis & iuſte iudex, de cuius ore ſedentis in throno procedit gladius per iudicium & iuſtitiam bis acutus, contra iniuriam oſtendens mihi bonitatem & patientiam ſuſtinuiſti & expectaſti vt mihi miſerearis. Prolongaui iniquitatem & tu bonitatem continuaſti, in charitate perpetua miſerans dilexiſti me & attraxiſti, diſſimulaſti propter pœnitentiam omnes trãſgreſſiones meas & ſcelera mea. Contemptus, ingratitudines & delicta non improperaſti mihi, beneficia non detraxiſti propter crimina toleraſti patienter omnia mea flagitia, cuſtodiſti me ne vltra ea quæ feci committerem grauiora. Non feciſti mihi ſecundum peccata mea nec iuxta iniquitates meas. Non tribuiſti pro malis mala ſed pro malis bona. Non intuliſti mihi opprobria, non irrogaſti conuitia, retraxiſti manum vltricem vibrantem ſuper me vindictę gladium, diſtuliſti ſententię mortis executionem. Suſpendiſti iudicium & iuſtitiam, prorogaſti ſpe correctionis vitę meę terminum & peccatorum meorum vltionem digniſſimam vſq; in horam pręſentem miſericorditer auertiſti & in miſerationibus tuis multis factum eſt, vt non ſim conſumptus, ne perpetuum ſuſtineam ſaluationis prĉiudicium patrimonij cœleſtis iacturam beatę viſionis carentiam, damnum corporis & animæ damnationis pœnam, non morituri vermis dolorem, inextinguibilis ignis incendiũ, ſtridorẽ dentiũ, tenebras luctum, fletum & grauamen. Ex pręmiſſis igitur Domine ſi à me faciem auerteris & miſericordiã deſpexeris, ſi iniquitates meas ob-

Digitized by Google

ſeruaueris,ſi in ira tua arguendo me miſericordiã tuam attenueris & antiquę miſericordię recordatus non fueris, ſi in perpetuum mihi iraſceris, & miſericordia à me peccatore in æternum abſconderis,ſi iuſtitiæ tuæ ſolium me iudicaturus aſcenderis, & oblitus fueris mei finaliter miſerrimi, ſciens me præ iniquitatum mearum multitudine & graui peccatorum onere me culpabiliter in hac vita grauatum non indebitè, timenſq; veriſimiliter ſi tantis tribulationibus adiutorem non inuenero poſt hanc vitam me plus & multo fortius aggrauari. Ideóq; Deus iudex iuſte in his ſcripturis lachrymarum mearũ attramento conſcriptis à te irato & iuſto iudice, & à ſententia tuæ diuinæ iuſtitiæ ad te placatum & miſericordem patrem miſericordiarum qui tardam neſcis miſericordiã, & cui propriũ eſt ſemper miſereri & parcere,quia ſuperiorem non habes, cum tu ſis ſolus altiſſimus & in miſericordia copioſus, ad tribunal clementię bonitatis & miſericordię,quę iudicium ſuperexaltat in ſpe veniæ. Ego miſer ad te miſericordẽ cuius miſericordiæ non eſt numerus prouoco & appello. Et te reginam & matrem miſericordiæ omnéſq; ſanctos & electos Dei,& ſpecialiter vos iudices iuſti commilitones apoſtolos peto vt inſtanter,inſtantius,inſtantiſſimè pro me peccatore miſerrimo ad Deum meum ſuppliciter intercedatis,ac iterum & iterum,& cum omni qua poſſum deuotionis & humilitatis inſtantia,à te cuius miſericordia plena eſt omnis terra & per te in cœlis præparata & in æternum ædificata gratiam & veniam.Et quia in miſericordia diues es, clementiam & miſericordiam peto mihi dari cum ipſe Deus meus ſis,cuius miſerationes ſunt ſuper omnia opera tua,qui cui volueris immò omnium miſereris,& qui gratiam & miſericordiam in quacũque hora peccator ingemuero, mihi dare poſſis, & velis,ſubijciens corpus & animam vitam & opera res,ſtatũm & tempora mea, necnon omnes & ſingulos miſericordiæ tuæ adhærentes ſeu adhærere volentes protectioni & gratiæ abundantiſſimę bonitatis & miſericordię tuę Domine Deus pater vnigenite Ieſu Chriſte & ſpiritus orphanorum paraclete indiuiduáque Trinitas benedicta. Proteſtor etiam quod præſentem orationis meæ deuotionem aſpectibus tuis ſæpius publicare, ac mores & vitam auxilio tuo quanto celerius potero corrigere & emendare volo. Rogo etiam te fili Dei crucifixe,vt lateris tui vulneris ſigno quo illam in cruce pendens orationem: Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt,conſignaſti, & in qua pro tua reuerentia exauditus,hanc etiam orationculam meã diuinæ prouocationis miſericordiæ clementer conſignes, & eam miſericordiæ multæ facere digneris efficacem. Requirens te ſacer ſcriba Ioannes quatenus præſentem meam orationem tibi commiſſæ virgini matri cum exoratione eam cum oſtenſione pro me publices.
Et tu regina miſericordiæ eam cum oſtenſione pro me peccatoris & vberum tuorum quem genuiſti, Dei filio notifices.Tu quoque fili clementiſſime eam patri cum oblatione pro me paſſionis ſanguinis vulnerum tuorum & mortis offeras acceptabilemq, facias almæ Trinitati, vt per eam & alia pietatis opera gratiam & miſericordiam peccatorum remiſſionem & veniam requiem & vitam merear ſempiternam.Amen.

Sequitur datio apoſtolorum.

A QVia iuſtitiam meam tanquam fragilitati & de meritis tuis intolerabilem declinans ad tribunal miſericordiæ meæ tanquam ad ſuperiorem iuſtitiæ ſub ſpe venię humiliter appellaſti.Idcirco quia miſericordia te redemi,in miſericordia te ſaluum feci,miſericordiam docui,miſericordiã & non mortem volui,miſericors ſum, miſerator, longanimis & multum miſericors immo ſum pater miſericordiarum. Et quia regina gloriæ mater miſericordiæ, mater mea aſtat à dextris meis pro te bona loquens & miſericordiam poſtulans, cui B non eſt mihi aliquid denegare ob reuerentiam & pietatẽ multitudinis miſericordiæ meæ, & interceſſionem matris meæ omniumque electorum, gratiæ & miſericordiæ in gloria participum. Appellationi tuæ miſericorditer defero, & te ad tribunal miſericordiæ meæ clementer admitto,tibique vt miſericordiæ cõſequaris omnium dierum vitæ tuæ terminum peremptorum ad perſecutionem miſericordię & ipſius aſſecutionem aſſigno. Ac latam contra te ſententiam iuſtitiæ meæ pro- C picius relaxo. Ita vt ſi vſque in finem miſericors fueris,miſericordiam tamen meam aliquãdo pecces à te non diſpergam vt damnem, neque nocebo,in veritate mea, vt abijciam te in finem, ſed pro peccato vapulabis,ſed tamen non peribis.

TRACTATVS EIVSDEM DE ORATIONE ET SVO VALORE.

Prima pars.

D OPORTET ſemper orare & non deficere. Scripſit Tullius accuratiſſimè commẽtarium fratri ſuo de petitione Romani cõſulatus, ſuadẽs vt in omni loco ſedens & ambulãs recogitet ſecum aſſiduè, Quis es tu qui petis,quid petis & à quibus petis? Subijt animam ſcribere tibi germane chariſſime de petitione,non terreſtris conſulatus, ſed cœleſtis incolatus. Ad hoc enim profectionem tuam, vocationem tuam, ſacerdotium tuum dedicata E eſſe memineris.Proponas igitur in omni meditatione tua in omni operatione tua loco & tẽpore, qui & qualis es qui oras,quam vel quos oras,quid vel pro quibus oras. Cæterum quodlibet iſtorum conſtringito ſub conſideratione quadruplici, ne confuſionem infinita quædam mentis euagatio parturiat.

Tu quis es qui oras, ſi ad propria merita reſpexeris incertus es an amore vel odio dignus ſis. Incertus idcirco an tremenda cadat ſuper te illa ſen- F tentia,Cum is qui diſplicet (inquit beatus Greg.) ad intercedendum mittitur irati animus ad deteriora prouocatur.Porrò certus dicere poteris cum Eſaia: Omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.Certus præterea potes cum Daniele.Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante te. Nihilominus tibi cõſcius eſſe potes ſi fidem,ſi ſpem,ſi dilectionem,ſi dona tibi cętera quædam contulit Deus, quæ ſcire, quę recognoſcere potes eſſe gratis data,quamuis ſi gratum te faciant & non potius confundant ingratitudinem tuam prorſus ignoras.Ora tamen in meditatione cum humilitate & virtute donorum cœleſtium

Digitized by Google

ſtium gratis datorum, quoniam proprius motus illorum eſt impetrare magna, ſicut fidei etiam informis facere miracula, ſicut ſpei liberationẽ impetrare, ſicut dilectionis dilectionem reciprocam extorquere, quodammodo iuxta illud prouerbij: Si vis amari, ama. Et ita de reliquis virtutibꝰ donis, beatitudinibus ſuo modo dici poteſt, & hoc quam latè pateat vides. Secundò recogites in ipſa meditatione tua profeſſionem in monaſterio & in ſacerdotio conſecrationem, videbis te conſtitutum & peculiariter dedicatam vt ſis veluti quæſtor aliquis qui pro languentibus & indigentibus in hoſpitali magno totius vrbis etiam vſque ad carceres purgatorij quærere debeas eleemoſynam, non tam temporaliter quam ſpiritualiter ſuſtentatam. Petas igitur ne reſpiciatur indignitas tua, ignauia tua ſed aliena miſeria pro cuius ſubleuamine quæris miſericordiam, quam vt non impediat propria miſeria tua ſupplex pete. Proinde tertiò verſetur meditatio tua, in quibus verbis vel operibus oras Deum. Nam multa ſunt priuilegiata quæ ſortiuntur efficaciam nedum ex operante, ſed ex quadam vi operis operati, prout in Euchariſtiæ conſecratione & ſumptione, & aliorum ſacramentorum miniſtratione quandam vim ſuſcipiunt ex parte parte diuini & Eccleſiaſtici mandati. Sicut & oratio dominica quam Deus per ſe fecit. Sicut horæ canonicæ vel cæteræ orationes quas Eccleſia dicendas inſtituit. Alia etiam ſunt opera pro quibus indulgentias pontifex dedit. Dic igitur Deo dic Eccleſiæ: Exurge in præcepto quod mandaſti.

Demum quartò meditationem tuam conuerte quorum ſis miniſter, ad orandum videlicet Deum miſſus, inſtitutus, rogatus vel obligatus. Sit hoc ex generis propinquitate, ſit ex eleemoſynarum ſuſceptione, ſit ex amicitiæ viciſſitudine ſeu requiſitione, quoniam ſi mittentes ſunt in gratia, quemadmodum ſunt omnes in carcere purgatorij, & plurimi ex hoſpitali magno præſentis ſeculi, tua non erit ingrata neque prorſus inefficax oratio, etiam peccator ſis. Datur exemplum dum mittitur per ſeruum nequam à domino bonæ intentionis eleemoſynam petentibus. Vides igitur quis & qualis ſis qui oras, quia donis gratuitis non omnino cares. Nam mediator inſtitutus es, quia Dei præceptum & Eccleſiæ mandatum & theſaurum habes, quia ab alijs miſſus & iuſſus es.

Alterum principale quod ipſa tibi meditatio tua debet ſuggerere eſt, quem vel quos oras. Et quidem de omnipotentis Dei immenſa liberalitate, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, qui omnipotentiam ſuam parcendo maximè & miſerando manifeſtat, cuius indulgentiam nulla peccatorũ, nulla flagitiorum, nulla ſcelerum quantumcumque multiplicatorum enormitas ſuperari valet. Multum profuerit hæc ex intima cordis humilitate fide ſubnixa, viuaci meditatione ruminaſſe, etiam vbi nihil in ſe quod non meritò diſplicere poſſit, inuenerit. Cæterum quia mos humanus hoc habet, vt meditatores & interceſſores quærat dum potens aliquis rogandus eſt. Quoniam præterea rectè pronunciauit Dionyſius hanc eſſe legem diuinitatis, vt ad ſuprema reducantur infima per media, tu iuxta conſilium Iob, ad aliquem ſanctorum conuertere. Quod agere potes ſub quadruplici meditatione. Conuertere igitur ad aliquem ſanctorum vel ſanctam, qui Deo proxi- A mior eſt in glorificatione, ſicut & maioris meriti fuit quemadmodum de anima Chriſti, de beata virgine matre Dei, de iuſto Ioſeph ſponſo ſuo, de beato Ioanne Baptiſta, & ſanctis Apoſtolis, & de ſublimibus Angelorum ordinibus, martyribus & Confeſſoribus, Virginibus, & continentibus ſatis conſtat.

Aut ideo certè ſecundò ad aliquem ſanctorum conuertere, qui familiariori quadam deuotione tibi cognitus eſt vt patronus Eccleſiæ in qua ba- B ptiſmum ſuſcepiſti, aut in qua beneficium vel ordinem ſortitus es, vel cuius ingreſſus es ſanctum templum. Eſt orandus præterea ſanctus cuius nomine inſigniris. Eſt orandus ille cuius virtutes & vitam mirari ſoles & colere cognitam ex litteris. Denique mira fiducia ſemper adorandus eſt Angelus propriæ cuſtodiæ deputatus.

Aut tertiò rurſus ad aliquem ſanctorum conuertere pro neceſſitatibus aliquibus ſubleuandis, vel pro impetranda ſpeciali quadam gratia qui ſanctus vel ſancta priuilegiatum donum recepiſſe C memoratur à Deo vt pro talibus opem ferat. Diuiſiones enim gratiarum ſunt, ſicut tradit Apoſtolus, quod verum eſt nedum de viatoribus ſed etiam beatis. Sub quo reſpectu canit Eccleſia de quolibet ſanctorum: Non eſt inuentus ſimilis illi.

Proficit inſuper quartò ſi reuoces ante mentis oculos conuerſationem aliquarum perſonarum, ſiue mortuæ ſint ſiue viuentes, quam probatam eſſe vel fuiſſe cognoueris. Nihil enim impendit D quo minus oratio noſtra conuertatur ad huiuſmodi perſonas peculiariter & ſecreta quadam deuotione, quamuis ipſas non canonizauerit Eccleſia. In quibus quid aliud veneramur, quam relucentem in eis multiformem Dei bonitatem. Quæ vbicumque & qualitercumque viſa fuerit, apparere poteſt abſque periculo coli & ſuſcipi deuoto mentis amplexu. Complectitur hæc meditatio pueros innocentes noſtri generis, quos ideo conſtat ſaluatos, quoniam in gratia baptiſmali mortui ſunt. Complectitur & parentes noſtros & affines E alios, in quibus gloria quam eos habere piè credimus, naturalem & ingenitum amorem non tollit ſed perficit & auget.

Recogites ad extremum in ipſa meditatione tua quid vel pro quibus oras. Quemmodum ſub compendio reducimus ad quaternarium. Quidam ſunt in gratia, ſicut defuncti in purgatorio, vel plurimi viuentes in ſeculo pro quibus eſt Deo placens oratio, quemadmodum fit dum pro amico ad amicum defertur interceſſio. F Inueniuntur alij quorum laudabilis conuerſatio plurimum ædificat Eccleſiam, qui ſi caderent fierent in horrendum ſcandalum omnium bene viuentium, fabulam & deriſum. Aut tales ſunt quorum conuerſio valde proficeret reipublicæ ſeu Chriſtianitati, ſaltem vt in hoc non relinqueret dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum vel populorum afflictorum. Alij ſunt pro quibus eſt orandum, quatenus vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundet & gratia, qui ſunt ſupra modum peccatores, perſecutores & hoſtes acerrimi. Tu denique ſuper omnes & præ omnibus miſerere animæ tuæ placens Deo, pete ab eo

vt vias tuas dirigat, omniaque tua conſilia in eo permaneant. Inſuper quid ab eo poſtulas id eſt ſolidum & ſtabile bonum æternæ fœlicitatis. Reminiſcere cõformiter ad hanc meditationem tibi coniunctorum, quoniam qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet in oratione ſua, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Sit in omnibus & pro omnibus cardo deſideriorum tuorum & orationum, voluntas Dei beneplacens & perfecta. Exaudiat pete cardinem hunc deſideriorum quomodolibet diſpoſuerit Deus per arma iuſtitiæ à dextris proſperitatis & à ſiniſtris aduerſitatis per infamiam, & bonam famam, & ſatis eſt. Hoc tandem pro comperto tene, quod præmiſſæ conſiderationes & ſimiles proficiunt apud eos, qui ſeipſos ad orationem continuò vſu voluerint extendere ſiue exercere. Quemadmodum Cicero Tullius proteſtatur dum eloquentiæ pręcepta tradit dicens quod ſi deeſt exercitatio modicum vel nihil ars proficit. Hoc multo magis obſeruandum eſt in præceptis orando Deum, alioquin verba fiunt ſurdo & lux oſtenditur cæco. Exercitium verò ſi vigilanter affuerit, faciat ſibi materiam orationis deuotæ rem omnem quæ ſub aſpectu vel auditu, vel alio ſenſu ſe repræſentauerit. Videbit ſubulcum poſt porcos, recordabitur euangelicæ parabolæ de filio prodigo & clementiſſimo patre. Videbit pauperem mendicum & vlceroſum, recordabitur euangelicæ parabolæ de Lazaro & diuite epulone. Videbit diuitem multa ſibi conquirentem in annos plurimos, recordabitur euangelicæ comminationis: Stulte ac nocte animam tuam tollent à te, & quæ paraſti cuius erunt. Videbit filios huius ſeculi qui habent conſolationes ſuas multis modis meditabitur quæ ſit conſolatio quam parauit Deus diligentibus ſe. Videbit etiam bruta animalia quanta ſollicitudine, ſicut canes domeſtici, ſeruiunt homini, meditabitur quam iuſto Dei iudicio condemnantur homines inobedientes & ingrati Deo benefactori liberaliſſimo. Sic in omnibus & per omnia diſcurrat tua meditatio & reperies ampliſſimam & ſemper præſentem materiam orationis. Conſiderans igitur attende & fac, quoniam ita tibi diligenti Deum, omnia cooperantur in bonum. Meditare igitur vt columba ſimplex & gemens & ſit meditatio tua in conſpectu Dei ſemper. Eſt autem meditatio fortis & vehemens atttentio & ſtudium ad aliquid inueſtigandum per intellectum vel deguſtandum per affectum. Sic meditari iubebat qui dicebat: Guſtate quo ad ſecundum & videte quo ad primum, quoniam ſuauis eſt dominus. Rurſus idem Pſalm. ait: In meditatione mea exardeſcit ignis, ſubintellige illuminans intelligentiam & inflammans affectionem. Quod aliter fieri nequit ſi non in vnum colligat ſe mens noſtra comprimens & reprimens varios & vagos occurſus & recurſus inutilium cogitationum ſomnio ſimilium manu diſtrictæ redargutionis. Tandem ipſa meditatio quæ laborem habet & fructum, vertetur in contemplationem quæ facilis erit vt cogitatio, ſed non vt cogitatio infructuoſa, ſed fructuoſior etiam meditatione. Tunc ei per contemplationem videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum. Nam contemplatio eſt liber & expeditus mentis intuitus in res proſpiciendas vndequaque diffuſus in diuina ſpectacula ſuſpenſus. A Inde fit vt ſicut aliquos benè & continuè meditans ſcribere cum laborioſiſſima tarditate, tandem peruenit vt celeriter abſque labore dum incipit benè ſcribat, ſcribens autem celeriter, neque benè neque celeriter vnquam ſcribit. Ita de meditatione cœleſtium accipe. Iuuabit autem te lectio erudiens, oratio lactans, meditatio (prout dictum eſt) paſcens, vt contemplatio ſuauiter delectans nutriens, & diuinitus afficiens ſubſequatur.

Secunda pars.

B MVLTVM valet (vt teſtatur Iacobus Apoſtolus) deprecatio iuſti aſſidua. De petitione non Romani conſulatus vt Cicero Tullius, ſed cœleſtis incolatus, ſcripſi nuper tibi frater chariſſime ex quo perlecto ſiue inſpecto poteſt illa conſequenter ſolui dubitatio quæ multos inquietat. Quid & quantum valet oratio ſi pro multis ſi pro amicis, ſi pro ſe tantum quantum pro vno pro inimico pro alieno? Incidit autem protinus diſtinctio de triplici facie petitionis qua C orans nititur impetrare, aut per modum ſit liberalis & gratuitæ donationis, aut per modum meritoriæ actionis, aut per modum ſatisfactiuæ recompenſationis.

Primum reſpicit liberaliſſimam donantis miſericordiam abſque reſpectu ad merita quæcumq; ipſius orantis vel alterius pro quo fit oratio. Et quoniam miſericordiarum Dei non eſt numerus pondus vel menſura, ſic non cadit ſub noſtra numeratione vel menſura, quid & quantũ & quibus D det, qui prior nos diligit pura & gratuita voluntate, cuius voluntatis non eſt quærenda ratio, quæ frequenter vbi ſuperabundauit delictum facit & gratiam ſuperabundare. Exemplum in rege qui ſuos incarceratos dimittit quandoque liberos abſque precio & mercede & abſque intuitu interceſſionis cuiuſquam factæ, quia ad hoc ipſum ſuæ liberalitatis virtus trahit. Hic eſt frequentiſſimus apud ſacram ſcripturam modus orationis ſanctorum Patrum atque Prophetarum.

Porrò ſi fit petitio per modum meritoriæ actio- E nis, tunc nullus impetrat de condigno qui caret charitate. Qui verò charitatem habet eo cæteris paribus eſt efficacior oratio ſua pro ſeipſo quoad præmium eſſentiale beatificum promerendum, quo feruor charitatis & conatus fuerit maior. Cæterum ſi de præmio loquimur accidentali, ſiue illud ſit præmium æternum in cœlis, ſiue ſit tranſitorium & temporale in terris. Dicimus conformiter ad communem theologorum ſententiam, quod eſſentiale præmium non inde minuitur ſi a- F ctio meruit qualecumq; tale pręmium quod vocamus accidentale. Eſt autem tale illud præmium quod non habet pro obiecto viſionẽ Dei claram cum fruitione conſequente eam, quoniam eſſentialis beatitudo in duobus his actibus ab Eccleſia ponitur integrari. Confeſtim ex hoc infertur quod oratio ſi pro quantum multis fiat ſi pro alijs quam ſe, ſi denique pro inimicis, ipſa tamen ęquali charitate præmium eſſentiale ſemper æquale meretur. Secus de præmio accidentali, eò quod pro varietate petitionum & meritum variatur. Vnde plus de tali pręmio cæteris paribus, meretur aliquis pro vno quam pro multis & pro ſe quam

pro

Digitized by Google

pro alijs & pro bonis quam pro malis & pro amicis quam inimicis. Exemplum de rege qui ad A meritum ſolum orantis reſpiciens, liberat citius vnum captiuum quam multos & ſeipſum orantem quam alios, & amicum orantem citius exaudiet quam inimicum.

Poſtremò ſi cōſideretur oratio fieri per modum tertium ſatiſfactoriæ, ſcilicet recompenſationis erit neceſſaria multiplicior diſtinctio, quoniam de illa ſimiliter eſt inquiſitio difficilior. Separatis igitur duobus reſpectibus primis ab ipſa oratione dum innititur vel ſoli diuinæ liberalitate, vel ſoli B meritoriæ & charitatiuæ actioni. Inuenimus primò gratias gratis datas quibus innititur oratio, ſicut fides & ſpes etiam informes. Inuenimus ſecundò operum pœnalitatem, ſicut in ieiunio ſumpto generaliter pro omni corporis afflictione. Tertiò inuenimus operū fructuoſitatem in alios, ſicut eſt eleemoſyna ſumpta generaliter pro omni tempore miſericordiæ ſpirituali vel corporali. Inuenimus quartò operum dignitatem, ſicut eſt oratio ſumpta generaliter pro omni eleuatione mentis in Deum per pium & humilem affectum. C Quintò inuenimus opera priuilegiata, in quibus eſt valor virtute operis operati, ſicut in ſacramentorum miniſtratione vel ſuſceptione, quæ virtutem habent ab inſtitutione & merito Chriſti, etiam vbi nullum adeſſet meritum vel dignitas miniſtri. Inuenimus ſextò opera aliter & aliunde priuilegiata, ſicut indulgentiæ, ſicut ſunt benedictiones per Eccleſiam ordinatæ, ſicut orationes vice ſua factæ. Sic demum orationes per alios in gratia ſtantes fieri commiſſæ.

D Ponamus igitur aliqua conformiter ad hanc ſextuplicem diſtinctionem. Et primò quod (cæteris paribus ſic ſemper ſunt ſequentia intelligēda) petitio facta tanquam ſatiſfactoria recompenſatio nunquam ita valet pro multis ſicut pro vno. Iſtis enim fit iuſtitia quædam commutatiua tanquam precij ad precium, vt ſi duo ſint in carcere quilibet pro x. ſolidos expeditur vnus citius dum præbentur x. ſolidi pro ſe vno quam ſi pro duobus tantummodo donaretur.

E Amplius ſatiſfactoria recompenſatio pro delictis, quanto pœnalior & acerbitior eſt, tanto cæteris paribus fit acceptior, & eò magis quò fuerit in eadem plus de voluntario rationis. Eſt enim ſatiſfactio redditio voluntaria alicuius aliàs debiti. Idcirco ponimus largo nomine triplicem in homine voluntatem. Vnam ſenſualitatis, alteram rationis inferioris, tertiam rationis ſuperioris. Obuiat autem pœna voluntati ſenſualitatis. Alioquin iam non eſſet pœnalitas, voluntas verò rationis acceptat eam quandoque priuatiuè, quod F fit vnde non remurmurat aduerſus ipſam, ſed tolerat eam ſicut in purgatorio. Quandoque vult poſitiuè, quod fit dum ratio lætāter eam acceptat, ita nolit etiam ſi poſſit ea carere, ſicut (verbi cauſa) viatores ſponte pœnitentes in ieiunio ſacco & cinere, ſicut ægritudine corporali, ſicut iniuriarum voluntaria & diſcreta perpeſſione, ſicut denique in tentationum ſpiritualium plus quam dici poteſt inquietudine. Habet itaque (ſicut præclarè quidam ait (ipſa tribulatio vocem orationis, vt Lazarus tot linguas habuit quot vulnera tolerauit, & cæt.

Dicamus conſequenter iuxta priorem diſtinctionem, quod opera quæ ſunt alijs vtilia, ſicut eleemoſyna tam ſpiritualis quam corporalis ſatiſfaciunt variè iuxta fructuū varietatē, qui deriuantur in alios pro diuerſitate illos recipientium. Quæ verò ſint & quot opera miſericordiæ ſatis vulgatum eſt. Attenditur hic obligatio qua conſtringitur ille cui fit eleemoſyna viciſſitudinem, ſcilicet reddere, vt vel orando vel ieiunando vel aliquid tale faciendo.

Porrò ſi conſideretur ſatiſfactio quæ fit per orationem, ſecluſo reſpectu ad charitatem, illa frequenter habet ſine forti meditatione vel vehementi iunctam cum ea pœnitentiam, idcirco habet vim ſatiſfactionis, tamen differenter iuxta ſui continuationem maiorem quæ fit tripliciter aut actualiter aut virtualiter aut ſolum habitualiter. Exemplum damus in ſimili, quia non omnia poſſumus ſub hac breuitate plena ratione diſcutere. Ecce peregrinator aliquis ad ſanctum Iacobum, hic ambulat nonnunquam, & mouetur cū actuali recogitatione ſua ſuæ peregrinationis, ambulat aliquando ſed de peregrinatione ſua nihil recogitat actu, continuat tamen motum in virtute deliberationis primæ qua conſtituit peregrinari. Cæterum deſinit à motu quandoque retinens actualem voluntatem ſuæ peregrinationis, quandoque ſicut in ſomno nihil actu cōſiderat. In primo caſu eſt peregrinationis continuatio duplici continuitate actualiter naturæ, ſcilicet & moris. In ſecundo eſt continuatio peregrinationis naturę & continuitate moris, licet non actualiter ſed virtualiter, quoniam in virtute voluntatis primæ continuat motum, ſicut in motu lapidis poſt elapſum à manu proijcientis videre eſt. In vltimo caſu reperitur diſcontinuatio naturalis, eò quod motus ceſſat, remanet tamen continuatio moris, quoniam non eſt appoſita voluntas oppoſita quæ nolit cōtinuari peregrinationem, ſed in habitu ſemper manet. Vnde cum illa dicantur continua ſecundum Ariſtotelem quorum vltima ſunt vnum, manet aſſiduè continuatio moralis quantumcumque fiat diſcontinuatio in ipſo actu naturali, dum non interrumpitur per oppoſitam intentionem primę & principali intentioni, licet ipſa nec actualiter in animo peregrinantis remaneat. Concludimus ex his veriſſimum ſententiæ domini Saluatoris intellectum: Oportet ſemper orare & non deficere. Nunquam enim deficit oratio quæ cœpta eſt fieri per actualem attentionem, quin continuetur in eſſe moris ſiue gratię, dum non interponitur ſicut nec interponi debet, diſcontinuitas oppoſitæ intentionis vel culpæ mortalis. Sic intelligitur præterea illud Apoſtoli: Omnia in gloriam Dei facite. Actu videlicet aut habitu. Sic rurſus illud magiſtrale: Qui benè viuit, ſēper orat. Hoc eſt, qui non apponit in oratione ſua peccatum mortale, illa ſemper eſt continua vel actu vel habitu vel virtute.

Si loquimur proinde de operibus priuilegiatis, intelligere facile eſt ex doctorum traditionibus, quantum vel quemadmodum illa de ſe valeant ad ſatiſfactionem. Credendum eſt planè quod Euchariſtiæ ſacramentum continet in ſe plenitudinē omnis gratiæ & meriti ſpiritualis nihilominus quoad ſatiſfactionē pro reatibus culparum cōſti-

Digitized by Google

tuit hoc ſacramentum Deus in numero, pondere & menſura, ita vt ſit valoris finiti, finitum verò in plures partes diuiſim reſultat, minus quod pro multis quam ſi conſertetur in vnum exemplum iam datum eſt.

Sic de indulgentijs prout ſatisfactoriæ, ſic de alijs iudicandum cenſemus, ſemper præſuppoſita circunſtantiarum aliarum paritate, ſic in ſacramento pœnitentiæ datur gratia, & diminuitur, vel omnis tollitur pœna virtute ſacerdotalis abſolutionis, ſic non affuerit obex vel fictio. Inſuper tradit ſanctus Thomas, quod eſt efficax ita ſacramentum pœnitentiæ in fictè accedente, quod recedente fictione, abſolutio ſacramentalis ſortitur effectum ſuum, ita vt non oporteat iterum peccata confeſſa iterare vel repetere, proportionabiliter ad dicta doctorum de illo qui baptizatur, dum manet in actuali voluntate peccandi, quæ ceſſante recipit baptiſmus effectum. Hæc opinio & ſi non tenetur communiter à doctoribus & eget reſolutione maiori, fauet nihilominus plurimum fragilitati noſtræ & diuinæ pietati, eò quod vix ſine fictione alicuius admixtione confitemur.

Quiſquis tu tandem es ordinatus ad orandum nedum pro te, ſed etiam pro cæteris poteris in ipſa meditatione tua diſcutere quæ dicta ſunt vt ab obligatione tua te apud Deum & homines diſſoluas. Nihilominus ſi quid in me conſilij eſt, noli nimium ſcrupuloſus eſſe circa tuæ orationis numerum, pondus vel menſuram. Committe totum iſtud Deo, qui tribus digitis, potentiæ, ſapientiæ & clementiæ appendit mollem terræ, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, qui numerum ſcit arenæ maris. Dic ipſi tota ſpei fiducia: Debitor ſum pater noſter ſupra quam poſſit exiguitas mea ſoluere. Debitor, quia creaſti. Debitor, quia immemor tui, vitijs ſordidans contra tua præcepta, & tamen mihi parcens peccantem non damnaſti. Debitor iterum proximis, quia de labore manuum ſuarum, de ſudore vultus ſui comedo panem in abundantia. Debitor carni meæ, & ſanguini. Debitor orantibus pro me. Debitor lapſis per me, & ita de reliquis abſque numero. Tot igitur preſſus exactoribus quid agam, quo me vertam? domine vim patior, reſponde pro me. Sed quid reſpondebis mihi? rectè prorſus ſi diuidas vnicuique illud quantulumcumque ſuffragiorum, quod offerre paupercula mea poteſt, quæ quanta ſit, ſolus vides. Nolo calculum ponere cum ſingulis proximis & benefactoribus meis. Tu pro parte tua recipias miſſam iſtam, tu orationem, tu bonum opus alterum. Tu ſapientiſſime meritorum & ſuffragiorum ponderator Deus, diſtribue ſingulis, prout vnicuique opus eſt ad vtilitatem ſuam & liberationem meam. Exemplum in ciuilibus applico mihi. Debitor itaque non habens vnde ſoluat creditoribus ſuis, ſolet vel cogitur cedere omnibus bonis ſuis tam habitis quam habituris, retenta neceſſitate victus ſui, prout ordinauerit iudex ſiue aduocatus ſuus. Ita de ſpiritualibus cedo coram te domine & pie Deus. Sed ad alios redeo. Legimus in vitis patrum quod matrona quædam Romana nomine Melania, viſitans eremitas in Ægypto, obtulit vni trecentos ſolidos diſtribuendos in eleemoſynas fratrum. Sed ille

A nec oculos quidem extulit ad eam, ſed ſacculum iuſſit nutu ſuo reponi iuxta ſe. Quod mulier attendēs, indignè ferebat quia illaudata remaneret, ait: Pater aſpice, nam trecenti ſunt ſolidi. Rectè inquit ille hæc inſinuares ô mulier, ſi id vel mihi vel hominibus tribueres. Cum verò tu Deo tradis oblationem, ſuperfluum eſt quærere numerationem, quoniam ipſi qui numerat multitudinem ſtellarum, & eius ſapientiæ non eſt numerus.

Hominibus ſpiritualibus vt talia intelligant, poſſunt facilius inculcari, ſed animalibus qui non
B ſapiunt ea quæ ſunt Dei, niſi per comparationem ad ſua carnalia, maior hic labor eſt. Ponamus tamen pro vtriſque pro carnalibus & ſpiritualibus pauculas conſiderationes.

Et dicamus pro prima, quod gloriæ cœleſtis præmium eſſentiale, ſicut excedit in valore liberationem quantamlibet temporalis pœnæ, ſic meritum talis præmij liberationem quantamlibet excedit huiuſmodi pœnæ. Hoc dicitur aduerſus carnales qui nihil videntur in ſuis donationibus ſeu petitionibus aliud magis attendere, quam mo-
C dum recompenſationis ſatisfactoriæ. Alioquin non ita vellent, vt ſic dicamus, ipſi mercari, de numero, ſcilicet miſſarum à quocumque dicantur, de numero pſalmorum & ſimilium. Quoniam poteſt aliunde fieri, vt per modum meritoriæ actionis, vel etiam liberalis impetrationis per homines viuentes in fide, ſpe, & charitate, amplius & longè dignior poteſt renumeratio conquiri, nedum pro gloriæ cœleſtis adeptione, ſed etiam pro pœnarum quibus obnoxij ſunt liberatione.
D Etenim quis neſciat ſanctos & ſanctas quorum ſtatui repugnat actio ſatisfactoria, plus ſæpe nobis peccatoribus impetrare de venia, plus indulgentia à pœna & à culpa, quam faciat noſtra viatorum quantalibet afflictio? Hoc in parabola vineæ notauit Chriſtus, qui venientes vltimò cum ſine ſpe mercedis illud agebant, remunerauit vt primos diurno conductos denario.

Addamus pro altera conſideratione, quod periculoſum eſt & ſtultum, & de ſymoniaca prauitate vehementer ſuſpectum tam in dantibus quam
E in recipientibus, coarctare, limitare ſuas orationes aut ſuffragia, ad aliam vel ad illam duntaxat perſonam, dum datur aliquod emolumentum temporale, aut ſic dicendo vel intendendo quod huius miſſæ ſuffragium vel hæc oratio vel aliud, valeat ſolum tali. Iſtud planè licitum non eſt, neque poteſt fieri neque debet quoniam verè enunciauit qui dixit? Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua. Inſuper adijcimus conſiderationi noſtræ,
F quod periculoſum & ſtultum eſt homini ſemet ad ſuffragia alijs ferenda obligari, recipere temporalia pro ſe vltra ſuſtentationem honeſtam ſui ſtatus, prout ſapiens iudicabit. Itaque ſicut opus ſatisfactorium non valet tantum pro multis ſicut pro vno vel paucis, ſic non poteſt talis æquè ſatisfacere pro deletione reatus plurimorum, quemadmodum deleret reatum proprium vel paucorum. Hinc eſt quod non abſoluitur dicendo miſſam vnam, dum ſe plures & pro pluribus obligauit. Niſi fortè talis interceſſerit obligatio quæ diſcretioni & bonæ fidei dicentis commiſſa ſit iuxta neceſſitatis aut piæ vtilitatis qualitatem.

Attendendo

Attendẽdo quod obligatus ad duas miſſas modo prædicto poteſt per alia ſuffragia facere compenſationem pro ſe & ſuis, ita tamem quod bona fides ſemper adſit. Et eſt bona fides ſecũdum Tullium, vnum agere & non fingere aliud. Vel fortè illud melius diceretur bona fide aliquem quid agere, dum facit illud quod ſibi rectè vellet fieri, aut quod alius quo fit, deberet rectè ſibi fieri velle. Sic commendantis, ſic legantis intentio ſeruanda eſt, fiat tamen etiam hoc vtiliter ſuperioris prudentioríſque conſilio vel aſſenſu.

A

Adde quod orationes per Eccleſiam aut ſuperiores impoſitæ, ſicut ſunt horę canonicæ, ſicut eſt pœnitentia impoſita, ſicut ſunt ſuffragia pro quibus dantur indulgentiæ, plus, cæteris paribus, proficiunt quam peculiares inſtitutiones. Debent autem indulgentiæ dari diſcretè pro pia vtilitate ad Eccleſiæ ædificationem, ac recipi cum vera pœnitentia, pręuia pura confeſſione ſicut placet aliquibus, aut ſaltem habita in propoſito, alioquin credens aliter dare vel recipere decipitur. Denique nihil poſt charitatem ita proficere videtur in oratione quantum orantis humilitas quæ non in iuſtificationibus ſuis proſternit ſe ante Deũ, quamuis intendere iuſtificationi ſuæ non omittat, non tamen in ea, ſed in liberalitate Dei reponat ſpem ſuam. Hæc autem humilitas haberi putatur ab aliquibus tota facilitate, quia ſic verbo vel oratione profitentur eſſe faciẽdum ſub potenti manu Dei. Sed etiam in affectum trahere ſummæ difficultatis, & ſolius diuini muneri experiuntur, qui ſuperbam & ſtultam humani cordis præſumptionem ſatagunt euincere. O quotiens preſſa, quotiens obruta pede ſanctæ deuotionis, reſurgit ocius peſtis hæc ſuperbiæ. Neque tamen efficacius ad normam humilitatis legitimam venit, quam ſi accedat homo ad cor altum, & exaltetur Deus in conſideratione iudiciorum ſuorum, recogitando quam terribilis eſt in conſilijs ſuper filios hominum, qui cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, apud quem nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit. Attende tu qui ſuperbis, quoniam ex tua conditione totaliter infectus es filius iræ & maſſa peccati. Vtrum verò te tuus creator & iudex relinquat vas in contumeliam quod poteſt ex iuſtitia, vel aut efficiat vas in honorem pro ſola miſericordia, tu prorſus ignoras. Væ autem tibi ſi te non purificauerit vſq; in finem, ſi per iuſtitiam ſemota miſericordia teipſum dijudicet, etiam ſi quid gratiæ habes vel virtutis, quod profectò non à te, ſed ab ipſo ſuſcepiſti. Noli igitur gloriari, noli ſuper alios extolli, quaſi tu hæc non acceperis, quaſi præterea non inde grauiori ſupplicio dignè flagellandus ſis ſi ingratus, ſi aliorum contemptor extiteris.

B

C

D

Sed redeamus ad orationem. Refert Seneca regem Antigonum reſpondiſſe cuidam in fine fortunæ homini, dum peteret ab eo obolum. Non decet inquit regem dare munus tam exiguum. Petiuit ciuitatem, reſpondit ipſum non eſſe tanto munere ditandum cum tamen poſſit vt rex dare ciuitatem, & ille vt pauper obolum recipere. Tendit hæc narratio, vt in omni petitione ſimus memores indignitatis noſtræ, audeamus tamen petere magna, non pro recipientis, ſed pro donantis Dei ſumma liberalitate. Huic innitatur

E

F

oportet tota fide & fixa ſpe cardo deſideriorum petititionúmque noſtrarum, quia verbum Dei eſt. Miſerebor, cui miſerebor? Propter quod formam nobis orandi dedit. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Dimittimus & nos debentibus noſtris, ſicut dimitti nobis volumus & optamus. Volumus autem ſi rectè volumus ita nobis debita dimitti. Primò vt non damnemur, dehinc vt punitionem euadamus, aut quod illam temperatam patientiámque conditam habeamus ad correctionem, non ad deteriorationem noſtram. Velis itaque de quolibet proximo tuo, alioquin time quod dicitur: Et oratio eius fiat in peccatum. Et illud: Serue nequam, nonne oportuit & te miſereri conſerui tui? Facile enim dimittit omnia qui ſe mortis æternæ debitorem eſſe vel ſcit aut formidat. Cæterum plus in alienis quam tuis orationibus fiduciam habe, charitatem habe, & dices ex ſententia: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua, ſiue in cœlis, ſiue in terra ſunt. Conſtituas ante faciem conſiderationis tuæ dum licet, dum tempus eſt miſerendi, dum non declinauit Deus in ira à te ſeruo ſuo, quoniam totus deſiderabilis, totus amabilis eſt, nullo ad præmium, nullo ad ſupplicium habito reſpectu qui carnalem quoad ſe reflexum ſapit amorem, dicito cum Iob: Etiam ſi me occiderit, tamen in ipſo ſperabo. Sic erit oratio pura, ſic digna diuino conſpectui, ſic diliges Deum, & teipſum propter Deum.

Nec interim habui quæ de orationis valore ſub aſpectu multiplici diſſererem, quam expedientius eſt corde puro, ſimplicíque frequentare iugiter abſque vlla (vt expreſſum eſt) intermiſſione, quam curioſa ſcrupuloſitate velle digitis (vt dicitur) appendere eam, quamuis & hæc doctrinalis inquiſitio non ſit omnino fructu carens. Inuenitur in ea præcipuè ne in tantis obligationibus orationum pro alienis ſe quis inuoluat, vt inde temporale ſubſidium ſubſequatur, neque tanquam pro precio quod eſt ſacrilegium ſimoniæ, neque tanquam pro ſuſtentatione ſua plus debito quod ad auaritiam pertinet, & turpem quæſtum quis notaretur. Sit pietas alienæ miſeriæ, ſit ipſa charitas, ſit deuotio, ſit amicitiæ grata viciſſitudo, ſit zelus animarum ſit æternæ vitæ retributio, ſit allocutionis diuinæ dulcedo dignitáſque præcipuum ſit motiuum orationis tuæ.

Tertia pars.

DESCENDAMVS conſequenter ad particulares caſus aliquos, quoniam ſermones vniuerſales in moralibus, dicente Ariſtot. & teſte experientia, minus proſunt aut erudiunt, quemadmodum videre eſt in præceptis medicinæ. Neque tamen oportet tentare de ſingulis particularibus, quoniam infinita ſunt, & ideo nec diſſerere neceſſe. Sed in primis ſicut directio cordis tendit & terminatur in Deum, ſic & ab eodem habet ortum. Audi Hieremiã: Scio domine quia non eſt hominis via ei⁹, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. Hinc vnus ſanctorum: Pete inquit à Deo (filium ſuum inſtruens) vt vias tuas dirigat. Hæc igitur petitio quoniam ſimiliter dirigi habet à Deo, orabat propheta: Dirigatur domine oratio

Digitized by Google

mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Quam directionis neceſſitatem attendens propheta, tribuit illam Deo dicens: Confiteor tibi domine in directione cordis. Eſt igitur ſcitu dignum, quæ ſit illa orationis ſicut incēſum directio. Et videtur quod ſit intentio cordis in Deum vel erga Deum, quæ intētio dum manet & recta & imperturbata ſicut virgula fumi incenſi ſurſum tendentis, tunc eſt oratio recta, dum verò per irruentiū phantaſiarum & cogitationum ventos, per obſcura & depreſſa deſideriorum ſenſualiū nubila agitatur, rumpitur, diſſipatur, vt cadat à rectitudine neceſſe eſt. Nihilominus interruptio talis nō ſemper eſt vitioſa vel curſus penitus in Deū orationis impeditiua. Vnde poteſt ſub diſtinctione fieri ſermo de intentione, quæ requiritur & ſufficit in oratione. Vel ſub alio fortè nomine communiori de intentione vocalis videlicet orationis, vt in prolatione hymnorum, canticorum & horarum canonicarum. Hæc enim quæſtio diuturnum cedit in vſum.

Eſt itaque multiplex attentio ſiue intentionis cordialis directio, vna actualis, alia habitualis, alia quaſi media, ſcilicet virtualis. Rurſus harum quælibet diuiditur, quoniā alia refertur in ſolas voces & verba, alia in verborum ſignificationes, alia nec verborum formas nec ſignificationes attendit, ſed in affectus aliquos circa cœleſtia & diuina tranſit, & hoc ſiue in bonos vel in vitioſos & malos.

Dicitur iuxta hoc primò, quod attentio actualis ad verborum ſignificationes, non requiritur ad orationis directionem. Perſpicuum fit hoc in laicis dicentibus vel audientibus ea, quorum ſignificationes penitus ignorant, vt ſunt ſeptem Pſalmi & Miſſa. Dicitur conſequēter quod actualis attentio circa voces orationis & verba, non ſemper requiritur ad orationis directionem debitam aut ad ſufficientem continuationem, alioquin nulla eſſet in via, aut vix eſſet oratio non diſcōtinuata. Exemplum legimus de quodā qui volens ruſticum conuincere de cordis inſtabilitate dum fit oratio, nam ille deuotum ſe ſimulabat & attentum, pollicitus eſt ſe daturum ſibi aſinum, ſi poſſet orationem dominicam nihil aliud actualiter cogitans perficere. Qui mox vt ad orationem diuertit, ſecurus de aſini lucro, cœpit diſtrahi in hanc cogitationem, ſi ſellam habiturus erat cum aſino. Qui tandem ad ſe rediens, & ſe redarguens, inſtabilitatem ſui cordis confeſſus eſt. Exemplum aliud eſt de peregrinationis cōtinuatione, quæ non requirit aſſiduam paſſuum ſuorum dinumerationem, neque terminum quo perueniēdum eſt ad actualem recogitationem. Additur quod ſtat orationem ſicut & peregrinationem diſcontinuari quoad eſſe naturale, quæ continua tamen erit in ſuo morali eſſe, ſicut & è contra, prout ſtatim deducetur.

De habituali attētione amplius loquamur quod illa videlicet non ſuper ſufficit ad cōtinuationem orationis conſeruandam. Stat enim aliquem eſſe qui iam multo tempore propoſuit actualiter, & habitualiter retinet in animo dicere ſeptem Pſalmos integraliter & attentè, qui vel non dicet illos, vel interruptiſſimè dicet, tali interruptione quæ contrariatur morali orationis vnitati. Habet itaque quælibet actio moraliter ſuam & continuationem moralem, quare circunſtantiæ ad bonitatem morum requiſitæ, ſunt appoſitæ & retentæ in huiuſmodi actione. Dum autem apponitur circunſtantia (A) mala moribus contraria quamuis maneat eadē actio in eſſe ſuo naturali, ſicut eſt idem motus in peregrinando, variatur tamen in eſſe morali, vt ſi quis motum peregrinationis continuet propter auaritiam & rapinam aut libidinis expletionem. Si verò in orationis voce apponit circunſtantiam attentioni debitæ contrariam & incompoſſibilem ſcienter cum propoſito & aſſenſu deliberato, tunc eſt diſcontinuatio moralis, ſecus ſi neſcienter & inaduertenter hoc fuerit factum iudicabitur.

(B) Præterea decimus quod virtualis attentio ſeu cordis directio non interrupta de libertate per actualem attentionem ſibi moraliter contrariam ſufficit vt oratio dicatur cōtinua in eſſe morali vel moraliter, & ſi non ſemper naturaliter vel in eſſe naturali. Eſt autem virtualis attentio quam genuit actualis, qua tranſeunte, remanet eius virtus in corde orātis, quæ ſcilicet virtus orationem ſufficit continuare, etiam vbi cor euagatur actualiter & inaduertenter circa cætera multa. Experimur hæc (C) nedum quotidie, ſed in omni ferè hora vel momento. Exemplum naturale eſt in actu ſagittæ quę mouetur poſt quietem ſagittantis & nauis ceſſantibus nautis. Immo ſic habet omnis ars perfectè habituata quod frequenter in actione ſua nequaquam deliberat. Docent hoc cythariſtæ, ſcriptores & mœchanici alij ferè omnes.

Elicimus conſequenter doctrinam vtilem ex præmiſſis. Quiſquis orat vocaliter orationē quam tenetur exoluere (quia de volūtarijs non oportet (D) repetitionem fieri) ſi percipit orans quod euagatur nec attendit ad verba vel ad ſententiam, ſi facit hoc ex inaduertētia & diſplicet ſibi dum aduertit, nequaquam dicendus eſt interrūpere orationem, nec ad iterationem obligatur, immo ſtaret reiterationem talem frequenter fieri nedū ſuperuacuam, ſed & nociuā, præcipuè ſi in conuentibus laborat, vbi ſocietatem quibus eſſet offendiculoſum iuuare tenetur. Neque debet faciles ſuper huiuſmodi inaduertētia & obliuione ſcrupulos ſibi formare, alioquin nunquam poteſt cor ſuum quietare quia (E) nititur ad impoſſibile ſibi per naturam vel complexionem vel conſuetudinem vel phantaſiæ turbationem, quæ nūquam poteſt (ſicut tradunt medici) quieſcere, ſicut nec aër vel mare dum agitantur aſſiduitate ventorum requieſcunt. Addunt aliqui rationem dicentes: Simile eſt in natura, ſicut nouas ſemper deproperat edere formas naturales in materia, ſic eadem à cœleſtibus influentijs & intelligentias nouas iugiter formas intentionales agitat ac renouat in organis ſenſuum interiorum, (F) quæ ſunt ſenſus communis & phantaſia & æſtimatiua, quæ in ſpeculi ſimilitudinem recipiunt irradiationes corporum ſuperiorum, & (vt volunt aliqui) intelligentiarum. Attamen quantum & quouſque dictum hoc veritatem habeat, maiorem requirit inueſtigationem. Quacumque autem ex cauſa proueniat, nos experimento continuò cernimus & ſentimus hanc euagationis neceſſitatem, quam ſi toleramus inuiti, nec ſentiendo conſentimus, ſecuri ſumus à peccato mortali, venialia verò omnia quis euaſerit?

Si autem deliberato conſenſu rumpimus attentionem actualem in oratione ſcilicet, eam ſuſpendendo

dendo

Digitized by Google

dendo quouſque ceſſauerit actualis euagatio vel attentio circa alia, quod fieri ſæpè prodeſt & ſalubriter conſulitur, præſertim dum homo orat ſolus, vel cum illo qui eius moram ſeu diſconuenientionem tollere paratus eſt. Exemplum dum ſentit aliquis in orando vehementem tractum cogitationis bonæ & honeſtæ, ſicut prædicationis faciendæ, aut dum exterius inquiritur ab altero aliquo ſuper reſponſione ſibi facienda, ſiue dum rei domeſticæ vel officijs proprijs imminẽs vrget vel trahit commoditas vt eidem protinus intendatur. Poteſt orans in his & ſimilibus caſibus vel cauſis orationem verbalem intermittere, aliquando diutius, aliquando breuius, & redire poſtmodum ad continuationem abſque vlla præcedentium iteratione verborum, quia ſtãte interruptione actus naturalis, moralis continuatio certa manet, neque fructum orationis prorſus aufert vel meritum. Porrò ſi quis orationem agere debeat in communi ſicut in Eccleſia fit, non ſuppetit talis interruptionis actualis libertas, quoniam non ita redire poteſt ad paſſum quem deſeruit reſumendum. Sufficit tamen in caſibus multis bona quædam & pia cauſa quæ non iteranda eſſe quæ fuerunt omiſſa, ſatis excuſat. Vt ſi vnum aut duos vel tres verſus alicuius pſalmi dimiſerit, ſi reſumere voluerit, vndecunque turbabitur in alijs continuandis. Et ideo eſt conſultius cum quidam cordis pœnitentia vlterius progredi.

Hoc ſpecialiter obſeruandum videretur apud religioſos, quod ſuperiores eorum talem eis indulgentiam concederent immò ſuaderent ne iterationem facerent talem quæ communem orationem magis turbaret, quàm ſua reſumptio ſolicita & anxia proficeret, qua data indulgentia nulla fit tranſgreſſio.

Addito quod non oportet in foro pœnitentiali dare formalem illius quod omiſſum eſt repetitionem, vt primam pro prima, tertiam pro tertia &c. ſed ſufficit quod aliquid æquiualens iniungatur. Addito præterea quod non leuiter debet orans formare ſibi ſcrupulos ſuper obliuione illorum quæ protulit aut proferre debuit, quoniam memoria & reminiſcentia non cadunt niſi ſuper illa quæ per reflexionem ſuper actus noſtros vel cogitationes conſiderauimus, quales reflexiones non fiunt continuè, nec vt fiant neceſſe eſt. Sufficit igitur ad quietationem ſibi vnicuique faciendam probabilis coniectura.

Orationem denique ſi quis illam dumtaxat quę ſub præcepto cadit ſciẽter interrumpit per actualem attentionem ad alia, & euagationem orationis attentioni contrariam ſcienter & cum propoſito. Sic quod aduerterit huiuſmodi diſtractionẽ, & eam non curat repellere, ſed vult progredi in oratione, talis vt peccat, vel reſumere debet illud quod in tali voluntaria diſtractione prolatum eſt. Nihilominus attendendũ videtur in caſibus nonnullis, quod non oportet orantem ſemper conari tota ſollicitudine continere cor ſuum infra verba & ſenſum vocalis orationis, quin tolerari poſſit euagatio quædam ſeu potius cordis laxatio ſine forti conatu repreſſionis cogitationũ, nunc hac, nunc illac fluctuantium. Et hoc vel propter laſſitudinem naturæ & cerebri quandam turbationẽ, vel propter curſum velocem orationis, vel quia

de ſenſu verborum illorum fortè difficiliũ apud A peritiſſimos theologos nihil intelligitur, vel minus quam continent. Sunt qui per ambulando fiunt minus grauati, vel deſides in oratione regularius tamen obtineri & contineri poteſt ſtabilitas cordis in orationis attentione, ſtando vel ſedendo, vel aliter honeſtè quieſcendo, quam corpus agitando.

Supereſt videre de attentione quæ fit in affectu ad Deum vel ad ſpiritualia aliqua qualia non ſignificant verba orationis quæ proferuntur. Ingerit quippe ſcrupulum apud nonnullos dictum B Bernardi ſuper cantica, vbi prohibere videtur attentionem quamlibet ad alia, quam ad orationis ſignificata & verba, etiam ſi ſalutaria videantur, ſicut exemplum dat de recogitatione ſermonum ſuorũ. Et addit quod monachus debitor eſt omnium verborum orationis quæ dicuntur vel cantantur, ſiue à ſua, ſiue ab altera parte. Videntur hoc alij dicere ſub alijs verbis, volentes quod actualis attentio coarctetur infra terminos & limites orationis qua dicitur, & ſi dicatur: Beatus C vir qui non abijt in concilio impiorum, hoc & nõ aliud cogitetur. Et quamuis multa ſint in pſalmis quæ nullam videntur habere connexionem aut appropriationem ad orationis materiam, nihilominus oſtẽdit Hugo de ſancto Victore in tractatulo ſuo de oratione compendioſiſſimè & ſentẽtioſiſſimè compoſito modos quibus omnia trahantur ad orationis formam & modum, ſed non omnium eſt doctrinam hanc promptè in practicam deducere. Verum huius inquiſitionis deter- D minatio difficultatem habet plurimam propter diuerſos orantium mores. Et ne quilibet vſurpare ſibi vellet pro regula generali illud quod varios habet exitus dum aliqui faciunt & facere poſſunt meritoriè id quod apud alios in demeritum caderet ſiue in detrimentum.

Vnde primò dicimus quod cor aſſuetum & affectum per cõtemplationem poteſt in alia ſurſum rapi, ſtare vel verſari quam ſonant orationis ſenſus vel verba. Cum enim finis & virtus orationis ſit in eleuatione mentis in Deum per pium & humi- E lem affectum, quiſquis in hoc ſtat vel verſatur fructum adipiſcitur orationis, ita tamen vt dum vocale oratio data ſub præceptione illa non omittatur, aut non contemnatur ab alio prolata audiri. Si verò non imminet tale præceptum vocis exterioris, ſalubrius aliquãdo dimittitur verbalis oratio quam profertur. Aliquando inquam, quoniã poteſt humilitas loquentes & verborum ſacramẽtum ſupplere minorationem in orantis affectu, & ne nimis aſſueſcat aliquis orationem refugere vel F horrere vocalem; vel in labore tali ſatisfactionem pœnalem exſoluat ſeu pœnitentialem.

Videmus præterea quemadmodum plurimos quos euagatio cogitationum paſſim occurrentiũ ſine lege & ordine non impedit ex toto, quin faciliter & cito eum dant operam ſe recolendi redeant ad recogitandum illa quæ vox orationis exprimit, ita quod citò cor ſic diuertens à ſe citò rurſus ad ſe reuertitur. Sic longè facilius & diuinius mens aſſueta contemplationi poteſt per diuerſa proſpiciendo quaquauerſum ſe circunferre, nunc in cœlo ſurſum, nunc in terra deorſum, veluti in luce clara poſitum cor ipſius. Sic nihilominus

reuerſio cum omni facilitate in ea ipſa quæ pronunciata ſunt aut quæ dicuntur attendenda.

Sunt alia duo, vnum bonum, alterum malum, quæ cor impediunt ne dirigatur actualis attentio vel intentio ſua ſuper orationis ſenſum vel verba. Vnum eſt meditatio & hęc quidem in ſe eſt bona, quoniam circa bona verſatur, alioquin non eſſet meditatio ſed mendax & curioſa perſcrutatio. Aliud eſt fortis habituatio quæ verſatur circa res aliquas terrenas, inutiles vel nociuas cogitando, vt philocaptus cogitat de amica, auarus de lucro vel damno, iracundus de vindicta & ita de reliquis.

De ſecundis iſtis non oportet dubitare quin impedimentum plurimum afferat ad orationis attẽtionem talis habituatio, ita vt quandoque nedum vnius pſalmi verſus, ſed totus pſalmus, immò vni⁹ horæ ſpatium quæ decantatur veluti in obliuione deponitur, quæ tamen obliuio vel euagatio ſi nõ placeat dum animaduertitur, ſed vinci quæritur in reliquis, non obligat obauditis ad reiterationẽ faciendam de neceſſitate, quamuis abſque peccato non fuerit. Non enim cadit præceptum eccleſiæ ſuper oratione vocali quod fiat cum actuali attentione, neque de ea iudicat, ſicut nec obligat eam fieri ex charitate. Oportet etiam quod deliberato & perfecto conſenſu non interrumpatur moraliter vocalis oratio quæ data eſt ſub præcepto.

Porrò de meditatione quæ eſt fortis & vehemẽs cordis attentio ad aliquid inueniẽdum difficilius eſt diffinitiuè loqui & vniuerſaliter. An videlicet meditatio cœleſtium bonorum ſiue donorum ſit voluntariè admittenda dum vocaliter orandum eſt. Vt exempli gratia, dicat aliquis: Domine ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine quoniã infirmus ſum. Et occurret ſibi in mentem triplex iudicium Dei, vnum in inferno, aliud in purgatorio, aliud in hoc mundo. Et trahet ipſum meditatio fortiter & voluntariè & ſtudioſè, quatenus poſſet ſecundum hæc tria duci in affectum cordis horrendo iudiciũ inferni, timendo iudicium purgatorij, quærendo iudicium in hoc mundo, ſecundum miſericordiã Dei dicens: Fac mecum ſecundum miſericordiã tuam Domine, & ſecundum iudicium diligentiũ nomen tuum. Quærimus ſi talis immoratio fieri poſſit aut aliquando debeat voluntariè tempore orationis debitæ. Nam ſi fiat inaduertẽter & abſque conſenſu deliberato, conſtat quod non obligat ad reiterationem & minus quam vitioſa habituatio. Et ideo apparet mihi & videtur tutius eſſe attentis attendendis, quod huiuſmodi meditatio voluntaria non debeat admitti tempore orationis debitæ, ſed vel deſeri, vel in aliud tempus reſeruari. Quocirca viſum eſt aliquibus quod multiplicatio tanta orationum vocalium qualis obſeruatur in multis religionibus mirabiliter impedit à perfectionis inquiſitione, quæ perducit ad cõtemplationem de communi lege neceſſariam, quoniam ſicut cogitatio vertitur in meditationẽ per fortem & vehementem cordis applicationem ad aliquid vnum, ſic fit meditatio tandem cõtemplatio per habituationem radicatam & multiplicatam. Sed qui poteſt capere capiat. Sunt itaque rariſſimi valde inter homines tam religioſos quam ſeculares præcipuè in adoleſcentia & iuuentute idonei ad contemplationis adeptionem.

A Propterea ſancti patres videntes imperfectum noſtrũ & attendentes quam difficile eſt otio bene vti, voluerunt occupationem bonam dare hominibus ſuis, fecerunt hoc in orationibus & canticis multis. Amplius verò quidam obligantur aſſiſtere tantũmodo facientibus orationes vocales, quẽadmodum ſunt laici vel etiam aliqui religioſi non obligati pro tunc conuentum ſequi, vel diſpenſatione, vel ex pia & cauta relaxatione, vt ad potiora ſe ſubleuent.

B Illi tales orationis tẽpore poſſunt in meditationibus melius quo poterunt ſe exercere. Talis erat Auguſtinus qui delectabatur modo mirabili in cantibus Eccleſiæ bene ſonantibus & influebant voces illæ in aures ſuas, & aliquando illabebatur veritas in cor eius, niſi fortè ipſe tunc erat magis dicendus in contemplatione quam ſola meditatione ſubleuatus. Amplius ſi quis fuerit exercitatus in aliquo particulari modo cõtemplationis circa diuinũ aliquod vel morale, tutius eſt quod in illo ſemet exerceat orationis vocalis

C tempore, quam ad nouam contemplationis ſpeciem, per meditationis nouæ ſtudium ſe cõuertat. Differat hanc ingerere ſe volentem cordis meditationem in tempus aliud ſuſpirans & gemens, ꝙ eam etiam tunc admittere ſibi non conceditur, & dicat ſibijpſi pauper homuncio: Melior eſt obedientia quam meditatio, potens eſt Deus reddere vicem maiorem in idipſum, & ſi nõ hic fortè reddet, certiſſimè tamen in alio ſeculo vbi fiet vox laudis ſine perturbatione qualibet noſtri cordis

D ipſe retribuet. Deinde cognoſcant & obſeruent omnes tam clerici quã laici quos oportet diebus dominicis & feſtiuis intereſſe diuino ſeruitio, ꝙ non abſoluuntur ab hoc debito dum ſcienter fabulationibus intendunt, ſed multipliciori reatu ſe conſtringunt, quia nedum nõ conſeruant præceptum, ſed & alios impediunt, & in Eccleſia ſanctiſſimo Dei tabernaculo ſcandalum inhonorationẽmque faciunt. Stent igitur vel ſedeant, & ſi non vocaliter orando ſaltem in modeſta quiete ſilentio animaduertant conſiderantes, nedum ea

E quæ dicuntur vel canuntur ſed quæ myſticè peraguntur in ritibus & veſtibus ſacris, quæ præterea in picturis præſentantur, & ita de reliquis.

Denique attendatur pro præmiſſis & alijs ſimilibus dubijs reſolutiuè definiendis quod doctores ſancti priores vtentes rhetoricis perſuaſionibus in aggrauationem vitiorum & laudem virtutum, nõ ita tradiderunt reſolutionem moralium materiarum, immò nec ſpeculabilium, ſicut doctores recentiores qui per quæſtiones & argumenta pro-

F ceſſerunt ad vtrámque partem & per deciſiones. Propterea magis inſiſtendum eſt illis doctrinis quantum ad eruditionem intellectus, licet quantum ad inflammationem affectus efficaciores aliæ iudicentur. Addita hac ſapientis admonitione quæ tibi præcepit Deus illa cogita ſemper. Quod non obſeruantur multi theologorum noſtri temporis qui de moralibus quaſi de rudibus materijs ſtudere vel inquirere non dignantur. Sciemus inquiunt talia cum volumus, cum tamen nulla ſit ad cognoſcendum bene & reſolutè ſciẽtia difficilior propter circunſtantiarum innumeras varietates. Nec eſt aliquis tam excellentis ingenij, nec à puero

ro

Digitized by Google

to in hac ſcientia tam exercitatus qui nō inueniat quod nouiter quotidie inueniat quod prius non ita planè cognoſcebat. Sed & neceſſaria eſt cognitorum Dei præceptorum impletio, alioquin deficiunt ſcrutātes ſcrutinio iuſto Dei iudicio hoc permittente. Similiter quod paſſionibus ſit alienus qui de moribus iudicat.

FINIS.

DE DECEM CONSIDERATIONIBVS EIVSDEM CANCELLARII *in orando Deum ſecundum decem dictiones, verſus.*

Quo patrem, ſanctóſque miſer quia mittor & vrgent
Officium, dona debita, vis, pietas.

Oro ex affectu	Pio. Humili. Reuerenti.	Fide. Spe. Charitate.
Patrem qui totus eſt	Potens. Sapiens. Clemens.	
Qui factus eſt nobis	Sapientia. Iuſtitia. Sanctificatio. Redemptio. Via, veritas, vita.	
Sanctos in quibus eſt	Proximitas. Officioſitas. Charitas.	
Miſer ex omni parte	Supra. Intra.	
Mittor	Sub & iuxta. Ab Eccleſia. A ſanctis. A petentibus viuis. A mœrentibus mortuis.	
Vrgent ſub cōditione triplici ſi volo.	Non criminari. Non damnari. Sed ſaluari.	
Officium quaſi	Regale. Sacerdotale. Spirituale.	

Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta.

Dona	Naturæ. Fortunæ. Gratiæ.
Debita nocendo	Poſitiuè. Priuatiuè. Occaſionaliter.
Vis à triplici hoſte.	Mundo. Carne. Dæmonio.
Pietas ad	Deum. Seipſum. Proximum.

Quæ pietas eſt amor ex genere conſurgens.

Expoſitio eiuſdem Cancellarij Pariſienſis ſuper dimitte nobis debita noſtra, &c.

PATER noſter, &c. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Ego in primis ſic dimitto omnibus debitoribus meis vel alienis dum ſunt viatores, quod nullo modo vellem eos damnari immò ſalutem eorum deſidero A te donante & inſpirante hoc quod pium rectúmque eſt. Sic dimitte mihi pater noſter, & hoc ſatis erit mihi, etiam ſi nihil aliud præſtiteris, quoniam cum iſta dimiſſione tua & deſiderio ſalutis meæ non ſtaret quod damnarer, ſed ſaluarer. In hoc autem ſtat deſideriorum meorum cardo totus.

Rurſus ego ſic dimitto debitoribus meis vel alienis quod vellem eos eſſe bonos viros, modeſtos, temperatos & ab omni malitia correctos ſeu conuerſos per tuam ineffabilem pietatem, ſicque B perinde nec ſibi nocerent nec alijs, ſed prodeſſent & nullam deinceps pœnam mererentur vt ſcilicet perſona ſeruaretur, & deſineret culpa. Sic dimitte mihi pater noſter, vt in manſuetudine me corrigas, & in vnguentorū ſuauitate vulnera mea linias & gratiam infundas ſanitatis. Amplius verò ego ſic dimitto debitoribus meis, quod vbi nō corrigerentur à vitijs ſuis prauis per manſuetudinem remiſſionis corrigantur, in chamo & freno ac flagellis, ne deteriores ſemper committētes & alijs nocentes ſibi nequam ſemper exiſtentes, C & euntes poſt prauitatem cordis ſui in adinuentionibus ſuis, damnabilius moriantur. Sic dimitte mihi pater noſter debita mea, ſic vre, ſic ſeca in præſenti ne damner in futuro. Ita tamen vt in miſericordia & miſerationibus flagelles me, ſicut & prædixi deſiderare debitoribus meis quibuſcunque. Item ego ſic dimitto debitoribus meis, quod licet ſenſualitas offenſa ex dictis vel factis eorum remurmuret & in vindictam exardeſcat. Nihilominus deſidero ſecundum iudiciū D ſuperioris rationis innitētis æternæ legi tuæ, quod pacatior eſſet huiuſmodi ſenſualitas, & quod in tranquillitate inimicos ſuos ſic & amicos ſuſtineret quidem patienter & benignè, ſicut charitas (ſine qua nemo tibi placet) patiens eſt & benigna, neque irritatur.

Sic dimitte mihi pater noſter, vt nihil aduerſum me velis agere niſi miſericorditer & benignè, quoniam ſi taliter volueris, fiet vtique, cum ſubdit cum volueris poſſe. Sed non ita mihi, præſertim in ſenſualitatis beſtiali & effreni motione à E qua tu prorſus es alienus. Denique ſic dimitto debitoribus meis quod inſpirante te & donante ego in eorum punitionem laborare vel conſentire deliberato animo nollem vijs facti cōtra regulas iuſtitiæ tuæ ſciens te dicere: Mihi vindictam. Hoc autem aliquando facis per te ſine medio, aliquando per iudices à te conſtitutos in terra, quibus dum defertur aut relinquitur executio iuſtitiæ contra malos illa prorſus tibi relinquitur & defertur. In his propterea limitibus ſtando & deſiderando F vindictam ſuperioritas tuæ iuriſdictionis nequaquam violatur. Verumtamen video tutius mihi eſſe puſillo qui non ſum iudex conſtitutus aliorum, quieſcere interim & ſilere à tali deſiderio vindictæ quale poteſt immò debet haberi licenter à iudicibus tuis quā occupetur mens mea in tali cōſideratione iuſtitiæ tuæ, quæ ſi velit exercere ſe contra me, illa poteſt in infernum protinus deturbare. Sit igitur ante te omne deſiderium meū in miſericordia & miſeratione ſuper peccatores orando, flendo pro eis, ſic enim & tu miſereberis cui talem prius miſericordiam infuderis.

FINIS.

Digitized by Google

ORATIO EIVSDEM CVM PECCATOR DE PECCATIS SVIS MVL*tum eſt anxius, eáque coram Deo omni poſtpoſita mala verecundia expandit.*

ALtissime & mitiſſime amator Deus hominum creator & gubernator omnium creaturarum immenſæ bonitati tuæ confiteor omnia peccata mea quęcunque quoquo modo feci ex illa hora ex qua peccare potui vſque ad hanc horam in qua adhuc per miſericordiã tuam viuere me pateris. Omniũ verò non poſſum eſſe memor, quia multa ſunt & facilè enumerari non poſſunt. Sed tu miſericordiſſime & pijſſime Deus cui nota ſunt omnia antequam fiant, qui verus inſpector cogitationum, & iuſtiſſimus es ſcrutator cordis & renum, tu noſti omnia peccata quæcunque egi vel adhuc ago vel intus in anima mea per occultas cogitationes, vel foris per apertas operationes. Et propterea, quia veraciter tibi hæc omnia nota eſſe ſcio, de his omnibus quæ me feciſſe contra voluntatem tuam intelligis, coram maieſtate tua & coram omnibus ſanctis tuis me reum & culpabilem eſſe confiteor. Et niſi indulgentiſſima miſericordia tua prius ſubueniat poſt mortem carnis, æterna morte me eſſe damnandum, æternis tormentis æternaliter eſſe torquendum ſcio.

Dulciſſime Deus ſcio quia me creaſti & creatũ miſericorditer dilexiſti. Et quia ob hoc me creaſti vt & ego quoque te meum creatorem ſicut dignũ eſſet diligerem, tuíſque præceptis per omnia obediens eſſem, & hoc totum ad bonum meum feciſti, non vt per me vel melior eſſes vel in aliquo ditior exiſteres, tu enim nullo bono eges, quia tu eſſentialiter ipſum bonũ es, & à te eſt omnis bonus quicunque bonus eſt. Et ideo non potes eſſe maior vel ditior. Et hoc non per falſam impotentiã, ſed per veram potentiam non potes. Qui enim malum poteſt & facit malo ſuo hoc poteſt & facit, ſed per hanc potentiam non ſurſum ad excelſa erigitur feliciter, ſed deorſum ad ima trahitur infeliciter. Hac potentia vel potius impotentia miſerabiliter ſeductus, & quaſi veſica turgens inaniter inflatus, extra orationem poſitus, & quaſi iumento inſipienti ſimilis factus, telo ſuperbiæ miſerrimæ percuſſus & proſtratus, te creatorem meũ & miſericordiſſimum Dominum in tuis præceptis quæ mihi ad bonum meum ſi obſeruaſſe dediſti contemnens, & veluti mente perditus dum adhuc illúcque quaſi ſuperbè feror, vera ſoliditate perdita vias perditionis & mortis incurro, ac vanitatem vanæque elationis ventum ſtultè & inſipienter ſequor.

Fateor clementiſſime Deus fateor coram omnipotentia me nimis eſſe ſuperbum, vanum & omni genere elationis plenum. Et puto quia ſi in hoc ſeculo aliquam haberem poteſtatẽ, nullus poſſet ſufferre meã ſuperbiam. Sed & iſta ſuperbia qua coram hominibus grauiter vexor, quáuis ſit execrabilis & nimis periculoſa. Eſt tamen alia ſuperbia, qua cum diligenter ſecretum mentis meæ non mihi blandiens inquiro, nõ parum vexatur & diſſipatur infelix anima mea. Aliquando verò ſi contingat (quod tamen rarò accidit) aliquid me fa-

A cere quod ſecundũ æſtimationem hominũ videatur aliqua ſimilitudo boni, nõ parum de hoc ipſo ſuperbio. Et ſi aliquis inde loquitur & aliquo modo non curat laudare, eum quaſi ſtultum & nihil ſcientem deſpicio. Vel etiam ſi quaſi non curans laudationem hominum vanam & inutilem fugio non parum in interioribus meis vbi ſolus Deus videt, inde glorior. Et mirum in modum dum laudationem vito eò amplius laudationem & vanam gloriã appeto. Ecce Deus meus & creator meus, ecce vides me ita facere, ita viuere, & totũ quod B viuo perdere. Ecce vides & execraris, & pro tali vita non niſi pœnas & tormenta promittis. Subueni ergo creator meus, ſubueni adiutor in opportunitatibus, ſubueni & adiuua animam meã, & per ineffabilem miſericordiam tuam deſtrue & confunde ſuperbiam meam. Ecce Deus meus, ecce confiteor immenſę bonitati tuæ veneno huius malitiæ me totum eſſe infectum, corruptũ & deſtructum, & iam ferè, niſi miſericordia tua ſubueniat, ad nihilũ redactum, ſed coram maieſtate tua culpam meã recognoſco reus & culpabilis. Veniã C & indulgentiam de hoc & de omnibus peccatis meis à te miſericors Deus peto qui non vis mortẽ peccatoris nec lætaris in perditione morientium. Sunt & alia multa quæ de radice huius peſtis me habere, & eorum me moleſtijs non parũ inquietari, ſed ſæpiſſimè atteri ſentio, quæ ſimiliter cõfiteor, & ſimiliter de his omnibus veniam & indulgentiam requiro. Sũt autem hæc videlicet ira, impatientia, inimica Deo & omnibus ſanctis odioſa diſcordia indignatio, rancor animi, tædium men-D tis, voracitas gulæ, murmuratio, auaritia, rapacitas & alia multa his ſimilia quibus vexari & affici lacerari & diſcerpi infeliciter animam meam conſpicio. Et præter hæc vnum malum ſuper omnia mala malũ, quo tanto grauius & miſerabilius laceratum & afflictum animũ meum ſentio quanto & ab ipſis cunabulis ſemper mecum fuit mecum creuit. In infantia, in adoleſcẽtia, in iuuentute mihi ſemper adhæſit, nec adhuc præ ſenectute deficientibus membris meis me deſerit. Eſt autẽ hoc malũ deſideriũ voluptatis delectatio carnalis tẽpeſtas libidinis, quæ multis & varijs modis infeli-E cem animam meam lacerauit, diſſoluit, & omni virtute deſtitutam, inanem & debilem reddidit.

Fateor mitiſſime & dulciſſime Deus fateor corã omnipotentia tua me hoc opere nefaria huius operis nefarij immũdis recordationibus ſæpè eſſe pollutum, incenſum, ardores immoderatos & inhoneſtos paſſum, & non ſolũ mearum delectationum malas memorias & ſtultas recordationes mihi nocere, ſed etiam aliorum malefacta mihi narrata, & per recordationes ſordidas ad memoriam F reducta, cor meum non paruo neuo iniquitatis maculare. Ecce Deus meus pijſſime & miſericordiſſime Deus quamuis non paruam verecundiam paſſus expandi coram te iniquitates meas, oſtendi vulnera mea & peccata, & oſtendi animam meam malis operibus maculatam malorum operũ delectationibus infectam, malarum cogitationum recordationibus fœdatam, Deus meus miſericordia mea reſpice ad pœnitentiam meam, & reſpice ad pietatem tuam, & ſuſcipe confeſſionem meam, & fac mecum ſecundũ miſericordiam tuam. Si iniquitates obſeruaueris, Domine, Domine quis ſuſtinebit.

Digitized by Google

ſtinebit. Vel etiam iuſtitia ſua ſine miſericordia tua poterit liberari? Propitius eſto mihi Domine, propitius eſto mihi peccatori. Parce peccatis & iniquitatibus meis, vt per tuam miſericordiam ab omnibus vitijs mundatus & purgatus ab omnib⁹ peccatis clementer abſolutus finita temporali cõuerſatione perduci merear ad regnum cœlorum vbi cum ſanctis omnibus te laudare, benedicere & glorificare valeam in ſecula ſeculorum. Amen.

SEQVVNTVR PLVRES TRACTATVS DE CANTICIS COMPOSITI *ab eodem Cancellario Parisienſi.*

PROEMIVM.

GRATIAM diuini talenti nolentes in vacuum recipere quæ tot inter turbines horridos reipublicæ contulit otij locũ, liberauit à calumnijs hominum, dedit ad nutum neceſſaria, ſimul attendentes, quoniam in die proſperitatis mãdauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte tribulationis canticum eius, non otioſum, non inutile, non ingratum reputamus tempeſtatis hac nocte profunda, de canticis ſcribere poſteritati, ſi malignitas procelloſa reddiderit aures ſurdas ætati præſenti. O Deus quamuis optimè ſperandum ſit, multos vt olim temporibus Heliæ ita noſtris tuos tibi reliquiſſe cultores.

Complectitur autem quaſi ſinu grandi verbũm de cãticis, plures materias ſeu volumina quas pro confuſione vitanda per tomos ſeu tonos, per notas & notulas tradet lectori notãdas præſens exordium tituli vel tabulæ vicem tenens. Volumen vnum cuius titulus eſt de cãticorum originali ratione ſub hoc euangelico verbo. Cecinimus vobis, &c. tres continet tomos ſicut ipſe prologus inſinuat, iuxta triplex genus canticorum & triplicem inueſtigandi facultatem. Nam & canticum ſenſuale quod tractat hiſtoria, & intellectuale ꝙ inquirat philoſophia eſt diuinale ſeu ſupermentale quod ſola nouit theologia. Sunt in quolibet tomo, id eſt ſectione, aut ſi propter rem quæ agitur tonum pro ſymbolo dicere maluimus. Sunt inquam notulæ plures ſecundum totidem particulares propoſitiones vel doctrinas. Sunt in primò triginta, ſunt in ſecundo vigintiduo ſine canonibus inſtrumẽtorum, ſunt in tertio quinquaginta.

Volumen alterum eſt de canticordo, hoc eſt de cantico cordis tres habent principales tonos cum notis & notulis. Primus inquirit potiſſimè differentiam canticordi, hoc eſt cantici cordis à cantico oris. Vel aliter de cantico morali & rationali cũ cantico ſenſuali, cuius toni ſunt notulæ quinquagintaduæ. Secundus tomus deſcendit ad particulariorem canticordi rationis, cuius ſunt notæ duodecim per notulas triginta diuiſæ. Tertius tomus quaſi ſpeculatiuam muſicam deducens ad praxim tractat de nouo gamma myſtico & morali per duodecim notas habentes notulas quadragintaquinque ſingulares. Volumen aliud colligit in ſe tomos tres plus ſecundum modos traditionis varios quam pro diuerſitate materiæ. Primus tomus conſiſtat & obſequi facit facetam elegiam cãtatricem amore Domine theologiæ quaſi

A lyricum vel odarum carmen. Tomus alter ſecundus habet canones ſeu regulas aphoriſmos vel maxima aut theoremata de canticis per notulas quinquaginta. Tomus alter tertius verbum ſolatij multiplex in ſe dirigit per particulas quinquaginta. Et ita iuncti ſimili hi duo tomi centilogiũ conſtituunt.

B PRIMVS TRACTATVS DE CANTICORVM ORIGINALI RAtione.

CECINIMVS vobis nec ſaltaſtis, lamentauimus, & non planxiſtis. Præceptor noſter Chriſtus amator innocẽtiæ voluit exemplis innocentiũ puerorum pro noſtra eruditione pluries vti, nũc ad humiliationem, nunc ad ſimplicitatẽ, vt eſſemus paruuli non ſenſibus ſed malitia. Nunc verò nos cõmonet ad ſpiritualem canticorũ exercitationẽ, ponẽs coram oculis pueros cãtantes in foro. Neq; enim

C parum refert pueros ſic vel ſic aſſuefieri in muſicis & cantibus, prout Ariſtoteles politizãs docuit, & in bene inſtituta cõmunitate conuenit obſeruari. Nos autem quos in Domino pueros vel infantes nouiter genitos effecit noua regeneratio, ſic decet & expedit in foro præſentis exilij frequentare cãticũ nunc exultationis ad ſaltandũ ſpiritualiter, nũc lamentationis pœnitẽtialis ad plangendũ. Habemus in exemplũ ſacræ ſcripturæ librũ in quo ſunt (iuxta viſionem Ezechielis) lamentationes, carmẽ

D & væ. Concordat illud Apoſtoli: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, quia tẽpus flendi & tẽpus ridendi. Subditur conſone verbo propoſito, tẽpus plangendi & tempus ſaltandi. Cum autem iuxta poſterius elucidanda ſit aliquod canticum ſenſuale vel animale, ſit canticum rationale vel morale, ſit canticũ mẽtale & diuinale. Deſcribemus ſub triplici tomo naturam & originem cãticorũ cum ſuis habitudinibus. Docebit primum hiſtoria, ſecundũ quærit philoſophia, tertiũ theologia declarabit. Narrabit hiſtoria ſacra propè

E Geneſis initium cui ratio ſuppoſita fide cõcordat quod Tubal fuit pater canentiũ in cythara & organo. Quo tempore vtpote ante diluuiũ conſtat illos nõ fuiſſe quos gentilium literæ tradunt carminũ & organorũ primos inuentores. Sic hiſtoria capit veram canticorũ notitiam & cauſam primitus ex fide qua credimus aptata eſſe ſecula verbo vitæ, & quod formato Adam cõmunicata eſt ei plenitudo ſcientiæ quãtum cõueniebat illi, quo totius humani generis principiũ velut in ſuo ſeminario reſidebat, nedum in eſſe naturæ, ſed in bene

F eſſe morum & doctrinæ. Conijcimus hoc ideo, poſt ſoporẽ adductis ad ſe cunctis amantibus impoſuit cũctis nomina ſuæ proprietati naturali cõſona. Neque tale aliquid facere potuiſſet ſine cognitione, quæ tamen ſenſibus participata nõ erat. Oportuit igitur quod ex alto id atque à ſummo ſumpſiſſet. Modus alter ſumendi canticorum originem fuit ductrice experientia, nunc in illis regionibus, nunc in iſtis, quibus muſica & nunquã fuerat, vel ſecundum Ariſtotelem & ſequaces de æternitatis errore fuerat in finities variata & abſq; numero defecerat atque redierat ſecundũ tranſ-

Digitized by Google

mutabilitates naturæ cuiuſlibet mutabilis innumerabiles. Additur modus alter qualis à Tullio ponitur dum venatur quanta ſit eloquentiæ ſi ſapientiæ iungatur vtilitas, qua factum eſſe dicit vt homines prius agreſtes neque ciuiliter neq; politicè, neque moraliter conuenientes conuenirent in vnum, modo pagum, modò domũ, modò ciuitatem, modò prouinciam, modò regnũ, qui ſimul ita iuncti vt adunati varias tam ad neceſſitatẽ quã ad voluptatem ſtudio vehementi compererũt artes, quoniã vbi intẽderis ingenium valet, & iuxta poëtã, Labor omnia vincit improbus & duris vrgens in rebus egeſtas. Dum ſequens ad priores aliquid ratiocinatiuè docta ſuperaddit. Præſtabat iuuamen apta cõplexio ad iſta vel ad illa: Otiũ namque liberũ datum aliquibus. Sicut apud Ægyptios tradit Ariſtoteles aliquos cõquiſitis quæ ad vitam erant neceſſarijs propter admirari cœpiſſe philoſophari. Porrò narrat Auguſtinus libro de ordine radicem vnam nõ diſſonam prioribus his quæ alto videntur ſumpta principio. Loquens itaque de virtute vnitatis quam inquirit & facit amicitia, non dubitat ponere quamlibet ſcientiam ex amicitiæ & vnitatis appetitu manaſſe. Dicebat Ariſtophanes teſte Ariſtotele prima politicorum, hãc eſſe amicorum conditionem vt vnus eſſe vellet alter, vel vnus in altero. Non diſſone ad verba Ioannis: Qui manet inquit in charitate, in Deo manet & Deus in eo. Et Apoſtolus dicit: Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. Verum nequit fieri talis tranſmutatio qua vnus amicorum ſuo eſſe quod habet in proprio genere deperdito conuertatur in alterum. Iam quippe non maneret alter amicorum, & ita nullo pacto eſſent duo, ſcilicet vna natura, quo quid abſurdius poni non poteſt. Propriam enim vocem ignorabant nonnulli hæreticorum, vt Almaricus Begardi dum ipſi deſipere comperti ſunt. Vniuntur igitur amici non illo ſed alio quo fas habent modo. Hinc fuit inter homines præcipua cura ſermonis mutui quo latentes cordis ſui paſſiones & cogitationes conſilia & amores commodiſſimè cõmunicarent iocundéque conuiuerent. Facta eſt proinde ſuper locutionis ars, quæ ſcribendo valeret apud abſentes ſe ſibi manifeſtare, hæc eſt grammatica cõgruè loqui docens & ſcribere. Poſt modũ fuit euitanda deceptio circa veritatis inquiſitionem, cum regulis illationum quas logica ab hoc orta tradit. Fuerunt inſuper amicorum amicitiæ nõ quomodolibet, ſed vtiliter, delectabiliter & efficaciter iudicandæ, quod in rhetorica facere poſitũ eſt, quã poſſumus appellare logicam moralẽ, eò quod ad moralis philoſophiæ principia viã habet, ſicut logica ſcientijs ſpeculatiuis obſequitur, in quibus vis ſermonis precioſior ſine tropis viget & figuris. Ventum eſt conſequenter ad mathematicas diſciplinas, quæ plurimum conferunt artibus mechanicis ſine quibus vita ciuilis non agitur, conferunt præterea conuictui amicorum quo fiat vita præſens ornatior atque iocundior. Sic inter cæteras artes comparata eſt magno plauſu muſica, & ad diuinas atque cerimonias tandem adhibita. Hinc apud ruricolas & paſtores bucolica carmina vel eglogæ, comedite leges. Hinc acriores ſatyræ, hinc poſtmodum grandioribus ampulloſæ tragediæ, hinc denique metrorum heroicorũ, elegiacorum, iambicorum, ſaphicorum, & aliorum velut
A innumerabilis multitudo. Vides quemadmodũ muſica ſuum cœpit à natura & ab amore vnitatéque primordium, quæ creuit adhibitis per artem regulis & numeris. Quis vtique non aduertat homines ſicut ad loquelam, ſic ad quãdam muſicam velut ab infantia & pueritia pronos eſſe, quam inclinationem ars & vſus perficiunt.

Hinc animaduerſum eſt triplicem eſſe partitionem muſicæ ſicut poteſt ipſe ſonus cauſas tres habere. Vnus enim fit flatu, alter pulſu, alter voce
B vel cantu. Tres obinde muſas fictio poëtica dedit, prout à Varone refert Auguſtinus, quas ideo poſtea dixerunt nouem propter totidem imagines ab excellentiſſimis ſculptoribus cum quadam ſeparandi intentione depictas. Compertum eſt inſuper tres dumtaxat innumeris ſonoris proportiones eſſe delectabiles. Diateſſeron, diapente, diapaſon, quas vulgari modo nominamus, tertiam, quintam & octauam. Nec ſunt plures deinceps, quæ non reducantur ad iſtos, quemadmodum ſexta & quinta ſuper octauã, & rurſus octa-
C ua duplex. Et ita per aſcenſum quantum vel vox vel ratio fas habuerit, quæ conquiſitio ſuam haber artem propriam tam ſpeculatiuæ quam practicæ traditam cui muſicæ nomen damus. Docuit amplius experientia mirabiles fieri mutationes per muſicam ſenſualem, de qua iudicat tanquam de obiecto proprio auris corporalis, quę ſola videtur apud vulgares cognita vel conſiderata. Teſtes ſunt hiſtorici cum philoſophis & medicis, vt Martianus & Boëtius quibus non diſcordat ſacra ſcri-
D ptura de Dauid & Helizeo filiiſque prophetarũ. Nonne philoſophus politizans docet in politia bene inſtituta curam de muſica præcipuè pro iuuenibus habendam eſſe quæ ſit ad temperantiam & virtutem idonea, non anipetulans, non diſſoluta, non agreſtis, non irritans, ſed nec mos muliebriter emolliens. Notant ſiquidem ex dictis Ariſtotelis vltimo politicorum expoſitores ſui, quatuor eſſe ſpecies melodiæ quas ipſe denominat vel à repertoribus vel à patrijs vtentibus eis, vna vocatur miſtolidiſta, ſecunda lidiſta, tertia doriſta,
E quarta frigiſta.

Prima mouet ad compaſſionem, ſecunda mollit ad concupiſcentiam, tertia ad vtilitatem quæ ſtabilis eſt & virilis in qua ſunt iuuenes inſtruendi, quarta rigidior eſt vehementiórque rapiens animos ad terribilia, vel aggredienda vel ſuſtinenda. Porrò iuxta varietatem complexionum variatur complacentia & iudicium melodiarũ, immò & traditio quam frequentat eccleſia de varietate tonorum octo, poſſet ad hanc melodiarum
F diuerſitatem appropriari, vt quod prima eſt ſeptimi tomi, ſecunda quinti, tertia primi, quarta tertij. Poſſet altera fieri diſtinctio muſicæ, quoniã eſt alia aptior ad diuinum cultum pro deuotione, nunc læta, nunc lugubri, nunc pia, nunc iubilanti. Quædam potior eſt pro morum diſciplinatione. Altera iocundior & ſuauior in amicabili ſeu ciuili conuerſatione. Aut dicamus quod vna eſt heroica, altera diuina, quædam moralis & politica, altera ſenſualis & animalis pro puerorum vel imperfectorum recreatione.

Aut rurſum addamus quod vna magis cõuenit in Satyra, quædã in tragœdia quædã in comedia, quæ-

Digitized by Google

quædam in bucolicis, quædam in odis vel lyricis. Aut poſtremò ſecundum varietatem hominum alia fortibus & virtuoſis conuenit, alia lubricis & voluptuoſis, alia ſubtilibus & ingenioſis, alia beſtialibus & ſtolidis.

Viliſſimam omnium eſſe tradit Ariſtoteles fiſtulationem, quam ideo Pallas abiecit, ſuam videns in aqua ex tybijs buccam inflari, hoc ſumpſit poëtica fictio, necnon illud quod Midas rex buccas habuit aſininas, eò quod ſuo iudicio Pan deus paſtorum fiſtulans Apollini preferebatur cytharizanti. Demum quot ſunt hodie qui tympanum gallicè *tabour* cum fiſtula citius ac hilarius audiũt quam cytharam aut pſalterium. Ita rurſus ſicut auibus, ſic hominibus ſuus cuique cantus placet, & cui ſuetus eſt vel aptatus. Prætereundum verò cenſemus, quemadmodum ad res diuinas reputabant gentiles carmina tranſtulerunt execrabili ſuperſtitione, quo factum eſt vt qui ſine Deo vero erant ludificarentur à dijs illis, de quibus in pſal. Omnes dij gentium dæmonia. Ortæ ſunt quippe artes magicæ carminibus vtentes, quas incantationes vocãt quarum effectus mirabiles, nedum poëtæ, nedum ipſi idolatræ commemorant, ſed atteſtatur ſcriptura ſacra cum expoſitoribus, vnde dicitur in Exodo de maleficis Pharaonis quod fecerunt ſimile ad Moyſen in primis duobus ſignis: & hoc per incantationes Ægyptias & arcana Dei, ita dicit textus. Verum exquiſitior, de carminibus iſtis ſermo non expectetur hic & nunc. Latiſſimus enim eſt, & ſeorſum debent ſuæ quęri cauſæ, vel effectus. Habet ſubinde muſica ſenſualis quæ cõſiſtit in modulatione vocis ſuam artem, cuius artis velut alphabeticum quoddam traditum in gamma manuale, ſub ſex vocibus vel notulis, vt re. mi. fa. ſol. la. de quo non eſt hic declaratio facienda, ſed ſuperponenda ſimul qua ratione ſeruit muſico cuilibet inſtrumento notulationis homini peritia. Sed nec de metrorum legibus, numeris varietate, in poſtremo de geſticulationibus, aliud tradere diſpoſuimus.

Placuit tamen annotare propter reuerentiam ſcripturæ ſacræ, nonnulla vaſorum vel inſtrumẽtorum muſicalium nomina. Quoniam pariter monet nos ratio naturæ conſona. Poſuit itaque plato corporibus animas aſſiſtere tanquam motores ſuis orbibus & organis quod ſatis in cælo Ariſtoteles & fides recipiunt de intelligentijs quas vel angelos vel virtutes fides appellat. Verum de noſtris intellectibus nec non de brutorum formis non conueniunt cum Platone, quia ponunt animas inhærere corporibus, & cum materia conſtituere compoſitum. Concordiãt tamen vtraque poſitio ſuper hoc quod ſecũdum varietatem formarum reperitur varietas in corporibus. Hinc illud philoſophiæ apud Boëtium de huiuſmodi formis loquentis ad Deum per conſona membra reſoluis. Hinc præterea phiſonomi tradunt animas inſequi corpora, quamquam verior eſt locutio, corpora ſuas animas inſequi tanquam inſtrumenta cauſas principales ſuas. Coaptemus hanc ſimilitudinem rei noſtræ dicentes, quod ars imitatrix naturæ cognoſcens quædam eſſe cantica quorum modulatio fit aptius per vnum genus inſtrumentorum, & alia per aliud ſimul vt minus faſtidiret varietas fabricauit ſibi vaſa diuerſa muſi-

corum inſtar naturæ, dans diuerſis cantibus orga-
A na valde diſtantia magnitudine, figura materiáque, ſicut natura dedit animalibus apta ſibi corpora, vnde corpus animalis vocat Ariſtoteles organicum, qui de manu hominis dicit ipſam eſſe organum organorum. Ecce cauſas multiplicationis vaſorum muſicorum duas quæ ſunt delectabilitas pro varietate, & idoneitas pro conſonabilitate. Quid ſi tertiam addiderimus cauſam pro myſterijs & intellectibus ſapientibus occultandis apud indignos & hebetes quæ panduntur ſtudioſis, ſolertibus & deuotis. Quamuis autem ſermo
B de myſterijs inſtrumẽtorum locum magis habere videatur in morali muſica vel intellectuali quam ſenſuali, nihilominus admonent nos verba Chriſti, non eſſe prætereundam vaſorum muſicorum interpretationem. Primum quia facit in præaſſumpto verbo intentionem de tybijs ſecundum Lucæ narrationem. Cantauimus vobis inquit, tybijs & non ſaltaſtis. Dehinc Chriſtus in parabola filij prodigi, refert ſeniorem fratrem cum appropinquaſſet domui, ſymphoniam audiſſe ad chorũ.

C Proinde pſalmi quos de ſe ſcriptos aſſerit pleni ſunt nominibus inſtrumentorum pro quibus ſatis ad præſens fuerit vltimum ſumere pſalmum velut exponendum: Laudate dominum in ſanctis eius. Vox iſta vox animę deiformis ac deuotę quæ poſt contemplationem vel meditationem ſurſum directam & deorſum per omnia videt quaqua verſum. Quoniam pleni ſunt cæli & terra gloria domini. Tunc dilatatio mentis ore iubilat, exultat & exclamat ad omnem generaliter creaturam:
D Laudate dominum in ſanctis eius. Et cum ſeraphin acclamante ſibi: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus ſabaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria tua. Poſſumus ſanctos eius, ſi ſobriè ſapiamus accipere patrem & filium cum ſancto ſpiritu, qui ſunt tres perſonæ, ſed vnus Deus & dominus & vnus ſanctus. Aut ſancta ſunt Dei nomina eius ſacratiſſima. Sunt omnia quoque domino cultu ſpecialiore ſacrata, aut certè ſancti domini ſunt omnes ſpiritus conſummata iam beatitudine Deo proximi, aut ſunt homines exaltati à terra quaſi
E iam ſine terra qui typo Chriſti trahunt omnia ad ſe per contemplationem, dilectionem & laudem omnia referendo ad gloriam conditoris. Tales imitatur anima deiformis quam in has prorumpere laudes dicimus: Laudate dominum in ſanctis eius. Hanc impleuerat animam dominus laude ſua, ſaginauerat eam cibis æternæ ſatietatis, repleuerat in bonis deſiderium ſuum, & vt aquilæ iuuentutem renouauerat quod in labijs exultationis laudaret os eius & eructaret verbum bo-
F num: Laudate dominum in ſanctis eius. Vult hęc anima regrediens de cella vinaria aut certè putat omnes ſentire quod ſentit de domino in bonitate, propterea ſibi complacet in laude domini. Congratulatur omnia collaudanti, quæ & ſi non habeat iuſſionis in omnibus audaciam vt laudent, fiduciam nihilominus accipit cohortationis, applauſus & iocunditatis cum alacritate tripudio & coexultatione. Laudate dominum in ſanctis eius.

Scit vltimã nedum ſui ſed omniũ beatitudinẽ in domini laude poſitã, quãuis non eodẽ gradu, ſicut nõ omnia ex æquo participãt domini cognitionẽ

Digitized by Google

& liberam ex voluntate dilectionem. Sicut præterea diuerſi ſunt ſtatus in habentibus etiam libertatis arbitrium, duo præcipuè, vnus viæ qui per fidem & ſpem ambulat, alius patriæ vbi perpetua finis & termini ſtabilitate vacat anima beata, videt, amat, laudat. Exerceamus igitur hic in terris vocem laudis quæ nobis perſeueret in cælis. Dicat vnuſquiſque viatorum præſertim eccleſiaſticorum dedicatorum laudibus Dei. Omnis ſpiritus laudet dominum.

Vis autem ſcire ô anima quæ & qualis ſit vita tua non pudeat te per philoſophiam erudiri, qui vitam cuiuſque rei ponit in operatione debita naturæ, alioquin ſine operatione qualiſcunque ſit illa ſibi debita, potius mortua dicitur aut dormitans quam viuens. Perge vlterius, cum philoſophia vſque dum occurrat ſapientia diuina quæ ſe quærentes præoccupat & hæc docebit te, quoniam propria & finalis operatio hominis eſt cognitio ſummi Dei cum fruitione & laudes ſuæ viuis igitur ô homo & quantum laudat anima tua dominum. Eſt & iſtic iter quò oſtendit dominus ſalutare ſuum. Quare noli conqueri dum laudas quaſi nihil agas, quaſi nondum præmia capias, laus eſt magnum mihi crede precium ſibi, magnum valde etiam dum gratis ſit, immo maius dum gratis ſit. Certum hoc habebat anima deuota qualem introduximus dicentem: Laudate dominum in ſanctis eius. Quod ſi vellemus in his & ſingulis quæ ſequuntur immorari, quale ſit firmamentum virtutis Dei, quales ſint virtutes eius, qualis denique ſit multitudo magnitudinis eius, ſuccumberet ſermo conatui, nec tempeſtiuè ſatis arriperemus promiſſam de vaſis pſalmorum huiuſmodi maximè rationem. Hoc vnum tamen diximus quod in re qualibet Deo ſoli debetur laus honor & gloria, ſicut ipſe eſt omnia in omnibus. Hinc pſal. Omnis terra, ſiue omnis creatura adoret te Deus & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo altiſſimo. Nulli verò creaturæ datur laus huiuſmodi per latriam, nec vt ſignum eſt imago nec propter aliam quamuis attributionem ſi propriè ſentiamus, ſicut nulla res creata ſummum bonum eſt, neque vt res, neque vt ſignum vel aliud attributum. At verò quia loquendum vt plures, ſentiendum vt pauci, laudamus in creaturis Deum adoratione latriæ, ſicut in cruce & in imaginibus Chriſti, immo ſicut in omni re, quemadmodum quælibet eſt imago vel veſtigium tenue Trinitatis non minus naturaliter quam aliqua ſit artificialiter. Caue tamen in laude vel latria creaturarum à ſcandalo quale fieret ſi adoraretur publicè Deus in dæmone vel eius imagine, in aſino vel in bufone, immo nec in angelis & hominibus quantumcunque ſanctis, quoniam proprius eis & alter honor ineſt. Quibus in tranſitu dictis ad inſtrumenta muſica pergat ſermo noſter.

Præponatur tuba cum ſono, vel vt alia tranſlatio habet cum clangore, cuius materia finis & vſus varius eſt. Nam eſt tuba cornea, vt eſt illic. In voce tubæ corneæ in recordationem arietis immolati per Abraham. Eſt tuba ductilis vel argentea vel ærea quæ metalla fuſibilia mallæabiliáque ſunt. Tuus itaque ſit affectus quamuis ex carne naſcatur, fortis vt cornu non lubricus aut affluens. Sit ductilis. i. ſuaſibilis imitator ſapientiæ quæ deſurſum eſt. Sit bonis conſentiens, ſit non A immāſiuus propriis opinionibus pertinax in illis, ſit ad fines ſub fine Deo vſuſque varios accōmodus. Nunc tuba clangit, nunc ad denunciationem ſolennitatum, nunc ad congreſſionem bellorum nūc ad legis promulgationem vel auditum prout in Synai, nunc ad cætus conuocationē, nunc pro neomænia, hoc eſt illuminatione noua in inſigni die ſolennitatis. Nonnunquam ad operationem miraculorum ſicut in deiectione murorū in Hierico. Rurſus ad euangelizationem dicitur enim B prædicatori dicitur & ſpeculatori: Quaſi tuba exalta vocem tuam, quemadmodum de Bartholomæo legitur quod vox eius quaſi tuba vehemens. Denique magnum nimis, tremēdum ſimul & iocundum habet myſterium tuba nouiſſima vocis archangeli & vocis Chriſti in clangore mirifico qualiſcunque fuerit concipiendus magis intellectualiter quam ſenſualiter, reſurgent mortui. Sanè tam efficax erit, tam latè patens, tā omnia penetrās vox illa tubalis, quæ ſaluandis gratiſſima, damnandis vltra quam dici fas eſt horrēdiſſima perſtrepet C & tonabit. Talem fatebatur aſſiduè Hieronymus audire ad terrorem ſimul & ſpem, terrorē cruciātis inferni, ſpem glorificantis paradiſi.

Subſequitur. Laudate eū in pſalterio & cythara. Differunt hæc à tuba vel buccina quoniam pulſa ſeu tactu nō flatu ſunt, quorum ſonus eſt capacior atque ſerenior, qualis aptior eſt auribus contemplantium confidenter habitātium in tabernaculis æternæ pacis. Hæc autem eſt diſtātia pſalterij cum cythara, quia pſalterium ſonat à ſuperiori proce-D dens à grauioribus ſonis ad acutiores deſcendendo. Habet inſuper cordulas vel argenteas vel ex electro quaſi tinnientes leuiúſque tangendas. Cytharæ verò formam ad pſalteriū videbis euerſam. Cuius ſonitus à grauioribus deorſum, ad acutiores ſurſum ſonos tendit, cuius fides & chordæ de morticinis fiunt inteſtinis animalium deſiccatis ſubtiliatis & tortis. Quæ omnia nonne ſignificāt congruè ſtatum vel affectum pænitentis aſcendētis à conualle plorationis corpus quoque propriū torquentis & extrenuantis ad obediendum cy-E tharizanti ſpiritui. Talem habere ſuadet dominus per Eſaiam animæ peccatrici ſub typo tyri. Sume cytharam curcumi ciuitatem meretrix obliuioni tradita, bene cane frequenta canticum vt memoria tui ſit. Conueniunt pſalterium & cythara, quia pectori iunguntur & formam cordis habent inſtar ſcuti, habent & hanc figuram ſingula inſtrumenta muſicalia. Nam trigono pyramidi proxima ſunt omnia ſiue quæ pulſu ſiue quæ flatu conſonant. Ac perinde quæſo nonne docentur F in omnibus canticis inſtrumentalibus habere ſurſum cor ad dominum? Vide præterea differentiam ſuam quomodo concordans pſalterium iocundum contemplationis cum cythara pænitentialis afflictionis, quemadmodū conſonare dulce eſt garritu philomelæ turturis ſuſpirium. Sic ſpem cum metu & exultationem cum tremore miſcere monuit pſaltes regius: Seruite inquit, domino cum timore & exultate ei cū tremore. Fecit quod monuit, dum pſallens & ſubſiliens totóque conatu ſaltans nudatus eſt coram arca domini, ſicut vnus de ſcurris ait Michol. Cuius improperio ſcimus Dauid quid reſponderit: Ludam & vilior fiam

Digitized by Google

fiam plus quam factus ſum, ero humilis in oculis meis.

Subiungitur: Laudate eum in tympano & choro. Tympanum vulgo gallice dicitur *tabour* vel *bedon* compoſitum ex pelle deraſa tenſáque cuiuſmodi non eſt vna vel magnitudo vel forma vel vſus. Sunt tympanula duo gallice *naquaires* vnum obtuſi ſupra modum ſoni, alterum peracuti, vbi ſignificationem accipere poſſumus timoris humiliantis & ſpei eleuantis propriè miſericordiam & iudicium quæ domino cantandæ ſunt. Spes in contemplatione diuinæ pietatis & gratuitæ bonitatis. Timor in affectu ſeueritatis inſuſtentabilis aduerſus peccatores quos obdurare dicitur ſicut aliorum miſereri. Sunt alia tympana vulgaribus magis aſſueta, quia faciliora, quia ſonabiliora ad ſaltus inconditos & alia tripudia, quibus ſolent iungi fiſtulæ biforamine & triforamine, tripos inſuper non grandis calybeus hincinde percuſſus. Cymbala quoque nonnunquam ex ære per mutuam colliſionem tinnitus acutos reddentia, quibus Iudæos veteres vſos fuiſſe Lyra non ſiluit. Tu forte rudis es, & ad pſalterij cytharæque ſubtilitatem ineptus, cantes in tympano mortificationis concupiſcentiæ carnalis per abſtinentiam & ieiunia. Concinas in choro fraternæ charitatis & conuictus honeſti ſine querela quæ diſſonantiam operetur, denique quomodolibet id egeris dum non ſileas à laudibus creatoris. Chorus vocatur à nonnullis vulgaribus inſtrumentum quoddam inſtar trabis oblongum & vacuum chordas habens groſſiores multo plus quam cythara duas aut tres quæ baculis erutis percuſſæ variè variant rudem ſonum. At verò conformius ad expoſitores & textum, chorus eſt cohors canentium ſimul in modo coronę, prout literaliter ad oculum videmus in eccleſiæ choris & in choris tripudiantium. Hic exiſtimandum eſt Mariã ſororem Moyſi cum alijs aliquantis, tympana pulſaſſe poſt egreſſum maris rubri. Reliquos autem omnes choros duxiſſe cum reſponſione vocis canticordi atque plauſibili. Sic in reditu filij perditi paterfamilias euãgelicus cum prandio vituli ſaginati iunxit ſymphoniam & chorum. Sic filij prophetarum ducebant choros quando Saül occurrens eis mutatus eſt in virum alterum, tam efficax erat muſica prophetalis.

Symphoniam putant aliqui viellam vel rebelam quæ minor eſt. At verò rectius exiſtimatur eſſe muſicum tale inſtrumentum quale ſibi vendicauerunt ſpecialiter ipſi cæci. Hæc ſonum reddit dum vna manu reſoluitur rota paruula thure linita, & per alteram applicatur ei cum certis clauibus cordula menierorum, prout in cythara, vbi pro diuerſitate tractuum rotæ varietas harmoniæ dulcis amænáque reſultat. Hinc ſymphoniæ quid aptius comparãdum reputabimus quam noſtrum cor aſſiduè ſe mouens, ac perinde phantaſiam agitans? quæ ſi creditur à motione nunquam quieſcit moto corde. Cor verò ſi ceſſat à motu mori animal continuò neceſſe eſt. Felix muſicus ſpiritualis, qui ſua hoc ſymphonico canticordo melodiam iugiter ſcit & ſtudet, per meditationis digitos modulari, quatenus affectuum voces ſecundum gamma myſticum ſuaues reddat. Felix qui magnalia Dei nedum in naturalibus qualia ſunt omnia mirabilia valde facta in eius ſapientia, A cuius non eſt numerus, ſed in artificialibus etiam recognoſcit, quemadmodum ex perforatione modici ligni in ſambuca vel fiſtulis, aut ex metalli ductione in tubis & cymbalis, aut in neruorum aut inteſtinorum deſiccata torſione prout in cytharis tot reſonantiæ variantur.

Sequitur. Laudate eum in chordis & organo. Chordæ ſecundum gloſſas poſitæ ſunt pro quibuſlibet inſtrumentis alijs à pſalterio & cythara quæ cordis ſonant repercuſſis, ſit viella, ſit ſymphonia, ſit lyra, ſit rota, ſit guiterna, ſit lituus, ſit B nablum, ſit ſiſtrum, ſit ſcacarum, ſit rebella, ſit generaliter vel monocordum, vel diacordum, vel tricordum, vel tetracordum, vel pentacordum, vel ſexacordum ſeptacordum, octicordum, nonicordum, decacordũ, & ſic abſque termino chordarum in inſtrumentis quæ vel olim vel poſterius componi potuerint. Cæterum latius adhuc organa recipiuntur à gloſſis pro muſico qualicunque compingantur inſtrumento. Habet verò modernus vſus appropriationem nec irrationabi-C liter ad organa ex plumbeis vel ſtãneis fiſtulis quæ cum follibus & cum digitis multiplicem & perfectam habent inter aliud quodlibet inſtrumentorum vocalium reſonantiam fiſtularum, quæ fiſtulæ non illiberales appellandæ ſunt, quia non oris de formatione, ſed follis inflationis ſonant. Hoc ſolum vel præcipuum retinuit eccleſiaſtica conſuetudo muſicum genus inſtrumenti cui vidimus aliquem iungi tubam, rariſſimè verò bombardas ſeu thalemias, ſeu cornemuſas grandes aut D paruas, vel alia ſi qua ſint quæ nominauerimus inſtrumenta, qualia Danielis liber omnia concludere videtur in adoratione ſtatuæ ſub omni genere muſicorum.

Veruntamen ampliare id quod modo diximus de organorum ſolo vſu per celebrem eccleſiæ ritum, commonet id quod propheta ſubiungit: Laudate dominum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis. Sunt ærea cymbala ea quæ vocamus campanas, quas bene fortiter ſonare nullus ambigit. Talibus vtitur ec-E cleſia plus alijs ſectis ad domini laudes tanquam vice tubarum legis veteris, quarum officia metris quidam expreſſit loquẽtem inducens cãpanam:

Laudo Deum verum plebem voco, congrego clerum.
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro.

Sunt & campanulæ pro melodia velut in horologijs aliquibus ordinatę. Quibus in omnibus noſtri poſſunt interiores affectus erudiri ſimul & impelli, qualiter experiebatur ille cuius animus commotus acriter, eleuatus, dilatatus quando fiebat F huiuſmodi reſonãtia celebris iubilabat totus in ſe, recolens illud ſeraphicum de Deo: Pleni ſunt cæli & terra gloria tua. *Or. Ris. vat tout.* Hæc eſt inæſtimabilium profuſio gaudiorum.

Subinſertur pulchra nimis ad priora concluſio: Omnis ſpiritus laudet dominum. Hæc profectò toti pſalmorum contextui præcipuè ſuo ſubſeruit initio quod dictum eſt: Beatus vir.

Quid enim viri beati dicimus officium quam vox laudis ad dominum. Iuxta illud: Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Verum de hoc in ſubſequenti tomo ſeu tono magis intellectus eorum omnium

Digitized by Google

quem diximus aperitur, vbi de canticorum ratio-
nalium vel intellectualium origine philoſophia
verbum facit. Vnde lucidius apparet quantæ ſit
fœcunditatis, quantæ iocunditatis hæc exhorta-
tio : Omnis ſpiritus laudet dominum, vel vt
transfert Hieronymus. Omne quod ſpirat laudet
dominum. Huic tranſlationi ſi quis cupiat magis
inniti poterimus omne quod ſpirat ipſi homini
per appropriationem dare, quemadmodum no-
minauit hominem Chriſtus omnem creaturam,
qui dictus eſt in Geneſi. Inſpirauit ſpiraculum
vitæ homini de terra formato. Eſt autem materia-
lis ſpiritus (vt interim de ſpirituali ſit ſilentium)
radicatus in corde qui tanquam miniſtro & liga-
mento quodam rationalis anima exercet ſuas o-
perationes in organo proprij corporis, cui tan-
quam in ſphera actiuitatis ſuæ coaptatur. Eſt tri-
plex iſte ſpiritus aut flatus inſtar fumi tenuiſſimi,
naturalis ſcilicet, vitalis & animalis, cui medico-
rum aliqui tantam attribuerunt virtutem quaſi
per ſe ſufficiat ad hominis operationes, nam po-
ſito ſpiritu altero intendunt ſi non errant dicere,
quod medicus vt medicus eſt conſiderans corpus
humanum tantum vt ſanabile, non magnopere
curat de conditione vel exiſtentia ſpiritus mate-
rialis alterius conquirere.

Proinde conſtat variari certiſſimè rationales
nedum animales hominis operationes ſecundum
diſpoſitionem materialis huius ſpiritus, quem ſpi-
rat & reſpirat cor per conſona mēbra præſertim ad
cerebrum vbi fit animalis, ſenſitiuus ſcilicet &
mortuus. Hic enim ſpiritus ſi fuerit ſplendidus ſi
ſerenus, ſi ſubtilis, ſi mulcebris, erit exinde totus
homo lætior & alacrior (ſi deuotus eſt) ad lau-
dandum Deum, ſubtilior & ingenioſior ad reco-
gitandum ipſum, pronior quaſi totus liquefactus
ad diligendum eum & ſuauiter amplexandum, ſi
non abuſus fuerit dono tali. Donum certè dici-
mus Dei, talem ſpiritus materialis ſerenitatem ſit
illa à Deo immediatè, ſit mediatè per miniſterium
angelicum, ſit per complexionis temperiē cum
apta regimine corporis, ſit per opitulationem im-
petrationémque ſanctorum, ſit maxima tandem
per habituationem vehemētem in obſequio Dei
in otio ſancto, in exercitio continuo fidei, ſpei
charitatiſque virtutum. Quod vſque adeò fieri
poteſt ab homine cum gratia Dei, quod videbitur
aſſiduè verſari mens eius in operato lumine cum
iocundiſſima quæ omnem ſenſum exuperat pace,
cum illa ſuper admirabili diuiſione ſpiritus & ani-
mæ cum vnione ad Deum, cum ignoto coniungi-
tur ignotè & ab omni partibilitate reducitur ad
monadem, hoc intellexerunt qui dixerunt: Secura
mens quaſi iuge conuiuium. Et iterum : Non eſt
lætitia ſuper cordis gaudium. Et rurſus. Quam
magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam
abſcondiſti timentibus te. Cum cæteris in hanc
ſententiam ſine numero. Glorientur in domino
qui ſunt huiuſmodi rari valde, ſed ſunt quamuis
rarò & ad tempus beneplaciti tui Deus, qui das vt
vis & quomodo vis canticum, in hac nocte mor-
talitatis, qui ſathanam tenebroſos ſpiritus ingerē-
tem reprimis, qui potes abſque vlla dubitatione
ſine materiali quouis ſpiritu tuas in mente collu-
ſtrationes ſuauiſſimas quales dictę ſunt & amplio-
res illabendo ſuper admirabiliter operari. At verò
ne ſint vacua diuinæ ſapientiæ opera quæ ſic res
A adminiſtrat vt eas proprios motus agere ſinat non
repellit aptam ſpiritus animalis diſpoſitionem qui
taliter in cellulis cerebri (quas medici triplices
ponunt primam mediam & poſtremam) poteſt
depurari, vt & imago ſit viuacior, æſtimatiua per-
ſpicacior, & memoratiua tenacior, ſic præterea
quod pars aliqui cellularum vtputa ſuperior ſub-
tiliorem obtineat ſereniorémque phantaſmatum
vel idolorum repræſentationem remanentibus
alijs partibus in obſcuritate maiori. Cuius rei
poſſumus exemplum accipere circa combuſtio-
B nem lignorum quoad varias ignis differentias in
flamma vel carbone aut per ſimilitudinem nu-
bium aut montis alicuius altiſſimi. Cuius in ver-
tice ſplēdet ſol nitidiſſimus cum in infimis nubes
vagentur atque caligines. Adde ſplendores in-
ſtar fulgurum coruſcantium vel emicantium
ſcintillarum, quarum illuſtratione veluti ſubitò
diſparenti pulcherrimę veritates emicant apud
agentem intellectum elicientem ex phantaſmati-
bus in hac luce præſentatis ſpecies intellectuales
C puriſſimas cum affectionibus quas nemo nouit
niſi qui accipit: Puto ſenſerunt talia viri ſpiritus
propheticæ & deuoti. Senſit & hoc ipſa virgo
beata dum in ſe conſiderans diuiſionem animæ,
& ſpiritus dedit cuilibet quod ſuum eſt prorum-
pens in hoc canticum : Magnificat anima mea
dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſa-
lutari meo. Potuerunt ad extremum pro canti-
ci ſenſualis intellectu plurima commemorari de
muſica quæ ſatis vulgata ſunt, vt eſt figuratio
gammæ manualis, vt traditio de tonis octo per
D antiphonas & neumata, qualiter illi philocapto
de amore Dei beato Ignatio familiari matris Dei
fuiſſe per angelos in monte reuelatum tradit nar-
ratio vitæ ſuæ. Sed terminus huiuſmodi tomo
priori ſtatuatur ad alterum de canticorum ori-
gine magis ad philoſophiam ſpectantem proce-
dendo.

Secundus tomus.

E PRoceſſit humana ſtudioſitas cuius oculus
non ſatiatur viſu, nec auris impletur auditu,
quin vlteriora iugiter inueſtiget quouſque inue-
nerit id quod perfectum eſt. Proceſſit inquam
à muſica ſenſibili quę dicta ad muſicam ſola ratio-
ne vel intellectu perceptam, argumentans ita : Si
corporalis habeat auris in obiecto ſuo proprio
quod eſt ſonus cauſatus ab aëre repercuſſo pul-
chros ſuaueſque numeros, cur à ſenſibus alijs vt
ſunt viſus & tactus aliquid ſimile negabitur, pro-
F pterea muſicam in geſticulationibus viſu perce-
ptionibus in ipſo præterea tactu ſilenti venarum
pulſatilium poſuerunt, vt ex medicorum diſcipli-
na Martianus exponit. Herophilus inquit, ægro-
tantium venas rythmorum collatione penſa-
bat.

Progredientes vlterius inuenerunt in ſenſibus
interioribus qui ſunt imaginatio, phantaſia, & æ-
ſtimatio numeros paſſionum & affectionū moti-
uarū perceptibiles ab his ſenſibus omni ceſſante
prorſus ab extra ſonante aëre. Poſſumus hanc no-
minare muſicam cordis, cuius tot ſunt voces &
ſoni quot inueniūtur motus interiores numeroſi

paſſionum

Digitized by Google

paſſionum interiorum vel affectionum. Aſcenderunt conſequenter homini conquiſitores veritatis ad vim rationalem quæ corporeo non vtitur organo. Et ab hac ſuperius ad intelligentiam quæ eſt apex mentis. Ad ſynderesim denique quæ vocatur ſcintilla quædam ſuperuolans & ſupermicās ad æterna, quæ per Ariſtotelem videtur endelechia nominari. Sed & ipſa ratio partita in rationem ſuperiorem & inferiorem tanquam in virum & mulierem, de quibus hic non dicendum, quoniam in tractatu de theologia myſtica & in alio de paſſionibus elucidata eſt hæc diſtinctio. Poſuerunt igitur in his omnibus potentijs muſicam & harmoniam ſecundum diuerſas ipſarum motiones. Fuit apud nonnullos philoſophantes dubitatio, ſi tam numeroſa ſpherarum & orbium tanquam velox circumitus crearet ſonum ab auditu corporali propriè perceptibilem, quemadmodū quæritur à theologis, ſi de beatis illud de pſalmis habeat veritatem. Exultationes Dei in gutture eorum, maximè cum ciuitas illa dicatur plena modulis & canoro iubilo, vbi quoque eſt vna vox lætātium, vox laudis & actio gratiarum. Ariſtoteles qui poſt & inter cæteros plenius aſſecutus eſt veritatem de quinta eſſentia cæleſti quæ incorruptibilis impartibiliſque eſt, ponit conſequenter neque ſonum, neque auditum propriè ſenſibiles illic eſſe, ſed omnia ad intelligentiæ rationem & perceptionem referenda, quæ Pythagoras immo & Iob de concentu cæli poſuerunt. Sic intelligeretur apoſtolus de linguis angelorum. De hominibus verò maximè poſt corporum reſumptionem, non eſt improbabile muſicam vocalem illis eſſe. Vult forſitam auditor inſtrui poſt iſta quæ dicta ſunt de numeris in omni creatura repertis. Omnia quippe fecit in numero. Quo pacto muſicæ colligamus exinde rationem. Grata fatemur dignáque ſcitu conſideratio. Neque enim ſolus ſufficit numerus ad muſicæ rationem, ſed vt ſonorus ſit, oportet. Eſt itaque ſubiectum muſicæ numerus ſonorus. Nihilominus vrget nos apoſtolus cum cæteris autenticis ponere cantica & voces fieri in cordibus noſtris ad Deum ſicut & clamores deſideriorum. Deſiderium pauperum (inquit propheta) exaudiuit dominus. Et hoc vtique nedum concedimus, ſed ad huius rei manifeſtationem opuſculum ſeparatim edidimus de canticordo. i. de cantico cordis, cuius initiale verbum eſt: Beati qui audiunt verbum Dei.

At verò ſicut auris tranſſumptiuè dicitur in Deo, dicitur in angelis, ad omnem denique transferretur intellectus cognitionem, vt ibi: Qui habet aures audiendi: audiat cum ſimilibus multis. Non aliter vox & ſonus vt in propoſito noſtro per metaphoram accipiatur neceſſe eſt. Similiter de flatu, vel de ſpiritu flante, mouente & exagitante vocéſque formante conſiderare nos conuenit. Non enim dominum laudat omne quod ſpirat, ſine ſpiratione vnde fit vox, & conſequenter auditus ſuo modo. Spiritus autem multipliciter dicitur ſecundum declarationem Didimi libro de ſancto ſpiritu. Eſt enim Deus ſpiritus, vt in Ioanne ſcribitur: Deus ſpiritus eſt. Eſt appropriate & propriè tertia in Trinitate perſona nexus patris & filij quo ſe dicuntur diligere ſpirituſancto. Dicitur & ſpiritus ſapientiæ multiplex. Spiritus inſuper extenditur ad angelum tam bonum quam malum.
A Qui facit angelos ſuos ſpiritus ait pſal. Dicuntur & hominum ſpiritus eſſe, imo & brutorum, ſecūdum Eccleſiaſtem, Extenditur ad ventos & ſpiritus procellarum. Accipitur ſpecialiter à medicis ſpiritus pro inſtrumento proximo viuendi mouendi & ſentiēdi in animalibus, & eſt fumoſitas ſubtilis procedens à corde. Quid tandem multis immoramur, cum nomen ſpiritus ad omnem vim impulſiuam ſubtilem, & maximè ſecretam extendatur. Quo fit vt omnis amor dicatur ſpiritus. Quid enim ſubtilius, quid vehementius ad mouendum vel impellendum quam amor.
B Inde illud Auguſtinus. Pōdus meum amor meus illo feror quocunque feror. Hinc Valerius nominat amorem nedum ſpiritualiter, ſed ſpiritum ſanctum. Et quoniā in omni creatura reperitur amor qui eſt virtus quædam motiua & impulſiua prout continuò docebimus, pulcherrimè & diuinè concluſit pſal. Omnis ſpiritus laudet dominū. Tāquā diceret, omnis creatura amet te Deum creatorem ſuum, adoret & pſallat nomini tuo altiſſime. Metaphyſicalis demum ratio concludit totum iſtud
C vniuerſum rectè dici monocordiū diuinæ ſapientiæ. In quo delectatur ludens ab initio, cuius monocordi, amor eſt vna corda. Hinc apud Boëtiū, philoſophia canit. O felix hominum genus, ſi noſtros animos amor quo cęlum regitur regat. Quid hęc tibi ſonare videtur optatio, niſi canticum liberi arbitrij non diſſonare mundi totius monocordo (ſola quippe diſſona ſibi voluntas eſſe poteſt) quæ per ſupremum ſaltem Deum nihilominus ad concordiam per iuſtitiæ amorem ordinatur.
D

Pergat igitur deinceps compoſitio noſtra loqui pauca de amore tanquam intelligibili quadam voluntate quæ vitali ſuo pulſu percutit aures cordis intellectuales, non abſque ſuaui melodia dum amori ſua numeroſitas adiungitur. Et in primis reſpicientes ad exemplar vel ideam amoris creati, non ponimus per fidem edocti talem aliquam ideam ſeparatam, quæ non ſit Deus, quomodo redarguit Platonem Ariſtoteles. Concedimus tamē quod omnia quæ facta ſunt ſicut in verbo vita
E erant, ſic in ſpirituſancto amor erant ſuo modo. Nam & amor ipſe vitalis eſt. Ponit inſuper fides amorem in Deo eſſentialem ponit & perſonalem, quorum vterque reſpectu creaturarū idealis dici poteſt. Sed qua proprietate loquendi quali rurſus diſtinctione vel reali vel formali, vel modali, vel ſolius rationis nō eſt præſentis inquiſitionis Qualiter porrò ſit in diuina Trinitate, vox patris ipſe filius verbum eius qualiter amor amborum ſpiri-
F tuſſanctus cum quodam numero, vt conſequēter ponatur illic muſica ſuauiſſima quæ eſt amor numeroſus, nec audemus nec voluimus aliquam in verbis nouitatem aperire, quæ non à ſacris litteris ſit expreſſa, nobis quippe ad ſolam hanc regulam loqui fas eſt. Amor creatus producitur à tota Trinitate ſecundum triplex genus cauſæ, efficientis, formalis, vel exemplaris & finalis, appropriatiuè verò cauſaliter à patre, exemplariter per filium, & finaliter & communicabiliter in ſpirituſancto. Eſt autem amor iſte creatus inclinatio quædam, pondus, coaptatio, tendentia, motio cōuenientia cuilibet indita rei ad bonum & in bono

hoc à primo bono appetibili Deo, quatenus inde quælibet res ſic tracta & inclinata, reuertatur ad ſuum appetibile primum quaſi circulo quodam intelligibili. Et hoc mediatè vel immediatè. Sic intelligi poteſt quod monas genuit monadem & in ſe ſuum reflectit amorem, vel de beata Trinitate ſecundum aliquos, aut de mundi productione tam maioris quam minoris ſecundum alios. Rurſus amor creatus quadruplex eſt, naturalis, animalis, rationalis, intellectualis quibus addit Dionyſius amorem increatum diuinalem. Naturalis amor inſitus eſt & impreſſus in re qualibet tanquam ſimilitudo ſuæ cauſæ, qui eſt amor diuinus quo motus eſt Deus ſe communicare rebus. Sic amor naturalis tantumdem eſt in qualibet creatura quam habet de eſſe vel natura, ſicut enim ens & verum ſic ens & amor cuius obiectum eſt bonum conuertuntur vt propriæ paſſiones cum ſubiecto. Antiquè dictum eſt: Bonum eſt quod omnia appetunt & amant. Et ita omnia vt etiam materia prima propriè nihil poſita amet formam vel appetat vt mulier virum, & turpe pulchrum, & formam informe, neque enim materia putanda eſt purè nihil. Alioquin qualiter eſſet pars eſſentialis compoſiti. Dicitur tamen ex ſe nihil eſſe ſupplendum eſt formale quale communicat ſibi forma. Amor præterea ſicut impreſſus eſt ab amore primo ſic in ipſum reflectitur. Si enim creatura nequit fieri neque conſeruari ſine cauſa efficiente & conſeruante, cum finis ſit cauſa principij moués efficientem. Nonne magis innitetur creatura cauſæ finali quam efficienti? Nonne præterea nulli philoſophantes negantes creationem rerum à Deo nec cauſam earum ſufficientem, poſuerunt nihilominus ipſum eſſe finem earum cuius gratia ſunt vagunt & mouentur? Spectant ad hoc dicta philoſophorum quod appetibile mouet appetitum circulo quodam, quod Deus ſtabilis manens, dat cuncta moueri, quod eſt ſphera quędam intelligibilis, cuius centrum vbique eſt circunferentia nuſquã, quod ad ipſum trahimus nos vt ad lapidẽ fixum in littore, & hoc cordis deſiderijs, vel ſicut per catenulam & ſcalam ſurſum vbi Deus innititur iuxta viſionẽ Iacob. Sic demum repetunt proprios quæque recurſus, nec manet vlli traditus ordo, niſi quod ſinu iũxerit ſtabilémque ſui refert orbem. Hic cardo eſt, hic tenax vigor, hic axis rotæ volubilis totius creaturæ, hic poſtremò tenor vnicus totius muſicæ mundialis. Amor iſte naturalis conſequitur cognitionem ſicut & quilibet amor, nam penitus incognita quis amauerit. Sed refert de cognitione. Nam quædam eſt non coniuncta rei diligenti, quædam coniuncta vel eſſentialiter vnita. Primam inſequitur amor purè naturalis, ſicut lapis tendit ſurſum, & ſagitta ad ſignum non per propriam cognitionem, ſed per cognitionem impellentis & dirigentis. Sic ſuo modo quilibet amor vel tendẽtia naturalis rerum in ſuos fines fit per directionem & cognitionem intelligentiæ non errantis quæ Deus eſt, vt philoſophus & commentator ſuus tradunt. Cæterum triplex amor alius triplicem ſequitur cognitionem coniunctam, ſicut animalis amor ſequitur cognitionem ſenſitiuam interiorem & exteriorem, rationalis ſequitur cognitionem rationis homini coniũctam eſſentialiter, amor intellectualis in angelis plus homine coniunctam ſequitur intellectualem cognitionem. Habemus proprias cuiuſlibet amoris ad alterum differentias, vnde amor naturalis qui bonus eſt nec malus eſſe poteſt, ſicut nec errare poteſt ſuus director & cauſator Deus quamuis inueniatur in agẽtibus voluntarijs, non tamen ea ratione qua voluntaria ſunt & qua ſuam inſequuntur coniunctam cognitionem, ſed per reſpectum ad inſtinctum vel impulſum primę rationis ſeparatæ quam eſſe Deum conſtat. Sic in homine ſolo genus quodlibet amoris inuenitur tanquam in minore mundo qui omni participat creaturæ, ſed hoc eſt alia & alia ratione. Amat itaque purè naturaliter ſequendo motionem primæ cognitionis ſeparatæ. Amat animaliter ordine ad cognitionem ſenſualem ſibi iunctam & intrinſecam. Amat rationabiliter ſequẽdo intelligentiam mentis ſuæ, quæ eſt ſuprema portio rationis. Quęret aliquis quid ad materiam de canticis tanta de conditionibus amoris digreſſio? Reſpondemus multum per omnem modum quoniam in primis ex hoc vltimo colligi debet diſtinctio ſeu diuiſio multiplex canticorum in ſenſuale & intellectuale. Trahitur inſuper definitio cantici rationalis & intellectualis quod eſt amor numeroſus, ratione perceptibilis vel intellectu tanquã ſpirituali mentis auræ. Habetur poſtremò quid ſit cãticum purè naturale, quod omnis creatura cantat, pſallit, modulatur & iubilat Deo, quoniam eſt amor naturalis numeroſus, in Dei gloriam ordinatus, qualis etiam in dæmonibus, obſtinatis obſtrepãtibus voluntariè Deo per horrẽdas blaſphemiarum diſſonantias pulchrè, ſonoréque collocantur ordines. Superſunt ad integram canticorum notitiam moralium qui & rationales ſunt, aliæ diſtinctiones de amore, maximè penes voluntarium & inuoluntarium diuerſimodè, penes meritum & demeritum, penes iocundum & luctuoſum, lætum & triſte. Efflagitaret rurſus ordo loqui de cantichordo, hoc eſt de cantico cordis, niſi ſuper hac re tractatus, iam ſpecialis haberetur, cuius initium eſt: Beati qui audiunt verbum Dei, vbi practica traditur per gamma nouum & myſticum in vltima parte pro moralium notulatione canticorum. Atverò pluribus omiſſis protinus offert ſe de monochordo memoria, cuius ſola quæ reſonat corda ponitur amor. Et eius figuram ſuffecerit hic ponere videndam ad oculum relatiuè ad pater noſter. Superaddetur aliud exemplar de pſalterio decachordo quod ad eandẽ propriè reſpicit conſiderationem. Subdetur compoſitio, moralis ſcacarij, ex quibus habebit ſolers animus facultatem circa quodlibet inſtrumentum muſicum per tropologiam, allegoriam, & anagogiam faciliter excogitandi ſimilia. Expedit aut fieri rememorationem ſub compendio de gamma prædicto, quod duplici metro complectitur.

A ſit amor gaudens, è ſpes, compaſſio iota.
O timet, vſque dolens odit, & iſta notes.

Declaratio ſtat in hoc primo, quod voces in gamma myſtico nõ intelligẽdę ſunt ſenſibiles auribus extrinſecis, ſed dicuntur interiores affectiones, mente vel corde perceptibiles, quæ cum ſint innumerabiles nihilominus ad paucas philoſophia ſimul cum theologia & medicina reduxit, nunc ad vnam, nunc ad duas, nunc ad tres, dehinc ad

quatuor

quatuor, ac deinceps vſque ad vndenarium in
quo ſtetit Ariſtoteles. Nobis autem placuit ad
præſens numerus principalium quatuor affe-
ctionum quaſi ſimplicium iuncta quinta velut ex
multis compoſita. Placuit rurſus has affectiones
quinque per quinque vocales deſignare, tãquam
per notulas quinque proportionabiles illis de gã-
ma manuali, videbis enim ſub ſolis quinque voca-
libus eas complecti, quamuis vna ſc. a. duplice-
tur in fa & in la. Vnde remotis conſonantibus
aut mutis ab vt, re, mi, fa, ſol, la, ſuperſunt hic vo-
cales quinque, v, e, i, o, a, quas aliter hic ordina-
mus mutantes, a, e, i, o, v. Applicamus conſe-
quenter affectiones noſtras quinque, quæ ſunt
amor ſeu gaudium, ſpes ſeu deſiderium, compaſ-
ſio quaſi mixta, dehinc timor ſeu metus, poſtremò
dolor vel odium. Applicamus inquam iſtis quin-
que vocalibus, vt A. ſignificet amorem gaudio-
ſum. E. ſpem ſeu deſiderium, non virtutem theo-
logicam. I vel iota compaſſionem. O timorem.
V dolorem vel odium. Sic perſpicua eſt duplicis
metri ſententia, ſic omne canticum poſſumus ad
gammam myſticum reducere, ſit illud canticum
veraciter in corde vel mente, aut figuraliter in
quibuſlibet pſalmis inſtrumentiſve muſicis, ſicut
in ſono tubæ, in pſalterio & cythara, in tympano
& choro, in chordis & organo, in cymbalis bene-
ſonantibus & iubilationis. Denique quomodo-
libet: Omnis ſpiritus laudet dominum. Cæterum
vis cognoſcitiua rationalis, miniſtrãſ quaſi literam
cantichordi iuxta meditationes varias ſecundum
quas vis affectiua præcipuè ſi fuerit fortiter habi-
tuata, prorumpit in voces numeroſas affectionum
quinque prædictarum, eas multiplicando penes
graue, acutum, ſuperacutum; ſurſum. ſc. & deor-
ſum per ſiſtolem & diaſtolem quaſi ſine termino.
In latitudine præterea ſecundum breuiationem
& prolongationem, demum in cõiunctione mu-
tua ſupra quam habeat fieri in muſica ſenſuali, ibi
maxima vbi eſt in cælo vna vox lętantium & vnus
ardor lætantium. Decreuimus ad extremum de
tot inſtrumentis, trium (vt diximus) figuras ap-
ponere, videlicet monachordi iuxta literam ora-
tionis dominicæ, & decachordi ſecundum alpha-
betum, ſimul & pater noſter, & ad literam .x. prę-
ceptorum. Scachordum verò quia duplex habet
officium tanquam chorus caſtrorum a. canticum
militare deſcribitur cum ſua quadam elucidatio-
ne ſeu canone vt in prioribus. Sed antea migrabi-
mus tandem duce theologia, poſt theologiam &
& philoſophiam ad cantica canticorum pro tertio
& finali tomo præſentis opuſculi de canticis iuxta
ſuum originem diſtinctiuo.

Tomus tertius.

CAnticorum diuerſas ſpecies inueſtigauimus
ſecundum hiſtoriam, primò quoad cantica
ſenſu perceptibilia, dehinc ſecundum philoſophi-
cam diſciplinam de canticis in omni creatura re-
pertis quæ per intellectum percipiunt. Putabit
aliquis nihil ſupereſſe, quoniam vltra vel ſupra
creaturam vniuerſam quæ cantica reperies. At
verò ſi theologiam videbimus grandiora ſupereſ-
ſe quemadmodum mirabilior modo cauſam cau-
ſarum quam in amore fundauimus tractat incho-
ans ſuam ab eo traditionem, vbi & in quo philo-
A ſophia ſtetit non habens vltra quò ſuum deduce-
ret ſcrutinium. Ecce quod progreſſus philoſo-
phiæ ſecundum apoſtolum & ſapientem, fit ab eis
quæ viſibilia ſunt ad inuiſibilia Dei quaſi ſcalam
aliquam, quæ vbi deficit, philoſophiam ſtare ne-
ceſſe eſt, vel in tenebris temerariam concutiendo
pulſare & errare. Nam quæ ſunt diuinæ volun-
tatis prorſus liberrimæ conſtituta, quæ leges, quæ
temporum præſtitutiones, ſolus ille ſcit & cui vo-
luerit reuelare qui voluit & dixit, & facta ſunt.
B Omittamus interim verbum de myſterio beatiſſi-
mæ Trinitatis, quod enarrauit filius vnigenitus in
ſinu patris qui ſolus nouit quæ ſunt eius. Sileamus
prætetea de ipſo verbo Dei per quod facta ſunt
omnia, & de amore perſonali qui eſt ſpirituſſan-
ctus quem mutuo communicat & ſpirat ſumma
liberalitate pater & filius. Creaturarum quippe
productio quid eſt niſi quædam punctualis & vix
alicuius momenti communicatio reſpectu com-
municationis illius infinitæ quæ fit in ſpirituſan-
cto. Deſinamus inſuper quærere ſi conuenienter
C poſſumus de illa Trinitate glorioſiſſima ponere
canticum ſummæ ſuauitatis & lætitiæ, ſicut illic
ponimus verbum numeroſiſſimum plenũ ratio-
nibus & ideis abſque termino. Ponimus & amo-
rem iocũdiſſimum ſpiritumſanctum quo verbum
tendit in patrem & pater in verbum tenore gra-
uiſſimo. Ponunt alij hierarchiam illic vbi pater
inquiunt non graduali perfectione maior, ſed in
perſonarum origine principatur.

Dimittamus inquam talia, diuinis theologiæ
D perſcrutatoribus cum otio magno, cum ingenio
clariſſimo, cum exercitio duriſſimo. Nobis ſit hic
& nunc ſatis de canticis in creatura poſitis loqui,
plus ad deuotionis excitationẽ quam intellectus
admirationem & eleuationem in alta maieſtatis,
ſcientes quod perſcrutator maieſtatis opprimetur
à gloria, & quo amplius acceſſerit homo ad cor
altum, eò amplius exaltabitur Deus. Veniamus
ad rem noſtram collocantes pedem inueſtigatio-
nis vbi ſtetit philoſophicæ pes inquiſitionis, hic
autem ſi bene tenemus, pes erit in amore ſic vt cã-
E ticum ſua generalitate ſumptum deſcribi poterit
quod eſt numeroſa vox amoris vel amor numero-
ſus, vel numerus amoroſus. Additum eſt de ſpe-
ciebus amoris poſt diuinam, quoniam vnus eſt
naturalis conuertibilis cum ente, alter animalis,
alter rationalis, alter intellectualis, quorum con-
ditio naturáque deſcripta eſt. Porrò de creato a-
more ſupernaturali, de charitate quam qui habet,
manet in Deo & Deus in eo. De amore quoque
nuptiali Dei cum hominibus verbum nullum, in
F quo tamen & ſuper quem fundatur cantica canti-
corum quæ epithalamia nominamus & canticum
diuinale. Erat autem ab initio principalis intentio
facere verbum conſonanter ad Chriſti parabo-
lam de cantico duplici, vno ſecundum ſaltatio-
nem vel exultationem, altero ſecundum lamenta-
tionem & planctum, & hoc non ſeculari ſeu pro-
phana vanitate, ſed chriſtiana pietate. Conuerte
fideles oculos ad Chriſtum, videbis affirmo tan-
quam in exemplari pietatis ipſum duplex hoc can-
tici genus reſonaſſe, nam & exultauit ſpirituſan-
cto raptus ad vocem patris intus ſonantem cum
clamauit: Confiteor tibi pater cæli & terræ, quia

Digitized by Google

abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, &
reuelaſti ea paruulis. Ideo pater ſic placitum eſt A
ante te. Rurſus ita lamentatus eſt & planxit vt cõ-
quereretur palam: O vos omnes qui tranſitis per
viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor
meus. Talia colligimus hic duo cantica, vnum ex-
ultationis, aliud lamentationis, ad qualia non ha-
buit philoſophia ſcrutando venire quorum quod-
libet fundatur in amore, non qualicunque, ſed
charitas & amicitiæ deiformis, ſecundum oppoſi-
tas tamen & diuerſas rationes, vna eſt diuinalis
adoptio, & deſponſatio, altera reprobatio & re- B
pudiatio. Nihil primo cantico melius, iocũdius,
beatius. Nihil ſecundo deterius, inſuauius, infœli-
cius reperitur Primũ cecinit Salomon in canticis,
& Dauid pluribus pſalmis. Alterum Hieremias in
threnis. Et Eſaias ibi: Cantabo dilecto meo, vbi de
repudio canitur ſynagogæ. Nunc aſcendat theo-
logia ſupra philoſophiam non inchoans proceſſu
ab imfimis inſtar philoſophiæ, ſed à Deo primo
omnium principio, ad quod attingit vtique pro-
ceſſus prior philoſophiæ. Et dicamus vltra philo-
ſophiam quod Deus ipſe tanta pietatis dignatio- C
ne, tanta charitatis bonitatiſque dilatione, huma-
nam dilexit naturam vt eam formaret ad imagi-
nem & ſimilitudinem ſuam, quatenus ſui parti-
ceps eſſe poſſet, & ita particeps quod eidem iũge-
retur feliciſſimo fœdere nuptiali, ſicut ſponſa ſpõ-
ſo ſuo, qua dilectione & charitate, nullam diligi-
biliorem, nullam chariorem æſtimare poteſt cor
humanum. Poſuerunt nec negamus aliqui philo-
ſophantium magis eleuati & diuinitus illuſtrati,
ſicut Ariſtoteles quod vltima felicitas hominis D
conſiſtit in Dei contemplatione, nec vt arbitror
ſequeſtraſſet amorem eius, nihilominus cum co-
gnouiſſent Deũ, non ſicut Deum glorificauerũt
neque gratias egerunt, & quid inde ſecutum fue-
rit, pudet recordari quid apoſtolus aperiat: Ama-
bant Dei virtutem illuſtrantem intellectum, ſed
ipſam quæ ſanaret, quæ corrigeret, quæ reprehẽ-
deret affectum dicit Auguſtinus non amabant.
Amplius ipſi philoſophi quamuis aliquem homi-
nis amorem ad Deum ponerẽt & debitum ſcirẽt,
nullo pacto tamen valuerunt attingere vel ſuſpi- E
rari quod mutua eſſet amicitia præſertim ſpon-
ſalis, Dei ad hominem, & è contra, qualem no-
bis reuelauit theologia fundata in charitate, de
qua eſt illud: Charitate perpetua dilexit te. Non
enim quilibet amor dici meretur amicitia ſecun-
dum philoſophum, ſed ille quo ſibi mutuo com-
municant & conuiuunt & congratulantur & cõ-
uiuuntur amantes, quale aliud neque Plato dicẽs
Deum non miſereri hominibus, nec Ariſtoteles
redemptionis ignorans myſterium, nec aliud om- F
nino fas habuit ſine fide. Tentemus nunc de can-
ticis exultationis & lamentationis aliquid dicere,
quod ſit ſupra, non contra philoſophiam, quæ
duo cantica notans qui dixit: Miſericordiam &
iudicium cantabo tibi domine. Hæc autem eſſe
iam tetigimus vnum nuptiale quod epithalamiũ
nominatur, aliud repudiationis reprobæ, quod
infernale dici poterat. Oportet igitur vt à nuptijs
carnalibus figuram accipiamus non diſſonanter
ad apoſtolum, qui loquens de corporali matri-
monio. Sacramentum inquit, hoc magnum eſt
in Chriſto dico & eccleſia.

Sunt verò literaliter tres modi deſponſationis,
vnus viri cum libera, alius viri cum ancilla, tertius
viri cum domina. Vltimum hunc modum tenuiſ-
ſe videtur ſolus Ioſeph vir iuſtus cum vxore ſua
Maria. Primum legimus in Abraham cum Sara
quod quotidianum eſt. Alterum ipſius eiuſdem
cum Agar ancilla, ſicut in Iacob duplicem hunc
modum reperies reſpectu Lyæ & Rachel libera-
rum, quibus additum eſt ancillarum vtriuſque
connubium. Veniamus ad myſterium, figura-
uit namque matrimonium Adæ cum Eua con-
ſorte & libera cum adhuc non peccaſſent coniun-
ctionem Dei cum anima ſancta, etiam ſi non fuiſ-
ſet incarnatio filij Dei ſubſecuta. Figurauit inſu-
per ſecundum apoſtolum coniunctionem Chri-
ſti incarnati cum eccleſia, cuius capta eſt & con-
ſors in natura. Figurauit coniunctionem humanæ
naturæ cum Deo in vnitate ſuppoſiti. Figurauit
ſecundum Auguſtinum & ſequaces coniunctio-
nem portionis ſuperioris, quaſi vir cum inferiori
tanquam mulieris. Figurauit iuxta methaphoram
Salomonis de forti muliere cõiunctionem homi-
nis vel ſpiritus ſapiẽtis cum lege Dei vel ſapientiæ.
Sic enim loquitur alibi: Quæſiuit ſponſam mihi
aſſumere eam. Subinde matrimonium Abrahæ &
Iacob cum ancillis, notat apoſtolus figuraſſe con-
iunctionem Chriſti cum ſynagoga quæ generauit
filios in ſeruitute. Denique matrimonium Ioſeph
cum Maria certè cum domina quæ non ab eo pe-
perit nec eam humiliauit, ſed eius cuſtos fuit: a-
ptatur congruè coniunctioni prælati cum eccleſia
ſua quam ſpirituſſanctus impregnat, non ipſe qui
cuſtos eſt quamuis ſponſus.

Habemus ecce ſeptem genera ſpiritualium nu-
ptiarum de quibus nõ erit dicendum per ſingula,
grata nihilominus eſſet ſpeculatio circa vnũ quo-
que genus, intuenti quo pacto cãtica canticorum
Salomonis aptarentur vnicuique tanquam in epi-
thalamio ſaltationis vel exultationis. Et quidem
de coniunctione Chriſti cum ſynagoga veteri,
rurſus cum eccleſia noua & libera necnon & na-
turali, doctores copioſiſſimè diſſeruerunt in ex-
poſitionibus canticorum literaliter & allegoricè
de coniunctione præterea Dei cum anima ſecun-
dum tropologiam non ſiluerunt, ſed nec vſque-
quaque de cõiunctione prælati cum eccleſia vice
Chriſti tacuerunt. Cæterum de altero duplici
coniugio myſtico quod ſupereſt, ſi quis aperuerit
os in canticis vt per anagogiam diſſereret ignora-
mus. Scimus venerabilem Richardum non vnum
non alterum, ſed omnia pene volumina ſua de
hoc matrimonio ſpiritus & animæ per myſterium
compleuiſſe præcipuè libro de. xij. Patriarchis
ſubtilitate mirabili, cui conſonant tractatus alij de
arca myſtica, de viſionibus Danielis, de extermi-
natione mali. Denique totus in iſta verſatus eſt
metaphora, quæ portionem ſuperiorem virum &
inferiorem appellaret mulierem, nec ſiluit ſenſua-
litatis concubinas, verum non traduxit ad cantica
quod viderimus. Viſum eſt tamen mihi non-
nunquam meditanti in ſecreto cordis mei cubi-
culo, per noctes heu præſentis vbique calamitatis,
poſſe fieri vt epithalamium diuinale conſonare
monſtraretur huic cõiugio ſpiritus & animæ præ-
ſertim in Chriſto. Rurſus alteri cõnubia ſpirituali
ſapientiæ diuinæ creatæ cum ſpiritu creato dei-
formi,

Digitized by Google

formi, ſicut in exultanti ſpiritu Mariæ potiſſimè competebat. Si pauſemus interea paululum, de hinc alio velut ſub exordio naturam epithalamij primò deſignantes, poſtmodum tentabimus illud exponere quod nobis meditatio locuta eſt de Chriſto & Maria, quod certatim laudant angeli ſpiritus immo quælibet creatura à quibus vtinam non diſcordet vox noſtra, laus noſtra, ſtudioſitas noſtra, carmen quoque noſtrum quod & ſaltare docet & plangere cum pueris in foro ludentibus. Epithalamium non hic accipimus ſenſuale canticum pro nuptijs carnalibus quibus hymenæum præeſſe gentilitas fabulatur, non inſuper intelligimus canticũ cæleſte beatitudinis æternæ, vbi perfecta ſecuráque fruitione nuptiali, felices animæ cum Deo totaliter vniuntur, transformantur, ſopiuntur, iocundantur, ſed epithalamium dicimus hic canticum viæ, pro deſponſatione diuinali quæ per gratiam hic incipit, & in gloria cõſumatur, aut ſi perditur in finem charitatis, anima perpetuo repudio cruciatur. Epithalamiũ præſupponit amorem naturalem, animalem, rationalem, dilectionẽ quoque liberam beneuolentiæ, & honeſtæ quoque concupiſcẽtiæ, demum ſocialis amicitiæ. Sed addit in propoſito noſtro, donũ charitatis gratiæ viuificãs diuinitus aſſimilans & perficiens, donum inſuper ſpei tendentis in cõſummationem gloriæ, donum quoque cuiuſdam zelotypiæ laudabilis & fidelis qua zelant ſe mutuo ſponſus & ſponſa. Eſt zelus amor vehemens & compatiens qualecũque contrarium vel aduerſum fieri contra rem dilectã. Et hoc præſtat fides. Eſt igitur epithalamium noſtrum deſcribere canticum ſponſi & ſponſæ, fide, ſpe & charitate iunctorum. Epithalamium Salomonis quod cantica cãticorum dicimus compoſuiſſe creditur & traditur ab eccleſia rex Salomõ, inſpiratus à ſpirituſancto tempore quo erat amabilis domino, quamuis verba videantur carnalia, quamuis inſuper autor poſtmodum miſerabiliter & lamentabiliter coruerit, vt non glorietur ſtulta præſumptio cordis humani, ſi myſteria omnia cognouerit qualia ſunt in canticis maxima, ſed qui gloriatur, in domino glorietur, videátq; ne cadat. Fiat ita circa nos ô glorioſiſſime ſponſe Ieſu, dum te cogitamus, loquimur, extollimus cum dilecta ſponſa tua nequando cum illa. Vaſti ſuperba repudiemur à regali copula tua. Epithalamiũ datur per ſymbola, vt ſecundum Auguſtinum deſideretur ardentius, nudetur iocũdius, ſpecioſius videatur, nihilominus optimũ ſi fructuoſè, ſi ſecurè, ſi ſalubriter cantari debeat quod eleuet ſi mens ad remotionem phãtaſię vbi non ſit maſculus neque fœmina, ſicut nec charitas ſexum habet. Oportet præterum depurationem fieri virtutis appetiuæ quã nulla titillat carnalis ſub carneis verbis complacẽtia vel libido noxia. Oportet amplius humiliari virtutem iraſcibilem, vt nulla ſurrepat pro cognitis myſterijs ſuperbia, ſed quãto maior eſt humiliet ſe in omnibus. Epithalamium tentatur incautè cantari ab anima quantuncunque ſeculariter erudita, ſi non fuerit expurgata prius à ſordibus peccatorum, quod docetur fieri in prouerbijs Salomonis, ſi non fuerit præterea ſurſum eleuata & illuminata per contemptum terrenorum ad quod monet Eccleſiaſtes. Si non fuerit poſtremò cordialiter affecta & perfecta deſideriorum ſupernorum quod quæritur in canticorum canticis exerceri. Ac perinde deſcribitur epithalamium tripliciter ſecundum tres actus hierarchicos, purgare, illuminare & perficere, quæ tria præſtat ſol iuſtitiæ tripliciter exurgens montes naturæ ſublimis humanæ. Epithalamium Salomonis poteſt inſipiens & animalis homo fideliter admirari & ſimpliciter credere, ſed non arroganter perſcrutari, quia nihil periculoſius, poteſt homo rationalis & proficiens illud piè meditari ruminationis typo, ſed non ex abrupto concinere, quo nihil difficilius. Poteſt homo ſpiritualis iam carni deſpiens & ſanguini, epithalamium ſapienter cum ſapore depromere, quo nihil ſuauius & in terris beatius erit. Vide opera Dei quod fit idem canticum electis in ædificationem, conſolationem & bonum odorem, alijs in ſcandalum, ruinam, contradictionem & odoris in mortem. Epithalamium fit non amantibus omninò barbarum nec intelligibile, fit mala & carnaliter amantibus in offenſionem & ſcandalum, quibus augetur inde furor igneus, fætor carneus, inſatiabiliſque pruritus. Quod ætate noſtra vel in fictis quibuſdam deuotis compertum, punitúmque per ignem fuit. At verò ſi fuerit Deo propicio exercitatus homo ſpiritualis pati diuina ſicut de Ierotheo ſuo loquitur Dionyſius ſi fuerit in eo deiformis & bene ignitus affectus, ſi ſentiat diuiſionem animæ & ſpiritus à verbo Dei fieri, ſi per multa probatus multum Dei ſenſum cognouerit, pergat qui huiuſmodi eſt epithalamium frequentare: non in delictis & verbo ſuperbo, ſed in hoc benedicat Deum qui fecit illum & inebriantem eum talibus bonis ſuis.

Epithalamium eſt quod grammatici nominant dragma vel dragmaticum quod fit inter duos more dialogi, non qualiſcunque. Eſt enim dialogus inter magiſtrum & diſcipulum, cui didaſcolicon nomen eſt. Eſt alius inter loquentem & ſuum interpretem. Sed iſte tertius fit inter dilectum & dilectam cum̃ propriorum celatione nominum. Et poteſt dragma eſſe vel indeclinabile neutrum vel declinabile fœmineum primæ declinationis, vel neutrum tertiæ, vt vbi, frequentate nobis dulcia cantica dragmatis. Videbis in canticis canticorum ſic obſeruari, vt ſponſa præloquatur, ſponſus reſpondeat commixtis aliquãdo interrogationibus vel reſponſionibus ſodalium ſiue adoleſcentularum ſiue cuſtodum ſiue amicorum. Epithalamium introduxit ſponſam quaſi philocaptam & inamoratam de ſponſo ſuo, cuius aſſiduè præſentiam, verba, complexum oculus deſiderat, ſed hoc tamen cum virginali pudicitia & mira gratáque puellari verecundia. Quid enim procacius, quid odibilius, quid punibilius in ſponſa puella & virgine, ſi vltro nedum rapiat virum, ſi vel palam petat aut roget ad conſummationem operis nuptiarum? petit tamen ſignis aliquibus cum pudica circunlocutione & inſinuatione verecunda, tempus expectans & locum beneplaciti viri, dum fuerit introducta per eum in matrimoniale cubiculum, non iam vt ſponſa per ſpem, ſed vt vxor per felicem nec amplius diſſolubilem vnionem.

Epithalamium introduxit ſponſum tanquam philocaptum, ſponſa non ſine verecundia, qua-

Digitized by Google

dam ſi videtur in turba cum ſponſa vel ad ſponſum, quærit ob inde ſolitudinem vt illa blandiatur, A proſpicitur per cancellos & feneſtras, zelans ſcire quid agat ſponſa, ſalit & tripudiat feſtinus totus dum pergit ad eam, dum vult audire vocem ſuam, faciem videre, oſtium aperire, ſe ſequi. Nihilominus expectat horam venire cubiculi nuptialis, nolens ante legitimum tempus ſponſam cognoſcere nondum fœdere conſumato.

Habemus ex iſtis epithalamij notulis, non paruam (niſi fallor) eruditionem pro cognitione reliquorum, quæ vel illic tradit litera vel gloſſa B doctorum notat. Sed adhuc pauca iungamus, non quæ dant totum ſuper cantica commentum, hoc enim non eſt præſentis opuſculi, tot metaphoras ſigillatim aperire, ſatis erit vel vbertim apertas repetere, ſat erit aliquas quaſi ſcintillas excutere pro colluſtratione cum incendio leui cordis deuoti.

Epithalamium eſt canticum de amore ad amorem, de charitate ad charitatem, de dilectione ad dilectionem ſine phantaſia carnalis ſexus in amãte vel amata. Dicet aliquis hic contradictionem C implicari per terminos. Nonne maſculinum inquiet genus ad maſculum, fœmininum ſpectabit ad fœminam, alioquin diſtinctio talis quid operabitur in articulis. Rurſus ſi quod natum eſt ex carne, caro eſt, ſic quod ſimilitudo carnalis eloquij cauſat, nonne corporeum phantaſma putandum eſt. Verum attendat qui ſic opponit, dictum hoc vltimum retorqueri pro nobis. Nam poteſt oculus rationis & intellectus ex phantaſmatibus vtique corporeis ſpecies elicere & fodere ſpirituales, D per quas intelligit ea quæ ſunt ſpiritus, qui teſte Chriſto carnem & oſſa non habent, nec eorum ſimilitudinem, ſed quod natum eſt ex tali ſpiritu, ſpiritus eſt. Videre eſt proinde rem eãdem, præcipuè ſpiritualem recipere quemlibet articulum. Exemplum de ſpirituſancto, quo nihil indubitabilius & ſine ſexu, latinè hic dicitur ſpiritus, hæc charitas vel ſpiratio paſſiua vel gratia, & hoc flamen, hebraicè hæc ruha, græcè hæc pneuma vel chariſma. Denique Deus ſi per Eſaiam E ſponſum & ſponſam ſe virum & mulierem quæ matricem etiam habeat confitetur. Ita demum dat intelligi ſe per naturam neutram eſſe, per metaphoram apponitur vterque, niſi forte quis ita deſipuerit, vt hermophrodita pro duplici ſexu monſtruoſóque credatur. Epithalamium vocat alterum amorem tanquam virum & ſponſum, non pro ſexu carnis, ſed quoniam eſt potentiæ maioris, ſapientiæ clarioris, influentiæ potioris. Vocat alterum amorem vt ſponſam, non propter debilitatem ſexus quæ non eſt exempli F gratia, in ſapientia increata nec creata, ſed ob quandam fœcunditatem, venuſtatem, iocunditatem allectiuam quibus ſolet mulieri eminere ſibi quaſque tribuit ſapientia. Ego inquit, mater pulchræ dilectionis cum alijs ſonantibus ad prædicta. Deſerat igitur mens epithalamium canens, pallium metaphorarum foris, & nudam charitatem vel amorem introducat, alioquin ſi neſcierit ſe non idoneum, qui cãtet epithalamiũ fateatur.

Epithalamium propriè eſt in via non in termino, in deſponſatione non in conſummato connubio. Concluditur ex præmiſſis hæc in epithalamij noſtri conditio, quæ conſequenter infert epithalamium non requirere confirmatum amorem vel charitatem. Ac perinde datur intelligi quod exultatio epithalamij compatitur ſecum lamentationem & planctum, non minus aliquando quam elegiacum carmen in amore carnali quod elegiacum à miſeria nominatur, quia in littore quot conchæ tot ſunt in amore dolores, ait vnus inſanos amores docere ſe per artem iactans.

Epithalamium Salomonis exprobat quæ mox intulimus, licet in amore diuino videri poſſint indigna. Et quidem de ſaltatione & exultatione, de tripudio geſtienti gaudio, nullus vel ambigit vel malefert ſi ſint in amore diuinali. At verò vis in ſponſa audire lamentationem & planctum. Filiæ Hieruſalem nunciate dilecto, quia amore langueo. Et iterum: Percuſſerunt me & vulnerauerunt me. Quid porrò totus iſte circumitus inquirendo dilectum ſonat, niſi ſuſpiria gemitus & luctum? Vis & hoc audire quod amplius mitteris in dilecto? Vulneraſti inquit cor meum ſoror mea ſponſa. Cæterum dum clamat ad oſtium foris. Caput meum inquit, plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium ſe pati frigus iniuriáſque aëris nonne plangit? Epithalamij canticum non reddit cantantem beatum, niſi in ſpe à qua tamen vt multi poteſt excidere. Hinc eſt profectò lamentatio quandoque non æquabilis, nõ enarrabilis vlli propter timorem repudij, dum tempus aduenerit cubiculi. Nequando forte dicatur illud ei parabolicum de fatuis virginibus imparatis, & clauſa ianua petentibus introitum. Neſcio te. O verbum durum & aſperum. O diſſidium ſola vel leui ſuſpitione recogitatum, amanti ſponſæ non ferendum.

Epithalamium non ita curat aut petit mutuas hic in via conſolationes amoris, quin ad cubiculum æternitatis plus anhelet. Colligitur ex fine canticorum vt ſponſa monita per ſponſum: Quæ habitas inquit, in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Ilico reſpondit. Fuge dilecte mi ſuper montes aromatum. Quis amicum talem & taliter velle crederet ſponſum fugere, nec ſecum eſſe. Deſiderabat cubiculum quale nõ erat in hortis, nec in amicorum turbis, immo ſurſum ſuper montes aromatum quò fugere ſponſum petit, quoniam illuc ſe trahendam mox ſperabat. Amplius & ſi ſponſa delicioſa cupiebat otium cum ſponſo, ſciens tamen voluntatem ſuam eſſe de cura quemque proximorum, præponebat ſui ſponſi voluntatem. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Epithalamium tradit multis ſub metaphoris & circunlocutionibus ſponſam alloqui ſponſum pro conſolationibus recipiendis hic ab eo. Audis quemadmodum petit oſculum, nunc amplexum, nunc trahi poſt ſe, nunc fulciri floribus & ſtipari malis, & ita de reliquis. Cur ita? planè quoniam amor otioſus eſſe nequit. Igneus quippe eſt, ſe prodere geſtit aſſiduè, quærit intima cordis amici penetrare. Nam ſpiritus quidem eſt qui ſcrutatur profunda, qui raptum facit & extaſim in amatum. Rurſus amica quaſi lilium inter ſpinas poſitum, ſi protectionem, ſi conſolationem, ſi recreationem

Digitized by Google

creationem quæſierit in dilecto nemo rectè mi-
rabitur méque iam adeò pro ſe quantum pro a-
mici dilectione. Lætetur cor meum inquit, con-
ſidera finem vt timeat nomen tuum, vt ſcilicet
in amore ſuo fortiori ſtabilitate ſubſiſtat. Nam
delectatio tenet operantem in operatione dicit
Ariſtoteles cum experientia.

Epithalamium nemo poteſt perfecte cogno-
ſcere ſine triplici theologia, ſimbolica, ſed pro-
prio & myſtica. Harum quamlibet tradit Dio-
nyſius. Sed ſymbolicam ſuam latini non habent,
niſi quod guſtum eius dedit vltimo capite cæleſti
hierarchia, tradens intellectum locutionis figura-
lis, quam ſcriptura ſacra transfert ad angelos
quod elati ſunt quod armati, quod lumina ferunt
cum cæteris. Sic in epiſtola quadam de menſa
ſapientiæ. Sparſim verò tam ipſe quam noſtri
ſcripturæ gloſatores exponunt homini ſymbola
quæ Deo tribuuntur per ſimilitudinem ad corpo-
ralia, qualiter fit in hoc toto canticorum libro
nunc de oſculis oris Dei quid ſit nunc de vberi-
bus, de capite, de oculis, de lingua, de genis, &
ita per vniuerſum, quod enucleare, per omnia
non eſt præſentis opuſculi, ſeorſum poterit for-
ſan dari, ſicut de theologia myſtica, quæ prorſus
eſt neceſſaria cantare volenti per amorem duplex
opuſculum hoc illud practicè tradidimus. Epi-
thalamium poterat per theologiam ſymbolicam
& myſticam ad quodlibet genus matrimonij,
cum Deo per amorem ſpiritualiter adaptari, no-
minatim vbi minus videretur ad Chriſti ſpiritum
& ad animam ſuam tanquam ad virum deſponſa-
tum cum muliere ſponſa ſua. Sunt hic multa
ſupponenda quæ alibi iuxta communem theolo-
gię ſententiam tradita ſunt.

Vnum eſt, quod in Chriſto ſecundum huma-
nitatem pars ſeu portio rationis ſuperior, quam
hic appellamus ſpiritum (ne controuerſia ſit de
nomine finis) fuit ab inſtanti conceptionis plenè
beatam, quemadmodum & nunc eſt & erit in ſe-
cula, propterea neque doluit neque timuit, ne-
que ſperauit ſpiritus iſte in æterna beatitudine, v-
bi non erit amplius neque luctus, neque clamor,
ſed nec vllus dolor. Supponimus præterea quod
anima Chriſti quæ nominatur hic inferior portio
rationis, quamuis eſſet eadem res eſſentialiter cũ
ſpiritu, non tamen fuit tunc in termino beatitu-
dinis, ſed habuit ſtatum viæ, ſubiecta paſſionibus
exiſtens, vt dolori, timori, pauori, cum cæteris,
ita tamẽ quod nulla paſſio præueniebat iudicium
rationis ſuperioris minus quam in Adam pro ſta-
tu naturæ primitus inſtitutæ, ſicut & de benedicta
matre ſua fuiſſe confitemur. Adijciamus quod
anima Chriſti pro ſuis quidem peccatis non do-
luit, quæ non habuit, ſed pro noſtris generaliter
quoad ſufficientiam deletionis, ſed quoad effica-
ciam pro ſolis electis membris ſuis. Cum igitur
eſſet animæ Chriſti ad ſuum ſpiritum naturalis ſi-
mul & diuinalis conuerſio ſicut cum concludit
ſtatim perſpicax ſpeculatio, quod anima petebat
crebrò conſolationem ſpiritusſancti, nunc cum
dolores ex obiectis rerum contriſtantium ſenſua-
liter & per realem applicationem in verberibus,
fame, ſiti, frigore, nunc aliquando cum res ap-
prehenſas intẽtionaliter contriſtationem afferen-
tes, cuius peccata erant aliena, quæ per compaſ-
ſionem ſuam fecerat. Eleuet igitur ſe pius ani-
A mus in contemplatione Ieſu Chriſti, in lumine
fidei & euangelicæ narrationis. Conſideret de-
uota pietate animam hanc ſponſam ſpiritus im-
paſſibilis paſſibilem & crebrò patientem, ſi pro
conſolatione dilectiua. ſuſpirabat ad ſpiritum:
Oſculetur me oſculo oris ſui, cum multis ſimili-
bus conſolationis refrigerium ſonantibus vt illud
nominatim. Quis det mihi te fratrem meum ſu-
gentem vbera matris meæ vt inueniam te ſolum
foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.
B Quid ſonabat hæc optabunda petitio, ſi ſpiritum
conſideres lac beatitudinis toto ore, tota ſecuri-
tate, tota dilectione ſurgentem ab vberibus con-
ſolantis diuinitatis tanquam matris ſentiens ani-
mam ad illum felicitatis ſtatum quem nondum
acceperat ſuſpirantem hæc dicere. Dicebat Chri-
ſtus pro hac anima ſua, quam ponere & reſumere
fas habebat. Baptiſmo habeo baptizari, & quo-
modo coarctor donec impleatur? quæ ratio
ſciebat nimirum glorificationem animæ ſubſecu-
turam mox baptiſmum mortis & amplexu non
C amplius diſſolubili gauiſuram cum ſpiritu. Epi-
thalamium traduci poterat ad deſponſationem
ſpiritus exultantis Mariæ cum ſapientia, ſed non
abſque tropicorum cognitione ſermonum per
theologiam ſymbolicam & anagogiarum per my-
ſticam. Gloriatur ſapientia delicias ſuas eſſe cum
filijs hominum, nullam verò reperit ſapientia de-
licias ſuas eſſe cum qua amplius inueniret quam
cum beatiſſimarum beatiſſima & deiformi Maria
quærebat hic complecti in via ſpiritum Mariæ,
D iungere ſecum oſcula per operationes, inſpira-
tionéſque virtutum donorum beatitudinúmque
ſingularum ſub ſpe certa fruitionis iocundiſſi-
mæ ac indiſſolubilis in æternitate, vbi ſuo ſpiri-
tu dum aſcendit, obuiauit quaſi mater honori-
ficata, & quaſi mulier à virginitate ſua ſuſcepit
illum.

Quid porrò dicemus de coniugio ſpiritus dei-
formis beatæ virginis cum ancilla ſenſualitate ſua,
ſub typo vel Agar, vel Bale, vel Celtæ. Nonne
ſenſualitas generare debet ſpiritui prolem virtu-
E tum maximè moralium quaſi in ſeruitute. Neque
enim habet libertatem eſſentialiter, ſed qualem
duntaxat ſibi communicatur à ſpiritu. Super
his itaque coniugijs in eadem perſona humana
grande ſilentium eſt apud expoſitores cantico-
rum, qui de cæteris myſticis plurima diſſeruerunt.
Gregorius & Beda de eccleſia & Chriſto. Nico-
laus de lyra de ſynagoga & Deo. Bernardus
de anima & verbo, & aliqua de humana natura
ad filij ſuppoſitum. Guilhelmus Pariſienſis de
F vtriſque per declarationes & diſtinctiones magi-
ſtrales, per quales vt fertur, ſanctus Thomas hic
inceſſit diſtinguendo multiplex oſculum, multi-
plex vber, & oleum & vnguentum, & ita de reli-
quis quæ dilatant materiam. Origenem non ha-
bemus quem Hieronymus in hoc opere teſtatur
nedum alios viciſſe, ſed ſeipſum. Cæterum
de matrimonio prælati cum eccleſia domina
ſua quam fœcundat ſpiritusſanctus, & ipſe cu-
ſtos eſt eius typo Ioſeph ad Mariam. Rurſus de
coniunctione angelicæ naturæ cum Deo non
legimus expoſita hic per contexta ſeriem canti-
ca.

Digitized by Google

Quid præterea quod amoris lingua Bernardo, teſte, barbara eſt non amantibus, ſed qualis eſt A precor amantibus? ſanè difficilis cognitu per hæc cantica, ſi non eam efferat familiarem diuturna conuerſatio. Occultat enim ſe ſub ænigmatibus & figuris, loquitur per interiectionis vocem nunc incognita, nunc interrupta, nunc de repente ab hoc in alterum, quaſi ſine lege vel ordinis vel propoſiti tenacis vel ſequelæ ſemet träſfert, quãdoque variatis verbis ſenſum retinet eundem, aliquando ſenſus plurimos vnico verbo concludit. Deterret nos hæc conſideratio pleniorem de canticis canticorum tentare ſermonem in B hoc opuſculo tertiæ partitionis, quo theologia poſt hiſtoriam & philoſophiam aſſumpſit originem cantici diuinalis in charitate radicati non completam dare cognitionem, quæ nec magnis voluminibus expletur, addito quod vnctio plus in hoc docet quam lectio, plus deuotio quam demonſtratio, plus deſiderium feruens in affectu quam ſtudium vehemens in intellectu, quamuis vt prænotauimus, aſſidua diuturnáque meditatio ſit neceſſaria, quæ valeſiat cæteris omnibus C curis, impleat illud: Vacate & videte. Et iterum: Guſtate & videte, ducat animam oportet Deus in ſolitudinem, vt ibi loquatur ad cor eius, & lactet eam, & impleat ſolatio cum germine ſancto.

Concludentes ad extremum dicamus quod in amoris hoc cantico & exercitio, ſupra quodlibet aliud verſatur luſus noſter parabolicus puerorum in foro, qui nunc ad ſaltum, nunc inducit ad lamentum. Primum ſub conſummandi ſpe coniugijin gloria. Alterum ſub formidine perenna- D lis repudij, vt exultatio ſit cum tremore. Planè timor inſtar chordæ ſonantis vbi cor viciſſim ſpe dilatatur, mox timore conſtringitur. Hoc autem agere eò facilius philocaptus in amore Dei quò ad exemplum amoroſiſſimi Auguſtini, altius myſteria diuinitatis, & familiarius miſeriam humanæ fragilitatis fuerit perſcrutatus, dum neſcit homo qua diſtinctione quod agit iudicetur, nec quo fine terminetur. Væ etiam laudabili vitæ hominum ſi ſemota pietate iudicetur. Hinc Auguſtino E fuerunt profundiſſimæ pro pia matre lachrymæ. Hinc ſibi iam ſeni fuerunt lachrymæ panes die ac nocte, amariſſimam quam legitur & lugubrem præ cęteris ſuę ſenectutis iam penè extremam duxiſſe vitam.

Crediderit aliquis forſan hoc Auguſtino propter obſidionem propriæ ciuitatis eueniſſe, multo amplius propter iudiciorum Dei formidinem anxiebant arbitror, ſciens non magnum eſſe ſi cadunt peritura mœnia, & ſi moriuntur morituri, F conſiderabat quod lætitiæ & triſticiæ pro temporalibus vanæ ſunt, & nihil ſi conferantur æternis. Erat nihilominus in pace mentis amaritudo ſua amariſſima in ſumma deſperatione ſummæ ſperans. Poſſet ex præmiſſis gamma myſticum quod in quinque voces affectuum ſecundum quinque vocales literarum alibi diuiſimus ad tres reduci velut in trigono ſeu in trichordo ad exemplar aliquid beatiſſimæ Trinitatis. Timor cum mæſticia oriens ex conſideratione patris reprobantis. Spes cum lęticia ex conſideratione verbi redimentis. Pietas ſeu compaſſio ſui & aliorum ex conſideratione ſpiritusſancti ſubinde conſolantis.

Vnde verſus:

Spes timor & pietas reſonant in carmine cordis,
Tres & ad has voces gamma referto nouum.
Dat ſpes diſcantum mollem, tremor eſt tenor atque
Vt contra tenor eſt compatiens pietas.
Cor aſsiduè cordas ſymphonia concors.
Hinc fit eique chorus concinit angelicus.

Ita tandem oportet gaudere cum gaudentibus & flere cum flétibus, niſi noluerimus improperium ferre quale notauit Chriſtus aduerſus reprobam Iudæorum generationẽ ſub parabola puerorum in foro clamãtium. Cecinimus vobis, nec ſaltaſtis, lamentauimus, nec planxiſtis.

Secundum opuſculum.

OPuſculum iſtud de cantichordo.i. de cantico cordis, habet tres tomos.i. diuiſiones vel tonos principales cum notis & notulis. Notę ſunt conſiderationes ſpeciales. Notulæ verò particulæ ſingulares. Primus tomus continet proœmium cum deſignatione quale fuiſſet monacordum in ſtatu innocentiæ, & quale eſt in ſtatu virtutis perfectæ, vt in Chriſto fuit, & Mariã per nouem notulas. Ponit vlterius differentias cantici cordis ad canticum oris cum diſtinctione cãtici noui hominis ad veterẽ per decem notas ſeu notulas. Ponit conſequẽter dubitationes multas circa præſentia, quæ ſoluũtur per reliquas.xxxiiij. notulas. Secundus tomus deducit principaliter quod eſt ponendum canticordum docens quid ſit deſcriptiuè: & quemadmodum habere dicet ſuum gamma, & qualiter fuit in Chriſto & Maria. Continet. xij. notas ſecundum conſiderationes totidem ſpeciales principales, & in vniuerſo notulas.xviij. ſingulares. Tertius tomus inſtituit non abſque circumitu qualiter gamma formetur pro canticordo, continens notas & notulas, quæ ſe legentibus offertur ſatis planè.

Primus tomus.

BEati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Verbum habituri de canticis per theoriam & praxim. Modo præcipuè de canticordo quod eſt verbum Dei in cordibus noſtris. Quale potuimus exordium conuenientibus aſſumere, quam à verbo verbi Dei, quã à principio de principio, quam à Dei ſapientia per quam cõdita ſunt omnia, & ſine qua facere non poſſumus quicquã. Quæ ludens erat cum patre, dum cuncta componeret, cum ipſum laudarent aſtra matutina. Hæc eſt ſapientia quam auris bona audiet cum omni concupiſcẽtia. Aperiat igitur aures noſtras, ſonet & expediat verbum Dei cuius totiens iſta fuit exhortatio. Qui habet aures audiendi audiat. Auris itaque cordis intelligens. Quibus non apertis ſumus iuxta peruerbium, aſinus ad lyram, quia nullam in harmonia verbi Dei dulciorem ſuper mel & fauum ſuauitatem inueniemus. Porrò ſi repletum fuerit cor noſtrum verbum Dei, fiet quod ab eo dicitur. Ex abundantia cordis os loquitur, abundet ergo bone Ieſu, cuius os hic loquitur & eructat cor iſtud verbũ bonũ. Abũdet igitur obſecro ſpiritus tuus bonus in pauperculo corde

Digitized by Google

corde meo,& impleat illud,vt detur ſermo in a-
pertione oris mei,& ſẽper ſit laus tua in ore meo,
compleatur in me monitio tubæ apoſtolicæ, qua
afflatu tuo abundanter impleta, nobis omnibus
inſonuit & cecinit, hortans, docens & interpre-
tans verbum Chriſti ait: Habitet in vobis abun-
danter in omni ſapientia commonentes & do-
centes voſmetipſos in pſalmis & hymnis & can-
ticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus
veſtris Domino. O verbum Chriſti immo ver-
bum Chriſtus quod erat in principio apud Deum
& Deus erat verbum, & verbum caro factum eſt.
Veni Domine Ieſu habites in corde meo abun-
danter, & ſi non in omni ſapientia, ſaltem per fi-
dem quæ per dilectionem operetur, vt docere &
commonere valeam me primitus, deinde proxi-
mos meos filios tuos, in pſalmis, & de pſalmis, in
hymnis & canticis ſpiritualibus, vt ſimus in gra-
tia cantantes tibi Domino in cordibus noſtris,&
gratias agentes pro omnibus tibi & patri. Cantet
ecce quotidie vocibus crebris vehementer auri-
bus noſtris ſpiritus tuus bonus per ora propheta-
rum, tua organa perſonans: Cantate Domino
canticum nouum. Et rurſus: Cantate & exultate
& pſallite. Et iterum: Pſallite Deo noſtro pſal-
lite, quoniam rex omnis terræ Deus, pſallite ſa-
pienter. Hæc autem exhortatio millies repetita,
nullo modo prorſus exequi poterit os noſtrum,
niſi primitus impletis cordibus veſtris. Quoniam
ex abundantia cordis os loquitur in canticis.

Quam felix illa ciuitas in qua iugis ſolemnitas,
vbi vna vox lætantium & vnus ardor cordium,
quæ plena modulis in laude & canore iubilo va-
cat, videt, amat cantat, in æternum pleno corde,
toto ore. Felix nihilominus homo qui factus eſt
rectus, ſi non immiſcuiſſet ſe peccando quæſtio-
nibus infinitis, non de paradiſo voluptatis & can-
ticis angelorum detruſus eſſet in vallem lachry-
marum, in væ lamentationis & planctum. Qui
iam comparatus iumentis inſipientibus, & ſur-
dior illis factus, cor fere ſicut Nabuchodonoſor
habet, vt audiens non audiat, & intelligens non
intelligat. Formauerat itaque Dei ſapientia ad
ſimilitudinem maioris mundi corporalis corpus
hominis, in cuius medio poſuit cor, inſtar ſolis in
cœlo. Compoſuerat illud tanquam inſtrumẽtum
vel organum muſicum temperatiſſimè concor-
datum in quo & per quod ſpiritus humanus tunc
vtique pſallẽdi peritiſſimus vtpote plenus verbo
Dei cantabat iocundiſſima cantica Sion cœleſtis
Hieruſalem, nec erat diſſonum quicquam in pul-
cherrimam omnia conſonabant melodiam, quo-
niam nihil erat vt hic & nunc obuiam rationi, ſub
cuius imperio cuncta erant, quemadmodum po-
ſtea fuit in organo corporis beatus illius, de quo
mulier quædam extollens vocem de turba dixit:
Beatus vẽter qui te portauit, beatus profectò, quia
per omnia ſubditus erat verbo Dei, cõcors quoq;
rationi, concors inſuper ſine differentia ſibijpſi.
Cognouerunt hãc ineſſe debere cõſonantiã hu-
mano cordi philoſophãtes aliqui, ſicut Ariſt. tra-
dit, quod in virtuoſo omnia conſonant rationi.
Quid autẽ magis huiuſmodi propriũ eſſe debet
quam ratio, quam viuere communiter ſecundum
eam, & eidem conſonare. Puto autem nullum
talem inuenerat Ariſtoteles virtuoſum, vbi non
frequentius diſſonaret vetus homo, rationi
A corpus videlicet mortis huius, ſed ita voluit non
quales videbat, ſed quales eſſe debere eſſe cenſe-
bat, philoſophus iſte clariſſimus deſcribere, dum
felicitatem venatur humana natura. Porrò nullus
vnquam philoſophantium & perſcrutatorum
ſeculi potuit attingere, vnde eſſet diſſonantia ta-
lis in homine quam heu cogimur ſentiendo fate-
ri, ſola fides hanc ex peccato primorum parẽtum
veniſſe reuelat. Et hoc altero duorũ modorũ po-
nitur à ſanctis. Vnus eſt quod iuſtitia originalis
erat integritas inſtitutæ naturæ humanæ à Deo,
B cuius perfecta ſunt opera, qui animæ immortali
corpus aptauerat potes nõ mori, & per cõtẽperãs
rationi. Ponũt alij iuſtitiam originalẽ fuiſſe habi-
tum quendã additũ quo fiebat talis coaptatio ad
rationem, quamdiu ratio ſubdita eſſet Deo, qua
iuſtitia ſublata, ſenſus velut effrenes abſq; retina-
culo proruerunt in obiecta ſua ſpreto nec expe-
ctato regimine rationis. Grandis aperta eſt cõqui-
ſitionis tam philoſophicæ quã theologicæ mate-
ria, ſed ad rem quam attẽdimus, accedat protinus
C cor noſtrum & os noſtrũ, tradere. ſ. notitiam can-
ticordi. i. cantici cordis, vnde procedit canticum
oris, quorum differentias adinuicẽ primo ſi nota-
uerimus patebit quidditas ſeu natura diutius v-
triuſque, quomodo prętereà verbum Dei verum,
affirmat quod ex abundãtia cordis os loquitur &
cãtat. Canticum oris eſt vox ſenſibilis numeroſa
ab auditu exteriori propriè perceptibilis, ponitur
vox pro genere & numeroſa iungitur quaſi pro
differentia ad voces, nullam habentes numeroſã
proportionẽ. Additur tertia clauſula propter vo-
D ces cordiales intrinſecas & intellectuales, quæ
percipiuntur aure cordis vel intellectus, prout
ſcripturis ſacris & philoſophicis locutionibus tra-
hi poteſt. Habemus ſic primam præcipuam diffe-
rentiam à canticordis quę eſt vox interior nume-
roſa ab auditu ſolo interiori propriè perceptibi-
lis. Canticum oris cõuenit animalibus præſertim
auibus in quibus numeroſa vox inuenitur, ab au-
ditu exteriori propriè perceptibilis. Teſtatur hoc
philomela, hoc alauda, hoc carduellus, hoc turtur
E & hirũdo, cignus & alia multa. Colligimus hic ſe-
cundũ differẽtiã à cãtico cordis maximè rationa-
lis & humani, de quo præſens eſt inquiſitio. Vnde
quamuis auibus concinentibus ſicuiq; ſuum cor
ſit & imaginatio quædam ſeu phãtaſia numeroſa
quæ ſe monſtrat exterius, ſit denique multiplex
paſſio, nihilominus ad canticum noſtrum cordis
ſiue canticordum non attingunt. Hic aſpicimus
quod paſſiones & ſenſus ſunt in irrationabili-
bus determinatè per obiecta ſua, & vniformiter
F operatur quodlibet indiuiduum ſuæ ſpeciali.
Non enim cantat aliter vna philomela quam alia,
ſic nec aliter facit nidum ſuum. Secus in homine
cuius ratio non eſt ad vnum limitata, vnde tanta
varietas in humanis oritur. Nam quod eſt ſpar-
ſum per induſtrias ſingulares in brutis, ratio col-
ligit in ſe totum. Canticum oris poteſt ab altero
cognoſci & percipi & iudicari. Canticum verò
cordis ſolus ille quierit innoteſcere mediatè vel
immediatè. Faciat ad hoc illud apoſtolicum: Tu
Domine qui noſti corda omnium. Et illud Deus
intuetur cor, cum multis in hãc ſententiam. Qua-
liter autẽ pateat cor hominis vel hic vel in patria

prima, tam angelis quā ſanctis, ſeu locutione mutua, ſeu orationis directione deuota, alibi videtur. Canticum oris poteſt cum altero cantico oris per concinentes adinuicem combinari, ac in vnam colligi ſymphoniam, hoc in diſcantibus per tenorem, per contratenorem per municias & per fractiones vocum multifarias. Et experientia monſtrat, & ars certa tradit & ſcribit. Hæc autem omnia fieri non poſſunt ſaltem hic in via per homines foris in cantico cordis, conſurgat perinde difficultas cognitionis canticordi apud eos qui non conuertuntur ad cor, ſed ab eo negligentia vel ruditate vel imperitia diuertuntur. Canticum oris poteſt inuito fieri, qui apertis auribus velit nolit illud audiet, aut ſi conſiſtit in geſticulationibus vt ſunt tripudiationes, illud inſpiciet niſi tūc oculos clauſos habuerit. Canticum verò cordis aliter (vt præmiſſum eſt) non percipitur immediatè ab auditu vel intuitu, etiam ſi conatum ſuū dederit ad audiendum vel videndum, poſſunt nihilominus coniecturæ quædam ſum quemadmodum ex occurſu faciei, ex oculorum nutu, ex geſtu corporis cor ſe prodit. Canticū oris poteſt fieri ſine libero arbitrio per motum naturalem vel animalem vel extrinſecum ſeu alienum, patet in auibus, patet in pueris & alijs nondum habentibus expeditum iudicium rationis. Noſtrum verò canticordū quale perquirimus, ſola producere poteſt libertas arbitrij, vbi voluntas præmonet & inclinat, ratio deliberans ordinat & imperat. Tandem volūtas exequitur & effectui mandat. Sancti perinde cōcordantur, dum vnus attribuit (exempli gratia) orationem voluntati, alius rationi. Sic præterea dum vnus dicit orationem & cantica per virtutes intellectuales, alius per morales, alius per theologicales, alius per dona cauſari. Siquidem nullum eſt canticum quod non poſſit à virtute qualibet imperari. i. mediatè cauſari. Ita enim videmus in omnibus actibus bonis, ſed immediata productio & elicitio ſuam habet propriam virtutem vt ſperare ſpem, diligere charitatem, orare Deum, vt ſibi canere religionem, quæ ſpecies eſt iuſtitiæ. Canticum oris de ſe indifferens eſt ad bonitatem vel malitiam de genere moris, datur ratio, quoniā de ſe & intrinſecè non eſt actus liber, propterea ſi dicitur bonus moraliter aut malus, laudabilis aut vituperabilis, oportet quod hoc recipiat aliunde, & hæc differētia ſequitur ad præcedentem. Sed canticocordis damus laudem aut vituperium, tanquam ſit à libero arbitrio elicitiuè, & perinde eſſentialiter & intrinſecè liberum eſt huiuſmodi canticordum. Nolumus tamen ab actibus humanis extrinſecis tollere laudem vel meritum, ſed hoc habent ex participatione & origine primæ libertatis. Canticum oris poteſt violenter elici ſci. ab extrinſeco non conferente vim paſſo, & ſaltem diuina virtute. Secus inuenies in noſtro cāticordo ad ꝙ voluntas cogi nequit. Implicat enim quod actus cordis humani ſit elicitus libere, & reſpectu eiuſdem ſit violentus, iam voluntas patiens vim conferret nec conferret in actu, quod implicat. Canticum oris eſt ſubiectiuè in re materiali & extenſa, ſiue ſit, ſiue non ſit organica. Subiectum verò noſtri canticordi, eſt in ſolo corde rationis, ſiue ſit portio ſuperior & quaſi vir, ſiue inferior quaſi mulier, ſiue in quadam ſcintilla & apice intelligentiæ puræ quam mentem A aut ſynderesim quidam appellant. Sed vbique ſuum elicit canticum, ſine vſu corporalis organi requiſitio, quamuis ad phantaſmata prius aſpexerit, & ex illis ſpecies intelligibiles abſtraxerit. Et hoc ſi non fit ex alto, virtute verbi Dei colluſtrantis immediata reuelatio. Canticum oris ſpectat ad veterem hominem, canticordum verò noſtrum pertinet ad nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non duntaxat in veſtigio. Sequimur B hoc loco conſiderationem apoſtoli de bipertito homine in quolibet viatore, cuius intelligentiam & myſteriam nunc ex hic ſupponimus, dicentes conſequenter tot eſſe differentias aſſignabiles inter canticum oris & noſtrum canticordum, quot & quantas apoſtolus aſſignauit inter noſtros homines, hunc veterem, iſtum nouum ſub vna & in vna hominis naturali perſona, vt quod vetus tyrannizat lege carnis & peccati, quod obuiat & diſſonat rationi, quod legi Dei ſubiectus non eſt, quod captiuat nos ſub iugo C peccati, & ita de reliquis. At nouus agitur, ducitur & regitur ſpiritu libertatis & iuſtitiæ, & adoptionis filiorum Dei, & ſpe hæreditatis æternæ. Collocato tenore dicendorum, conſequenter notulemus nunc reſpondendo obiectionibus, nunc noſtra ponendo. Habent in primis dubitationem ea quæ dicta ſunt de cantico cordis quod diſtinguitur à cantico oris, quia poteſt fieri ſine eo, cum dixerit Chriſtus, quod ex abundantia cordis os loquitur. Cum præterea D certum ſit nullam vocem quæ eſt ſonus ab ore animalis prolatus, fieri ſine corde quod eſt principium vitæ & motus. Reſpondemus quod vbique ſunt in aliqua diſciplina ſeu veritatis cognitione diuerſi termini quorum quilibet habet acceptiones multiplices ſeu per analogiam ſeu per æquiuocationem, reſtrictio vel limitatio poteſt & dum primitus fieri vel ſupponi ad certum aliquod ſignificatum, alioquin incideret ſtatim confuſio & ex confuſione deceptio ſeu ſophiſtica paralogiſatio. Propterea ſi debet in primis præſupponi quid nominis ſicut debet, oportet conſe- E quenter illud eſſe certum, vel quia ſic vult impoſitor, cum nomina ſint ad placitum, vel ex vſu autentico maiorum colligitur. Fatemur itaque cor dici multipliciter & ad multa, ſimiliter os. Placuit nihilominus ex cauſis impoſitis coarctare ſermonem modo qui dictus eſt vt cor ſignificet hic in homine liberum arbitrium rationis. Os vero notet organum carnis, quamuis etiam cor ita ſumptum habet ſuum os intrinſecum, vt ibi, labia do- F loſa in corde, & corde locuti ſunt. Os carnis pari modo ſuum os habere inuenitur, vt ibi. In ore fatuorū cor tuorū. Conſequenter notandū eſt iuxta diuiſionem apoſtoli de duplici homine, nouo & veteri, quod duplex eſt in genere canticum, vnū nouū, vetus alterū. Quæ diſtinctio ſumitur penes virtutē & vitiū, cœleſte & terrenum, ſpirituale & carneum, liberū & illiberum, gratiā & peccatum, meritum & demeritum, charitatem & cupiditatem, vel amorem Dei, vel amorem, ſui, quem dicimus libidinem. Quo fit in canticis vt quicquid ſpectat ad virtutem immediatè vel mediatè, elicitiuè vel imperatiuè, intrinſecè vel extrinſecè, eſſen-

Digitized by Google

eſſentialiter vel denominatiuè; illud computetur inter cantica noua aliud autem ex aduerſo vetus reputetur. Colligitur huius diſtinctionis rationabilitas ex apoſtolo locis plurimis. Et quia Chriſtus dixit: Et verbis tuis iuſtificaberis, ecce nouitatem. Ex verbis condemnaberis, ecce vetuſtatem, quæ duo tamen à cordis abundantia procedunt. Stabit igitur quod ſimile canticum ſit in ore vnius nouum & in altero vetus, immo ſunt in eodem ore tempore & corde mutatis.

Cur autem iſta notamus? niſi pro cognoſcenda verius diſtinctione cantici cordis à cantico oris, quæ non ſic accipienda eſt, vt non plerumque conueniant, & ſit aliquod canticum oris nouum, licet non intrinſecè vel illicitiuè. Sit præterea canticum aliquod cordis vetus dum vltro peſſimas machinatur cogitationes, & ab eo exeunt iuxta verbum Chriſti cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, ſuperbia, ſtultitia. Vides quam prauam cor tale quam diſſonum & horribile?

Opponetur hic forte nobis de pueris qui nondum habent vſum cordis intellectualis, quod eſt iudicium liberum rationis. Nonne ſequi videtur ex prænotatis, nullum in ipſis eſſe canticum nouum, neque vetus plus quam in beſtijs & auibus cum tamen Chriſtus approbans cantica puerorum Hebręorum confirmauerit dictum ſuum auctoritate prophetica: Ex ore infantium & lactentium &c.? Proinde fruſtra ponerentur in eccleſijs pueri, qui tamen videntur gratiſſima portio chori canentium. Quid iterum dicemus de beato illo infante Ioanne baptiſta in materno vtero geſtiente, ſaltante & exultante? Nonne fuit iſta ſpiritualium nouitas gaudiorum, cui mox concinebat mater exclamans voce magna: Benedicta tu in mulieribus? Canticum inſuper addit ſuum Maria dicens: Magnificat anima mea Dominum. Fuit planè nouitas in huiuſmodi beato puero cum nouo cordis. Aut quia præacceleratum eſt in ipſo iudicium rationis, aut quia ſpiritus Chriſti mouit cor neſcientis ad exultationem nouitatis. Sic de pueris Hebræorum, immo & de propheticis viris, & de ipſis etiam apoſtolis die Pentecoſtes dici poteſt dum diuina patiebantur, prout de Ierotheo loquitur Dionyſius dúmque rapiebantur, ducebantur, agebantur, à bono ſpiritu vehementius quam agebant. Quo contra de veſana vate dicitur, in malum dat ſine mente ſonum. In illa ſiquidem & ſimilibus ſpiritus pithonicus non erat ſubditus illis, quemadmodum de prophetis affirmat apoſtolus, quod ſpiritus eis ſubiectus eſt, ſubiectionem intelligit non ſeruitutis, ſed condeſcenſiuæ pietatis, vt Chriſtus Ioſeph Mariæque ſubiectus. Cæterum de pueris alijs ſpecialiter non inſpiratis, cantantibus tamen in eccleſia Deumque laudátibus, quid dicemus? Nunquid damnabimus, vel inter vetera quaſi ſolius oris ſint aut carnis numerabimus? Poſſet quoniam fieri quæſtio de muſicis organis tam in veteri quam in noua lege, ad diuinas laudes cantandas ordinatis, de carminibus, denique quæ nõ intelliguntur vt ſæpius à multis cantantibus qui ſunt ſine literis idiotæ. Suppetit hoc loco neceſ-

ſaria conſideratio de libertate actuum, quam alibi A latius expoſitam breuiter hic recenſemus. Eſt itaque liber actus ille ſolus formaliter & intrinſecè, quia eligitur à voluntate libera formaliter & eſſentialiter, & tale eſt cantichordum noſtrum. i. canticum cordis, prout expoſuimus quod repoſitum eſt in organo cordis & dicitur eius abundantia.

Quiſquis igitur in has forte literas incideris, vigili corde ſemper intellige coaptationem hanc noſtram de corde, ad ſignandum duntaxat liberum ſpiritum humanum, quamuis inueniatur di- B ctum cor carneum & lapideum, ſed apud nos cor dictum de ſpiritu ſecundum conditiones ſuas arbitremur. Sunt alij actus qui dicuntur liberi participatiuè eo quod imperantur à voluntate libera, & hoc diuerſis ordinibus vel gradibus proximis aut remotis in ordine ad ſpiritualis cordis imperium. Exemplum in cantico quod elicitur primò à mente cordis, hoc enim verbo vtitur Maria in ſuo magnificat. Deinde formatur in corde carnis per imaginatiuam virtutem, canticum ſimile per C imperium voluntatis. Procedit deinceps ad ſenſus exteriores præſertim ad os vbi fit ſonus vocalis, aut progreditur vſque ad percuſſionem inſtrumentorum muſicorum in quibus fit reſonantia, quæ licet fiat in rebus non animatis, nec vllo modo libertatem habentibus, dicuntur tamen hæc cantica libera, quia ſunt ſaltem mediatè libero imperata. Exemplum de ſagitta quam ad occiſionem hominis miſſam, dicimus liberè moueri, probatio, quia mors inde ſecuta liberè facta D iudicatur & punitur. Quocirca patet reſponſio cur poſſunt inter cantica noua numerari, immo & dici meritoria multa quæ carent ſenſu, quanto amplius ea quæ cum aliquo ſenſu fiunt, & cum quadam inclinatione ſpõtanea, non ſicut in pueris eſt, nam & bruta participant aliqua tali ſpontanea licet non libera motione, quia non ita prorſus aguntur quin coagant. Tanta denique viget in aliquibus æſtimatiuæ virtutis claritas, vt participes eſſe libertatis & diui hauſtus (vt de apibus poëta dicit) videantur. Et vnde hoc ſi non ex lege E diuinitatis à Dionyſio tradita, quod infimis ſuperiorum coniunguntur ſuprema inferiorũ. Quemadmodum igitur conuenit ſpiritus humanus cum angelis in apice mentis ita & brutalis cognitio cum hominis imaginatiua virtute. Placet vltra progredi, videbimus quòd nulla penitus operatio in vniuerſo quantumcũnque naturalis habeatur, quin relata ad primum principium dicatur & ſit libera tãquam ab eo liberrimè producta. Et ita quælibet operatio laudabilis eſt & collaudanda. Sicut eleuati prophetæ conſiderantes omnia in F ordine ad ſuum principium, collaudare dixerunt ipſum Deum, & ad collaudandum & benedicendum congratulando complacendoque ſunt hortati. Quæ conſideratio quàm latè pateat ad cantica cordis noſtri, ſciet cor illius, qui ex ſententia dicet cum propheta: Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum.

Quale Salomon dicitur habuiſſe latum nimis. Quanto amplius illa beatorum beatiſſima cui cõueniebat illud Eſaiæ: Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quæ in omnibus & ſuper omnia videbat & audiebat cantan-

tem filium ſuum Dei verbum. Inuenimus præterea rationes alias in pueris cur ad eccleſiaſtica A cantica mancipantur, quamuis nondum plenus ſit in eis vſus rationis, primò quia tollitur otium iners, quod multa mala docet. Dehinc habitus tonus facilius acquiritur, recondit inſuper memoria ſibi cantica quæ poſtmodum melius intelligentur, dum quaſi ruminanda deducta fuerint ad dentes piæ meditationis & iudicij rationis. Videmus ita fieri circa diſciplinas alias, vt in grãmatica pueri commendant donatum, cuius nulla eſt in ipſis tunc intelligentia. Adde quod aſſiſtentes magni recipiunt huiuſmodi cantica pue- B rorum ad eleuationem mentis in Deum. Faciunt inſuper illa cantica ſua eſſe, dum ea vel percipiunt vel inſtituunt, vel approbant, vel ipſis ſemet afficiunt, quamuis non eſt omnino tollendum qualecunque meritum ab ipſis pueris qui gratiam baptiſmalem habent, & quorum angeli ſemper vident faciem patris, qui deniq; parui non paruo quandoque affectu feruntur in Deum, ſicut de ſe refert Auguſtinus. Nam euenit ibi eſſe plus affectionis, vbi minus cognitionis naturalis po- C ſitum eſt. Patet in animalibus & fœminis.

Caderet hic querimonia nullis pro ſua indignitate verbis explicanda, de peſſimis ſeductionibus puerorum, quorum puritas vt angelica venerari ſeruarique deberet, quos ad cantica modeſta ſanctáque, iuxta etiam philoſophi traditionem oportebat inſtitui. Sed væ & væ carni & ſanguini, quoniam præter & vltra corruptionem naturalem peruerſæ originis gaudet malignans flagitioſitas maiorum demergere collo tenus paruu- D los in ſcœnorum gurgitem verborum, factorum & canticorum. Conſolatur tamen Apoſtolus electos Dei, quibus dicit omnia cooperari in bonum, miris prorſus & incomprehenſibilibus modis. Et quemadmodum de veneno componitur theriaca, ſic perdito malorum ſaluatio fit electorum. Fit demum operatio eadem (vtputa canticum oris puerilis) vni ad vitam, alteri ad mortem, ac proinde diuerſis reſpectibus idem canticum vita & mors nominatur.

Surgit alia dubitatio, ponendo differentias E cantici cordis & oris. Dictum eſt canticum cordis eſſe liberum & intrinſecè, ac proinde laudabile & in noſtra poteſtate. Videtur experientia contradicere, cum quærelis deuotorum frequenter lamentantium illud de pſal. Cor meum dereliquit me. Nam cur pro magno & præcipuo dono loquitur Dauid ad Dominum: Inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oraret te, ſi paſſim omnibus hoc concedi videret. Superadditur obiectis non minus plenus murmuris apud mul- F tos, dicitur enim: Si canticum cordis ſufficit apud Deum, cur addita ſunt tot cantica oris quæ corpus atterant ſui multiplicatione, & mentem diuertunt à ſua deuotione, & non niſi faſtidium frequenter ſua repetitione nauſeanti cauſant. Eſt alia quæſtio ſuper modo traditionis noſtræ de cantichordo nouo, quod videtur ſua nouitate vel arrogans vel inutiles, vel conficta vel verboſa.

Veruntamen expediamus duas antea propoſitas dubitationes, & dicamus ad primam de libero vſu cantichordi noſtri, quod intelligimus cum præſuppoſitione & non aliunde, ſcilicet impedito & abſorpto, ſed ſtante iudicio rationis. Nam & arbitrium dicitur liberum de ratione iudicium. Hoc autem impedimentum fit aliquando non imputabiliter ad culpam ex toto & quandoque ex tanto, modi quoque cauſantes hæc impedimenta alibi traditi quærendique ſunt. Cæterum ſtante iudicio rationis poteſt nouus homo regeneratus in Chriſto libere canticum nouum cordis exercere vel elicere modo tali aliquo qualem notabimus ſecundum voces & per voces affectuum, etiam vbi canticum oris nullum ſequeretur, alioquin apoſtolica monitio tam Pauli quàm Iacobi fruſtra eſſet.

Hoc autem fieri ſemper poſſe idcirco quibuſdam non apparet, quia vel non ſentiunt huiuſmodi affectiones in corde ſuo carnali, quales dictæ ſunt & poſitæ ſunt paſſiones à philoſophis quaſi ſolæ, vt ſpes, metus, mœror, gaudium, aut oppoſitas voluntati ſuæ paſſiones, tales ipſi patiuntur inuiti.

Hæc eſt fatemur non mediocris neque irata conquæſta timoratarum quoque conſcientiarum vehemens excogitatio. Cui ſub vnius caſus exemplo conabimur reſpondere, aperiendo dicendis infra viam.

Celebriter quæritur & paſſum à theologicis, ſi dolor contritionis de peccatis debet eſſe maximus, & ſi minus eſſe poteſt? Notant ipſi diſtinctionem vtilem & accommodam valde pro cantichordi noſtri totius intellectu. Eſt inquiunt dolor aliquis in ſola ratione, qui libero ſubiacet arbitrio. Dolor iſte eſt diſplicentia vel odium vel deteſtatio ſic elicita cum gratia ſufficit ad deteſtationem peccati, ſuppoſito quod nullus in corpore dolor ſequeretur. Attamen dicitur dolor de peccatis & dolor maximus qui de nulla re altera temporali tanta deteſtatio elici debet à corde rationis, ſicut nullum eſt damnum pœnæ quod æquipararetur damno culpæ. Dolor alius eſt quem philoſophi numerant inter paſſiones concupiſcibilis ſenſualis, qui conſurgit ex apprehenſione obiecti diſconuenientis ipſi ſenſui corporali, habet hic inſuper cauſari cum motu ſpirituum & conſtrictione cordis. Hunc vtique dolorem non oportet eſſe maximum in pœnitente, immo nimius & culpabilis eſſe poſſet, vtpotè cordis ſenſualis & corporis deſtructiuas. Porrò non eſt ſecundum hunc dolorem menſuranda ſemper bonitas pœnitentiæ. Cuius ratio eſt, ſtat enim duos eſſe & ſæpe videmus quorum vnus ex complexione naturali cor habet ſtrenuum & virile, nec lachrymis idoneum, ita vt vel vix vel nũquam flere poſſit. Erit alter cordis fœminei, mollis ad omnem miſerationis occaſionem lachrymis laxum vel pronum. Primus eliciet deteſtationem peccati ſui intenſius in animo, fortius & laudabilius in caſu quàm alius, nec apprehendet illum ſapientis verbum: Cor durum malè habebit in nouiſſimo. Iam enim talis peccata deteſtans propter durum, non durum cor habere, ſed mollè dicendus eſt, fit tamen vt ſæpe redundantia doloris cordialis in corpus, niſi ſiſtat ſe liberè mens ne fluat in inferiora, ſicut in Chriſto fuit, ſicut poterat

poterat Adam, ſicut Maria nullum habens motum præuenientem iudicium rationis,imperabat vt placebat in corpus.

Eliciuntur ex hac diſtinctione magiſtrali & autentica,vulgata, probata receptáque ſalubres & pulchræ conſiderationes. Primò quod nomina ſenſibilium paſſionum transferuntur rationabiliter ad affectiones voluntatis ſignificandas. Hoc confeſtim perſpicuũ eſt de dolore de quo minus quàm de pluribus alijs apparet. Et hoc diffuſe deduxit Auguſtinus in ſuo ciuitate Dei diuerſis libris & capitulis, maximè dum longam de opinione Stoicorum ex hiſtoria Agellij texit orationem ſumpta occaſione de paſſionibus dęmonum ſecundum poſitionem Platonicorum, nominatim Apulei, qui deſcribens dæmones dixit eos eſſe animalia corpore æterna, animo paſſibilia, omni videlicet genere paſſionum, quales in hominum cordibus experimur. Ac proinde nititur ſaluare ſuperſtitiones gentilium & ſacrificia & carminationes, quoniam dixit dæmones talibus allici vel placari. Cæterum Auguſtinus concludens ex hac miſerabili conditione damnationem dæmonum peruerſiſſimam plus quàm hominum etiam peſſimorum, hinc redit ad rememorationem duarum ſectarum. Vna fuit Stoicorum, quæ paſſiones ponebat in ſapientem cadere nõ poſſe, quoniam erat virtuoſus, virtutes autem inſenſibilitates,quia ſenſum prohibent paſſionum. Secta fuit altera Peripateticorum, quæ non damnabat paſſiones omnes, nec à virtuoſo prohibebat ſi fierent moderatè. Concludit tamen Auguſtinus diſputationem hanc magis eſſe verbalem de nominibus paſſionum, quàm realem de ſuis affectibus. Fallebantur autem Stoici, quia ſolum conſiderabant in homine rationem, nec aliquid habere debere quod eſſet commune cum corpore credebant. Deceptus eſt è contra ſtultus Epicurus, nihil in homine more Saducæorum præter corpus attendens, & dicens in corde ſuo non eſt Deus.Fides verò conſonat illuminatæ rationi Ariſtoteles ponit in homine animam rationalem & corpus organicum, hæc ſunt prout hic loquitur ſpiritus & caro. Fuerunt apud nos præcipui duo theologi,quorum vnus magis inſecutus philoſophiam Ariſtoteles, tradidit mina paſſionum non propriè dici de affectibus ſpiritualibus.

Alter plus hærens Auguſtino, tradidit in ſpiritu rationali ſic inueniri concupiſcibilem & iraſcibilem voluntatias ſecũdum propriam theologorum acceptionem, quemadmodum in appetitu ſenſuali ſecundum philoſophum.Et hoc abſque dubitatione putamus eſſe verum, quamuis (vt Auguſtinus tradit) fruſtra de verbis vbi de re conſtat nectitur controuerſia. Neqce enim philoſophus ipſe, quanto minus quiuis theologus negat etiam Deo gaudium eſſe, delectationem & lætitiam. Decet enim Deum vna ſimpliciſſima & immutabiliſſima operatione delectari.

Plato quoque dicit Deum poſtquam mundum fabricauit exultaſſe gaudio.Et in ſacris literis gloriatur ſapientia delicias ſuas in filijs hominum. Et quod lætabitur Deus in operibus ſuis, non quidem affectus in ſui mutatione, ſed exterioris A operationis innouatione.

Elicitur amplius ex prænotata diſtinctione tanquam claue noſtra pro cantichordo, quod non ex motu cordis carnalis accipi debet virtutum aut vitiorum, nec reuelationum vinculis hæc certa diſtinctio.

Verè prorſus enunciauit ſapiens: Cor tuum ſicut parturientis phantaſias patitur, niſi ab alto immiſſa fuerit viſitatio. Neque parum formidanda eſt verbi Dei per os pſalmiſtæ commina- B tio: Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis ſui, ibunt in adinuentionibus ſuis.

Quamquam dixiſſe videtur deuotus Bernardus, quod ex motu ſpiritusſancti cordis pœnitentiam agnoſcebat. Quod qualiter intellexerit habeatur ex alijs dictis ſuis & regulis euangelicis, quæ non in motu paſſionum corporalium, ſed imitatione & cuſtodia diuinorum ſermonum conſilium dicunt eſſe ponendum. Conſilium meum (inquit pſalmiſta) iuſtificationes tuæ. Paſſionis autem cordis carnalis habeto eò ſuſpe- C ctiores, quò feruentiores, nec rationis frenum ſequentes attenderis, quantumcunque deuotæ, ſanctæ, iuſtæ, ſublimes appareant, quoniam latet in talibus aut ſub talibus vt ſæpe dæmonium meridianum.

Habetur conſequenter quod non ſemper illi ſunt victuoſiores, qui iudicantur deuotiores in compunctionibus & lachrymis, ad quas ſexus fœmineus quia pronus eſt cantatur eſſe deuotus. Verum potuerunt iſtæ veritates cum ſimi- D libus infra explicari ſoluendo tertiam dubitationem ſi ſecundam primitus abſoluerimus pro reprehenſione murmurantium contra tot cantica oris quæ carnis eſſe ponimus, & quæ fieri crebro cum fatigatione hominis vtriuſque nemo negat, licet alia & alia ratione hic & ille moueatur.

Conſonat diſtinctio de dilectione Dei,quam non oportet ſemper eſſe maximam in ſenſu per intenſionem vel extenſionem, ſed in mente per appreciationem & per ponderationem, quæ E citius eligitur omnis amor alius propriæ etiam vitæ deſeri, quàm Dei ſubeatur offenſa.

Patuit in martyribus magis quàm in carnaliter philocaptis. Saluat hæc diſtinctio conſequenter quo pacto ſtant ſimul in eodem triſtitia & lætitia, cum motus habeant contrarios in corde, illa ſtringit,hæc dilatat verum non in mentali ſed ſenſuali paſſione locum habet.

Demum ad ædificationem eccleſiaſticorum maximè monachorum pauca notemus. Eccleſiã conſideremus ciuitatem glorioſam eſſe.Præterea F reginam illam quæ aſtitit à dextris Dei in veſtitu deaurato circundata varietate eſſe rurſus corpus inſigne myſticum,habens inſtar corporis naturalis multa membra, quæ non eundem actum habent, ſed in ea diſtribuit ſpiritusſanctus dona ſua prout vult,tam gratuitæ ſolum quàm gratificãtia gratiam facientia. Denique ciues huius ciuitatis oportet quemlibet ambulare vocatione qua vocatus eſt, hunc in actiua, alterum in contemplatiua, nunc in operatione, nunc in otio ſancto, quandoque in obedientia regulari, aliquando in

quadam ſpiritus & corporis libertate. Deſcendit huiuſmodi varietas vſque ad canticorum diuerſificationem in eccleſiaſticis ceremonijs multiplicem. Itaque dum Apoſtoli diſcurrebant in omnem terram ad conuerſionem gentium, ipſi tamen non leguntur in huiuſmodi canticis exterioribus ſemet exercuiſſe præſertim more Iudæorum in ſynagogis & templo Salomonis. Et quoniam legalia ceſſaſſe docuerunt, ac deinceps magis traduxerunt ritus gentilium per flamines & archiflamines ad eccleſiaſticam politiam, quàm per ſacerdotium Aaron, ſub fine tamen altero quàm gentiles. Porrò tempore martyrum circumierunt aliqui in melotis, in pellibus caprinis, in montibus & ſpeluncis & in cauernis terræ apud quos & quales ſatis probabile eſt vocalia cantica non fuiſſe. Poſt dilationem eccleſiæ ac reddita pace, fuit nihilominus multa varietas. Sola pſalmorum accentuatio tenuis fuit apud aliquos, apud alios crebris cum arte ſua cantus. Fuit apud alios diſcantus, addita ſunt cymbala in eccleſijs beneſonantia, quæ campanas dicimus. Fuerunt apud alios organa multarum fiſtularum iunctis apud aliquos tubis ductilibus.

Poſtremò quid neceſſe eſt numerare per ſingulas quales in canticis eccleſiaſticis habitæ ſunt & nunc obſeruantur varietates. Rem amas ad fructum vel vſum. Dedit Auguſtinus quodam loco confeſſionum ſuarum intelligi non paruam eſſe difficultatem circa hanc, ita vt in neutram partem auſus fuerit præcipitare ſententiam. Nam cum recordabatur inſtitutionis Ambroſianæ de canticis & hymnis, ne populus in eius cuſtodia vigilans mœrore tabeſceret, dúmque lachrymas ſuas meminerat, quas huiuſmodi vocibus acriter commotus habuerat, reliquebatur veritas in cor eius, & bene cum illis ſibi erat, trahebatur approbare cantandi talem morem. Sed poſtremò dum ſentiens blandimenta dulciorum canticorum cedere ſibi in quadam aurium voluptate, dixit ſe malle tunc cantantem non audire, nam pœnaliter inquit, me peccare confiteor, dum plus ipſe cantus, quàm id quod cantatur me delectat.

Conquiſitionem habet hoc vltimum non mediocrem, primò de muſicis inſtrumentis & organis, quæ nihil vtique loquuntur vltra mulcentem harmoniam, niſi pro incertis intelligentia. Sed & de laicis alijſque non intelligentibus ea quę cantantur quaſi par eſt difficultas.

Deinde ſuperadditur altera principalis dubitatio de multiplicatione canticorum mentis deuotionem ſuffocante ſępius quàm refouente, maximè cum beatus Gregorius alter ex inſtitutoribus talium canticorum iudicauerit indignum, ſi dediti verbo Dei ſtudium ſuum in iſtis tempuſque darent, quę ratio videtur ad diſpoſitos contemplationis otio trahi, ne officium quod pro deuotionis chriſtianę perfectione inſtitutum eſt, contra deuotionem militet, aut perfectionis culmen apprehendere prępediat.

Pauca dicamus pro re tanta, fatemur enim quod plenè ſatisfacere non ſufficimus. Multæ ſunt cauſæ multiplicationis pſalmodiarum vocalium in eccleſijs. Vna eſt vitæ laicorum laudabilis occupatio, aſſiſtentium conſolatio, diſcholorum morum deuitatio, cohabitantium regulatio, pœnalis ſatisfactio, carceralis mancipatio, Dei collaudatio, A totius eccleſiæ repræſentatio, voti completio, mutua recompenſatio, vtilis aſſuefactio, mentis humiliatio. Harum autem duodecim cauſarum etſi ſint aliæ non reducibiles ad iſtas, deductionem non proſequentes ad præſens iungamus, quod non ſemper homo conſtituitur quo perfectius viueret aut contemplando, aut theologizando, aut aliorum profectibus obſequendo, ſicut & in politia quoſdam videmus fatuos, magni tamen ingenij, quoſdam mechanicos, quos ad liberales artes natura genuerat idoneos, & ita B de pluribus, quibus tradidit regulam Apoſtolus, vt ambulet vnuſquiſque vocatione qua vocatus eſt. Sit hæc vocatio ſpiritualis, à diuina prouidentia, quæ vtique generaliter & immediatè concurrit in omnibus, ſit hæc vocatio propria deliberatione, quemadmodum in religionibus, quorum profeſſoribus ſi murmurauerint, quid aliud dicetur quàm illud ciuile: Vide tibi qui taliter elegeris. Et iterum: Patere quod ſponte ſubiſti iugum. Grauat planè nedum deſidiam inertem, ſed aliquando C animam prius ſtrenuam onus aſſiduè repetiti ſeruitij. Nam veriſſima prorſus eſt ratio quã monachus dedit interrogatus quid eſſet in ſua religione difficillimum, an ieiunia, an vigiliæ, an ſilentium? Continuò inquit continuati repetitio cantus. Amplius verò quia murmur ſuum palliant aliqui, Deus inquiunt, intuetur cor, & bona voluntas pro facto reputatur, & minora per maiora bona recompenſari poſſunt, ſicut pro eo contemplatiuam actiua. Dicamus quod iam in obligatis D alia eſt ratio quàm de liberis ab obligatione, & hæc eſt vna cauſa cur ſolidior aut voluntas aut cõpenſatio non ſufficit ſemper. Noui temporibus noſtris duos celebres in theologia doctores (propicietur omnibus ſuis Deus) hij conferentes cum patribus duarum religionum mihi ſimiliter notiſſimis ſi religionem introirent. Poſſetis inquiunt, onera religionis conformiter ad cæteros fratres exequi, quibus ſe non poſſe cum iam fracti eſſent ætate reſpondẽtibus: ſed poſſe ſtudẽdo, docẽdo, meditando compenſationem afferre. Subintulerunt: Et ſi quotidie cum Paulo raperet vos in E tertium cœlum, niſi compleueritis inſtituta religionis, nobis quorum magna pars animalis eſt, non niſi ſcandalum & vobis ludibriũ futuros eſſe noueritis, tempus intrandi religionem, tempus manendi, vulgo dicitur. Qui cum lupis eſt cum ipſis vlulet. Rurſus ſi volũtas pro facto reputetur apud Deum quoad meritum eſſentiale vitæ ęternę, tamen multiplex in alijs reperitur inſtantia, vt in accidẽtali pręmio qualis eſt aureola quę datur actui excellenti, non ſolum voluntati. Vt rurſus in F actibus priuilegiatis, quales ſunt largitiones pro indulgentijs, vt pręterea ſunt exercitia ſacramentorum quę vim ſuã habẽt virtute operis operati, vt inſuper ſunt opera ſatisfactoria, qualia ſunt ſolutiones debitorum, aut reſtitutiones ablatorum, vt in propoſito ſolutio vocalis ſeruitij quorum omiſſiones, & ſi non ſemper propter impoſſibilitatem ſint culpabiles ad damnationem, non tollunt tamen omnem ex ſola voluntate ſatisfactionis obligationem, quoniam ſemper adueniente ſatisfactionis opportunitate, per ſe vel ſuos teneatur, quod nõ eſſet ſoluto prius realiter precio.

Demum

Demum in pœnis & præmijs ciuilibus euidens
eſt quod voluntas occidendi ſola vel voluntas al-
terum ditandi facto non æquatur. Adijce priori-
bus quod in ciuili vel eccleſiaſtica congregatio-
ne ſicut & in legum traditione reſpectus habetur
ad ea quæ vt in pluribus eueniunt, nec priuilegia,
nec conditiones, nec vtilitates paucorum plurali-
tati præiudicabiles eſſe debent. Confiteamur ta-
men oportet diſpenſationem & bonam æquita-
tem apud tales caſus particulares locum tenere,
qui ſi negetur pertinaci crudelitate aut inſipienti
ſtoliditate, non video quid ſuperſit afflictis, niſi
recurſus ad Deum patrem ſolatij cum implora-
tione miſericordiæ ſuæ quod cõuertat corda pa-
trum in filios, faciens cum tentatione prouentũ,
potens eſt quippe Deus dare patribus intelligi
fieri poſſe pro vtilitate fratrum ſpirituali cum
Maria vacantium exonerationem ſeruitij quæ
datur laborantibus in officijs temporalibus cum
Martha, niſi quod aptior eſt oculus carnis ad iſta
quam illa, & ſi non ſemper maior neceſſitas. Va-
lebit ad extremum, ſicut opinamur, ad conſola-
tionem lugentium ſub iugo corporalium canti-
corum, declaratio cantichordi noui, ad quẽ pro-
perat intentio, ſi attentio non defuerit, quoniam
qui verbum narrat non attendenti, quaſi qui ex-
citat dormientem de graui ſomno. Quid autem
nequius, quid intolerabilius, quid lege punibi-
lius, quam ſi nolit officij ſui prorſus honeſtiſſimi,
diuiniſſimi, ſaluberrimi doctrinam quis audire?
Dedit verò nobis eccleſiaſticis Deus regiones
gentium & labores populorum vt cantemus ei,
vt in ſacris verbum ſuum ſcripturis audiamus,
beatificans illos qui audiunt verbum Dei & cu-
ſtodiunt illud. Quomodo cuſtodiunt? ne ſollici-
tudo ſeculi & fallacia diuitiarum ſuffocent ver-
bum. Quale verbum? quod inſitum & in man-
ſuetudine & patientia ſuſceptum poteſt ſaluare
animas noſtras afferens in corde bono & optimo
fructum multum cum iubilatione lætiſſima in
canticis & verbo ſolatij. Ecce peregrini ſumus in
Hieruſalem cœleſtem. Commitatur nos aſſiduè
verbum non habens amaritudinem, non tædiũ,
quod ſi comes facundus in via pro vehiculo eſt,
comes alter quis facundior verbo Dei, cuius ver-
ba ſpiritus & vita ſunt? Senſerant hoc qui dice-
bant. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis
dum loqueretur in via & apperiret nobis ſcri-
pturas.

Sed tandem nouus homo pauculas de canti-
chordo nouo notulas attendat.

TOMVS SECVNDVS.

Canticum nouum aliquod eſſe & fieri in ſo-
lo corde & verbo mentis tradit anagogia
Chriſtianis peregrinis. Anogogiam dicimus ſur-
ſum ductionem, qualem eccleſia quotidie monet
facere concinens: Surſum corda. Cur hoc? niſi vt
quæ ſurſum ſunt quærat noſter homo nouus de
cœlo cœleſtis dum peregrinamur à Domino, cõ-
uerſationem nouam quærentes in cœlis, vbi can-
tatur canticum nouum coram ſedente in throno
qui dicit: Ecce noua facio omnia. Hic dudum
per Ezechielem pollicebatur: Dabo vobis cor
nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio ve-
ſtri. Quidni tales innouati ſpiritu recto, canticum
A nouum cantent in corde nouo, iuxta ſuaſionem
Apoſtoli ſcribẽtis ad Epheſios, Impleamini ſpiri-
tu ſancto loquentes vobiſmetipſis in pſalmis &
hymnis & canticis ſpiritualibus cantantes & pſal-
lentes in cordibus veſtris? Sic agebat Cecilia vir-
go, ſemper euangelicum Chriſti planè nouum
planè verbum Dei ſemper gerens in pectore, &
cantantibus organis ſoli Deo decantabat: Fiat
cor meum & corpus meum immaculatum.

Canticum tale nouum rationabiliter appella-
tur cantichordum, id eſt, canticum cordis vel cor-
B dium. Suum, quippe ſubiectum, ſuum inſtrumẽ-
tum, ſua chorda quæ dicitur à corde, ſuus auditus,
ſua vox, ſuum os, ſua modulatio eſt introrſus vel
in corde mentis vel mente cordis, quemadmo-
dum vſa eſt pſaltes noſtra Maria in ſuo cantico
canticorum prorſus nouo, quia nouum fecerat
Dominus ſuper terram dum iam mulier, circun-
dabat virum. Ait nempe: Fecit potentiam in bra-
chio ſuo. Certè nouo certè verbo Dei, diſperſit
ſuperbos mente cordis ſui. Ecce mentem cordis,
C ſiue referas ad Deum diſpergentem, alio loco di-
citur tactus dolore cordis intrinſecus. Et alibi lo-
quitur: Inueni virum ſecundum cor meum. Siue
magis libeat ad ſuperbos coniungere, quatenus e-
normitas profunda ſuæ ſuperbiæ maiori exagge-
ratione damnetur.

Cantichordum noſtrum nouum deſcribitur eſ-
ſe vox numeroſa mente cordis ad Dei gloriam e-
licita libere, quam ſolus nouit qui accipit. Hoc ni-
mirum eſt myſterium quale loquebatur Apoſto-
D lus abſconditum. Et ſecundum Dionyſium ſolis
proprium Chriſtianis, hoc eſt nomen nouum in
calculo candido ſcriptum id eſt, in corde puro
quod nemo nouit niſi qui accipit, quoniam in ex-
perimentali notitia tactus ſpiritualis poſitum eſt.
Hinc Apoſtolus: Quis hominum ſcit quæ ſunt
hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt.

Eſſe verò voces aliquas numeroſas in corde ſo-
la cordis aures perceptibiles, niſi Deo & quibus
Deus voluerit reuelare, conuincitur exẽplo Moy-
ſi, cui forinſecus tacenti dicit Dominus: Cur cla-
E mas ad me? Et in Pſal? Deſiderium pauperum ex-
audiuit Dominus, præparationem cordis eorum
audiuit auris tua. Finis cantichordi noui ponitur
eſſe Dei gloria, ad differentiam veteris, cuius finis
eſt amor ſui vſque ad contemptum Dei. Cæte-
rum libertas electionis tenet locum formæ, iun-
cta maximè gratia Chriſti, quæ mandatum verbi
Dei nouum de dilectione format & implet. Diſ-
cernitur ex hac particula quæ dicit elicita liberè,
cantichordum ab omni prorſus cantico intus vel
F exterius tantum imperato.

Cantichordum huiuſmodi fuit excellentiſſimè
in illa beata quæ cecinit: Magnificat anima mea
Dominum: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſa-
lutari meo. Præponimus hanc beatam in exem-
plar pulcherrimum & in teſtimonium pro dicen-
dis certiſſimum, ne dicat aliquis iſta nos cõfinge-
re de corde noſtro. Ne præterea cogamur interim
per æquiuocationem vel aliter in aliena ſeu vete-
ra cantica labi. Sed in ſola anagogia nouus ſermo
verſetur, concinat & loquatur. Adſis igitur nobis
ô gratia plena: Dignare te nos laudare, & lau-
dando diſciplinam nouam, ſed certam & veram

Digitized by Google

aperire. Tu inquam, cuius in corde quia ſanctus & nouus amor ſingulariter ardebat ſpiritusſanctus in carne virginali mirabilia faciebat, & cor eructabat verbum illud bonum: Magnificat anima mea Dominum. Nonne tibi videtur ex hoc ſtatim cantico facta fuiſſe mirabilis illa nouitas in Maria tympaniſtria noſtra, quæ nouitas appellatur ab apoſtolo diuiſio animæ & ſpiritus, quam efficere poteſt ſolus ſermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis videatur ſuper hac diuiſione author de ſpiritu & anima quid conformiter ad Richardum de verbo ad verbum tradiderit, quoniam elucidatio pro nobis eſt in grande ſtupendumq; miraculum, nec atteſtatione noſtra ſola ſatis credibile. Pergamus interea conſiderare quo pacto ſpiritus Mariæ dictus eſt nedum canere, ſed ad actum ſaltare, tripudiare & exultare velut extra ſe ſaltare, volebat parabolicum illud improperium cauere quod de pueris ludentibus in foro Chriſtus benedictus fructus ventris ſui ſumpſit contra perfidiam veterum Iudæorum. Cecinimus inquiunt vobis nec ſaltaſtis. Maria cecinit in ſpiritu & ſaltauit, nimirum carmen illud erat nuptiale quod epithalamium dicimus. Sed quarum nuptiarum? vtique plurimarum. Nubebat in aluo virginale vteri palatio humilitas cum deitate, caro cum verbo, limus cum Deo. Nubebat eccleſia quam Ioannes vidit tanquam ſponſam nouam de cœlo deſcendentem à Deo paratam nouo viro ſuo Chriſto. Nubebat Dei formis Mariæ ſpiritus Deo ſuo Domino, & agno qui erat tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, verus ſol iuſtitiæ ponens tabernaculum ſuum in corde Mariæ, quę erat mulier amicta ſole, deſponſata vni viro virga caſta Ieſu Chriſto.

Figamus precor in hoc ſpiritu ſaltante & exultante ſpirituales oculos cordis in lumine fidei. Conſideremus hunc Dei formam ſpiritum tanquam diuiſum à carne, effulgeat apud nos tanquam angelus vnus Dei ſine carne & ſanguine. Nihilominus aſpiciamus ipſum pro tempore viæ tunc verè paſſum diuina ſimul & humana. Nam inuenta ſunt non confuſa, tamen in ipſo hæc omnia ſpes, metus, mœror, gaudium, non quidem propter corpus ſolum, iuxta poëtæ ſententiam:

Hinc metuunt, cupiunt gaudentque dolentque.
Nec auras deſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.

Sed electione & acceptione libera voluntatis. Nolo tamen credat aliquis ſpiritum Mariæ non habuiſſe modum cognitionis aliorum viatorum in quibus omnibus cognitio procedit à ſenſu, ſed hac adepta ſpiritus ſuus liberè vtebatur ſuis affectionibus abſque organo corporeo de quo paulo poſt infra dicimus. Habebat inſuper affectiones varias proportionabiles paſſiones illis quibus anima ſenſu corporeo vtens afficitur, non ſine motu carnis aut corporis, aut bonas tamē omnes habebat moderatas & ordinatas ſub monade Deo, in harmoniam pulcherrimam ſuauemque, quam inhabitatrix Dei ſapientia delectabatur audire.

O ſi cognouiſſet Stoicorum diſciplina grauis ſi inueniſſet ex fide mulierem hanc fortem, exclamaſſet profectò hic hic: O diuina mens ſapientis qualem in homine poni debere contendimus à
A qua mente non gaudia, ſed mala gaudia, non timorem, ſed vanum timorem, & ita de ſpe & dolore remouendas prædicamus, alioquin quid à lapide, quid alia quauis inſenſibili re differet conditio ſapientis.

Tales præterea poſuerunt tam Platonici quam Peripatetici cœleſtes intelligentias, quales nos Chriſtiani angelos nominamus, quam impari varietate. Audiamus tantum in eorum poſitione qualemcunque ad nos conſonantiam vel tenuem veritatis. Abijcientes imprimis quod cœlum ſit a-
B nimatum tanquam animal aliquod rationale compoſitum ex materia cœli & forma intellectuali. Concedimus tamen aſſiſtentes eſſe cœlis intelligentias quales appellat Apoſtolus adminiſtratorios ſpiritus. Nam regula eſt communis theologię cum philoſophia corporalia per ſpiritualia miniſtrari. Concedamus quoq; verbum Dei per amorem communem ſpiritualem, & vitalem alere omnia, quem amorem interpretata fuiſſe videtur philoſophia apud Boëtium ſpiritum vel animam
C cœli & mundi. O felix inquit, hominum genus ſi veſtros animos amor quo cœlum regitur regat. Et alibi de animabus loquens Deo: Quas inquit, lege benigna ad te conuerſas reduci facis igne reuerti. Ignem quid aliud intelligēs quam amorem. Ponebant rurſus iſti philoſophi conſonè ſatis ad magnum Dionyſium quod in qualibet intelligentia poſt primam & vnicam quæ Deus eſt triplex motus ſpiritualis inueniebatur. Vnus quaſi circularis & vniformis circa diuinam mentem ab
D ipſa in ipſam tanquam ab oriente in oriens. Alius velut obliquus de ſe ad ſe, in ſe tanquam ab occidente redeat in occidens, non ſine multa particularium quadam irregularitate recta. Tertius imaginabitur motus rectus ſeu diametrale creaturæ à ſe contra ſe. Cantauit iſta apud Boëtium philoſophia, dicens: O qui perpetua &c. videatur ibi. At verò dicet aliquis, cur & vnde tale tanquam remota digreſſio? Conſonanter & decorè per omnem modum reſpiciamus Mariam etiam pro ſtatu viæ ſublimem habuiſſe ad contemplationem
E omnifariam cœleſtium & infernorum, & hinc affectiones hauſiſſe multiformes, quaquauerſum, ſurſum, deorſum ante, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum, introrſum denique. Tales verò affectiones nonne quædam voces erant cantichordi ſui cuius naturam inquirimus & practicam eius ſub arte quadā tradere ſatagimus. Cur autem plus exemplo ſpiritualis cordis Marię viatricis quam angeli, quā Adæ pro ſtatu innocentiæ quam alterius ſanctorum quam demū ipſius Chriſti placuit hoc facere, quiſquis hæc legerit accipiat paucis. Spiri-
F tus Mariæ viatricis quantumcunque diuiſè conſideratus ab anima & carne fuit paſſibilis voces exprimens in ſe, nunc amoris & gaudij, nunc mœroris & odij, nunc ſpei, nunc metus, necnon per omnia piæ compaſſionis vtpote quæ regina miſericordiæ tunc erit. Cantichordum igitur habemus in ea, per eam velut in exemplari veriſſimo, clariſſimo, certiſſimo. Sed angelos bonos ſed ſanctos ſpiritus glorificatos, ſed Adam in ſtatu primitus inſtituto, nullus admodum paſſibiles dicit. Chriſtus præterea non neceſſariò, ſed diſpenſatoriè dolorem, timorem miſerationémq; ſuſcepit.

Alij

Digitized by Google

Alij denique viatores boni à venialium diſcordantia non ſecluduntur. Spiritus verò Mariæ cũ nulla diſſonantia criminali vel veniali paſſa eſt affectiones ex conditione naturæ mortalis proportionabiles paſſionibus carnis.

Potuerat hæc conſideratio ſufficere pro practica cantichordi noui, protinus arte credenda & ponenda veluti ſunt oculis, ſed antea iungamus ad præmiſſa quod ipſis conſonet, nec nos impediat. Ecce quod ſpiritum Mariæ nudum & ſolum & ſeparatum ab anima & carne propoſuimus inſpiciendum, dum etiam viueret in carne mortali. Nunc eadem conſideratione non perturbata formemus immo formatum tribuamus imo tributũ reſpiciamus, organum vnum prſtantiſſimũ per quod & in quod ſpiritus Mariæ canticum ſuum nouum non introrſus clauſum teneat, ſed ad exteriora deducat, nec eſt opus inquirendo lõgè progredi. Conuertimini intuitu ad corpus eius organicum phyſicum, quod omnino cõtemperatum fuit. Et ita prorſus elongatum ab omni fomite rebellis diſſonantiæ, quod nec etiam minima potuit operationum notula ſibi diſcors eſſe. Glorioſum planè dixerimus organũ tale ad omnem harmoniam formabilem ſumme diſpoſitum. Cæleſte dixerimus illud organum potius quam terreſtre, non natura ſed gratia. Cœleſte prorſus ob quandam ſtabilis mutabilitatis effigiem, ob inerrabilẽ obedientiæ ſuo ſpiritui legem. Cuius viciſſitudines in motibus ſuis non plus fuerunt à recto deuiabiles quam orbium cœleſtium gyrationes.

Poſtremò videre erat in organo Mariæ corporeo, motum proportionatum primo mobili cœleſti, motum velut obliquum, curſui planetarum non omnino diſſimilem, motum proinde rectũ ad exemplar elementorum grauium & leuium, & hæc omnia cum ſummo ordine concentu numero & pondere menſurata fuiſſe crediderís.

Accepiſti ſub breuibus quale fuerit cantichordum ſpiritus Mariæ in multis ſimile ſpiritus angelicis. Adiunctum eſt de organo corporis ſui temperatiſſimo & commenſuratiſſimo, in quo & per quod ſpiritus iſte & anima Mariæ poterat imperatiuè cantica ſpiritui proportionata foris concinere, non prout experimur in organis diſtẽperatiſſimis corporum noſtrorum, qualis ſæpiſſimè luxit & planxit Apoſtolus noſter, profitens non ſe poſſe bonum quod volebat, ſed tyrannizari ſub lege peccati quæ eſt concupiſcentia, volebat enim non concupiſcere, ſed poſſe inquit, nõ inuenio, quia vanitati ſubiecta eſt omnis creatura non volens, iſta tamen excepta quam impleuit totam charitas & humilitas, vt locum in ea non haberet vanitas & cupiditas. Cantichordorum Mariæ vocibus innumeris muſicalibus reſonabat, dum in corde ſuo conferebat omnem ſecum euangelicam veritatem, dum præterea cantabat canticum nouum, quod nullus alter ſpiritus cantare poterat aut poterit. Itaque ſi tot in cordibus noſtris ſpiritualibus cogitationes & affectiones poſſumus eliciẽdo formare, quos corpora corrupta quos propriè iniquitates ſupergreſſæ caput noſtrum, grauant, obtundunt, obnubilant, mergunt. Coniecturet pius & ſolers animus quid in illa ſanctarum ſancta, ſpiritus ſapientiæ ſanctus & multiplex operabatur quo ſapientiæ ſpiritu in tãtum plena ſicut & gratia benedictionéq; cœleſti A fuit, quod ab vniuerſali eccleſia non ſapiens, ſed antonomatica quadam appropriatione ſapientia ſuis cum præconijs eſſet cantatur, vt quod eſt pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & ſanctę ſpei mater in qua gratia omnis viæ & veritatis omnis ſpes vitæ & virtutis, quam qui audit, non confundetur, quia vox ſua dulcis à dilecto prædicitur.

Cãtichordum Mariæ poſſumus ad paucas voces reducere principales, ſub quibus & ad quas omnes affectiones ſeu paſſiones, Philoſophia Theologiá B que reducunt, quæ ſunt amor ſeu gaudium, timor, odium, ſeu dolor, & quinta quaſi complexa ſit cõpaſſio. Sciet quiſquis fuerit ſcriba doctus in regno cælorum, proferre de theſauro ſuo, noua hæc & vetera de theſauro ſcilicet Theologorum & Philoſophorum qua ſuper re ſunt opuſcula quædam ſcripta. Nullus autem purus homo quantuncumque ſcriba, doctus tale aliquid ſapientius efficere cognouit, quam amica per amorem dilecti filij ſui cui blandiens dicit illud de canticis: omnia poma C noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi. Quæ verè beata, quia cum virginali ſponſo ſuo totiens audiuit verbum Dei corporeis auribus & humanis cuſtodiuit obſequijs. Canticum Mariæ poteſt velut ſub arte quadam exemplo ſenſibili ad gamma vnũ componi. Cantatum eſt a philoſophis experientiã ſequentibus quod ars quę eſt recta ratio agibiliũ, confert plurimum ipſi naturæ ſicut ingeniis bene diſpoſitis à natura, proficit ad eruditionem & ad illuminationem ampliorem. Amplius verò ſi ars D imitatrix naturæ ſolet à generalioribus incipere, ſolet ad certum paruumque ordinem confuſa multaque componere, ſolet per exempla ſenſibilium ad intelligibilia viam dare, cur non tentabimus hoc in muſica facere ſpirituali, quod factum cernimus in carnali. Pro cuius intellectu faciliori tradidit nobis induſtria priorum vnum gamma, quod per ſe voces aut notulas figuratum velut oculis inſpiciendum monſtratur. Cantichordum id eſt ſpirituale canticum non ideo prohibeatur gamma ſuum habere poſſe, quia iuxta proprieta E tem in deſcriptione cantichordi poſitam, ſolus ille nouit qui accipit, videbitur forte parum attẽdentibus hoc fieri tam irriſibile quam impoſſibile, quemadmodum de coloribus cæco, de ſonis ſurdo naturaliter diſciplina nequit tradi. Sed aperiamus aures cordis, & qui habet aures audiendi audiat. Et in primis audiatur philoſophus à quo ſumpta videtur inſtantia. Voces inquit, ſunt earum quæ in animo ſunt paſſionum notæ. Ecce loquitur ad muſicam conſonanter notarum ver F bo vtens. Audiatur præterea alter loquendi compoſitus ab æmula Sanſonis. Nunc inquit, aperuit vir meus cor ſuum mihi. Audiatur ſimul Greg. dicens, quod per ſenſibilia cognita ducitur animus ad incognita. Ac per hoc quod ſcit cognita diligere diſcit & incognita mare. Collidamus iſta pariter, & ſcintilla veritatis erumpet, quę ſcintilla? Iſta nimirũ quod paſſiones cordis ſpiritualis licet inuiſibiles, licet inſenſibiles, exterius aperiri ſicut & cor vtiliter poſſunt. Poſſunt ſiquidem agnoſci foris, ſed non omnino, ſimiliter ad cor quod afficitur & experimentatiuè mouetur & tangitur, hoc enim fieri non quærimus. Quid ergo? planè vt

Digitized by Google

cor audientis ad aliquid in ſe formandum vel eliciendum ſimile concitetur. Nonne ſic omni die mater audiens filium ſic dicentem: O doleo, ô timeo: format in ſpiritu ſuo vel doloris vel timoris vel compaſſionis affectũ! Et qua fit hoc arte, quaue ratione, niſi quod aperuit ſibi filius cor ſuum, & latentes intus notauit paſſiones? Suppetunt plures aliæ rationes quibus aſſicitur perſpicuũ, artem de muſica ſpirituali non eſſe fictitiam, nõ inutilem, non impoſſibilem, non irriſione, ſed veneratione & gratiſſima receptione gratiſſimam, digniſſimam. Et ſi non iſta forſamq; ſubſcribitur, alia tamen quam ſubtilior & ſolertior tradere poſſet indago. Cantichordum nouum ſeu muſicum poteſt habere gamma breuius in notulis ſeu figuris vel literis quam ſit gamma manuale: Conferamus muſicam ſenſualem vel oris cum muſica cordis & voces vnius cũ vocibus alterius. Habet hoc muſica oris quod poteſt ſecundum arſim, ſecundum theſim, ſecundum proportionabilem inſuper continuationem cum alijs variare voces ſuas. Patet potiſſimum vbi diſcantant & cantant in choro plurimi ſimul. Eſt autẽ in vocibus oris aut alijs melodijs ipſa arſis, eleuatio vel depreſſio penes acutum & grauem accentum. Theſis attenditur in productione aut breuiatione notularũ, ſyllabarum & vocum. Combinatio proportionabilis dicitur multorum ad inuicem cantantium & contracantantium conſonantia. Ecce autẽ deficit hæc tertia cõditio in muſica cordis, ſaltem hic in via & pro arte danda. Non enim ſatis eſt factibile, vt conueniant iſta duo ſub proportionabili combinatione latentium affectionum, ſicut in auditis & viſis. Gamma autẽ manuale multiplicationem ſuam potiſſimè neceſſariam habet in hac cauſa.

Cæterum quoad arſim & theſim dicimus vtique quæ reperiuntur in affectionibus. Sunt enim qualitates in quibus philoſophia ponit extenſionem & contractionem quæ eſt theſis. Intenſionẽ quoq; & remiſſionem quæ eſt arſis. Concluditur hoc ex motu venarum pulſatilium cordis materialis per medicos. Sed in affectionibus ſpiritus vbi tenent eas in ſe, ceſſet hæc cõditio medicinalis quãuis ſit in ipſis theſis & arſis, & in qualitatibus non vitalibus de quibus minus apparet ſit extenſio, ſit & intenſio ſecundum tres dimenſiones altitudinis, latitudinis & profunditatis. Cantichordi voces poterant in Maria, poſſunt & in nobis multis modis agnoſci. Cognoſcitur iſta vox primò introrſus in corde ſonante quod ſi in cor ſonare dubitaueris Eſaias te doceat, vbi legitur: Cor meum ad Moab ſanabit. Fit tamen vt non auertatur à te & quodammodo raptus fiat. Sit igitur ſermo noſter hic de illis quibus loquitur Deus, qui conuertuntur ad cor. Nonne quæſo ſcit cor ſe amare, ſe gaudere, ſe dolere, ſe compati, & ita de reliquis. Scit inquam non per opinionem, non per ſolam fidem, ſed per experimentalem noticiam, qualem in alteram transfundere fas non habet, niſi forſan incitatione quadam & commonitione per notas verborum vel ſignorum. Cognoſcitur rurſus huiuſmodi vox (non eſt dubium) à Deo & ab omnibus quibus ipſe voluerit reuelare, & hoc vel in verbo vel in proprio genere vel in ſupernaturali quodam lumine, quemadmodum credimus fieri ſæpius in beatis, tam mutuo loquentibus quam noſtra deſideria non audirent. A Cognoſcitur amplius hæc vox per quaſdam opiniones ſeu coniecturas, quandoque per autoritatem dicẽtis de ſe nobis vel ſcribentis vel inueniẽtis, quãdoq; per ſimiles in nobis affectiones genitas ab obiectis vtriuſq; ſimilibus præſentatis. Dum incontinentes duo inſpiciunt virginem foris pulcherrimam ſi libidinoſa ſit in corde cuiuſpiã fas eſt argumentari quod ſit aut eſſe poſſit in altero, non aliter de duobus virtuoſis & per oppoſitum vnde prouerbium ſumptum eſt. Inſaniens in vna B paſſione de omnibus cæteris ita putat. Hinc ſapiens: Intellige quæ ſunt proximi tui ex teipſo. Poſtremò pius animus ex his paſſionibus quas circa vitia ſenſit aliquãdo quas inſuper circa proximos quotidiana colligit experientia valet concludere varias eſſe voces illas quas Dei cultoribus audit attribui vt eſt illud: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te. Et illud: Nihil dulcius quam reſpicere in mandatis altiſſimi. Et illud Chriſti: Venite ad me omnes. Et ſequitur: Et inuenietis re- C quiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Dicta denique doctorum ad anagogicos exceſſus exercitatorum quibus non credere deſipere eſt, & quos imitari nolle, ſtulticia & inſipientia cordis ſi & dum pater cęleſtis traxerit ad Chriſtum. Nam iſta eſt propria muſica & ſcientia chriſtianorum.

Cantichordum Mariæ fuit ſecundum omnem artem muſicæ ſuauiſſimę doctiſſimęq; modulatum. Sanè ſi ſpirituſſanctus replens apoſtolos do- D cuit eos omnem veritatem, ſi eorum corda afflata ſanctoſpiritu voces diuerſas intonant, fantur Dei magnalia. Si rurſus Maria ſecũdum Damaſ. à nullo vincitur illuſtrium. Si amplius ſecundum Dionyſi traditionem, lex diuinitatis eſt vt omnis inferiorum perfectio ſit eminentius in ſuperioribus cum Maria fuerit per gratiam ſublimata nedũ ſuper mulieres & homines, ſed ſuper omnes angelorum choros, quis ab ea muſicalem in ſummo notitiam negauerit? Nolumus idcirco ſuadere deuotis quibus loquimur, vt ſe tradant muſicali- E bus artibus ſecuti cognoſcendis. Curioſitas enim culpabilis hæc eſſet in multis, ſed ſi obuenerit cognitio, vel ex ſtudio iuuentutis, vel aliunde faciliter ſine detrimento exercitij ſanctioris, non abijciant donum Dei, ſed ex opibus gentilium & Ægyptiorum, ditati ſeruiant ex illis Deo, & ad laudem ſuam omnia gloriamq; conuertant. Cantichordum Mariæ fuit aptatum ſecundum omne tempus, nunc ſaltare, nunc plangere. Saltare ſicut in epithalamio Salomonis, plãgere ſicut in threnis Hieremiæ. Separatus enim fuit Mariæ ſpiritus F ab omni contagione carnalis amoris quem canticorum verba ſonant. Et hoc in laqueum pedibus inſipientium, in foueam & in vicum cum carne & ſanguine, cum phantaſijs ſexuum viri & fœminæ, ſi tamen blandimentis carnalium nuptiarum cor ſuum dederit his canticis. Itaque ſicut apud Deum non eſt maſculus aut fœmina, ſic nec in cãticis iſtis & epithalamio ſpirituali nuptiali. Et tamen nihil aliud videntur ſonare quam dilectũ & dilectam, ſponſum & ſponſam amicum & amicã complexus & oſcula, quæ qualiter inueniri poſſint abſque ſexuum diſcretione, mirum valde, ſed

tamen

Digitized by Google

tamen vèrum, nec ab animali comprehenſibile, qui non ſapit quæ Dei ſunt, Mariæ verò ſpiritu cuncta hæc facilia. Porrò de luctu teſtimoniũ habemus ſancti ſenis. Tuam inquit, ipſius animam pertranſibit gladius. Et hoc per lamentum cum multis temporibus, Maria cecinerit flendo cum flente Ieſu, ſicut gaudebat cum gaudente. Præcipuè tamẽ hoc intonuit tẽpore paſſionis benedicti filij ſui dum cum clamore valido & lachrymis orans exauditus eſt pro ſua reuerentia. Nihilominus fuit eo tunc tam in filio quam in matre cum cantico profundiſſimæ lamentationis, canticum altiſſimæ exaltationis. Verum hæc & alia quæ ſe ingerunt loquenti de Maria, transgreſſionem afferunt & ſuſpẽſam tenent expectationem lectoris, qui gamma nouum canticordi tradendũ fore retinet ex noſtra promiſſione. Atverò pauſemus iterum ne continuatio fiat in cantando minus accepta, ſedeamus cum vtraque Maria ad pedes Ieſu, nunc in domo nunc in cruce loquentis, nunc exultantis ſpiritu, nunc plorantis ſub vmbra illius. Sub vmbra illius quem deſiderabam (loquitur anima ſãcta, anima Mariæ) ſedi. Et fructus eius fructus honoris & honeſtatis cum folijs verborum ſuauiſſimis gutturi meo. Gutturi planè tali de qua & pſalmiſta annunciat: Exultationes Dei in gutture eorum. Quas exultationes appellamus iure noſtro canticordum. Super quo poſt theoriam praxim dare conabimur vt pateat & legatur in digitis, ac in manu deſcribatur, cooperante verbo Dei quod ſe inclinans olim digito ſcribebat in terra, qui pridem legis notas ſcripſerat in tabulis.

TOMVS TERTIVS.

GAmma canticordi quiſquis deſiderat vel audire vel cognoſcere, debet exuere veterem hominem & nouum induere, quatenus in Chriſto puer immo & ſtultus fiat. Talis erat namque Maria, tales nos Petrus vult eſſe infantes ſcilicet rationabiles ſine dolo, recolens dictum à Chriſto: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum. Irriſus eſt à Seneca ſenex elemẽtarius. Putreſcat igitur qui ad elemẽta muſicæ ſpiritualis admittendus eſt, & meminerit quoniam oportet addiſcentem credere vt ſit verè diſcipulus. Talis erat Ioannis ſenectus vt aquilæ renouata cum nihil pene aliud loqueretur, quam amoris noui vocem nouam. Filij diligite alterutrum ſemper ingeminans. Quid mirum ſi dilectus de dilecto, ſi cuſtos dilectiſſimæ & amicæ per amorem Chriſti, quo nemo maiorem habuit charitatem, fecit de dilectione iuge verbum. Talis rurſum Arſenius dum poſt ſenatoriam & aulicam dignitatẽ poſt multas in ſeculo literas, dum conſuliſſet patrem eremicolam ſine literis ſuis miratibus, quid tantus vir literis Græcis & Latinis eruditus cum idiota ſermonem protraxiſſet, ſuſpirabundus ait: In veritate dico vobis, quia necdum alphabetum huius ſenis attigi. Fuerat enim ſermo ſuus non de ſcientia quam didicerat ſolum, ſed de charitate quæ ędificat, quam ideo neſciebat, quia non tranſierat in affectum cordis. Crediderat tamen humilis more diſcipuli pueri tot experientijs caſtiſſimorum affectuum & ſentimento erudito, qui

A fecerat operationem in aquis multis tumultuantium fluctuantiumque tentationum in mari cordis, vbi viderat opera Domini & mirabilia eius in profundo, & aſcendens nunc in cœlos nunc deſcendens in abyſſos. Crede mihi, qui tale nauigauit mare enarrauit pericula & mirabilia eius. Nõ illi qui ſe totos in ipſo naufragos mergũt nec vnquam emergunt, quia vel non conantur vel conati protinus reſorbentur. Obediuerat iterum ſe nec ille Salomonis filium verbo de canticis & hymnis ſpiritualibus, liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, quatenus videlicet illa ſa-

B peret & caneret gradiendo, ſtando ſedendoque.

Gamma nouum non ideo ſpernat homo nouus in Chriſto ſi ſenſerit ſe grandiuſculum factum in ipſo. Non eget affirmo tali monitu, quiſquis verè grandis factus eſt in Chriſto. Qui exemplo Mariæ quo maior eò humiliori qui humilior Chriſto proximior, ſimilior & intimior. Sed ita loquimur apud eos quorum exaltatum eſt cor & elati ſunt oculi ambulantes in magnis & mirabilibus ſuper ſe. Ideo nec lactare iam dignantur vbera doctrinę

C piæ. Quidni maneant ſicut ablactati ſuper matre ſua corde arido ſicut teſta. Poterit apud tales aſpectu primo reijci ſimplicitas, ruditas, breuitas gamma noſtri. Cauſabuntur ipſum ſuperuacuum eſſe, quoniam abſque eo canticis ipſi ſpiritualibus ac myſticis habendæ ſe iudicibus fuerint inſtituti, vt quid ergo afferuntur noua hæc quidã auribus inquiunt noſtris quæ nec patres noſtri dignati ſunt attingere. Nunc tertius è cœlo cecidit Cato, qui ſuper ſenes, qui ſuper omnes do-

D centes ſe intellexit. At verò iſta nihil mouent animos ſimplices ſcientes ſpiritumſanctum ſpirare vbi vult quando vult, & quomodo vult. Alioquin non diceretur apud Danielem. Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. Prohibentur primò quæ offeruntur ſed non in foro rerum venalium clamoſo, non in cæcis fœdiſque libidinum proſtibulis, non in agro boum cum fratre ſeniore, qui de foris ſymphoniam & chorum domi non nouerat. Non denique peruerſo corde quod eſt abominabile, diſſimile, nec in-

E ueniet bonum, nec vllam ſcientiam retinebit. Additur & illud. Acetum in vitro qui cantat carmina cordi peſſimo, procul tale procul. Gamma myſticum non melius formare poſſumus quam ad exemplar Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi, vt dicat puer in Chriſto. *Croix de pardieu* gallicè. Hoc planè eſt ſignaculum quod Maria poſuit ſupra cor ſuum in meditationibus & ſuper brachium in operationibus. Quæ gloriatur in Canticis dicens: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Faſciculus

F vtique paruulus humilis & paucus, quale quærimus eſſe gamma noſtrum. Recedant vetera de ore veſtro, dicebat illa cuius cor exultabat in Domino vetus Anna mater noua, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes. Nolite ergo multiplicare loqui ſublimia gloriantes, niſi forſan in Domino.

Mihi abſit gloriari cantat Paulus renouatus de auo vetere, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quam mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. Cuius iterum hæc verba ſunt: Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chri-

Digitized by Google

ſtum & hunc crucifixum, qui & buccinabat omnibus, de cætero nemo mihi moleſtus ſit. Ego enim ſtigmata Ieſu in corpore meo porto. Suus quoque coapoſtolus Petrus Chriſto ait paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Nam crux lignum ſalutare eſt, quod ad primam dignitatem renouauit omnia. Sic pollicitus fuerat Chriſtus dicens Iudæis: Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum. In qua tu benigniſſime & innocentiſſime Ieſu pependiſti, vbi fuit extenſum tui corporis organum inſtar tympani, vbi ceciniſti, verba ſalutis noſtrę, vbi quinque plagis capitalibus quaſi totidem notulis vel characteribus te inſigniuiſti & proprij ſanguinis minio rubricaſti vbi tu piſcina probatica ſalutaris, quinque porticus vulnerum habens, dediſti haurire aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris, præcipuè tibi præſenti téq; videnti tibi, concinenti ô beata beatarum tu digitulos ibi cōpledebas, quos ſēper ad bellū ſpiritus docuerat benedictus Deus. Qui myrrham ſtillabāt probatiſſimam, qui apprehenderūt fuſum pro tunica filij ſui & filij Ieſu quē cibauerat, quem contrectauerat, cuius lachrymas ſiccauerant & nunc deſcribebant ſibi cum ſenſibus alijs quinque voces inenarrabiles canticordi quales inquirimus. Gamma myſticum fas nobis eſt ad quinque notulas ſeu voces vel literulas puncta vel characteres figurare. Sed licet homo noſter vetus crebrò nobis aduerſus nihilominus loquebatur de ipſo myſticus ſermo prophetæ. Tu verò vnanimis dux meus & notus meus qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum conſenſu.

Tunc recolens diſſidium per dæmones ingeſtum conuerſus ad illos imprecatur venire mortem ſuper illos.

Ex prædicto tamen tantæ latitudinis myſterio hoc vnum trahimus ad rem præſentem, quod vetus homo dux eſt noſter quia neceſſe eſt ſecūdum Philoſophum quemcumque intelligentem phantaſmata ſpeculari & à ſenſibus cognitionem accipere. Conſentaneum eſt igitur vt gamma noui hominis conſonet ad gamma veteris, & ſi non ſit in omnibus prorſus idem. Hoc autem gamma quod manuale pueris inſtituitur, ſex vocibus definitur, licet ſecundum arſim & theſim multimode petitis quæ ſunt: vt, re, mi, fa, ſol, la. Teneamus prouide ſecundum philoſophicā diſciplinam, quod omnes veteris hominis voces ſeu notulę paſſicuum reducuntur ad quatuor natas à poëta, cui conſonat apud Boëtium Philoſophia: Tu quoque ſi vis lumine claro cernere verum, &c. Pelle gaudia, pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit. Nubila mens eſt vinctaque frenis, hæc vbi regnant. Denique complectitur illas eccleſia mater noſtra, dum canit in proſa: Confuſa ſunt hic omnia, ſpes, metus, mœror, gaudium. Ecce quatuor voces expreſſas, quas enumerando dedit eccleſia, quin etiam aliam intelligi dum confuſas eſſe notat, quaſi videlicet vna ſit ex omnibus aut multis compoſita reſultanſque, ſicut ex quatuor elemētis ſimplicibus mixta fiunt, hanc certè compaſſionem nominamus à con. quod eſt ſimul & paſſio, quaſi ſimul paſſio. Hanc aliter poſſumus nominare miſerationē ſeu miſericordiam, cuius te matrem & reginam per orbem terrarum cōfitetur eccleſia. O Mari. G. gamma α. myſticum poteſt elegia diuina cantatrix aniorum caſtorum ſub duplici metro complecti.

A ſit amor gaudens, ſpes è compaßio iota.
O timet vſque dolens odit, & iſta nótes.

A Benedictus Deus factus pro nobis verbum abbreuiatum, qui nobis hoc breue verbum poſt multam conquiſitionem ſuggerere dignatus eſt, quod emulatur ſignum. Tau, cor fixum quoque tenſum in ipſo Ieſum Chriſtum repræſentat, quod ſimul ad puerile gamma veteris hominis ſe conformat, quod proinde Phyſicis diſciplinis cum Theologicis anagogiis reſonantes eſt accommodum, per quod ad extremum quodlibet canticum, ſit pſalmus, ſit hymnus, ſit in ſono tubæ, ſit in cythara, ſit
B in pſalterio, ſit in tympano & choris, ſit in chordis & organo. Denique quomodolibet omnis ſpiritus laudet Dominum, protexit annotari. Pape dicet aliquis nimium grandis eſt hæc promiſſio. Grādis planè, ſed ſimplici corde recepta fidelis eſt & vera propicio illo qui dixit: Dilata os tuum & implebo illud. Qualiter impleuerat Pſal. qui dicebat ex ſententia: Immiſit in os meum canticum nouū, carmen Deo noſtro. Conuertamus oculos etiam carnis ad ſignum quod exaltauit Deus in nationi-
C bus cuius typum tenuit æneus ſerpens exaltatus in deſerto. Ecce iſtæc eſt longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum. Ecce quatuor extremitates inſpicimus & in ſublimi ſurſum rationabiliter collocamus primam literam, quæ gaudiū & amorem ſignificat, quoniam vertitur ad cælos, vbi nihil quod non ſit gaudium exercetur. Glorioſa inquit Pſal. dicta ſunt de te ciuitas Dei. Sicut lętantium omnium habitatio eſt in te. Ac perinde reſonantium ab à vocali prima gaudio vel amore noſtrum
D gamma tanquam à digniori ſumit initium. Cæterum colloquamus in extrema profunditate deorſum v vocalem, quæ deſignat dolorem & odium. Nam & profundum inferni quid aliud ſonat, vbi dolore & fletus & ſtridor dentium, odium quoque pertinax Dei, ſanctorum ſanctarúmque omnium. Ponimus ſubinde in tono ſub brachio dextro è vocalem, quæ deputatur ſpei ſignificandæ ſeu deſiderio. Nam & illic ſperauit beatus latro & ſperans audiuit: Hodie mecum eris in paradiſo. De-
E hinc tranſeuntes ad tonū ſeu brachium ſiniſtrum configimus o vocalem, quæ timorem inſinuat. Quid enim terribilius quàm vox à ſiniſtris ſonatura: diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Sic habemus quatuor orbis extrema quæ ſunt oriens. A. occidens V. ſeptentrio E. meridies O tanquam in vulgari rota fortunæ fiat hæc reuolutio. Regno a, regnabo e, regnaui o, ſum ſine regno v.

Amplius in x. litera quæ circa tempus natiuitatis Chriſti literis latinis addita eſt aptiſſimè, vocales quinque ſituamus tanquam in quoque zodiaco
F ſit. At vero reſpicientes in actorem & conſummatorem ſalutis noſtræ Ieſum confixum in medio, quid aliud quæſo vt debuimus quā alteram quaſi mixtam ex omnibus compaſſionem, quam ȝ. vocalis notat, à qua nomen Ieſus incipit. Hinc eſt noſtra redemptio, amor & deſideriū. Hinc Deus meus ait Pſal. vt miſericordia mea. Hunc appellabat Ignatius amorem ſuum crucifixum. Hunc Andreas moriturus videbat in ſpiritu atque de crucis ſupplicio geſtiebat. Vidit hunc Franciſcus quaſi Seraphin alatū, quando quinque ſtigmatibus ſeu ſignis conſcriptus eſt ab eo ſenſibili libro carnis.

Hunc

Digitized by Google

Hunc inſpiciens pijſſima mater miſericordiæ, nonne poterat vti verbis in Eſaia poſitis: Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit? Moab interpretatur ex patre, quoniam à patre & filia genitus eſt. Hic licet prauus & ex damnato concubitu fuerit, mihi proſit tamen vt per metaphoram ſignificet Ieſum qui ex patre Deo vt filius eius & Maria conceptus eſt, non virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Adhuc venter Mariæ beatificatus à muliere de turba. Tunc ſicut cithara neruis tortis, extentis & ſiccatis aptata ſonauit ad te benedictum fructum ventris tui. In cuius corde tunc indiſſonanter hæc omnia, ſpes, metus, mœror, gaudium. Non dubium quin pariter compaſſio quæ ab vtero egreſſa eſt ſecum. Ecce quod inſtar Moyſi & Bezel fabricantium fœderis arcam, fecimus gamma noſtrum ſecundum exemplar quod vidimus in monte, quem montem ex lapide abſciſo ſine manibus tradidit Daniel excreuiſſe, & impleuiſſe terram. Et hic eſt Deus noſter Ieſus Chriſtus, lapis quem reprobauerunt ædificantes factus eſt in caput anguli, lapis quo digiti Dauid Goliam proſtrauerunt. Coaptemus deinceps ad gamma manuale ſpirituale noſtrum, & attendamus quod ſex notulæ nominãtur per quinque vocales, ſi conſonantes detraxeris, quæ ſic ordinantur vt ponatur bis a. litera, ſcilicet in fa & la. Liqueſcit autem frequenter fa in mi per b. molle. Et eſt ordo talis: v. e. i. a. o. a. f. & l. a. la. Denique quantum ex veteribus fas eſt conijcere, cantus eſt ſenſualis traditus per quas quinque vocales, immò & quidam diſcantus quem contra punctum dicimus, neumata denique ſic inſinuabantur, quæ ſunt conſonantiæ tenorum finales. Sic ordinauit primum hymni metrum de Ioanne Baptiſta, qui ait: Vt queant laxis reſonare, mira famuli ſolue labia. Erubeſcant hic noſtri ſapientes & prudentes in oculis ſuis, quorum nihil oculus niſi ſublime vult inſpicere, quãdo ipſi ſummi prophetæ carmina ſua digeſſerunt per literas alphabeti non ſine myſterio vt Threni Hieremiæ, vt Salomon de muliere forti in myſterio ſacræ legis aut virginis glorioſæ, vt Pſal. præterea: Beati immaculati, per octonaria decurrens, vt alter iſte Pſal. Ad te Domine leuaui animam meam, &c. Quid vltra? Videbis ſimile in Eccleſiaſtici hymno: A ſolis ortus cardine. Et: Hoſtis Herodes impie. Voluit præterea Dominus noſter Ieſus Chriſtus magnum aliquid in ſeminario literarum deſignare, quando vehemẽter exaggerans dixit: Amen dico vobis, nec vnũ iota. Ecce iota neutri generis, ſicut de gamma ponimus, quod apud Græcos eſt litera quinta, apud nos g. nec vnus apex tranſibit à lege donec omnia fiant.

Porrò non minoris eſt ponderis quod ſe Ieſus alpha & ω dignatus eſt nominare. Motus eſt inde fortaſſis Abbas Ioachim, vt ex ſeminario id eſt literis alphabeti intellectum colligeret præteritorum futurorúmque temporum. Conſonãt hæc omnia ne procacius irrideantur gamma noſtrum, in cuius ordinatione ſequi videamur non voluntariam tantummodo, ſed naturalem, quæ mentiri neſcit, impoſitionem dicens, a. e. i. o. u. vbi ſub typo pſalterij ſonus inchoat à ſurſum corda, & prodit velut in deorſum, quod ſentit vnuſquiſque qui ſolerter inchoationem notauerit, quemadmodũ priores grammatici prorſus oculati & cordati viri ſapuerunt. Eſt autem gaudium vel amor ſicut a. in quadã latitudine cordis. Deinde ſicut e. ſpes contractior eſt. Dehinc mollior eſt ſicut i. compaſſio. O præterea ſignificans metum, & v. dolorem vel odiũ ad labia vſque perueniãt. Ac perinde gratuitatem ipſius, ſicut primis ſublimitatẽ damus & acutiem. Poſſemus adaptationes alias ſumere vel ex quatuor elementis & eorũ qualitatibus primis, vel ex diſpoſitione cœleſtium planetarum, vel ex combinatione ſeu configuratione cõplexionis humanæ ex humoribus ipſum corpus per neruos & arterias agitantibus, ſed ad præſens ſufficiant adaptationes pręmiſſæ, ſi deſcriptionem addiderimus manualem, ſcilicet gamma, (prout de re clariſſima, prõptiſſima dici mos eſt) ſupra digitos poſuimus. Scimus in manu quinque digitos eſſe, ſextum monſtra quædam habuerunt. Diuiduntur aliquando tres contra duas. De Deo dicit Eſaias quod appendit tribus digitis molem terræ. De Chriſto quod miſit digitum in auriculas ſurdi & audiunt, quod præterea dixit Thomę. Infer digitũ tuum huc, latus oſtendens vt certus fieret per digitum. Legimus quoque digitos apud Danielem ſcribentes in pariete: Mane thetel, phares. Deſcribens quoque ſapiens ſtultum dixit, ꝙ digito loquitur, ſed quod diſcholè peruerſéq; loquitur, illud ſcilicet ſecundum Eſaiam, quod non prodeſt. Nominantur ad extremum hi quinque digiti: Pollex, Index, Medius, Medicus, Auricularis.

Cur autem hæc omnia niſi pro collatione rationabili vocalium quæ componunt gamma noſtrum, quatenus in digitis poſſit tam oculis ſe prodere, quàm auribus loqui, exemplo monachorum nutibus loquentium, vel aliorum in gamma cantantium. Pollex tanquã pollentior & dignior habet a. gaudium. Index monſtrans non iam habita, ſed proxima & certa habet e. ſpem. Collocatur in medio lõgiore breuis i. miſeratione productus. Nonne præterea timor o. Medicus eſt, qui peccatũ expellit. Demum dolor v. datur auriculari, quia ſola vexatio dat intellectum auditui, & aures quas culpa claudit, aperit. Hæ ſunt quinque lampades myſticæ lucentes in manibus virginum prudentium ad illuminationem ſenſuum quinque ſuorum. Gamma noſtrum non idcirco iudicandum ſuperuacuum, quia non præſtat ſua cognitione confeſtim canticorum exercendorũ facultatem. Notatur hoc conſideratio propter illos qui fortaſſis auditu primo ſuſpicabuntur hoc fieri debere ſi dicenda ſit ars talis efficax aut vtilis, quos arguunt aliæ quælibet artes, ipſa in primis grammatica, quam non propterea totam cognoſcimus, ſi ſuũ tenuerimus memoriter alphabetum. Sic de muſicale gamma manuali. Sic de præceptis rhetoricis, quali dixit rhetor præcipuus abſq; vſu & exercitio & viuacitate ingenij nequaquam ſufficeret, prodeſſe tamen ad certiorem fideliorémque notitiam, quamuis ſine alphabeto, ſine gãma manuale, ſine rhetorica arte multi loquuntur, cãtent, perorent aptiſſimè. Dic in propoſito recipiatur gamma nouum, ſine quo tot literati, tot illiterati cecinerunt in cordibus ſuis Domino.

Digitized by Google

At verò quia promiſſum eſt conſideratione præcedenti poſſe gamma noſtrum ad omnia cantica myſtica, illa etiam quæ per inſtrumenta ſe demonſtrent. Et hæc pars tractatum ſpecialem depoſtulat. Dicemus ad præſens quantum ſatis eſſe pro declaratione promiſſionis opinamur. Concurrunt ſiquidem in muſica ſenſibile, ſiue fiat cantu, ſiue pulſu, ſiue flatu, agens, paſſum, medium, ſonus, obiectum. Sicut in pſalterio eſt ille qui ludit tanquam agens, & ipſum vas ſiue inſtrumentum pſalterij, eſt medium ſcilicet aër repercuſſus, eſt ipſe ſonus qui eſt qualitas ſenſibilis ab auditu propriè perceptibilis, eſt obiectum, litera ſcilicet ſeu pſalmus qui cantatur ſiue ſenſus eius. Conſtat autem quod gamma manuale nō agit per ſuam cognitionem aliquid iſtorum, quia nec cauſat ipſum quod agit, nec medium per quod agit, nec ſonum quem efficit, ſed eſt tantummodo quoddam exterius, quod aſpiciens ipſe qui agit format in animo ſuo vel in corde ſpeciem ſeu modum cantandi.

Inde eſt quod poteſt aliquis habere talem formam ſeu ſpeciem in animo qui nullum formabit canticum, vel quia non vult, vel quia non poteſt propter defectum inſtrumenti vel medij. Ars iſta nihilominus manualis non dicitur inutilis, quoniam docet numerum, pondus & menſuram, quibus eſt formandus ſonus vt reddatur harmonicus. Diſcreuit vtrâque qui dixit: Exerce ſtudium quamuis perceperis artem. Quali exercitio probabile eſt Mariam occupaſſe ſe nutriendo puerum Ieſum, vocaliter etiam concinendo inſtar angelorum canentium: Gloria in altiſſimis Deo. Et hoc vel ad pueri reuelationem māmabilis dormituri, vel ad deuotionem ſimul & conſolationem tempore peregrinationis ſuæ, pſallendo nunc Magnificat, tunc benedictus, vel Nunc dimittis, vel alia cantica Sion cum pſalmis, quos de filio ſuo nouerat propheticè compoſitos, audiente crebro cum religioſa pietate ſponſo ſuo virginali Ioſeph, vbi & præueniebant Angeli coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Et ibi puer Ieſus Benjamin adoleſcentulus in mētis exceſſu. Quas hoc loco poëtarum Muſas prætuleris verbo ſapientiæ, quod eſt fons vitæ, non equi volantis pede productus in Parnaſſo monte, ſed emanans à throno Dei cryſtallo ſimilis à montibus æternis, quem fontem ambiunt pro muſis nouem ordines Angelorum, qui non ceſſant vna voce laudare, benedicere, glorificare viuentem in ſecula, non Palladem fabuloſam, ſed ſapientiam Dei veram.

Verum pergamus ad reliqua. Gamma myſticum plus confert in cantichordo ſeu cantichordis ſpiritualibus, quàm manuale gamma in cantico ſenſibili oris vel inſtrumenti muſicalis. Hoc eſt profectò notandum valde myſterium, quod elicitur ex præmiſſis ex aſſignatione diſtinctionis cantichordi à cantico oris, quoniam primū liberum eſt elicitiuè, non ſecundum. Concurrit in primo voluntas hominis pro agente, ſimul & patiente & medio, nil aliud eſt quàm liberum velle ſuum. Poteſt igitur dum vult & quando vult pſallere in ſe iuxta exemplar quod inſpexerit in gamma noſtro, nunc concinendo per a. gaudium, per e. ſpem, nunc per i. compaſſio- A nem, aut ſi voluerit fiat in ſe o. timor, vel v. dolor grauis. Puto quiſquis hoc ſapienter nec minus humiliter attenderit, cognoſcet fructuoſum eſſe gamma noſtrum.

Fructuoſum dixerimus vt nouella corda in Chriſto dum aduenerit tempus amantium, iuxta parabolam Ezechielis, dum euaſerit in ætatem illam in qua ſuæ ſint libertatis pro libito voluntatis vt ament & cantent. Sciant paulatim componere cantica amatoria caſtiſſimi cordis, vt B addiſcant hymnis iam compoſitis ſuos affectus conſonare, quemadmodum nouerat beata illa anima Mariæ, frequentando dulcia cantica canticorum, quæ dicuntur drachma vel drachmata, vel drachmatica, vbi ſcilicet ſit amantium mutua non expreſſis nominibus proprijs allocutio, inchoante dilecta & dilecto reſpondente. Itaq; vox oris vox iocunda, vox decora, quando laudi concanora pura eſt vox cordium.

Gamma myſticum poteſt ad conſonantias muſicales, quæ vulgariter appellantur tertia, quinta, C octaua deſeruire, ſimiliter & ad tonos ſeu neumenta. Poſſet hoc intuitu primo videri contrarium prædictis de diſtinctione cantichordi à cantico oris, quia fit introrſus cantichordium, nec participat cum eo alienus, nec conſequens ipſi conſonat per diateſſaron aut diapente, aut diapaſon. Quoniam inſuper aduerſari videtur illud philoſophicum quod impoſſibile eſt intellectum ſimul plura intelligere. Similiter igitur nec canere nec notulare, denique nondum apparet D ars tradita de tonis affectionum, quemadmodum de vocalibus neumis inuenitur. Difficilia iſta nec vſitata fatemur, ſed nonnihil nos ſperamus eſſe dicturos.

Legitur beatus Ignatius vir totus ignei cordis & philocaptus in Chriſtum voces angelicas audiuiſſe ſupra montem vnum, qui præmiſſis antiphonis conſequenter intonabunt hymnos quemadmodum deduxit ad Eccleſiam ſuam celebrandam. Si voluerit igitur aliquis cantare in corde ſuo exemplo Annæ & Apoſtoli & plurimorum, E cur non poterit ſibi componere neumata iuxta variam pſalmorum & affectuum qualitatem? Hoc autem vocabulum neuma cur ad ſignificandum Spiritum ſanctum tractum eſt, non ſatis inuenio, niſi quod ſpiritus Domini continet omnia, & ſcientiam habet vocis, quod perſpicuum fuit in Apoſtolis. Significat autem neuma combinationem vocum vel notularum ordinatam. Porrò ſicut adoleſcentuli diſciplinantur primitus vt notulas & voces cantici oris ſciant nominare, F digitis iuncturiſque iungere, ſciant poſtmodum dum nunc vno nunc alio modo cantando combinare. Deinde literam notulis applicant, tandem generatur in eis ars cantandi ſine numeratione cuiuſlibet notulæ, impedirentur enim, quæ ſi perfecta eſt, dicente philoſopho, non deliberat. Non aliter quanto fuerit aliquis in meditando veritates ſalubres habilior, in cauendis affectionibus ordinatis agilior, tanto fit, cæteris paribus, ad cantichordum promptior, adeò quod vocales quinque poterit in quolibet verbo repertas ad meditationem reducere cum affectu. Sed quia non omnium eſt hæc exercitatio, poterit ſaltem

vnuſ

Digitized by Google

vnuſquiſque dum ſenſerit euagationem ſuæ mentis extra literam vel ſenſum eius, redire protinus ad cor, & dicere velut per interiectionem & ſuſpirium & gemitum. O. pro timore, V. pro dolore, I. pro miſeratione, E. pro ſpe, A. pro ſpirituali lætitia reparanda in ſe. Dicemus hic vnum pro vagis & profugis in cantibus Eccleſiæ, quod pium valde, nec obliuioni tradendum ingratè. Hæc ſiquidem quantumlibet oberrauerit in cogitationibus etiam criminalibus, ſi rediens hoc modo ad cor ingemuerit dicens. Pœnitet me. Redditur continuò virtus efficax & viuax ſuo cantico: nedum interiori ſed vocali, quamuis ex priori fuerit origine culpabile. Nihil enim prohibet diuerſorum eundem actum exteriorem naturaliter fieri, nunc bonum nunc malum moraliter. Hinc Ambroſius monet in hymno. Flameſcat igne charitas, accendat ardor proximus. Quoniam ſi charitas adſit, non erit iam velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.

Gamma myſticum fas eſt multiplicare ſecundum phraſim, hoc eſt eleuationem & depreſſionem ſub dictis quinque vocalibus, & amplius quam multiplicetur gamma vetus ſub ſex notis vel vocibus. Exemplum fuit in ſpiritibus Chriſti & Mariæ, qui voces affectuum eleuauerunt vſque ad clamorem altiſſimum, & ad humiliationem inattingibilem deduxerunt. Sic de beatis ſpiritibus dicit proſa. Mirantur hic eleuatio, & deficiunt hic omnimoda depreſſio. Non eſt igitur neceſſaria multiplicatio phraſis quinque vocalium in gamma noſtro. Quod ſi quis multiplicationem figurari vellet, poterit hoc vel per additionem punctorum in ſurſum, vel depreſſionem in deorſum, aut certè per lineas quinq; vel ſex iſtud oſtẽdere vel in libris vel muſicis inſtrumentis exemplum.

Gamma nouum multiplicatur ſecundum theſim, productionem ſcilicet & breuiationem per pauſas, inſuper & diapſalmata. Ratio ſimile eſt in præcedentem ſignificationem quam vocales recipient, ſecundum quod in interiora fiet punctuatio plus aut minus. Hoc autem facere non eſt omnium ſed contemplatiuorum & meditatiuorum, qui pro conſuetudine exercitatos ſenſus habent. Verum attendendum eſt illud philoſophi: Fabricando fabri fimus. Ita de Cantic. Spectaculum iſtud gratiſſimum cernere erat apud Deum & Mariæ ſpiritum. Quanta putas interciſione vocis cordis, quantis cum interuallis nũc celerioribus nunc tardioribus cantat dilecta de dilecto: Dilectus inquit, meus mihi. O quot dedit intelligi vocem frangens reprimens, & ſecum multa voluntas priuſquam ſubiungeret: Et ego illi.

Gamma myſticum canticbordi recipit conſonantias intelligibiles à ſpiritu cantante in ordine ad exteriora cantica, vel cordis vel oris vel operis. Teneamus in primis certum de Maria, quod canticum liberum mentis deriuabat per imperiũ in organum cordis carnis. Probabile eſt inſuper, immò certum ex Euangelio, quod cecinit cantico oris dum conſonans iubilationi Eliſabet & ſuæ voci clamoſæ & magnæ: Beata quæ credidiſti. Laxauit os vt caneret ſecũ: Magnificat anima mea Dominum. Quid ſi addiderimus conſonantiam pueri Ieſu, ſi Ioſeph virginalis ſponſi, immò melodias ſpiritus angelici, qualiter conceſſum eſt Mariæ Magdalenæ, qualiter Ignatio, qualiter Vincentio, & ita de plurimis audire. Quibus probabile eſt illud eueniſſe conſonando ſibi. In conſpectu angelorum pſallam tibi: Audi quid Agnes de agno ſuo philocapta gloriatur. Cuius inquit, organa mihi modulantibus vocibus cantant. Nónne tibi perſuaſum eſt Mariam dum fuit proxima morti, cigneum aliquod ſuauiſſimum in ſua reſolutione cantaſſe. Sic de Chriſto dicit pſalm. Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ. Fallor ſi non addere fas habemus ad conſonantiam Mariæ carmina omnium cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Qualiter Eccleſia hymnizat dicens: Aurora lucis rutilat, cœlum laudibus intonat, mundus exultans iubilat, gemens infernus vlulat. Quod ſi mirabitur aliquis, poſſe ſtridores inferni, fletus, vlulatus & væ concinere cœlo & ſanctis eius. Attendat quo pacto fit vt lętetur iuſtus cum viderit vindictam. Quo pacto rurſus poteſt homo etiam viator reparare videlicet carmen quantumcunque diſſonum prius per obſtrepentem malam voluntatem, dum tradit ſe ad pœnitentem affectum, vt qui prius erat ſub tenore damnantis iuſtitiæ, nunc fiat ſub molli cantu compatientis & indulgentis miſericordiæ. Expectet tamen quiſquis eſt huiuſmodi lamentationes & væ canendas ſibi eſſe, quoniam mandauit Dominus in nocte culpæ vel pœnæ canticum eius. Diſſonant venialia plurima, ſed ipſum carmen non abrumpunt. Reſarciunt potius aſſiduis ſuſpirijs ingemiſcendo nunc per v, nunc per o, nunc per i, ſperando denique vel gaudendo per e. a. At verò non opus eſt hic & nunc carmina veteris hominis venundati ſub peccato vocem habentis obtuſam & raucam vel penè nullam recordari, quamuis mutua comparatione noſtrum cantichordum cum gemma ſuo ſuauius appareret: quamuis præterea redderetur credibilius animali homini quicquid ſpiritualis affirmat de canticis proprijs ſuiſque iocunditatibus virtuoſis, vt ſi fieret comparatio philocapti fatui cum caſto philocapto in cœleſti amore, ebrij carnaliter cum ebrio ſobriè ſpiritualiter, zelantis ſeu zelotypi prauiter à zelo bono ſecundum ſcientiam, & ita de ſimilibus.

Fiebat obiectio ſuperius, quam mens non poteſt intelligere, nec exinde cantare ſimul plura, ſed apud philoſophos conquiſitio remaneat. Certum nobis eſt animam Mariæ, & multo amplius Chriſti, beatos quoque ſpiritus tam in verbo quam in proprio genere, tot ſimul intueri, tot ſimul obiectis affici quod nõ eſt numerus. Vidit Benedictus quaſi ſub vno ſolis radio mundum collectum. Colligit Anſelmus ex gaudiorum reflexionibus gaudium in quolibet infinitum, quod non capere ſed intrare dicitur. Videt oculus athomos innumerabiles radiante ſole & partem totam hemiſperij circungyratione facillima cernit. Porrò quid auris in iocundo murmure riui? quid in tremoribus chordarum & cymbalorum infinitis valeat percipere cognoſci-

mus? Siquidem ſonus omnis minutias ſecundum proportionem habet infinitas, ſicut & omne cõtinuum in ſemper diuiſibilia ſecabile conſtat eſſe. Amplius in tonis ſenſibilibus videre eſt ſuper vnũ tempus poſſe fieri verbula ſeu floretos vel floſculos per minutias notularum, quandoque quatuor quandoque ſex. Sunt qui participationem ad octo deducunt, iuxta vocis mollicíem ductibilem. Quanto facultas talis amplior eſſe in cantichordo mentis cenſenda eſt.

Exemplificemus in a. gaudio. & in v. dolore,& ſingulum horum ad denarium facili deductione flectamus,& ita de alijs tribus fiet perſpicuum. Ecce gaudeo primo, quia ſanctè gaudeo. Secundò, quia non malè gaudeo. Tertiò quia ſanctè ſpero. Quartò quia non malè ſpero. Quintò quia bene miſereor. Sextò quia non malè miſereor. Septimò iterum gaudeo, quia ſanctè timeo. Octauò quia malè timeo. Nonò quia ritè doleo vt in pœnitentia. Decimò quia non malè doleo, vt de ſeculi triſtitia. Rurſus idem aperiamus in v. dolore quaſi viceuerſa. Ecce doleo, primò quia malè doleo, ſecundo quia non bene doleo, tertiò quia malè timeo, quartò quia non bene timeo, quintò quia malè miſereor, ſextò quia non bene miſereor, ſeptimò quia non bene ſpero, octauò quia male ſpero vt in vanis, nonò quia malè gaudeo, ſicut qui exultant in rebus peſſimis, decimò quia non ſanctè gaudent de diuinis.

Poſſemus conformiter ad hanc multitudinem oſtendere, quod non eſt pſalmus, non verſus pſalmi, non verbum, non denique ſyllaba, ad quam & ſecundum quam non poſſint conſonè vocalem ſuam, ſit a. ſit e. ſit. i. ſit o. ſit v. voces ſpirituales quaſlibet quodlibet depromere. Sic Maria in ſuo magnificat per omnem vocem muſicalem agili voce concurrit, ſic in alphabeto, ſic in Pater noſter, ſic in ſuo Aue Maria, ſic in Credo fuit, ea viuente compoſitum, ſic in Benedictus, ſic in Nunc dimittis. Quid conor per ſingula cum in quolibet hymno dicam amplius in quolibet verbo ſuo, per omnem vocalem pro ſe vel proximis cocinere fas habebat.

Irrideat nunc aliquis ſi poteſt, ſi audeat gamma myſticum, immò verò non iam irrideat, non reijciat, non conſpuat, quia ſi ſapiens eſt, ipſe audiens ſapientior erit, ſi inſipiẽs, poterit ad ſapientiam venire ſalutarem pariter laudis, & ſi vacet vt videat, ſi quieſcat vt audiat, ſi oret vt ſapiat, ſi mereatur per orationem tandem agnoſcere, quid pſalmus iſte ſonet. Beatus populus qui ſcit iubilationem. Gamma myſticum poteſt exponi vel ampliari per nomina quinque paſſionum quaſi totidem vocum, licet in connotatione verba ſeu verbula deficiant. Et primò ſpecies omnis temperantiæ & fortitudinis quæ ſunt in concupiſcibili & iraſcibili, mediant inter paſſiones vtriuſque vitioſas. Sed diſcurramus per ſingulas voces.

Ecce reducuntur ad a. delectatio quaſi quædã delectatio, quoniam vt lac ſe infundit, dum meditatio premit, affectio ſurgit. Lætitia quaſi laticia, quia dilatat, voluptas quaſi volubilitas, nunc hac nunc illac circa rem dilectam apprehenſam. Iocunditas, quia prouocat ad iocum qui facilis eſt, nec laborat. Hilaritas, quia ſe foris facietenus explicat, maximè per oculos in

A honore læto. Alacritas quæ eſt vigor vtendi ſe & ſuis officijs expeditè. Liquefactio quæ ſe proprijs terminis non continet pluſquam aër aut aqua, ſed labitur in rem amatam. Defectio quæ non ſubſiſtit in ſua virtute, conatur vel operatione, ſed cadit in rem dilectam ſicut calefactio. Ebrietas quæ non videtur eſſe ſui compos præ amoris magnitudine. Satietas tamen quæ non excludit deſiderium, ſed faſtidium, vt ibi. Fruuntur nec faſtidiunt, quo frui magis ſitiunt.

B Fruitio quæ eſt inhæſiuè in re amata propter ſe cum quiete. Transformatio non per ſubſtantiam ſed aſſimilationem qualitatiuam in amore viuo, exultatio, tripudium, iubilatio, plauſus, ſaltatio, gratiarum actio, vox laudis.

Reducuntur ad e. ſpem, quæ non accipitur hic prout eſt virtus theologica, ſed generaliter pro deſiderio boni futuri, tendentia expectatio, eſuries, ſitis, ardor, audacia bona, ira bona, zelus bonus, anhelatio æmulatio bona, ſuſpirium, con-

C cupiſcentia.

Reducuntur ad i. compaſſionem miſeratio, miſericordia, pietas, mititas, manſuetudo, benignitas, liberalitas, munificentia, eleemoſyna: id eſt effectus miſerandi: tam in ſpiritualibus quam in corporalibus incommodis. Reducuntur ad o. timorem fuga, deſperatio bona, ſegnicies bona, ſtupor bonus, admiratio, erubeſcentia bona, verecundia bona, horror, agonia, trepidatio, formido, abominatio peccati, nauſea voluptatis malæ, faſtidium bonum, tædium bonum vitæ

D huius, timor reuerentialis, qui eſt quædam reſilitio in propriam paruitatem ex conſideratione ſuperioris maieſtatis, aut eſt reſilitio formidabilis ad proprium adiutorem cum conſideratione vigentis neceſſitatis. Reducuntur ad v. triſtitia, contritio, dolor, odium bonum, deteſtatio, inuidia bona, cruciatus, torſio, planctus ſeu plangor, lamentum, rugitus, gemitus, vlulatus, languor.

Poſſemus omnes has quinque reſonantias in

E aſpectu crucis notare, & in. x. litera. In Chriſto quoque qui fuit in myſterio redemptus quinque ſiclis. Sed & in matre eius ſecundum Euangelij tenorem & notulas. Vis audire cantichordum Mariæ in a: Magnificat anima mea Dominũ. Vis in e. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdum verbum tuum. Vis in i. Vinum non habent: Vis in o. Turbata eſt in voce Angeli, & timuit illo ire. Quis nempe? Ioſeph ſponſus, non dubium quin ſponſa Maria timoris conſors fuit. Vis in v.

F Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Vis rurſus in i. ſimul omnia conſonante: Erige cordis aures ad voces ſpiritus ſui dum proprium filium, dum dilectum oris ſui viſcerum quoque ſuorum & votorum conſenſit crucifigi pro redẽptione noſtri, dans nobis illũ vtique cũ gaudio & exultatione, quæ ſummã ſuperabant carnis anguſtiã. Alioquin qualiter impleſſet quod dicitur. Hilarem datorẽ diligit Deus. Deſideriũ rurſus quod habuerat cũ filio nos per crucẽ redimi dũ implebatur. Nõne quæſo delectabat? Nũquid nõ prætereà crediderimus eã cõgratulaſſe ſaluti latronis, cũ audiuit

Digitized by Google

audiuit à filio. Hodie mecum eris in paradiſo. Cum orauit inſuper filius pro perſequentibus: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Viderer ſuperfluus ſi Chriſti canticum per has quinque voces pręcipuè per mollem canticum miſericordiæ quo nihil hominib⁹ acceptabilius eſſe debet, vellem intimare. Exhilareſce ad hæc & ſpera tu qui perieras miſerande homo. Quid vltra negare tibi mater miſericordiæ poterit, ſi proprium pro te filium conſenſit offerri tantæ miſeriæ? Quid concedet beatifica in cœlis, quæ talia dabat in terris afflicta? Perdidit miſeriā nunquid & miſericordiā, perdidit paſſionem, ſed nunquid compaſſionē? Perdidit profecto compaſſionem afflictiuā, ſed retinet compaſſionem electiuam atque ſuccurſiuam. Reddamus ei viciſſitudinem qualiter hoc inquies fiet? Aptemus ei iugiter voces cantichordi noſtri per verba cantichordi ſui vni verbo Euangelij. Concordemus pariter voci cōſilij vocem voluntatis, noſtræ, quodcunque dixerit vobis inquit facite. Sed hoc quodcunque facere ſcis omnino non poſſe nos ô beata niſi dicēs filius tuus dederit voci ſuæ vocem virtutis. In cuius verbo laxantes operationis rete & ſimul opem ferente compleamus iuſſum tuum quodcunque dixerit vobis facite. At verò pauſandum eſt tandem aliquando, verbóque noſtro finis damnandus eſt. Nec ignoramus futuros eſſe nonnullos quibus aptior videbitur quædā ſimplicitas vnius vel paucorū affectuū pro ſua exercitatione, quēadmodum ſimplicibus ruſticanis plus placet aliquando tympanum, gallicè *tabour* ô meruendo, & fiſtula repetens aſſiduè idem, quoniam aures ad ſubtiles harmonias non habent idoneas. Habemus in collationibus patrum de reductione omnium affectuum ad hæc verba: Deus in adiutoriū meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Edidimus nuper monochordū ſuper orationē Dominicā, ſub vna amoris chorda. Dehinc pſalterium decachordū ſuper vna tantūmodo, ſecundū vnam cōſiderationem, aut ſuper tribus ſecundū alteram, aut deniq; ſuper decem cōformiter ad legis decem verba. Alijs verò delectabilius eſt alternis, vti cū natura pro ſua mutabilitate in mutatione delectetur. Demum gamma noſtrum ſub quinque verbis quæ volebat Apoſtolus loqui ſenſu ſuo, poterit omnibus accommodum fieri rudibus & peritis, multiuolis & pauca quęrētibus, ſint pueri, ſint ſenes, ſint puellæ vel virgines, maximè quæ diuinis mancipantur pſalmodijs.

Plus enim valet hoc loco pia deuotio quam eruditio literata, plus pœnitens affectus quam veſtigans intellectus, prout in opuſculis & induſtrijs de theologia myſtica inuenerimus annotaſſe. Tantummodo diſcat diſcipulus Chriſtianus reducere ſe ad ſe, vt præcurrat prior in domum ſuā, & illic ludat conceptiones ſuas agat. Non in delictis ait ſapiens, nec in verbo ſuperbo, quod prorſus aduerſum eſt verbo Dei.

Superſunt ad extremum multa ſuper auditu melodioſiſſimo verbo Dei, quæ noſtrum gamma nouum ornaretur, vt quis auditor, quis cantor, quis exauditor idoneus vbi de omni genere muſicorum in pſalmis memoratorum, cantu, pulſu, flatu, mente ſpiritu, praxis addenda eſt ad gamma noſtrum. De canticis inſuper exultationis & lamentationis per maximas, quales ſunt in dialectica & rhetorica loci, ad triplicem inueſtigationem, hiſtoricam videlicet phyſicam & theologicam, latius oportet canticorum omniū originem naturámque venari. Elegia denique caſta verſibus imparibus caſtos cantabit amores. Sed tanta ſunt ad præſens dicta ſatis, concordante noſtro præcentore qui ait: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. In cuius fiducia verbi, vacans pro vacantibus cantichordi verbum feci.

TERTIVM OPVSCVLVM.

VOLVMEN aliud colligit in ſe tomos tres, plus ſecundum modos traditionis varios, quam pro diuerſitate materiæ. Primus tomus conciliat, & ſequi facit facetam elegiam cantatricem amorum Domine theologiæ, quaſi lyricum & odarum carmen. Secundus tomus alter ſecundus habet canones ſeu regulas, aphoriſmos vel maximas aut theoremata, de canticis per notulas quinquaginta. Tertius tomus alter tertius verbum ſolatij multiplex in ſe dirigit per particulas quinquaginta. Et ita iuncti ſimul hi duo tomi, centilogium conſtituunt.

Carmen ſuper recogitatione mortis.

Cerne quis es quid agis, moreris, dic duc cor in alta,
Cor cruce compungant ſpes, timor, ardor amant.
Cantica, ſaltum, lamentum, planctúmque frequenta,
Iungito iocundum pſalterium cythara.
Concinet ſicut olor tua dum mors imminet, ô mors
Mortua morte Ieſu, ſis mihi porta poli.
Tempus adeſt anima quo ſponſa cubile beatum
Sponſi conſcendas fœdere perpetuo.
Ergo cantet hymen, mens, os, cor, lingua vigórque
Plaude, ſali coram, te iubilus rapiat.
Te tamen & tua fle, tua ſit ſpes vnica Chriſti
Paſſio, ſit meritum gratia ſola tuum.
Buccinet aure tua ſonitu vario tuba duplex,
Terreat ite tonans, blanda venite leuet.
Turturis hæc faciens iunges ſuſpiria, ſuaui
Quod vel alauda canit vel philomela melos.
Cor tremit ob tractus varios, dum lætitia vis
Cor vehit in altum, mox premit anxietas.
Carmina nocte Deus tibi dat dum te peregrè fers,
Fac reſonet ſua laus iugiter ore ſuo.

De laude muſicæ.

Muſica diuini noua pulſu quæ fit amoris,
Extolli nulla laude ſatis poterit.
Cor recreat, curas abigit, faſtidia mulcet,
Fitque peregrinis quos vehit apta comes.
Per medias hyemes, per ſoles carmine fiſus,
Ibo ſpe patiens, lætus, alacris ouans.
Nam fugiunt triſtes cantu per inania curæ,
Omnis & inſidians hoſtica peſtis habet.
Vertitur occurſu pſallentium Saul velut alter
Factus homo, pſallit, fitque propheta nouus.
Exagitat, nequam dum ſpiritus hunc, cytharedus

Digitized by Google

Paſtor per numeros cogit abire David.
Vatidicus deerat Helizeo ſpiritus olim.
Dum cecinit pſaltes protinus implet eum.
Pythagoras motus fuerat componere chordis,
Adiectis cytharæ compoſitis numeris.
Spiritus ecce monet ſpirans per carmina vatum
Ad Domini laudes cuncta creata ſimul.
Vt iubilant, pſallant, exultent, vt cytharam dent,
Tympana cum chordis, organa, nabla, chorum.
Corpora ſpiritibus ſunt organa conſona, mundus
Eſt chorus vnus quo ludere nois amat.
Carmine mundano ſibi diſſona praua voluntas
Concordans toti, fit moderante Deo.
Ornat & ipſa notis breuibus longiſue camœnam,
Improba viuendi mors variando vices.
Diſcantum mollem, miſerans dat gratia raucis.
Stridet de penis culpa tenore graui.
Heu fuge de tali, fuge deprecor eſſe tenore,
Vt ſis ſub molli, molle cor adde tibi.
Quid quod corporibus curandis muſica prodeſt,
Dum cor lætificat, lenit & alleuiat.
Dant vtrumque tibi gentiles, pulcher Apollo.
Carminis, & medicæ Phœbe ſepertor opis.
Colligitur pulſu venarum muſica chordis,
Quæ ſit temperies, quæ arſis atque theſis.
Hoc medicus tactu iuuenis coniecit amorem,
Cuius in Agnete cor furit igne graui.
Carmina non loquimur nunc execranda magorum,
Nec niſi myſticus eſt ipſe poëta placet.
Amphion ac Orpheus cantu mouiſſe feruntur.
Hic lapides, diras hic furias Erebi.
Moribus hæc duris ſi tranſers inſtituendis.
Mutandique bona dogmata ſalubre canunt.
Adde quod in populis mutat vel iam variatos
Inſinuat mores muſica cuique ſua.
Eſt grauis huic, petulans illi, mollis vel agreſtis,
Vnáque dilatans cor vehit, iſta premit.
Eſt diatheſſaron, eſt diapente cum diapaſon
Triplex legitimis copula nexa tonis.
Rurſus in octo tonos finem, medium caput omnes
Cantus partiri ſuſcipit eccleſia.
Antiphonas dedit ad pſalmos Ignatius aptas
Monte prout quodam deſuper audierat.
Turpibus & fœdis infantum quæſo cauete
Flexibiles animos cantibus inficere.
Feſtinat in teneras energia carminis aures,
Vret vt vrticæ cor tibi, lubri vox,
Vrit cantando, facit idem ſæpè videndo
Femina, flagitij, fundit vtrumque virus.
Quid numeremus aues, humano quæ capiuntur
Cantu, nec cantum deſpicit vlla ſuum.
Piſces & cerui mulcentur cantibus, ægris
Antidotum varijs muſica crebro fuit.
Præbe fidem Græcis, Delphinus Ariona vexit
Fluctus per medios, dum lyra mulcet eum.
Fiſtula paſtoris pecudes, armenta gregiſque
Solatur, nec eas terret imago lupi.
Paſcua tunc ſecura metum, minuítque magiſtro
Tædia paſcendi ruſticus iſte ſonus.
Fiſtula Pan Phœbi cythara certauit agreſtis,
Iudice te Mida victus Apollo fuit.
Iudicium nam cuique ſuum, ſua cuique voluptas,
Sic natura ſuum grande melos variat.
Buccina terribilis animoſum pectus equorum
Bellis exacuit, militis ira viget.
Fœmina dum texit donec puerôque ſoporem
A Ducens in cunis cantat inepta rudis.
Cœlica turba Ieſu nati feſcennia cantat,
Pax homini terris, gloria celſa Deo.
Ruſticus arua colens, in vociferendo iocatur,
Cantat, & alleuiat inde viator iter.
Artem quiſque ſuam mulcet dirúmque laborem
Qualicunque ſono, ſit licet aſperior,
Vox deuota Deum placat iratum, placet armis,
Ciuibus, ipſa choris concinit angelicis.
Vocibus Eccleſiæ pater Auguſtine fateris
B Motum te lacrymis ora rigaſſe pijs.
Felix cuius erant peccata retecta Maria,
Quæ totiens voces cœlitus aure capis.
Organam dum cantant ſibi ſoli, corde canentem
Corde Deo pleno Cæciliam legimus.
Cordibus vt noſtris pſallamus Paule monebas,
Actio nam talis iure beat duplici.
Inchoat hic & nunc cœlum, vitaque beatæ
Moribus & ritu degit in exilio.
Mors venit in terra quæ carnis vincla reſoluit.
C Cantantem in pſalmis victor in alta vehit.

Eccleſiaſticorum exhortatio ad cantum.

SEmper in ore tuo ſit laus, ſint cantica Sion.
Quamuis captiuum te Babylone doles.
Fac hoc præcipuè, cui cantus Eccleſiæ dant
Abſque labore cibos, veſte, domóque tegi.
Hoc leue pondus & hoc tibi ſponte iugum poſuiſti,
Fer nedum viues rumpe vel excutias.
D Sed tædet dices eadem totiens iterari
Mentem cum cerebro vox reboanda grauat.
Quo crucier doleámque modo neſcitis amici,
Fundere ſufficiat corde preces Domino.
Frater nil magnum ſine magno vita labore
Fert hominum, perſtes, vſus alacris erit.
Tu tibimet crebrò dic Eccleſiæ vice fungor
Pſallentiſque dolor vertitur in meritum.
Paucis crede datur conſtans oratio cordis,
Laudandum ſed opus, dum canis ore, facis.
E Reddis vota Deo, tua fratrum debita ſoluis,
Corpus dum torques frigore, fame, ſiti.
Lex hac eſt hominis veteris, labor & ſudor hic ſit
Poſterius requies væ ſine, cantica laus.
Viuere non fas eſt homini ſemper prout optas,
Optet quod lex vult, & ſua tempora dant.
Redde prius Domino quod debes, deinde vacabis
Scripto vel ſtudio, ſeu meditare ſilens.
Scito valere nihil ſtudium, non martyrium, nec
Cor raptum, niſi ſit iuſſio facta Dei.
Inde metire tuos inſtinctus, quando ſequendi,
F Nam motus cordis fallere crebro ſolent.
Te deſiderio cordis committere noli,
Commentiſque tuis ſed patris imperio.
Eſto tuis ita ſolicitus ſtudijs, quaſi ſemper
Cor ſit ad arbitrium præſto redire tuum.
Gratia dux hoc ſola poteſt conferre, precemur
Gratia ſit iutrix, ſit comes aſſidua.
Triſtis es æquo tunc animo pſallens tibi vim fac
Vim patitur cœlum, vim faciamus ei.
Mox veniet gaude mors te de carcere ſoluens
Pſalmis cantantem victor ad alta vehet.

Digitized by Google

De laudibus elegiæ ſpiritu alis.

Q*Viſquis amas prolem, metris ignoſcito noſtris,*
Sponte ſtilo veniunt, córque lepore trahunt.
Diuos blanda libens elegia cantet amores.
Tracta malis toties ſerua libidinibus.
Soletur ſenium, iam non captiua reſectis,
Unguibus & caſto coniugis apta thoro.
Cur non ancillæ phroneſis ſi libera fiet,
Mundáque complacito confoueare ſinu.
Non maieſtati dictorum detrahit vſus
Metrorum, maius pondus eis tribuit.
Verſibus omnimodis vates ſcripſiſſe ſciuntur
Ut Hieremias, Job, ſic Dauid & Moyſes.
Carmina compoſuit Salomon rex milia quinque,
Cantata eſt mulier fortis ab ore ſuo.
Frenant ne vaga ſit metra mentem plurima paucis
Arctant & præſtant eſſe ſui memores.
Plus ſenſus, plus lucis habent, plus ordine pollent
Verſus, ſi cor eis cum ſtudio dederis.
Verius & breuius ſeruantur ſcripta ligata
Metro, nam vitium protinus inſinuant.
Fortior eſt vox quæ per ſtricta foramina tranſit.
Quam quæ decurſu liberiore meat.
Non aliter metris ſententia preſſa canoris.
Vi maiore ſonat percutit & penetrat.

Legatur per modum dialogi.

R*Eſpicit an ſenium repetens puerilia? non; ſed*
Vult aquilæ ritu, vita redire prior.
Dæmonium caueas, lateat ne meridianum,
Vanis in ſtudijs perdere tempus amans.
Cedant vana precor, cedant; ſed cum pietate,
Carminibus textis, fructus ineſſe poteſt.
Aſt meliora poteſt, flendi quoque tempus & ætas:
Et quis in hoc æuo ſcire poëmata vult?
Quæ meliora poteſt excluſus ab omnibus exul
Officijs? ſed nec carmina flere vetant.
Nocte Deus dat (ait Iob) carmina, rex tribulatus
Miſit (ait dominus) carmen in ore nouum.
Rara nimis fateor poëſis modò, ſed cano cœlis
Forſitan & veniet tempus amicitius.
Scenica nobis ſunt vel ludicra iure fuganda;
Quis pia culparit ſub numeris redigi?
Tutus noſtra leges non hic portenta deorum,
Non hic quæ caſtis moribus obuia ſint.
Plus prodeſſe volunt quam delectare, minorem
Quò fit vt ornatum quærere ſat ſit eis.
Otia tempora dant quibus eſt ſapientia dictis
Danda, Jeſus teſtis, otia pigra necant.

De eodem.

P*Ræbe fidem Græcis, Delphinus Ariona vexit*
Fluctus per medios dum lira mulcet eum.
Alter Delphinus rex ſæuum per mare vectos,
Nos tandem tuto littore conſtituit.
Jſte Deus, tibi laus, nobis hæc otia fecit,
Ludere cum cythara pſalterióque dedit.
Exemplar quorum tranſmiſimus & monochordum,
Scachordum quoque mens addere noſtra cupit.
Offert quiſque ſuo gratus ſua munera regi,
Carmina non nihil eſt myſtica poſſe dare.
Jnque dies intus ſi noſter homo puereſcit,
Quis neget huic puero ludere carmitibus?

Dum cor feruet ei, dùm totus amat, per amorem,
A *Dum venit ætas & tempus amantis ei.*
Conciliat ſacros hymenæum carmen amores,
Coniugium, nec gens abſque canore probat.
Sed caueat puer hic quid degeneres in amores,
Rurſus & in veteres corde redire feces.
Ebrietas in eo ſit ſobria, ſitque cubile
Sanctum, complexus oſcula caſta nimis.
Sit nec amore ſuo vel mas, vel fœmina, carnis
Nudus & ab ſexus ſpiritus eſt & amor.
Eſt quod miſeris tamen iſtic fœmina virque
B *Sponſam dilectam ſponſus amicus habet,*
Spiritus hic animæ ſit cum diuiſus oportet,
Tale ſciendum cui myſterium fuerit.
Sermo Dei viuus valet vnicus iſta ſecare
Diſcretor cordis cunctáque proſpiciens.
Mutuus eſt zelus ſponſi ſponſæque fruendi,
Se totis ſupereſt vnica ſpes patriæ.
Hinc fuge dilecte mi clamat ſponſa, ſcit ipſa,
Non hic, ſed cœlis eſſe viri thalamum.
Ipſa ſubinde petit, vbi paſcit, vbi cubat alta
Meridie, terris ne vaga ſit ſtolidis.
C *Paſcitur interea ſi ſuſcipit oſcula ſponſi,*
Vbera ſi tractet quæ redolentia ſunt.
Ebria fulcitur malis & floribus, inter
Brachia ſe ſponſi proijcit in requiem.
Felici fruitur ſomno, ſponſus coniurat, & omnes
Audiat vt ſomnum rumpere nemo ſuum.
Ad vigilem quandoque venit ſaliens & alacris;
Clanculo proſpiciens voce ſonante veni.
Alternat veniendo vices, alternat amica
Quærendi ſtudium, languet amore pio.
D *Ad vocem liqueſit ſponſi gaudéntque viciſſim*
Laude ſua demum quicquid agunt amor eſt:
Otia ſola placent ſponſæ, loca ſola requirit
Nec ſponſo nec ei turbida turba placet.
Rumpit verba ſibi vigor igneus, æſtuat intus,
Quem nec corde capit, nec reſerare valet.
Quò rapimur, quò nos elegia protrahis? euge
Concaluit video ſpiritualis amor.
Iam ſileas olim veniet ſpecioſior hora,
Nunc ſatis in labijs te liberaſſe malis.

E

TOMVS SECVNDVS.

Centilogium de Canticis & ſolatio. Primum verbum; de deſcriptione Cantici per quinque verba.

CANTICVM eſt vox numeroſa ad Dei gloriam ordinata. Vox ibi ponitur pro genere & quaſi materia. Ponitur numeroſa pro differentia & quaſi forma. Finis debet eſſe Dei gloria. Canticum in ſua generalitate deſcriptum, accipit
F vocem conſonè ad Apoſtolum dicentem nihil eſſe ſine voce. Et attendit quod omnia fecit dominus in numero & propter ſeipſum & ſic in omnibus eſt vox numeroſa ad Dei gloriam ordinata. Canticum habet Deo agente modum per Deum exemplantem ſpeciem, in Deo finiente ordinem. Canticum redditur ex numeroſa proportione hoc pulchrum & decorum, hoc ſuaue & iocundum, hoc vtile & ſalutiferum & oppoſitos diſproportio parit effectus. Canticũ cantat omnis creatura, & ad illud inuitatur vel naturali inſtinctu, vel animali ſenſu, vel rationali ſeu intellectuali ductu. Canticorum naturam cognoſcere non

infimum eſt hominis officium, ſicut homo cum omni creatura participat, diuinæque gloriæ conditus eſt eſſe capax. Canticum vnum eſt ſenſuale vel animale, aliud eſt rationale ſeu morale, aliud eſt intellectuale ſeu diuinale, ſicut eſt ſonus animalis rationalis & intellectualis, & ita de voce vel numero. Canticum ſenſuale quod magis eſt in acceptione communi dijudicatur tripliciter, viſu, vt in geſticulationibus, auditu vt in carminibus, tactu, vt in venis pulſantibus. Canticum ſenſuale vnũ eſt comicum, aliud eſt ſatyricum, aliud tragicum. Et quodlibet eorum ſolebat in theatris repræſentari obiectaliter, tam ad oculos nutibus, quam ad aures vocibus & fiſtulationibus ſeu fidibus. Canticum ſenſuale & ad aures corporis fit tripliciter, pulſu, vt in tympano, voce, vt in choro, flatu, vt in organo. Vnde poëtica fictio tres primitus eſſe muſas ſumpſit, quamuis ad nouenarium deinceps prodierit. Canticum cum pulſu fit tripliciter, aut in rotatu, vt in ſymphonia, aut tractu aut retractu, ſicut in viella aut rebella, ſiue cum impulſu vel impulſiuo quodã tractu in vnguibus vel plectro, cum virgula, vt in cythara & guiterna, lituo pſalterio quoque & tympano atque campanulis, cymbala verò ſe collidendo tinniunt.

Canticum cum voce vel animali cantu fit tripliciter, vnũ cum naturali ſignificatione, vt in auium garritibus & in humanis interiectionibus. Aliud cum voluntaria inſtitutione, vt in hominum idiomatibus. Aliud cum artificiali modulatione, vt in rhythmis, in metris & carminibus. Canticum ſenſuale cum flatu fit aliquando folle, quandoque vento, ſæpius ore, primum artificialiter in organis, aliud naturaliter in arboribus & vndis, tertium ſufflabiliter in tibijs, fiſtulis & muſetis. Canticum ſenſuale habet effectus in brutis animalibus, in auibus & hominibus, etiam ſecũdum philoſophiam, medicinam & theologiam. Canticum ſenſuale corporaliter audibile, variatur per arſim, id eſt, eleuationem & depreſſionem tanquam in pondere per theſim, id eſt, per prolongationem & breuiationem tanquam in mẽſura ſimul & multiplicem combinationem & proportionem tanquam appropriatè in numero. Canticum rationale ſeu morale conſiſtit non ſolum in voce exteriori vt ſenſuale, ſed in interiori corde, quale dicitur eſſe triplex, vnum rationis ſuperioris, aliud rationis inferioris, tertium imaginationis. De quorum quolibet accipi poteſt apoſtolica monitio, vt cantemus in cordibus noſtris domino. Canticum rationale ſeu morale, quale poſſumus dicere cantichordum, id eſt, canticum cordis, tot habet voces, tot ſonos aut reſonationes quot ſunt propriè vel communiter dictæ paſſiones, affectus vel amores. Canticum morale ſeu cantichordum voces quaſdam habet generales & principales, quaſdam ſpeciales & indiuiduales, quaſdam mixtas aut in ſe multiplices ſecundum numerum & diſtinctionem paſſionum. Canticum morale diſtinctionem capit in ſuis vocibus tam philoſophicè quam medicinaliter quam theologicè, & ſecundum quamlibet harum ſcientiarum poſſunt omnes claro compendio reduci ad quatuor, quę ſunt, ſpes metus, mœror & gaudium. Canticum morale ſeu cantichordum, poteſt reducere ſuas voces nunc radicaliter ad vnum, nunc ad binam nunc ad trinam. Vna eſt amor Dei & proximi. Bina eſt
A idem amor Dei cum odio peccati. Trina complectitur amorem & odium cum feruore zeli, vel ſpem de ſaluatione, timorem de damnatione, & compaſſionem de ſe & quolibet viatore. Canticum morale vnum eſt laudabile, aliud vituperabile, tertiũ indifferens. Canticum morale vnum eſt meritorium aliud eſt demeritorium, tertium duntaxat moraliter bonũ vel malum. Canticum morale vnum eſt lætitiæ, aliud triſtitiæ, tertium mixtum ex vtroque, iuxta volumen Ezechieli da-
B tum, in quo erant carmina væ & lamenta. Canticum morale vnum lætificat ſobriè, aliud piè ædificat, aliud ſanctificat iuſtè, ſcilicet ad ſeipſum, ad Deum, ad proximum. Canticum morale vnum eſt terrenum, quod impium eſt deijcit, quoddam animale quod ebrium eſt & inficit, quoddam diabolicũ quod nequam eſt & interficit. Canticum morale vnum eſt ſecundum virtutes Cardinales, bonum quidem, ſed quaſi graue vel depreſſum, vnum eſt ſpirituale per donorum infuſiones velut acutum, alterum diuinale per beatitudines quaſi
C ſuper acutum. Canticũ morale fit cum myſtico pulſu ſeu plectro gratiæ diuinalis aliquando datæ gratis, aliquando gratificantis, aliquando ſpe vel re beatificantis. Canticum morale format quandoque cogitatio vaga ſine arte & fructu, quandoque meditatio ſedula cum arte & conatu, quandoque contemplatio clara cum arte & agili vſu. Canticum morale iuxta parabolam præcentoris noſtri Chriſti continet ſaltum qui eſt exultatio, iubilus & tripudium ſpiritualiter lætitiæ, vt in epithalamio.
D Continet lamentum quod eſt triſtitia, non ſeculi, ſed patientiæ ſecundum Deum, cõtinet planctum ſalutaris pœnitentiæ, vt in luctu beato. Canticorum corda ſeu fiſtula non ſonat ſuauiter ſi fuerit dirupta, ſi corrupta, ſi improportionata. Canticorum moralium iudex auris cordis impeditur pruritibus curioſitatis, tinnitibus ſollicitudinis, & ſordibus libidinis, ſecundum triplicem radicem cupiditatis. Canticum diuinorum materiam & artẽm miniſtrant libri, vnius naturæ & artis in creaturis, ali⁹ ſcripturæ ſicut in pſalmis & threnis,
E alius conſcientiæ, ſicut in meditationibus ſanctis & pijs. Cantica diuina bonus Angelus iuuat, actuat, præſentat, malus verò diſſonat, diſſipat & obſcurat. Canticorum moralium vaſa vel inſtrumenta reperiuntur in omni reſonabili ſolum intra in cordibus, partim extra in vocibus, prorſus extra in operationibus. Canticum omne fundamentum eſt in monochordo amoris, ſed explicatur diuerſimodè nunc in diachordo, nunc in trichordo, nunc tetrachordo, rurſus in pentachor-
F do, in hexachordo, in heptachordo, rurſus in octochordo, in nonichordo, in decachordo, tandem in omni polichordo ſine termino. Canticum vnum plus reſonat tenorem iuſtitiæ, aliud plus mollem cantum miſericordiæ, aliud mixtim quaſi contra tenor reſonat gratiam cum rigore.

Canticum puræ lætitiæ reperitur apud Deum glorioſum ſuo modo, & apud Angelum bonum, & apud hominem beatum. Canticum puræ triſtitiæ vel quaſi reperitur in dæmonibus, in damnatis hominibus, in deſperatis viatoribus. Canticum mixtum viatorium, ſpei ſcilicet & timoris, diuerſificatur ſecundum tres ſtatus incipientium,

qui

Digitized by Google

qui purgantur, proficientium, qui illuminantur, A approximantium, qui perficiuntur, in quibus experimur quandoq; lamenta gaudioſa eſſe & gaudia luctuoſa, pro diuerſitate finium vel obiectorum, ſicut mater complacet dum filius cum lachrymis quærit eam, aut dominus in catuli clamoribus poſt abſentem condelectatur. Canticum damnatorum eſt ipſis turpiſſimum, horribiliſſimum & doloroſiſſimum, ſed Deo & iuſtis redditur ex conſideratione ordinis iuſtitiæ, decorum, ſuaue & lætum, ſicut lætatur iuſtus cum audit clamores B peſſimorum qui torquentur. Canticum in purgatorio habet cum afflictione ſolatium, ex certa ſpe beatitudinis, ex Eccleſiæ generalibus ſubſidijs & pijs amicorum ſuffragijs, & quia charitas in eis congaudet veritatis correctionis.

Canticorum viatorum etiam perfectorum habet cum fletu ſolatium cum riſu ſobrio faſtidium. Et vix habet hora dimidia pauſam vt ſilentium, ſicut nec vnquam in eodem ſtatu permanet, ſecus vbi non erunt volubiles cogitationes noſtræ fixæ Deo. Canticum intellectuale diuiditur ſolis auribus mentis aut ſinderesis, & illud fit flatu amoris C qui eſt vitalis ſpiritus mouens quicquid eſt ens de quo philoſophia: O fœlix hominum genus ſi veſtros animos amor quo cœlum regitur regat.

Canticum intellectuale poteſt deſcriptiuè dici amor numeroſus. Quoniam enim facta ſunt in harmonia menſurata munda & amoris qui eſt pondus rerum quo mouentur quocumque mouentur, ſicut ipſa etiam materia moueatur ad formam, ſicut appetibile ſuum, denique ſecundum hoc amor eſt vniſonus in comparatione facta ad D Deum, & omniſonus per collationem creaturarum ad inuicem. Canticum intellectuale figurari poteſt in vniuerſo per exempla horologij temperatiſſimi cum campanulis aut chori concordiſſimi aut ſymphoniæ ſuauiſſimæ, aut organorum tot fiſtulis quot creaturæ ſunt ſonantium, ſecundum imperfectionis graues & perfectionis acutas voces conciſiores aut protenſiores. Tandem ſicut in omni genere muſico ludit in eis diuina ſapientia ſuauiter omnia diſponens. Canticum exercere monetur omnis creatura in ordine ad Deum: E in quo omnia veniunt & ſuſpirando melodizant, quod percipiunt aures illorum qui philoſophizant in creaturis omnibus, & plus illi qui theologicaliter anagogizant, quo fit in duodecim ſpecies aut plures Cantici amoris, quod dicitur nuptiale vel epithalamium Cantica Canticorum poſſumus annotare. Nubit ad litteram vir cum libera & ſocia, nubit cum ancilla, nubit cum domina ſicut Ioſeph cum Maria. Sic nupſit myſticè Chriſtus cum Eccleſia libera, nupſit cum ſynago- F ga, quæ fuit in ſeruitutem generans, nubit prælatus cum Eccleſia ſua, nupſit dominus Chriſtus cum natura humana vnitate ſuppoſiti, nubit cum anima rationali, nubit cum Angelica natura, nubit inſuper ſpiritus deiformis in triclinio hominis inſtar Iacob ipſi Rachel rationi ſuperiori. Lyæ rationi inferiori Balæ & Zelphæ ſenſualitati tã exteriori quàm interiori tanquã ancillis. Nubit tandẽ ſapientiæ idem ipſe ſpiritus deiformis. Canticũ intellectuale tot habet flatus pulſus aut tactus quot ſunt amoris ſpecies, tot notulas & verbula, quot ſunt veritates, tot conſonantias, quot appetituum ſunt combinatæ proportiones, nec vllam patitur diſſonantiam in auribus iuſti quia licet obſtrepet mala voluntas diſſidens ſibijpſi conſonare reperitur in toto ordine vniuerſi. Canticorum omnium poteſt auditor eſſe quilibet habẽs fidem de Deo & productiue creaturarum cum bona & conſentanea voluntate credens vt tandem intelligat. Infidelis verò prorſus eſt alienus, auribus enim caret ſpiritalibus, nec gloriam Dei finem habet. Canticorum perfectus cantor ſolus eſt vir deſideriorum in gutture vel vaſis ſanctarum meditationum conformiter ad literam & notulas libri multiplicis naturæ, ſcripturæ, & picturæ per voces numeroſarum affectationum. Canticorum exauditor eſt ipſe Deus per ſe principaliter & miniſtraliter per ſuos Angelos & ſanctos, dant cantica nunc lætitiæ, nunc mœſtitiæ, nunc prout vult ex vtroque temperata, vt in viatoribus reſultet ſolatium de quo ſunt quinquaginta verba ſequentia. Primum verbum ſolatij & quinquageſimum primum in ordine præcedentium vbi deſcribitur ſolatium: Et notificatur per decem verba ſub generalitate.

TOMVS TERTIVS.

SOLATIVM eſt mulcebris paſſio, conſurgens ex perceptione coniunctionis obiecti conuenientis cum ſubiecto conuenienti. Vel ſic: Solatium eſt perceptio conuenientis coniuncti. Solatium ſumitur amplè vt ſe extendit ad omnem potentiam cognitiuam, ſenſualem, ſcilicet rationalem & intellectualem, vt dicimus Deum & Angelos & animalia delectari vel ſolatiari. Solatium amplè definitum ſicut habuit pro genere paſſionem, ſic pro differentijs ſuis reliqua ſumpſit, vt contra triſtitias omnes poſitum eſt, quod eſt mulcebris ſeu conueniens paſſio. Additum eſt nomen perceptionis ſeu apprehenſionis vel apparentiæ, excludendo per hoc motus rerum, qui omni penitus carent ſenſu ratione vel intellectu. Solatium appropriatè ſumptum eſt gaudium, modo qualecumque, ſed inter anxietates, moleſtias & dolores, proueniens apud hominem ſecum manentem vt in fletu ſit ſolatium. Vnde illud: Solantur miſeri nunc ſua facta ſenis. Hinc Spiritusſanctus dicitur conſolator, & virgo Maria conſolatrix miſerorum, dante Deo confert. Solatium conſurgit ex præceptione duplicis coniunctionis obiecti conuenientis, quarum vna eſt realis, altera ſolùm intentionalis ſeu ſpiritualis, vt in ratione vel intellectu vel etiam in imaginatione. Et ſecundum hoc nomina ſolatij generaliter accepti & oppoſiti doloris, multipliciter ſecundum philoſophos præſertim Stoicos variantur, qui ponunt gaudium non niſi in ſenſu ſeu motione ſenſuali & reali. Solatium in nobis Deus ſicut principale efficiens & Angelus de cœlo ſicut ſubſeruiens & miniſtrans operatur, vt dum apparuit Chriſto Angelus de cœlo confortans eum. Solatium quodlibet oritur ex amore, ideo qualis eſt amoris talis eſt ſolatij bonitas & finis. Vnde ſicut duas ciuitates duos amores conſtituunt, ſic & duo ſolatia. Solatium terrenum, animale & diabolicum inſtar Epicureorum operatur amor ſui vſq; ad contemptum Dei. Solatium verò quale de-

Digitized by Google

ſurſum eſt, pium, pudicum, pacificum, ſuaſibile & miſericordia plenum, cauſat amor Dei vſque ad A contemptum ſui. Solatium noſtrum quale debemus inquirere fuit in Chriſto exẽplariter & multipliciter demonſtratum. Solatium quid ſit realiter, an operatio vel aliquid ab operatione diſtinctum, non oportet à deuotis curioſè perſcrutari, ſed ſcholaſticis derelinqui tanquam problema rationem ad vtramque ſeu partem habens, videtur quod operatio ſit per expreſſionem, ſolatium delectatio per impreſſionem, fruitio per connexionem. Solatium pro varietate perſonarum, temporum & locorum conuenit variari, & ad eius B adeptionem doctrinam & cognitionem aliter & aliter niti in pueris in incipientibus in proficientibus in perfectis, quemadmodum variatur ſecundum ætates & profectus omniũ tam ſenſualium quam moralium & intellectualium melodia canticorum. Solatium in homine multiplex reperitur iuxta multiplicem in ipſo potentiam cognitiuam atque ſubiectiuam, quemadmodum notauit Chriſtus exprimẽs animam ſpiritum carnem dum ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. C Solatium infirmæ carnis eſt delectatio ſenſus exterioris, cuius ſubiectum eſt caro aut neruus ſenſibilis mediante ſpiritu corporali & ſubtili, vnde cõſurgit facilitas aut difficultas ſolatij, iuxta complexionis corporalis qualitatem accidentalem vel innatam. Solatium animæ triſtis quandoque eſt gaudium imaginatiuæ vel cogitatiuæ virtutis, organo corporeo intus vtentis. Et inde conſurgit vt prius in ſolatio varietas ſecundum diuerſitatem D organi & ſpirituum animalium ex quatuor humoribus ſanguine, cholera phlegmate, melancolica. Et ex diuerſis habitibus in imaginatione vel phantaſia. Solatium animæ triſtis quandoq; eſt gaudium rationis, organo corporeo non vtentis in actibus ſuis, vbi plurimum valent habituales & actuales in ratiocinando diſpoſitiones per abſtractiones ſpecierũ intelligibiliũ à phantaſmatibus cum virtutum moralium æquali ſerenáque tranquillitate. Solatium prompti ſpiritus eſt gaudium mentis quæ ſuperior eſt portio rationis ſicut E præcedens eſt inferior vbi plurimum valet irradiatio ſuperioris gratuita ex legibus æternis, & per habitus donorum atque beatitudinum & reformationem ſenſuum ſpiritualium, in quibus quanto ſenſus eſt intimior ſuo vero, tanto purior eſt. Quo contra fit in ſenſibus corporis, tactus enim ſpiritualis & guſtus puriores ſunt, quo Deo intimiores per charitatis amplexum. Solatiũ quodlibet in homine repertum dicitur aliquando ſolatium cordis, aliquando ſolatium animæ, aliquando ſolatium ſpiritus, F aliquando ſolatium carnis iuxta diuerſos à doctoribus modos vtendi prædictis nominibus. Solatium in quibuſdam rebus quadrifariè vt in homine, in quibuſdam bifariè, vt in brutis, in quibuſdam nullo modo ſicut in rebus ſine anima reperitur. Solatium intrinſecè liberum vel laudabile non inuenitur prætérquam in vtentibus iudicio rationis. Solatium participatiuè licet non eſſentialiter & intrinſecè liberum reperitur in imaginatiua vel æſtimatiua parte hominis, quæ nata eſt obedire rationi coniunctæ & expeditæ dum imperat & mouet. Solatium infirmæ carnis exterioris & quaſi brutalis, nullo modo eſt elicitiuè liberum, neque laude per conſequens neque vituperio intrinſecè dignum, ſed nec principaliter liberum arbitrium omni ſenſitiuæ virtuti ſicut nutritiuæ vel vegetabili, quæ pro ſtatu iſto non audiunt rationis imperium, quicquid de ſtatu innocentiæ diceretur. Solatium ſicut habet pro obiecto adæquato bonum apparens coniunctum, ſi omne quod eſt aut apparere poteſt bonum, vel conueniens, poteſt dici obiectum ſolatij. Solatium deceptorium tot modis oriri poteſt quot modis potentiæ apprehenſiuæ poſſunt in apparentijs & iudicijs ſuis falli.

Solatium deceptorium nullum fuiſſet in ſtatu naturæ primitus inſtitutæ, nec in vigilia, nec in ſomno, nec in diuerſa ratione obiectorum per diuerſa media, quoniam rationis iudicium omnia dixiſſet vt in Aſtrologo vidente Solem qualis bipedalis quantitatis. Solatium à deceptione multum auertitur per habitus virtuales tam intellectuales quam morales quam infuſos ſupernaturales immo & per naturales. Solatium frequenter inficitur & deprauatur per affectum vitioſum qualemcumque. Hinc dictum eſt: Excæcauit eos in malitia eorum, & omnis malus ignorans & quot capita, id eſt, affectiones, tot ſententiæ.

Solatium habere poteſt ſuum contrarium ſicut triſtitiam & deſolationem pro obiecto & è contra, vt pœnitens gaudet quia dolet & de lætitia triſtatur ſicut ignis frigido flatu, frigiditas per calidum circunſtans nec penetrans confortatur. Solatium quandoque eſt deceptorium non moraliter aut demeritoriè vitioſum, vt dum error eſt inuincibilis vel eorum quæ ſciri non debent. Solatium ſicut variatur ex apparentiarum diuerſitate, ſic apparentiæ ſuam diuerſificationem accipiunt in homine & potentijs ſuis cognoſcitiuis propter colligationem huiuſmodi potentiarum ad inuicem, quia rota trahit rotam ſicut cortina cortinam & orbis orbem. Solatium apparentiæ variantur nedum pro varietate cognitionum, ſed vt dictum eſt etiam affectionum, quamuis alia ratione, quia obiectum intellectus practici non eſt verum abſolutè, ſed verum vt comparatur affectui. Solatijs in homine proueniet rarior deceptio ſi potentia iudicatiua quælibet nouerit de dubijs & ſuſpectis apparentijs, ſuſpenſum tenere iudiciũ per arbitrij facultatem. Solatium cauſat in nobis Angelus de cœlo vel bonus vel malus ſicut nominatur duplex cœlum empyreum vbi boni, & aërium, vbi dæmones qui myſticè dicuntur volucres cœli. Solatium cauſant in nobis decem ſpiritus inſpirationum vel inſtinctum, ſicut aliquando per Spiritum ſanctum illabentem aut habitum cauſantem, ſic ab Angelo bono multipliciter, ſic à malo Angelo ſic à cœlo, ſic ab elementis circumſtantibus, ſic à complexione naturali, ſic à complexione accidentali, ſic ab habitibus cognitiuę potentiæ, ſic ab habitibus effectiuę. Et in his omnibus verum eſt quod diligentibus Deum, omnes inſpirationes iſtæ cooperantur in bonum de per ſe vel per accidens, reprobis autem omnia tandem de per ſe vel per accidens cedunt in malum, nec poteſt regula tradi generalis, ſed qui ſolatiatur in domino conſoletur: Solatium cauſant in nobis homines, qui Angelorum officium

Digitized by Google

tium noménque ſortiuntur, vt doctores & prælati A & offerentes pro ſolatio libros ſanctos, necnon veritatem ordinare proponentes. Solatium prouenire poteſt diligentibus Deum à ſex differentijs poſitionis ſurſum, deorſum, ante, retro, à dextris & à ſiniſtris, conſiderando gloriam, infernum, peccata præterita, pericula futura, proſperitatem & aduerſitatem. Solatium nonnunquam à deſolatione quaſi per antiperiſtaſim & vice cotis generatur, hoc in Iacob timente fratrem Eſaü hoc in multiplici ſanctorum claruit paſſione.

Solatium ſæpe à tentationum anguſtijs roboratur, B quod ſenſerat qui dixit: Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Et rurſus, ſecundum multitudinem dolorum in corde meo conſolationes tuæ lætificarunt animam meam. Et Chriſtus: Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.

Solatij cauſa eſt aliquando fuga ſolatij, ſicut è conuerſo quærere nimis ſolatium præſertim corporale impedit ſpirituale, propter hoc pſalmiſta: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum. Solatium aliquod inter beatitudines, aliquod inter fructus, aliquod inter virtutes C & dona numeratur, ſicut pax, luctus & patientia. Solatium ſolatio frequenter opponitur, nec ſe mutuo patiuntur, quemadmodum de carne & ſpiritu notatum eſt. Solatium frequenter impeditur à conſolationibus aut conſolari volentibus, alioquin non dixiſſet Iob: Conſolatores oneroſi vos eſtis. Solatium quo fine quæratur expedit cognoſcere vt exinde bonitas ipſius vel malitia moralis ſeu gratuita cognoſcatur, cum finis ſit forma virtutum ſi bonus eſt, deformitas vitiorum. D Solatium quærendum eſt principaliter propter Deum, vt humilius timeatur, feruentius diligatur, & alacrius honoretur. Sic agebat propheta loquens optabundus Deo. Lætatur cor meum vt timeat nomen tuum. Solatium quærere poteſt homo propter ſe, non tamen principaliter, ſed ſub Deo, ſicut inclinauit pſalmiſta cor ſuum ad faciendas Dei iuſtificationes in æternum propter retributionem. Solatium propter ſe principaliter quærere, eſt tale ſolatium quale docebat & quærebat Epicurus homo ad ſe referens omnia & ſe E fruens. Solatij media qualia notat in epiſtolis Seneca, Epicurum poſuiſſe vel Ariſtippum cum ſectatoribus laudabilia ſunt in multis ſi ad verum finem ſolatij verterentur, vt prudenter declinare nociua, neminem lædere, fortiter ferre quæ neceſſitas affert, contemnere mortem, frugaliter viuere, cupiditatibus imperare, diligere paupertatem, & ita de plurimis. Solatium Epicuri non poterat adipiſci ſine luctu, dolore vel triſtitia, & F hoc propter innatam ſenſualitatis & cupiditatis vehementiam, quas vel reprimere vel ſanare triſtitia eſt, ſed in reprimendo languor maior.

Solatium quodlibet in hac vita ſuſpectum eſſe debet, quod non luctui iunctum vel in luctu fundatum eſt. Hinc liber Ezechieli traditus, habebat cum carmine ſolatij lamentationes & pœnalitatis & peccati. Solatiorum fines quales à mundanis præſtituuntur, non conſolationem ſed deſolationem inducunt. Similiter & finis qualem Stoici præſtituebant, aut falſus aut impoſſibilis de imaginario quodam honeſto ſine Deo vero.

Solatij cuiuſlibet laudabilis exemplar dedit Chriſtus tam actiuè quam paſſiuè, & poſt eum beata mater ſua ab infantia vſque ad mortem in ſumma paupertate ſpiritus, ſumma mititate, maximo luctu, vehementiſſima eſurie & ſiti iuſtitiæ, ſumma miſericordia & miſeratione, puriſſima cordis munditia, & in tranquilliſſima pace.

Solatium Chriſti ſequitur ſuo modo qui Chriſtum induit, hoc eſt qui ſibi ſicut exemplari viuendo conformatur, neque enim tali deerit Angelus de cœlo confortans eum dum factus erit in agonia. Quiſquis ergo triſtatur aſpiciat hoc exemplar, & pſallat bono animo, exultans ad gaudentem Chriſtum, & cum lamentante plangens. Quod docuit ſub parabola puerorum ſedentium in foro & clamantium coæqualibus: Cecinimus vobis & non ſaltaſtis, lamentauimus & non planxiſtis.

FINIS.

MAGISTRI IOANNIS DE GERSON CANCELLARII PARISIENSIS, *ſacræ Theologiæ Doctoris Chriſtianiſſimi collectorium ſuper Magnificat.*

COLLECTORIVM ſuper Magnificat, particulas habet expoſitas, non ſemper eodem ordine quo ſunt in Cantico, neque ſub eodem ſtili genere, ſed vario, prout ſe fragmẽtorum appoſitio per ſportas duodecim offerebat. Totidem enim tractatus habet principales. Denique plurima reperies in fragmentis, qui diuerſis in ſportis recondita, vnum in ſententia ſaporem oſtendunt. Qui capit accipiat pro ſua qualibet voluntate, benedicente Deo, multiplicante, diſtribuente, ſatiante.

Primus tractatus poſt prooemium dragmaticus eſt ſeu per dialogum, & habet notulas quinquaginta ſecundum quas patet materia. Tractatus ſecundus dragmaticus ſuper Cantico Mariæ, de exultatione ſpiritus, continet notulas ſeptuaginta tres. Tractatus tertius dragmaticus eſt in Cantico Mariæ de reſpectione humilitatis ſuæ, per notulas centum viginti. Iungi verò poſſent opuſcula de oculo triplici, & de vna precioſa margarita, & de oculo ſpirituali, & de triplici viſione Dei, & conſiderationes duodecim de concordia theologiæ myſticæ cum ſcholaſtica, ſed alibi collocantur in collectorio ſeptimo ſportarum. Tractatus quartus per dragma ſeu dialogum de Mariæ beatificatione ſuper illud: Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes, per notulas ſeptuaginta duas. Tractatus quintus per dragma ſeu dialogum quomodo fecit Mariæ magna qui potens eſt. Vbi prima partitio eſt, ſi Maria paſſionabiliter mouebatur per notulas ſexaginta. Alia partitio eſt ſine dialogo, de ſancto nomine Dei, vbi de triplici nomine Dei, per notulas ſexaginta duas. Poſſet huic materiæ de notitia Dei, quæ eſt ſecundum nomen eius coniungi duplex centilogium. De conceptibus vnum. Alterum de modis ſignificandi. Sed alibi poſitum eſt vtrumque in collectorio ſeptem ſportarum. Tractatus ſextus dragmaticus ſuper quinto verſu. Et miſericordia eius, &c. De lamento Mariæ, & de timore Dei,

Digitized by Google

& ſuper eius miſericordia finalis deprecatio, per notulas centum. Iungitur initium quoddam tangens modum expoſitionis moralis ſeu tropologicæ lamentationum Hieremiæ. Tractatus ſeptimus proſaicus principaliter de mente cordis & cognitione Dei ſuper illo ſexto verſu: Fecit potentiam, per notulas centumquinquaginta.

Tractatus octauus per dragma ſeu dialogum, petitiones habet quatuor. Prima de poſitione potentium per impulſum dæmoniorum, per notulas quadraginta quatuor. Secunda partitio de cuſtodia Angelorum & fallatijs dæmonum, per notulas centum quinquaginta. Tertia partitio de ſeptem modis generalibus Angelicæ cuſtodiæ, per notulas octoginta tres. Quarta partitio per ſoliloquium, vbi de cuſtodia Angelorum, per notulas quinquaginta. Fit etiam mentio de centilogio ſuper impulſibus, quod ſurſum alibi ponitur in collectorio ſeptem ſportarum. Nonus tractatus ſuper illud. Eſurientes &c. componitur principaliter de Euchariſtiæ ſacramento per quinque partitiones. Prima partitio per dialogum procedit per notulas centum. Secunda partitio per ſoliloquium de laudibus ſacramenti altaris & vt dignè ſuſcipiatur exhortatio, per notulas centum. Tertia partitio per ſoliloquium conuerſum ad Mariam, per notulas quinquaginta. Quarta partitio per ſoliloquium quaſi narratiuum, de contemplationibus Mariæ ſuper hoc ſacramento, & & principaliter de duodecim bonis eius quibus replentur eſurientes per notulas centum, cum additione quadraginta theorematum de vnitate. Quinta partitio per ſoliloquium exhortatoria huius ſacramenti, per notulas quinquaginta. Sunt in ſumma quatuor centilogia notularum, quibus iungi poſſet centilogium de cauſa finali, occaſione huius benedicti ſacramenti compoſitum, quod alibi poſitū eſt in collectorio ſeptem ſportarum.

Tractatus decimus ſuper verſu: Suſcepit Iſrael puerum ſuum, & cæt. Eſt autem in ipſo duplex partitio: Prima fit per dialogum, & notulas ſeptuaginta. Altera fit quaſi per ſoliloquium & meditationes, per notulas triginta. Tractatus vndecimus ſub duplici partitione ſuper illo verſu: Sicut locutus eſt ad patres. Prima partitio de contemplationibus Mariæ ſuper locutione Dei per prophetas, & maximè per ſeipſam incipiendo ab euangelica narratione iuxta compilationem nouiter factam, quæ dicitur vnum ex quatuor, per notulas quadraginta ſub rubrica prima: In principio erat verbum. Vnde datur intelligi quantum ſuper reliquis ſermo protenſior eſſe poſſet. Secunda partitio de vita ſolitaria Ioannis, quaſi ſuper rubrica ſecunda, denunciatione Ioannis & habitatione in deſerto. Sunt in hac partitione tres particulæ, iuxta triplicem modum manifeſtandi vitam ſolitariam, continet notulas centum.

Tractatus duodecimus in perſona Mariæ per ſoliloquium ſummatim colligens ſenſum cantici huius Canticorum Mariæ, per notulas centum quaſi per pſalterium decies decachordum, ſuperadditis his duobus verſiculis ab Eccleſia frequentatis: Gloria Patri & Filio. Sicut erat in principio, & cæt. Spectat ad hanc materiam centilogium de gloria. Quæratur in collectorio ſeptem ſportarum.

PROEMIVM.

CANTICVM Mariæ tractaturus in ſolatium peregrinationis meæ vergentis in occaſum (vtinam fœlix matutinum carens veſpere ſubſequatur.) Decreui procedere per dialogum more didaſcolico, qualem Socrates, qualem Plato Socratem introducens tenuit. Poterit & hic noſter procedendi modus nominari dragmaticus qualis aſcribitur Canticis Canticorum, qualis inſuper commodus eſt canticis vel eulogijs amoroſis. Quod Eccleſiaſtica atteſtatur exhortatio, quæ de virginibus canit: Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dragmatis. Sic igitur te fauēte beatiſſima virgo, ſuper omnes amans, amabilis & amata, ſit hoc initium per dragmata notuláſque diſtinctum: Magnificat anima mea dominum. Colloquuntur duo fratres: Iunior inſtar diſcipuli interrogans, ſenior magiſtri locum retinet & nomen, ambo ſolitudinis, non ſolitariæ dilectores.

VERSVS CANCELLARII PARISIENSIS QVI CONGRVE PRÆMITtuntur operi ſuo ſuper Magnificat poſt proœmium.

Se Lugdune tua fratres ſolantur in vrbe,
Dum de quolibet eſt ſermo frequens in eis.
Iunior & Senior, hic cæleſtinus, & iſte
Theologus, plaudens iunior hæc loquitur.

Iunior.

Ecce bonum fratres & iocundum ſimul eſſe,
Idem quos vterus, parque dies peperit.

Senior.

Fraternalis amor cor noſtrum nectat in vnum
Firmet & hoc vnum gratia Chriſte tua.

Iunior.

Carne quidem frater, meritis pater atque magiſter
Sunt data quæ nobis otia grata vides.

Senior.

Otia poſt diros conflictus atque procellas,
Dat Deus, atque locat littore nos placido.

Iunior.

En fas eſt viuas pariter dare, reddere voces,
Fert mens de ſtudijs quærere multa tuis.

Senior.

Quare vices reddam, lenit faſtidia ſermo,
Eſt ſua ſolamen garrula vox ſenibus.

Iunior.

Diſcipulus vocer ergo tuus, tu iure magiſter,
Commoda doctrina, talia nomina ſunt.

Senior.

Diſcipulus tu ſis magis illius, eſſe magiſtrum,
Qui vetat, hic ſolus corda docere poteſt.

Iunior.

Hoc ſub doctore meus en potes eſſe magiſter,
Plantans atque rigans, creſcere Chriſte dabis.

Senior.

Det precor ille, pete de quolibet vt fuit olim
Theologus mos hoc quærere, mox aliud.

Iunior.

Gratulor, eſt modus hic placidus mihi, talis & aptus,
Sermo & peregrinis, ſit Ieſus in medio.

Senior.

Promiſit, faciet talem dare modo, qualem
Sed dedit in templo, ſimque docendo ſequax.

PRIMVS

Digitized by Google

PRIMVS TRACTATVS DRAGMATICVS SVPER MAGNIFICAT, *magiſtri Ioannis de Gerſon Cancellarij Pariſienſis habens notulas quinquaginta.*

MAGNIFICAT *anima mea Dominum.* *Diſcipul.* Magiſter, dic oro te quo pacto beata & pulcherrima mulierum poſt ſalutationem Elizabet, poſt exultationem Ioannis in vtero, poſt collaudationem quia crediderit erumpens in iubilum, cœpit à magnificatione Dei canticum ſuum dicens: Magnificat anima mea Dominum. Gratum quippe mihi feceris tum ſciendi ſtudio, tum conſolationis deſiderio: dum ſolos nos hic euomuit ſęuiens tempeſtas velut in ſcopulum. Benedictus Deus qui nos in pacato ſolitudinis atrio collocauit. *Magiſter.* Gratum & illud mihi ſubueniet: quoniam mandauit Dominus in aduerſitatis nocte canticum eius. Summa quoque miſeriarum ineuitabilium medicina eſt obliuio. Digneris ergo laudare nos te virgo ſacrata, quæ non ingrata beneficijs Dei more priſcorum mox canticum edidiſti, conſonans eis in exordio & dicens: Magnificat anima mea Dominum. Taliter olim Maria ſoror Moyſi in medio iuuencularum tympaniſtriarum. Taliter Dauid rex inclytus, vnde Maria regali ex progenie exorta refulget. Taliter alij plures ad Dei magnificationem eruperunt, vt eſt illud. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt. Et illud: Magnus Dominus & laudabilis nimis cum cæteris in arcano cordis Mariæ profundè collocatis. Similiter & acceperat nouiſſimè promiſſionem angelicam de filio naſcituro. Hic erit magnus inquit. Denique nouerat, quia fecerat ſibi magna qui potens eſt.

Magnus Dominus & magna virtus eius, virtus altiſſimi quæ obumbrauit ſibi & ſapientiæ eius non eſt numerus, quia veritas eſt illa quæ magna eſt, & præualet teſtimonio omnium per Eſdram prolato. *Diſcipulus.* Venit in manus protinus quæſtio, qua ratione dicatur magnificari Deus, cum penitus nec augeri valeat nec minui. *Magiſter.* Hæſitas, non intelligens ſcripturas, quemadmodum Dominus à creatura magnificatur, non augmentum ſui in ſe, ſed quia magnus eſſe prædicatur, canitur & laudatur aut certè quia magnificam facit animam, cui magna facit qui potens eſt. Nam quos iuſtificauit, hos & magnificauit. Nunquid parum tibi videtur magnificata beatæ Mariæ virginis anima, quæ operationi ſupra modum magnificè fuit cauſa prębere conſenſum? Fiat inquit, mihi ſecundum verbum tuum id eſt fiam mater filij cuius eſt pater Deus. Quid excelſius, quid ſublimius & magnificentius poterit cogitari? Quod & vidit cum propheticè ſubiunxit: Ecce inquit ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Diſcipulus.* Quomodo ſtant & in vnum conueniunt tanta humilitas cum tanta magnificentia, tanta deuotio cum tanta gloria? Sed habebit hæc quæſtio locum ſuum cum de beatitudine virginis erit ſermo.

A Vellem nunc colligeres aliquas magnificationes Domini, quas mens Mariæ contemplabatur ſapienter in cantici ſui principio, quatenus ordo nobis ſuppetat ad loquendum magnalia dei, nō quidem omnia (hoc enim impoſſibile non dubito) ſed pauca pro captu noſtro. *Magiſter.* Quid appropriatius, quidve diuinius poterimus accipere, quam ipſummet pſalterium Mariæ decachordum habens decem verſus quaſi ſi chordulas ſonoroſiſſimas, conformiter ad illud velle decachordū totius rationalis creaturæ, quod cōnectitur ex nouem ordinibus angelorum quaſi nouem fidibus B argutis, iuncta ex hominibus decima, quam inprimis parētibus per peccatum ruptam ſummus noſter cythariſta reparauit, vt concordaret pſalteriū iocundum cum cythara, eſt itaq; prima huius noſtri pſalterij Mariæ chordula, ſonans Dei magnificentia, quia eſt Dominus cuius eleuata eſt magnificentia ſuper cœlos. Magnificat inquit, anima mea Dominum, nō dicit illum vel illum, ſed ſimpliciter & antonomaticè Dominum. Secundò magnificatur in ſalutatione, propterea vocat ipſum ſalutare, quia Domini eſt ſalus. Tertiò C magnificus eſt in reſpectione humilium & beatificatione, quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit. Quartò magnificus in magnorū operatione & nominis ſui ſanctitate, quia inquit fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Conſonat Pſal. Quia magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum. Quintò magnificus eſt in miſericordia & miſeratione timentibus eum. Sextò magnificus in ſuperborum cordis ſui deiectione ſeu diſperſione. Septimò magnificus in D humilium exaltatione, potentibus de ſede depoſitis. Octauò magnificus in eſurientium impletione, cum diuites dimiſit inanes. Nonò magnificus in perditorum liberatione, quia ſuſcepit Iſraël puerum ſuum. Decimò magnificus in promiſſorum ſuorum complectione. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſecula. *Diſcipulus.* Placet adaptatio, breuis & lucidus ordo. *Magiſter.* Quid verò cenſeres, ſi varios omnium organorum ſacræ ſcripturæ modulos, E imo voces omnis generis muſicorum concordare faceremus cum hoc Mariæ pſalterio decachordo. *Diſcipulus.* Redderetur ſcio ſuperadmirabilis harmonia. *Magiſter.* Scieris ſimiliter quod in auribus ſuis noſtra pſalles copioſiſſimè & diſtinctiſſimè faciebat reſonare voces omnium muſicorum, dum mentis intuitum ſimile cum plectro meditationis, liberrimo diſcurſu, miráque celeritate diffundebat vbique, dum quaſi ſimul in omnes & ſingulos ſe diffundebat affectus, quos ſolet humana mens ſigillatim variare canendo. *Diſ-* F *cipulus.* Mirum verò qua virtute valuerit hoc effici, cum ſint affectuum voces innumeræ. Cum præterea ſibi ſint contrariæ vel aduerſæ. Nonne contrariatur vox amoris odij ſono. Sic deſiderium ſeu proſecutio tendit in aduerſum fuge. Repugnat quoque gaudium triſtitiæ, ſpes timori, compaſſio ſeueritati, & ita de plurimis. *Magiſter.* Iure miraris mirabilia, ideo nempe cantauit Domino Maria canticum nouum, quia mirabilia fecit. Mirabilia prorſus miſericordiæ quę charitas maiora fecit quàm fuerunt (ſi ita dici poteſt) mirabilia potentiæ. Fecerat apud veteres

Digitized by Google

mirabilia, quæ potentiam, quæ ſapientiam, quæ iuſtitiam, quæ dominationem & virtutem oſtendebant. Sed tunc nouū Dominus fecit ſuper terram, quando mulier circundedit virum, quando ſc. ſuſcepit Deus per incarnationem Iſraël puerū ſuum, Quando recordatus eſt, Cuius recordatus? Non dixit potentiæ, non ſapientiæ, non iuſticiæ, ſed miſericordiæ ſuæ. Tunc memoriam fecit mirabilium ſc. miſericordiarum, miſericors & miſerator Dominus. Quoniā in rebus per tēpus ortis mirabilius nihil vtique teſte Auguſtino quam vt Deus fieret homo, & homo eſſet Deus. Vis horum deductionem accipere? *Diſcipulus.* Nolo de præſenti, quia locum forte poſterius habebit amplior declaratio ſuper illud: Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Sed ad inquiſitionem redeo, qua ratione mirabar omnes affectus in hoc cantico nouo Mariam comprehendere ſimul potuiſſe beatam, dum gratulabunda iocunditate dicit Deo: Deus canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi. Pſalteriū quippe decachordum eſſe hoc canticum Mariæ, ſuperius eſt oſtenſum. *Magiſter.* Vocas ad rem diu mihi multumque quæſitam, qua ſuper re te docebunt opuſcula noſtra de canticis, nominatim illud cui titulus eſt cantichordum id eſt canticum cordis. In cuius vltima parte traditur pro praxi canticorum ſpiritualium gamma nouum & myſticum, ad proportionem vel analogiam gammæ manualis ſub quinque vocibus, iuxta quatuor paſſiones ſeu potius affectiones principales iuncta quinta, quæ fit ex concurſu plurimum, quæ dicitur compaſſio, quaſi cum alijs paſſio. Prima eſt amor vel gaudium, ſecunda ſpes vel deſiderium, tertia timor vel diffugium, quarta dolor vel odium. *Diſcipulus.* O ego nunc memini quid ibidem tractaueris. Sed quia venit forte in notitiam paucorum pro ſua magnitudine opus illud vtile feceris ſtudioſo deſiderio, ſi ſub compendio practicam hanc cantici myſtici tradideris. *Mag.* Factum eſt hoc iam alibi, nec iſtic pigebit, quia ſic vis, inſerere.

Notula quintadecima per proprias ſubdiſtincta notulas.

NObilis Apoſtolus puer euangelicus, non ſenſibus ſed malicia puer, habens quinque panes doctrinalis refectionis in quinque milia hominum, dicebat Corinthijs: Volo quinque verba ſenſu meo loqui vt alios inſtruam quam decem milia verborum in lingua. Præmiſerat tamen per exemplum de tybia & cythara, quæ niſi diſtinctionem ſonituum dederint, ſciri nequit quid canitur, aut quid cytharizatur. Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis præparabit ſe ad bellum? Concluditque, opus eſt ſenſu, tam cognitionis quam affectu dum quis orat, loquitur aut pſallit, quatenus ſecundum tropologiam homo ſpiritualis ſe pararet ad bellum, & cum quinque lapidibus limpidiſſimis de torrente ſcripturarum Goliam id eſt ſathanam ſternat, alter Dauid puer factus. Hæc eſt parabola myſtici canticordi vel cantici cordis, quod hortatur idem Apoſtolus pſallere ſpiritu, pſallere & mente. In quo cantico cordis tria repetuntur vt in cantu oris.

Primum eſt cantus materiæ, quæ vocatur litera.
A Secundum cantus vox, quæ dicitur reſonantia. Tertium cantus figuratio, quæ denominatur nota vel notula. Materiam cantichordi dicimus omnium diuinorum & humanorum cognitionem piam & honeſtam. Reſonantiam appellamus omnem cordis & ſpiritus affectionem moderatam & ordinatam. Notam vel notulam figuramus ad præcedentium duorum noticiam, vt appareat cur reſonantiæ affectuum ſit aptanda litera meditationum. Hac ſuper re dabuntur pauci verſus, quorum ſententia plus elucidabitur,
B & hoc per triplex quinarium. Quinque verba pro litera.

Magnificus, largus, pius es, iuſtus miſerator.

Quinque affectus pro harmonia:


Gaudia, ſpes, pietas, hinc timor atque dolor.

Adaptatio quinque vocalium ad voces quinque affectionum.

A gaudens amat, E ſperat, ſed I miſeretur, O timet, V quæ dolens odit, & iſta notes. Conformatio ad quinque notulas. Sol, fa, mi, re, vt.

C Quiſquis animaduertere diligenter voluerit, inueniet quod omnis meditatio ſalubris tam diuinarum quam humanarum ſcientiarum reduci poteſt ad quinque verba, quorum quatuor prima Deum reſpiciunt ſc. magnificentia, munificentia miſericordia, iuſticia.

Quintum eſt homini ſpeciale, videlicet miſeria. Omne ſiquidem canticum ſpiritus & cordis habet formari ſecundum alterum quinque verborum, ſeu duorum, ſeu trium, ſeu omnium
D ſimul prædictorum. Poſſent ſimiliter omnes cordis & ſpiritus affectiones ad numerum deduci quinarium, quæ ſunt gaudium, ſpes, compaſſio, timor, dolor. Applicando ſingulum verbum literis meditationis ſingulæ, per ordinem hic poſitum voci ſonantis affectionis. Demum quinque vocales ordine naturali poſitæ notulæ ſunt, indicantes cui voci litera ſit accommoda, etiam per depreſſionem & eleuationem ad inſtar gammæ manualis, ſol, fa, mi, re, vt. Aut ponatur ordo naturæ vocalium demptis conſonanti-
E bus, vt patet in figura ſequenti.



A	E	I	O	V
Gaudium, Dei magnificentia.	*Spes, Munificentia.*	*Cōpaſſio Miſericordia.*	*Timor Iuſticia.*	*Dolor, Noſtra miſeria.*

F Nolumus autem vt exiſtimet aliquis gamma præſens myſticorum omnium canticorum, valere protinus efficaciter vt cantet cor & ſpiritus per affectum ſimul & effectum, ſi non fuerit huic arti de ſe cognitu facillimæ ſuperadditus vehemens & iugis vſus. Quippe ſic inſpicimus in cæteris artibus, præſertim in muſica ſenſuali, ſic in pſalterio & cythara, ſic in choro vocali, ſic in chordis & organo. Sed nec oportet nec expedit ſola præſentium phantaſia figurali verſari diutius quam ducantur ad intelligentiæ puritatē phantaſmatibus vel tranſcenſis vt interim quantum

tum

Digitized by Google

tum fas extiterit derelictis. Nec ideo putanda eſt præſens ars inutilis, vel ſuperuacua, vel ſolū phantaſialis, quoniam prius eſt quod animale eſt ſecūdum apoſtolum. Et omnis noſtra cognitio intellectiua ſumit à ſenſitiua principium quæ iuuatur dum ordinata ſibi phantaſmata præſentantur & ſub compendio. Hoc vnum fidenter pollicemur quod pręſens ars tanquam in vtero naturę formata cui nulla eſt lingua barbara vel ignota, practicabile erit omnibus. Et per omnes ſine diſcretione idiomatum, qui conuerti voluerint ad cor vbi tāquā in libro ſcriptum eſt impreſſum & ſignatū & notulatum (licet obumbratum in multis) pręſcriptum ternarium. Nam quis negauerit Deum eſſe magnificentiſſimum, & ideo gaudendū de tanto Domino, rege patre Deo. Quis inſuper neſciat munificentiam ipſius ſiue largitatem, & ita ſpes in eo ponenda eſt. Porrò quia mitiſſimus & iuſtus, nobis autem miſeris miris modis ſurgunt alij tres affectus, qui ſunt timor iuſticiæ, dolor miſeriæ, & compaſſio tam alienæ quam ſuæ calamitatis, ad implorationem faciendam diuinæ miſericordiæ. Vocalium ſubinde naturalis ordo poſitus eſt, tanquam à pſalterio profundi cordis incipiat. A. dehinc. E. paulò acutius, deinde. I. |poſtmodum. O. tandem. V. labijs ſummis expreſſum. Eſt enim praxis, vt quotienſcunque & vbicunque ſyllaba litteralis cantici poſuerit. A. poteſt meditatio de magnificentia Dei fieri cum reſonantia gaudij. Si ponitur. E. ſit de largitate Dei ſpes, ſi ſit. I. reſonet ad miſericordiam Dei & humanam miſeriam compaſſio, ſi. O. timor iuſticiæ, ſi V. dolor noſtræ miſeriæ deploretur. Et rurſus hinc inuenire combinationes & proportiones ſuaues, vt diateſſaron, diapente, diapaſon. Necnon neumata cum tonis cantum cum diſcanto, tenorem cum triplo & contratenore, prout in opuſculo canticordi latiori traditione deductum eſt, ac ſub exemplis monocordi ac decacordi figuratum. Sic in omni cantico ſonabili cuiuſcunque ſit linguæ valet notulari verſus pſalmi. Vtrum verò ſufficiat in eccleſiaſtica pſalmodia, quod intentio cantantis vel audientis fertur ad præmiſſa, colligi poteſt ex opuſculo de ſollicitudine eccleſiaſticorum.

Hoc vnum dicimus hic, quod nec inſpirationes ſancti ſpiritus arctare, nec meditationes eruditorum circa ſenſum pſalmorum per iſta tollere volumus aut debemus. Sed ſunt qui nec ſenſum literæ quomodolibet intelligunt, neque quomodo ſe meditando recolligant, inueniunt. Proderit hæc ars præcipuè talibus cum exercitio paulatino, quantumcunq; laici ſunt. Verbi gratia, tu audies A. vocalem in ſua parte pſalmi, dirige meditationem tuam ad magnificentiam Dei, ac proinde formet cor tuum vocem gaudij vel formari deſideret, quia deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, ſi plus nequit, dicens cum propheta.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore. Tu audies E. tu fer meditationem tuam in Dei liberalitatem ſeu munificentiam, ac inde ſpera vel ſperare deſidera. Similiter ad I. meditare Dei miſericordiam cum humana miſeria, & hinc compatere, vel compati tā animæ tuæ quam alijs concupiſce. Ad O. cogitabis iuſticiæ Dei ſeueritatem, & inde timebis vel

A timere deſiderabis. Sic ad V. dolebis humanam miſeriam vel dolere curabis, vt non apponas vltra magnificare te ſuper terram. Et quis eſt obſecro tam hebes aliquis, qui non poſſit ſub morula temporis hæc addiſcere meditari, meditatáque exequi, vel deſiderare exequi, & ſi non volatum contemplationis, ſaltem lento nonnunquam ſaltu cordis inſtar locuſtarum. Veniet hora feruentior quando dicere ex ſententia Domino ſic ſatagens poterit: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Poſtremò ſi

B videatur aliquibus hoc artificium magis curioſum quam fructuoſum, habet totam muſicæ ſpiritualis ſeu cordialis harmoniam ſub duabus vocibus quæ ſunt ſpes ſalutis, & timor damnationis, ſub duplici litera vel duobus verbis quæ audiuit propheta poſtquam ſemel locutus eſt Deus. Et hæc ſunt poteſtas ſeu ſeueritas iudiciorum Dei, & miſericordia reſpectu præmiorum & miſeriarum noſtrarum, ſecundum quę duo formabat propheta canticum ſuum, dicens: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, cuius nomen eſt ſan-

C ctum & terribile. Nec aliquid inuenies in ſcripturis & creaturis quod ad alterum eorum reduci nō poſſit. *Diſcipulus.* Gratum habeo, quia ſentio te cōdeſcēdiſſe voto meo. Nihilominus adhuc ſupereſt primus inquiſitionis ſcrupulus, qua ratione potuerit mens Mariæ per omnes affectionum iſtarum modulos tanta facilitate ſuauiſſimum guttur mentis aptare, cum vix in magno otium ſolerti ſtudio poſſit hæc practica modo tradita faciliter

D obſeruari. *Magiſter.* Accipe primò quia fecit Mariæ magna qui potens eſt.

Subinde mirabilia ſunt quæ ſimul efficiunt ars & vſus. Docet hoc in propoſito ſimili muſicorum tractatores. Non enim cytharizans ſi perfectus eſt, deliberat de qualibet chorda ſic aut ſic tangenda, quoniam philoſopho teſte ars perfecta non deliberat, dum conſuetudo tranſit velut in naturam, quæ vt ſic, magis ſequitur impulſum ſuum quam deliberans arbitrium. Denique

E reddit habitus radicatus & perfectus illa facilia, quæ difficilia vel impoſſibilia videbantur habitu carentibus. Non minus hoc in ſpiritualibus & intrinſecis operationibus intellectus & affectus quam in ſenſibus extrinſecis. *Diſcipulus.* Dum acutè conſidero, cogor experientijs ſimul & priuilegijs aſſentire.

Tranſeo nunc ad inquiſitiones alias. Vna cur beata Maria cum cecinit hoc canticum, variè poſuit & diuiſit ſpiritum & animam, dicens de anima: Magnificat, addens de ſpiritu exultauit. Cur præterea magnificare dat animæ, & exulta-

F re ſpiritui? Cur proinde magnificationem animæ ſuæ dat Domino, & exultationē ſpiritus dat Deo ſalutari ſuo? Denique cur incepit Maria canticum ſuum à magnificatione Domini potius quā à ſapientia & bonitate? Prius quoq; narrauit beneficia ſibi ſingulariter collata quā diſtributa cæteris vniuerſaliter. *Magiſter.* Vocas me ad quæſtiones cognitu dignas, quarum prima concernit materiam de diuiſione animæ ac ſpiritus. Et hæc quidē multa præſupponit ſi perfectè debeat intelligi. Diximus pridem aliqua in tractatibus

Digitized by Google

de myſtica theologia. Vix fuit quoque aliquis præcipuus doctor philoſophus aut theologus, quin aliqua de ſpiritu & anima tradiderit pro cognoſcendo noſmetipſos, quæ cognitio iure cæteris omnibus antefertur, ita vt nunquam poſſit de ea ſermo nimis dici, ſicut neque poteſt nimis ſciri. *Diſcipulus.* Verè ſic eſt, nec in aliqua quauis traditione fateor me magis occupari velle. Præſuppoſitis igitur multis alibi traditis, dic ad præſens accommodum propoſito. *Magiſter.* Accipe quòd ipſius animæ rationalis quæ eſt forma hominis eſſentialis, ſecundum determinationem eccleſiæ, ſunt principaliter duo actus vel officia, intelligere ſcilicet & animare. Propter primum dicitur ſpiritus. Anima verò propter alterum. Nec ignoro multis vtrumque nominibus aliter appellari. Sed acceptionem noſtram ſignificabit tam deſcriptio quã ſubdiuiſio. Et vt apud eruditos Catholicos apertior fiat intentio noſtra, recipimus Chriſtum pro exemplo qui dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et de ſpiritu ſubiunxit: Spiritus quidem promptus eſt. Conſiderant igitur doctores in Chriſto quaſi duplicem animæ rationalis portionem. Vnam ſecundum quam fuit verè beatus ab inſtanti conceptionis clarè videns Deum & fruens eo. Altera fuit ſubiecta triſtitijs & cæteris affectibus viæ, quia erat ſecundum illam paſſibilis, quamquam ſpontanea ſuſceptione pœnalitatum, non abſoluta neceſſitate. Si potes igitur concipere diuiſionem iſtam quam credimus in anima Chriſti fuiſſe, poteris coniecturare quid in cæteris hominibus valeat effici.

Et primò reſpiciamus beatam noſtram Mariam, quæ dum erat viatrix habuit poſt Chriſtum tunc viatorem, diuiſionem ſpiritus & animæ modo perfecto, ſed differenter à Chriſto.

Primò quia ſponſus Chriſti erat perfectè beatus vt nunc in gloria, ſpiritus Mariæ non, ſed in ænigmate & ſpeculo cernebat & amabat Deum.

Secundò, quia non neceſſitate anima Chriſti ſuberat paſſionibus ſenſitiuis vel afflictiuis, ſed vltro ſuſcipiebat eas. Quod intuens Hilarius, dixit Chriſtum hora paſſionis non doluiſſe nec timuiſſe nec timorem fuiſſe ſibi. Supplendum eſt, niſi voluiſſet. Alioquin eſſet error totius euangelicæ narrationis ſubuerſiuus. Anima verò Mariæ neceſſariò patiebatur ad præſentiam obiecti triſtabilis. Vnde quamuis eſſet ſine peccato originali concepta, non tamen habebat innocentiæ ſtatum primorum parentum, ſicut nec alij per baptiſmum mundati, quando deletur culpa, manet pœna id eſt neceſſitas patiendi.

Tertia differentia ſumitur, quia beatitudo Chriſti quæ fundabatur in ſpiritu, non redundabat nec effluebat in animam nec paſſiones animæ conturbabant ſpiritum vt ſpiritus erat. Aliter verò fiebat vtraque redundantia de virtutibus ſpiritus Mariæ, in animam ſcilicet, & è contra de paſſionibus animæ in ſpiritum. Hinc minus doluit in filij paſſione nec ita clamauit pro ſenſualitate, Deus meus quare dereliquiſti me, ſicut filius. Quarta dicitur differentia, quia ſpiritus Chriſti, qui dici poteſt cor ipſius, ſemper vigilabat, etiam anima dormiente iuxta illud, ego dormio, & cor meum vigilat. Non ſic in Maria. *Diſcipulus.* De beato Paulo quid dicimus, cum vidit arcana Dei? *Magiſter.* Probabile eſt quod Maria aliquando ſic rapta fuerit, & ſic inſpexerit, atque multo diuinius fuit in Maria diuiſio ſpiritus & animæ quam in Paulo vel Ioanne, vel cæteris viatoribus. Quia nulli motus animæ rationalis qui nati ſunt obedire rationi, præueniebant in Maria iudicium rationis vel ſpiritus. Secus in alijs, qui propterea peccare poterant venialiter. *Diſcipulus.* Cur appoſuiſti de motibus qui nati ſunt obedire rationi? *Magiſter.* Sanè propter motus nutritiuæ potentiæ vel naturalis, qui non ſequuntur cognitionem aliquam, ideo mouentur non ex imperio vel motu rationis, ſed naturæ quodam impulſu trahuntur. *Diſcipulus.* Vtrum ſic fuiſſet in Adam non peccante? *Magiſter.* Non videtur ſatis determinatum, quoniam potuit Deus ſubijcere libertati primi hominis ſuas omnes potentias, quemadmodum dicunt aliqui non improbabiliter, quod in beatis omnes potentiæ ſunt in ſuis operationibus coniunctæ libertati vel ſubditæ, & in Chriſto ſimiliter. *Diſcipulus.* Vellem dares exemplum ſenſibile de huiuſmodi diuiſione ſpiritus & animæ. Deinde varietatem aperires. Poſtmodum ſubderes diuiſionis huius cauſas. *Magiſter.* Tria petis difficilia, nec ſatis intelligibilia per ſolam doctrinam, niſi comes fuerit experientia. Dat Auguſtinus, exemplum de monte ſublimi, in cuius vertice fit illuſtratio ſolis quieta & ſerena ſine nubibus. In pede verò montis fit obſcuritas nubiloſa cum agitatione ventorum. Dat aliud exemplum Hugo ſuper Eccleſiaſten. de igne, qui fumat cum flamma, & de illo qui ſerenus lucet in carbone viuo. *Diſcipulus.* Nunc varios modos huius diuiſionis ſpiritus & animæ nobis aperi. *Magiſter.* Differentia eſt triplex, quia ſpiritus aliquando manet in actu ſuo, nihil agente anima ſenſitiua. Hoc primum perſpicuum eſt in ſpiritu ſeparato, qui viribus ſenſitiuis non vtitur ſecundum probabiliora dicta doctorum, quamuis autor de ſpiritu & anima, & Caſſiodorus ſonent in oppoſitum, quod anima ſeparata ſentit videt, audit & tangit. Sed tunc fruſtra facta fuiſſet coniunctio animæ ad corpus, ſi non egeret organo corporeo, dum operationes ſenſitiuas exercet. Forte volebant iſti dicere, quod vires iſtę manent radicaliter in ſpiritu ſeparato, ſicut viſiua vis eſt in pede viuentis hominis, licet ibi videre non poſſit. Sed magis ad rem noſtram datur exemplum de Paulo qui raptus fuit in ſpiritu, adeò ſine ſenſu corporeo quod dicebat: Siue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit.

Fit præterea aliquando viceuerſa quod dum anima ſecũdum portionem inferiorem eſt in actibus ſuis, ſpiritus ſuperior nihil intelligit. Hoc verò frequentiſſimum non habentibus expeditum rationis iudicium, quales ſunt pueri, vel fatui, vel dormientes, vel attenti vehementer ad ſenſibilia, & beſtiales hinc effecti. *Diſcipulus.* Nunquid appellanda eſt hæc diuiſio animæ & ſpiritus aut raptus vel extaſis? *Magiſter.* Nequaquam ſi propriè iudicauerimus, ſed magis eſt hæc abſorptio ſpiritus & depreſſio vel alligatio, quam

quam ab anima per extaſim & raptum ſeparatio.

Diſcipulus. Sic videtur quoniam raptus dicit impulſum quendam ad ſuperiora, vel actionem vel deductionem, quemadmodum ductus eſt Ieſus à ſpiritu, ductus impulſus & actus in deſertum, propterea dic alteros modos. *Magiſter.* Vnus eſt dum ſpiritus efficitur in actu ſuo ad ſimilitudinem fulguris coruſcãtis aut emicantis ſcintillæ ſolum in quod eſt tranſitu repentino, non in tali valens conſiſtere claritate. Sic Plato quem ſequitur Auguſtinus dixiſſe fertur de cognitione noſtra circa Deum vel diuina, per homines à ſenſibilibus ſe conantes abſtrahere. Sonat ad hoc ſimilitudo animalium Ezechielis, de quibus dicitur quod ibant & non reuertebantur. Subditur tamen quod ibant & reuertebantur, non quidẽ abſolutè loquendo ne videatur contradictio, ſed additur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, quæ coruſcatio ad matricem ſuam regredi videtur, quãuis perſiſtat in ſeipſa. Trahitur inſuper ad hoc verbum Iob de Deo, quod abſcondit lumen in manibus, oſtendens illud quando vult. Loquitur ad hoc propoſitum frequenter Aug. ſatagens exurgere ad cognitionem diuinorum. Sed ſubitò reſorbeor inquit dum quicquam emicare cernitur in intelligentia vel affectu. Apud aliquos verò tranſitus iſte repentinus quandoq; fit paruiſſimus ſecundum plus & minus. Magnum verò magnũ valde, ſi vel hora dimidia ſit in cœlo ſilentiũ dum hic viuimus. Hoc autem magnũ ſenſerat & experiebatur quaſi quotidie beata quæ dixit: Fecit mihi magna qui potens eſt. *Diſcip.* Iſtud piè credi poteſt. Sed vtrum ſolo Dei miraculo vel illapſu ſancti ſpiritus intimo, fiat tanta diuiſio ſpiritus & animæ, aut ſi quãdoq; naturaliter eueniat per vehemens ſtudium meditationis circa diuina, & exercitij per virtutes more philoſophantium, qui ſoli tali via nitebantur. *Mag.* Non arbitreris hoc poſſibile, alioquin negas Chriſtum eſſe oſtiũ quo venitur ad Deum. Sic diuinus Dionyſius poſuit hanc theologiam eſſe myſticam ſolis propriam Chriſtianis. Poteſt nihilominus auxilio eſſe tam angelica viſitatio quam humana exercitatio, cum corporis apta diſpoſitione & completione. *Diſcip.* Dicis auxilia tria, vnũ per angelum, aliud per exercitiũ, aliud per corpus bonũ. Dicas de quolibet breue verbũ. *Mag.* Incipiã ab vltimo. Omnis itaq; cognitio noſtra quantuncunq; fiat per ſpiritum, naturali via ſine reuelationis immediato miraculo capit à ſenſibus initium, per quos phantaſmata veniunt ad animam phantaſiantem, de quibus dicit Philoſophus, & theologi cõſentiunt, quod neceſſe eſt quemcunq; intelligentem phantaſmata ſpeculari. Hæc ſunt ad ſpiritum ſicut color ad viſum. Hinc fit per irradiationẽ intellectus agentis, quem non aliud opinor quam ſpiritum, prout lumine vultus Dei ſignato ſuper ſe, naturaliter prædictus eſt. Fit inquam, actuatio phantaſmatũ, quatenus in poſſibilem intellectum ſe præſentent, & poſſibilis intellectus ex ipſis phantaſmatibus eliciat incorporeas ſpecies intelligibiles & immateriales, per quas intelligat ſine ſenſu & corpore, nõ vt ſubiecto, quia ſẽper reſeruat, ſed vt organo ſpirituali. Exemplum datur de luce, quæ requiritur vt color videatur tam pro coloribus vt actuetur, & fiat ex ipſis & lumine vnum in ratione motiui. Requiritur inſuper ad illuminationẽ medij perſpicui. Supplet autem officium lucis exterioris ipſum lumen, intrinſecum & naturale quibuſdam oculis, quod in cattis & lupis & aliquibus hominibus videre eſt, qui nocturnis videtur in tenebris. *Diſcip.* Appares diſgredi, nec idonea dicere rei noſtræ. *Mag.* Oſtendam mox idoneitatem. Itaque ſi neceſſe ſit, cognitionem ſpiritus etiam ab anima diuiſi, ſuæ cognitionis initium ſumere per inſpectionem phantaſmatum, quid conſequentius quam iuxta variam phantaſmatum præſentationem fiat in ſpiritu cognitio. Hoc eſt, fiat clara & ſerena cognitio ſpiritualis, ſi talia præſentãtur phantaſmata ſerena, clara, ordinata quoq; & imperturbata. Quo contra contrarij eueniẽt cognoſcendi defectus. Capis hæc? *Diſcip.* Capio, & quotidiano probamus experimento. *Mag.* Vides prouide iuuari ſpiritus cognitionem per omne illud quod efficit ſerenationem phantaſmatum circa rem quæ intelligenda eſt præcipuè ſpiritualem & diuinam. *Diſcip.* Video, dum tamen ſerenitas illa non officiat aliunde, per conuerſionem intellectus ſimul & affectus ad libidinoſam concupiſcentiam terrenorum. *Mag.* Hoc excipis ſapienter & ſolerter, quia non omnis habens clara & ordinata phantaſmata, conuertit protinus illa ad ſolam diuinorum conquiſitionem meditandam ſeu contemplandam. Atverò ſupponamus ammodo loqui nos de contemplatiuis, qui quidem ſunt, ſed nonnulli tamen accipiunt proinde duplex illud quod prætactum eſt auxilium. Vnum deſuper per angelicam operationem propriam abſque nouo miraculo. Aliud per propriam intrinſecus exercitationem in virtutibus moderatiuis paſſionum, necnon in ſcientijs illuſtratiuis vel cauſatiuis pulchrarum meditationum per ſpeculationem phantaſmatum.

Diſcipulus. Explica modos. *Magiſter.* Scis quemadmodum fit receptio & diſpoſitio phantaſmatum ſecundum diſpoſitionem ſpiritus animalis, qui radicaliter à corde proueniens ad cerebrum fit animalis, per depurationem & actionem in cerebro. Qui ſpiritus dum ſolum mouet humores in corpore, dicitur naturalis, dum autem implet cerebrum benè diſpoſitum, dicitur animalis cognitiuus & motiuus.

Diſcipulus. Sciuntur hæc ex philoſophia.

Magiſter. Sciuntur fateor, ſed iſta repetere breuiter & ſupponere neceſſe fuit ad tuæ explicationem quæſtionis. *Diſcipulus.* Placet, vltra perge. *Magiſter.* Expeditur iſte ſpiritus animalis, vt aptum ſit inſtrumentum cognitionis & motus, vno modo dum remouetur illud quod impedit & turbat, obſcurat vel oppillat ipſum. Alio modo ſi poſitiuè iuuetur, vt clarus ſit, ſerenus & tranquillus. *Diſcipulus.*

Iam conceſſi quotidianum ſuper hoc eſſe teſtimonium experientiæ, cuius hoc vnicum ſufficeret exemplum Ariſtotelis poſitum de vini actione, quod exceſſiuè ſumptum turbat ad inſaniam, moderatè verò bibitum confert ad cognitionem. *Magiſter.* Collige protinus ex his quo medio poteſt angelus iuuare phantaſiam

vt ſpiritui ſua præſentet phantaſmata clara & ſerena. Adiuuatur ſimul induſtria diligens moraliũ & virtuoſorum de carbone. Et dicamus quod ſi ſit in eodem cerebro pars vna phantaſticæ virtutis, ſimiliter & imaginatiuæ ac æſtimatiuæ, quę ſit actuata ſpiritu animali lucido & ſereno & claro; habeatque ſimilia phantaſmata, quę nata ſunt ducere in cognitionem diuinorum per abſtractionem intellectus agentis; tunc ſpiritus intellectualis ſeu mentalis poterit erigere ſe ad contemplationem diuinorum præſertim ſi fuerit habituatus diu frequenterque per fortem talium meditationem, præſuppoſito ſemper auxilio patris luminũ, à quo eſt omnis ſapientia & omne donum perfectum. Si verò fuerit altera pars obſcurior ſpiritus animalis ſicut apparet poſſibile, tunc illic apparebunt turbulentiora phãtaſmata, ac proinde videbitur ſibi rationalis ſpiritus velut in monte, cuius apex lucidus eſt & radix obſcura. Dilatatur exemplum ex diuerſiſſima, quæ reperitur quotidie circa nubes interpoſitas ſolis radiatione reſpectu ſenſualis oculi. Habes hic modo ſimilitudinem diuiſionis animæ & ſpiritus, quæ dicitur fieri dum illud quod lucidiſſimum eſt, totum apparet ſuperius, quemadmodum non ſatis eſt explicabile nec intelligibile ſine proprio interius experimento. Illud verò quod eſt deorſum, apparet turbulentum & obſcurum. Sic in transfiguratione Domini dicitur quod nubes lucida obumbrauit Apoſtolos, cuius poſtmodum aperietur intellectus. Hanc inſuper diuerſitatem de ignis obſcuritate in accenſo fumo, & de ſua ſerenitate in carbone viuo, fas eſt ſpeculari ad ſcintillas exilientes, quæ clarius ſed breuius emicant. Adde corruſcationes in nubibus ſeu fulgentias, & ita de varietatibus. Quod exemplum ſecutus Boëtius cecinit: Tunc me diſcuſſa liquerunt nocte tenebræ. Luminiſque prior redijt vigor &c. Et iterum. Nubibus artis condita nullum fundere poſſunt ſydera lumẽ. Et rurſus: Heu quam præcipiti merſa profundo, mens habet &c. *Diſcipulus.* Sentio me non ſine cauſa contuliſſe ſermonem ſuper hac diuiſione ſpiritus & animæ. Quam qui non reperit, poteſt nihilominus eam credere reperibilem in deuotis hominibus. Sit hoc per illapſum Dei miraculoſum & immediatum, ſit angelico miniſterio, ſit propriè virtutis exercitio. Conſonare video ſimilitudines, & ſimilitudinibus verba ſcripturæ: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Ecce pro montis exemplo. Et pro altero: In meditatione mea exardeſcet ignis. *Magiſter.* Quid ſi tertium exemplum iunxerimus de aqua vaſis vel fontis vel maris, quale poſuit vnus patrum. Et alludit fabula de Narciſſo. Virgilius quoque non ſiluit poſtquam dixerat:

Animum celerem huc nunc diuidit illuc.
Sicut aqua tremulum labris vbi lumen ahenis,
Sole repercuſſum aut radiantis imagine lunæ.
Omnia peruolitat latè loca iamque ſub auras,
Erigitur ſummique ferit laquearia tecti.

Diſcipulus. Narrabat vnus expertorum paſſorumque diuina. Ego inquit nonnunquam ſenſibilem talem mihi viſus ſum in cerebro diuiſionem, quaſi pars inferior eſſet aqua ſubobſcura cõmotaq;, ſuperior verò velut aër nitidiſſimus, ſerenus & tranquillus emineret, & hoc pulcherrimis omnium ferè præteritarum cognitionum mearum meditationumque ſalubrium ſimulacris. Nonne erat iſta diuiſio ſpiritus & animæ? *Magiſter.* Non exiſtimo, ſed ad illam erat diſpoſitio. Actuabatur quippe ſpiritus mentalis per ſpecies intelligibiles elicitas vt intelligeret ſpiritualia, iam auerſus à phantaſmatibus. Sicut habes duodecimam induſtriam pro myſtica theologia, animum à phantaſmatibus auertere. *Diſcipulus.* Quomodo fiet iſtud, cum neceſſe ſit omnem intelligentem phantaſmata ſpeculari? *Magiſter.* Neceſſe eſt primitus ſed forte non aſſiduè, nec ita quin adiutrice memoria ſpirituali cum habitibus per intelligentiæ continuationem acquiſitis, ipſe ſpiritus immaterialis valeat de habitu & memoria ſe in actu continuare ſine miniſterio ſpiritus animalis. Hinc æſtimo Remigium deſcripſiſſe contemplationem, quod eſt operatio ſine motu, & hoc ſiue ſonet contemplatio cognitionem, ſiue amorem, ſiue delectationem ex vtriſq; conſequẽtem in ſubiecto bene diſpoſito & habituato. Nã quid eſt delectatio niſi coniunctio conueniens cum conuenienti, percepta & amata. Talis igitur operatio cauſat diuiſionẽ ſpiritus ab anima, quia nihil agit ipſa vt anima nominatur tunc ad actum ſpiritus, ſed vel ſopita quodãmodo ſilet & tacet, vel ſi mouetur & ſentit, non conturbat neque deijcit ſpiritum ab arce cõtemplationis. Hæc eſt pax quam Deus dat, vt non cõturbetur cor ipſius neq; formidet & quæ ſecundum apoſtolum exuperat omnẽ ſenſum modo dicto. Priuatur enim ſpiritus, & ſi non vita animæ, tamẽ à ſenſu vitæ eius. Simul accipe verba Richardi quę poſuit in forma autor de ſpiritu & anima, ne videar in tanta re minus habere fidei tanquam inexpertus. Detur ergo fides vel expertis. Viuus & efficax eſt ſermo Dei pertingens vſq; ad diuiſionem ſpiritus & animæ. Sed in hac diuiſione anima & quod animale eſt in imo remanet, ſpiritus autem & quod eſt ſpirituale, euolat ad ſumma: ab infimis diuiditur vt ad ſumma ſubleuetur, ab anima ſcinditur vt Deo cõiũgatur, quoniam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Felix diuiſio & mirabilis ſeparatio, vbi quod corpulentũ eſt, remanet deorſum, quod ſpirituale & ſubtile eſt vſq; ad ſpeculationem diuinę glorię ſublimatur, & in eandem imaginẽ transformatur. Pars inferior componitur ad ſummam pacem & tranquillitatem, cum pars ſublimatur ſuperior ad gloriam & iucunditatẽ. *Diſcip.* Magna ſunt hęc & in alterum reſeruanda tractatum, dies craſtina expectetur. Nunc autem breuiter abſolue. Cur dicitur anima magnificare Dominum potius quam ipſe ſpiritus? *Mag.* Vtrumq; profecto factũ eſt, ſed ſpecialis ratio fuit in anima, quæ verbi incarnati ſpirituali maieſtati præparauit hoſpitium in carne prorſus animali. Rurſus quia futurum erat quod hæc incarnatio ſcandalum eſſet Iudæis, & gentibus ſtultitia, prçuenit Maria mõſtrans non ex impotẽtia ſed ſumma dominatione Dominum carnẽ ſuſcepiſſe. Proinde ſpectat plus exultatio, quaſi extra ſaltatio, ſpiritui animæ, ſimul & tria coniunxit. Deum pro timore caſto, ſalutare pro honore grato, ſuo pro amore ſummo, qui ſic fuit ſingularis in Maria, quatenus ipſam alliceret, vt eſſet nihilominus communis vt plus proficeret.

Poſtre-

Digitized by Google

Poſtremò ſpiritus Mariæ prius exultauit quam animalis pars impugnata magnificaret Dominũ, quod tunc maximè factũ fuit dum conſentiendo ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Quod quia perficiendum fore poſt ab Elizabet prophetizante & benedicente quam viſitauit, accepit, exurrexit in iubilum, & ait: Magnificat anima mea Dominum. *Diſcipulus.* Et nos magnificemus Dominum, & exultet ſpiritus noſter in Deo ſalutari noſtro. Cras reuertemur in idipſum.

TRACTATVS SECVNDVS DRAGMATICVS SVPER CANTICO *Mariæ de exultatione ſpiritus. Et continet notulas ſeptuaginta-tres.*

Prima notula.

EXVLTAVIT *ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* *Diſcipulus.* Adſum quæſiturus. Vtrum beata noſtra dum cecinit: Magnificat anima mea Dominũ, Et exultauit ſpiritus &c. fuerit in ſpiritu vel ſupra ſpiritum, vel ſine ſpiritu, vel extra ſpiritum? *Magiſter.* Quæſitum hoc quadrimembre volo ſi poſſum ad intelligibiliores terminos reducere præſupponens ſpiritũ hic capi per nos pro ſuperiori portione rationis, quæ alio modo dicitur mens, vel apex mentis, vel intelligentiæ ſcintilla, quæ nominatur græcè ſynderiſis. *Diſcipulus.* Placet acceptio, licet multiplex alia ſit, vt etiam dicatur in aliquibus non paruæ autoritatis pars rationis inferior. In gloſſa, pſallam ſpiritu, pſallam & mẽte. A medicis verò concorditer appellatur vapor iſte naturalis & vitalis, effumatus à corde per corpus, ad cerebrum præcipuè illic factus animalis ſenſitiuus & motiuus, non tamen principaliter ſecundum veritatem, ſed inſtrumentaliter per animam quæ eſt in homine rés eadem cum ſpiritu rationali differens penes officia, prout alias declaraſti. *Magiſter.* Concedo tibi ſingula tuæ diuiſionis membra; quod Maria frequenter fuit nunc in ſpiritu, nunc ſupra ſpiritum, nunc ſine ſpiritu, ſeu non habens ſpiritum, nunc extra ſpiritum. *Diſcipulus.* Non eſt in me ſpiritus qui capiat. *Magiſter.* Neſciens an ſciens dum ita loqueris, aperis intellectum? Sciſcitor itaque quid intelligis dicens, quod non eſt in te ſpiritus, nunquid oro ſeparatus es à corpore tuo? *Diſcipulus.* Qualiter hoc loqueris qui me viuere cognoſcis, vel ex verbis certè perpendis? *Magiſter.* Eſt ergo in te ſpiritus? *Diſcipulus:* Nullo pacto id negauerim. *Magiſter.* Nunquid non contradicis primo dicto, non eſt in me ſpiritus. *Diſcipulus.* Allegas acriter, niſi protinus addidiſſem, qui capiat? *Magiſter.* Vigilanter attendis & euadis contradictionem ſi vocem propriam explicaueris. *Diſcipulus:* Tu explica vice mea. *Magiſter.* Habet ſpiritus duplicem vitam ſicut & anima quod ex definitione data animæ per philoſophum colligitur. Eſt inquit, anima actus corporis phyſici, organici, vitam habentis in potentia, ſupplent expoſitores ad vitam ſecundam, quæ eſt operatio vitæ primæ. Vnde ſpiritus dicitur non ſolum eſſe vel viuere vel intelligere, quia ſit eſſentialiter, intrinſecè, **A** formaliter, eſſentia, vita & intelligentia, ſed quia producit ex ſe tales actus vitales, qui vita ſecunda nominantur, nedum à philoſophis, ſed in vſu vulgari quo res omnis quę mouetur dicitur viuax aut viuens, mortua verò dum quieſcit, vt aqua fontis viua. Aqua laci mortua. Tali modo diſtinguunt philoſophi cum theologis triplicem vitam, ſecundum triplicis boni finem, quem operando nititur quis adipiſci iuxta poëticam, de tribus deabus fictionem. Iuno præeſt diuitijs vtilibus. Venus delicijs & voluptatibus. Pallas **B** ſcientijs & artibus honorabilibus. Ponitur alia diſtinctio ſecundum ſpeculationem & praxim mixtim ex vtroque, quod eſt vita practica. Eſt vita ſpeculatiua. Eſt vita ſimul actiua & contemplatiua, qualem habuit beata noſtra ſecundum euangelicũ præſentis diei ſuæ aſſumptionis myſterium de ſuſceptione Chriſti per Martham & Mariam. Siquidem beata ſuſcepit Chriſtum cum officio duplicis huius ſororis, quia ſollicitè miniſtrauit, & deuotè ſedens ſecus pedes, audiebat **C** verbum illius. *Diſcipulus.* Intelligo melius quam antea propriam vocem dum dixi, quod non erat in me ſpiritus qui caperet, nõ enim volui me ſimpliciter non habere ſpiritum, ſed operationem ſpiritus explicatiuam talis myſterij, hoc eſt intelligentiam me habere negaui.

Magiſter. Stet memoriter hæc diſtinctio, pergam ea deducere quæ poſui. Et primò beata virgo fuit in ſpiritu dum operationem ſpiritualem habuit in cognoſcendo plurima quæ cantabat de **D** magnificentia Dei in ſuis operibus vt de creaturarum origine, magnitudine, multitudine, plenitudine, pulchritudine, operatione & ordine.

Erat ſecundò ſupra ſpiritum vel in exceſſu ſpiritus, vel in extaſi mentis reſpectu illorum quorum non poterat ex ſua virtute vel intelligentia propriam cognitionem accipere. Vt quid eſſet Deus in ſe & in ſua magnificentia, quid angeli per omnia, quid felicitas quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. **E** Erat tertiò ſine ſpiritu, reſpectu illorum quorum nullam ex ſpiritu ſuo poterat rationem attingere. Vt regina Sabba reſpectu ſapientiæ Salomonis. Hæc alio modo dicitur defectio ſpiritus, vſitato nomine in pſalmis & in canticis. Sic enim canitur in proſa de ſanctis: Mirantur & deficiunt in eum quem proſpiciunt. Hanc Chriſtus notabat cum dixit: Niſi quis abnegauerit ſemetipſum, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quia niſi quiſque à ſemetipſo deficiat exponit Gregorius, ad illum qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat. **F** Hanc apoſtolus nominat captiuationem intellectus in obſequium Chriſti. Sub hoc tropo dicuntur monachi ſine voluntate, nec habere velle vel nolle. Vocatur aliquando ſtupor vel extaſis conſurgens ex admiratione vehemẽti rei cuius cauſa penitus ignoratur ſecundum Damaſcenum. Erat quartò Maria ſub ſpiritu, dum animæ ſuæ, hoc eſt portionis inferioris operationibus intendebat. *Diſcipulus.* Eia verò non eſt mirabilis expoſitio talis quæ pueris etiam poſſet inculcari. *Magiſter.* Itaque ſapientia eſt quæ abſcondita produxit in lucem, per quam fit doctrina prudentum facilis, dum confuſa diſcriminat & diſtinguit dumque

Digitized by Google

vaga, inordinata & obſcura reſoluit ad pauca perſpicua. *Diſcipulus.* Qua ratione fiunt iſta? *Magiſter.* Nimirum per logicam, quæ ideo dicitur ad omnium methodorum principia viam habens. *Diſcipulus.* Quid agis de logica, quam ſtudioſi noſtri temporis vilem habent, terminiſtam irridentes, eo quod omnia referat ad terminos. Nos inquiunt, rem inquirimus, ad rem minus, quid ad nos de terminis? *Magiſter.* Grauiſſimè reſpondet talibus olim præceptor noſter inclytus, ſic fuit & eſt in plurimis qui ſe gratis inuoluunt cura errorum inextricabilibus modis, quos ſola ſcit & poteſt logica reſoluere definiendo, diuidendo, terminorum denique connotationes cum modis ſignificandi viuaciter exponendo, necnon ſophiſmatum paralogizationes phantaſticas detegendo. *Diſcipulus.* Sufficeret ergo ſcire logicam pro cognitione metaphyſicæ totius theologiæ, nec eſſet perſcrutatione pluri opus. *Magiſter.* Falleris, quoniam logica non dat cognitionē ſcientiarum huiuſmodi, ſed expedit iter modis certis quo venitur ad eas, docet inſuper modum explicationis conceptuum ſubtilium, circa res ipſas tam diuinas quam naturales, tam in cogitationibus, quam in affectionibus, quem explicare difficillimum eſt, immo nec plenè poſſibile, ſi logica cum grammatica defuerit, quas ad hoc officium ſummi viri metaphyſici & phyſici repererunt Ariſtoteles præcipue.

Hanc opinor eſſe cauſam erroris hominum deuotioni ſe dare putantium ſine logica & metaphyſica, ſint homines, ſint fœminæ, dum neſciūt apud ſe conceptus habitos præſertim affectuales reſoluere, & minus ad extra verbis conuenientibus exponere, vnde ſeipſos ſophyſticant, & alios vel non inſtruunt vel decipiunt, expertus centies & centies loquor. Ecce dum audiunt quod Mariæ ſpiritus exultauit in Deo ſalutari ſuo, conantur exultare ſimiliter phantaſiantes multa, nunc amando, nunc timendo, nunc gaudendo, qualia dum ſatagunt, aſſiduè fiunt apud eos inſolita phātaſiarum idola ſiue ſimulachra, quæ quia neſciunt diſcernere à veritate rerum & intelligentia rationis, omnia deputant ad miraculum vel ad doctrinam deuotionis excellentem per anagogiam & mentis exceſſum. Patuit in Thurelupinis & Belgardis, & alijs abſque numero, quorum ſcripta plurima maximè circa fœminas, quarum eſt auiditas pertinacior in affectu, quamuis in virtute & cognitione quam viris longè fragilior. Inde datum eſt epitheton hoc fœminis maximè ſenibus: veteres ſunt ſortenæ vel ſortilegæ. Veniunt in hanc ſuperbiam conſequenter vt viros etiā theologos loquendo ſcribendóque docere præſumāt, contemnentes illud apoſtoli: Mulierem docere non permitto. Ecce quam modeſta fuit ſapientiſſima fœminarum, quæ non niſi ſepties ab euāgeliſtis inuenitur eſſe locuta.

Diſcipulus. Tranſi materiam hanc incidenter & non inutiliter poſitam quia de exultatione ſpiritus Mariæ cupio latius inquirere. Nam cum exultatio ſpiritus ſit quidam mentis exceſſus anagogicus, qui fit vt crebrius per amorem, dic ſi Maria cantica canticorum Salomonis agnouit, & ſi proprium canticum iungebat illorum concentui, ſiquidem aptè quidem videor mihi hoc petere, dum leguntur in hac ſolemnitate felicis A aſſumptionis ſuæ, talia cantica qualia vocaſti ſaltationes vel exultationes ſpiritus amantis per amorem tractans illud euangelicum. Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. *Magiſter:* Præſupponas multa oportet quæ ibidem poſita nouiſti, & quædam ad illa adijciam. Sentio tamen neceſſariam tuam (ô beata beatorum) oppitulationem, quam ſupplex imploro per beatitudinem tuam quam omnes prædicant generationes, per illam gratiæ plenitudinem quam inueniſti apud Deum, per B illam exultationē ſpiritus tui in Deo ſalutari tuo dicam & noſtro, quia nobis datus eſt, & nobis natus. Da magnificare in te per te, & propter te animam meam Dominum, fac exultare ſpiritum meum in Deo ſalutari tuo & ſuo. Da ſpiritualium gratiam gaudiorum qualis affuit Elizabeth cognatæ tuæ, qualis & infanti exultāti in vtero ſuo, dum adueniens cum feſtinatione per montanea, intraſti domum Zachariæ & ſaluaſti Elizabeth, cum tanta vocis efficacia, quod repleta mox ſpiritu C ſancto, exclamauit voce magna, quia affectu magno: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Qui fructus dedit intelligere cum mirando ſubiunxit: Et vnde mihi hoc vt veniat mater Domini mei ad me? Cuius Domini? Planè illius cui quia credidiſti, beata es qui perficit ad ea quæ dicit. Et cui non ingrata protinus ceciniſti canticum nouum canticum canticorum: Magnificat anima mea Dominum, Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, per anagogicos in Deum exceſſus. Beatus ſiquidem D vir cuius eſt auxilium à te aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle, clamans ex ſententia: Cor meum & caro mea Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. *Diſcipulus.* Valeat iſta deprecatio tua quæ nos dirigat, me quærendo, te reſpondendo. Meminiſti reor, altera collocutione te ſpopondiſſe reſponſurum, ſi cantica Salomonis cecinerit aliquando beata virgo, dum ſæpius animo voluebat canticum proprium proferens illud in corde ſuo. An in exultatione ſpiritus ſui eructauerit cor ſuum verbum bonum dicens: E Oſculetur me oſculo oris ſui. *Magiſter.* Ita prorſus exiſtimo. Nimirum pleniſſimè docta erat ab infantia in lege Domini & prophetis & pſalmis de Chriſto ſcriptis. Inter quæ Salomon in exultatione ſpiritus edidit cantica canticorum tāquam epithalamium ſponſi & ſponſæ mutuo fœderatorum per amorem, quam Maria cōiunctionem modo ſentiebat vberius impletam, dum in ea verbum caro factum eſt Deus homo, qui teſte Ioanne, ſponſus eſt, habens ſponſam, ad cuius præ- F ſentiam & vocem ipſe Ioannes amicus ſponſi gauiſus eſt & exultauit, etiam nunciam ex vtero. Qua in rè duc cor ſurſum, atque conſidera per anagogiam. Per eam quippe cantica canticorum panduntur animæ ſe in Deum leuant per fidem, ſpem & amorem. Videbis hoc tempore quo Maria dixit exultaſſe ſe quadruplicem exultationis differentiam, iuxta quadruplicem modum ſpiritualis matrimonij animæ deuotæ ſeu deiformis cum viro ſuo Deo, vt interim de hoc ſolo matrimonij fiat ſermo vbi Deus ſponſus eſt, & anima ſponſa. *Diſcipulus.* Placet iſta reductio, de cæteris quippe doctores abundè locuti ſunt in expo-

Digitized by Google

expoſitione canticorum. *Magiſter*. Exultant hac hora Ioannes, Elizabeth, Ieſus, Maria, conſpicio cuiuslibet mentem vel animam, quæ duo nunc accipio pro eodem. Conſidero inquam Deo fuiſſe coniuncta matrimonialiter, ſed variè. Matrimonium animæ Chriſti cum Deo fuit ab inſtanti ſuæ creationis initiatum, ratum & conſummatum. Illud autem animæ Mariæ nunc erat initiatum & ratum, non conſummatum. Illud autem Ioannis erat initiatum, ſed non omnino ratum, quin poſſet culpa ſaltem venialis, copulam offendere coniugalem. Illud autem Elizabeth fuerat quidem initiatum, ſed non ita ratum, quin repudium poſſet incidere propter fornicationem ſpiritualem peccati mortalis. Neque enim ponitur in gratiæ vinculo fuiſſe confirmata. *Diſcipulus*. Dicis inſuetam mihi diſtinctionem. Ediſſere plenius quid intendis per eam. *Magiſter*. Vereor & molior oſtendere quo pacto conueniat epithalamium Salomonis beatæ Mariæ, priuilegio ſingulari, cuius in deſponſatione nulla fuit par anima, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ad quam anagogia traduceret cantica canticorum. Nil præterea dubitandum quin celeberrima libentique iocunditate cantauit iſta dum viueret. Et primò de anima filij. ſ. Chriſti videamus. Hæc itaque fuit abſque vlla dubitatione perfectior, ſed nunquam talis cui propriè conueniret hoc epithalamium. Didiciſti enim ſi memineris hoc epithalamium ſolum conuenire animæ pro ſtatu viæ, dum deſponſata eſt ſolum in fide, ſpe & charitate, poſtulans cum omni deſiderio complementum in re & æternitate. *Diſcipulus* Memini id te poſuiſſe in libello de canticorum origine tertio tomo ſeu partitione principale, vbi de anagogicis nuptijs multa notata ſunt. Nũc animaduerto nunquam fuiſſe Chriſtum, ſecundum mentem ſeu portionem animæ ſuperiorem niſi beatum, quamuis pro inferiori viator extiterit, cui portioni non aptatur propriè diſpenſatio cum Deo ſponſo. *Magiſter*. Animaduertis propriè tamen qualem habuerit mentalis diſpoſitio animæ Mariæ differentiam. Similiter attende & ſingularem inuenies in qua matrimonium fuit ante confirmationem in patria, ſemper ratum in via. Volo dicere taliter confirmatum, quod neq; repudium per mortalem fornicationem potuit interuenire, nec offenſo quæuis per originalem aut venialem maculam ſecundum duplicem in Elizabeth & Ioanne nunc inductam conditionem. *Diſcipulus*. Eleuatis piæ conſiderationis oculis, intueri videor Mariam ſecundum dicta tua proximam valde nunc fuiſſe cubiculo ſponſi, nec obſtitiſſe ad conſummationem matrimonij ſpiritualis, præter velum vel cortinam ænigmatis viæ, tegentem cubiculum quod tunc paruium non erat ingreſſui. *Magiſter*. Cernis acutæ, nonne tu videbis à ſimili quanto Maria deſiderio conſummationẽ in gloria matrimonij iam inchoati & rati per gratiam confirmata optabunda quæſierit, non quidem impudentia quaſi meretricia rapiente virum vltro, ſed verecundia virginali per inſinuationem formatam reuerentialis pudicitiæ verbis petebat quod optabat, cõmuni voto cum ſponſo, neque enim tepidor erat ſponſi ad ſponſam zelus donec introduceret eam in domum matris ſuæ, & in cubiculum genitricis ſuæ, A omni deinceps ablato velamine quando facie ad faciem videre ſibi dabitur ſpõſum, & vnum fieri cum ſponſo. Itaq; iam non duo, ſed vnus ſpiritus fœdere perpetuo nubentur. Hinc ſunt illæ voces amoris interruptæ ſuſpirijs. Hinc allocutiones alternæ, hinc mutuæ collaudationes, hinc curſus & recurſus crebri ſubitique ſponſi ſalientis, tripantis ſeu tripudiantis.

Audi ſponſam verecundè petentem ſponſum. Oſculetur me oſculo oris ſui. Trahe me poſt te. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, B vbi cubes in meridie. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Deinde cum pulchritudinem ſponſæ laudaſſet ſponſus, ſponſaque de ſponſo ſimile feciſſet conſidera quam apertè vel quam verecundè dedit intelligi, nil reſtare niſi ſecretum ingreſſum cubiculi. Lectulus inquit noſter floridus.

Sed redeo ad oſculum. Amor igneus eſt, lampades eius ignis atque flammarum. Propterea nequit ſe in ſe continere, quin aſſimilationẽ quæ- C rat ſibi facere, ſemper inquietus eſt quouſque pertingat ad intimum rei quam diligit. Vocat inquã diuinus Dionyſius vim amoris eſſe quid ſemper mobile, inceſſabile, calidum, acutum, feruidum, ſuperferuidum. Quid igitur æſtimas, faciet ſponſa talibus ad ſponſum ſuccenſa flammis amoris, niſi quod inquirat intimos amplexus ſuos vt in illis refrigerium inueniat tota toti coniuncta. Expectat tamen pudicitia virginalis tempus beneplaciti ſponſi, diémque ſtatutum pro nuptijs antici- D pare non audet. Facit interea quod ſibi fas eſt petit ad ſolatium, petit ad refrigerium æſtuantis ardoris ſui, oſculum ſponſi caſtiſſima ſuauitate iocundum. Oſculetur me inquit, oſculo oris ſui. Vidi raptam, vidi exultantem extra ſe ſponſam. Ipſa petit oſculum, ne explicat cuius. Cur ita? Reputat enim illud omnes intelligere quod ſolũ cogitat, quod vnicum deſiderat, quod totum cor occupat, ſicut illa philocapta de Domino. Si tu ſuſtuliſti inquit eum dicito mihi. *Diſcipulus*. Ediſſere rogo, cur non contenta fuerit oſculetur me, ſed ſubinfert, oſculo oris ſui. *Magiſter*. Diſtinctio E vulgata eſt, & alias diligentiſſimè deuotiſſiméq; deducta de triplici oſculo. Hoc quidem pedis, hoc manus, hoc oris. Hanc triplicem reperies differentiam in oſculo oris pro conditione huius vel illius animæ. Oſculum quippe datur aliquãdo in ſignum reconciliationis. Sic pater euangelicus videns à longe filium ſuum venientem à regione perditionis & egeſtatis, miſericordia motus occurrit, & cadens ſuper collum eius oſculatus eſt F eum. Quandoque verò datur oſculum in ſignum noui muneris ſeu benedictionis, ſicut Iſaac benedicens filio, oſculum petijt ab eo. Porrò datur oſculum ad ſolum amoris non tam indicium quã exercitium, ſicut pius pater & pia mater filium oſculatur infantulum, ſic caſtiſſima coniunx maritum. Competit quodlibet oſculum ſi tropologiam attendis, animæ viatrici quærenti Deum, & hoc ſecundum triplicem animæ ſtatum. Petit oſculum reconciliationis anima peccatorum & offenſæ conſcia vt ſanetur. Exemplo Martini ſanantis oſculo leproſum. Petit oſculum benedictionis anima non ſatis opulenta, ſed egens mu-

Digitized by Google

neribus. Petit oſculum exercendæ dilectionis mutuæ anima, iam in omnibus bene conſcia, nihil requirens, nihil intendens in oſculo præter amorem vt ametur & amet. *Diſcipulus.* Nunquid elicere non vis, ſolam inter omnes & ſuper omnes animas viatrices, animam Mariæ potitam fuiſſe tali oſculo tertio Dei ſponſi ſui dum viueret? Erat ſiquidem tanta ſemper mũdiſſima, nunquam egens reconciliatione, erat gloria plena, ſuper omnes benedicta, non egens nouis muneribus; licet augerentur ipſa, tamen magis amari & amare, dilectóque ſuo frui proximè iam ad ſtatum patriæ peroptabat? *Magiſter.* Rectè coniectura ad ſingularem noſtræ beatæ laudem, verum ad beatificationem alterius cuiuſuis animæ, fas habes obſeruare, quo pacto ſine præſumptione poſſit ipſa petere quæ peccatrix eſt, oſculum ſpõſi & dicere cum modeſtia. Oſculetur me oſculo oris ſui. Quæ conſideratio dat aperire tãquam myſtica clauis, parabolicas locutiones canticorum ad triplicem ſtatum repertum in animabus. Quorum primus dicitur incipientium, alter proficientium, tertius perfectorum. Sed eſt aliud quod attendas in oſculis caſtis & licitis Ieſu ſpõſi. Vnũ corporale fuit, aliud ſacramentale, tertium figurale. Ecce reductis ad beatæ Mariæ tempora luminibus fidei, conſpicio beatam iſtam matrem virgineo fouẽtem gremio, ſpecioſum forma præ filijs hominum puerum Ieſum, quem deoſculabatur crebrò, recipiens viciſſitudinem oſculi cum amplexu tenerrimo à ſemetipſo. O quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.

Felix prorſus extitit vir Mariæ iuſte Ioſeph, cui totiens conceſſa ſunt oſcula blanda pueri Ieſu, quẽ geſtare manibus, ſinu refouere, brachijs amplecti, pectus Dei capax tuo pectori ſtringere cũ omnibus pueritiæ gratiſſimæ blandimentis totiẽs meruiſti. O quotiens intuitus oculorum beatorum tibi ſponſæque tuæ lætos afflabat honores. O quotiens iocundiſſima vox diuinos vobis inſpirabat amores. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat tanquam verè cum filio hominis filius eſſet Dei.

Iſta dum dicis, dum optas, dum miraris, quare non ſacerdotium recogitas tuum, ratione cuius tibi fas eſt quotidie filio Dei & hominis oſcula dare, ipſum cernere, ipſum geſtare, contrectaréq; manibus, dicam mirabilius, quod nec ipſi Ioſeph conceſſum eſt. Potes ſacramentaliter ipſum manducare, qui eſt panis vitæ æternæ, qui dat vitam mundo, qui mutabit te in ſe, vt ſis ipſe in eo, & ipſe in te, vt dices cum apoſtolo: Viuo iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. *Diſcipulus.* O ego noui quid loqueris, ſed hoc ad confuſionem miſeri peccatoris, qui & ſumit Chriſtum & ſacramentum oſculatur, & fruitur oſculato per ſacramentalem vnionem. Væ mihi quantum vereor illud improperium frequenter impingi poſſe mihi, quod Iudę nequiſſimo benignus attulit agnus. O iuda oſculo filium hominis tradis. *Magiſter.* Prohibeat à ſeruis ſuis hoc improperium Deus faciens vt dignitatem oſculi ſacramentalis ſẽper attendant eminentiorem eſſe, quam fuerit præſentię corporalis, maximè iuncta cibatione. Neq; enim qui manducaſſet particulam carnis Chriſti, A vtputa genam vel auriculam manſiſſet in Chriſto, & Chriſtus in eo. Sicut nunc ſit dum talis adeſt nobis velatus, & verè Deus abſconditus totus manducatus, manducans & nos totos. Felix anima ſacerdotum, felix & cæterorum chriſtianorum, qui poſt eſum & potum inebriantis & lætificantis, & confortantis præclariſſimi huius ſacramenti, huius benedicti fructus virginei, poteſt ex ſententia dicere: Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi, per otium contemplatiuæ quietis. Et fructus illius ſit in accipientium vmbra miniſtra- B tus, dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem vt nihil plus amarem, nihil plus deſiderarem, quam ſummè amabilem & totum deſiderabilem. Fulcite me floribus ſanctarum affectionum, ſtipate me malis ordinatarum affectionum ſeu meditationum, quibus abundat hortus veſter. O filiæ Hieruſalem quæ eſt cœleſtis libera mater noſtra. O beatificatæ animæ, quia amore langueo, quia vulnerata ſum charitate. Et hinc eſt iſte pallor C meus, hinc iſta nigredo, quia iuſtitiæ ſol combuſſit me, vulnerauit me, decolorauit me feruidæ dilectionis amore ſeu ardore. Angeli quoque conciues veſtri, cuſtodes ciuitatis Hieruſalem amici ſponſi, filij matris meæ, quæ eſt gratuita bonitas diuinitatis, pugnauerunt contra me, ſed pugna feliciſſima quæ carnalia deſideria trucidat. Poſuerunt me cuſtodem in vineis ſanctarum operationum. Vineam quoque meam non ego tam cuſtodiui, quam ipſi de mandato ſponſi.

Hæc inquam verba inter ſuſpiria cadit ſponſa D vtputa tota ſobriè ebria, tota feliciter charitate vulnerata, quam cadentem & ſpaſmatam zelotes ſponſus inter brachia ſuſcepit ſua, leuat caput leua, à leuando dicta. Hæc ſponſa quamuis ſobriè temulenta ad præſentiam ſponſi ſuſpirat, ſuſpirabunda trahit de imo pectoris vocem. Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Diſcipulus.* Iam ſiſte obſecro vides ne quo te pertrahit æſtus, cum ſermo tuus erat de oſculo, dic ſi quid habeas amplius quid afferas. E *Magiſter.* Planè multum tam in bonis bonum quam in malis malum. Væ væ carni & ſanguini. Quis offerre ſermo pudicus auderet? quid enim nequius quam quod excogitauit caro & ſanguis? *Diſcipulus.* Ne precor ad amatoria cantica admiſce vel ſatyra vel tragediam mordaces, vel comediam lubricam, vel ſordentes eglogas, ſola nobis anagogia diuinos cantet amores. *Magiſter.* Mones probè qui conuiuio vetas induci nuptiali funereas tubas trachæreæ, atque ſulphureas amoris in- F fauſti tædas incendi perhorreſcis.

Sed quid tangis de oſculo figurali, dum vel crucem vel imagines, aut reliquias ſanctorum ſanctarumque quiſpiam oſculatur. *Diſcipulus.* Puto poſt paſſionem filij beata mater eius crucem crebrò fuerit amplexata, omniaque loca vbi ſteterat ſacti pedes eius, ſedula deoſculatione coluerit. Sed neque fuerat expers ſacramentalis oſculi, de quo locutus eſt, ſicut nec exemplar illud duplex pœnitentiæ, Maria Magdalena & Ægyptiaca, quamuis protinus intrauerunt thalamum ſponſi, ſublato velamine, nec glorioſus Dioniſ. in morte carere voluerunt. At verò quid ſit os Dei ſponſi,

&

Digitized by Google

& quid oſculum, ſubtilius ediſſere ſi potes, cum ſit incorporea diuinitas. *Magiſter.* Vocas iterũ ad diſtinctionem oris & oſculi trimembrem. Os habemus Dei patris, os filij, oſculum vtriuſque quod eſt ſpiritusſanctus. Os ſuum aperuit Christus habens labia diſtillantia myrrham primam mortificatiuam vitiorum, cuius tot ſunt oſcula quot verba. Ipſe ſimiliter cum patre & ſpiritusſancto, aperuit ora prophetarum. Aperuit & os prædicatorum & doctorum, qui ſapientiam eructant porrigentem oſcula volentibus. Dicuntur autem prædicatores os Dei, ideo quia ſeparant precioſa à vili. *Diſcipulus.* Iunge duplex hoc oſculum vltimum ipſis tropologiæ vel allegoriæ adoleſcentulis, ſatis enim patent & ſobrios ædificant & in primo conſiſte. *Magiſter.* Deus ſicut eſt vnus & vninomius per eſſentiam & proprietatem, ſic eſt per anagogiam ſymbolicam omninomius. Ita vnus eſt multiplexque. Sciens itaque Deus nos paruulos & balbos, voluit inſtar nutricis frangere verba ſua quibus ipſe nobiſcum & nos ſecum, intelligibiliter vtrinque loqueremur. Conceſſit igitur locutiones transſumptiuas à rerum cognitarum ſimilitudinibus ſumptas, tam abundanter vt nihil inueniatur quod non valet ad ipſum trahi nominandum, quod loquendi genus appellauit Dionyſius ſymbolicum, de quo & ſcripſiſſe notat librum, ſed ad latinos non peruenitur. Hoc typo loquendi Deus pater habet os ex quo filius eius increata ſapientia prodijſſe ſe gloriatur. Ego inquit ex ore altiſſimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Habet & vterum. Ego inquit ex vtero ante luciferum genui te. Pater itaque diligit filium ſuum, & filium genitus mutuum rependit amorem, quæ viciſſitudo dilectionis cur nõ deoſculatio nominabit? Ex qua ſpiratio communis amoris emanat & flagreſcit, quæ ſpiratio quia nectit quodammodo patris os ad os filij, dici poteſt oſculũ ſpõſi, patet quale ſit illud oſculum, quia ſpiritus eius oris vtriuſque patris & filij. *Diſcipulus.* Sed quæ vel qualia ſunt labia ſponſæ? *Magiſter.* Illa nimirum ſunt duæ vires præcipuè mentis. Vis intellectiua, & vis ei correſpondens affectiua ſeu volitiua vel appetitiua, quas dum ſpiritusſanctus oſculum patris & filij inſpirando cõnectit, & oſculatur illabendo, fit mens tota deiformis & conformis beatiſſimæ Trinitati, fit Trinitatis nobile tricliniũ. Itaq; fit eius memoria fœcunda parẽs verbi cum acies intelligẽtiæ conuertitur ſuper ipſam, ex qua ſimul conuerſione ſpiratur amor communis vnius & eiuſdem voluntatis. Hæc eſt ſpecies & imago pulcherrima & conformata & aſſimilata diuinæ Trinitati quæ per gratiam eſt idipſum quod Deus per naturam. Exultabat ad hanc aſſimilationem pertingere ſpiritus Mariæ, ſuſpirans & æſtuans aſſiduè deſiderio ſponſi ſui.

Oſculetur me oſculo oris ſui. Quid quæris ô beata? quid oſculum ſponſi petis ô benedicta? quid eſt illud oſculum niſi ſpiritusſanctus? qui vtique ſuperuenit in te, quando virtus altiſſimi obumbrauit tibi, immo iam præierat, nec poſt modum receſſit à te, quia Dominus ſemper tecum.

Sed quid affectas, ô pulcherrima mulierum? Sentio quid requiris, & ſi diſſimulare videaris verecundia virginali thalamo ſponſi proxima es,
A gaudens oſculo oris. Sed & leua eius ſæpe ſub capite tuo. Et inter vbera tua commoratur te amplexans, te oſculans, quid tibi vis amplius? Certè nondum ſubintroiſti ſecreta cubili ſilentia, vbi fœdere perpetuo matrimonium conſummetur. Inquieta es donec introducat te, & tu illum in domum matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ. Et quæ iſta mater tua? niſi diuinitas ſua, vtique omnium creatrix & gubernatrix. Et quæ domus eius, quæ altaria ſi non æternitas ampliſſima? Quod denique cubiculum niſi ſinus altiſ-
B ſimus, occultiſſimus Dei patris, in quo ſponſus tuus quieſcit perenni felicitate. Hoc cubiculum intrare, in hoc quieſcere, delectari, fœcundarique deſiderabunda ſuſpirans, penſabas quale ſit iſtud: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Fallor ſi non hæc ipſa quæ diximus expreſſiſti, ſponſum inueniens & dicens: Tenui eum nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Et ecce nunc ô beata quod ſperaſti
C tenes, quem deſideraſti poſſides, quem crediſti vides, quem dilexiſti tota complectens, ipſoque ſecura frueris in æternum. *Diſcipulus* Quid ſibi vult ſponſus iſte ſuus quod vnam ſuam vnice dilectam matrem diſtulit introducere ſecum in cubiculum felicitatis æternę, quando latronem de cruce protinus in hoc cubiculo collocauit. Audiente matre & inconſolabiliter anxiente, pertranſierat enim gladius animam eius. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. O mitiſſime
D Ieſu, & vbi erat mater tua, niſi in dolore continuo remanens in hoc nequam ſæculo ſeparata etiam à corpore tuo, quod incluſum iacebat in ſepulchro. O verè terribilis in conſilijs Deus ſuper filios hominum. O certè veriſſimum, quod erunt nouiſſimi primi. Quis hoc æſtimaſſet? quis crediſſet? quis ſperaſſet? aſſumitur ad gloriæ cubiculum latronis anima, & matris relinquitur ad lamentum. Cui & longo tempore poſt patet ingreſſus ad idem ſponſi cubiculum. Potuit inuidiam ſibi facere glorificatus ipſe latro, ſi non fe-
E ciſſet eum charitas vnum cor & vnam animam cum eo. Suaſit eadem charitas quærens quæ Dei, ſunt, habere vitam in patientia propter electos Dei, per ſe & ex ſe docendos de myſterijs veræ fidei. Et quia deſiderium quanto per incolatus huius prolongationem plus & plus adauctum eſt, tanto habet in adeptione ſuper omnes plus gaudium. *Magiſter.* Concernit hęc reſponſio tua prolongationem huius miſeriæ in iſta amoroſiſſima per annos multos quæ per oſculum pedum pri-
F mum mundata, poſt eremicola diu fuit. Sic diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, vſque ad ſenectam, vixit & ſenium. Tangit ignitus martyr Ignacius ſcribens beatæ virgini cauſam ſuperſtitis vitæ ſuæ, vt cęteros ex ſe & propter ſe & in ſe confortaret. Cui etiam beata virgo reſcripſit, vt exultaret in Deo ſalutari.

Porrò quis te docuit, ô Luca medice chariſſime, primas euangelij tui partes, niſi ſolum talium conſcia virgo prudentiſſima, cui te familiarem conciliarat caſtitas, quia nec vxorem nec prolem habuiſſe narraris. Per te præcurſoris annunciatio, conceptio, exultatio, nati-

Digitized by Google

uitas, circuncisio cum nominis impoſitione nobis patent. Per te canticum Zachariæ. Per te totius incarnationis Chriſti myſteria nobis tradita ſunt. Per te cantica canticorum Marię & illud Simeonis pueri Ieſu felix intentio deſcribuntur, & quo alio niſi Maria reuelante.. *Diſcipulus.* Ardet animus multa quærere ſuper enumeratis euangelij materijs, quos omnes conſeruabat Maria conferens in corde ſuo, ac proinde magnificans Dominum, & exultans in Deo ſalutari ſuo. Sed cœpto curramus itinere poſt odorem vnguentorum tuorum, quem ſpirant amoris cantica, de quibus poſt oſculum ſubditur. Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis. Dic quid ſponſa ſingularis ſibi volebat, tanquam oſculi cauſam ſubdens, quia meliora ſunt vbera ſponſi ſuper vinum quæ ſunt hæc vbera? *Magiſter.* Si dixero quod vbera ſunt amor vel amores, nihil errauero, quoniã omnia ſortitur amor vocabula in ſtar Dei, quia Deus charitas eſt, amor eſt, os, oſculum, ipſe vbera ipſe vnguentum fragrans, ipſe oleum effuſum, ipſe nardus, ipſe faſciculus myrrhæ, ipſe equitatus Dei, ipſe botrus cypri, ipſe lectulus, ipſe flos campi & lilium conuallium. Quid moror per ſingula. Ipſe per per denominationem participatam, vnus omnia in omnibus cuius natura ſi perfectè cognoſceretur, ceſſaret linguarum neceſſitas. Ipſe ſibi totus & vnus ſufficiens lingua eſſet ſufficiens oculus, ſufficiens auris & naris & guſtus & tactus, immo verò nullum eſſet per eſſentialem proprietatem, ſed per eminentiã ſingularem. *Diſcipulus.* Cur iſta præmittis? *Magiſter.* Planè ne præſtoleris amoris cantica exponendo poſſe finiri, qui certè infinitus eſt, cuius quantitatem non molis, ſed perfectionis accipiẽtibus ſemper eſt aliquid vltra recipere. Non expectaueris ergo totam Salomonis canticorum & Mariæ ſeriem poſſe nos decurrere, qui nec duos verſiculos vtriuſque cantici, immo nec primum verſum ſatis attingere penetrareque valemus.

Diſcipulus. Et ſi de Deo nil perfectum poſſumus eloqui, conemur tamen more puerorum nos balbutiendo ſolari. Hic aliquid idcirco de vberibus ſponſi & ſponſæ, de quibus additur tertium oſculum, quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Et quia viuus eſt ſermo Dei, ſecundum apoſtolum, poteſt tamen cum quolibet ad quemlibet loqui. Propterea ſi reliquas canticorum particulas quandoque commiſcueris, non erit ingratum prolixioris tractatus tollens faſtidium. *Magiſter.* Dicit hoc loco magiſter. Nicolaus de lyra poſtillator ad literam, quæ fundamentum eſt allegoriæ, tropologiæ, necnon anagogiæ. Dicit inquam pro nomine iſto vbera, iudæos habere amores ob æquiuocationem nominis Hebræi ad amores & vbera. Hieronymus vbera ſecutus eſt, Hebræus amores. *Diſcipulus.* Tranſi. Inueniens tale poſitum mille locis in biblia. Pro quo ſedendo ſcripſit olim volumen egregium præceptor noſter. P. Cardinalis Cameracenſis cuius ſententiam alio loco dum inquiram pandes ſpero. *Magiſter.* Pandam, tu nihil hic calumniabile vel aduerſum reperies, ſi modos loquendi typicos ſeu figuratiuos attenderis, quibus res contenta ſignificatur per continentem & è contra. Continent autem vbera cum pectore cor ipſum quod ſedes amoris eſt

A radicalis. Laudans igitur vbera laudat amores, quod meliores ſint vino fragrantes vnguentis optimis. Video ilico quod non ſurrexit incongruitas ſi ſponſo dentur vbera, quæ cor habent completum & æſtuans amoribus. Siue dicatur ergo meliora ſunt vbera tua, ſiue meliores ſunt amores. Anagogia probat vtrumque verum, ſciẽs quod amor diuinus neſcit ſexum, apud quem non eſt maſculus neque fœmina, quamuis dicatur ſponſus & ſponſa. *Diſcipulus.* Hoc obſeruandum arbitror pro deuotis, ne ſe carnalibus inuol-

B uant ſimulachris. Video proinde quod nec lac vberum, nec vinum, nec vnguentum ſit aliquod corporale. Nihilominus cauſam tranſumptionis & comparationis licet inquirere, cur vbera vino ſint meliora, cum ſponſus duxerit ſponſam in cellam vinariam?

Cur rurſus inuitans clamauerit poſtquam dixiſſet. Bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici & inebriamini chariſſimi. *Magiſter.* Bibit itaque vinum ſponſi, ſponſa viatrix, ſed per vbera

C ſponſi tranſfuſum & lac factum. Alioquin debile nunc cerebrum ſponſæ vini puri virtute turbaretur. Exemplum dant nobis nutrices, quæ paruulis infantibus ſi ſagaces ſunt vini puritatem non miniſtrant, ſed quod in ſuum lac conuerſum eſt. Sunt enim hac ratione nutricis vbera meliora vino, non ſecus in vberibus ſponſi, qui propter ſponſam in incarnatione lactens factus eſt. Conati ſunt philoſophi fugere vinum ſapientiæ de vberibus primæ cauſę, dum inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt cognouerunt, ſempiternam quo-

D que virtutem eius & diuinitatem. Conualuerunt & æſtuauerũt, & inflati ſunt vino multo, de calice aureo Babylonis & inebriati, dati ſunt in reprobum ſenſum, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Rationem dicit apoſtolus, quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deũ glorificauerũt neq; gratias egerũt. Habes vinum ſine lacte quo planè lac melius eſt, præſertim conditum ex vino vel factum cuius potus inebriat, ſed ſobriè ſine luxuria. Accipe ſignũ ebrietatis noxię, ſimul & cau-

E ſam in philoſophis, qui veritatis ſtudio tam vehementer intenti, nihil de amando Deũ toto corde, toto anima & tota mẽte, fortitudine ſcrutati ſũt. Quid mirandum ſi defecerunt ſcrutantes ſcrutinia, ſi per per erroris pręcipitia ceſpitantes impegerunt, potati vino mixto veneno omnium vitiorum, nec qualicumq; ſed nefandorum qualia notauit apoſtolus, quãuis non omnia quę in occulto fiunt ab eis, inquit turpe eſt dicere. Et cum qua fiunt niſi cũ illa meretrice quę apud Salomonem allicit, dicẽs: Veni inebriemur vberibus. *Diſcipulus*

F Fugiamus ocius hos verborum fœtores, qui de vberibus & amoribus loquimur, fragrãtibus optimis odoribus. *Magiſter.* Audiamus potius aure pietatis & fidei, matrem virginem & filiã magnificãtem Dominum & exultãtem in Deo ſalutari ſuo. Cuius nomen eſt oleum effuſum quod ſanat incipientes, paſcit proficientes, delectat proximãtes. *Diſcipulus.* Verum etſi properat intentio quærere de tertio verſiculo, cur Maria oleum ſuæ magnificationis & exultationis protinus intulerit. Quia reſpexit (inquit) humilitatem ancillæ ſuæ. Nihilominus exponi prius opto doctrinaliter quid

propriè

Digitized by Google

proprie ſit magnificare Deum, & quot modis fieri
reperitur. *Magiſter.* Pertinens eſt inquiſitio talis.
Igitur accipe quod magnificare Dominum nihil
aliud eſt quam magnum ſignificare. Non enim
facimus Deum aliter magnum. Sunt autem modi
ſignificandi magnitudinem Dei ſine numero, in
genere duo. Vnus interior in animo cognoſcente
& diligente Deum. Et enim fide, ſpe, & charitate
magnificatur in anima Deus, quoniã magnus ab
ea & in ea ſignificatur. Modus alter eſt exterior
tam multiplex quam varia ſunt ſigna quæ repræ-
ſentare poſſunt ab extra magnitudinem Dei.
Quid eſt enim ſignificare niſi aliquid intellectui
repræſentare. Sit hoc per voces, ſit per colores vel
ſpecies colorum, ſit per obiecta quorumlibet ſen-
ſuum, ſit per ænigmata figurarum in ſcripturis
ſanctis, ſit per reuelationes myſteriorum. Con-
cludit idcirco canticum ſuum virgo beata ſub at-
teſtatione diuinarum locutionum quas fecit Do-
minus ad patres noſtros Abraham & ſemine eius
in ſæcula. Conſeruabat omnia verba hæc confe-
rens in corde ſuo, nunc Eſaiæ prophetiam de vir-
gine paritura. Nunc Hieremiæ vaticinium quod
mulier circundabit virum. Nunc hebdomada
Danielis. Nunc portam clauſam Ezechielis cum
templo toto. *Diſcipulus.* Deſcripſiſti quid eſt ma-
gnificare Dominum, quoniam eſt ſignificare
Dominum eſſe magnum vniuerſaliter perfe-
ctum. Scio quoniam ſignificare ſecundum gram-
maticos, eſt aliquid intellectui repræſentare;
qui tractant de modis ſignificandi, ſuper qui-
bus Centilogium compoſuiſti. Sunt inſuper
varij modi (ſicut notas) magnificandi Domi-
num ſcilicet benedicere, ſanctificare, glorifi-
care, prædicare, exultare, confiteri Domino,
laudare, & ita de ſimilibus, quorum cantica me-
morantur. Inquiramus igitur de ſingulis. Dic
quid eſt Dominum benedicere. *Magiſter.* Hoc eſt
ſignificare Dominum eſſe bonorum datorem, fa-
ctorem vel donatorem, quia ſuum dicere, facere
eſt, dixit & facta ſunt. Ita ſuum benedicere eſt
ſuum bene agere. Domino autem benedicere, ſi-
gnificat verbum benedictionis illi fieri vel dirigi,
vt ibi. Sancti tui benedicant te. *Diſcipulus.* Dic
quid ſit ſanctificare nomen Domini. *Magiſter.*
Hoc eſt ſignificare Dominum in ſanctitate &
mundicia perfectum. Quid autem ſit ſanctitas
Domini & notitia & mundicia habes alibi. *Diſci-
pulus.* Dic quid eſt exultare in Deo ſalutari no-
ſtro. *Magiſter.* Hoc eſt ſignificare Deum eſſe ſalua-
torem noſtrum, & ſalutare vel ſaluationem, non
qualicunque ſigno, ſed modo lætitiæ exterius ſe
prodentis, & quaſi ſe non caperet vlterius ſalien-
tis. *Diſcipulus.* Dic quid eſt confiteri Domino?
Magiſter Hoc eſt ſignificare certo ſigno, ipſum eſſe
Dominum. Et hoc multipliciter vel quoniam bo-
nus, vel quoniam in æternum miſericordia eius
vel quoniã laudabilis nimis & magnitudinis eius,
non eſt finis, vel quoniã peccata dimittit, & præ-
ſtabilis eſt ſuper malitia, aut ex reliquis perfectio-
nibus ſuis. *Diſcipulus.* Dic quid eſt ſacrificare Do-
mino? *Magiſter.* Hoc eſt ſignificare certis ſignis
adhibitis quod ille cui ſacrificatur, vel in cuius
honorem principaliter offertur ſacrificium ſu-
premus eſt Dominus plenariam habens pote-
ſtatem vitæ & mortis ſuper nos, ſicut in animali

ſacrificato vel occiſo. *Diſcipulus.* Dic quid eſt gra-
A tias agere Deo? *Magiſter.* Hoc eſt ſignificare bona
recepta ab eo pure gratis non meritis noſtris.
Modi autem ſignificandi ſunt varij, pro varietate
eorum quæ recipiuntur ad ſignificandum corde,
voce, corpore, & opere. *Diſcipulus.* Dic quid eſt
adorare Dominum vel colere cultu latriæ. *Magi-
ſter.* Hoc eſt ſignificare ſuprema in omnibus ſuã
dominationem atque maieſtatem, & hoc modis
varijs interius in anima, vel exterius in corpore,
aut alijs rebus exhibitis. *Diſcipulus.* Quid eſt iubi-
lare Deo? *Magiſter.* Hoc eſt ſignificare magnitu-
B dinem eius in bonitate & benedictionibus, mo-
do gaudij cuiuſdã ineffabilis, vt aliquando plauſũ
manuum, aliquando vultus alacritate. Aliquando
vultus dilatatione, quæ dicitur lætitia quaſi lati-
tia. Aliquando voluptate, quæ dicitur à volubi-
litate circa rem dilectam. Nonnunquam à dele-
ctatione quæ dicitur quaſi lactatio. Quandoque
à iocunditate, quæ dicitur à ioco. Sæpius ab ala-
critate, quæ dicitur dum habet liberum & expe-
ditur vſum corporis vel membrorum vel ſenſuũ,
C & maximè corpus ad ſignificandum lætitiam.
Diſcipulus. Quid eſt Deum laudare in ſanctis ſuis?
Magiſter. Hoc eſt ſignificare ipſum eſſe cauſam
ſuæ ſanctitatis. Sicut Deum laudare in creaturis
ſuis eſt ſignificare quod ipſe eas gubernat, fecit &
regit eas pure gratis, & magnificis modis. *Diſcipu-
lus.* Quid eſt alloqui creaturas quod benedicant
Deum, quod collaudent, quod adorent, quod
prædicent, quod lætentur in eo cum ſimilibus
acclamationibus. *Magiſter.* Totum eſt hoc ſigni-
ficare complacentiam quam habemus in benefi-
D cijs omnibus, quæ creaturis collata ſunt, & hoc
varijs modis ſignificandi pro varietate alloquen-
di, ſicut ſolemus exhortari per pſalmos dicentes:
Laudate Dominum in tympano & choro, laudate
eum in chordis & organo, cum alijs talibus in-
ſtrumentis omnibus, hoc autem eſt ſignificare
complacentiam & exultationem atque lætitiam
quam habemus in recognitione beneficiorum
Dei talibus modis repræſentandi. Quemadmo-
dum dare gloriam Deo, honorem & virtutem,
E & ſimilia omnia perfectionem importantia, non
eſt aliud quam ſignificare talia ſupereminenter
eſſe in Deo vel à Deo procedere. Et hoc tot mo-
dis ſignificandi quot modi ſunt repræſentandi
corde, voce, corpore & opere. *Diſcipulus.* Dic
differentiam inter magnificationem Dei, quam
faciunt irrationales creaturæ, & ſignificationem
rationalis animæ de qua dicitur in hoc cantico:
Magnificat anima mea Dominum. *Magiſter.* Ma-
gnificatio creaturarum, menſuratur & accipitur
F à participatione diuinæ magnitudinis, cuius om-
nes ſunt participes ſuo modo. Sed irrationalis na-
tura tantummodo repræſentat artem creatoris.
Et ideo dicitur tranſſumptiue ſapientia vel ars
eius. Rationalis verò creatura non ſolum ob-
iectiuè vel vt veſtigium, ſed etiam ſubiectiuè &
formaliter perceptiuè, ſignificat Domini magni-
tudinem intelligit & prædicat. Aſſumit inſuper
creaturas alias, immo & ſeipſam quaſi materiam
ſignificationis, diuinæ maieſtatis, denique in om-
nibus ſicut in fiſtulis organorum certificationis,
ſpiritu ſancto flante decantat.

Diſcipulus. Bonum eſt nos hic eſſe. Sed vocat

Digitized by Google

ſequens verſiculus de humilitate Mariæ. Iam verò tardior hora differre ſuadet ad matutinum diei ſequentis. Nos interim proprijs intendamus officijs.

TRACTATVS TERTIVS DRAGMATICVS IN CANTICO *Mariæ de reſpectione humilitatis ſuæ per notulas centum-viginti.*

Notula prima.

Qvia *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* *Diſcipulus.* Hic ſumus, hic protinus abſoluenda eſt quæſtio altera de propoſita; ſed dilata. Cur beata mater cauſã magnificationis Domini cum exultatione ſpiritus in Deo ſalutari ſuo, cecinit eſſe reſpectionem humilitatis ſuę à Domino. Exultauit (inquit) ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Et tanquam ratio quæreretur ab ea, mox ſubiungit: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. *Magiſter.* Doctam formas quæſtionem, cui nequit perfectè dari ratio ſiue reſponſio, niſi reſpectus Domini cauſa prius perſcrutetur, quæ non niſi amor inuenitur. *Diſcipulus.* Conſentio. Fiat hoc prius notum, ſimiliter & quod eſt obiectum ſuum. *Magiſter.* Oculus vulnerans ſponſam oculus eſt amoris, quo nullus acutior, nullus penetrabilior, nullus ad intimi cordis vulnerationem efficacior dici poteſt, vulneraſti cor meum (ait ſponſa) in vno oculorum tuorum. Non aliter eſt de oculo ſponſi reſpectu ſponſæ. Quia reſpectus amoroſus ſponſi ſauciat ſponſam, vt exclamet vulnerata charitate ego ſum vel amore langueo. Hoc eſt præcipuum in ſponſa vel in ſponſo membrum. Vnde ſponſus cum laudaret ſponſæ pulchritudinem, dicit: Quã pulchra es amica mea, quam pulchra. Mox ſubiungit: Oculi tui columbarum. Et quid per columbam intelligis, ſi non amorem ſimplicem? In columba enim ſpirituſſanctus cui appropriatur amor, ſæpius apparuit. Sic poſtmodum ſponſa inſinuans filiabus Hieruſalem pulchritudinem dilecti ſui, comparationem poſuit eandem, dicens: Oculi eius ſicut columbæ deſuper riuulos aquarum quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper fluenta pleniſſima. Hinc eſt illa duorum mutua poſtulatio, videri ſcilicet & videre. Audiamus modum. Sanè dilecta nuper conſopita inter brachia ſpõſi, qui adiurauerat filias Hieruſalem per capreas ceruóſque camporum, eò quod ſunt animalia ſatis alacria mundáque, & ſolitudinis amica, perſpicaciumque oculorum. Adiurauerat inquam, ne ſuſcitarent neque euigilarent dilectam, donec ipſa vellet. Tunc velut elapſus ad horã dilectus regreditur ardens videre ſponſam & alloqui, quod latere non potuit ſponſam, cuius per amorem cor euigilat. Exilit igitur & dicit: Vox dilecti mei &c. Hæc eſt vox amici mei. Conuerſus confeſtim oculis exclamat: Ecce ipſe venit ſaliens in mõtibus & tranſiliens colles. Et cur obſecro ſalit & tranſilit, niſi zelo ſponſæ videndæ totus rapit atque tripudiat ad ſimilitudinem capreæ hinnulique ceruorum, laſciuiens, alacris & iocundus. Nihilominus tanquam zelotypus explorator & verecũdus A amator non irrumpit cubiculum ſponſæ, ſed ſtat poſt parietem reſpiciens per feneſtram, proſpiciẽs per cãcellos. Deniq; blanditur, dicens: Surge propera amica mea, colũba mea, formoſa mea & veni. Sequitur poſt verni temporis gratam deſcriptionem, quæ nouam ſignat gratiarum infuſionem, aduerſitate depulſa. Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. *Diſcip.* Perſpicuum feciſti deſiderium quod habent in canticis ſponſus & ſponſa ſe videndi, quoniam viſio nuncius eſt prę-B cipuus amoris cordialis. Vbi eſt amor, ibi eſt oculus. Nihil amore amabilius. Dabo tibi (dicit Seneca) poculum amatorium ſine herbis abſq; veneficijs. Si vis amari, ama. Hoc in amatoribus etiã fœdiſſimis locum habet, quãto efficacius in pulcherrimis. *Mag.* Hic reſpectus Dei Mariam humilem iure traxit ad amorem ſuum, vt tota nedum gauderet, ſed præ amoris magnitudine ſpiritualiter exultaret, i. extra ſe ſaltaret in dilectum. Hic etiam reſpectus corporalis in infantulo Ieſu ſolaba-C tur omnes illius peregrinationis laborioſiſſimę dolores & anguſtias. Sic in pueritia, ſic in adoleſcentia, donec in cruce vidit extẽſum quæ viſa eſt ſemel ab eodem, vnde pertranſit gladius acerbiſſimæ paſſionis amoroſiſſimum cor vtriuſq. Penſent amicorum corda, quanto tolerabiliter anxius fuit hic reſpectus qui dici nequit verbis, neq; ſcriptis inſeri. *Diſcipulus.* Supereſt verò declarandum quid vel quale ſit amoris ob obiectum. *Magiſter.* Videor mihi fas dicere quod pulchritudo vel pul-D chrum. Nihil enim amatur ſub ratione turpitudinis, ſed tantummodo ſub ratione pulchritudinis & pulchri vel ſpecioſi vel formoſi. Hinc dictum eſt de ſapientia, quod pulchritudinem illius admirabitur oculus. *Diſcipulus.* Nunquid diuerſa vel aduerſa eſt propoſitio tam philoſophis quã theologis ponentibus bonum eſſe quod omnia appetũt, & ita ratio boni vel appetibilis eſt amoris obiectum. *Magiſter.* Multæ ſunt rationes appetibilitatis, quæ in vnam conueniunt pulchritudinis, ſicut & boni & finis & conuenientis vel perfecti E vel beatitudinis rationem. *Diſcipulus.* Expone cõſequẽter quæ eſt ratio pulchritudinis vel pulchri? *Magiſter.* Pulchritudo ſecũdum Auguſt. eſt æqualitas numeroſa. *Diſcipulus.* Eſt igitur pulchritudo in ſola quantitate, cum numerus ſit ſpecies quantitatis. *Magiſter.* Accipitur hæc qualitas nedum ex ratione molis corporalis, ſed perfectionis ſpiritualis. Similiter numerus non pro quantitate diſcreta realiter, ſed formaliter ſecundum aliquos. Sed vel probabilius ſecundum alios ſolius rationis, qualis in Deo, perſoniſque diuinis inueni-F tur, quia alia ratione & idea conditus eſt homo alia equus ſecundum Auguſtinum & hoc ſecundum modum intelligendi diuinam eſſentiam, per relationem ad creaturas, ſiue ſit iſte modus intelligendi in intellectu diuino, ſiue ſit ſolum in intellectu angelico. *Diſcipulus.* Sufficit hæc tetigiſſe de diuina pulchritudine pro verificatione definitionis illius ꝙ pulchritudo eſt æqualitas numeroſa. Nunc adapta pulchritudines ſponſi & ſponſæ quales poſuit Salomon in canticis, ſimul apertum faciens de differẽtijs talium nominum, pulchrum,

pulchrum, formoſum, ſuaue, ſpecioſum, decorũ. Ruſus de nominibus ſponſæ quod eſt amica, ſoror, columba immaculata, tota pulchra, & ita conſequenter per ſingula membra, diſcurre tam ſpōſi quam ſponſæ. *Magiſter.* Rem exigis quæ ſua prolixitate faſtidium, vel ſua breuitate poterit obſcuritatem afferre niſi fortaſſis inuenirem compendium. *Diſcipulus.* Placet inuenias. *Magiſter.* Ecce tot præ manibus habentur expoſitiones doctorum, tot ſimilitudinum hic poſitarum, tot inſuper diſtinctiones pro qualibet dictione magiſtrales, tot demum quadruplices ſenſus ſcripturarum adaptationes, ad diuerſa ſpiritualium genera nuptiarum. Supponamus hæc omnia nobis, & pauculas de pulchritudine ſponſi & ſponſæ, & Dei & animę ſimilitudines hic poſitas elucidare curemus. Dicentes in primis, quod formoſitas & ſpecioſitas & pulchritudo & decor frequenter accipiuntur ſynonimè. Nihilominus pulchritudo vltra formoſitatem dicere videtur quadam coloris ſuauitatem, cuius defectus non tollit formam. Nigra ſum inquit ſponſa, ſed formoſa.

Decor autem refertur ad modum & decentiam geſtus & ornatus, cum quadam iocunditate, lætitia vel alacritate vultus, totiuſque corporis geſtus. Porrò ſpecioſitas omnia ſimul dicit, vt ibi: Specioſus forma præ filijs hominum. Et illud: Species Priami, digna eſt imperio. Exemplum in imagine cuius poſſemus prima lineamenta conſiderare, quod numeroſa ſit ſub æquali proportione formata & formoſitas inde reſultat. Cōſideremus ſecundò colores ſuperinductos accommodè ſingulis lineamentis, vnde redditur pulchrior forma. Conſideremus tertiò in imagine viuente, alacritate faciei & oculorum lætitiã & decentiam, & in omni geſtu modeſtiam. Sic ait poëta de venere pro Ænea. Et lætos oculis afflaret honores. Et dicitur vulgo: *Ceſte dame eſt de beau maintien & eſt bien aduenante, elle eſt ſimple & douce.*

Notemus vltra quod pulchritudo picturæ vel imaginis refertur ad ipſam tabulam quæ proinde pulchra nominatur. Addamus præterea, quod pulchritudo maximè refertur ad exemplar ſi per omnia conformis eſt imago vel exemplatum ſuo exemplari ſit, licet exemplar iſtud turpidiſſimum. Sic dicimus bufonis imaginem inde pulchram, ſic bubonis & veſpertilionis. Ecce inquiunt bufonem pulchrè pictum. Patet proinde ratio cur ſimia dicitur turpiſſima, cuius tamen figura proxima eſt pulcherrimę figurarum ſcilicet humanę. At verò quia deficit ab imitatione perfecta reputatur inde turpior, quò imitatione videbatur proximior. Quibus ita notatis de pulchritudine generaliter, facilis eſt applicatio ad pulchritudinem animæ rationalis ſpiritualis, quæ imago eſt benedictiſſimæ Trinitatis, in qua potentiæ tres principales animæ ſcilicet memoria, intelligentia & voluntas, ſunt tanquam lineamenta, qualia ſunt indebiliter impreſſa, nec tolluntur etiam à damnatis. Cęterum dona gratiarum variarum, virtutum, donorum, beatitudinum, ſunt ſicut colores ſuperinducti. Ruſus operationes inde prouenientes, decorem ſuperaddunt. Tandem in omni pulchritudine ſpirituali, tanto beatæ Trinitatis imago formoſior eſt & pulchrior, & A habens plus decoris, quanto reperitur ſuo exemplari, ſcilicet eidem beatæ Trinitati conformior. Ex aduerſo autem de turpitudine, deformitate, deſpectu, dedecore, conſtat ſentiendum. *Diſcipulus.* Naturam pulchritudinem ad oculum (ſicut dicitur) oſtendiſti, & quia turpis eſt pars quæ ſuo toto non congruit, pulchritudoque totius ex vniuerſa partium multitudine conſurgit, reſtat exponere pulchritudines membrorum ſingulorum. Sed antea diſſere omnium diſtinctiones vocabulorum, amica, ſponſa, ſoror, columba, B dilecta, quoniam de alijs animæ nominibus ſatis conſtat ex præmiſſis vt quod eſt ſpecioſa, formoſa. Tota pulchra & immaculata: quia bene colorata & munda per omnia. *Magiſter.* Amica dicitur ex mutua communicatione ſecretorum, quaſi animi cuſtos vel altera mea, cuius eſt idem velle & idem nolle cum amico. Sponſa dicitur propter ſpem fœcunditatis prolis, vt ſint vnum principiũ in productione & educatione filiorum, nō quod ſit iam matrimonium cōſummatum. Aliquando C dicitur coniunx & nupta, ſed in ſpe ſicut contracta. Sponſalia à ſpondeo eſt quamuis vnum quandoque recipiatur pro altero. Soror appellatur propter naturæ conformitatem, maximè poſt incarnationem. Aut ſi ad angelos quoque transferatur, diceretur naturæ conformitas non vniuoca, nec penitus æquiuoca, ſed analoga propter ſimilitudinem beatiſſimæ Trinitatis. Vnde nominatur etiam alibi filia, vt alibi. Audi filia & vide. Et filia Hieruſalem, quia inhabitatrix pacificæ ciuitatis. Et filia Sion propter ſpeculationem D diuinorum. Et filia principis. Columba dicitur propter inhabitantem in ipſa ſpiritusſancti plenitudinem. Dilecta dicitur vltra amicam quam ſit amor ex electione genitus vel nutritus. *Diſcipulus.* Redi nunc ad prius quæſitum & de membris ſingulis. *Magiſter.* Redeo proponens pro regula vel claue dicendorum, quod nihil in canticis poſitis reperies, niſi quatenus facit ad pulchritudinem, & conſequenter ad amorem, ſecundum alterum genus cauſæ quadruplicis, efficientis, materialis, E formalis, & finalis. Non idcirco quiſpiam errauerit ſi dixerit ſubiectum canticorum eſſe, vel amorem pulchritudinis vel pulchrum amorem. Quod vtique ſapientia vidit quæ duo coniunxit, dicens: Ego mater pulchræ dilectionis. Protinus ergo dum occurrit tibi verbum aliquod in canticis ſi non ſonet pulchritudinem, in cortice tranſſumptionis, decortica illud vel enuclea, quouſque decor amabilis, & amor decoris, pulcher atque formoſus emineat. *Diſcipulus.* Enitar. Sed quid ex F iſtis inferendum cenſes, vtrum cognitio ſit ſpeculatiua vel practica. *Magiſter.* Torquet multos diuerſus practiuæ & ſpeculatiuæ modus accipiẽdi. *Diſcipulus.* Da modum qui tibi probabilior apparet. *Magiſter.* Definit Ariſtoteles intellectum ſpeculatiuum quod eſt ſolum reſpectu veri vt verum eſt. Intellectus verò practicus dicitur conſeſſe ſe habens appetitui id eſt conformis & protenſus in appetitum, cuius obiectum eſt non ſolum verum ſub ratione veri, ſed ſub ratione boni. Deinde concludit quod metaphyſica eſt tantum ſpeculatiua, ars autem & prudentia ſunt practicæ, quia reſpiciunt voluntatẽ reſpectu factibiliũ vel

Digitized by Google

agibilium, nec reſiſtūt in intellectiua cognitione ſola. Sed theologia ſcrutatur profundius, quæ ſupremam ſcientiarum ſeipſam aſſerit, & in Dei dilectione ſuper omnia finem ſuum ſtatuit. Nam finis legis eſt dilectio. Et ideo ſanè debuerat cōſentire de metaphyſicā philoſophus, quod nō in cognitione nuda primæ cauſæ ſiſtebat, ſed ad eius lectionem extendebatur. Alioquin deformabat pulchritudinem metaphyſicæ caudam eius pulcherrimam, quæ eſt finis diuinæ dilectionis euellendo. Datus quoque fuiſſet in reprobum ſenſū, qui cum Deum cognouiſſet, non ſicut Deum glorificaſſet, nec amaſſet, nec gratias egiſſet. Dicit tamen in ethicis de contemplatione felici, quod videtur Dei eſſe amantiſſimus, quia cognitionem eius deſiderat. Qualiter oro fieret & coniunctio optimæ potentiæ rationalis cum optimo obiecto Deo per contemplationem, ſi non inde dilectio ſequeretur, ſi vel obſiſteret peruerſitas voluntatis: Vocant aliqui theologiam noſtram, nec purè ſpeculatiuam, nec omnino practicam, ſed affectiuā, quod epithetō aptiſſimè noſcitur theologiæ myſticæ conuenire. *Diſcipulus.* Perſpicuum eſt illud quod loqueris, nec à philoſopho negandum, qui dixiſſe legitur: Inuenite primam cauſam fac me tibi placentem virum. Quid inde vis concludere manifeſta. *Magiſter.* Cōcludo quod vel metaphyſica eſt practica ſcientia vel quod non omnis intellectus protenſus in appetitum ſeu voluntatem diceretur practicus. *Diſcipulus.* Ita ſequi videtur. *Magiſter.* Eſſe debet igitur de intellectu practico ſermo reſtrictior vt ſolum dicatur practicus, dum ad factibilia & agibilia inferiora conuertitur per extenſionem in affectum & in effectum operationis huius conſiderando relationē ad fines proximos, non ad ſupremum qui Deus eſt colendus & amandus. Propterea ſic beatitudo dicenda eſt ſpeculatiua, ſic theologia propriè accepta, ſic hæc ſapientia canticorum cuius finis eſt amor pulcher ſponſi ad ſponsā terreno, quolibet amore calcato. Sic vbilibet ars amoris terreni vel animalis practica. Ars itaque diuinalis amoris ſeu fruitionis ſpeculatiua dicetur, velut prima & altiſſima ſcientiarum quam imitatur metaphyſicę philoſophantiū. Sed vbi definit ipſa, theologia per fidem ſumit exordium, per ſpem inſuper & amorem conſiderās Deum ſicut amabilem & pulcherrimum, & qui iuxta verbum ſponſæ eſt deſiderabilis, immo fons & origo, radix & parens omnis pulchræ dilectionis. *Diſcipulus.* Et ſi propero cognoſcere ſingulorū proprietates membrorum, quæ ſpōſo tribuuntur & ſponſæ ſub tropicis locutionibus, trahitur tamē neſcio quo pacto mens illud attingere quod modo dixiſti de dilectionis vel amoris origine. *Magiſter.* Iure enim trahitur, nam hoc cognito cætera mox patebunt, quamuis hæc cognitio ſecundum proceſſionem theologicam incipiat per fidem à pulchritudine primæ cauſæ ad pulchritudines effectuum inſinuandas, viæ philoſophiæ non aduerſo, ſed conuerſo. *Diſcipulus.* Acceptus erit iſte modus fidelibus, Proſequere. *Magiſter.* Pulchritudo prima nobis per fidem reducet in beatiſſima Trinitate. Tradit enim fides quod pater in diuinis eſt mens ſiue memoria fœcunda omnium intelligibilium, ad quam paternus intellectus conuertens aciem, gignit ex ſe verbum expreſſiuum omnium intelligibilium. Hoc eſt illud verbum quod erat in principio apud Deum per quod omnia facta ſunt.

A Hoc verbum eſt naturalis imago patris eadē eſſentialiter cum patre ſola relationē perſonali perſonaliter ab illo diſtincta. Et quoniā imitatur perfectiſſimè patrem, ſupereſt vt dicatur imago pulcherrima vel ſpecioſiſſima patris, & ita dilectiſſima à patre, ſe teſte qui ait. Hic eſt filius meus chariſſimus, in quo mihi bene complacui. Cum verò pater communicauerit diuinam vitam filio communicauit nedum cognitionem omnis veri, ſed amorem ſimiliter omnis boni.

B Eſt autem paterna bonitas ſupremum & primum amabile. Amauit ergo filius ſummè patrem, & conuertendo voluntatem in ipſum totus (vt ita loquamur exarſit & flagrauit in eius dilectionem. Ex qua dilectione mutua patris ad filium, & filij ad patrem, proceſſit amor perſonalis quē dicimus ſpiritum ſanctum. Conſiderat hæc fides circulum quendam intelligibilem in triangulo perſonarū. Pater enim dat ſe filio quē diligit, filius patri impendit ſe per amorem quo flagrat in patrem. Hic

C autem amor communis eſt patri & filio, tanquam nexus amborum. Iure ergo dictus eſt Deus, quaſi ſphera intelligibilis, cuius centrum vbique circūferentia nuſquam, niſi ſupple in ſeipſo. Non autem poteſt ſe Deus ad extra communicare niſi quodam modo punctualitate. Ipſe verò totum ſe, in ſe toto continet, quem tenebrę creaturarum non comprehendunt. Oſtendit nobis hæc fides, ſummam conſummatam in tota Trinitate pulchritudinem amabilem & dilectionem pulcher-

D timam, quoniam hic eſt æqualitas numeroſa qui reddit pulchritudinem, & pulchritudo ſuccendit ad amorem, vt ſit pulchritudo dilecta, & dilectio pulcherrima mutuo ſe reſpicientes. Vnde Dionyſius. Diuinus amor eſt ſicut quidam æternus circulus per optimum ex optimo & in optimo & in optimum, inenarrabili conuerſione circumiens. Eſt autem circulus pulcherrima figurarum.

Diſcipulus. O miſeris precor nunc ampliora hic differere de inenarrabili pulchritudine diuinitatis, & ad Mariæ pulchritudinem te conuerte,

E dicens in primis: Cur non dixit Deum ſalutare ſuum, reſpexiſſe pulchritudinem ancillæ ſuæ ſed humilitatem. *Magiſter.* Duas habitudines eſſe ponit philoſophus in intelligentijs quas angelos dicimus. Vnam qua conuertuntur ad Deum ad cōtemplandum magnitudinem eius cum admiratione, pulchritudinem cum dilectione, & omnimoda ſubiectionis obedienti, motu quodam aſſiduo quaſi circulati circa diuinam vnitatem. Ita loquitur apud Boëtium philoſophia, mentemq; profundam ſcilicet diuinitatem circumit. Et ite-

F rum: Da fontem luſtrare boni. Alteram dicit philoſophus habitudinem intelligentiæ reſpectu inferiorum, quæ regit mediante motu ſui orbis prout philoſophia ſubiungit. Simile conuertit imagine cœlum.

Determinat cōſequenter idē philoſophus ꝙ habitudo prima quæ eſt ſubiectionis ad Deū longè perfectior eſt & pulchrior quā habitudo regitiuæ dominationis reſpectu inferiorū, quoniā in prima cōſiſtit ntelligentiarū felicitas & beatitudo, nō in ſecunda quod ſi angelus magnificans Deum & exultans in Deo gratias ageret verbis humanis, quid

Digitized by Google

quid obſecro mallet dicere vel quod Deus reſpe-
xit humilitatem ſerui ſui ſubijciens eum ſibi, vel A
quod reſpexit dominationem atque potentiam
ſcilicet in regimine creaturæ.

Diſcipulus. Res aperta eſt ſuper electione primi.
Vnde palam intelligo beatam Mariam nedum
pia deuotione, ſed altiſſima metaphyſicalique
ratione ſuam pulchritudinis beatificæ perfectio-
nem plus inſinuaſſe per humilitatem ſubiectionis
quam reſpexit in ea Dominus, quàm ſi domina-
tionis nomen aliquod poſuiſſet. *Magiſter.* Accipe
rationem alteram non minus in theologia fun-
datam. Quid enim perdidit apoſtatas angelos, B
quid poſtmodum deiecit homines inſtitutos ad
reparationem angelicæ ruinæ? Vtique ſuperbia,
plus glorians in phantaſtica dominatione, quam
in humili ad Deum ſubiectione. Cauendam hanc
perditionis turpitudinem inſinuat Maria, & ex-
emplo vocis ſuæ quam ſuam humilitatem gloria-
tur, reſpexiſſe Deum & formidãda proteſtatione.
Fecit inquit, Dominus potẽtiam in brachio ſuo,
diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Quare? excel-
ſus Dominus & humilia reſpexit, & alta à longè C
cognoſcit. Quare à longè? Quia longè proijcit
& deijcit, & deponit potentes de ſede, & exaltat
humiles. Iam Maria gerebat alta mente repoſi-
tum verbum filij. Qui ſe exaltat humiliabitur, &
qui ſe humiliat exaltabitur. Illud quoque diſci-
puli ſui: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem
dat gratiam. Verificauit idcirco Deus in ea ver-
bum ſapientis. Vbi humilitas, ibi ſapientia. Deus
collocauit per incarnationis myſterium ſapien-
tiam in humilitate ſua.

Diſcipulus. Occurrit poſt ſolutionem quæſtio- D
nis propoſitæ petendum, quid ſit reſpectus Dei,
quales eius oculi quibus humilitatem ancillæ ſuæ
reſpexit? Sed omiſſa multiplicatione quæſtio-
num, conuertatur protinus ſermo tuus ad deſcri-
bendum pulchritudinem beatæ Mariæ, quæ tam
grata, tam incredibili formoſitate refulgens in-
uenta eſt vt concupiſceret rex ſpeciem eius, & de
ſublimi ſolio deitatis deſcenderet ad infima no-
ſtræ mortalitatis, accipiens ſerui formam. Quãta
qualiſque putanda eſt pulchritudo totius quãdo E
in vno oculorum ſuorũ dicit ſe ſpecioſum forma
præ filijs hominum, corde vulneratum. Vulne-
raſti ait, cor meum in vno oculorum tuorum, &
quod minus videtur in vno crine colli tui. Deni-
que primum nomen quo Maria legitur in canti-
cis nominata per ſponſum fuit: O pulcherrima
mulierum. Verè pulcherrima, quæ pro ſuperba
myſtica, Vaſthi Eua, ſuperno regi non Aſſuero,
ſed Deo meruit copulari, gratiam inueniens in
oculis eius quam adamauit ſuper omnes mulie- F
res. Erat enim formoſa valde & incredibili pul-
chritudine, omniumque oculis gratioſa & ama-
bilis videbatur. *Magiſter.* Conabimur inaniter ſi
verbis æquare volumus pulchritudinem eius, qua
ſub Deo maior nequit intelligi, intelligens in ſe
omnes pulchritudines ſparſas in creaturis? Ita vt
ſit verè vna ſpecioſa vnius ſponſi, vna perfecta
ſua, vna matri ſuæ electa genitrici ſuæ, quæ geni-
trix eſt gratuita Dei bonitas, quæ pulcherrima
pulcherrimam ſibi fecit. Dicere nihilominus
aliqua tentabimus ordine primitus doctrinali.

Pulchritudo quæ eſt æqualitas numeroſa, diui-
ditur prima ſui diuiſione quod quædam eſt natu-
ralis, & quædam artificialis. Naturalis multiplex
eſt quædam intellectuali, altera rationalis, dehinc
animalis. Rurſum aliqua eſt ſolum vitalis, altera
ſolum ſubſtantialis, altera accidẽtalis. Artificialis
verò quædam eſt per accidens, per rationis indu-
ſtriam ſuper inducta pulchritudine naturali.

Pulchritudo autem naturalis deſcribi poteſt,
quod eſt æqualitas numeroſa conſurgens & reſul-
tans ex vnitate, veritate & bonitate, vel ex men-
ſura numero & pondere, vel ex modo ſpecie &
ordine. Itaque proprietates entis ſunt vnum &
verum & bonum. Sic quod ens & vnum ens &
verum ens & bonum conuertuntur. Nec eſt poſ-
ſibile quod ens aliquid ſit, quin hæc tria ſibi con-
ueniant, quæ non re diſtinguuntur ſola ſignifi-
candi ratione. Sic de modo, ſpecie & ordine. Sic
de menſura, numero & pondere.

Pulchritudo igitur naturalis non habet aliquod
ens poſitiuè contrarium, quæ ſit poſitiua turpi-
tudo naturalis, vt impij Manichæi ſomniabant
duo principia, vnum malorum, & hoc turpiſſi-
mum, & aliud bonorum, quod neceſſe eſt eſſe
pulcherrimum. Nec oportet poſt Auguſtinum &
Dionyſium conari deducere malum, nec eſſe po-
ſitum in entibus, ſed tantummodo dici priuatio-
nem pulchri, ſeu boni, ſeu modi ſpeciei & ordi-
nis. Pulchrum ſimiliter cum ente conuertitur,
tanquam proprietas reſultans ex tribus prioribus,
& hæc pulchritudo tanquam ex triplici linea-
mento figurali, inſtar trianguli, quæ eſt prima &
perfecta forma linearum rectarum. Hæc nihilo-
minus pulchritudo naturalis in circulum deduci-
tur, quæ eſt perfectiſſima figurarum, non recti
linearum ſed curuarum. Ita quod præter legem
geometricalem ſit hic circulus triangulatus, &
triangulus circulatus.

Pulchritudo naturalis reperibilis eſt vniuerſa-
liter in creaturis, quia neceſſe eſt quodlibet veſti-
gium ſuæ primæ cauſæ, quod gerat ſimilitudinem
aliquam non penitus vniuocam, ſed analogam
eius tanquam exemplatum ſui exẽplaris & ſigilla-
tum ſigilli ſui. Sunt autem tria primæ cauſæ pro-
pria & appropriata, ſecundum quæ reperitur v-
numquodque ens producere ſecundum triplex
genus cauſæ, efficientis, formalis vel exemplaris
& finalis. Pulchritudo naturalis accipit lineamen-
tum modi & vnitatis vel menſuræ à potentia effi-
ciente lineamentum ſpeciei vel veri vel numeri
à ſapientia exemplante lineamentum ordinis vel
ponderis inclinantis à bonitate diuina finiente.
Quæ tria coniunxit apoſtolus, dicens. Quoniam
ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ipſi
gloria in ſæcula, qui omnia facit ſpecioſa & pul-
chra, ſecundum tria hæc indelibilia prorſus linea-
menta in quolibet ente protracta, quæ rurſus ſe
reducunt in circulum ad primę vnitatis exemplũ.
Nunc autẽ ad ſpeciales pulchritudines naturalis
proprietatis conſcẽdamus. Itaque quodlibet ens
habet tantum de pulchritudine naturali, quãtum
habet in ſe de entitate & bonitate. Inuenitur autẽ
ens intellectuale, & hoc dupliciter, vel vt per ſe
exiſtẽs, vel vt alteri natum vniri, vt humani intel-
lectus. Inuenitur rurſus ens rationale ſecundũ du-
plicẽ portionẽ. Inuenitur præterea ens animale,
& hoc dupliciter, vel coniunctũ rationi, vt in ho-

minibus vel per ſe ſtans, vt in brutis. Proinde inuenitur ens vitale ſeu vegetabile, & hoc dupliciter, vel cum ſenſu, vel ſine ſenſu. Amplius eſt ens ſolum ſubſtantiale vt elementa vel materia prima, quæ de ſe non eſt principaliter nihil, cum ſit pars ſubſtantialis compoſiti, ſed conſiderata ſine forma, non eſt actus formalis, & informis dicitur, & ſic turpis appetens formam ſicut aliquid pulchrũ. Tandem eſt ens analogum quod appellamus accidens, cuius eſt in eſſe non eſſe ſecundum philoſophos, cum tamen ponat fides ea poſſe ſine ſubiecto per ſe eſſe. *Diſcipulus*. Dicito de ſingulis, doctrinali qui aptus eſt ſtilo qui tantæ rei magis eſt accommodus. Deinde traduces omnia ad pulchritudinem mulieris quam reſpexit amoris oculo totus deſiderabilis ſponſus eius. *Magiſter*. Intellectualis pulchritudo, ad primum & indelibiliter expreſſum lineamentum, quod dictum eſt, ſuperaddit tanquam imago iam perfectior, triplicem lineam trium virium ſuperiorum naturalium inſitarum ſibi, quæ ſunt memoria, intelligentia & voluntas. Siue dicantur iſtæ vires tria quædam accidentia, naturam intellectualem neceſſariò ſequentia ſecundum Thomam, & ſequaces, ſiue ſint vires eſſentialiter eædem cum natura intellectuali, ſed formaliter differentes iuxta Scotum, ſiue ſint penitus eædem res, tantummodo ſecundum rationem diſtinctæ per reſpectum ad operationes ſeu rationes obiectales vel terminorum connotationes, quod nobis magis placet ſecundum expreſſionem à Gregorio datam. Intellectualis hæc pulchritudo primo conſideratur vt nuda, ſine habitu ſuperaddito vel operatione, & hoc in ordine ad ſuum ſuperius quod eſt Deus. Vt vis memoratiua Dei correſpondeat patri ſeu paternali memoriæ, tanquam appropriatè indita ſibi à patre ſeu protracta in tabula naturæ intellectualis. Vis intellectualis Dei, quæ eſt expreſſiua verbi, correſpondeat filio & verbum eſt, in acie intelligentiæ potentialiter aut aptitudinaliter expreſſum. Vis amatiua Dei, correſpondeat ſpirituiſancto ratione amoris inde producibilis per voluntatem ſiue per vim affectiuam intellectualem. Ita ſemper dicetur mens recolere Deum, & intellectus intelligere Deum per habitum, & diligere non in actu, ſed aptitudine. Similiter & ſeipſam (modo quo loquitur frequenter Auguſtinus) dicetur recolere: intelligere & amare. Ita quod non accipitur hic memoria pro recordatione præteritorum, cum ſit reſpectu omnium modo tacto. Intellectualis verò pulchritudo intelligitur principaliter in angelis, qui propterea nominantur à philoſophis intelligentiæ. Reperitur tamen licet imperfectius portione ſuperioris rationalis animæ quæ mens dicitur, prout eſt Dei capax, & particeps eius eſſe poteſt. Proinde dicta eſt facta ad imaginem diuinitatis imitatiuè, per ſimilitudinem analogam, quamuis humana mens ſic conſiderata iuxta verbum Ariſtotelis conſonat in hoc fidei ſit tãquam tabula raſa, non non repleta ſcientia & virtutibus omnibus, iuxta Platonis errorem. Hoc modo mẽs eſt naturaliter luminoſa, immo lumen intellectuale, immortale & indelibile, in quo & per quod nata ſũt intelligi prima principia, apprehẽſione facta terminorum à ſenſibus ſecundum modum cognoſcẽdi in via, hoc lumẽ dicitur illud quod ſignatũ eſt ſuper nos. Æſtimo autem ꝙ ſit intellectus agẽs, de quo philoſophus ſit locus, qui ſuper phãtaſmata irradiat, vt ſpes intelligibiles abſtrahat vel eliciat vel fodiat & ſit intellectus poſſibilis, ſ. ipſemet conſideratus vt tabula raſa, fiat actuatus per ſpecies intelligibiles ad intellectionem. *Diſcipulus*. Quo pacto mens humana dum ſeparatur à corpore ſtatim poſt effuſionem eius poterit cognoſcere, cum non habeat phãtaſmata quæ ſpeculata fuit, nec ſpeculari poteſt extra corpus. *Magiſter*. Si ſingulas circa materiam quæ tractatur incidẽtes dubitationes vellẽ tollere reſpondẽdo, nec ingenium, nec hora, nec ſuſceptum de pulchritudine compendium ferre poſſet. Pergamus interea cœptum iter, abſque tot diuerticulis quæ collocutionibus alijs ſubintrare poterimus. *Diſcipulus*. Aſſentio. *Magiſter*. Intellectualis pulchritudo tunc augeri & quodammodo ſuper colorari & pingi dicitur per infuſionem habituum diuerſi generis tam intellectualium quã affectualium, tam in via quam in patria ſecundum triplicem differẽtiam. In via quidem per infuſionem virtutum theologicarum, fidei, ſpei & charitatis, aut aliquarum ſuperioris perfectionis ſub ænigmate tamen. In patria verò ſecundũ tres dotes animę ſiue ſint eędem cum lumine glorię ſiue diſtinctę, ſicut habitus ad facilius eliciendum actus glorioſos, viſionem, dilectionem, fruitiuam, inhæſionem, vel adhęrentem fruitionem correſpõdentem ſpei. Iuxta illud: Mihi autẽ adhærere Deo bonum eſt. Et hæc tria ſecundum tres vires rationales concupiſcibilis & iraſcibilis, quales theologus ponit in ſuperiori portione rationalis. Intellectualis pulchritudo rurſus augetur per actus & operationes, exponens eã viribus & habitibus prodeuntibus. Qui dici poſſunt rationabiliter tertia pulchritudo principalis ſupernaturalem primariã & generalem cuilibet enti ſuperinducta, vbi ſtatim videre eſt quam multiplicata ſit, tam in eadẽ natura quam in diuerſis huiuſmodi pulchritudo actualis operationis. Nam principalis & conſummata reperitur in gloria, qualem habet nunc pulcherrima & beatiſſima beatorum, beatáque omnium in viſione Dei cum nuda dilectione & fruitione, in quibus eſſentialis beatitudo formaliſq; conſiſtit. Quia pulchritudine nulla ſub Deo ſpecioſior in formis accidentalibus inuenitur, nulla honeſtior, nulla ſuauior & iocundior, nulla melodioſior & ſonorior, nulla ſalubrior & vtilior, & hoc ſecundum triplex genus boni, honeſti, delectabilis & vtilis. Intellectualem hanc pulchritudinem præceſſit & inchoauit illa pulchritudo mentis quam habuit in via ter beata noſtra domina, dum contemplationi dedita fuit aſſiduè, quantum ſtatus patiebatur exilij, dum exultauit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo, quia inſpiciebat Dominus humilitatem ancillæ ſuæ. Ille enim reſpectus cum Deus immutabilis ſit, quid aliud erat, niſi candela talis pulchritudinis, talis exultationis in mente Mariæ humilis ancillæ ſuæ. Et ideo iam pulcherrimæ & dilectiſſimæ, quia fuit humillima, in qua figuratur lilium cõualliũ Ieſus ſalutaris ſuus. Erat tũc ſpiritus Mariæ licet in corpore quaſi nihil de corpore portaret. Hinc defeciſſe.

ciſſe. Hinc extra ſe fuiſſe, Hinc in atrijs domus
Domini, Hinc in extremis maris habitaſſe. Dicta
ſint hæc cum tropis talibus ſine numero quę con-
tribuuntur contēplatiuis, quamquam longè aliter
diſtantius in Maria. Intellectualis huius contem-
plationis pulchritudinem in via nemo melius ap-
prehendit quam experientia doctrinæ. Nihilomi-
nus eruditio doctrinalis dat aliquid intelligi, &
non melius quam ſi conſideretur ſtatus mentis
quaſi ſeparatus, nondum à corpore, ſed à rationis
inferioris portione. Tunc profectò, & non aliter,
intelligit quid ſit diuiſio corporis & animæ, quid
raptus, quid extaſis, quid liquefactio animæ, quid
transformatio, quid vnio, quid mors Rachelis id
eſt rationis in partu Benjamin quo contemplatio
ſignatur. Cur præterea nominat Dionyſius myſti-
cam ſapientiam eſſe irrationalem, hoc eſt ſine ra-
tione, quantum ad vim rationis apprehenſiuam,
non quoad affectiuam, quæ iungitur ſpirituiſan-
cto per amorem extaticum. Inſuper Cherubin in
cœleſtibus per quem amorem coniunguntur.
Nō quod omnino ſit amor ſine cognitione præ-
uia vel comite, iuxta cuiuſdam myſticè theologi-
zantis imaginationem. Verum eſt quod illa co-
gnitio non ſuper ſe reflectitur vt videat ſe videre.
Iam enim auolaret iſta ſimplex ſinderesis ſcintil-
lantis & ardentis affectio. Iuxta illud canticorum:
Auerte oculos tuos à me, quia ipſa me auolare fe-
cerunt. *Diſcipulus.* Multa dicuntur de ſtatu men-
tis huiuſmodi, & nunquam ſufficiunt. Immo po-
tius eò magis exaltatur à nobis Deus quò plus aſ-
cendit homo ad cor altum, vt iam non ſolum de
pulchritudine patriæ, ſed iſtius viæ verificetur.
Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in
cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus dili-
gentibus ſe. Vnde clamat: Quam magna multitu-
do dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti ti-
mentibus te. Non dicit reuelaſti eam timentibus
te, patiuntur enim quod neſciunt. Hinc etiam di-
cit contemplatiuus, raptus in hanc caliginem, ſen-
tiens ſibilum auræ tenuis alicuius cuius ignorat
vultum qui neſcit vnde venit, aut quo vadat. Di-
cit inquam, Neſciui. Anima mea cōturbabat me,
propter quadrigas Aminadab id eſt, raptus tales.
Et etiam alibi: Ad nihilum redactus ſum & neſci-
ui. Fit denique colluſtratio ſpiritus, non ſine qua-
dam interpoſitione, qualē ſuo modo ſentit ocu-
lus, pelliculis palpebratum tenuibus interpoſitis,
ad radios ſolis nitidiſſimos, incidentes ſuper ocu-
los. Videt itaque ſolem oculus in ſuo lumine, ſed
quid ſit, non datur inſpici medio prohibente.
Tolle pelliculam vel aperi, protinus aſpicies. *Ma-
giſter.* Noli mirari, ſi non comprehenditur incō-
prehenſibilis. Iam enim non eſſet magnus Do-
minus & laudabilis nimis, cuius magnitudinis eſ-
ſet finis, aut ſapientiæ numerus. Iam non eſſet
proprietas verbi de qua diceretur. Cogitationum
ſcrutator & intentionum cordis, quod inſcruta-
bile teſtatur Apoſtolus eſſe. Quo circa verſis ad
Mariæ pulchritudinem oculis, perpende ſi potes,
qualis fuerit in via ſtatus ſuæ mentis aut ſpiritus,
quam ſublimis in arce contemplationis, quam e-
leuata à terra ſurſum, quantis irradiata fulgori-
bus, ab iſto qui illuminat mirabiliter à montibus
æternis. Vnde turbati ſunt omnes inſipientes

corde, qui dicunt ſaltem affectu vel effectu, etſi
A non aſſenſu, in corde ſuo non eſt Deus. Si erat vt
mulier amicta ſole iuſticiæ, cuius ſub pedibus lu-
na totius mutabilitatis creaturarum, & in capite
eius pulcherrima ſpiritualium ſyderum in æter-
nitate ſplendentium corona. Quid inde colligi
poteſt, ſi vales conſidera. Nonne lumen illud im-
menſum ſcintillabat aliquotiens ad oculum
mentis, intuendum ſe inde præbens, qualiter in
via vidiſſe Moyſes & Paulus æſtimantur. Non-
ne ſicut in rimula quadam exilis coruſcationis
dum oculos ferit emicans flamma, mox diſpa-
B rens ita fulgurabat in mente Mariæ ſplendor di-
uinæ gloriæ? Nonne cernebat eam quandoque
tanquam dum aliquis videt ſeu vidiſſe putat, naſ-
centem per nubila lunam: Fallor ſi non tot viciſ-
ſitudines euntis & redeuntis ſponſi dant hæc in-
telligi. Modo tenetur, modo videtur mox di-
ſparet, modo ſtat poſt parietem, nihilominus re-
ſpicit per feneſtras, proſpicit per cancellos.
Diſcipulus. Quid oro putaueris eſſe talem proſpe-
ctum per feneſtras ſponſæ? *Magiſter.* Quid niſi
C radioſas & anguſtas illuminationes in domo ſpō-
ſæ, quæ domus eſt ſuperius mentis cœnaculum.
Non enim poteſt aliter concipi proſpicere no-
uiter Deus niſi quia proſpici ſe facit, ſed in tran-
ſitu ſubito, referens aliquod ſimile ſi piè dici po-
teſt ad illud paſtorium ſeu galatheam, & fugit
ad ſalices, & ſe cupit ante videri. Tota denique
viſio Ezechielis de animalibus & rotis, per my-
ſticas coruſcationes & ſcintillationes nobis illud
inſinuat.

D Sed nos ſermo de raptu & extaſi fere totus ob-
ripuit, dum delectat nec ſatiat. Redeamus ad ſe-
mitam: linquamus inattingibilem mentis con-
templationem pulchritudinis & de rationali pul-
chritudine verbum fiat.

Rationalis itaque pulchritudo, pingitur & col-
locatur in tabula rationis inferioris quam diſtin-
guere fas eſt proportionabiliter ad diſtinctiones
traditas de pulchritudine portionis ſuperis, quo-
ad naturam, quoad habitus, quoad operationem
ſuo modo. Habet enim inferior portio duplicem
E oculum ſeu faciem, ſicut & ſuperior. Vnde &
ſuperior connectitur ad Deum, poteſt attamen
oculum dimittere ad rationis inferioris aſpe-
ctum.

Non ſecus inferior portio faciem eleuat ad
portionem ſuperiorem, quaſi mulier ad virum
ſuum, nihilominus diuertit oculos ad animalem
portionem quæ corporeo in ſua operatione eget
organo vel inſtrumento. Hæc portio congruè
dicitur ancilla quia miniſtrat in humilitate do-
F mus triclinio prædictis viro & mulieri duplici
videlicet portioni rationis, quarum nulla requi-
rit corporis organum in propria actione, licet an-
cilla ſubminiſtret eis ſimulachra vel obiecta, quia
neceſſe eſt quemque intelligentem phantaſmata
ſpeculari. *Diſcipulus.* Nuper ad duas portiones
duntaxat patiebaris formam hominis ſc. in ani-
mam & ſpiritum. *Magiſter.* Spiritum accepi pro
mēte ſuperiori. Animam verò pro toto illo quod
ei ſubditum eſt. *Diſcipulus.* Nunc autem inferior
ratio diſtincta memoratur ab animali virtute quã
ancillam denominans. *Magiſter.* Negare non va-

Digitized by Google

leo nec volui, & ſi fortè non ſatis expreſſi, quin tres communius aſſignentur huiuſmodi portionis, à diuerſis diuerſimodè non aduersè. Sed volens coarctare ſermonem eo modo quo beata & pulcherrima mulierum canticum inchoauerit, commemorans tantummodo animam & ſpiritum, poſui cum anima portionem inferiorem, quam multi (ſicut ſcimus) coniungunt aliquando cum mente & ſpiritu, quoniam inter vtramque partem ſeu portionem quaſi medium tenet locum accipiens aliquando ſuas operationes ab illuſtratione principaliori, atque ſtabiles concluſiones deducendo reſoluit. Quandoque verò reducit ad ſenſationes de foris immiſſas tanquam ad habitam de ipſis certitudinaliter experiētiam. Porrò tres huiuſmodi vires exprimendo Paulus diſtinxit, loquens frequenter ſimul de ſpiritu & anima de corpore non quidem mortuo, ſed animato, quod eſt ſenſualitas. Sic Chriſtus inſinuauit. Triſtis eſt inquit, anima mea vſque ad mortem. Et ſtatim poſt: Spiritus quidem promptus eſt, nec mirum, quia beatus, caro autem infirma, quæ relicta paſſionibus tota erat. Hinc Apoſtolus loquens de diuiſione ſpiritus & animæ, addidit, compages & medullas & cor, forte ſenſualitatem iudicare volens. *Diſcipulus.* Non oportet vt video magnipendere, ſi hoc vel illo modo quis accipiat, dummodo conueniant in acceptione colloquentes, quo confuſa euitetur æquiuocatio. Nam caro aliquando ſumitur pro anima corpore & ſpiritu, vt ibi: Verbum caro factum eſt. Anima ſimiliter pro homine, vt tibi: Omnes animę deſcenderunt in Ægyptum. Spiritus verò pro tota anima rationali, vt de Chriſto. Emiſit ſpiritum. Transfer te igitur ad ſimilitudines quæ ſuperſunt inſinuandas. *Magiſter.* Animalis pulchritudo ſequitur ad intellectualem & rationalem, prout in homine ſenſualitas in ipſo coniuncta eſt rationi nata per ipſam regulari principatu deſpotico & ſeruili. Non enim eſt libera ſicut ſuperior appetitus intellectualis eſſentialiter, ſed participatiuè tantummodo, cur ratio conſiliatiua principatur, non dominatu tyrannico vel ſeruili, ſed libero. Hinc fit vt appetitus ſenſitiuus compelli & corrigi & flagellari debeat à ratione ſi fuerit inobediens ſibi de quo dictum eſt ad Cain: Sub te erit appetitus tuus, & dominaberis illius, voluntas verò cogi nequit.

Animalis hæc portio multiplici pulchritudine decoratur vltra naturalem quæ generalis eſt, vltra conſignatas habens totidem inſuper linearum quinque vires ſenſuum exteriorum, & quinque vel ſex interiorum, ſicut alibi didiciſti & dicetur quantum repetendum eſſe volueris. Superadduntur pro ſpecialitate maiori tam habitus quam paſſiones morales, ſalubres & operationes multiplicatę ſuper numerum. Quales quiſque dinumerare voluerit, neceſſe eſt vt cognoſcat omnem ſcientiarum differentiam, quæ per ſenſus interiores & exteriores acquiruntur. Omnes quoque moralium virtutum diſtinctiones, omnem Grammaticæ, Logicæ, Rethoricæ, diſciplinam, cum Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia, quas ſine animali portione, ratio ſuperior & inferior non addiſcunt. Legiſti quantam ſuper vna virtute memoratiua, deduxerit Auguſtinus A admirationem. Et quis ad hanc & alias ſingulas ſufficeret exponendas.

Cæterum animalis pulchritudo quæ non eſt coniuncta rationi, qualis eſt generaliter in quolibet animali præter hominem, quot obſecro depicta eſt ornataque formis, inſtinctibus & induſtrijs vſque adeò quod in nonnullis relucet quædam participatio rationis. Ita nimirum ſecundum legem deitatis, ſicut mentis humanæ ſupremum, coniungitur infimo naturæ angelicæ, & infimum rationis attingitur à phātaſtica virtute. Sic phan- B taſticam hominis portionem brutorum phantaſia nonnullorum imitando contingit. Omnes verò pulchritudines huiuſmodi reſperſas in brutis natura coniunxit in humana ratione. Rationem denique ſupplet in brutis intelligentia prima regens infallibiliter iſta, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur. Cuius ars prima dedit & indidit tam hominibus quam cæteris animantibus artes innumeras vnde prodeunt artificiales pulchritudines. Sicut in nidis animalium C ſibi fabricandis. In victu quærendo per inſidias mirabiles, vt in vulpibus & araneis. In prouiſione circa vel contra futuros euentus, vt in apibus & formicis. Quis cuncta dinumeraret? Tandem occurrit hic animalis cognitionis pulchritudo in vitali ſeu vegetatiua virtute, ſiue ſit per ſe poſita ſeparatim à potentia cognitiua, ſicut in plantis & in ſingulis abſq; cognitione viuentibus, ſiue coniuncta ſit quemadmodum videre eſt in hominibus & animalibus vſque ad illa quæ fixa terræ ſo- D lo & vnico vigent ſenſu tactus, ſicut conchæ & oſtreæ, quod earum dilatatio & conſtrictio manifeſtat. Quam vitam dicunt aliqui matricem in fœmellis retinere. Vitalis pulchritudo quam multa ſit, quam admirabilis eſt ſtupenda in attrahendo cibum, in frangendo, in dirigendo, in diſpertiendo, in aſſimilādo, rurſus in expulſione ſuperfluorum, in augmentatione, in generatiua virtute, in organizatione, figuráque membrorum nullus explicaret ſermo. Nullus etiam de minimo grano vel folio, planam ſufficeret naturali virtute E & plenam tradere rationem. Quod cernens Eccleſ. Cunctæ inquit, res difficiles ſunt, & non poteſt eas homo explicare ſermone. Et iterum: intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem, ſupple ſufficientem, & ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire. Tota poſtremò Iob interrogatio, facta ſibi à Domino de diuinis operibus, quarum pulchritudo comprehendi non poteſt ad hoc tendit. Quid de pulchritudine rerum naturalium, quid porrò de pulchritudinibus rerum tot artificialium quid de F obiectis ſenſibilibus per accidentia ſua vel ſpecies ſe repreſentantibus ad ſenſum? Ecce quod in grano frumenti ſunt infinitæ partes proportionales ſecundum deductionem Ariſtotelis demonſtrantis continuum non eſſe compoſitum ex indiuiſibilibus. Oportet ex hoc concludere, quod infiniti numeri ſint illic & figuræ, imo tot, quot in toto mundo. Omnium inſuper creaturarum literarum & nominum continet, nedum potentialiter, ſed actualiter in aſpectu Dei, videntis numeros huiuſmodi literas & figuras. Cuius ſignum accipito

cipito de vna imagine qualem inferre licebit de
cæteris. Poteſt itaque ſtatuæ factor, per ſolam par-
tium ablationem formare pulcherrimam imagi-
nem ex vno trunco ligni, qualis vtique prius ibi
non erat cum nihil addiderit, & adhuc tamen ni-
hil de cœlorum ſecretis tot pulchritudinibus at-
tingimus. *Diſcip.* Si taliter res ſe habent de pulchri-
tudine rerum omnium quod incomprehẽſibiles
habeantur, cur hactenus fruſtra illas deſudauimus
inquirere. *Mag.* Fruſtra nequaquam, nec inaniter
ſine fine qui triplex eſt. Vnus ducens ad admira-
tionem opificis primi Dei. Speciei enim genera-
tor hæc omnia conſtituit, qui vtiq; ſpecioſior eſſe
concluditur creaturæ. Alter finis eſt ad humilia-
tionem noſtri per contemptum viæ & deſideriũ
patriæ vbi relucet pulchra perfectáq; cognitio ſe-
cundum viſionem quam deuotus Ber. cuius dies
agitur fertur inſinuaſſe per aſcenſum ſuum poſt
obitum in montem Lybani.

Reliquus finis eſt noſtrę conquiſitioni proprius
& accõmodus de pulcherrima mulierum quá re-
ſpexit Deus. Exultauit ſpiritus eius in Deo ſalutari
ſuo. Qua ſuper re, quatuor accipito conſideratio-
nes. Prima eſt ſpecioſitas pulcherrimæ mulieris,
quæ ſibi datur in canticis & alibi, plenè nequit in-
telligi pulchritudinibus aliorum entium non in-
tellectis: Exponitur enim per ſimilitudines. Om-
nis tam naturalis quam artificialis formoſitas, qui-
bus ignoratis vt ignoretur tranſſumptio neceſſe
eſt. Secunda, ſpecioſitas quælibet reperta in crea-
turis ſparſim, tota colligitur in beata & pulcherri-
ma mulierum, vel formaliter vel eminenter. Hæc
eſt regula diuini Dionyſij Hierarchias ordinantis
quæ ſuperius tangebatur. Tertia, ſpecioſitas pul-
cherrimæ mulieris ſumitur ab omni pulchritudi-
ne cæterarum creaturarum donis & ornamentis
& quò mireris amplius, omnis deformitas aliena
dæmonum & peccatorum, ſibi cedit ad ornamen-
tum. Quarta, ſpecioſitas & pulchritudo creatura-
rum piè recognita, fidem illuſtrat, ſpem roborat,
charitatem inflammat cum opitulatione in omni
tribulatione & anguſtia. *Diſcip.* Papè verè magna
propoſuiſti quorum certificationẽ expecto, præ-
ſertim ſuper illo quod me miraturum iure dixiſti.
Mag. Reſpondet Apoſtolus, ſi ſuæ locutionis vir-
tus cognoſcitur, vbi dicit quod diligentibus Deũ
omnia cooperantur in bonum. Si in bonum igi-
tur in pulchrum. Et ſi omnibus diligẽtibus quan-
to amplius Mariæ ſuper omnes Deum diligenti
tale quid eueniet? Putas ne ſummus artifex Deus
quicquam in vniuerſo mundo, quem pulchrum
pulcherrimus ipſe mente gerens formauerit aut
eſſe permiſerit ſine cauſa. *Diſcipulus.* Nequaquam
putauerim, ſed omnia ſub ordine pulchro pulchra
fecit valde. *Magiſter.* Nonne primum in quolibet
genere præcipuum eſt & menſura aliorum; quẽ-
admodum dux in exercitu. Maria verò dicta eſt
pulcherrima & perfecta ſuper cæteras creaturas,
non vnitas diuinitati, qualis eſt humanitas Chri-
ſti. Conſequens eſt igitur quod omnia ſibi ſubſer-
uiant, tam bona naturæ quam gratiæ, quam artis
& fortunæ. *Diſcipulus* Sit ita de bonis. Mala autem
quid afferre habent niſi maliciam & turpitudinẽ?
Magiſter. Scis ad honorem regis eſſe, ſi peruerſos
proditores ſuos alligatos coërceat in cõpedibus.
Scis quod in picturis nigredo ritè iuncta dat de-
corem imagini. Hoc in ſupercilijs formoſiſſimæ
A mulieris aſpice, quibus nigredo decens rubedo
indecens eſſet vel viredo. *Diſcip.* Sic inuenio. Sed
de turpitudine flagitiorum & ſcelerũ & blaſphe-
miarum nunquid non ſecus erit? *Mag.* Secus eſſet
ſi dedecus culpæ maneret inordinatum ſine de-
core iuſticiæ: Nunc autem pulchrius non collo-
catur angelus in cœlo quam dæmon in inferno,
qui poſitus eſt illic tanquam ſcabellum pulcherri-
mæ mulieris conterentis ſecundum legem Do-
mini caput ſuum. Quamuis enim omnis pulchri-
tudo filiæ regis ſit abintus, ideóque conſtituitur
B & aſtitit regina à dextris Dei, hoc eſt in veſtitu
corporis deaurato, eſt quoque circundata varie-
tate cuiuſlibet creaturæ, cui aſtat vnicuique ſua
pulchritudo ſaltem naturalis, cuius prima linea-
menta deleri non poſſunt, poſſunt tamen ſuper-
indui, tenebroſitates & turpitudines vitioſorum,
tam habituum quam actuum. Quæ turpitudines
in ſua ratione formali nihil dicunt poſitiuum,
ſunt enim priuationes pulchritudinis in eſſe de-
bito per modum ſpeciem & ordinem. *Diſcipulus.*
C Magis certè conturbarer ambagibus, præſertim
de odio Dei, qualiter poſſit eſſe pulchrum ſi non
alibi diſſolutionem docuiſſes. Perge nunc oſten-
dere, quo pacto ſit in Maria pulchritudo quælibet
reperibilis in creatura, maximè quia minorata eſt
ſicut & filius, ſc. paulominus ab angelis, adeò
quod naturalis ſpecioſitas damnati Luciferi inſi-
gnior ſit ex dictis, quia perfectior. Quot ſunt præ-
terea virtutes ſpecificæ totam (vt dicitur) naturã
ſpeciei conſequentes, in gemmis herbis verbis, in-
duſtrijs quoque animalium. Rurſum in donis
D hominum gratuitis, vt eſt character ſacerdotalis
repugnans ſexui fœmineo. Nunquid vt interea ſi-
lentium ſit de cæteris, ex his omnibus Mariæ for-
moſitatem ornabis vel eam coronabis. *Magiſter.*
Ornabo planè & coronabo. Quod quomodo ſit
iam deduxi. Circundatur quippe omnibus & ſin-
gulis quaſi veſtimento decoro, multimoda varie-
tate depicto quorum omnium virtutes inſignes
continet, non quidem formaliter, ſed eminenter.
Vnde ſi non habet naturalia qualia gerit angelus
E etiam damnatus. Iam ideo tamẽ eſt admirabilior
& eminentior Mariæ pulchritudo per gratiã quæ
naturam inferiorẽ quam ſublimiorem copioſius
ornat & perficit. Nõ habet characterem ſacerdo-
talem formaliter fateor. Habet autem eminentius
ad reconciliationem peccatorum, ad apertionem
paradiſi, quia verè ponitur felix cœli porta. Ad au-
xiliandum contra poteſtates aereas, cõtra calami-
tates & miſerias omnes, tam animarum quam cor-
porum, quotiens placuerit, ſcilicet illos miſericor-
des oculos ad nos conuertere, quotiens ad nos ſe
F voluerit tanquam pia mater filios quamquam de-
biles & fœdos curandos purgandoſq; ſuſcipere.
Diſcipulus. Reſpiro totus in ſpem bonam dum te
audio talia diſſerentem. Totus exultat ſpiritus
meus & aſpirat meditari frequentius iſtam beatã
& pulchram mulierem quam tali potentia piè
diſſeris eminentem. O felices qui te talem ô Ma-
ria genuerè parentes. O verè felix Ioſeph ſponſus
tuus virginalis, qui tui cuſtos cum puero Ieſu fi-
delis, ſedulus, prudens atque chariſſimus, audire
videréq, te cum filio tanto tempore dignus fuit.
Magiſter. Credidi propter quod locutus ſum. Pro-

Digitized by Google

pterea iam iſtos non beatificare nequeo neq; ſufficio, quos ô beata tibi feceris eſſe deuotos, quos A traxeris poſt te poſtquam Ieſum benedictũ fructum ventris tui, in odorem vnguentorum tuorum. Quo modo non beati quibus vbera charitatis lactanda, quibus os pietatis oſculandum non dedignata fueris oſtendere? Ergo iam oleum effuſum nomen tuum. Ergo tu fons hortorum ad emundationem ſimul & recreationem cum delectatione mirabili mundi datus. Tu puteus ſatietatis aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Puteus aquarum quæ fluunt impetu de Lybano candido B paradiſi. Tu hortus conſitus omni genere tam arborum quam areolis aromatum: Tu iam coronata triumphas de capite amana id eſt turbulenti, de vertice ſanir & hermon fœtoris & anathematizationis de cubilibus lenonũ, de montibus pardorum, ſcilicet tyrannide ſuperborum damnatorũ, quæ luna mutabilitatis ſunt ſub pedibus tuis ad calcandum. Porrò ſexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus, ſecundum varios animarum gradus.

Vna tamen columba perfecta quem viderunt fi- C liæ per adoptionem, & beatiſſimam prædicauerunt reginæ, quæ ſuis dominantur affectibus, & concubinæ quærentes concupiſcentiæ remunerationem per filiorum boni operis generationem laudauerunt te, quia beatam te dicent omnes generationes. Quam pulchra es & quam decora chariſſima in delitijs. Sed cui chariſſima in delitijs? Illi nempe cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum. Statura tua aſſimilata eſt palmæ triumphali, & vbera tua botrus vineæ germinantis vir- D gines id eſt virginales affectiones, & ſobria ebrietate debriantis vſque ad ſaniam & inſaniam apud ſtultos ſeculi, vſque ad denudationem per voluntariam paupertatem. Tu delicijs affluens tota dilecto ſuper inniteris dicens vocem plenam ſenſibus inexplicabilibus. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. *Diſcipulus.* Eya magiſter euge euge, quid nos agimus obſecro cantiea canticorum exponendo, cum canticum Mariæ ſuſceperamus. Et ecce nunc in laudes erumpimus, nunc obſecrationes interſerimus, ad quas titubat animus, E ad quas hac illácque defluit oratio mentis, incerto pede, lingua balba, vagis oculis, geſtu vario quaſi fabulando ſeu phreneſiando nos habemus immo verius nos habemur, rapimur, diſtrahimur, neſcio quo ſpiritu, quem neſcimus vnde veniat aut quomodo vadat. *Magiſter.* Vale frater. Quid ſi nos introduxerit iſta qua loquimur beata in cellaria regis, in cellam vinariam cuius eſt modo clauigera? Quid ſtupes? quid miraris ſi ſobriam biberimus ebrietatem ſpiritus? Quid ſi datum fue- F rit accedere proximus & ſereniſſimas voces amoris audire profundius. Totus ipſe geſtio me quem iam non capio conſiderare, quod vtrique continget, quando dicere fas eſt vnicuique noſtrum.

Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore eius langueo. Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Diſcipulus.* Ceſſemus iam ceſſemus ſpectare talia qualia amantes ſibi ſomnia fingunt, & ad incepta reuertamur.

Magiſter. Quæ cœpta? *Diſcipulus.* O quæſo non meminiſti? Cur inquiris? Intremus elucidationem cantici beatiſſimæ & pulcherrimæ mulieris cum epithalamio Salomonis. *Magiſter.* Nimirum iſtic ſumus. Neque enim exigunt certum expoſitionis ordinem, quæ nullo ſunt ordine contexta, vel cohærentia, quæ præterea non vni tantum affectui ſunt accommoda ſed innumeros verbum quodlibet affectus eructat pro audientium qualitate. Expone ſi potes dum ægrotus aſſiduis ſuſpirijs plangens & ſingultus ex immo pectore, anheloque ſpiritu repetit, ha, ha, ha, quid tibi ſignificet iſta vox plangoroſa. *Diſcipulus.* Donatus reſpondet dicens interiectionem eſſe partem orationis ſignificantem mentis affectum voce incognita. Quid autem poſtulas vocem me incognitam exponere cognoſcenda.

Magiſter. Non perdidit operam & impenſam qui te puerum docuit orationis partes. Tu nunc grandior effectus ita cognoſcito quemlibet amoris intimi & non ficti vocem prorſus incognitam non amanti, immo nec alienam compertam amanti, ſi non qualibet coniectura. Exemplum de doloris interiectione, dum ſanus ægrotum audit & ſolari quærit. Cui reſpondet apud commicum talis aliquis: Facile cum valemus alijs cõſilia damus. Tu ſi hic ſis aliter ſentias. *Diſcipulus.* Deſperare doces elicere nunc hac nunc iſtac exultationes, per agitationem concuſſionémque ſtudij vehementis pauculas emicantes ſcintillulas prout iſtas exceſſiui amoris, hoc vel illud verbum inſerit ad faciem mentis perſtringens iſtam & gerens. Aut verò ſub alia ſimilitudine ſtude familiaris eſſe vocibus amoris in loco peregrinationis tuæ, non ſe adeò poterunt occultare, quin familiarius in te magis & magis prodent & intelligibilem, nunc hoc modo, nunc altero manifeſtent, vel nutibus etiam ſe & geſtibus inſinuent. Peregrinantes pariter in exemplum habe quamuis barbari ſint. Pueros quoque colludentes, necdum perfectis reſonantes verbis, qui quomodo ſe intelligere conſueſcunt imitari coneris.

Deinde beatam & pulcherrimam mulierum poſtulemus vt nos illo reſpiciat pietatis & amoris oculo, quali reſpecta fuit à Deo ſalutari ſuo. A quo nos impetret reſpici ſaltem vt amare fleamus exemplo Petri. Reſpiciat terram cordis noſtri & faciat eam tremere. Et ab illo tremore ſuo concipiamus ſpiritum ſalutis, qui in amoris ſpiritum aliquando transformetur, & hymnum tunc canamus cum alacritate cordium: Magnificat anima mea Dominum. *Magiſter.* Irritas meum quærendi ſtudium de plurimis, ſed aliorſum me vocat (vt audis) occupatio domeſtica regularis. Dies craſtinus ſollicitus erit in idipſum.

Diſcipulus. Expeditum me reperies, propitius ſit nobis Deus.

QVARTVS TRACTATVS PER DIDRAGMA SEV DIALOGVM DE MAria *beatificatione per notulas octaginta duas.*

No-

NOTVLA PRIMA.

ECce *enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Diſcipulus.* Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis heſterno colloquio dum de canticis canticorum Mariæ ſimul & Salomonis cõquireremus quaſi fabulantes peregrini, necnon dilatato corde videremur anhelando ſpiritum attrahere? *Magiſter.* Memini & viſa eſt renouari vt aquilæ iuuentus noſtra ſenilis quodammodo & cana in exteriori homine, ſed interior renouatur de die in diem adſit verbum Dei reficiens ipſum ſi Ieſus inſtar peregrini nec proinde cognitus ſe comitem cõiunxerit, ſi aperuit ſenſum nobis vt intelligamus ſcripturas hymnorum & maximè pſalmorum & canticorum. O ſi ſe talem exhibere dignabitur qui loquitur animæ noſtræ: Surge propterea amica mea, columba mea, formoſa & veni. *Diſcipulus.* O ſi iam hyems congelationis ſpiritualis tranſeat, ſi gelicidium torporis, ſi imbris ſtillicidium aſſiduæ tẽtationis abeat & recedat, ſi flores pulchriorum aſpectuum appareant in terra cordis noſtri dante Domino benignitatem. O ſi tempus putationis & reſecationis curæ omnis ſuperfluæ adueniat, ſi vox turturis caſtè gementis & conſolantis luctu bono audiatur in terra ſenſualitatis noſtræ, conformantis ſe rationi vt concordet philomelæ & à laude contemplationis alacris turturis ſuſpirium. O ſi ficus iam non maledicta nec ſolis onuſta verborum folijs proferat groſſos ſuos in ſignũ fructus poſt ſuauis. Demum ſi vineæ bonarũ operationum dent odorem ſuum bonæ famæ in vitam & lætificationem Dei & hominum, qui ſecuturum ſit, ô magiſter agnoſcis. *Magiſter.* Quænam anima frater eſt tam hebes & gelida, quæ nõ ad vocem blandientis amici vel dilecti quem ſequitur expergiſcatur? Quæ non tota liqueſiat, ſi iam in ſe non continens proprijs terminis deſideriorum, ſed effluat in dilectum currat poſt vocantem ſe gratis nominibus: Surge, inquit, propera amica mea. Surge quæ malè iacueras cum adoleſcente perdito, propterea paternam adire miſericordiam, vt accumbat ſuper collum tuum, detq; in accubitu tali nardus humilitatis tuæ odorem ſuum, vt iure voceris amica, ſuſcipiens pacis oſculum & ſpecioſa recipiens primam innocentię ſtolam cum anulo fidei. Proinde facta columba nidifices in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ. Petra autem erat Chriſtus. Tu in fixura clauorum, in cauerna lateris vſque ad patefactionem cordis, fidei deuotione ſubintrans, illic reponas ſanctarum meditationum pullos tuos. Oſtende dilecto potenti faciem tuam, iam colore roſeo decorem & vernantem in aſperſione ſanguinis agni immaculati. Sonet vox tua in auribus dilecti, quæ dulcis ſit in laude conferens in iubilo. Denique ſis vinea florens deſiderijs odoriferis, de qua vulpeculæ paruulæ intentionum doloſarum diffugiant captæ. Surrepunt enim quandoque ſuffodientes ad elationis præcipitia & vineas radicitus demoliuntur & corrodunt. O ſi poſtmodum fas habeat anima talis, iam facie decora, iam voce ſuauis ſuſpirabunda dicere: Dilectus
A meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ. *Diſcipulus.* Quid oro vult hæc interrupta & inexplicita penitus locutio? *Magiſter.* Audiſti iam voces amoris ideo non perfici, quoniam tot occurrunt animæ deſideria valida quod nequeunt ſimul erumpere. Confundunt ſe potius & opprimunt. Sentit, amans, quicquid exprimere poteſt, nihil ad hoc quod optat ſatis eſt. Quare dat ſe magis intelligi per interruptiones more interiectionum, ab imo pectoris eructatas vel erutas. Solet inde
B patere taliter anhelantibus quorſum mittitur illud ſuſpirium. *Diſcip.* Da ſupplementum verborum iſtorum. Dilectus meus mihi & ego illi. *Magiſter.* Quis arenulas maris, aut pluuiæ guttas dinumeret? Quis inſcrutabilia ſcrutetur corda? Non facilius eſt id quod requiris. Nihilominus aliquid accipito. Dilectus meus mihi intendit & ego illi. Dilectus meus mihi oculum amoris dirigit, oſculum porrigit, loquitur, aſſentit, blanditur, & ego illi. Dilectus meus mihi finis om-
C nium deſideriorum meorum, & omnium cogitationum & intentionum cordis, & operationis cuiuſlibet ſeu motionis cardo centrum eſt & axis, & ego illi totum quod dat reddo. Dilectus meus mihi delitioſus eſt, amoroſus eſt, concordans eſt, ſuauis eſt, benignus eſt, iocundus eſt, delectabilis eſt, mihi omnia. Quippe cum quo ſum vnum cor, vna anima, vnus ſpiritus. Ideo dilectus meus mihi vnitur & ego illi. Dilectus meus ſe mihi dedit in precium, in mortem, quo-
D modo non omnia mihi ſecum donauit, *Diſcipulus.* Quo pacto dicitur ſe donare Deus qui nuſquam abeſt. Qualiter eſt anima ſibi finis deſideriorum ſuorum vel operationum, qui propter ſeipſum omnia operatus eſt ſecundum ſapientem. *Mag.* Docet angelica ſalutatio modum donationis Dei. Salutatur enim Maria per angelum, ſic anima per ſpiritusſancti aliquem inſtinctum, qui loquitur pacem ad conuerſum cor. Mandat quoque ſalutes, dicens animæ ſecreto cordis ſilentio: Salus tua ego ſum. Et illud: Re-
E mittuntur tibi peccata tua, Vade in pace. Non enim datur ſalutatio excommunicationis, nec eis quorum præſentiam horreſcimus. Sic inuenit apud Deum gratiam anima, quæ per eum fit diſpoſita & organizata ſuo modo, calore vitali gratiæ ad ſuſceptionem Domini, de quo & à quo viuit anima non minus quam diſponitur corpus organicum per harmoniam qualitatiuarum diſpoſitionum ad animæ rationalis introductionem faciendam in corpore. Tunc audit ani-
F ma, Dominus tecum, quia ſe dat ad nutum animæ vt fruatur ſe, & alio quolibet vtatur in ſe & propter ſe. Vnde fit amoris illa reciproca donatio mirabilis quo manet in charitate in Deo & Deus in eo. Dilectus meus mihi, ſupple ſeipſum dat, & ego illi ſeipſum reddo & meipſum cum eo, cum quo iam vnum effecta ſum. Et ſicut in illa Trinitate ineffabili pater dat filio ſpiritum, & filius patri reddit eundem ſpiritum, ſic anima datum ſibi dilectum dat, & reddit ſeipſum ſibi qui tribuit, vt ſit ipſe principium & finis omnium deſideriorum vtriuſque. Hanc dignationem amoris inæſtima-

Digitized by Google

bilem, quia philoſophi ſuperbi non potuerunt nec voluerunt attendere, propterea nullas tales ad Deum voces depromere conati ſunt: Dilectus meus mihi & ego illi. Fuerunt idcirco ab huiuſmodi epithalamio Mariæ & Salomonis penitus alieni & ad illud ſurdi. Quod attendens Chriſtus exultauit in ſpiritu in illa hora: Confiteor tibi inquit, pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quia ſic placitum eſt ante te. Non meritum cuiuſcunque, ne quis glorietur in ſe. Vnde ſi tale aliquid cecinit Maria, dicens: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. *Diſcip.* Quantum intelligo, Deus ſe dat in dono quod informat animam & viuificat eam, reddens deiformem & pulchram, amabilem & deſiderabilem: qui lętatur in operibus ſuis maximè in filijs hominum?

Sed cur anima dicit aliquando. Dilectus meus mihi, vt hæc transferat, aliquando ſe præponens & dicens, ego dilecto meo? *Magiſter.* Dilecta fertur in dilectum ſecundum vim duplicem, apprehenſiuam ſcilicet & motiuam. Vis apprehenſiua ſeu cognitiua quodam modo trahit ad ſe & in ſe ſuum obiectum quod eſt verum. Sed conuerſus eſt ordo virtutis motiuæ vel affectiuæ, præſertim dilectiuæ, cuius obiectum eſt bonum, quia tendit & extendit ſe ad ipſum. Cauſam dat philoſophus. Verum inquit, eſt in anima, ſed bonum in rebus. Vnde bonum quod eſt appetibile aptum imprimendo ſe per cognitionem, non enim velle poſſumus incognita. Appetitus verò quaſi circulo quodam, redire cogatur in appetibile, & ſe ſibi daret, communicare vel imprimere. Propterea dicitur anima dum dilectum cogitat, & imaginem ſui format vel ſpeciem quod ſibi dilectus imprimitur. Dum verò diligit, ipſa ſe dilecto dat & replicat, & ad ipſum quaſi foris egreditur. *Diſcipulus.* Quid ad rem noſtram? *Magiſter.* Multum per omnem modum. Hoc eſt illud myſticum verbum Chriſti de dilecto ſuo quod ingredietur & egredietur & paſcua inueniet. Hoc item aliud de Moyſi qui minauit gregem ad interiora deſerti, vbi vidit Dominum in flamma rubi. Gregem intellige, totam cogitationum turbam, quæ ad interiora mentis colligitur. Eſt alter ordo, dum Moyſes vocatus à Domino de nube caliginis exit ad ipſum, ſicut Chriſtus relicta turba aſcendit in montem. Sic anima ſubintrans ſe, & trahens ad ſe ſponſum per cognitionem dici poteſt paſcere ſponſum. Sic ipſum habere in lecto pacificæ mentis & coanguſtatæ, ne ſit locus adultero. Exiens verò per dilectionem ad ſponſum, trahitur ad ſponſi palatium, thalamum vel cubiculum. *Diſcipulus.* Quid poſtremò? *Magiſter.* Siquidem in hac coniunctione ſponſi & ſponſæ per dilectionem conſurgit delectatio, dum rurſus imprimit ſe dilectus in dilectam, ſugentem vbera conſolationis ſuæ, dicitur hinc delectatio quaſi quædam lactatio. Hinc eſt fruitio complectens vniuerſas beatitudinis partes vt dotes, tentationem vel apprehenſionem inhæſiuam pro cognitione & dilectione pariter & delectatione. Sic fruitionem deſcripſit Auguſtinus quod eſt amore inhærere alicui rei propter ſe, in qua mentis delectatio quieſcit. *Diſcipulus.*
A Dum rapit nos æſtus amoris obliti ſumus penè inquiſitionem primitus occurrentem ſuper verbo tuo ô beata beatarum. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. *Magiſter.* Regredi licet quando volueris. *Diſcipulus.* Pulſat hæc animum quæſtio, qua ratione potuit abſque ſpiritu iactantiæ, humilis ancilla Domini tam excelſum de ſe proferre præconium? Subit inde quæſtio quo nomine digniori Maria nominetur? An beata quæ cecinit. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Subſe-
B quitur alia quæſtio. Quot modis dicta ſit Maria beata? *Magiſter.* Conabor ſatisfacere quæſitis his, & quidem de primo ſcieris animam Mariæ magnificaſſe Dominum, non ſolum quia magnus in ſe eſt, & magnus à creatura ſua prædicatur & colitur, ſed etiam quia magnificam reddit animam, cui magna facit qui potens eſt. Nunquid parum tibi magnificata videtur Mariæ anima, quæ operationi ſupra modum magnificæ fuit auſa præbere conſenſum dicens ad angelum: Fiat mihi ſe-
C cundum verbum tuum. Quid eſt hoc, niſi fiam mater filij cuius pater eſt Deus? Quid excelſius, quid ſublimius, vel (vt alius vult) arrogantius poterit cogitari? *Diſcipulus.* Hoc mouet multos, quomodo ſimul & in vnum conueniunt tanta humilitas. Ecce ancilla Domini, cum tanta magnificentia fiat mihi ſecundum verbum tuum, talis abiectio cum tali gloria. *Magiſter.* Docet nos philoſophia ſi theologia parum eſt, conditiones magnifici, ſeu vim virtutis magnificentiæ. Ma-
D gnificus vtique non de honore vel gloria curam habet, ſed de operibus præclaris, quæ gloria digna ſunt & honore colit lucem, ſpernit vmbra. Gloria ſua eſt (ſicut dicit apoſtolus) teſtimonium cõſcientiæ ſuæ. Non de alieno pendet iudicio cui modicum eſt ſi iudicetur ab hominibus vel ab homine aut ab humano die. Nam qui ſe iudicat Dominus eſt. Fit humilis proinde in fuga gloriæ fit magnanimus in operatione magnorum cum dignitate meritorum. Denique cum gloriatur, in Domino gloriatur. Obſeruat hoc magnifica no-
E ſtra & magnificanda, quæ tota in Dei gloriam refudit beatitudinis ſuæ famam. Quia fecit inquit, mihi magna qui potens eſt. Non ergo mihi gloria, gloria ſola ſibi. Fuiſti propterea virgo beata ſicut angelus Dei, vt nec benedictio te moueret, nec maledictio per elationis aut deiectionis vitium. Quæ quò magis gloriam fugiebas eò magis te ſequebatur, ſicut vmbra corpus. Eſſe bona non videri volebas. *Diſcipul.* Magnificus, magnorum dignus honorum, nunquid iniquos iudicat eos qui ſe ſpernunt. *Mag.* Planè ſic iudi-
F cat, cenſetque puniendos, non propter ſe, ſed propter iuſticiam & alienam vtilitatem. Atverò longè diuinius dat fides cum gratia, magnificentiam cum humilitate coniungi, quam inanis philoſophia. Dicit ex ſententia: Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Tibi gloria, nobis autem confuſio, qui ſerui inutiles ſumus, qui nihil habemus quod à te non accepimus, tua tibi dona confitemur & reddimus. Volumus vt ad locum vnde exeunt flumina gratiarum reuertantur, vt iterum fluant te donante, ſis

magnificus

Digitized by Google

magnificus in ſanctitate & gloria. *Diſcipulus.* Non eſt quod contradicam, dic de ſecunda quæſtione. *Magiſter.* Enunciaſſe videtur prophetico ſpiritu plena verbigena noſtra, quod hoc nomen adiectiuum appropriatè ſibi & antonomaticè daretur per omnes generationes velut nomen epitheton deſuper ſibi datum, ſibi debitũ, ſibi placentiſsimum, necnon conuenientiſsimum, iocundiſſimum, & appropriatum. Dignare nos laudare te virgo ſancta, ô ter quaterque beata. Beata primò quæ credidiſti clamat Elizabeth. Beata ſecundò, quia gratia plena ſecundum Gabrielis ſalutationẽ. Beata tertiò, & benedicta, quia benedictus fructus ventris tui. Beata quartò, quia fecit tibi magna qui potẽs eſt. Beata quintò, quia mater domini. Beata ſextò, quia fœcundata virginitatis honore. Beata ſeptimò, quia nec primã ſimilẽ viſa es, nec habere ſequentẽ. *Diſci.* Numeraſti numeros beatitudinis ſub quadam generali laude, quid cenſes ſi ad ſpecialia deſcendamus? *Magiſter.* Deſcendamus placet: ſic enim plenior dabitur intellectus præconij quo beata dicitur per omnes generationes. Offertur animo triplex beatitudo. Vna viæ per ſpem, altera propriè per rem, tertia quaſi mediat inter ſpẽ & rem, inter viam & patriam, qualem habuit manifeſtè Chriſtus, quem fuiſſe viatorem ſecundum animam & comprehenſorem ſecundum ſpiritum, nullus ambigit theologus. Porrò qualis ſit beatitudo per ſpem & gratiam, norunt communiter fideles Chriſtiani. Qualis pręterea ſit beatitudo gloriæ, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, credentes eam eſſe quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Recogitata verò duplex hæc beatitudo viam apperit, vt tertia quaſi media citius cognoſcatur, quia minor eſt quam gloriæ conſummatæ, & maior quam ſolius ſpei & communis gratiæ. Nec abhorret hæc diſtinctio theologica phyſicam conſiderationem, quæ ponit virtutes primas politicas, ſecundas purgatorias, tertias purgati animi quas Ariſtoteles vocat heroïcas. Hæc beatitudo quæ purgati animi vel heroïcalis excellentiæ dici poteſt, fuit in beata noſtra dum viueret, ſuper omnem purum hominem, ſicut beata reſidet in patria ſuper omnem angelicam poteſtatem, hæc eſt quæ à nullo vincitur illuſtrium ſecundum Damaſcenum. Et iuxta hierarchicã Dionyſij legem continet eminenter omnem perfectionem creaturarum tanquam inferiorum, vt iure dicatur regina mundi & domina. Vis igitur breui compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri? da ſibi per eminentiam quicquid in creaturis videris melius ipſum quam nõ ipſum. Et ſi non formaliter, tamen eminenter, quamquam diſtanter à Deo. Et quoniam particeps fuit in via vtriuſque beatitudinis viæ ſcilicet & patriæ, ponemus aliquas de cõditionibus beatitudinis æternæ, per quas gradatim veniamus ad petita vel ad petenda. *Diſcipulus.* Expediẽs iudico, nec audiendi tenebit me faſtidium, etiam ſi præcognita narraueris. *Magiſter.* Eſt beatitudo ſpiritus quę ſeparatur ab anima, i. à ſenſuali portione. Hæc fuit in Chriſto viatore. Hæc in ſpiritibus ſeparatis viget. Habet nihilominus anima ſuam beatitudinem dum reſumetur incorruptibile corpus à ſpiritu beato. Dicitur incorruptibile pro tollenda calumnia quam vellent aliqui ſtruere de reſuſcitatis

A iuſtis tempore paſſionis, quorum ſpiritus ſtatim in deſcenſu ſpiritus Chriſti in lymbum patrum beatificati ſunt, quando momordit Chriſtus infernum, ſaluando ſpiritus iſtos per beatificam viſionem, de qua latroni dictum eſt: Hodie mecum eris in paradiſo, qui purgandum forsaſſis aliquid habebat, niſi priuilegiũ nouitatis aduentus regis ipſum ſicut & alios multos, forſan & omnes tunc à purgatorio liberaſſet. Tales inquam ſpiritus beatificati, ſi corpus non incorruptibile ſuſceperunt, aut quia mortui ſunt ſecundum quoſdam, ſequitur vnum

B mirabile quod tales fuerunt comprehenſores in corpore mortali ſicut Chriſtus. Sequitur etiam quod fuerunt bis mortui ſicut Lazarus, cum ſtatutum ſit omnibus ſemel mori ſecundum Apoſtolum. Reſpondent, quia Apoſtolus non negat quin pluries. At verò nulla ſit ambiguitas de reſurrectione nouiſſima. Sunt autem tres dotes ſpiritus beati, ſit ſeparatus aut coniũctus, quæ ſunt fruitio, viſio & tentio. Sunt quatuor ipſius animæ ſenſitiuæ reſumpto corpore glorioſo quod plenè ſubditũ eſt tam animæ quam ſpiritui. Vnde reddetur

C clarum, impaſſibile, agile, ſubtile. Nolo tamen exiſtimes quod ſpiritus & anima ſunt in eodem homine modo vel tunc duæ naturæ diſtinctæ, vel duæ animæ & eſſentiæ, licet fuerit aliquando articulus in Anglia condemnatus dicere, quod non ſunt duæ animæ in homine eodem rationalis & ſenſitiua. Prior verò ſententia tenenda eſt, prout Eccleſiaſticis dogmatibus continetur, dixit Chriſtus quod poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, ſed quod illa ſpiritus, notauit Euangeliſta:

D Tradidit ſpiritũ. *Diſcip.* Pridem ita dixiſti, pridem ita monuiſti, expone quod ordiris. *Magiſter.* Quia loquimur de dotibus quæ ſolent attribui nubentibus. Sponſus enim dotat ſpõſam, & nulla creatura non vnita diuinitati (vt excipiatur anima Chriſti) dignior fuit Dei ſponſa nominari Maria vti pro ſponſi & ſpõſæ metaphora dum inquirimus beatæ Mariæ laudes atq; pręconia, dum viatrix etiã peregrinaretur in terra. *Diſcip.* Gratanter ac lætus accipio quatenus in his aſſumptionis ſuæ ſolennijs, dum Cãtica Canticorũ reſonat Eccleſia tanquam

E epithalamium ſuũ, materia conquirendi iocundiſſima miniſtretur. *Magiſter.* Animaduerte quẽadmodũ tres in matrimonio ſuccedũt gradus. Eſt enim matrimoniũ initiatũ, eſt ratum, eſt cõſummatum. *Diſcipulus.* Scio ſed quid ob hoc texere vis? *Magiſter.* Volo dicere virginalẽ ſponſam noſtram, ſecundũ triplicẽ hunc ſtatũ triplicẽ habuiſſe beatitudinem. Beatã reſpice primo modo, dũ ab inſtãti creationis ſpiritus ſui initiatũ eſt matrimoniũ cum æterno ſponſo Deo per arram fidei, ſpei, charitatis

F & cęterarũ virtutũ. Beatã reſpice ſecũdo modo, dũ matrimoniũ plenè conſummatũ eſt in aſſũptione corporis & animę cũ æternitate dotũ ſuarũ. Beatã intellige tertio modo quãdo matrimonij fuit ratũ in cõceptione filij Dei, & deinceps per gratiã conſummatũ, nec diſſolui poſſet per peccatũ quamuis ad cubiculi ſecretũ primò fuit in aſſumptione introducta, vbi fuit & eſt matrimoniũ cõſummatũ. *Diſci.* Iã velut per rimulas incipio videre quò tẽdit iter tuæ deductionis. *Magiſter.* Videbis apertius ſi paucula de dotibus enumerauero potius quã docuero. Tres idcirco dicũtur dotes ſponſæ ad cubiculũ ſpõſi receptæ per gloriã, viſio, fruitio & tẽtio,

Digitized by Google

quæ reſpondent tribus theologicis virtutibus viæ, quæ ſunt fides, ſpes, & charitas, & tribus animæ viribus, rationali, concupiſcibili, iraſcibili. Dicuntur inquam, igitur dotes, quia ſunt habitus diſponentes tres iſtas vires ſecundum mentem quæ eſt ſpiritus, immo vnus tunc cum ſponſo ſpiritus, ad actus qui beatitudinem cõſtituunt quicquid ſunt intuitiua viſio & actualis fruitio cum æternitate. Ad quid valent dices iſtæ dotes? Sanè quatenus ſponſæ ſuppetet, vnde portet iugum ſuauiſſimum, & onus ſæuiſſimum beati coniugij, vbi fit mens ſuo modo parens verbi & ſacrarium Spiritus ſancti. Nunquid videtur talis tantique filij educatio iugis & æterna, qualem habet ipſa mens verbigena, virgo in vnum mater & filia.

Diſcipulus. Conueniſſe credimus hæc tria ſimul in Maria, ſed quo pacto conueniant in mente rationali, non ita perſpicio & virgo dicatut mater & filia. *Magiſter.* Virgo nominatur propter ſynderеſim, quæ nunquam violatur. Mater quia parit in ſe verbum rorãte deſuper patre luminum cuius eſt filia, cuius filio nuptialiter coniũcta eſt. Quidni tunc pſallet & exultet Mariæ ſpiritus in Deo ſalutari ſuo, laudans, & pſallens & iubilans pleno totóque cordis affectu, hoc Canticorum Canticum amoris per amorem Canticum nuptiale quod dicitur epithalamium. Canticum nouum propter illum qui noua fecit omnia. Tenor huius cantici cõſiſtit in eſſentiali beatitudine viſionis, dilectionis, & fruitionis Dei, quæ ſẽper vno & inuariabili canore ſubſiſtit & reſonat. Porrò reſpectus creaturarũ tam in Verbo quam in proprio genere, mouet ad Canticum multiplici varietate decorum tanquam pro diſcantu. Neque dubitaueris omnes & ſingulas in vnum concurrere mentalis ſpiritus affectiones. Formabitur enim melodia ſpiritus ad exemplar harmoniæ ſiue melodiæ diuinalis quæ ſtabilis ſemper in ſe manens faſtidire non poteſt tanquam aſſiduè renouetur. Habes ecce veritatem concluſionis vnius quã tu tibi declarari quandoque poſtulabas, ſi Maria in hoc Cantico ſe in omnes perfundebat affectus vel animæ paſſiones.

Diſcipulus. Habeo fortè pro ſtatu gloriæ, quamuis ambiguum videatur ſi ſint in ſpiritibus beatorum omnes affectus tot & tales quot & quales ſentimus in via, immo non eſt dubium de dolore. Non enim erit amplius ibi luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor. *Magiſter.* De hoc ſtatim videbimus. Tu colligas & intelligas interea quale fuerit Canticum beatæ Virginis quot vocibus alternatum, dum iam adepta fuerat beatitudinem illam, quæ dicta eſt ſuperior ad beatitudinem ſolius viæ proxima & vicina beatitudini patriæ. Quid ſi viatores aliqui exercitatos pro conſuetudine ſenſus mentis habentes poſſint cum omni promptitudine voces affectuũ ſecundum notulas quinque vocalium, ſparſas per ſyllabas pſalmorum vnamquamque concinere vel formare.

Diſcipulus. Concludit intelligentia tua, quam rationabilis ſit concluſio quę non ita recipienda eſt, quaſi vox quælibet affectionis retineat ſonum integrum, franguntur enim quadam alliſione non aliter quam in cõpoſitione dictionum videmus. Non enim hæc dictio magnificat plenè ſonat iſtas literas magnificat, ſed in vnum colliguntur quaſi tertium mixtum ſonum. Vſus eſt philoſophus hoc exemplo, dum de mixtione tali loqueretur A elementorum, quod manent quidem in mixto, ſed refracta, vel ſecundum eſſentiam, vt placet Auicennæ, vel vt Auerrois ſecundum proprias qualitates. *Magiſter.* Exemplum placet quod inquiſitionem philoſophicã præſupponit. Exemplum aliud video de multis aromatibus ſimul tritis, ex quibus odor tertius mixtus reſultat quandoque plus redolens, aroma prædominans. Coaptetur exclamatio Canticorum: Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromaticis B myrrhæ & thuris, & ſequitur & vniuerſi pulueris pigmentarij? Exemplum aliud eſt in re noſtra, licet enim pueri diſtinctè prius ſonent vt, re, mi, fa, poſtmodum iungunt literam paulatim cum vocibus iſtis, tandem vſu continuò cantant ſine vocibus notularum, quod tandem exemplum in contrapuncto, deinde in diſcantu plus apparet, vnde valeamus ad muſicã chordis trãsferre rationem vbi celeritas maior eſt atq; facilior ſonoritas affectionũ ſpiritualiũ, quam ſit exterior vocalium.

Diſcipulus. Das praxim vtendi gamma myſtico C Canticorum cordis. Vnde palam fit non eſſe ſiſtendum iugiter in his quinque vocalibus, a. e. i. o. v. Sed nec in ſingulis deliberatè pauſandum eſt affectibus, alioquin phantaſia plus tandem læderetur, quam intelligentiæ recreatio proueniret. Cuius rationem ſenſualis nos quotidie docet cantus. Sed manet dubitatio mota de beatis Deo iubilantibus, apud quos ſola vox lætitiæ, & nulla ſpei, nulla compaſſionis, nulla timoris, nulla denique doloris reſonare videtur. Et hæc dubitatio D verti poteſt ad beatitudinem Mariæ virginis pro ſtatu viæ proxima ſtatui patriæ, quando non habebat peccata quæ doleret, quando conformis erat ſua in omnibus voluntas prouidentiæ Dei, quem in ſui diſpoſitione non fallitur.

Magiſter. Habebit hoc vltimum de conformitate voluntatis locum proprium. Cæterum de affectibus beatificati ſpiritus edoceri poteris per ſimilitudinem determinationis abundanter traditæ per doctores de virtutibus moralibus & theologicis, & de donis beatitudinibus & fructibus E ſi manent in patria. Quorum finalis eſt reſolutio quod in quolibet bono habitu reperitur aliquid quod dicit perfectionem, ſed in pluribus coniunctum eſt aliquid pro ſtatu viæ imperfectionem notans vel indigentiam. Fides dicit innitentiam primæ veritati, ſpes diuinæ liberalitati, charitas diuinæ bonitati, & horum quodlibet bonum eſt perficiens ſpiritum. Sed ad imperfectionem reſpice. Fides importat ænigma, ſpes cum ænigmate futuram fruitionem, charitas verò à Deo quamuis F hic non conſequatur intuitiuam viſionem. Pœnitentia dicit deteſtationem peccatorum. Timor fugam ſeparationis à Deo. Compaſſio ſeu miſericordia promptitudinem auxiliandi, zelus amorem iuſti. Et ita per omnia reperies aliqua de ſe bona, ſi coniunctos defectus abſtuleris, vt à pœnitentia peccatum commiſſum, à timore periculum cadendi, à compaſſione miſeriam cui nunc oporteat ſubueniri. Sic itaque de ſingulis affectionibus beatorum ſpirituum, quas theologia vocat extẽſo nomine paſſiones, quæ non ſunt in ſpiritu rationali, maximè ſeparato ſecundum realem mutationem, quemadmodum philoſophi ſtrictè loquuntur de paſſioni-

Digitized by Google

paſſionibus ſenſitiuæ animæ. Affectio autem ſpiritum immutans intentionalis eſt, ſicut gaudium A & deſiderium de Deo, odium vel diſplicentia de peccato, reſilitio in Deum & ab inferno, affectus ſuccurrendi alieno incommodo.

Diſcipulus. Et ſi magna pars quæſtionis ſoluta cernatur per exemplum de virtutibus, tamen deſcriptio beatitudinis affert ſcrupulum, quoniam beatus eſt qui habet quicquid vult ſecundum antiquos & Auguſtinum, qui addit, nihil mali vult. Beatus dicitur quaſi bene actus, cui omnia optata ſuccedunt, ſecundum Caſſiodorum.

Magiſter. Conclude primò per etimologiam B beati contra Stoicos, quod virtutes non ſunt inſenſibilitates, quia dicitur beatus quaſi bene actus, ergo bene motus, ergo non inſenſibilis. Et hæc certè concedunt de affectionibus intrinſecis rationis, ſed ſenſuales omnino detrahunt à ſapiente quaſi ſaxeos virtus efficiat. Porrò non eſt de ratione beatitudinis quod beatꝰ ſtatim habeat quicquid vult optandum, maximè circa alterum, ſed abſoluta beati voluntas ſicut ſemper conformis eſt diuinæ voluntati, ſic ſemper impletur. Et huius C declaratio proprium locum habet.

Supereſt diſtinguere de ſpiritibus affectionum receptiuis. Aliqui ſunt impaſſibiles effecti, & hoc contra paſſibilitatem læſiuam vel corruptiuam vel abiectiuam perfectionis debitæ, vt in cœlo, quoniam nihil impedit, immo confert eſſe paſſibiles paſſione perfectiua, ſicut dilectio Dei ſuáq; fruitio. Nonne cœlum impaſſibile dicitur primo modo, quod lumine ſolis cernitur mutari. Alius eſt ſpiritus rationalis atque receptiuus læſiuæ paſſionis, etiam vt ſpiritus eſt, D & hoc quotidianum eſt nobis viatoribus, velimus nolimus. Et de damnatis ſpiritibus fides credit, ſed modus alio loco dicendus eſt. Et tertia vel fuit in nonnullis ſpiritibus proprietas, quæ dedit eis poſſe non pati paſſione læſiua vel diſconuenienti, qualis fuit pro ſtatu naturæ inſtitutæ, & qualiter erat in anima Chriſti niſi ſponte paſſiones ſuſcepiſſet. Videsne igitur quod primus ſpiritus per paſſiones non læditur qualeſcumque, nec ſi poneretur in ſtagno ſulphuris ardentis. Gaudet aſſiduè, nec gaudium E minuunt aliæ coniunctæ affectiones ſicut compaſſio deficientium, deteſtatio peccati, reſilitio reuerentialis in propriam paruitatem, quæ timoris ſpecies eſt. Odium denique vitiorum quod eſt zelus bonus, & ita de reliquis in perfectione ſemota. Tertius ſpiritus ſuo modo carebat læſiuis paſſionibus in primo parēte, & nunc fortè ſic in Enoch & Helia. Sed an beatæ noſtræ talis fuerit exultatio ſpiritus in Deo ſalutari ſuo, non arbitror aſſerendum quin doluerit tam anima quam ſpiritu, F non enim glorificatus fuit ſpiritus ſuus ſicut ſpiritus Chriſti, nec voluntate ſola paſſionibus læſiuis ſubiacebat. Tuam, inquit Symeon, ipſius animam pertranſibit gladius.

Diſcipulus. Nonne fuit immunis ab omni peccato noſtra beata, & ſi ſic, cur paſſa eſt? quia quicquid patimur, peccata noſtra meruerunt. Eua denique fuiſſet ante lapſum ipſa Maria perfectio, quia tunc poterat nihil pati. *Magiſter*. Notata eſt alibi reſponſio, quod in Maria fuit neceſſitas originale peccatum contrahendi ſecūdū cauſas inferiores, ſecundum legem propagationis ex coniunctione viri cum fœmina. Lex enim ſuperior præiudicauit huic neceſſitati præueniendo caſum per ſanctificationem & gratiam. Sic dicit in alio caſu ſanctus Thomas de occurrentibus tēpore iudicij obuiam Chriſto in aëra, quod ſi non moriantur, hoc non eſt ſecūdum cauſas inferiores quibus habebat neceſſitatem moriendi. Nec eſt contra Apoſtolum dicentem: Statutum eſt hominibus ſemel mori, deinde iudicium, quia priuilegium ſuperioris hoc ſuſpendit. Non ſecus eſt in propoſito de Maria à neceſſitate contrahendi originale peccatum præuenta & priuilegiata, & excellētiſſimè ſic redēpta, qualiter redimi non egebat Ieſus Chriſtus quia per carnalem concubitum non formatus. Dolores idcirco pertulit Maria, non omnino ſponte ſicut filius, ſed nec penitus inuoluntariè ſicut nos, in quibus motus vitioſi præueniunt iudicium rationis, quos ratio præueniebat in Maria, alioquin venialia ſaltem commiſiſſet. Nihilominus dolebat propter ſpiritum paſſibilē & ſtatum, cum omni tamen moderatione & virtute & merito cōtinuo. Complebat inſuper illud Apoſtolicum: Gaudete in domino ſemper iterum dico gaudete. Sciebat quod dominus ſibi proximꝰ erat & fuerat ſuper cæteros viatores, quod notauit cum ſubiunxit pro cauſa exultationis ſui ſpiritus. In Deo ſalutari ſuo, quia reſpexit (inquit) humilitatem ancillæ ſuæ. Iuxta promiſſum per Eſaiam: Super quem reſpiciam niſi ſuper pauperculū & contritū ſpiritu & trementem ſermones meos, quamuis certa eſſet non minus Apoſtolo, quod neq; mors, neq; vita, &c. ſepararet & à charitate Dei quæ erat in Chriſto Ieſu ſalutari ſuo. Et ideò continuò gaudebat plus quam in ſola ſpe, ſed minus quam in re gloriæ. Ecce habes in hac dictione beatam e, pro ſpe, habes a, pro lętitia, iam ſupra ſpem additur tertiū a, dum venit in gloriam. Huc pro Canticis accedit incidens conſideratio nominis huius beatitudo, quod quinque vocales quinque ſignificātias affectuum in ſe claudit. Cæterum quia dixiſti, omne quod patimur, peccata meruiſſe, verum eſt propter originale peccatum, quod remouit prohibens læſiuas paſſiones cum peccatis. Noſtra deniq; beata ſemper habuit gratiā gratū facientem, quæ originali ſupereminet iuſtitiæ, qua primitus ornata fuit Eua, ſed perdidit.

Diſcipulus. Accepiſſe puto ſufficiētem pro elicita prius concluſione deductionē de Cantico Mariæ ſecundū omnes affectiones ſub omni facilitate formatas per organū cordis, vbi fulgebat mentis verbum ſententioſiſſima numeroſitate repræſentans, velut mirabiles rationes rerum inſtar patriæ, licet adhuc in ænigmatę viæ. At verò putas ne credendum quod vocale Canticum addiderit nonquam hęc beatā. *Magiſter*. Sanè puto, maximè in iſta peregrinatione laborioſiſſima, comitibus Ieſu puero & virginali ſponſo Ioſeph vt adimpleret ad litteram illud Pſalm. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Cur præterea non cecinerit corporalem recreando laborem nunc pſalmos patris ſui Dauid, nunc Canticum proprium, nunc illud Zachariæ, nunc Symeonis, alludens ſponſo blandiēti & dicenti. Vox tua ſonet in auribus meis, vox enim tua dulcis. Nunquid exiſtimas beatam noſtrā in iocūdiſſimo partu & poſt partū, dum natus erat ſaluator mundi concinentibus Angelis: Gloria in excelſis Deo

Digitized by Google

ſiluiſſe? Nunquid non infanti poſito in præſepio A & flenti debuit & conſolatoriũ feſcennium, dulci ſuſurrio velut aure tenuis reſonare? Quid verò de celebri ritu propriarum nuptiarum coniecturas, quæ nuptijs alienis interfuit hilariter honorandis, & vino de aqua facto gratuita pietate ſolandis. Quid in templo nutrita & de canticis Sion edocta debuit quæſo ſilere?

Diſcipulus. Grata commemoras, quæ non abhorrent à pia credulitate, etiam ſi addideris iuſtum Ioſeph cum puero Ieſu nonnunquam vnà ceciniſſe. Sed hæc hactenus quæ ſeculi prudentibus in B oculis ſuis (quibus omne quod putant ſublime videre) nugæ videbuntur, aniles & indignæ, quaſi non multo amplior fuerit humiliationis, vel crucis myſterium, vel lotio pedum, immo generaliter omnis actio nouiſſimi virorũ quia factus eſt propter nos opprobrium hominum & abiectio plebis, quam ſint iſta quæ dicimus de Maria.

Magiſter. Das materiam diſſolutionis prius factæ quæſtionis tuæ, cur erumpens in cãticum nouum dixerit beata: Magnificat anima mea dominum. C Sanè quid magnificentius eo, cuius magnificentia eleuata eſt ſuper cœlos? Quidni talem magnificaret, hoc eſt magnificum prædicaret? Quidni toto niſu dilataret & extenderet animæ ſinum ad eius amplexum? Quidni præterea crebrius alternaret affectus ſuos ſecundum notulas vocalium, modo de lætitia in compaſſionem ſentiens quod miſerationes Dei ſunt ſuper omnia opera eius? Præcipuè nunc quãdo miſericordia domini plena fuit terra, quando completa eſt poſtulatio Pſalm. Et veniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalu- D tare tuum ſecundum eloquium tuum, quando miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, quando iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, quando Deus dedit benignitatem, & in terra noſtra dedit fructum ſuum, quando timidus, dolens & languidus homo per ſapientiam accuſatus, per iuſtitiam donatus, & punitus per potentiam, ſuſceptus ad gratiam per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, glorificationis æternæ ſpem afferens, quando ſoluta mors deperit, datur trium- E phus gratiæ. *Diſcipulus.* Conijcio. Tales inenarrabiliter contẽplationes beatã noſtram ſub omni celeritate in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba contuliſſe, & in affectum ſuauiſſimi cordis traducẽdo cantaſſe, iuxta & ſupra per mixtionem notularum, vt fit in verbulis ſeu minutis diſcantuum. Intonans igitur voce ſerena perſonuit poſt Elizabeth præconium, immo exclamauit voce grandi ad aures ſeculorum omnium: Magnificat anima mea dominum. Tale tuum carmen nobis F diuina Maria quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo. Sed redit ad cor, cur non dixit Maria: Magnificat anima mea Deum? *Magiſter.* Altiori repetamus principio, dicentes Mariæ linguam fuiſſe calamum ſcribæ velociter ſcribentis, hoc eſt Spiritus ſancti, qui nedum velociter, ſed multipliciter ſcribit, adeò quod non eſt iota vnum poſitum ſine cauſa, non eſt apex vnus tam in ſignificatione, quã in ordine fruſtra locatus. Ex quo perpẽditur quam lata & lauta ſit menſa ſapientiæ ſacræ, quæ tot epulas & fercula miniſtrat quot poſſunt à quocumq; veri & ſalubres ſenſus elici, ſecũdum quadruplicis

expoſitionis genus. Præuidens igitur Spiritus ſanctus ſeminarium quinque vocalium non eſſe prætereũdum à poſteris, ſed inde ſignificationes alias modo quo nunc fecimus, & facturi ſunt alij ſubtilius eliciendas, voluit primũ Cantici Canticorum Mariæ verſiculum terminari ſub hoc nomine triſſyllabo dominũ, tanquam neuma proprium, o.i.v.

Diſcipulus. Mirum verò cur Canticum ſummæ lętitiæ finiuit in voce doloris & mœſtitię, qualem, v. quinta notularum deſignat. *Magiſter.* Triplex occurrit hic & nunc myſtica ratio. Primò, quatenus ex prima vocali, a. & vltima, v. redderetur quaſi diapẽte, quæ eſt quinta per facta. Altera quatenus fieret antitheton ſeu cõtrapoſitio gaudij ad mœrorem. Tertia prò laude humilitatis, quæ Cantica viæ ſolet in dolore terminare, quaſi diceret: Quomodo cantabimus Canticũ domini in terra aliena? Fit proinde grauior, ſolidior & eminẽtior ipſa ſalubris lætitia quæ tali fine ſtabiliter interrogatione humanæ miſeriæ, ſed non abſque miſericordia, quam. i. iunctam ſibi notat.

Diſcipulus. Non dilatau eris nunc hanc imaginationem, ſed te confer magis ad cauſam literalem.

Magiſter. Iſta quidem literalis eſt, quia ſecundum literas. Sed ad intentionem tuam dico quod initium ſapientiæ eſt timor domini. Si ego dominus, ait ipſe, vbi eſt timor meus? Timor vt ſcis, ad antiquam legem ſpectabat ſicut ad nouam amor. Dominus præterea plus reſpicit opus creationis & potentiæ. Vnde ab omnibus magnificandus eſſe conceditur dominus. Nomẽ verò quod eſt Deus ſalutaris meꝰ ad opus recreationis & gratiæ nemo Chriſtianus ambigit pertinere. Ideo cur debuerit ſubſequi vides. *Diſcipulus.* Niſi prius oſtendiſſes quemadmodum beata noſtra particeps iuuenculárum tympaniſtriarũ, potuit alternare repente proprias meditationes & affectus, non ita ſatisfacerent mihi reſponſiones tuæ, quia talem nequeo conſequi celeritatem. *Magiſter.* Dat cauſam qui ait: Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Noſtræ verò beatę conuerſatio iam erat in cœlis, iam quoque dotes corporis glorificati inchoabat ex abundantia virtutum, necnon domini ſpiritus ſuper animam & corpus, vt eſſet inde corpus agile ſecũdum omnes vires cognitiuas & motiuas ſubtile. Pręterea clarum nec ita paſſibile vt noſtrum quod pręuenitur à primis motibus, ſed tamen iſta minus quam nunc in patria.

Diſcipulus. Des aliquod indiciũ corporis Mariæ ſpiritũ non pręgrauantis. *Magiſter.* Præueniebat ſpiritus ſuus corporales intus motus, qui nati ſunt obſequi rationi. Non grauabat eam puerperium, nulla labes tyrannicæ rebellionis ex fomite colaphizabat eam, denique nullas in ſe commotiones illecebroſæ carnis ſenſit, ſed à reſpicientibus ſe ſedauit. Credi ſimiliter debet, ab audientibus ſereniſſimam vocem eius. Secus de aliarum vocibus quæ ad gehennam inflammant. Ideo nec prędicare permittuntur, nec cantus apud eos caret diſcrimine, pluſquam ſibilus colubri vel ſerpentis, quarum ſunt oculi vt aſpectus reguli, & tactus germina virtutum eradicans & exurens.

Diſcipulus. Sentio quos & quas tangit illud, ſecus & iſta diuerſitas à Maria. Sed vtrum caruerit tentationibus inimici?

Magiſter.

Digitized by Google

Magiſter. Non oportet, quia ſathan ſi auſus eſt tentare filium Dei, quomodo non tentaſſet matrem? quod ei ceſſit ad palmam victoriæ multiplicis & auriolæ, vt coronaretur quæ legitimè certaſſet, quia non vt Eua ſuccubuit tentatori. Dolebat præterea cum dolentibus gaudens cum gaudentibus, ſed vtrumque moderamine ſummo, vt plus de vulneribus & nexibus animarum per vitium, quam corporum per peſtem & gladium vereretur, exemplo filij plus dolentis ingratitudinem noſtræ nequitiæ, quam tormẽtum mortis propriæ ſuo modo. Quare noli dubitare, quia canticum ſuum iocundiſſimum & à iocunditate inceptum, inſtituerit Maria cum timore ſancto, cum zelo bono, cum viſceroſa compaſſione, cum ſpe & multo deſiderio, quam vrgebat charitas exclamare poſt aſcenſionem filij ſui. Filiæ Hieruſalem nunciate dilecto, quia amore langueo.

Diſcipulus. Vellem comparares beatitudinem Mariæ, qua nunc fruitur ad beatitudinem viæ, quæ licet fuiſſe probata ſingularis, nihilominus patriæ par non fuit. Cum enim prętuliſſet Ieſus Ioannem inter natos mulierum, ſubiunxit: Qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. Itaque rem mihi feceris, feſtiſque ſuis accommodam, quæ recolimus. *Magiſter.* Suſcipe nunc oculis intelligentiæ, & aures erige fidei, quemadmodum magnificauit hodie Maria dominum, videns facie ad faciem Chriſtum, qui ſibi magna fecit & inſcrutabilia, prius in terris, nunc in cœlis. *Diſcipulus.* Conſtituit ipſa ſola hierarchiam ſecũdam ſub Deo trino & vno, hierarcha primo & ſummo, apud quem hierarcham humanitas filij ſola ſui ſublimata ſedet à dextris virtutis Dei per vnitatem ſuppoſiti.

Magiſter. Suſcepit ipſam dominus recordatus miſericordiæ ſuæ, collocans ipſam ſuper omnes choros Angelorum, apud quos videtur beatus Ioannes Baptiſta primus poſt Mariam poſitus in ordine Seraphin loco Luciferi ſimul & alij pro qualitate meritorum vſque ad infimum ordinem Angelorum, ſub quo repoſitos dicunt ſaluatos ex ſolo Chriſti merito deficiente proprio, qui ſecundam hierarchiam conſtituunt.

Magnificata eſt ita hodie beata virgo & regina cœli, immo & mũdi, iure vocetur habens pręeminentiam & virtutem influxiuam ſuper omnes. Principatum habet dimidij regni Dei ſi ſic dici poteſt, ſub typo Heſter & Aſſueri. Regnum quippe Dei conſiſtit in poteſtate & miſericordia. Semel locutus eſt Deus duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi domine miſericordia. Poteſtate domino remanente, ceſſit quodammodo miſericordiæ pars Chriſti matri ſponſæque regnanti. Hinc ab Eccleſia tota regina miſericordiæ ſalutatur. Magnificat hodie dominum, quia magnificata præ omnibus diebus vitæ ſuæ. Plenum gratiæ, complementum, hodie ſecura recepit. Nulla dies ipſi feſtiuior, nulla deſiderabilior iocunditate refulſit. Fœlicius parit hodie glorioſa filium in corde, quam viatrix in corpore generat, immo iam non meminerit præſſuræ quia natus eſt homo in mundum alterum, & in ſinu patris collocatus.

O quantis hodie, ô qualibus harmoniæ modulis adducta cœleſtis melodiæ cantilena reſultat. Nulla poſt Chriſtum vox ſuauior, nulla penetrabilior & acutior, nulla liquidior exauditur. A Conſonat ei pro tenore grauiſſimè preſſo grauiſſimus & infimus peccatorum lucifer, cum ſimul vlulantibus & ſtridentibus damnatorum rugitibus. Conſonant inquam quia iuſtitiæ voces cõſentaneas molli modo cantui melodizant, ſed eis væ væ Deo autem gloria & magnificentia in ſecula ſeculorum. Exultauit ſpiritus inhians prius in Deo ſalutari ſuo, nunc impleto funditus hiatu deſiderij, requieſcit in intimo ſinu ſponſi dilecti Dei ſalutaris ſui. Prius anxia deprecabatur: Oſcu- B letur me oſculo oris ſui. Prius vbera ſponſi ſitiebat, prius trahi ſe poſt ſe poſtulabat. Hodie toto amplexu nunquam obrumpenda, toti ſponſo beata coniungitur. Inebriatur ab vbertate vberum ſponſi, & torrente voluptatis, nulla iam neceſſitate trahenda potatur. Trahat nos poſt ſe deprecamur, cuius nomen oleum effuſum, vt curramus in odore vnguentorum ſuorum. Currant in via quædam adoleſcentulæ ſcilicet virtutes & actiones portionis inferioris. Ita per metaphoram nominauerimus. Gaudent omnes per virtutes eſſe C fœcundas, fœcundet enim in fœcunditatem meritis eius vir noſter dux virginitatis noſtræ, quæ eſt ſuperior portio mentis noſtræ. Gloriabatur ſe introductam in cellaria regis quaſi ſub claue cuſtodita cui modo omnia patent ſecreta regis cœleſtis. Stillet nobis de promptuarijs paradiſi pleniſſimis refrigerans potu aduerſum æſtum vitiorum. Nulla iam ſibi nigredo vel fuſcedo, nulla per ſolis exuſtionem decoloratio, nulla iam pugna filiorum matris ſuæ contra ſe, nulla vinearum habenda cu- D ſtodia, omnia quippe parata, omnia ſecura ſunt & tranquilla. Tu beata dilectum tuum optabunda petebas: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari, id eſt, vanè agi incipiam, poſt greges ſodalium tuorum. Cernis nunc dilectum nimia claritate ſimul & feruore per intimam & meridianam viſionem vt nullus ſit amplius euagandi timor nullum diſcrimen oberrandi, poſt greges fictorum paſtorum, qui ſponſi ſe ſimulabant amicos, ſed fallebant. Non iam audies quaſi ſub ambiguitate ſermonis: Si ignoras E te ô pulcherrima mulierum quæ Deum, quæ te, quæ omnia cognoſcis, procul hinc procul egredi periculum, poſt veſtigia gregum nulli ſupererunt hœdi fœdorum affectuum paſcendi, nulla paſtorum tabernacula plura videbuntur, quoniam tibi eſt vnum ouile & vnus paſtor omni diuiſionis ſuſpicione reiecta, quando ſcandens ad æthra poteſtates aëreas debellaſti, nihil aduerſum te malignantes ſpiritus poſſe ſentientes. Admirari potius oportebat dæmones & paueſcere, quaſi quæren- F tes inter ſe: Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, quaſi aurora conſurgens quæ nobis eſt vmbra mortis, & terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Non eſt quidem incredibile Chriſtum fuiſſe, cuius currus erat decem milibus multiplex per angelos, ducens ſecum multam ex purgatorio captiuitatem, ob honorem nouæ coronationis ipſius quæ regina miſericordiæ & domina gratiæ & mater miſericordiæ, ſub cuiꝰ imperio ſunt omnia iura regnorum, vt in ſuo nomine flectatur omne genu cęleſtiũ, terreſtrium & infernorum, quãuis aliter ad filium benedictũ, qui tamen ſubditus dignatus

Digitized by Google

eſt eſſe illi. Cauſam meditor alteram, cur Maria comparatur equitatui Dei in curribus Pharaonis? Iam non propter ſe, ſed propter nos viatores, quos à diabolico Pharaonis defendit incurſu. Confugiamus ad eius opem, quoniam ſubmergit Pharaonem iſtum regem ſuper omnes filios ſuperbiæ, & hoc cum curribus & equitibus amariſſimæ pœnitentiæ lachrymoſæ: O quoties diſperſis ſuperbis mente cordis ſui depoſuit potentes affectus de ſede tyrannidis, & exultauit humiles pœnitentes, eos eſurientes implens bonis, quales inuitat dicens: Et à generationibus meis implemini.

A

B

Diſcipulus. Quo pacto Mariæ ſpiritus id quod eſt proprium Dei confeſſus eſt? Fecit inquit, potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. *Magiſter.* Cum ſponſus & ſponſa ſpiritales ſint vnus ſpiritus, cur non eadem poterit eſſe vox amborum quamuis diſpariter hæc impetrando, iſte imperando fecit potentiam. Quidni ſponſus cõmunicet ſponſæ verba ſua, quæ ſibi tribuit vbera ſua. Fatemur quod non poteſt operari creatura non innitendo primæ cauſæ potentiæ. Quare nec omnipotẽs nec creatrix vnquam, propria & primaria auctoritate dici poteſt etiam vbi poſſit tanquam inſtrumentum ad affectum creationis aſſumi, nullo præſuppoſito materiali principio cooperante Deo ad efficax ſuum velle.

C

Diſcipulus. Expedis te fallaciter de controuerſia doctorum. Si habuerit omnium potentiam anima Chriſti ſicut omnium ſcientiarum, & ſi creatio cõmunicabilis ſit creaturę. Sed quid ſibi vult hæc additio, in brachio ſuo. *Magiſter.* Vſitata eſt trãſſumptio qua per brachium ſignificatur vis operatiua ſit in Deo, ſit in Angelis, membris carentibus corporeis. Verũ altior eſt perſcrutatio vt per brachium filius Dei inſinuetur, ſicut per digitum Spiritus ſanctus, vt ibi: Si in digito Dei eijcio dæmonia. Operari quippe dicitur pater per filium, per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil.

D

Diſcipulus. Nunquid ſi Deus non eſſet trinus in perſonis relatiuè conſtitutis, ſed eſſet vnicum ſuppoſitum abſolutum ſecũdum errorem Iudæorum & philoſophorum, haberet potentiã creaturarum ad extra productiuam? *Magiſter.* Dici ſolet quod ad impoſſibile ſequitur quodlibet, cũ ergo Deus propter immenſitatem ſuam & infinitam communicabilitatem de neceſſitate fluat (vt ita dicamus) in triplicem ſubſiſtentiam perſonalem, relatiuam ad intra, alioquin non ſe perfectè communicaret, quia nimirum non cõmunicaret ſe niſi velut vmbraticè vel vmbratiliter, & quaſi punctualiter in creaturis, prima cõmunicatione non poſita, cuius veſtigium reperitur de neceſſitate in quolibet opere diuino, vbi relucet potentia patris, ſapientia filij, amor Spiritus ſancti. Nihilominus magis ad intentionem quærentis puto reſpondẽdum, quod cum potentia Dei prout ad extra reſpicit, & operando ſe extendit, eſt eadẽ in qualibet perſonarum & ſecundum iſtam opera Trinitatis ſunt omnino indiuiſa, videtur ex ſuppoſitione quamuis impoſſibili ſequi potius ex illationis cõſideratione, quod Dei potentię competeret creaturarum productio ſicut modo in quibus relucet ſimul potentia, ſapientia & bonitas creatoris. *Diſcipulus.* Videtur probabilis illatio. Sed cur dictura virgo beata, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, præmiſit. Fecit potentiam in brachio ſuo, tanquam diſpergere ſuperbos, eſſet omnipotentiæ Dei proprium.

E

F

Magiſter. Credo legerat apud Iob dominum dicentem: Diſperge ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantem humilia. Sequitur: & ego confitebor quod ſaluare te poſſit dextera tua, quaſi ſignificaret hoc eſſe proprium ſolius Dei.

Diſcipulus. Cur Maria non contenta dicere, diſperſit ſuperbos, addit, mente cordis ſui? *Magiſter.* Sunt qui referunt hanc additionem non ad ſuperbos, ſed ad diſperſit, vt mens cordis ſit ipſe Deus diſpergens, connotando morem humanum, qui mente recogitat ex affectu cordis, dum hoſtes perdere & eos deponendo à ſede peſtilentię, humiles vult exaltare depreſſos. Dat enim frequenter ſcriptura cor Deo, vt ille: Tactus dolore cordis intrinſecus. Et alibi de Dauid: Inueni virum ſecundum cor meum. Et filius dicitur de corde patris genitus, cum patri mens ſeu memoria fœcunda tribuitur, ab exponentibus myſterium ſublimiſſimæ Trinitatis. Sunt aliqui reſpondentes Mariam voluiſſe vehementem exprimere ſuperbiam & intrinſecus radicatam, dicendo iſtos non qualicumque modo nec leuiter ſuperbos, ſed mente cordis ſui, qualis eſt dæmonum ſuperbia qualis fuit hominum diuinitatis honorẽ vſurpare quærentium. Aut certè ſuperbi dicuntur habere cor nedum diſperſum, ſed mentem cordis, dum mens ipſa quodammodo ſubleuata eſt à corde, nec eadem vti fas eſt eis vt in habentibus abſorptum vel ablatum iudicium, propterea deterius quam beſtiæ vel pecora preſſilatent. Lege ſi non taliter diſperſos dat intelligere Nabuchodonoſor, cui cor feræ datum eſt, humano corde mutato. Quo contra dum cor humilium benè contritum eſt, aut puluerizatum in mortariolo pœnitentiæ, ſeu ſub duplici mola timoris & ſpei, redditur ſibi cor plus quam humanum, & fit vas in honorem capax Dei ſeu gratia plenum. Superbi fiunt tanquam columba ſeducta, non habens cor, dicentes ex ſententia: Eſt cor meũ dereliquit me. Et illud: Cor meum conturbatum eſt in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorũ meorum & ipſum nõ eſt mecum. Quo contra pollicetur humilis Chriſtus ſuperbiæ victori, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego ſedi in throno patris mei. Quid oro celſius, quid amplius exaltatũ? *Diſcipulus.* Sentio hanc materiam vberrimam, aperuiſti ad loquendum de diſperſione cordis, quam aſſiduis fluctuationibus vt in mari feruenti compellimur experiri. Sed hanc diſperſionem Iſrael myſtici quis cõgregabit quis vniet, quis ſedabit? *Magiſter.* Dedit hoc intelligi palam beata Maria cantatrix noſtra, nam ſuperbiam mente cordis ſui diſperſit, ſi talium opulentia ſit inanis & vacua: quæ ſine pondere virtutis raptatur per inania, nec gratia cor ſuum ſtabiliter, conſequens vt humilitas innitens Deo fixa ſedeat, & vt in iuſtitiam eſurientes iuſtitiæ fructibus ſit ſituata & repleta, iam non ad inſtar arundinis vento quolibet vanitatis agitanda.

Diſcipulus. Conſequens eſt fateor. *Magiſter.* Talem denique ſuſcipit, id eſt ſurſum ad ſe capit tanquam puerum, qui verè Iſraelita eſt, in quo dolus nõ eſt dominus recordatus miſericordiæ ſuæ. Beatus ergo vir cui nõ imputauit dominus peccatum,

nec eſt

Digitized by Google

hec eſt in ſpiritu eius dolus, humilem enim ſpiritũ ſuſcipiet gloria. Nec exemplũ nobis longè quærendum eſt. Ecce ancilla Domini, cuius Dominus humilitatem reſpexit quam ideo beatam dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, cuius nomen ſanctum, cuius miſericordia in generatione & generationes timentibus eum, qui vt timerent & præuenit & dedit. Hodie ſibi Mariam de ſeculo nequam eripuit, & extulit ad dexteram ſuam. Ita verificatam conſpicimus pſalmiſtæ gloriationem. Quia inquit, inflammatum eſt cor meum. Quo inflammatum? ſi non igne quem miſit filius ſuus in terram, & voluit vehementer accendi. Et renes mei commutati ſunt, mirabili prorſus commutatione, vt abſque viri copula funderet operatione Spiritus ſancti prolem benedictam. Et ego ad nihilum redactus ſum, ſcilicet propria reputatione, & neſciui. Quare? Quia anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab qui ſpontaneus interpretatur. *Diſcipulus.* Quæ ſunt hæ quadrigæ? *Magiſter.* Sunt vel nunciationes Angelicæ, vel raptus anagogici, hoc eſt ſurſum ductiui in diuinam caliginem vel pennæ columbæ deargentatæ. Quibus ſæpè aſſumptis diluculo habitauit in extremis maris ad atria gloriæ cœleſtis, etiam dum viueret. Beatus igitur Mariæ ſpiritus quem elegiſti Chriſte & aſſumpſiſti. Sequitur: vt iumentum factus ſum apud te. Deus enim ſeſſor eſt animæ ſanctæ, ſecundum Auguſtinum. Et ego ſemper tecũ, quia Deus ſingulariter fuit ſecum. Tenuiſti manum dexteram meam quæ ſpiritualibus adaptatur, vt in voluntate tua deduxiſti me, non temeritate elata præcipitaſti me. Quid tandem? Ecce conſummatio, & dum gloria ſuſcepiſti, id eſt, ſurſum ad te ſumpſiſti. Scio iam quid mihi ſit in cœlo, ſcio quid à te volui ſuper terram. Nunc omnino defecit à ſe cor meum & caro mea, dum abſorptum eſt omne quod mortale erat in victoria. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Propter quod magnificat anima mea Dominum. Et nos magnificemus Deum, cuius illuſtratione ſpiritus intelligamus, quæ ſuperſunt de cantico dũ interim, pauſabimus.

TRACTATVS QVINTVS PER DIDRAGHMA SEV DIALOGVM.

Quoniam fecit Dominus Maria magna qui potens eſt. Vbi prima partitio, ſi Maria paſſibiliter mouebatur?

Prima notula.

QVIA *fecit mihi magna qui potens eſt.* *Diſcipulus.* Magna planè & inſcrutabilia quæ fecit Mariæ Dominus. Cupimus nihilominus ſcrutari, ſi magnificans anima Mariæ Dominum, paſſionaliter mouebatur ad eum? Fuit enim abſque vlla dubitatione ſapientiſſima atque virtuoſiſſima. Paſſiones verò non cadunt in ſapientem ſecundum Stoicos quorum in hoc doctrinam multi Chriſtiani præſertim anagogici, anachoretæ ſecuti ſunt, dicentes virtuoſum ſi perfectus eſt, ad nihil paſſionabiliter affici, immò conſequitur impaſſionabilitatẽ circa res corporeas, tam in concupiſcibili quam in

iraſcibili; & ad hunc finem ſuas dirigebant intentiones. A Et hoc ipſum collationes patrum, & Climacus & Bernardus in ſcala triginta graduũ manifeſtant. Sed in contrarium eſt textus Euangelij narrans ipſam doluiſſe. De quo dolore prophetauit Simeon: Et tuam inquit, ipſius animam pertranſibit gladius, quod in paſſione filij ſe præſente & dolente ſecundum doctores effectum eſt.

Magiſter. Ampliſſimos ſinus habet quæſtio tua quæ de paſſionibus eſt ſuper quibus habes opuſcula ſpecialiter edita, conformiter ad philoſophos B & Catholicos doctores. Quid igitur vis moleſtus eſſe vel ſuperfluus in quærendo? *Diſcipulus.* Moneor ad tollendum ſcrupulos, immò laqueos magnos, qui proueniunt conſcientijs timoratis ex lectura talium doctrinarum, quæ tepidos & vitioſos nominant omnes monachos, niſi vicerint & eradicauerint funditus huiuſmodi paſſiones, aut ſaltem toto ſtudio conentur ipſas euellere, quod aſſequi plures reputant impoſſibile eſt fruſtra niti, cum audiunt apoſtolum conſcium arcanorũ Dei proteſtando gemere: Sentio aliam legem in mẽ C bris meis, in quibus ſcilicet eſt anima, repugnantem legi mentis meæ. Et iterum: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Conſonat cum experientia vox communis doctorum, quod primi motus non ſunt in noſtra poteſtate dicente Auguſtino. Non eſt in poteſtate noſtra, quibus viſis tangamur. Eſt autem conquiſitio ſpecialis de pulcherrima & ſpecioſiſſima mulierum Maria, ſi motus ſuos omnes habuerit in ſua poteſtate & quouſque. Vtrum videlicet D non potuerit non dolere viſa morte filij? Et ita de reliquis paſſionibus quæreretur per apprehenſionem obiectorum variorum ſub conuenientis & diſconuenientis ratione, cum dixerit Chriſtus: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, qui tamen fuit incomparabiliter virtuoſus. *Magiſter.* Altior eſt inquiſitio tua quam æſtimetur à pluribꝰ qui de paſſionibus & peccatis & motibus primis loquuntur aſſiduè, poſſet initium perſcrutationis accipi à pluribus, qui de paſſionibus loquuntur & motibus primis & peccatis. Nihilominus vna E placet ad præſens quaſi narratiua triplicis proceſſus qui fit in hominibus proportionabiliter ad triplices hierarchias angelorum & ſecundum tres gradus hominum animalium rationabilium & ſpiritualium. Accipe in primis puerulum vtentem ſolo ſenſu, & non ratione, nec ſpiritu. Accipiamus alterum vtentem ſenſu & ratione, ſed non ſpiritu, vel mente. Accipiamus tertium vtentem ſenſu, ratione & ſpiritu. *Diſcipulus.* Sub primo & tertio gradu vidimus & legimus homines exi- F ſtere, ſed de ſecundo nõ ita fit perſpicuum, quod aliquis poſſit vti ſenſu & ratione ſine ſpiritu, cum ſpiritus ſit eadem res cum ratione. *Magiſter.* Nõne ſimiliter in quolibet homine ſenſualis anima & ratio ſunt eadem res prorſus anima ſecundum cõmuniorem Eccleſiæ doctrinam, & tamen reperitur in vno homine vſus animæ ſenſualis, vt in pueris, in quibus nullus eſt vſus rationis. Ita nihil videtur incongruum ſi dicatur quod aliquis vtatur ratione, qui pro tunc non vtitur ſpiritu vel mente, quia diuerſas habent facies ſpiritus & ratio. Spiritus autem ſola diuina & æterna. Ratio ad temporalia reſpicit & creata. *Diſcipulus.* Nolo

Digitized by Google

contendere de poſſibilitate rei, quia ſcio poſſe per intelligentiam ſic accipi tanquam iſta, ſenſus, ratio & ſpiritus eſſent reali, immò locali diſtinctione diuiſa. Perge quò tendimus ad euidentiã propoſitæ quæſtionis. *Magiſter.* Conſideremus in puero tria per ordinem in potẽtijs ſenſitiuis, quia de ſolis vitalibus & vegetatiuis nihil ad præſens pluſquam de plantis, in quibus non ſolemus ponere paſſiones, niſi fortè per tranſſumptionem ad animata, dicimus enim pratum ridet, lætantur ſegetes, horret hyemem terra, fugiunt ſe contraria, deſiderant ſe & vniuntur ſimilia. *Diſcipulus.* Sequamur vſum proprium loquendo de paſſionibus, quas dicimus eſſe in ſenſu.

Vnde paſſio deſcribitur quod eſt apprehenſio ſenſuale conuenientis vel diſconuenientis, præſentis vel abſentis. *Magiſter.* Supponamus hic & nunc deſcriptionem hanc paſſionis quaſi cauſalem cum declaratione vel ſuppletione, & dicamus quod in anima ſenſitiua pueri quale intelligi poteſt anima Mariæ, dũ cecinit: Magnificat anima mea Dominum, inuenimus & apprehenſionem & motionem & executionem, & hæc vel in potentia vel in habitu vel in actu. Sed loquamur de actu & exemplificemus in viſu. Puer itaque dũ mater oſtendit vbera, apprehendit per viſum & ſenſum communem & phãtaſiam. Deinde ſi eſurit, ſequitur ad hanc apprehẽſionem motio quædam deſiderij nedum naturalis, ſed ſenſualis & animalis, & ſi non eget cibo, ſequitur aliquando motio faſtidij cuiuſdam. Tandem tertiò ſi nõ fuerit impedimentum, conſequitur executio mouẽdi membra, ad ſugendum vbera vel ab eis diuertẽdo. *Diſcipulus.* Quotidie videmus hæc tria tam in pueris quam in animalibus brutis. Sed quòd iſtorum trium nominatur formaliter & propriè paſſio? *Magiſter.* Certè medium ſcilicet motio interior conſequens naturaliter apprehenſionem.

Diſcipulus. Non eſt igitur paſſio formaliter apprehenſio. *Magiſter.* Hoc vtique verum eſt, ſed cauſaliter, quia paſſio formalis cauſatur ab apprehenſione, ſicut & paſſio riſus exterior ponitur pro effectu paſſionis, dicendo, puer ridet. Ita ſumitur aliquando nomen paſſionum à cauſa formali, vel etiam exemplari extrinſeca, vel à materiali ſiue obiectali, vel à ſigno. Nihilominus paſſionis deſcriptio formalis eſt per motionem conſurgentem ex apprehenſione cõuenientis vel diſcõuenientis, præſentis vel abſentis. Quod abſens apprehenditur tanquam præſens ſi non re, tamen intentione vel ſpecie. Sed vtrum apprehenſio conuenientis cum conueniente ſit ipſam & motio, licet ſub alia ratione reducitur ad probleuma, de quo nihil de præſens.

Sufficit hic ſupponere quod paſſio dicitur motio talis quam fecit apprehendens obiectum ſuũ ſub ratione conuenientis vel diſcõuenientis, executio ſequẽs in opus dicitur effectus eius. Ex quibus patet confeſtim intellectus præinductorum verborum Auguſtini dicentis quod nõ eſt in poteſtate noſtra quibus viſis tangamur. Accipitur itaque viſio pro apprehenſione, & tactus pro iſta conſequenti motione, de qua dicunt doctores, ꝙ primi motus non ſint in poteſtate noſtra. *Diſcip.* Nulla dubitatio ſit quin ad pueros vel alios homines impotẽtes vti ratione, vera ſit iſta regula quod primi motus non ſint in poteſtate noſtra pluſquã A in beſtijs, quamquam ſit valde difficile in hominibus reddere cauſam, cũ habeant rationem iũctam eis, quid ſit illud quod impedit vſum rationis.

Magiſter. Multa præterimus quæ quęrenda ſũt alibi, quatenus ad rem ſub compendio veniamus, quam rem nemo tam planè concipiat qui non (ſicut in geometricis) priora cognouerit. Sed quæ tradita ſunt alibi ſufficiẽter, quid ea neceſſe eſt aſſiduè repetere? *Diſcipulus.* Præſupponamus illa ſicut de origine, numero & diuiſione paſſionũ, de B cauſis inſuper & effectibus earũ, tu verò non obmiſeris peruenire quò tẽdimus. *Magiſter.* Noſtrũ itaque proſequamur exemplum de anima paruuli quærẽtis. Primò ſi præſentato obiecto viſui ſuo poteſt nõ apprehendere. Secundò ſi facta apprehenſione poteſt nõ moueri. Tertiò ſi facta motione quam dicimus paſſionem poteſt in executionẽ non progredi. *Diſcipulus*: Reſpondet experientia quæſitis iſtis tribus negatiuè. *Magiſter.* Non oritur profectò difficilis quæſtio de Maria, ponamus eam coram oculis noſtræ conſiderationis in C lumine fidei quaſi paruulam, ſicut aliquãdo paruula verè fuit & infans. Quæramus ſi nunc poterat vti ratione, vt interim ſileamus de ſtatu quo latebat in vtero matris. *Diſcipulus.* Quorſum precor euadet hæc quæſtio tua. *Magiſter.* Nos viderimus. Quod vt apertius fiat conſtituamus apud paruulum quem prædiximus vnum pædagogum peruigilem, qui poteſtatem habeat talem ſuper eũ vt abſque iuſſu ſuo primo nihil videat. Secundò ſi viderit aliquid non ad id moueatur. Tertiò ſi D viderit & moueatur, non tamen exequatur, immò ſi cœperit exequi, poſſit tamen ne continuet impediri. *Diſcipulus.* Cum non ſit impoſſibile apud Deum omne verbum, concedo tale aliquod tanquam poſſibile. *Magiſter.* Nunquid non præſuppoſito caſu tali, poterit pædagogus inculpari, ſi permiſerit paruulũ videre aliquid, vel ad viſa moueri, vel proſequi ſine iuſſu ſuo cõtra voluntatem & ordinationem, primi patris ſubdentem filium ſub pædagogo tali. *Diſcipulus.* Poterit iuſtè, ſed quid elicere vis non video. *Magiſter.* Hæc eſt E parabola iſtius quam inquirimus veritatis. Si conſideremus itaque primã hominis inſtitutionem in Adam & Eua priuſquam peccarẽt, occurrit nobis ſenſualitas vtriuſq;, quæ ſi nõ habuiſſet coniunctã rationem, ſimilis fuiſſet cæteris animantibus irrationabilibus, quæ mouẽtur ſuper terram. At verò data fuit ratio libera regens eam inſtar pædagogi iuxta quatuor præmiſſa quantum ad apprehẽſionem, ad motionem, ad executionẽ, ad continuationem, ſed homo cum in honore eſſet non F intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimile factus eſt illis vt iam ſenſualitas inobediẽs ſit, datæ ſibi rationis præueniens iudicium, in videndo, in mouendo, in exequendo, in continuando, ſæpè velit nolit ratio. *Diſci.* Experimur heu nimis quotidie hãc comparationem in nobis. *Magiſter.* Putas ne ſit abſque rationis culpa præuentio talis. *Diſcipulus.* Non arbitror præuentionẽ huiuſmodi rebellionis proceſſiſſe ſine culpa præuaricationis. *Magiſter.* Culpa iſta eſt quã appellamus originale peccatũ, quod in primis parentibus fuit actuale & primũ, quo factum eſt in eis & omnibus poſteris iuſta peruerſio talis, vt ratio quæ noluit eſſe ſubdita di-

ta di-

Digitized by Google

ta diuino præcepto, ſentiret ſenſualitatem iure ſi-
bi primo ſubditam nunc rebellem ei, vt non quæ- A
cunque ratio velit vel ſpiritus, illa faciet, ſed re-
murmuret contumax & rebellet. *Diſcipulus.* No-
lo multa in hac re quæ ſunt dubitabilia quærere,
quia ſunt abundè ſatis tractata per doctores. Vt
qua ratione puniuntur filij pro peccato parẽtum,
aut cur peccato deleto remanet rebellio? ſicut in
baptizatis & ſanctificatis, immò & in Chriſto, li-
cet ſpontaneè, dixit enim: Spiritus quidem prom-
ptus eſt, caro autem infirma. Alioquin non fuiſſet
triſtis anima eius vſque ad mortem, ſi penitus cõ-
ſenſiſſet rationi, non pluſquam in Adam luctus B
fuiſſet aut dolor, innocẽtia permanente. Sed ad-
huc remanet de beatiſſima virgine dubitatio ſpe-
cialis, quam præſupponimus nullo vnquam fuiſ-
ſe peccato fœdatam, nec veniali, nec originali, nec
actuali, cur dominatæ ſunt ei multæ paſſiones do-
loris & languoris. Non enim poteſt reſponderi
quod huiuſmodi paſſiones diſpenſatiua volunta-
te ſicut Chriſtus aſſumpſerit, nec ſolis fuit ſubie-
cta paſſionibus in vi duplici, ſcilicet concupiſci-
bili & iraſcibili, quin etiam habuit ignorantiam C
in rationali, dum putauit filium perditum, & dum
loqueretur inuentus, non intellexit quid diceret:
In his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe.

Tamen his iterum pertranſitis quæ reperiuntur
vtcunque tractata, remanet propoſito noſtro cõ-
finis dubitatio. Si Maria ab inſtanti conceptionis
ſuæ habuit perfectum vſum rationis ſuper ſenſua-
litatem, vt nihil apprehenderet, nec in apprehen-
ſis moueretur ſine iudicio rationis eiuſdem. Alio-
quin non fuiſſet in ea ſtatus naturæ integræ primi-
tus inſtitutæ, quo fiebat vt nihil apprehenderet D
vel appeteret, nihil exequeretur ſenſualitas niſi
præuia iudicio rationis, & ita fuiſſet Maria non ſi-
ne peccato ſaltem veniali, quale habent pueri cæ-
teri etiam vnius diei, quia præuenit in quolibet ta-
li motus ſenſualis, qui impedit iudicium rationis.
Magiſter. Vrges vehementer, nedum in iſto quod
opponis, ſed in ſimilibus multis, vt de paruulis ſi
ſtetiſſet Adã remaneret pars dubitatio. Non enim
videtur quod ſtatim nati cum iuſtitia originali vel
in vtero poſiti, viguiſſent iudicio rationis ſicut in E
ætate perfecti, neque cum dormiebant. Denique
non apparet quod Eua potuerit liberè non audi-
re ſerpentem exterius ſuadentem, nec ita ſemper
auertere viſum, quin aſpiceret obiecta viſibilia,
& in aſpectis moueretur, vt videret lignum quod
pulchrum erat viſu & ad veſcendum ſuaue.

Diſcipulus. Si primus ſtatus permanſiſſet, non
oportet dicere pueros fuiſſe natos ætate perfe-
ctos, nec tamen ſenſualitas rebellaſſet in eis iudi-
cio rationis, quo caruiſſet ætas iſta, non enim fo- F
mitem captiuantem in legem peccati ſenſiſſent vt
paruuli noſtri. Saluaretur ita de noſtra virgine
Maria in infantia, quia vel omnino fomite caruit,
vel vſus & ſtimulus ita ligatus fuit, vt nihil aduer-
ſus rationem præualeret. *Magiſter.* Scio talia poſ-
ſe dici, ſed an ſatisfaciant exemplo propoſito, nõ
eſt omnino perſpicuum. Amplioris fuiſſet priui-
legij, ſi Mariæ anima ſimul vt creata eſt infuſaque
corpori præparato, perfectè gauiſa fuiſſet vſu ra-
tionis, non dicimus cum gratia. Sic enim aliqui
non penitus improbabiliter poſuerunt vſum ra-
tionis acceleratum in Ioanne, dum exultaret in
vtero; & dum circuncisionis tempore mirabantur inſpicientes. Quis putas inquiunt, puer iſte erit? Etenim manus Domini (potentia ſcilicet miraculorum operatrix) erat cum iſto. *Diſcipulus.* Dixiſti de primo gradu hominum, qui vt ſic conſiderati ſine vſu rationis comparantur iumentis inſipientibus, immò iam ex infectione peccati, deteriores iumentis conditionis, niſi gratia ſaluet & iuuet. Dic nunc de gradu ſecundo quo puer habet vſum nedum animæ vt ſenſualis eſt, ſed vt rationalis. *Magiſter.* Præaſſumpta ſimilitudo de pædagogo, dat intelligi ſtatum illum, & magis hoc manifeſtatur in tertio, quando ſimile additur libertas ſpiritus. Dant doctores per allegoriã triplicis huius gradus notitiam in tentatione prima. Vbi fuit ſerpens quaſi ſenſualitas inſtigans, rationémque præueniens, fuit Eua quaſi iam habens rationem, ſed viro minorem, fuit Adam perfectus in mente & ſpiritu, cuius erat dirigere mulierem. *Diſcipulus.* Sentio materiam hanc intenſibilem in longius. Dic modò modum quo tentamur in tentationibus, nunc ab infirma parte animæ vſque ad ſupremam, nunc ordine conuerſo vel vtrobique per nouem gradus, quoniã anima apprehendit, mouetur & exequitur. Deinde ratio ſic apprehendit, mouetur & exequitur. Demum ſic in ſpiritu fit apprehenſio motio & executio.

Vertamus ordinem à ſummo deorſum, apparebunt duo proceſſus tanquam in angelicis ordinibus. *Magiſter.* Conſideratè notaſti proceſſum quem ad alios terminos poſuimus ſub eadem ſententia deducere. In adimpletione ſi quidem diuinorum præceptorum quæ via ſunt ad vitam, cõtingit quadruplex habitudo. Prima eſt apprehẽſio per ſpiritum fidei inſpirantem formatum, qui ſpiritus primo iudicat præcepta eſſe adimplenda, quia iuſta à Deo. Secundò mouetur per valitudinem & charitatem vt impleat iſta. Tertiò percipit rationi & animæ ſenſuali, quatenus exequantur iſta. Sunt in ratione faciliter ſubinde tria illa, velle, conſentire, præcipere. Sed anima ſenſualis, & ſi conſentiat, velit & exequatur, conſentiendo, volendo & exequendo hoc tamen eſt frequẽter cum remurmuratione quadam & reniſu, propter annexas paſſiones diſtrahentes animum ne cum delectetur ſpiritui & rationi, & hoc tamen dum agitur ſufficit ad ſalutẽ. Sunt enim priora, noſtræ ſuppoſita voluntati, vltimum hoc nequaquam quod eſt condelectatio ſenſualis in via mandatorum. Hinc iugum Dei ſuaue, hinc onus Dei leue fit ei moleſtum & graue. *Diſcipulus.* Experiri cogimur aſſiduè rixam iſtam dum paſſionabiliter afficimur ad varia, dum iudicium rationis, dum liberum mentis arbitrium, cõformans ſe legi Dei, lex membrorum tyrannica conatur auertere, cuius querimoniæ plenas Paulus reliquit epiſtolas.

Sed dic interim, quid in hac parte anima Mariæ fecerit aut ſenſerit, quid inſuper ab alijs faciendũ cenſueris? *Magiſter.* Accipe conſiderationes duodecim. Anima Mariæ nunc eſt glorioſè magnificata, vt nihil apprehendat, nihil affectet, nihil exequatur, contra vel præter iudicium rationis & ſpiritus, ſed neque poteſt lege ſtante. Hæc itaque lex beatitudinis æternæ, vt ſicut Deus eſt omnia in omnibus, ita ſtat in beatis anima coniuncta libertati ſpiritus, qui adhæret Deo exiſtens vnus eſt

Digitized by Google

eo ſpiritus. Extenditur hæc libertas ſpiritus, nedum ad rationem inferiorem, nedum ad animam A ſenſualem reſumpto corpore, ſed ad omnem generaliter in homine beatificato motionem.

Saluantur perinde multa quæ debeatis, tam hominibus quam angelis quæri ſolent. Quomodo loquuntur, qualiter illuminantur & illuminant, quando volunt & quando nolunt. Datur inſuper intellectus ſubtilior de primi ſtatus impaſſibilitate, nō qua nō potuit pati, ſed potuit à paſſione ſaluari, à Dei potentia & angelorum cuſtodia, à propria iuſtitia & clariſſima induſtria, denique à B loci conuenientia, cum dānatione ſuper ſe perfecta, & ſuper irrationalia vniuerſa. Anima Mariæ dum viatrix erat, ita fuit magnificata vt in nullo moueretur contra iudiciū rationis & ſpiritus. Sed neque poterat poſt filij conceptionem lege ſtante. Cōſequitur hæc veritas ex dictis doctorū, ponentium ipſam nullatenus venialiter deliquiſſe, quod ſaluari nō poſſet ſi nō habuiſſet omnes motus, nedum ſpiritus & rationis, ſed animę ſenſualis ſubditos rationi, vel nō contrarios neque præuenientes rationem. C Dum autem ratio ſopita erat, & in ſuo impedita iudicio ſine culpa ſua, prout euenit in ſomno, non oportet tales motus præueniſſe iudicium rationis quod pro tunc nullum erat. Facit exemplum propoſitum de pædagogo, ſi ſine culpa fuerit abſēs vel incluſus, vt paruulo conſulere non valeat. Sic ſoluitur quod Adam vel Maria ſomniando non errauit.

Anima Mariæ dum viatrix erat potuit apprehendere tentationes forinſecus immiſſas ſicut anima Chriſti, ſed nullo modo fuiſſet mota paſſionabiliter per eas abſque iudicio rationis. D Poterat ſanè protinus eas dijudicare atque repellere, poterit non moueri ſecundum eas ad libidinē, vel ad iram, vel ad ſuperbiam, ipſis etiam in apprehenſione durantibus, quod valde ſecus in nobis eſt, non potentibus ad apprehenſionem huiuſmodi non moueri, nō tamen hoc ſemper fit cum demerito noſtro, ſed ſi perſtiterimus abſque conſenſu rationis & ſpiritus, redundabit in meritum, quandoque repugnando viriliter vt diffugiat quādoque non repugnando, ſed fugiendo, vt ibi. E Fugite à diabolo, & fugiet à vobis, quandoque non curando, ſed irridendo potius & vilipendendo diabolicas immiſſiones, quales ſunt blaſphemiæ abominabiles & horrendæ, immiſſas quandoque puriſſimis atque ſanctiſſimis, quas magis oportet irridere quam horrere. Elicitur ex his quemadmodum victoria caſtitatis & humilitatis in Maria, non fuit abſque pugna ad qualem iugiter attingere nos monent Petrus & Paulus. Quoniam aduerſarius veſter diabolus circumit quærens quē F deuoret. Nec ignorare conuenit aſtutias eius, cui mille mille nocendi artes, ſed confidamus quod plures nobiſcum ſunt, ſi toto corde ſuis innitamur auxilijs.

Anima Mariæ dum viatrix erat, cogebatur neceſſitate naturali multa pati contra naturalem inclinationem ſuam, ſed non contra rationem vel ſpiritum. Fuit iſte ſtatus Mariæ ſingularis inferior quam ſtatus beatorum & Chriſti dum mortalis erat. Fuit ſuperior ad alterum cuiuſlibet hominis viatoris ſtatum, quamuis homines poſſent iuxta conſiderationem præcedentem vti paſſionibꝰ illatis ab extrinſeco virtuoſè negotiari cum Deo, tolerando eas tāquam iuſto iudicio miſſas vel per miſſas ab eo, vt in Iob & in Paulo, & in omnibus generaliter martyribus. Euenit autem vt qui ſunt his paſſionibus inquietiores & minus in anima ſereni ſint in operibus mandatorum implendis fortiores, qui perſtant vbi delicatus noſter contemplatiuus deficeret. Impaſſibilitas animæ per humanam induſtriam non poteſt acquiri, neque per virtutes conſuetudinales à philoſophis poſitas. Lex itaque carnis quæ fomes dicitur ſemper introrſus hæret ſecundum theologos, quæ lex compeſci paulominus poteſt aſſuefactione contraria non euelli. Satagentes in oppoſitum præſumptione ſpiritus ſui proſtrati ſunt potius quam deuenerunt ad intentum finem, ſiue fuerunt Stoici, phyſici vel Platonici, vel quod melius Epicurei, promittentes ad hanc deducere ſerenitatis voluptatem, detrahentes cupiditatibus ſeu paſſionibus non illis adijciendo malitiam vel fomentum. Impaſſibilitas animæ tanto proximius habetur cæteris paribus, quanto ſpiritus & ratio fuerint in ſuis actibus bonis & habitibus fortiores. Deducitur hoc ex eadem cauſa, quæ ponitur impaſſibilitas beatorū in reſumptis corporibus quæ conſurgit principaliter ex plenitudine dominationis ſpiritus & rationis ſupra corpus. Impaſſibilitas animæ nō requiritur in hac vita pro proſecutione felicitatis æternæ: Manifeſtat hæc gratia Dei tanquam iugum ſuaue & onus leue, quæ ſubito peſſimos & inueteratos dierum malorum iuſtificat, & per baptiſmum & martyrium prouehit ad cœlos. Hanc non intellexerunt gratiam & purificationem ſpiritus homines illi ſine Chriſto, ſicut nec haberi poteſt ſine Chriſto, qui eam cui vult & quàm cito vult communicat. Patuit in illo latrone benedicto comite ſuo in paſſione & regno.

Impaſſibilitas nec in via poteſt haberi neque in patria ſine ſtabilimento gratiæ. Iuxta illud: Bonum eſt gratia ſtabiliri cor. Confunditur in hoc iuxta quod prætactum eſt philoſophantium nonnullorum vanitas præſumentium per theletas ſeu purgationes aliquas ſacrilegas, ſic à paſſionibus abſolui, & virtutibus armari moralibus, quod in exitu mortis anima libera ſcanderet cœlum. Qualia dixerunt Porphyrius, Plotinus & Appolonius teſte Auguſtino 10. de Ciuitate Dei. Ponit & aliud ſimile Albertus in fine de intellectu & intelligibili. Paſſibilitas animæ fit ſæpè occaſio virtutis exercendæ, ſicut patuit in Apoſtolo Paulo. Declaratur inſuper ex vtilitatibus, per tentationes varias prouenientibus quas eſſe cum paſſionibus nemo neſcit. Vnde qui non eſt tentatus, quid ſcit? Et per multas tentationes oportet nos intrare in regnum Dei. Quocirca concluditur ex præmiſſis atque ſubſequentibus doctrina ſaluberrima quod non ex ablatione paſſionum animæ, ſed ex obſeruatione mandatorum Dei debet ſumi religioſi profectus argumentum. Hoc etiam in miſſarum celebratione locum habet, vt celebraturus non tantumdem interroget, ſi ſibi deuotus appareat recollectus & tranquillus, quantum ſi præcepta ſeruauerit Dei, & ſeruare proponit nō iuxta propriam æſtimationem, ſed regulam Euāgelicam à ſanctis patribus declaratam. Si quid in ſentimentis ſuauibus ei additum fuerit, lucro depu-

Digitized by Google

deputemus, ſicut vltra panem deputamus vinum quaſi pitantiam vel ſaporis condimentum.

Paſſibilitas animæ neceſſariò coniungitur præſenti vitæ mortali, nec aliquando minus in contemplatiua quam in actiua tam exterius quam interius, tam in bonis quam in malis, licet diuerſis finibus & meritis. Probant hæc exempla beatorū præcedentium cum experientia præſentium. Diſpenſat & hæc Deus frequenter vt non apponat ſe homo magnificare ſuper terram. Si deuotis permittitur aliquando talis apparens deuotio in laqueum, in retributiones & in ſcandalum. Væ vę nobis ab hoc ſcandalo. Quid hic nobis erit tutum, cum nec tuta ſit ipſa deuotio?

Paſſibilitas debet à multis viatoribus tolerari potius quam vt excutiatur eniti. Diuiſiones itaque gratiarum ſunt ſimiliter & adminiſtrationes, in quarum aliquibus expedit paſſiones animæ cū virtute & ratione miſceri, vt in bellantibus pro republica quoad iraſcibilem, & quoad concupiſcibilem in vxoratis filiorum procreationi vacare debentibus. Et ita de multis quæ vitam actiuam reſpiciunt. In quibus maius eſt virtutis meritum quam venialium paſſionum detrimentum. Paſſibilitas animæ obſtare ſolet plurimum quærentibus contemplationem & ſuauitatem quietis internæ. Conſonat omnis doctrina ſanctorum quod regulariter ad contemplationis quietam nemo peruenit, niſi paſſionibus edomitis in anima, & ſi non radicitus euulſis. Et hoc quomodo fiet conuenientius, an in ſolitudine an in multitudine ſpecialis eſt conſideratio. Sed non omnes capiūt cōtemplationis donum in ſe, pro complectione vel ſtatu conditione vel officio.

Diſcipulus. Gratus mihi eſt ternarius iſte quaternarum conſiderationum. Et quamuis vt infers nouiſſimè non omnium ſit perfectam quærere paſſionum mortificationem, ſicut nec altitudinem contemplatio nihilominus audire cupio de fructibus mortificationis huiuſmodi quatenus iſtos concupiſcere, & ſi non obtinere fas mihi ſit. *Magiſter.* Aſſignabo duodecim vtilitates ex cantico Mariæ ſumptas, non eas proſequendo ſed punctuatim annotando paucula, quæ latius alibi legere, & ſi Deus ſenſum aperuerit viuacius experiendo poteris intelligere. *Diſcipulus.* Vt placet. *Magiſter.* Conſequitur ad edomationem paſſionum in anima iuxta decurſum cantici canticorum Mariæ. Primò altior, latior, ſublimior & alacrior Domini magnificatio. Conſequitur ſecundò iocundior in Deo ſalutari noſtro ſpiritus exultatio. Conſequitur tertiò profundior quam reſpicere dignabitur hominis humiliatio.

Conſequitur quartò profundior ad beatitudinem approximatio in ædificationem aliorū dantium laudem Deo. Conſequitur quintò diuini nominis in ſe apud alios ſanctificatio. Conſequitur ſextò copioſior Dei per generationis & generationes ſe timentes miſericordia ſeu miſeratio.

Conſequitur ſeptimò mirabilior & gratioſior & cautior contra ſuperbiam cordis & mentis diſpertionem, quam ſeuera diuini brachij potentia facit vnitio cordis ſeu recollectio. Conſequitur octauò præcelſior & celſior depoſitis de ſede ſua ſuperbis, paſſionibus & dæmonibur humilium affectionum & animarum ſublimatio.

Conſequitur nonò opulentior, ſuauior & diui-
A nior, eſurientium iuſtitiam repletio dum diuites ſibi dimittuntur inanes omni bono. Conſequitur decimò miſericordior iſtorum qui fide & moribus ſunt Iſraëlitæ pueri ſuſceptio. Conſequitur vndecimò per eius impetrationem diuinæ miſericordiæ ſuper nos amplexans recordatio. Conſequitur duodecimò perſpicacior omnium quæ locutus eſt Deus ad patres noſtros, prophetas & doctores reſeratio. *Diſcipulus.* Precioſos elicuiſti fructus prouenientes ex mortificatione animalis affectus cum appenſo ſpiritus ſtudio. Nos iſto-
B rum participes fructuum faciat in terris qui perficiantur in cœlis, vbi Deus quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit glorioſè cantātes in idipſum: Magnificat anima mea Dominum. *Magiſter.* Fecit mihi magna qui potens eſt ô Maria, fecit & tibi magna ſanctum nomen eius. Nomen & verbum fidei quod & cui credidiſti ô beata & beatificanda per omnes generationes. Non es ingrata beneficijs Dei, confiteris illa quatenus vnde exeunt flumina gratiarum illuc reuertātur.
C *Diſcipulus.* Affer rationem quare Mariam beatam dicent omnes generationes. *Magiſter.* Dabitur ex fine ratio & ex affinitate, quoniam mater eſt illius qui fecit omnes generationes cœli & terræ & omnium quæ in eis ſunt. Ideo iure dicitur mater pietatis, & conſequēter omnis diuinæ magnificationis, laudis & gloriæ.

Diſcipulus. Quo pacto ſic? *Magiſter.* Mirabilis accipiatur deductio, ſed vera. Itaque pietas ex affinitate, & affinitas ex generatione conſurgit.
D Eſt enim pietas in genere quidam amor proueniens inter aliquos ex radice vel cauſa cuiuſdam affinitatis mutuæ qualis eſt inter parentes & filios & è contra, qualis inter ciues & ciuitatem ſuam vel patriam, qualem præterea nos dicimur habere ad Deum patrem noſtrum & Dominum, qui viciſſim pius erga nos eſſe laudatur, quia poſſedit, fecit & creauit nos. Vnde pietas de qua magis ad propoſitum, quæ concernit mutuam Dei ad nos habitudinem deſcribi poteſt. Pietas eſt amor
E proueniens, eò quod Dei genus ſimus, capaces atque participes eius. Fundatur in hac pietate quælibet altera ſicut à diuina paternitate, omnis ſecundum apoſtolum paternitas in cœlo & terra nominatur. Cum ergo beata noſtra ſit mater huius patris noſtri, conſequens eſt vt ſit mater pietatis & origo eius. Eſt verò pietas ex affinitate quæ finē dicit. *Diſcipulus.* Placet deductio. *Magiſter.* Quanto magis ſi vltra progredimur, attendentes illud præclatiſſimum de ſe & à ſe præcōniū: Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitio-
F nis & ſanctæ ſpei, in me omnis gratia viæ & veritatis. *Diſcipulus.* Elucida diſtinctius. *Magiſter.* Deſcripſimus pietatem quod eſt amor proueniens, eò quod Dei genus ſumus & capaces eius. Nulla verò pulchrior dilectio quam in amore fundata & talis pietatis. *Diſcipulus.* Aſſentio, doce quid ſit mater timoris & ſanctæ ſpei, conuenit enim materiæ quam de paſſionibus modo tractabamus. *Magiſter.* Conuenit ſcio, propterea non inſcius aut improuidus hæc induco. Siquidem amor eſt origo cuiuſlibet affectionis alterius. Eſt autem Maria mater pulchræ dilectionis, ſit igitur neceſſe eſt mater timoris & ſpei & lætitiæ & do-

Digitized by Google

loris, qualis eſt illorum quos beatificat lugentes filios eius. *Diſcipulus.* Non habeo quid contradicam. *Magiſter.* Conuerte nunc recordationẽ tuam ad tractata prius in prima chordula præſentis pſalmi Mariæ decachordi, & latius in libro de canticis inuenies fœcundum piæ exercitationis & conſolationis inſtrumentum ſub figura multiplici. *Diſcipulus.* Scio quid ſuggeris, ſcilicet neſcio ſi curioſa magis quam officioſa reputabitur huiuſmodi configuratio, difficilis ſcribentibus, phantaſtica meditantibus, vana deuotis. Quid ad nos inquiunt de figuris & notulis, ambulare quærentibus in ſimplicitate cordis? *Magiſter.* Nemo quempiam cogit. Scio mihi profuiſſe pro faſtidio ex varietate tollendo pro recordationis facilitate pro ſententiarum multiplicitate. Conſtituitur enim figuratio non vt manſura ſemper ſit in imaginatione, ſed quod ad intelligentiam puram forti imaginatione trahenda eſt phantaſmatibus ſuperatis. *Diſcipulus.* Arduum iſtud nimis atque rariſſimum. *Magiſter.* Vanum eſt nobis fateor ad hoc ipſum ante lucem Spiritus ſancti ſurgere, fiat quod ſequitur. Surgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris. Doleamus prius in mortificatione vitiorum & paſſionum moderatione. Tollantur ſi placet protractiones linearum, detur ordo ſententijs, vocibus & terminis.

A	Gaudium a.
E. I. O.	Spes e. Pietas i. Timor o.
V	Dolor u.

Parum refert ordo talis à crucis vel rotæ figuratione. Sufficit tamen nobis ad omne canticum ſpirituale talis ordinatio. *Diſcipulus.* Delicatus eſſe videbitur qui reſpuet. *Magiſter.* Ecce vides conſtitutam in medio pietatem, quæ quatuor ex æquo reſpicit alias affectiones quatenus cor piè gaudeat, piè ſperet, piè timeat, piè doleat. Quiſquis hoc ſeruauerit, ſecutus ſit, virtuoſus eſt, pſaltes eſt Domini in pſalterio iocundo & cythara, in omni generaliter muſico inſtrumento cum cantico, ſymphonia & choro.

Diſcipulus. Fac ergo manifeſtum. *Magiſter.* Deſcriptio pietatis facit illud perſpicuũ. Sanè ſi pietas hominis ad Deum eſt integer amor ad ipſum, eò quod ipſius genus ſumus, capaces eius atque participes. Subſume deſcriptiones alias vtiles nimis. Pietas dolens eſt affectio proueniens ex cõſideratione diſiunctionis ad Deum. Pietas ſperans eſt ex affectione proximandi Deo vel hærẽdi. Pietas timens ex reniſu & fuga elongationis à Deo. Si ſuper vno pióque tenore fiat circa pietatem circumitus, ſequitur harmonia, id eſt ad vnitatem reſonantia ſuauis & ſecura, quia temperata. Semper enim & dolor erit gaudioſus & gaudium doloroſum. Spes timorata, & timor non deſperans, immò quilibet mixtus erit cum quolibet. Fiat inſuper mirabili temperie quaſi complexio mixti vnius temperati propter vnionem in centro pietatis, quaſi in vita conſiliante contrarietatem. Sicut ſi huiuſmodi cor neceſſariò eſt in moribus ſuauiſſimum velut humoribus temperatis. Sic in vita morali ſimul & meritoria, viuax & iocundum ſemper ex æquo gaudẽs triſtis, ſperans, timens. At contrà ſi pietas abſceſſerit, defluent iſtæ paſſiones, harmonia diſſipabitur tanquam ab horologio ſine pondere, ſine modo vel A ordine, tãquam poſtremò decoro cadauere ſine vita. Obuiabit iſta rotatio ſenſualis regulari, qualem dicimus circulo rationis. *Diſcipulus.* Specioſa ſunt iſta dum audiuntur, ſed impetus obliqui circuli, ſenſus deorſum iugiter ad temporalia ſe deprimens vehementior impellit & circumit.

Magiſter. Non clam me eſt, ſed vincere, ſed obſiſtere ſecundum pietatem hoc opus hic labor eſt matre pietatis adiutrice. Porrò ſi ſcire delectat quid ſit magnificare Dominum, quid exultare in Deo ſalutari noſtro, cum omnibus ad collau- B dationem ſpectantibus in hymnis & cãticis, quid lucidius quam ex pietatis ratione deſcriptiones aſſignare? Quid eſt magnificatio Domini ſi quæritur? Dic quod eſt ſpecies pietatis corde, ore vel opere proueniens ex conſideratione vel proteſtatione diuinæ magnitudinis & maieſtatis ſui dominij. Eſt enim maieſtas quaſi magnitudinis ſtatus. Quid exultatio ſpiritus in Deo ſi quæritur? Dic quod eſt pietas proteſtans in gaudij ſigno, quoniam Deus eſt ſalutare noſtrum. Dic C itaque conſequenter ad interrogationes de benedictione, id eſt bona donatione, de gratiarum actione, de adoratione, de latria, de religione, de tubis ductilibus, de chordis & organis, quoniam hæc omnia ſunt pietas ad Deum, talibus ſignis & indicijs ſe proteſtans. Eſt autem pietas (vt diximus) ad Deum amor integer, eò quod Dei genus capaces & participes eius ſumus. Dignatur verò Deus viciſſitudinem ad genus ſuum refundere, immò præuenire in benedictionibus dulcedinis, maximè per incarnationem pro qua cecinit mater D iſta pietatis canticum ſuum nouum? Magnificat anima mea Dominum, & ſanctum nomẽ, de quo ſupereſt non colloquendo, ſed diſſerendo ſubire tractatum, tu interim ſilueris. *Diſcipulus.* Supereſt aliud ſpecialius inſinuandum fundamentum, qua ratione beatam noſtrã dicunt omnes generationes. *Magiſter.* Ratio iam prætacta eſt ex fine, omneſque generationes ſunt affines ei, non qualitercunque, ſed vt matri. Dicunt idcirco cognoſcere beneficiorum largitiones ex ipſa procedere, hæc E autem recognitio eſt ſua benedictio, qua in re dices ea quæ ſequuntur. Dic quod omnes generationes beatam dicunt Mariam, ſicut ad ipſam omnes habẽt pietatem ſaltem naturalem. Ratio, quia naturalem habent amorem omnes generationes ad eam ſecundum genus ſuum poſt Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum. Dic quod mater eſt effecta. Clamat idcirco: Venite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Et iterum: Memoria mea in generatio- F nes ſeculorum. Sicut miſericordia Dei eſt à progenie in progenies timentibus eum. Dic quod generationes hominum degeneres ſunt habendæ, quæ Mariã non piè colunt, nec beatam ſpontaneè recognoſcunt. Additur ſpontaneè, quia velint nolint, ipſam, naturali pietate venerantur & colunt, quemadmodum de dæmonib⁹ ait Iacobus, quod credunt & contremiſcunt. Dic præterea quod ab initio & ante ſecula creata ſit, hoc eſt prædeſtinata cauſa finis & affinis omniũ generationũ, quod dicunt ideo recognoſcere & benedicere genus ſuum, immò regenerationis initium poſt Chriſtũ. Dic quod apud generationes ſæculorũ generatio præ-

Digitized by Google

præterit & generatio aduenit. Ipſa verò eſt terra permanẽs de qua veritas orta eſt quæ manet in æternũ. Dic quod nobis omnibus affinis eſt velut in omni genere affinitatis iſta quam benedicunt & beatificant omnes generationes. Eſt ſoror ab humana ſpecie, eſt mater ex noſtra poſt filium generatione, eſt cognata cum angelis & nobis ex ſimilitudine intellectualis naturæ. Eſt vnum cor nobiſcum, vna anima, vnus animus & vnus ſpiritus ex delectationis obligatione. Dic quod perinde fiduciam magnam habemus adite in omnibus neceſſitatibus noſtris ſuæ thronum pietatis. Planè deſpicere non poteſt genus ſuum quæ mater eſt pietatis, cuius origo progreditur ex generis vnitate. *Diſcipulus.* Gratis ita dicere deſidero, gratis affecto colere, benedicere & prædicare beatam & beatificandam per omnes generationes, quia fecit ei dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.

Altera partitio ſiue dialogo de ſancto nomine Dei vbi de triplici noticia Dei per notulas ſeptuaginta duas.

Prima notula.

M*Agnificat anima mea dominum, quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Magna ſunt & magna nimis ô virgo beata, quæ fecit in animali portione dominus per incarnationem ſui dum ſuperuenit ſpiritusſanctus in te, fæcundans nedum in mente, ſed in corpore, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, tam in corpore per extinctionem fomitis, quam in mente per infuſionem effectualem nominis ſui, vt experimentaliter agnoſceres ô ſancta ſanctarum, quia ſanctum nomen eius. Sanctum nomen, impollutum, incontaminatum, conſecratum, confirmatum, ſine terra, ſine concreatione materiæ, & ab omni prorſus impuritate liberum & alienum. Sanctum nomen illius qui dedit filio tuo Ieſu Chriſto nomen ſalus. Nam ideo Ieſus à Deo & angelo & homine nominatus eſt, quia ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, ipſo dicente: quia nemo venit ad patrem niſi per me.

Sed obſecrat te beatam, cui fecit magna qui potens eſt, obſecrat te pauper, exul & aduena, non abſcondas (ô pulcherrima & prudentiſſima fæminarum) nomen iſtud ſanctum filij tui, qui fecit tibi magna qui potens eſt, non ſileas à me neque taceas à me ſeruo tuo & puero tuo. Cupis glorificari nomen iſtud per te, inde gloriaris te beatam dici per omnes generationes, non propter te, ſed propter natum de te hortaris cum pſalm. & dicis. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in ipſum. Conſcius eſt & teſtis meus fidelis in cælis dominus qui tecum eſt, iam non in vtero carnis carnaliter, ſed ſpiritualiter in vtero tam corporis quam animæ. Conſcius inquam, quia ſtudioſè meditata eſt mens cogitare quod & quale eſſet nomen ſanctum eius. non quod eſt apud ſe, quia nec poſſibile nec fas iſtud mortalem inquirere, ſed apud creaturam ſuam imagine ſua notatam & ſui capacem, quare me creare dignatus eſt, non meo merito, quid

enim mereri potui priuſquam in eſſe fui? Scripſit A de diuinis nominibus collaudator tuus Dionyſius diuinus. O beata per omnes generationes Hebræorum, Græcorum, Latinorum, & omnium generaliter nationum & linguarum. Scripſit & docuit, quod nomina ſcilicet Dei ſumuntur ex triplici via ſeu conſideratione. Via cauſalitatis & ſymbolicæ ſimilitudinis ex ſenſibilibus. Via ſupereminentiæ ex intelligibilibus. Via abnegationis & ſupermentales exceſſus. Dic obſecro mihi, dic benedicta inter mulieres, dic vbi paſcat, vbi B cubet dilectus tuus iſte ex dilecto, dilectus amicus tuus, dilectus & amicus per amorem. Trahe me coram te poſt eum in odorem vnguentorum ſuorum ſimilis & tuorum, quoniam omnia tua ſua ſunt, tibi nunc eſt omnia in omnibus, qui cubat & paſcitur in lectulo florido mentis tuæ, & tu in ſecreto cubili maieſtatis ſuæ apud patrem, qui fontale principium eſt totius diuinæ maieſtatis. Ibi profectò domus matris ſuæ, ibi cubiculum genitricis ſuæ, ibi poſt deoſculationem ſanctam & pudicam docet te. Doce tu me, quæ nec ipſum C nec te ignoras, doce precor quod & quale ſit nomen ſanctum eius, doce ſi ſufficienter modos cognitionis explicuit. Paulus conſcius verborum quæ non licet homini loqui, qui ex te muliere dicit ipſum factum ſub lege. Muliere ſi quidem illa quæ fas habet dicere: Ego mater pulchræ dilectionis, cum cæteris in laudem ſapientiæ poſitis, tibi per eccleſiam antonomaticè & emphaticè laudabiliter attributis, doce, quæſo ſufficienter. ſc. & ad plenum nomen Dei, quemadmodum D ab eo ſit expoſitum cum ait. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ. Ecce triplicem inuenio nominis ſancti Dei cognitionem, ſpecularem, ænigmaticam & facialem. Prima & ſecunda nobis hic conceduntur & nunc, tertia tunc in re nunc in ſpe ſola præſtatur. Doce ſi ſancta peto, ſi ſancta requiro, quæ & qualis ſit hæc triplex cognitio. Audiam quid loquatur in me dominus per ſpiritum ſapientiæ ſuæ & tuæ, ſuæ per eſſentiam, & tuæ per gratiam ſingularẽ, ſemel loquitur Deus, & idipsũ non repetit.

E Habes legem & prophetas, interroga diligenter eos, & dicent tibi. Fiat ita. Sed adſit ſpiritus tuus bonus interroganti. Adſit & audienti, ne vel ſtultè & indignè interroget, ne reſponſiones denique datas auribus ſurdis accipiat ſed obediat ſpiritui totiens inculcanti: Qui habet aures audiendi audiat. Non ſic cor incraſſatum, nec oculi mentis cæci. Audiam, videam & intelligam per diſciplinam ſcripturæ dicentis per os prophetarum, philoſophorum & theologorum, quemad- F modum noticia Dei quæ eſt nomen ſuum multipliciter acquiritur quo nunc maximè intelligetur, reſonans illud Apoſtoli verbum: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et quia præponit viſionis verbum, quæſtio eſt ſi omnis de Deo cognitio ſit viſio, cum viſio quælibet videatur eſſe cognitio & intuitiua cognitio? Multa verò ſunt nomina de Deo quæ non ſignificant intuitiuam cognitionẽ. Eſt ergo primum inquiſitione digniſſimum, quid ſit intuitiua cognitio ſiue viſio.

Cognitio intuitiua licet approprietur viſui vel oculo corporali, nihilominus extendit ſe

Digitized by Google

ad omnes ſenſus corporales quinque immo ad A omnem vim perceptiuam. Poteſt autem deſcribi cognitio intuitiua, quod eſt ſimplex & immediata cognitio rei ſecũdum obiectalem directam immutationem in ſe vel in propria ſua ſpecie. Patet deſcriptio, quia conuenit omni & ſoli cognitioni intuitiuæ. Differt à complexis & mediatis cognitionibus rerum, quæ non cauſantur ſecundum obiectalem & directam immutationem in ſe vel in propria ſua ſpecie, quales ſunt cognitiones abſtractæ, complexæ vel incomplexæ, quæ fiunt per alienas ſpecies in imaginatione vel ratione B rebus abſentibus ſeu non exiſtẽtibus. Videtur autẽ quod cognitio intuitiua ſic deſcripta ſit idem quod experientia vel experimentalis perceptio ſeu noticia. Poſſet hoc numerari per ſingulos ſenſus.

Sed eſt dubitatio, ſi cognitio debeat dici immediata & intuitiua, quæ fit per propriam ſpeciem derelictam in ſenſu, deficiente vel abſente obiecto. Qualiter enim dicetur cognitio immediata de re, dum neceſſario requiritur media C ſpecies? Quomodo præterea dicetur experimentalis cognitio de re quæ abſens eſt vel quæ nullo modo eſt, oportet hic propter concordantiam doctorum de cognitione intuitiua & immediata conquirere quæ cognitio dicetur, & quare dicatur immediata. Perinde venit ad cognoſcendum, quæ & qualis & quot modis viſio intuitiua nominetur. Inuenimus autem quadruplex medium in cognitione, vnum eleuans, alterum contemperans, alterum adducens, aliud coniungens. D Exemplum in oſtenſione coloris, primò requiritur lumen medium eleuans potentiam viſiuam, & ponens colores in eſſe ſpirituali, viſibili & diaphono ſeu proſpicuo. Hoc autem medium non impedit, quin cognitio coloris dicatur immediata. Eſt ſecundum medium contemperans obiectum viſibili oculo corporali, vt ſeruetur harmonia conueniens oculo, vt non ab exceſſu viſibilis deſtruatur. Nempe præterea peruium & perſpicuum nimia radiatione proportionem excedat ad oculum. Sed nec tale medium prohi- E bet cognitionem immediatam licet intuitiuam. Quid eſt medium tale, niſi proportio complexionis organi videntis. Eſt medium tertium deducens obiectum ad oculum, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem ſecundũ Ariſtotelis experientiam. Propterea neceſſe eſt ſpecies eſſe medias, quæ deducunt per medium conueniens in contemperatam rem ſenſibilem ad proprium ſenſum ſuum. Diſcurre per omnes & ſingulos ſenſus, & ita videbis. Sed nec obſtat F tale medium, quin cognitio ſit immediata & intuitiua, alioquin nulla talis eſſet in ſenſu de rebus ad extra, niſi quod fit de ſpeciebus & actibus ab intra de intelligibilibus, vbi bene reperitur aliqua res immediatè cognoſci per eſſentiam ſuam nulla ſpecie mediante, ſed actu diſtincto à re.

Eſt quartum medium coniungens obiectum cum potentia. Vocatur autem homini medium actus quo res intuitiuè videtur, forte etiam habitus infuſus vel acquiſitus poteſt dici tale medium niſi melius referatur ad medium eleuans. Certum eſt autem quod nec medium tale coniungẽs potẽtiam cum obiecto, reddit cognitionem dici mediatam, & non intuitiuam vel experimentatiuam. Alioquin nulla creatura haberet immediatam cognitionem, quia ſolus Deus eſt ſua cognitio actualis, ſecundum articulum Pariſienſem, & veritatem. Remanet tamen ex prædictis ſatis apertis difficultas prædicta, ſi res poſſit dici videri intuitiuè & experimentaliter, dum non eſt vel abſens eſt. Doctrina communis artiſtarum tempore meo non habebat inconuenientem hanc poſitionem, quin ſol abſens à noſtro hemiſpherio videretur intuitiuè per lumen ſuum in aurora, quin ſonus audiretur dum non erat. Ita de reliquis ſenſibus ex quo ſpecies ſimplex & propria erat præſens, quaſi deducens obiectum ad potentiam.

Notanter addimus ad ſpeciem quod ſit ſimplex & propria, ne cogamur concedere noticias ſenſus communis & imaginationis & rationis de rebus ad extra eſſe intuitiuas. Eſt doctor vnus qui ponit mediam noticiam inter intuitiuam & abſtractionem ſimplicem, dicẽs in caſu noſtro quod noticia quæ præſente obiecto & cauſante ſpeciẽ. ſc. in oculo, dicebatur intuitiua, deſinebat autem eſſe intuitiua. i. vertebatur in abſtractiuam, corrupto ſeu abſente obiecto. Nihilominus poſitio prior probabilis eſt, quæ non deputat inconueniens, quod res videatur intuitiuè dum non eſt. Patet in Deo, qui omnia iſta quæ non ſunt, intuetur. Similiter & beati in eo immo & prophetica viſio de abſentibus in ſuo lumine magis dicenda videtur intuitiua quam abſtractiua, ſicut & in angelorum cognitione per innatas à creatione ſpecies vel receptas. Auget verò difficultatem hanc conſideratio perſpectiuorum dicentium, viſionem non fieri niſi ſub euerſa pyramide, cuius baſis eſt in re viſa, & punctus cuſpidis in oculo. Rurſus determinat decretalis Benedicti, quod beatitudo formalis cõſiſtit in duobus actibus, qui ſunt viſio & fruitio, ſed addit quod obiectalis beatitudo eſt ipſe Deus. Ponatur ergo per poſſibile vel impoſſibile, quod ſubtrahente ſe Deo in ratione obiectali, quemadmodum liberè poteſt, maneant illi duo actus, viſio & fruitio, nunquid dicetur iſte prius beatus etiam nunc beatus formaliter & intuitiuè. Augetur amplius ſi conſideremus omnem creaturam quæ comparatur ad Deum in ratione veſtigij vel imaginis, tanquam in ratione ſpeciei repræſentantis Deum, quanquam per analogiam, ſed nõ minus quam radius, quam lumen ſolis comparetur ad ſolem licet non ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum ſole. Videns igitur creaturas & intelligens. i. intus legẽs habitudines huiuſmodi imaginis & veſtigij in triplici genere cauſæ, efficientis, formalis, exemplantis & finis, nedum intelliget inuiſibilia Dei per ea quæ facta, iuxta verbum ſapientis & apoſtoli, ſed habebit noticiam intuitiuam de Deo non minus immediatam & propriam quam habeat oculus de ſuo obiecto puta de ſole per lumen ſuum viſo. Hoc nullus videtur conceſſiſſe, immo damnatus eſt articulus, quod Deus hic immediate per eſſentiam videatur, & ſi non immediatè, ergo nec intuitiuè. Addamus ad difficultatem & contra articulum, quia exiſtente homine in proſpectu, dicimus quod homo videtur, conſtat tamen quod oculus corporalis non attingit ad ſubſtantiam hominis, ſicut

Digitized by Google

ſicut nec alius quiuis ſenſus. Oportet ergo quod referatur ad viſionem intellectus viſio ſubſtantiæ hominis vel eſſentiæ ſuæ. Ac proinde ponunt aliqui, quod obiectum intellectus naturaliter & pro ſtatu præſenti eſt quidditas rerum naturalium, habita per abſtractionem intelligentiæ vel intellectus agentis ex phantaſmatibus. Nunquid ergo agentis hæc intellectualis cognitio dicetur intuitiua? Procedamus vltra quod ſi requiritur & ſufficit talis abſtractio, hic nobis non plus cognoſcimus ſubſtantias ſeu quidditates rerum materialium quam Dei quidditatem, nec plus animam noſtram quam angelicam naturam, immo breuiter nihil intelligimus intuitiuè experimentaliter de rebus, niſi ſola accidentia, nec etiam per intellectum vt intellectus eſt, ſed prout influit in ſenſus exteriores per ſe vel per vires proprias, ſi ponuntur ſubſtantialiter ab eo diſtinctæ. Sed neque poterit haberi cognitio ſimplex & immediata & abſoluta cuiuſcunque differentiæ ſubſtantialis, immo nec differentijs accidentium, quod concedit vnus doctor.

Quid prætereà ſi conceſſerimus cum Auguſtino quod non poſſumus hic habere cognitionem ſynceram de rebus niſi de luce diuina, nunquid oportebit quod in omni cognitione veritatis pręſertim ſyncerę, cognoſcatur lux diuina, ſaltē in ſuo lumine, ſicut agnoſcitur ſol in omni viſione corporali colore per irradiationem lucis aut luminis ſolis, & ita redibit quod Deus hic intuitiuū videtur.

Denique ſupereſt exponendum quid apoſtolus intelligit dum ait: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quæ ſit differentia inter iſtas tres viſiones. Difficultates iſtæ ſunt diu mihi multúmque quæſitæ, ſed nec ſatis apparet exitus niſi per nominum diſtinctionem quæ nomina cum ſint ad placitum, ſi per ea conſtet de rebus & ſententijs, ſatis debet eſſe inquirentibus veritatem, maximè per diſciplinam & doctrinam, ſed non ſatis ad experientiam. Poſſumus itaque de noticia intuitiua loqui generaliter, magis propriè loqui proprijſſimè. Definitionem præſcriptam de noticia intuitiua loquendo. ſc. prout viſio & intuitio ſe extendit ad omnem vim perceptiuam ſui obiecti ſimpliciter & immediatè vt dicimus, vide quomodo hoc ſonat, quomodo redolet, quomodo ſapit. Sic dicitur, de intelligente hæc dicimus, quod bene ſentit. Et inde venit ſententia generaliter. Omnis perceptio obiecti ſimplex & immediata poteſt appellari intuitiua, ſiue obiectum ſit realiter præſens in ſe ſiue per ſuam ſpeciem tantummodo ipſo deſtructo vel abſente, quemadmodum ſolet dici, quod oculus videt & auris audit res aliquas iam deſtructas vel ablatas propter ſpecies colorum vel ſonorum quæ remanent in exteriori ſenſu, ſicut prætactum eſt. Aut ſi miraculoſè viſio cauſaretur à Deo in oculo, vel in obiecto cauſata ſeruaretur. Cadent etiam hic exempla de coloribus, qui videntur alij quam ſint, vt in iride & nubibus & in vitris ſuppoſitis obiectis & oculo linea recta viſuali. Magis propriè nominatur intuitiua noticia, quæ fit obiecto præſente & actualiter immutante per ſe vel per ſuam ſpeciem immediatè. Exemplum commune eſt in ſenſibus exterioribus per differentiam ad interiores. Proprijſſimè vero A nominatur intuitiua cognitio, quæ cauſatur ex obiecto per ſeipſam & eſſentiam. ſc. abſque ſpecie media. Sic enim Deus intuetur ſeipſum ſic angeli cognoſcunt eſſentias ſuas, licet per actum ſuperadditum ſic cognoſcimus noſtros actus interiores, ſic percipimus immutationes paſſionum per ipſaſmet paſſiones actualiter immutantes ſine ſpecie media, licet non ſine actu perceptiuo medio, quoniam hoc proprium eſt ſoli Deo, quod ſit ſua perceptio.

B Elicimus ex præmiſſis, quod omnis noticia proprijſſimè intuitiua, ac perinde noticia quæ habetur per deuotionem & vnionem mētis ad Deum, nequaquam fit aut fieri poteſt ſine cognitione præuia vel comite ſecundum Auicennam aut ex perceptione tali conſurgit. Alioquin in plantis & inanimatis poneretur delectatio. Sed & cum vt philoſophica ratione loqui nos pateat, fundemus iſtud dictum per aliquas veritates. Dans formam dat conſequentia ad formam. Iſta eſt philoſophi & experientiæ, conſequens verò ad omnem formam, tam naturalem quod realem, quam C intentionalem, quam ſpiritualem ponitur eſſe coaptatio vel inclinatio vel appetitus vel affectus ſpontaneus & ſuauis, aut voluntas tendens in finē ſuum. Quiſquis ſit iſte finis proximus mediatus vel vltimus.

Cæterum ne multitudo nominum nos impediat, appellamus conſequens illud ad omnem formam nomine amoris. De quo Auguſtinus: Amor meus pondus meum, illò feror quocunque feror. D Eſt autem in omni re pondus ſuum. Omnia enim in numero, pondere & menſura formata ſunt. De quo Ierotheus referente Dionyſio compoſuit hymnos amatorios. Cæterum de multiplici amore Dei ſparſo per creaturas, de quo Boëtius: O felix hominum genus, ſi veſtros animos amor quo cælum regitur regat. Et diuinus Ignatius amorę igneus: Amor inquit, meus crucifixus eſt, de quo amore puellæ martyres gloriatæ ſunt inter tormenta, nominatim Agnes & Felicula cum cæteris. Ecce inquit, Felicula ſicut cæpi videre amatorem meum Chriſtum in quo amor meus fixus E eſt, vnde dicitur affectio. Cōcluditur ſtatim quod amor vel affectio animalis, rationalis & intellectualis non cauſatur ſine cognitione pręuia comite & conſequente. Omittamus pręterea de amore vel affectu rerum inanimatarum, qui vtique amor vel appetitus conſequitur formam naturalem ipſorum ad loca ſua tanquam fines ſuę conſeruationis: ſicut ignis cauſans ignem dat formam ſuam cum inclinatione ad locum ſuum ſurſum, in quo F quietatur ſi eſt, mouetur autem ſi non eſt impedimento ceſſante.

Reſtringamus ad amorem triplicem qui propoſito noſtro congruit, vt oſtendamus quod Deus per amorem cognoſci non poteſt ſine cognitione præuia & comite. Sic perinde palam fiet quæ ſit & qualis cognitio per amorem per experimentalem eius noticiam, & qualiter intuitiua dici poteſt. Itaque perceptio amoris vel affectualis vel experimentalis eſt proprijſſimè intuitiua, non quidem ſuper de re delicta, ſed de ipſo amoris actu vel affectu quo tenditur in dilectum. Si ſtat hic oro deuota mens, &

attendat quid intendit hæc veritas oſtendere. Dicit enim duo. Vnum quod amor vel affectus ſentitur intuitiuè vel experimentaliter propriè & per eſſentiam, & hoc tertiò dicimus niſi ſe coniungat amanti immediatè per eſſentiam ſuam & non per alienam ſpeciem, non tamen ſine actu cognitionis mediæ inter amantem & amatum, quantumlibet amatum ſit eſſentialiter præſens amanti. Capiamus exemplum primitus de tertio in diuinis & in beatis. Itaque Deus pater non produxit ſpiritum niſi prius origine produxerit verbum quod in forma Dei eſt ſecundum apoſtolum. Porrò generando & communicando verbo formam dat conſequentia ad formam. Quid autem conſequentius ad formam eſt niſi quod inclinetur & afficiatur ad ſuum principium & locum generationis. ſc. quemadmodum experimur in generatione naturali ignis vel aliorum, quibus poſt menſuram, numerum & formam datur pondus amoris naturalis ad locum ſuum, & hæc quidem materialiter in materialibus, in ſpiritualibus ſpiritualiter ſicut in angelis, ſic in anima rationali, immo ſicut altior longè modo in verbo diuino, quod ex forma diuinalis paternitatis ſibi communicata conſequêter inclinatur afficitur & inamoratur, & zelat per amorem ſuum ſpiratum qui ſpiritusſanctus eſt redire ad patrem circulo completiſſimo, vbi non differt alpha & ω, principium & finis. Et hæc circulatio in æternum eſt, fuit & erit ſicut pater æternaliter dat formam ſuam filio, & conſequenter eandem vim ſpiratiuam communicat filio, per quam vim ſpiratur concorditer ſpiritusſanctus amor vtriuſque.

Redeamus ſuper alia duo dicta, primum & ſecundum. Itaque ſecundum dictum eſt, quod talis noticia non ſemper eſt intuitiua vel propriè experimentalis rei dilectæ. Ratio manifeſta eſt, quia non ſemper eſt noticia talis ſimplex & immediata per obiectalem & immediatam notionem rei dilectæ, ſicut ſupponitur & crebrò videmus. Primum verò ſtatim perſpicuum eſt intuenti deſcriptionem noticię intuitiuæ & experimentalis propriè dictæ. Nihil enim magis immediatè & ſimpliciter & per eſſentiam & per obiectalem actu præſentiam ſentitur quam amor intimus, vel affectus, ſit iſte intellectualis, ſit ſenſualis, ſit de re præſente vel abſente vel non exiſtente.

Tollatur attamen calumnia ſuper hæc quæ dicitur de abſentia rei dilectæ vel non exiſtentia eius. Et dicamus cum philoſophis & theologis ſubtiliſſimis, quod omnis res creata habet triplex eſſe, quorum quodlibet poteſt dici pręſens ſuo modo. Habet eſſe in arte diuina, nec qualecunque eſſe ſed diuinum & vitale, quod factum in ipſo. ſc. verbo vita erat. Et qualis vita? Nimirum illa quæ eſt lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si quidem omnis creatura eſt in Deo creatrix eſſentia. Habet ſecundum eſſe in intelligentia angelica ſecundum ſapientiam quam effudit Deus ſuper omnia opera ſua, quæ ab initio creata eſt immediatè, angelicæ poſtmodum de multis: hoc eſſe communicatum eſt omnibus in prima creatione, & in conſequenti in omnium hominum illuminatione & plus & minus, clarius & obſcurius. Habet tertium eſſe omnis creatura in proprio genere ſeu materiali ſeu ſpirituali. Coaptemus diſtinctionem triplicis huius eſſe ad rem noſtram: & dicamus quod nulla res amari poteſt vniuerſaliter loquendo niſi præſens ſit amanti, altero trium modorum præcedentium quæ referuntur ad duos. ſc. ad modum præſentię eſſentialis in proprio genere, vel ad modum præſentiæ intentionalis ſeu formalis in ſua cognitione. Vnde Deus ſi per impoſſibile non cognoſceret creaturas, ipſe non diligeret eas, quia in principio quod eſt verbum, creauit omnia, portans omnia verbo virtutis ſuæ. Similiter in angelis amor non eſſet ad alia à ſe, immo nec ad ſe, niſi tale quod amatur præſens eſſet eſſentialiter vel intentionaliter diligenti vel cognoſcenti.

Obijceret aliquis quod inſenſibilia feruntur, pondere ſuo ad loca ſua, nec tamen iſta cognoſcunt. Reſponſum eſt prius quod habent naturalem formam ſuam in ſeipſis, cui data eſt & impreſſa talis inclinatio conſequens formam. Vnde nec habet pro inconuenienti doctor vnus totus ſeraphicus concedere quod in omni re ſit impreſſus quidam motus cognitionis naturalis dirigentis quodam ſuaui impetu rem quamlibet in ſuum finem, ſicut & in angelis ſicut & in hominibus ſicut in animalibus per cognitionem ſuperadditam quaſi formalem & accidentalem. Sic in eiſdem quemadmodum in cæteris impreſſa eſt forma eſſentialis qua ſpontaneè in brutis liberè in intellectualibus dirigit in proprium finem. Verum quod libertas vt arbitraria eſt non ſemper conformatur, & inde procedit peccatum quod corrumpit modum, ſpeciem & ordinem debitos addi per habitus & actus virtuoſos ad libertatem naturalem, quæ licet ſemper in ſe virgo ſit & pulchra, etiam in dæmonibus violari non poſſit in eſſentia ſua, præcipitatur tamen à domino ſuo per inobedientiam arbitrariam libertatis, vt non exerceat naturale dominium ſuum, quo prædicta eſt domini. Qua in re cecinit noſtra tympaniſtria: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, Deponens potentes de ſede naturalis ſui dominij, non per ſuam, ſed per ſubditorum rebellionem.

Conſonat præmiſſis deſcriptio Dionyſij de regno Dei. Regnum inquit, eſt omnis finis & ordinis & legis & ornatus diſtributio, vbi per totum ornatum ſecundum expoſitores accipitur inclinatio naturaliter indita cuilibet naturę, vt obediat ſuauiter creatori. Iuxta illud ſapientis à prophetia deductum apud Boëtium. Quod ſapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

Tempus eſt & locus ex præmiſſis ſoluere difficultates prætactas circa cognitionem nominis Dei intuitiuam, experimentalem & effectualem, ſicut orat eccleſia in oratione præſentis dominicæ: Deus virtutum cuius eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis &c.

Præſuppone̅do quid ſit noticia intuitiua communiter dicta, quid propriè, quid proprijſſimè. Rurſus quid ſit amor vel affectus, & vnde oriatur, & quemadmodum affectus omnis experimentaliter cognoſcatur, colligat ſe mens humilis, & videat quot concurrunt ad viſionem gloriæ conſummatã, vt de his quæ certa fide credimus & ex alijs quę quotidiana

Digitized by Google

quotidiana nos docet experientia cititer attingamus ea quę mediant inter cognitionem naturalem vię & ſupernaturalem glorię. Illa verò ſunt quę proueniunt hic nobis per gratias ſpeciales ſupernaturaliter immiſſas, prout vnicuique diuidit Deus menſuram fidei donorúmque ſuorum. Iſta ſunt ſpecula, iſtę ſpecies, iſtę formæ, iſtę theophanię, iſtæ caligines lucidiſſimæ, iſta ſilétia, ſub quibus & in quibus ſpeculatur à nobis hic & nunc Deus.

Concurrit ad viſionem glorię lumen quadruplex. ſ. lumen potentiale, habituale, obiectuale, & actuale. Lumen potentiale eſt ipſamet anima rationalis. Remanet enim ſuper naturalem lumen eius, & ſubſternitur tam gratiæ quam gloriæ quicquid ſit de alijs luminibus naturaliter acquiſitis in actu vel habitu. Porrò lumen habituale præcipuũ & principale vocatur lumen gloriæ correſpondens lumini gratiæ in via, differens ab ea per eſſe conſummatum, quemadmodum doctrina communis docet de habitu charitatis quod manet idẽ in patria quod non excidit ſecundum apoſtolum. Cæterum lumen obiectuale eſt ipſe Deus ſe præſentans in obiectali ratione nulla ſpecie mediante, propterea dicitur videri facie ad faciem, & ſicut eſt, & oculo ad oculum. Denique lumen actuale ponitur in actibus intellectus & voluntatis, qui ſunt viſio & fruitio, iuxta determinationem extrauagantis Benedicti. Correſpondent autem viſioni & fruitioni actualibus tres habitus ſuccedentes habitibus fidei, ſpei & charitatis in via, quos tres dotes appellamus animæ Chriſto deſponſatæ matrimonio per gloriam conſummato. Quamuis ab aliquibus ponantur dotes ipſi actus viſionis & fuitionis, ſub quibus includitur actus qui dicitur tentio ſuccedens ſpei viæ, & per appropriationem fruitio nominatur, ſi diſtinguamus dilectionem à tentione vel etiam fruitione ſtrictè ſumpta, quæ delectationi propria eſt. Sicut in via ponitur in actibus & habitibus gratuitis quædam Trinitatis virtutum theologicarum, ſimiliter ponitur ſuo modo in beatitudine Trinitas in vnitate luminis gloriæ. Hæc autem vnitas in Trinitate & Trinitas in vnitate vocatur beatitudo formalis. Si in habitibus habitualis, actualis ſi in actibus, ſed obiectalis Dei repræſentatio facialis appellatur obiectalis beatitudo. Habeatur quæſo præ manibus (vt ita loquar) præſens diſtinctio de duplici beatitudine, obiectali. ſc. & formali, quia facit ad intellectum & concordantiam doctorum pręcedentium tempus decretalis.

Rurſum aduertat vnuſquiſque quod memoriæ non abſtrahitur beatitudo formalis in prædicta decretali, quoniam memoria non facit ſpecialem potentiam diſtinctam contra intellectum in aſſignatione habituum virtuoſorum vel actuum, ſicut nec vis iraſcibilis contra concupiſcibilem ponit numerum. Applicemus ſermonem de hoc quadruplici lumine beatificato ad quadruplex lumen quod concurrit ad contemplationem viæ dicentes, quod ex parte luminis naturalis in ſe non eſt variatio hic & ibi, ſicut nec ipſa animæ natura eſſentialiter diuerſa eſt, præſertim in eadem anima, quicquid ſit de perfectione eſſentiarum diuerſarum animarum prout ſonare videtur articulus. Quia anima Chriſti non ſit perfectior anima Iudæ, error.

Dicamus de habitu gratiæ ad habitum gloriæ quod differunt penes imperfectum & conſummatum, ſimiliter & actus eius. Et ita de actu & habitu charitatis poſſet dici. Sed de habitibus & actibus fidei & ſpei, longè aliter quam in viſione & fruitione patriæ, & hoc propter tertium lumen quod nominamus obiectale, quod eſt ipſemet Deus in ſe viſus. Sicut ergo deficit hic in via tertium illud lumen obiectale, non quidem in ſe, quoniam vbique eſt, ſed in ratione obiecti clarè & nudè & immediatè in ſe viſi, ſic deficit & differt viſio & tentio viæ à viſione & tentione patriæ. Nomen inſuper Dei quò ſe nominat & manifeſtat in cælo à nominibus quibus in terra nominatur. Quo ſuper ſancto nomine recipe quæ ſequuntur.

Sanctum dicitur Dei nomen à ſanctitate, quam Dionyſius deſcribens ait: Sanctitas eſt ab omni inquinatione libera & perfectiſſima & incontaminatiſſima puritas. Græcè enim nominatur agyos ſanctum, ab à quod eſt ſine & ge terra. Poteſt autem hæc particula conſtitui per ſe ſubintellecto verbo quod nomen Dei eſt, vel dicitur vel eminet ſanctum. Poteſt nihilominus hæc ſemina pendere ſeu correſpondere ad præcedentem vt dicat Maria, quod ſanctum nomen Dei fecit ſibi magna. Siquidem omnis cognitio Dei ſicut eſt fides vel intelligentia, rectè vocatur nomen Dei. Conſtat autem quod per fidem & aſſenſum datum verbis angeli, virgo concepit filium Dei. Fecit te ergo beatam quæ credidiſti, fecit magnam nomen ſanctum Dei. Docent ſacramenta quam magna ſit in nomine domini virtus eius. Aut certè nomen hoc in ſimilibus accipitur pro nominato quod eſt Deus. Sanctum nomen Dei. i. confirmatum per omnem creaturam maximè intellectualem, quarum nulla ſubſiſteret, niſi cauſa quæ dedit eſſe influeret. Hinc canit Ambroſius. Rerum Deus tenax vigor immotus in te permanens. Et facit hoc ad præcedentem intellectum de magna virtute nominis Dei. Sanctum eſt nomen Dei quia ſanctificatum. i. conſecratum & dedicatum eſt in electis Dei ad eius gloriam, laudem & obſequium. Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum, dicit dominus. Sanctum eſt nomen Dei quia ſanctificatum legibus æternis, quod nefas eſt violari. Clamant ſeraphin, ſanctus, ſanctus, ſanctus, ad inſinuationem Trinitatis perſonarum iungebant ad ter ſanctus, nomen hoc, domine Deus ſabaoth, quia Trinitas eſt in perſonis, vnitas eſt in eſſentia, cuius opera participant tripliciter imitatione, internæ ſanctitatis & æternæ. Nomen Dei vnicum eſt ſibi ſoli cognitum, propterea non potuit ab aliquo alio à ſe imponi vel effari plenè & propriè, quia naturam ſuam cum ſuis proprietatibus ſolus comprehendit, dicitur hinc inhabitare lucem inacceſſibilem necnon ineffabilis & innominabilis eſſe laudatur. Nomen Dei datum eſt Chriſto quod eſt ſuper omne nomen, ſic ad proprietatem reducendo, factum eſt per incarnationem vt homo eſt Deus & Deus homo, per communicationem idiomatum & nominum.

Nomen Dei ſingulariter inter puras creaturas

eminet in Maria, quæ illuminans vel illuminata per interpretationem nominatur & domina. A Nomen Dei ſumptum à creaturis ſic eſt omnimodum, quod ab omni creatura vſque ad infimã poteſt ſumi noticia quædam rei, & inde nomen quo cognoſcatur, imponi & formari. Ratio, quia quælibet eſt veſtigium vel imago Trinitatis, ſecundum exemplaris tria appropriata, & ſecũdum triplex genus cauſæ efficientis, formalis & finalis. Deus ſicut poteſt nominari ſecundum ſuas creaturas, ſic poteſt ab homine (qui creatura antonomaticè mundi dicitur, participãs cum omni creatura) videri & intelligi nunc per ſpeculum & in B ænigmate, verba ſunt Apoſtoli. Deus in ſuis & ex ſuis creaturis poteſt dici intuitiuè videri, ſi viſio intuitiua largiſſimè ſumatur, primò prout generaliter omnis perceptio obiecti ſimplex etiam immediata dicitur intuitiua, ſiue obiectum ſit realiter præſens in ſe, ſiue per ſuam ſpeciem ſeu ſimilitudinem tantummodo. Conſtat enim quod omnis res ſiue extra animam ſiue intra gerit ſimilitudinem Dei. Poteſt enim homo intelligens. i. intus legens & credens ferri in noticiam obiecti cuius eſt hæc ſimilitudo veſtigium, ſpecies vel imago. C Secus de brutis & hebetibus, qui Deum & eius ſigna & verba, voces & ſpecies & ſpecula nõ aſſumunt, niſi vt ſunt res quædam ad aliud non reuelatæ. Deus experimentaliter cognoſci poteſt aut percipi à creatura mundi viatrice, & ſi non in ſe, tamen in ſua obiectali ratione vel imagine ſeu ſimilitudine, tam extra quam intra. Sequitur ex præcedenti iuncto corollario vno quo dictum eſt omnem noticiam propriè intuitiuam eſſe experimentalem & è contra. Deductio patebit infra in tractatu mente cordis. Similiter definitio ſapiẽtiæ quæ ſupremum locum tenet in nominibus D Dei pro ſtatu viæ: quam ita deſcripſit Dionyſius. Sapientia eſt diuiniſſima Dei cognitio, quæ eſt per ignorantiam cognita ſecundum vnitionem ſuper eminentem, quãdo mens ab alijs recedens, poſtea etiam ſe ipſam dimittens, vnita eſt ſuperſplendentibus radijs, inſcrutabili & profundo ſapientiæ lumine luminata. Deus ſi negetur hic cognoſci experimentaliter vel intuitiuè, vel etiam quidditatiuè, vel quia neſcimus hoc de Deo quid eſt ſed quid non eſt, quia cognoſcitur per ignorantiam, vt dicit definitio nunc inducta, oportet ad concordiam doctorum ſanctorum noſtris vti diſtinctionibus, quæ rationabiliter ab vtriſque poſſunt admitti. E

Vna diſtinctio iam poſita eſt de noticia mediata & immediata. Altera ſimiliter inducta eſt de noticia intuitiua quæ rationabiliter apparebit, ſi cõſideremus conſequẽtis iſtas & ſimiles non valere. Hæc res eſt intellecta, ergo hæc res eſt, hæc res eſt imaginata, ergo eſt, hæc res eſt intuitiuè viſa per ſuam ſpeciem, ergo eſt, ſicut nec iſta, hæc eſt res cognita à Deo intuitiuè per ſuam eſſentiam, ergo iſta res eſt, demonſtrata re quæ eſt ſolum poſſibilis, nec fuit, nec erit. Tertia diſtinctio eſt de quidditatiua cognitione rei. Cognoſcitur itaque res vno modo ſecundum quid nominis, ſicut chimera cognoſcitur quia ſcimus quid ſicut nomen ſignificat. ſ. chimera. Secundò dicitur res cognoſci quidditatiuè, quando ſcitur quia talis res eſt actu aut ſub quadam generalitate cognoſcuntur F aliquæ ſuæ proprietates & cauſæ. Si non admittitur hoc membrum diſtinctionis, vix relinquetur aliqua cognitio quidditatiua de rebus etiam creatis & viſibilibus. Tertio modo propriiſſimè quid eſt de re ſcitur dum ipſa cognoſcitur per ſuam cauſam proximam & totalem. Sic enim intelligitur illud philoſophi: Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, quoniam illius eſt cauſa &c. Cognoſcimus hic quid eſt Deus duobus primis modis. Tertius vel eſt proprius Deo ſoli vel communicatus beatificæ viſioni vbi facie ad faciem videbitur ſanctũ nomen eius, cantabitur in idipſum: Magnificat anima mea dominum.

TRACTATVS SEXTVS DRAGMATICVS SVPER HOC VERSV.

Et miſericordia eius à progenie in progenies, &c. Vbi de lamento Mariæ per notulas centum.

Prima notula.

ET *miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*. *Diſcipulus*. Sentio quemadmodum conſonat in cantico ſuo Maria cum patre ſuo, cuius in vno pſalmo eſt initium. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Timor itaque venit ex conſideratione iudicij. Quid eſt igitur in hoc cantico iungere miſericordiam cum timore, niſi miſericordiam & iudicium pariter cantare? Quid præterea miſericordiam & timorem Deo pſallere niſi exultare cum tremore. Sunt in hoc cantico tenor iuſticiæ, & mollis cantus miſericordiæ. Sed quæſtio eſt. Si Maria iunxerit cantans & conferens in corde ſuo cum ſpiritus exultatione lamentum iuſtitiæ, præſertim quia dictum eſt quod in omnes affectionum voces ſe cantantis Mariæ variabat affectus. Sic enim ſęuius induci potuerimus nos peccatores ſemper cum lætis miſcere triſtia, deſiderare lectulum ſponſi, ſed timere ſpeluncam inferni gyrare per meridiem, ſed flecti ad aquilonem, ſperare de miſericordia, ſed timere iudiciũ, ſcire tempus ridendi & tempus flendi. Si ſpes eleuat ad præſumptionem deprimat timor, ſed non ad deſperationem. Reſiliat timor ab horrere ſeueritatis ad placatorem benignitatis. Dicat omnis chriſtianus. Impulſu euerſus ſum vt caderem propter miſeriam iniquitatum mearum, & dominus ſuſcepit me, ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum. *Magiſter*. Lamentata eſt abſque dubitatione cum multis, tunc apud Dei aures mentis ſuæ ploratibus virgo beata. Abſit vt imitaretur inertiam Iudæorum, quam ſub inducta parabola puerorum in foro ludentium damnauit Chriſtus, cecinimus vobis nec ſaltaſtis, lamentauimus nec ploraſtis. Iudæi ſiquidem (ſi per allegoriam loquimur) neque Chriſtum manducantem cum eis, nec Ioannem abſtinentem in eremo ſuſceperunt, ſed vtique detraxerunt. Sic mente corrupti homines, omnia ad ſuum trahunt interitum, quemadmodum ægris auribus nec carmen placet nec lamentum, vt in corporalibus non minus ſpiritualibus cantibus & auribus. *Diſci*. Offert ergo quæſtio dum ſederimus ſuper flumina Babylonis huius exilij, quid eligibilius ſit, vel cantare

tare

tare & ſaltare, vel lamentari & plorare. *Magiſter*. Nohne ſolutionem aperit nobis, qui de ſedentibus ſuper flumina Babylonis & flentibus ſubiungit: In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Deinde: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Legimus Chriſtum crebrò ploraſſe & doluiſſe, exultaſſe ſpiritu ſemel. Maria ſemel exultauit in cantico. Ioannes cuius hodie (dum hæc ſcribimus) decollationis dies agitur, exultauit ſemel in vtero. O quotiens Mariæ animam doloris gladius pertranſijt. Ioãnes exemplar & pręco pœnitentiæ, non minus operibus quam prædicatione quotiens bene creditur lamentaſſe? Saltat Herodiadis filia cum gaudio, & precium ſaltationis ſibi datur caput Ioannis in diſco. Egrediuntur (inquit Iob) de gaudentibus, Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum & cytharam, & reſpondent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Et quid Eccleſiaſtes denunciet audi: Melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij. Et iterum: Riſum reputaui errorem & gaudio dixi. Cur fruſtra deciperis.

Diſcipulus. Nolo vexent te allegationes huiuſmodi quæ ſuppetunt abſque numero, de gaudio vel triſticia ſtultorũ, qui dum lætantur, inſaniunt, dum triſtatur furiunt. Sit colloquium præſens de lamento ſponſæ dum adhuc peregrinatur à ſponſo, poſtquam de canticis & epithalamio ſatis abũdè confabulati ſumus. *Magiſter*. Fiat vt vis, & vnde vis exordiamur? Puto quod à lamento languoris ſponſæ quærentis ſponſum in lectulo quietis. ſ. per noctem cognitionis ænigmaticæ & non inuenientis. Sed neque per vicos & plateas ciuitatis dum anxia circumit & diſcurrit, dum adiurat filias Hieruſalem ciuitatis quæ eſt libera mater noſtra per obſecrationes ardentis deſiderij. Si inueneritis inquit, dilectum meum, annuncietis ei quia amore langueo. *Diſci*. Immo prius ſentio conferendum de lamento ſponſæ, cui ſponſus ob turpitudinem ſuam deformitatem dedit libellum repudij, quia vetula. ſ. & rugis armata, quia depoſita à ſede ſtabilitatis & honoris ſedet iu puluere vanitatis, aut vagatur egreſſa poſt veſtigia gregum illorum qui ab vnitate gregis ſponſi ſe ſeparant, aut certè famelica inanis & egens effecta, paſcere quęrit hædos fœdorum deſideriorum iuxta tabernacula paſtorum, quæ ſunt conuenticula hæreticorum iſtorum qui verbis & exemplis ab ouili paſtoris vnius quod vnicum eſt ſe diuidunt, non amici, ſed ficti ſoles effecti: Fallor ſi non ſponſas tales vetulas & rugoſas, vagas, & eſuriecõſumptas, notabat pulcherrima mulierum, quamuis genere maſculino loqueretur. Non enim eſt in amore ſpirituali maſculus aut fœmina. Dixit ergo de ſponſo: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Itaque ſicut te docente didici pulchritudinem cõſiſtere in veritate, vnitate & bonitate, ſic oportet quod ex iſtorum carentia reſultet turpitudo.

Magiſter. Sagaciter aduertiſti, vnde verò reputas tale incommodum turpitudinis odioſæ accidiſſe ſponſę? *Diſcipulus*. Nimirum ex ignorantia ſui & ſuperbia quorum quodlibet aut diuortium aut repudium operatur. Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere & abi. Ecce de ignorantia porrò de ſuperbia. Vaſti legimus, & in cantico A Mariæ de ſuperbis audiuimus potentibus & diuitibus, nec alicuius (vt dicunt) egentibus, & inſtruit quia miſeri ſunt miſerabiles pauperes, cæci & nudi, quales euomit à ſe Deus, quales diſpergit à mente cordis ſui ſine modo, necnon de ſede veritatis deponit ſine numero, demum manens ſine pondere bonitatis ordiniſque dimittit.

Magiſter. Loqueris ſecundum tropologiam & allegoriã quæ repudiũ huiuſmodi varijs locis notant in ſcripturis maximè prophetis, in Eſaia, Ezechiele, Hieremia, cum cæteris. Eſaias primò ſub B typo vineæ electæ quæ debuit facere vuas & fecit labruſcas, poſtea ſub figura Tyri ſume cytharam pœnitentiæ, circumi ciuitatem eccleſiæ vel cæleſtis patriæ per orationem, meretrix obliuioni tradita. i. repudiata, bene cane & frequentà cãticum per petitionem veniæ, vt memoria tui ſit per reconciliationem miſericordiæ. Talem deplorat Hieremias. Et egreſſus eſt inquit à filia Sion omnis decor eius. *Diſcipulus*. Scio multa ſunt in hanc ſententiam quæ triplicem ſtatum ſponſæ notant. C Quædam eſt reconcilianda per abiectionem turpitudinis vt iſtæ quas loquimur ignorantes & ſuperbæ. Quædam exercenda ad nitorem pulchritudinis. Quædam citius introducenda ad fæcunditatem generationis. Sic quæruntur Aſſuero virgines, quæ primò ſegregantur à populo, dehinc decorantur pigmentis varijs in triclinio, demum collocantur in thalamo. Sic filij Iſrael primò fugiunt ab Ægyptijs, & ſubmerſo Pharaone, per baptiſma fluminis aut flaminis tranſeunt mare D rubrum, poſtea trãſeunt per deſertum, tandem Iordanæ tranſito comedunt terræ promiſſionis fructum. Hæc eſt via trium dierum, poſt quod triduum reperitur Ieſus in templo cælorum in medio ſeniorum ſanctorum ſuorum. Denique triplex iſte ſtatus diuiſione diuiditur, incipientium, proficientium & perfectorum. Nunc eſt quęſtio quid cuilibet huic ſtatui ſponſæ ſit eligibilius, an exultatio vel lamentum. *Magiſter*. Oportet nos addere dictis prioribus primitus diſtinctionem de lamento. Vnum eſt in ſola ratione, non E reddundans paſſionaliter ad ſenſualitatem, & hæc appellatur diſplicentia vel odium vel deſtatio vel abominatio, liberè elicita per iudicium rationis. Sic proportionabiliter de gaudio & deſiderio, & ita generaliter de omni nomine paſſionem ſonante competit accipere ſuo modo.

Lamentum aliud eſt quod oritur & radicatur in ſenſualitate aut ortum in ratione deriuatur & redundat ad cor ſenſuale, non aliter de cæteris affectibus, quos philoſophi ſolas propriè voluerunt F dici paſſiones quæ ſenſum afficiunt & quodammodo affligunt. Amplius verò vt modo notabatur, lamentum vnum eſt temporale, hoc eſt pro ſolis temporalibus incommodis apprehenſis à ratione ſub ratione pœnæ afflictiuæ. Aliud ſpirituale pro ſolis malis culpę, apprehenſum ſub ratione offenſæ diuinæ bonitatis & iuſtitię. Lamentum pœnæ habent damnati, non lamentum culpæ vt offenſiua fuit aut eſt diuinę iuſtitię, qualiter eſt in viatoribus plurimis inuenire. Quibus pręſuppoſitis & alijs declaratis, per doctores quatuor tibi præſentabo theoremata aut paradoxas. i. glorioſas & vix credibiles propoſitiones de lamento culpę,

prout eſt offenſiua diuinę iuſtitię. Hoc enim ſolum propriè eſt laudabile & meritorium, nec poteſt procedere niſi ab electione libera voluntatis. Lamentum offenſę diuinæ, quò maius intenſiúſque fuerit in ſponſa, eò maiorem cauſat in ea ſpiritualem lęticiam. Hoc ſentiebat qui confitebatur domino dicens: Secundum multitudinem dolorem meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Rurſus ſi ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis ad magis, & maximè ad maximè ſecundum regulam philoſophi. Regula vero Chriſti vera eſt quod lugentes conſolatur, quódque triſtitia ſua vertatur in gaudium, poſt lamentationem & fletum (teſte Sara iuniore) conſolationem infundit ergo magis lugens magis conſolatur, & maximè maximè.

Lamentum offenſæ tanto magis eſt in ſponſa, quò fuerat ipſa perfectior in via. Patuit in anima Chriſti ſecundum portionem inferiorem. In Maria verò & in Paulo & in ſimilibus, ſecundum etiam ſuperioris mentis apicem. Vnde iurabat apoſtolus, quod propter fratres Iudæos nolentes credere erat ſibi continuus dolor in corde adeò, vt exemplo Moyſi peteret anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, quaſi deletus de libro vitę, cuius intelligentiam alibi didiciſti. Legis inſuper exhortationem Apoſtoli: Gaudete in domino ſemper, iterum dico gaudete. Ipſum nonne putas quod hortatur obſeruaſſe? Lamentum offenſæ redundans in ſenſualitatem ſponſæ, fortitudinem indicat eò maiorem in ſponſa cæteris paribus quò lamentum plus ſentitur in ſenſibilibus. Pro cuius intellectu cum ſimilibus, vtilis eſt valde diſtinctio iuncta prioribus, quod lamentum quandóque procedit ab obiectis exterioribus immutantibus primò ſenſus quinque deforis vel alterum de his. Deinde tranſeunt ad interiores ſenſus, qui radicaliter ſunt in corde, & in cerebro completiuè, & tandem immutatur ratio inferior vel ſuperior ſimul cum inferiore, & hic eſt proceſſus naturalis communior. Aliquando verò fit ordo conuerſus non aduerſus, quod ex actibus rationis vtriuſque liberè deriuantur immutationes ad cor carnale, & conſequenter ad cerebrum, poſt ad ſenſus exteriores, vt ad oculos per lachrymas, aut ad linguam per clamores, & ad manus comploſitiones, mille modis pro qualitate paſſionum rationis imperio. Loquitur propoſitio de hac proceſſu ſecundo. Cuius hæc eſt probatio, quod maioritas effectus atteſtatur maiori fortitudine ſuæ cauſæ. Attamen actus actiuorum quia ſunt in patiente diſpoſito, poſuit propoſitio noſtra cæteris paribus non ignorans complexiones ſponſæ huius, aut illius varias ſecundum diſpoſitiones ad lamentum vel læticiam, ad metum vel ad ſpem, cum ſimilibus, quorum cauſas expedit eſſe cognitas à deuotis, quorum noticiam theologi & oratores accipiunt à philoſophis & medicis. Per rationem quidem à philoſophis, & à medicis per experientiam. Qua ſuper re noſtrum habes de paſſionibus opuſculum.

Lamentum redundat eò facilius ad cor ſenſitiuum ſponſæ, quò fuerit cæteris paribus minus in ipſa de lamento ſolius pœnæ, minus quoque de reliquis paſſionibus ſenſitiuis, ratione commodi ſolius vel incommodi temporalis. Fundatur A hæc propoſitio in apoſtolica doctrina, cuius rationem explicat propoſitionis noſtræ cauſa. Ait namque apoſtolus. ij. Co. vij. Gaudeo, non quia contriſtaui vos, ſed quia contriſtaui ad pœnitentiam, cōtriſtati enim eſtis ſecundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim ſecundum Deum triſticia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſeculi autem triſticia mortem operatur. Ecce iſtaque poſita eſt diſtinctio ſub apoſtolicis verbis paucioribus expoſita, quod quædam eſt triſticia ſecūdum B Deum, quædam ſeculi vel ſecundam ſeculum. Vna vitam, quia ſalutem, altera mortem, quia ſalutis ſuffocationem operatur. Porrò tam apoſtolicum quam noſtræ propoſitionis verbum, philoſophica cum theologica ratione monſtratur ſi teneamus illud vulgare vel magiſtrale metrum:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Quod ſatyricus aliter explicat. Pectora noſtra duas non admittentia curas. Si igitur fuerit C occupata diſtractáque ratio ſuperior cum inferiori, immo quandóque ſubmerſa & penitus in vſu ſuo præpedita per lamentum ſeculi, conſequens eſt vt vel minor vel omnino nulla ſit ad triſticiam ſecundum Deum ſeu lamentum culpæ liberum. Proportionabiliter de gaudio debet dici. Habes ecce quatuor propoſitiones quæ quoquo modo tuæ petioni ſatiſfaciant mēte pertracto. *Diſcipulus.* Salubria quidem ſunt quæ dicuntur, ſuperſunt tamen aliqua diffuſius exponenda. Non enim ratio D primæ propoſitionis aſſignata eſt, ſed authoritates inductæ, quæ poſſunt intelligi de gaudio non viæ, ſed patriæ, quando ſeruus bonus & fidelis audiet: Intra in gaudium domini tui.

Non prætera calumniabilis eſt ſecunda propoſitio de ſponſa non habente conſcientia peccati, qualis indubiè fuit anima pulcherrimæ mulierum. Sed nec aſſignatus eſt modus concordandi propoſitionem ſimul & apoſtolica verba, quibus iubet in domino gaudere ſemper. Et iterum gaudere, ſi ſemper oportet ſponſam etiam perfectiſſi- E mam ſecundum te torqueri lamento. Amplius qualiter oppoſita ſimul ſtabunt lamentum cor conſtringens & dilatans læticia. Porrò tertia propoſitio videtur inniti totaliter diſtinctionibus deuotionis, ad cauſas naturalis rationis ſeu diſpoſitionis ſenſualis. Denique contra propoſitionem quartam cum ſua declaratione ponit Gregorius quod mala quæ hic nos premunt & vtique lugere faciunt crebrò ſecundum ſeculum ad Deum nos ire compellunt, iuxta parabolam F Chriſti de rege dicente ad ſeruum: Compelle intrare vt impleatur domus mea. Sic Hebræi compellentibus Ægyptijs tenebroſam Ægyptum ſunt egreſſi. Alioquin flagella ſuæ iracundiæ immitteret fruſtra Deus, præſertim in electis vt in ſponſa ſeu reconcilianda ſeu decoranda per exercitium, ſeu ad ſponſum proximius introducenda.

Magiſter. Iure expoſtulas, ſed non omnia pariter dici poterant. Et quidem ratio primæ propoſitionis quę ponitur cum gaudio vię & ſimul lamento taliter accipitur. Deſiderium quanto

feruentius

Digitized by Google

feruentius & efficacius fuerit eò (cæteris paribus vt ſemper intelligi volumus) dum impletur eſt cauſatiuum intenſioris lætitiæ. Sicut enim deſiderium quod differtur affligit animam, ſic oblectat dum impletur. Quis verò neſciat ſponſam pro culpa lamentantem ſecundum Deum deſiderare plurima, quæ lamentum implet ſaltem probabili coniectura. Deſiderat quandoque reconciliationem per abſolutionem culpæ. Hanc efficit lamentationis contritio. Deſiderat abſolutionem pœnæ hanc efficit & operatur in toto vel tanto lamentans confeſſio vel ſatisfactio. Deſiderat augmentum gratiæ, ac perinde gloriæ. Nonne promouet ad hoc lamentans oratio, vel affligens ieiunium, vel depauperans largitio quæ ſemet exinaniuit bonis fortunæ vel naturæ vel gratiæ alijs miſerendo? Rurſum deſiderat ſponſa lamentans purgationem à ſcoria peccatorum, renouationem quoque pulchritudinis & augmentum per lauacrum lachrymarum, debilitationem fomitis, & ſubmerſionem myſtici Pharaonis diaboli. Libidinoſæ præterea commotionis & luxuriæ magnæ extinctionem, cuius obliuionem facit triſticiam vnius horæ. Quid morarer per ſingula, cum nemo poſſit verbis lamenti ſecundum Deum exæquare valorem. Sufficiat apoſtolus vbi ſupra, reddens rationem ſui gaudij, quia contriſtauerat Corinthios ſecundum Deum. Ecce enim hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Iungamus officium hoc vnum lamenti ſecundum Deum quod nihil efficacius ad contemplationis quietem, nihil admirabilius ad mentis illuminationem ſerenam, quam profundè lamentans compunctio. Sententia eſt venerabilis & expertiſſimi talium Richardi, cui conſonant ſanctorum verba multis locis de præconio humiliati cordis. Denique lamentatio ſecundum Deum quanta minus habet de complacentia ſecundum ſeculum, tanto minus ſuſpecta eſt, tanto ſecurior à latente ſuperbia, niſi forte quis diabolico monſtro gignat ſuperbiam ex ſuo contrario, quod eſt humilis lamentatio.

Cæterum propoſitio ſecunda loquitur de lamento culpæ, non propriè ſed alienæ potius quale Chriſtus ſuſcepit pro nobis, cui virgo mater, ſponſa, ſoror & filia ſuper omnes chariſſima, ſe abſque vlla dubitatione conformauit, adeò quod vltronea voluntate conſenſit dilectum ſuum ex dilecto & amicum per amorem, & filium talem pro noſtra redemptione crucifigi, cuius redemptionis poſt filium fuit deſideratrix maximè, fuit zelatrix. Ideo donec compleretur nedum ſufficienter precio paſſionis ſoluto pro omnibus, ſed etiam iugiter & efficaciter in ſingulis nondum damnatis. Ipſa quoad vixit, amariſſimis Deum ſponſum & inenarrabilibus gemitibus poſtulabat, frequenter quoque cum clamore valido & lachrymis exaudita eſt pro ſua reuerētia. Demum quatenus nunc beata & impaſſibilis facta exaudiatur, lamentando tunc meruit. Petis rationem intenſioris triſticiæ in ſponſa quę diligit intentius, dat iſtam perſpicuè conſideratio philoſophica A iuncto fidei lumine. Cum enim triſticia ſit apprehenſio obiecti ſub ratione diſconuenientis, quanto fuerit apprehenſio fortior & clarior obiecti ſub ratione inconuenientis amplioris inſinuati, conſtat inde ſequi lamentum proportionabiliter intenſius. Conſtat proinde malum culpæ improportionabiliter deterius eſſe quocunque malo pœnæ. Quibus attentis quid ſupereſt concludere vides.

Miraris autem quomodo ſummum lamentum B ſtat cum continua læticia. Solet hoc tractari abundè per doctores de paſſionibus Chriſti cum beatitudine gaudij, quod non oportet in beata Maria, non in Paulo vel Moyſe vel Magdalena cum ſimilibus in via ponere gaudium vel lamentum in ſummo continuum fuiſſe, ſed interruptum frequenter aut alternatum ſucceſſiuè, nunc remiſſius, nunc intenſius pro loco & tempore, ſecundum alternas meditationum ſuorum volubilitates circa cardinem ſuum Deum, pro modulis exercitationum. Ita enim videre eſt in alijs viatori- C bus ipſos diuerſimodè ſecundum gradus, officia, ſtatus, cæteraſque viciſſitudines circunſtantiarum exerceri. Hoc vidit qui dixit: Omnia tempus habent proſequens per plurima. Subinde nullus catholicorum negauerit qui tenorem ſcripturæ ſacræ veteris & nouæ qui narrationes ſanctorum patrum cognouerit Antonij, Macharij, Martini & ſimilium per tentationes diabolicas, non in affectionibus carnis ac ſpiritus impugnari, quemadmodum boni angeli nos adiuuant. Quæ tentationes & adiutoria non ſine ſenſuali paſſio- D num immutatione naturali, quamuis non naturaliter ſæpe fiunt, ſit hoc à cælo, ſit à terra, ſit cæteris modis multis.

Poſtrema obiectio tua de tribulationibus procedit ex æquiuocatione. Paſſiones quippe ſenſuales non ex iudicio rationis prouenientes, ſed quadam neceſſitate naturali ſenſibus impreſſæ, non ſunt vt ſic dicendæ paſſiones humanæ, ſed animales. Sunt ob hoc impertinentes ad laudem vel vituperium prout tales ſunt. Dicuntur ideo E per Caſſionum bona vel mala media, quibus vbi contingit bene vel malè per liberum arbitrium. Loquitur autem concluſio de lamento & triſticia ſenſualibus, virtualiter ſeu participatiuè liberis, quia liberè imperatis vel receptis. Tunc enim dicitur triſticia ſecundum ſeculum, ſimiliter & gaudium vel timor vel deſiderium, quando ſola radix eſt amor ſuijpſius vſque ad contemptum Dei. Alioquin ſi referatur in Deum per amorem eius ſuper omnia (cum in habentibus ſymbolum faci- F lior ſit tranſitus) cæteris paribus, triſticia ſenſualis augebit rationalem, & læticia læticiam, niſi de per accidens proueniat impedimentum ratione temporis aut loci, vel complexionis, aut circunſtantiæ alicuius, quam tunc obſeruare ſuadet virtus, & ita ſymbolicam ſimilitudinem variare decet, quando plus obeſſet quam prodeſſet.

Diſcipulus. Diu iam dum ſedulus attendi quæ diſſeris, voluebat animas dubitationem quam modo verbis multis poſuiſti. Cum enim pro ſtatu viæ confuſa aut ſaltē mixta ſint omnia, ſpes, metus, mæror, gaudium, apud ſponſam cuiuſ-

Digitized by Google

cunque fuerit etiam ſupremi & incomparabilis ſtatus, qualem tenuit Maria beata pulcherrima mulierum, non abſurdè quæritur quale ſit exercitium laudabilius, pulchrius atque nobilius vel exultationis vel lamentationis? *Magiſter.* Videtur deuotus Bernardus loquens de vnguentis ſponſæ pietatis vnguētum præponere precioſius eſſe vnguento deuotionis & vnguēto contritionis. Hoc vltimum ſuffunditur ad pedes Ieſu. Secundum ad caput quod eſt Deus, quia caput Chriſti Deus. Tertium ad corpus ſuum vngendum, quod eſt eccleſia nunc militans, quæ vnctio fit per miſerationem alienorum peccatorum, ſicut primum conficitur ex fæcibus contritis propriorum criminum in mortariolo cordis per pilam timoris. Secundum verò conficitur ex redolentibus herbis diuerſorum beneficiorum per pilam ſeu piſtillum ſpei contuſum in petra meditationis. Conſonat Gregorius & eum ſequens Richardus in ſuo Bējamin, quod nullum Deo acceptabilius ſacrificium quam zelus animarum, qui tam trito affectu plangit peccata proximi, quam trito quiuis alius peccata propria lamentatur, immo pluri affectu, quia puriori & perfectiori potentia mētis & corporis ad lamentum ſecundum Deum diſpoſita.

Diſcipulus. Si res ita ſe habet, inæſtimabilis eſt nobis exhibita ſperandi materia, apud dilectiſſimam & apud amantiſſimam fœminarum, & conſequenter apud ſanctos ſanctáſque omnes iuxta proportionem meritorum. Itaque ſi pro peccatoribus ſaluandis cum tanta lamentorum anxietate precabatur, quid agere nunc iſta fornax ſuæ charitatis imperturbabilis & impaſſibilis ſperanda eſt. *Magiſter.* Piè vereque concludis. Quid ſi ſupperaddidero propoſitiones aliquas veræ fidei & bonæ ſpei de beata noſtra? Prima quod nihil abſoluta voluntate petit à Deo quod non obtineat, alioquin non eſſet idem velle & idem nolle ſponſi & ſponſæ, ſed diſſolutio amicitiæ qualis hic eſſe nequit. Rurſus nemo qui petit Maria pro ſe piè & perſeueranter in nomine Ieſu ſaluatoris ſui, hoc eſt ad ſalutem quin illud Maria velit abſoluta voluntate compleri. Rurſus Maria voluntate pietatis, quæ dicitur optatio quædam adiutorij, petit & obtinet nunc efficacius à Deo, quam voluntate ſimili, ſed paſſibili, dum actu dolebat in mundo. Hoc intelligit Bernardus dum dicit: Maria ſi perdidit paſſionem, non tamen compaſſionem. Rurſus Maria tripliciter adiuuat viatores. Impetratiuè ſi non meritoriè propter ſtatum. Commiſſiuè per aliquos angelorum vel ſanctorum quales voluerit deſtinare, cum ſit ſuprema hierarchizans poſt filium purgando, illuminando, & perficiendo. Cooperatiuè quandóque per principalem ſui donationem ſecundum teſtimonia miraculorum multis exhibita tam in morte quam in vita. Narrat Anſelmus cuidam morienti aſtitiſſe Mariam, & interrogata quæ nam eſſet? reſpondit: Ego mater & regina miſericordiæ.

Rurſus ergo Maria poteſt vt cuiuis in ſuo exitu præſens conſolatrix, ductrix & protectrix exiſtat. Non aliter ſuo modo dicere potuimus de omnibus ſanctis ſingillatim ad robur certæ ſpei. *Diſci.* Grata ſunt iſta deuotioníſque pleniſſima. Vellem igitur ſuſcipere ſub doctrina tam ſpeculatiua regulari, quam practica velut experimentali quis ſit orandi modus, maximè prouocatiuus ad lamentum? *Magiſter.* Tradit orator Tullius certos locos, ſecundum quos amplificatur miſeratio ſimiliter & indignatio, quos tibi poſſum nunc numerare, & ad lamentationis excitationem inducere, qualiter à nonnullis comperi factum ſuper lamētationes Hieremiæ. *Diſcipulus.* Placeret adaptatio ſi non faſtideret prolixitas, & non rapina quædam videretur appropriatiua ſibi traditionis alienæ, quæ omnibus patet vltro. *Magiſter.* Veritas à quocunque dicatur, eſt communis omnibus & ſingulis quę per generationes ſe trāsfert, vt loquitur ſapientia. Non enim caruit Cicero priorum doctrina. Sic de rhetorica Ariſtotelis quæ cauſas dat & radices paſſionum. Sic de tractatu orationis per Hugonem ſtudioſiſſimè compendioſiſſiméque condito. Sic de rhetorica diuina Guilhelmi Pariſienſis. Sic de meditationibus Anſelmi, Bernardi, Auguſtini, Iſidori, & ſimilium fas eſſet nos remittere ad autores, eſſet nihil quod non nouiter efficeremus afferre ne corniculam alienis ornatám plumis, riſui nos præberemus. *Diſci.* Non ita certè deſipio, non ita glorior in arrogantia nouitatum vt ita ſapientia. Sed conſilio Senecæ ſint apes imitandæ, colligētes ex multis floribus fauos mellis, itaque materiam afferre non poſſumus, niſi communem toti ſeculo. Forma verò poteſt eſſe noſtra vt elementa communia ſunt, ſed per formas mixtorum in ſpecies diſtinguuntur. Cuperem hoc modo fieret inter nos. Modus enim tractandi quaſi formalis eſt, tollens ſui nouitate faſtidium, & inuitans vel irritans ad eſſentiam. *Magiſter.* Tradidimus in alio tractatu ſuper initium cantici Mariæ quinque verba, ad quæ totam ſcripturarum ſeriem diximus reducibilem, & ſecundum quæ cantabilis eſt omnis melodia paſſionum. *Diſci.* Mente teneo. Sunt enim iſta quinque, Dei magnificentia, munificentia, miſericordia, iuſticia, & noſtra miſeria. *Magiſter.* Quid ſi ad pauciora reduxero ſimul oſtendens concordiam rhetoricæ myſticæ diuinęque cum ſeculari. *Diſcipulus.* Placeret audire. Breuitas enim memoriæ ſimul & ordinis & luciditatis eſt amica. Magnam quoque ſoliditatem habet in ſe doctrina quælibet quam fundat natura rerum, à quibus quia neſciunt mentiri, gloriabatur Ariſtoteles tam multa didiciſſe & phyſicè. i. naturaliter didiciſſe. *Magiſter.* Celeberrimus Hugo pinxit ſic in tabula parua, radices rhetoricæ naturalis orationis inſinuando coloribus. Orator quippe nominatur ab orando. Vnde nomina prouenerunt orationibus Tullij, Demoſthenis & ſimilium, ſic autem incipit. Quo ſtudio quoue affectu orandus à nobis ſit Deus, ex Dei miſericordia & noſtra miſeria &c. Poſitis ſubinde ſpeciebus orationis cum definitionibus, colligit ſe tandem ad tria quæ propriè ſunt oratorum captantium iudicem inflectere. Primum reſpicit perſonam iudicis. Alterum perſonā ipſius aduerſarij. Tertium reſpicit perſonam pro qua fit oratio. Hæc verò tria theologicè reducuntur ad duo pręmiſſa. ſc. ad Dei iudicis miſericordiam & ad noſtram miſeriam. *Diſcipulus.* Quo pacto ſic? cum indignatio & immiſeratio maximè ſolent amplificari

ficari ab aduerſariorum inſolentia, crudelitate, malicia, fraude, dolo, aſtutia, facinore, nequitia, proteruia.

Magiſter. Dicam illud quod theologiæ proprium eſt attendere. ſc. aduerſarium nihil poſſe ad augmentum noſtræ miſeriæ Deo non ordinante vel permittente. Propterea Iob afflictus & orator periti ſſimus, poſt tot aduerſantis ſathanæ crudeles iniurias & perſecutiones, oraturus iudicem Deum pro liberatione ſua, conuertit totam aduerſarij machinationem & tyrannidem in Deum iudicem ſuum per humilem confeſſionem. Dominus inquit, dedit, dominus abſtulit. Non impugnat maledictum ſathanam, nec inſectatur vt raptorem & perſecutorem: Dominus inquit, abſtulit. Sit nomen domini benedictum. Denique percuſſus plaga peſſima, ſcimus quid reſponderit mulieri blaſphemare ſuadenti. Quaſi vna inquit, ex ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu domini, mala autem quare non ſuſtineamus. Ecce mala ſe de manu domini non ſathanæ confitetur accepiſſe. Huc accedit quod omnis aduerſantium crudelitas ad noſtræ cumulum miſeriæ retorquetur, ſi nō auferat iſtam aut comprimat, aut in melius vertat Dei iudicis miſericordia. Nulla ſanè maior miſeria, quam ſi remota pietate velit nos cum ſeueritate tractare. Vides arbitror quemadmodum theologizantium oratio fundatur in domini pietate & in miſericordia, cum cernant pietatem vnam Dei, alteram ſanctorum ſanctarúmque omnium, qui ſunt tanquam aſſeſſores iudicis habentes in conſulendo in ſententiandóque vocem ſuam. Porrò iuſtitia Dei ſpectat ad ſeueritatem punientem per tortores. ſc. dæmones, vel homines peſſimos offenſas peccatorum.

Denique quicquid patimur vndecunque proueniat quid niſi calamitas noſtra, quid niſi miſeria noſtra cenſebitur, ſi non in melius vertat iudicis miſericordia. Et certè ſalubrius eſt, humilius atque modeſtius, totam aduerſariorum debacchationem fremitus & hoſtilitatem, deuotis protinus fidei oculis retorqueri ad ineffabilem diuinæ prouidentiæ legem, quam ad tortorum nihil abſque ſuo nutu valentium crudelitatem & iram conuertere. Mentior ſi non ita practicauerit pſal. Cum tribularer inquit, ad dominum clamaui. Et leuaui oculos meos in montes &c. Ad te leuaui oculos meos &c. Et alibi alios ſine numero à ſacris litteris narratos inuenimus ſic oraſſe. *Diſcipulus*. Perſpicuè concordaſti Hugonem ſecum & cum Tullio, noſtráque verba quinque ſub ternario limitaſti, qualem qui habet ipſo ſigno tau triangulari T quod eſt ſignum lugentium ſalutare ſignatus eſt. Quò igitur progredimur longius, eò ſe plures offerunt quæſtiones, & velut inexhauribili fonte ſapientiæ riuuli ſcaturiunt. Vox iſta multorum eſt. Quid lamentum, quid fletus noſter poteſt coram domino, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, qui nec pænitentia mouetur vt homo, qui res ſic adminiſtrat vt eas proprios motus agere ſinat. Qui nos tentari vult, nonne vult vt hoſtiū noſtrorum non obuiemus inſultibus? Nonne diſpoſuit ab æterno quæ futura ſunt, vt dici valeat illud Sybillæ ad Palinurum: Deſine fata Deum flecti ſperare precando. Quid tandem eget noſtris vel bonis vel gemitibus & lachrymis, qui cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.

A

Sed quoniam tales inuenio dubitationes alibi tractatas, ſtatui non inſiſtere pro hic & nunc. Cōuerto potius inquiſitionem ad Mariæ canticum. Si tres prædictas rhetoricę partes in ſe contineat, quatenus inflecteret dominum pro ſalute conſequenda, nedum ſui ſolius, ſed mundi totius ſatisfaciendo per lamentum, dolorem & fletum, cum nihil audiatur reſonare niſi læticiam, gaudium & laudes, quales confiteor voces hic concrepare conformiter ad quatuor verba Deo conuenientia, quæ ſunt magnificentia, largitas, pietas, iuſtitia. De noſtra verò miſeria verbum nullum, quia quid ad iocundum epithalamium, tibia funerea?

B

Magiſter. Erras ſi miſerationem vllo tempore vel loco, ſi cantico vel ſilentio credideris in Maria defuiſſe, quæ mater ideo dicitur miſericordiæ, quia quodammodo ſibi proprium eſt miſereri miſeris, quæ figuratur aptè per templum ſine ſimulacro dedicatum Athenis ipſi miſericordiæ, cui ſolis lachrymis & gemitibus offerebatur ſacrificium, non ſanguine hircorum vel taurorum, de quo Statius. Nullis incluſa metallis forma Dei, mentes habitare & pectora gaudet. Fortaſſis iſta fuit ara, cuius titulum legit Paulus, ignoto Deo.

C

Diſcipulus. Patefeceris ergo quod loqueris de lamento Mariæ cum cantico. Proderit itaque generaliori cognitioni totius rhetoricæ cordialis, dum exemplo doctrinam firmaueris ſimul & chordulam noſtri pſalterij decachordi quam modò tangendam accepimus commodius adaptabis.

D

Magiſter. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Ecce duo, miſericordiam. ſc. Dei ſubuenientis, & miſeriam peccatoris timentis Deum & orantis. Puto non dubitas de Maria quin cum propheta vidit omnis cōſummationis finem. Credis præterea quod noſtræ redemptionis myſterium fuit finis huius cōſummationis, de qua non ſiluit Chriſtus in cruce, dicens: Conſummatum eſt. Cognoſcis ſubinde quot & quantas, quales & quotiens lamentationis materias ſecum habuerit finis conſummationis huius myſterij. Denique non negabis quin Maria conſeruabat omnia verba hæc conferēs in corde ſuo. Hoc eſt enim ſecretarij ſui Lucæ teſtimonium.

E

Diſcipulus. Omnibus his aſſentio, progredere.

Magiſter. Concedis inſuper quod Maria non ſatiabatur dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilij diuini, ſuper admirabili piiſſimo myſterio redemptionis generis humani, cum ſimile legas de Auguſtino. Cuius ſenſus interiores non erant perfectionis illius & perſpicaciæ, comparabiliter ad Mariam. At verò legimus pariter in Auguſtino lachrymas & lamenta, & potiſſimè circa mortem ex duplici recogitatione, legenda ſua teſte. Dum profundius ſecreta diuinitatis, & familiarius miſeriam humanæ fragilitatis rimaretur, nec referas volo lachrymas ſuas ſolam læticiam, quia ſubditur ibidem quod lugubrem & amariſſimam tunc duxerit vitam. *Diſcipulus*. Non adeò ſum hebes vel incredulus euangelio, vt negem in Maria fuiſſe lamentum, nec in hoc verſatur inquiſitio præſens. Sed conuincas peto lamentaſſe Mariam in cantico.

F

Digitized by Google

Diſcipulus. Talia præparare non ſine væ volumus, addentes ne dicenda forte nimis horreſcas, quod Maria iugiter in omni meditatione ſua & contemplatione dicere potuit: Oculi mei ſemper ad dominum, quoad vim cognitiuam, & illud: Fiat voluntas tua, quoad indeuiabilem amoris aſſenſum, quo fiebat vt nullo turbaretur fletu vel lamento contra iudicium rationis, quod diuinæ voluntati per omnia concors erat, nihil volens niſi quod eam velle volebat ſponſus. Nunc accipe finem cur Maria cecinerit in exultatione ſpiritus: Magnificat anima mea dominum? Vtique quia magnificata erat vehementius. Cur magnificata? quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, & quia fecerat ei magna qui potens eſt, vt omnino liberaliſſimus diſtributor. Proinde ſubditur ſecundum in quo ſumus: Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Progredere, tunc terribile reſonabit diuinæ potentiæ ſeueritatis & iuſtitiæ tonitruum, aduerſum miſeros & miſerabiles, tam homines quam angelos ſuperbos diſperſos, potentes depoſitos, diuites exinanitos. Nunquam pertractare potuit ſecum Maria totam vim tantæ ſeueritatis in Deo, calamitatis pondus in hominibus non damnatis, quin cōpaſſione mouerentur, quin concuterentur beata viſcera ſuæ pietatis pro omnibus hominibus præteritis & futuris atque præſentibus, quantum in ſe erat, conformiter ad filium redimendis & ſaluandis. *Diſcipulus.* Aduerto quod intendis. Sed videamus ſi recognitio diuinæ ſeueritatis diſpergentis ſuperbos, potentes deponentis, & diuites exinanientis, fuerit ipſi non lamenti, ſed gaudij magna materia. Iuxta illud: Lætabitur iuſtus (qualis planè iuſtitia fuerat in Maria) cū viderit vindictam. *Magiſt.* Lætam verò non negauerim in cōformitate voluntatis ad Deum, ſed acerbiſſimè contriſtatam ſimul cum vnico, propter iniquitates, peccata & ſcelera atque delicta qua talem diſperſionem & exinanitionem demeruerunt, præſertim pro illis quos forte redimendos efficaciter præſumebat, & orabat verbis intus in corde formatis, & honore prolatis. *Diſcipulus.* Quid orabat? *Magiſter.* Quatenus iterato reſurgerent ad vnionem, ſublimationem, repletionémque bonorum. Nimirum cum filius in cruce pendens pro tranſgreſſoribus orauerit. Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Audiebat ſæpe talia Maria recordata miſericordiæ filij ſui, qui ſuſcepit Iſrael puerum ſuum. Intuebatur ergo Maria dum caneret contra ſuperbos potentes diuites abyſſum imperſcrutabilem miſeriarúmque inuocabat abyſſum miſericordiarum in altera abyſſo, quæ eſt catharactarum Dei. Catharactæ quid aliud dicunt niſi vias occultiſſimas diuinorum iudiciorum, de quibus pſal. Iudicia tua abyſſus multa, qui terribilis eſt in conſilijs ſuper filios hominum. In cuius manus horrendum eſt incidere dum arripuerint manus ſuæ iudicium, dum acceperit hoc eſt ad ſe ceperit tempus, vt poſt miſericordias iudicet iuſtitias, quando reprobis eſt intonaturus: Ite in ignem æternum. Grande malum proijci à facie domini, & talis domini, peius dum eiecti maledicuntur. Rurſus malum additur, quia pergunt in ignem. Quod verò ſubinfertur in ignem æternum, nec æſtimari quidem poteſt quantum ſit horrendum.

Nonne quæſo hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione beata noſtra prudentiſſima fœminarum? Nunquid non obſecro totus tremor, horror & dolor occupabat pios artus ſuos, lachrymæque decor manabant ex oculis, quamuis in domini voluntate mens immota maneret? *Diſcipu.* Non fruſtra dubitaui qui redeo nedum certior de Mariæ lamento, ſed doctior ex iſtis ſimilia colligere, qualia vides ſeriatim ex primo verbo magnificationis, per reliquum cantici pulcherrimum ordinem reperiri. Nullus demum mihi ſupereſt ſcrupulus de concluſione collationis alterius, quod in omnes affectionum voces, Mariæ ſe mens in hoc cantico cum omni facilitate vertebat, & maximè dum attendo quanta puritate, quam integra perſpicacitate ſenſus intimi cordis prædiri erant ad audiendum, videndum, odorandum, guſtandum, contrectandum, interpretandum ſeu loquendum ſpiritualia cum corporalibus, à ſummo cælorum vſque deorſum in operibus, quæ dominus volens fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Eſt enim contemplatio liber mentis intuitus ad res perſpiciendas circunquaque diffuſus, tanquam ſi inſtar Benedicti ſub vno ſolis radio, totus mundus collectus cerneretur. Coniecturo de ampliatione cordis Mariæ, dum de patre ſuo Salomone legitur, quod dedit ei dominus ſapientiam & prudētiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam quæ eſt in littore maris. Nemo fidelis dubitauerit quin amplitudo cordis incomparabilis maior emicuerit in Maria.

Magiſter. Si conceſſa modò volueris cum traditione cantichordi conferre, concludes faciliter quod nedum in toto cantico, ſed in ſingulo verbo & ad quamlibet notulam, potuit Maria ſicut peritiſſima & exercitatiſſima cantatrix cum organo gutturis interioris verbula multiplicare non æſtimabilis harmoniæ. *Diſcipulus.* Conferam aliàs. Nunc inueſtigemus ſi lamentationes Hieremiæ, coaptauerit aliquando Maria cantico ſuo pleno lamentis cum gaudio. Et ſi ſic vtrum plus ad literam de deſtructione materiali Hieruſalem quam ad tropologicam domorum ſubuerſionē in anima peccatrice, intellexit & ſenſerit compatiendo ſponſæ repudio. *Magiſter.* Nunquid oblitus es quæ de lamento culpæ ſecundum Deum monſtrauimus, cuius reſpectu lamentum pænæ vix eſt alicuius momenti, quemadmodum canticis canticorum licet verba ſunt carnalia, ſenſus omnino ſpiritualis requirendus eſt. Non ſecus intelligere poſſemus de lamentationibus Hieremiæ, immo generaliter de omnibus hymnis: non quod litera neganda ſit vel abigēda, ſed quod ſenſus ſuauior & ſalubrior latet in medulla, quæ præcipuè inquirere decet ſponſam, quæ ſe dedit ſtatui lugentium in tempore nouitiatus & probationis ſuę in hoc mundo, ſub ſponſo & abbate Chriſto. *Diſci.* Heu mihi meíſque ſimilibus qui totis, non dicam horis, non diebus, non hebdomadis, ſed menſibus & annis aridi manemus, non ſuſpirantes, non gemētes & flētes in hac lachrymarū valle. Nunquid certę reprobationis æſtimabitur ſignū? Cor enim durum malè habebit in extremis ſiue in nouiſſimo. Et quid aliud cor durum quam cor lapideum

Digitized by Google

lapideū, cor adamātinum prorſus inſenſibile manens ad omnes diuinorum canticorum litteras, notulas & voces. Læditur vetus homo noſter, ſpoliatur bonis fortunæ; tollitur ſuperbia. O quam mox defletur lachrymis amiſſa pecunia veris, cum tamen oportuerat lamentis amarioribus animam deflere perditam, flere repudiatā, quam ſola mors gehennalis expectat. Væ væ qualiter expectat? Certè demergendam in ſtagnum ſulphuris ardētis, vbi fumus tormentorum aſcendit in ſecula ſeculorum. *Magiſter.* Iure flemus dum nos flere nō poſſumus. Quid miſerius miſero non miſerāte ſe? plorat Auguſt. Cuius miſeriæ, dum cauſas inſpicimus, illæ multos à deſperatione reuocant; alios in ſpem maiorem attollunt, alios formant ad humilitatem, alios in ampliori ſecuritate conſtituūt; nonnullos verò damnabilis ingratitudinis vel inertiæ reos monſtrant. *Diſcipulus.* Cauſas ediſſere. *Magiſter.* Diuiſiones itaq; gratiarum ſunt. Eſt autem gratia compunctionis lachrymoſæ donum ſpiritusſancti, faciens poſtulare gemitibus inenarrabilibus. Datur aliquando gratia in corde molli & pio qualem fœmineus (niſi degeneret) habet ſexus, hic facilis ad lamentum, compaſſionem & fletum. Datur alij par gratia deuotionis; quamuis ſit in eo cor virile propter ſiccitatem vel complexionis rationem. Quis habuit excellentius ſtrennuitatem cordis naturalem quam Dauid ipſe qui puer, leonem interfecit & vrſum? Qui inermis Goliath multis terribilem aciebus armatis inuaſit, deiecit, iugulauit? Quam magnanimus, quam bellicoſus, quam victorioſus extiterit legimus. Nulla tamen muliercula, nullus puerulus delicatus ita faciles ſtillat lachrymas, quam faciles ad Deum & ſub Deo vir talis & tantus rex Dauid orando fundebat. Teſtes ſunt omnes pſalmi ſui, pœnitentiales præcipuè, quos lachrymis rugitibuſque lamentis, gemitibus aſſiduis plenos liquit. Sunt alij ſe magnanimes per arrogantiam reputantes, iudicio quorum flere indecorum in orationibus aut canticis.

Sunt qui lachrymarum laudant lauacrum; ſed eas haurire de puteo cordis per chordam meditationis & in peluim oculorum immittere ſunt inertes. Eſt in alijs fons cordis limo repletus terrenę cogitationis, vt ſcaturire non valeat. Vult alios Deus in humilitate ſicci cordis cuſtodire, ne ex effuſione lachrymarum ſuperbiant.

Supplet in alijs carentiam intrinſeci doloris cordialis per dolores exercitationis corporalis multis modis, vt qui non habent irriguum ſuperius in corde quo delectentur balneati, nec inferius quo purgentur abluti ipſi tanquam ferrū vel æs vel argentum ponantur in camino tribulationis, animas clarificare vel emolire valentis.

Sunt qui nauſeant ſuper manna delicatiſſimo verbi Dei, ſuſpirantes ad alium, vel pepones, vel carnium ollas Ægypti; carnales ſcilicet delectationes in fabulationibus, in rumoribus, in deſiderijs mundi continuis. Poſſunt aliquando tales plorare fatemur, ſed fletu ſeculi, non ſecundum Deum quem iterum deflere neceſſe erit, quia mortem operatur tam culpæ quam pœnæ æternę. Videbis alios qui præſentis miſeriæ curas rumoreſq; vndique alienas, inutiles, immo noxias veróq; lamento contrarias ſemper accumulant.

A *Diſcipulus.* Vetas ergo flere damna ſeculi, mortes parentum ſubuerſiones regnorum, ſtrages corporum. Vbi erit illud apoſtoli: Flere cum flentibus, vbi pietas naturalis? vbi Chriſtiana charitas? vbi paſſio proximorum. *Magiſter.* Fortiter impellis ſi non reſtitero, aut ſi non cautus aliorſum declinauero. Vtrumq; difficile, ſed armabit nos gladius biceps verbi Dei, viamq; faciet euadendi. Paratus eſt hic gladius aperire ſepem obicis tui, diuidendo lamentum iuxta diuiſionem circunſtantiarū, potiſſimè finium, quod fiet theologicè, ſi fodiamus B originem lamenti ſecundum duplicem moralis ſcaturiginis ſuæ venam. Hæc vena certiſſimè amor eſt. Quis enim flet niſi quia læditur amor ſuus ſc. quod amat in ſe vel in altero? Porrò philoſophi ſecundum diuiſionem boni triplicis, triplicem amorem poſuerunt. Theologizans ſiquidem Aug. coarctat amorem ſub duplici fine ſimilis cum origine proportionali, dicens, quod eſt amor ſui, ſupple vel ſuorum vſq; ad contemptum Dei per inobedientiam præceptorum. Et eſt conuerſus ad C priorem euerſum qui eſt amor Dei vſq; ad contemptum ſui, ſupple & ſuorum. *Diſcipulus.* Non refugio diuidentem hunc gladium, ſi iam patefeceris per eum. *Magiſter.* Dum quis flet damna bonorū temporalium ſecundum aliquod genus boni vel honorabilis vel vtilis, vel delectabilis ex primo amoris ſui in finem contemptus Dei, nemo Chriſtianus dubitauerit quin peſſimus ſit & deflendus fletus iſte. *Diſcipulus.* Nec dubito, ſed mediū inuenio, qui nec ad Deum dirigitur, nec con-D temnit ipſum, qualis eſt pius amor naturalis bonus de genere. *Magiſter.* Pellis iterum ad aliud deuium ſi ſit aliquis actus indifferens inter bonum morale & malum, & inter bonum meritorium & malum demeritoriū. Declinemus ad præſens talem introitum, & dicamus ſub compendio de fletu deliberato, bono vel malo, ex vltimo fine Deo, cum circunſtantijs ad finem illum poſitis vel neglectis ſeu reiectis. Non enim agit homo lamentum in genere, ſed agit lamentum in numero teſte Ariſtotele, quia actiones ſunt ſingularium. Fit E igitur lamentum cum circūſtantijs & fine. Quiſquis ergo flet deliberatè temporalia vel ſeipſum, aut addit conditionem Deo quā apponere Chriſtus docuit tam verbo quam exemplo ſuo. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Fiat voluntas tua, & ita plorat meritoriè, ſi dicto ſuo nō diſſentit affectus vel effectus ſuus. Si verò conditionem huiuſmodi nec affectus nec effectus plorantis addiderint actu vel habitu, lamentum iam eſt ſeculi non ſecundum Deum & mortem operatur. Loquimur tamē (vt expreſſimus) de fletu hu-F mano. ſ. libero. Non enim eſt in poteſtate noſtra, quandoq; multis viſis aut ſenſatis non plorare cōtranitente etiam voluntatis affectu pro tempore. *Diſci.* Sunt aliqui qui nec vno modo nec alio modo flere poſſunt etiam dum affectant, qualiter implebunt illud apoſtoli pręmiſſum. Flere cum flentibus? Sunt & qui lamentationibus ita ſunt abſorpti ſeu depreſſi, quod gaudere cum gaudentibus vim non habent. *Magiſter.* Vna eſt per omnes paſſiones communis difficultas, & ſiquidem deſit facultas; ſufficit & ſupplet voluntas.

Ecce debet aliquis modo flere cum fletibus, gaudere cum gaudentibus, non inuenit fletum, deſi- A deret aut deſiderare concupiſcat, imitando pſal. Concupiuit inquit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Valet hoc conſiliũ in multis, & apud multos, tamen maximè paruulis in Chriſto, nondum habentibus exercitatos ſenſus pro conſuetudine boni operis, aut qui tentationum ponderes, vel interius vel exterius conturbantur, dum in eis obtenebratur intellectus alligatur affectus, obturbatur affatus, tollitur effectus. Suppetunt exempla plurima pro pluralitate ſcandalorum, vt à carne ſicut in leproſis & philo- B captis & ægrotis, vt à mundo ſicut in calumniam paſſis, ſpoliatis, carceratis, & alijs mille modis, vt à diabolo. Demum à diabolo nullus eſt qui ſe abſcõdat, qui circumit aſſiduè quærẽs quem deuoret. Sit aliquis cui dedit otium Deus vacãdi ſibi ſit ſegregatus in eremo vel cœnobio ab humanis turbidinibus, quamquam non ignoret bella opiniones ve bellorum cum cæteris. De quibus ait Grego. quod neceſſe eſt multa mala præuenire vt malum valeant ſine fine nunciare: Aut ſi ſit talis C in ſeculo ad quem nihil de regimine publico ſpectat temporali vel eccleſiaſtico. Aut forte nihil percipit auditu de talibus qualis erat in palma vas balſamitę cõtemplationis & ſeraphicę ſurſum deuotionis Maria Magdalenæ: qualis altera Maria Ægyptiaca, qualis primus eremicula Paulus. Quęratur ſi fas ſit cuilibet talium, nec lugere nec gaudere pro proximis, quos retinens mundus exagitat viciſſitudinibus infinitis, hoc nõ abſurdè quæri ſciet ille, qui cognouerit plures acerrimos pati D ſcrupulos, ſi non defleant bellorum varios euentus mutationẽſque regnorum. Sapiens eſt (dicunt alij) qui non curat in cuius manu mũdus ſit. Quid ſi pereunt peritura? Tales contrariæ conditionis referunt Seneca & Flaccus philoſophus, vnus puto Heraclitus, ad omnem occurſum hominum, ridendo cachinnabat. Adeò nihil ſerium ſibi fieri videbatur. Alius Democritus, humanos inceſſanter deflebat errores, de quo mirandum dicit Flaccus, vnde oculis tantus ſuffecerit humor? Nemo in primis obligatur ad lachrymas exteriores oculi, E ſufficiunt illæ cordis ſeu iudicij rationis, quæ nihil aliud dicunt quam compaſſionem alienæ miſeriæ, quæ compaſſio interior deſiderat ſubleuationem facere, prout oportet & quomodo oportet cum cæteris circunſtantijs, ſi facultatem haberet. Nullus præterea tenetur pro quolibet tempore vel incommodo compaſſionem affectualẽ vel effectualem accipere, dum occupatio ſuppetit in affectionibus & operibus alijs ſaltem bonis, & ſi non æquè vel magis bonis. Non enim tenetur F homo ſemper ad melius faciendum. Tollit hæc doctrina ſcrupulos ab omnibus de quibus inquiris, ſi ſe circa diuina & ſpiritualia ſæpius afficiant humanis affectionibus non inſpectis, quibus obuiare ſuum non eſt, nec ex officio, vt ſupponitur, nec ex neceſſitatis articulo, dum poteſt afflictis probabiliter aliunde ſuccurri.

Cæterum nemo ptius & ſapiens imitator eſſe debet alterutrius philoſophorum quos inducis, quia miſeriam alterius ridere, intemperantis eſt & ſuperbi, dolere verò quamlibet ſortem humanam intollerabilis eſt miſeria vel inuidiæ ſtultiſſimæ, de qua in Iob: Stultum occidit inuidia. Et Lyricus: Inuidia Siculi non inuenere tyranni Tormentum maius. Et Flaccus - Inuidus alterius rebus marceſcit opimis. Hinc quidam cum vidiſſet triſtem alium. Euenit tibi inquit, aliquid mali, aut alteri aliquid boni.

Rurſus appropriatè pro Chriſtianis ſcientibus illud Apoſtoli: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum & quod Dei prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur. Addimus pro ſerenatione conſcientiarum de quibus inquiris quod ſecurè poſſunt in omni recogitatione miſeriæ tẽporalis, ſit illa propria, ſit communis in ſolatium recipere omnia quæ ſcripta ſunt de patientia tribulationum ſuſtinenda, quemadmodum Petrus admonet omnem curam noſtram & ſollicitudinem proijcere in eum, non ſolum tuam de te, ſed omnem de omnibus. Neque enim tibi plus oneri debet eſſe cura vel ſollicitudo aliena quam propria, vt non excutias iſtam ex humeris tuis ſuper Deum. Lege quemadmodum Chriſtus in cruce tanquam gratia Dei dilectiſſimam commendauit matrem ſuo dilectiſſimo diſcipulo, nec poſtmodum de matre verbum vllum inuenies. Hoc itaque exemplo docemur, cruci religionis affixi, domum patris & matris obliuiſci, & eſſe ſuper terrã ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia. Quiſquis iſta compleuerit, ſerena pace gaudebit, in vtramq; paratus fortunã temporalium vel dextrorſum vel ſiniſtrorſum, quaſi neutrius partis exiſtens, niſi quam Deus monſtrauerit eligendam non quod non oremus pro principibus & amicis iuſtè certantibus, ſed quod omnino voluatur & terminetur ad hoc centrum. Oratio: Fiat voluntas tua. Nunquid non hoc modo reſiſtentes inuicem apud Danielem angeli, habent ſub expectatione diuinæ diſpoſitionis concordiam. Potes addere quod pro varietate circunſtantiarum expedit nũc diutius frequentari lamentum, nunoverò gaudiũ ſpiritus plus aſſumi. Exemplum de duobus fratribus concluſis in carcere pœnitentiali. Vnius meditatio magis erat ad pœnas inferni quas demeruerat, alterius ad gaudia paradiſi quæ ſperabat, hic ſecundus pulchro vegetóque corpore, alter ſqualida cute vix oſſibus hærente, ſententia patrum in eis par meritum iudicauit.

Poſtremò teneatur Pauli determinatio cum ſapiente, omnem triſtitiam ſeculi à corde pellendã. Quod ſalubriter poteſt ad omnem paſſionem, ſit gaudium, ſit ira, ſit deſiderium, ſit timor, quando non eſt ſecundum Deum apte trahi. Non eſt ante ſecundum Deum ſi tollat aut non ædificet debitum religioſæ deuotionis affectum vel intellectum cum affectu. *Diſcipulus.* Væ miſeris quibus licebat flere ſibimetipſis totos intendere, vacare & videre quoniam ſuauis eſt Dominus. Qui nihilominus ſe derelinquunt nec ſe nec alios dignè flentes. Qui rumorum fabulationibus indulgent, ſed non vt lex tua Domine. Qui gratis occupantur nil profuturis, cogitationibus vagis, quibus cum ſe oblectauerint, dicente Seneca, triſtes manent, nec ſibi nec alijs vtiles.

Inutiles crebrò quia tempora furantur, rem prçcioſiſſimam, nec redituram. Graui poſtremò ſe

Digitized by Google

ſe falce onerant, impediunt, circunligant, mergũt, per murmur, per detractiones, per lætitias de caſu inimicorum, per crudeles incompaſſiones ſuper perditiones animarum, gaudentes de partialitate valitura nihil alijs, obfutura plurimum ſibi. Dicũt tamen: Hoc agimus & quærimus vt oremus attentius, immo verò vt ſedulius vos damnetis.

Magiſter. Intras ſatyram cui nulla poterit par eſſe tragœdia quin potius redeamus ad beatæ noſtræ lamentum, quod nobis ſit in exemplar fructuoſæ lamentationis. *Diſcipulus.* Neſcis quãtum doleam plenus indignatione ſpiritus. *Magiſter.* Vide ne lacum intres quẽ fodiſt gemens fruſtra, fer eos quos non habes fas corrigere, timori quoque Dei locũ linque. *Diſcipulus.* Cõferamus laudo de beata pulcherrima mulierum, nedum quonam modo lamentata ſit & plorauerit, ſed de quolibet vniuerſaliter affectu, qualiter vſa fuerit in cãticis & hymnis canticordis, hoc eſt in exultatione cordis ſui. Certè nos interea deferant mordaces & noxiæ curarum muſcæ, mentis irruentes oculis & ſuauitatem deuotionis cum ſabbati tranquillitate perdentes. *Magiſt.* Reficiat tamen antea noſtri laborem multiloquij quies oportuna ſilentij. Cras agemus vt voles. Cuiuſlibet interea ſigillatim apud ſe vigeat recordatio, lamentum nutriens & confirmans timoratum apud Deum; quia miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Sequuntur decem & octo conſiderationes.

Prima ſit miſericordia Domini timentibus eũ. Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum, nomen ſanctum & terribile. Scio canente te beatiſſima virgo (teſte prophetico ſermone) quia beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Iungitur meritò ſpes de miſericordia ad timorẽ de iuſticia. Sicut enim nomen Domini redditur ſanctum & ſuaue ſperantibus, ſed ne dulcedo mellei ſpiritus plus cõmedatur quam ſatis eſt, terror additur diſtrictioris iuſticiæ quaſi ſalis ad ſaporem. Terret te ô anima Deus vltionum Dominus, Deus iuſtus & iuſticias diligens, alliciat miſericors in eſſentia & miſerator in efficacia, Dominus ſuauis & multum miſericors. Damnat te thronus iuſticiæ, adi cum fiducia thronum miſericordiæ dum licet appellare, dum adhuc dies eſt comparitionis, dũ miſericordia ſedet in throno ſuo quæ exuperat iudicium. Caue ne differas quouſque Dominus accipiat tempus à te, tunc vtique iuſticias iudicabit, nec appellare licebit. Ecce confugit ad thronum miſericordiæ reus iſte ô beatiſſima virgo regina miſericordiæ, defende iura curiæ regni tui cum filio tuo, dum ſedes à dextris in ea, dum tempus eſt miſerendi. Defer appellationi meæ ſuſcipiens eam ad te. Non remittas ad ſedem iuſticiæ, quoniam terribilis eſt nimis & aggrauans, & inſuſtẽtabilis ira eius. Horrendum eſt denique incidere in manus eius, dicit Apoſtolus.

Audio quid moneat immo iubeat miſericordia. Si vis miſericordiam, fac miſericordiam & ama eam, ſerua leges curiæ quas dictat miſericordia. Quales leges? Dimittite & dimittemini. Nolite iudicare & non iudicabimini. Date & dabitur vobis. In qua enim menſura menſi fueritis remetietur & vobis. Denique iudicium ſine miſericordia fiet ei qui non fecerit miſericordiam. Remota miſericordia & quis iudicium ſuſtinebit? Credo domina quia ſic eſt, adiuua incredulitatẽ meam. Conſcius itaque ſum mihimetipſi, quod ex corde deſidero dimittere debitoribus meis, ſicut vult & præcepit miſericors filius tuus, ſed trepidat conſcientia ſuper effectibus. Deſideriũ pauperis exaudiet Dominus, præparationem concupiſcentis dimittere magis aſpiciet quam ad exhibitionem operis. Si non ſatis effecero quod in me fieri concupiſco, vt dimittãtur mihi peccata mea, fiat mihi ſecundum deſiderium, qualiter ea cupio mihi dimitti, dimittam & debitoribus immo generaliter vniuerſis. Deſideret igitur miſericors filius tuus ô regina miſericordiæ, deſideret te orante, quatenus mihi dimittat peccata mea, certè cum ſibi ſuppetat poſſe in omni quod deſiderat (ſi deſiderare dici poteſt) dimittet, vtique talem me faciet cui dimittere iam ſit opus iuſticiæ ſuæ, quia promiſſionis, dimittite & dimittetur vobis. Dicam tamen aliqua quorum mihi videtur eſſe teſtis conſcientia, ſi fallitur, corrigatur. Dimitto tali deuotione cuilibet debitori pro Chriſto in vita rea, quod nullum volo reum fieri debiti pœnæ gehẽnalis, & tandem à paradiſo ſecludi. Abſit hæc iniquitas tam crudelis. Dimitte rurſus tali ratione, quod nulli vellẽ pœnas inferri vt pœnæ ſunt vijs iniuſtis. Nullas inſuper moleſtias procurare fieri iuris ordine (qui tuus eſt ô Deus) interrupto. Si autem pro te aut tuos iudices ſubordinatos iudicium infligis ad correctionem malorum & innocentium ſubleuationem aut conſolationem, benedictus tu in omnibus operibus tuis, quia iuſta ſunt in omnibus vijs. Oro planè mihi ſic dimitti iniquitates meas per afflictiones in præſenti, ſub manu miſericordiæ tuæ, quatenus non reſerues eas, vbi & quãdo horrendum eſt incidere in manus damnantis iuſticiæ tuæ. Da mihi miſero mater miſericordiæ, quatenus miſerear animæ meæ placens Deo, habeam odio iniquitatem, quia qui diligit iniquitatem odit animam ſuam. Quid autem infidelius quid crudelius quam odire animam ſuam? quia qui ſibi nequam, cui bonus? Sẽtio domina miſericordiæ, ſentio, fateor, & ſi negare præſumerem, mentietur iniquitas ſibi. Sentio, væ miſero mihi, commotiones aliquandò varias aduerſus ſimiles mihi peccatores, aut minus peccatores, præſertim ſi mihi aut meis verbis vel operibus moleſtias inferunt, etiã ſi iuſtę ſunt. Renitor ô domina dum veniunt commotiones ad iudicium ſuperioris rationis, vellem non moueri, non iraſci, non formidare, non conturbari, ſed imperfectum meum viderunt oculi tui, gemò ſub pondere veteris hominis mei, velle pacis mihi adiacet, ſed poſſe nõ inuenio. Fiat domine voluntas tua, ſicut in cœlo rationis ſic in terra ſenſualitatis. Sed hoc aliquando datur non ex toto perfectè, quouſque abſorpta fuerit mors in victoria laborabo & onuſtus ero quamdiu ſum peregrinus à te. Onerat corpus, onerat quotidianum opus, onerat peccans proximus, onerátque diabolus aſtutus, caro blanditijs, mundus anguſtijs, demum ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, iniquitates meæ cum omnibus iniuſticijs.

Succurrant obſecro quadrigæ tuæ, quadrigæ Aminadab qui voluntarius interpretatur. A Benigne fac Domine in bona voluntate tua mecum id eſt bene ignite age cum quadrigis his virtutum ignitis, vt Heliæ. Subleuent fides, ſpes, & charitas, veniant equi tractores quadrigarum cum rotis quatuor virtutum totidem Cardinalium. Iſta ſeptem onera moleſtiarum, fides onus corporis, ſpes onus operis, charitas onus proximi peccatoris. Prudentia ſuperet aſtutiam, temperantiam, concupiſcentiam, fortitudo triſtitiam, iuſticia poſtremò omnem nequitiam.

B Lætetur cor quærentium Dominum, iubet hæc virgo ſuauiſſima filius tuus totus deſiderabilis per prophetam: Fiat in me quod iubet, fiat quod ſequitur. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. Ita domina ſim numerus in generatione quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Vę quid tibi & lętitiæ peccator ſtolidiſſime? nunquid non audis? nonne pauefcis verbum ſapientis? Nonne decent ſtultum delitiæ? nonne legis quod melius eſt ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij? C Et rurſus: Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, cur fruſtra deciperis?

Sed ex aduerſo conſolantem & conſulentem audio, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Totus deniq; pſalmorum decurſus inuitat ad exultationem, gaudium & laudem, nedum homines, ſed generaliter omnes creaturas. Hinc de hominibus in ſpeciali: Beatus homo qui ſcit iubilationem. Quid autem eſt iubilus niſi gaudium cordis intenſum, quod nec retineri poteſt D intus, nec foris exprimi. Hilarem ad extremum datorem diligit Deus. Onerosa res Domino ſuo ſeruus triſtis, delectat alacris hilaritas obſequentis. Qualis honor Domini ſi ſeruus ſemper horreat eum tortorem, vt deluſorem, vt irriſorem & tyrannum? Crudelem litē hanc ô anima Chriſtiana iam ſcripſimus abſolutam ex apoſtolica diſtinctione de triſtitia & lætitia ſecundum Deum & ſecundum ſeculum, ſecundum veterem & nouum hominem. Cæterum finis & intentio lætitiæ tuæ nomen imponet, ſi timorata. E Lætetur inquit propheta ad Dominum cor meum, quo fine? vt timeat nomen tuum ſi cum modeſtia. Gaudete in Domino ſemper. Sequitur, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Si ſuauis in ſpirituſancto, ſi grata, ſi ſeria, ſi modeſta, ſi ſubtriſtis in veteri homine, ſi verecunda coram Domino, ſi vilis ſibi ſperet in miſericordia Dei, ſi lachrymoſa cum decore, ſi queruloſa cum pace, exultabunda cum timore. Commonitio denique ſapientis: F Qui diligitis dominum timete illum. Ecce timorem. Deinde de miſericordia & lætitia ſimul in oblectationem id eſt omnem lactationem, vobis veni & miſericordia. Rectè quidem ad Mariæ cãticum, & miſericordię eius à progenie in progenies timentibus eum. Vnde? propter generale in omnes beneficium. Magnificat anima mea dominum. Initium quoddam tangens modum expoſitionis moralis ſeu tropologiæ lamentationũ Hieremiæ. *Aleph.* Quomodo ſedet deiecta ciuitas animæ meæ, prius plena populo virtutum omnium, nunc ſola & ſolitaria facta, locus ſpinarum & veprium peccatorum. Facta eſt ipſa prius domina gentium per ſubiectionem paſſionum omnium nunc velut mater vidua non habens viri Dei ſui protectionem aduerſus tyrannidem dęmoniorum. Ipſa dudum princeps prouinciarum, quæ ſunt ſenſus ſui, iure ſubditi ſuo principatui, facta eſt eis ſub tributo duriſſimæ ſeruitutis, in luto luxuriæ, paleis ſuperbiæ, lateribus auariciæ, fornace ferrea totius miſeriæ. *Beth.* Plorans plorauit aſſiduè in afflictionis nocte, & lachrymæ eius voluũtur in maxillis eius exterius. Non eſt qui conſoletur eã ex omnibus charis eius, angelis & ſanctis charis eius, & omnes amici eius ſpreuerunt eam, quia vident à ſponſo ſpretam, & facti ſunt inimici, zelantes aduerſus miſeram & ream pro honore Domini quem offendit. *Gymel.* Migrauit Iudas deſerens animam meam ne confiteretur, & hoc propter afflictionem culpæ totiens repetitæ, & multitudinem ſeruitutis verecundæ quam habet totiẽs iterata, nec valitura propter continuum recidiuum confeſſio. *Daleth.* Viæ Sion quæ ſunt itinera quibus anima ſcãdit ad ſpeculationem diuinorum, lugent dum materiam dant lugendi, eò quod non ſit bonus & altus cogitatus, qui veniat ad ſolemnitatem gaudentis affectus. Omnes portæ eius, ſenſus videlicet exteriores, ſunt deſtructæ peruerſis ſecantium ſecuribus. Sacerdotes eius vires ſuperioris rationis gementes pro voce exultationis & confeſſionis. Virginales olim affectiones ſuæ ſunt ſqualidæ, turpes & fœdæ. Quid plura? & ipſa tota eſt oppreſſa amaritudine vitiorum pro ſuauitate ſanctorum bene olentium vnguentorũ.

TRACTATVS SEPTIMVS PRINCIPALIS PROSAICVS, DE MENTE CORDIS *& cognitione Dei ſuper illo ſexto verſu: Fecit potentiam in brachio ſuo, per notulas centumquinquaginta.*

NOTVLA PRIMA.

FECIT *potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*

Conſideremus attenta mente cordis noſtri, nos qui tota anima magnificare Dominum, qui Deum tota mente & corde perfecto diligere præcipimur. Audiamus quid in hoc cantici tono notauerit iuuencula tympaniſtria, cuius mens humilis cõtemplata eſt multa ſapienter. Diſperſit (inquit) ſuperbos. Hoc ſufficere videri poterat ad confuſionẽ ſuperborum ad collaudationem humilium, ad potẽtiam diuinam in ſuo brachio commendandam, etiam ſi non additum eſſet, mente cordis ſui. Sed firmiſſimè teneamus nihil in hoc tractatu canticorũ ſuperfluum, ſicut nihil eſſe diminutum, quia nimirum ſpirituſancto dictante ſapienter editum eſt, cuius perfecta ſunt opera, in cuius eloquijs nec vnũ iota nec vnus perit apex. Intelligendum tamen eſt in primis (ne noſtram fallat inueſtigationem nominũ vel æquiuocatio vel ignorantia) quid vocetur mens cordis. Lucidius hoc cognito, patebit integer & multiplex huius particulæ ſenſus. Mẽs & ſi pro vi memoratiua quandoq; ſumitur, vt cum dicimus, mens meminit huius, nihilominus ad pręſens coarctabitur acceptio ad illud quod eminet, & eſt pręcipuum in creatura rationali vel intellectuali. Vnde & mens ab imminendo dicta eſt

vel

Digitized by Google

vel à meliore, vel à menſura, quoniã & illud quod eminet & ſimpliciſſimum eſt in vnaquaque re, menſura aliorum in tali re conſiſtentium eſt. Volumus autem in primis incedere groſſa & palpabili fide, pius quam phyſica & ſubtili determinatione, quemadmodum pro ſimplicibus & idiotis (fideſibus tamen) cuditur hoc opuſculum. Cuius titulus eſſe poteſt de mente cordis ſeu de triclinio cordis, in quo præſidet tanquam architriclinus ſpiritus rationalis ſecundum tres manſiones ſeu cœnacula vel tabernacula cordis ſui. Cõſtituamus idcirco quid per nomen mentis volumus intelligi. Nec obſtrepet aut contradicat quiſpiam contentioſus acceptioni, nam nomina ſunt ad placitum, cum præterea proceſſus aperire poterit congruam impoſitionis rationem. Dum autem quæritur de re ſtultum eſt dicit Dionyſius contendere de nomine. Mens eſt portio vel potentia creaturæ rationalis, quæ facta eſt capax Dei, & eius particeps eſſe poteſt. Conſonat hæc deſcriptio philoſophicis & theologicis traditionibus. Sed habet plurimas quæſtiones quæ vix etiam ab ipſis literatis poſſunt terminari, vt de quidditate potentiarum animæ rationalis, de ipſarum diuerſitate & identitate cum eſſentia, de numeroſitate & officijs & huiuſmodi cæteris.

Placeat igitur rudior manifeſtatio & dicatur, quod rationalis vel intellectualis creatura nominatur vti mente ſua, immo ſeipſa tanquam mentalis tunc exiſtens dum tota conuertitur ad ſolum Deum tanquam ad obiectum ſuum, vnum, primum, ſupremum, optimum, æternum, præcipuũ & ſummum. Teneatur interim iſta deſcriptio ſeu quid nominis mentis. Ac proinde Metaphyſicales ceſſent inquiſitiones quales notatæ ſunt, de quidditate reali mentis, de modo quo poteſt clarè & nudè percipere ſolũ Deum vel ferri in eum. Reſpondeat etiam quiuis idiota fidelis interrogatus, quæ qualis & quanta eſt mens tua? Reſpondeat inquam, mens eſt anima mea, dum ipſa conuertitur ad Deum ſolum, tota & ſola ad ſolum & vnum. Sic ſonat initium vulgati authoris, etiam pueris inculcatum.

Si Deus eſt animus, vt nobis carmina dicunt.
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Ecce quod mentis officium eſt præcipuè colere Deum.

Quo ſtabilito confeſtim elicere fas habemus rationes aliquas, cur ad hæc verba, diſperſit ſuperbos, additum eſt, mente cordis ſui? Vna ratio eſt, ſi reſpiciamus ad primos parentes noſtros Adam & Euam, quos conſiderat Deus ad ſui contemplationem claram & ſerenam pro ſtatu viæ, quam contemplationem fuiſſet in gloria viſio facialis ſubſecuta. Væ tibi ſuperbia. Ita enim mente à primis parentibus diſpergi per diuini brachij potentiam demeruiſti, vt iam heu nos infeliciſſima proles nullum mentis habitaculum in cordibus habere potuiſſemus, ſicut nec Deum cognoſcere, niſi miſericors & miſerator Dominus noſter Ieſus Chriſtus, potenti virtute prouidiſſet. Deum quippe nemo vidit vnquam ait Ioannes, ſed vnigenitus qui eſt in ſinu patris ipſe enarrauit. Poteſt altera ratio ſumi, ſi reſpectus habeatur ad apoſtatas angelos, quos in tantam conata eſt attollere

A celſitudinem ſtulta ſuæ mentis præſumptio, vt diceret primus eorum: Sedebo in lateribus aquilonis & ſimilis ero altiſſimo. Mens verò nimium ſublimata, nimium etiam præcipitata eſt, ſimul & diſperſa. Ad hoc enim quidam in alta tolluntur vt lapſu grauiori ruãt, finiſq; ad alta leuatis eſt ruere. Quæreret hic ſcrupuloſior aliquis. Nũquid habent dæmones ipſi corda cum corpora non habeant, præſertim carnalia, cuiuſmodi ſubſtantiæ cor eſſe compertum eſt: At verò ſi Deum habere cor trahimus de ſcripturis (vt dicimus filium

B eſſe de corde patris. Iuxta illud Pſal.: Eructauit cor meum verbum bonum) nemo iure negabit poſſe cordis nomen angelis attribui, cum de inſenſibilibus creaturis inueniamus dictum, transferentur montes in cor maris.

Tranſeamus idcirco nunc & alibi digreſſiones moroſiores inducere per concordantias multiplices, vbi ſtatim conſtare poteſt de varijs acceptionibus terminorum in ſcripturis. Ex quibus accipere paucas ad propoſitum quod in manibus

C habetur ſuffecerit. Hoc indulto poterit & alius ſenſus elici, coniungendo hoc complexum, mente cordis ſui diſperſit ſuperbos, ſicut in Geneſi dictum eſt, tactus dolore cordis intrinſecus cum diſperſit per diluuium generale omnem carnem.

Occurrit & alius ſenſus ſi traducamus diſperſionem in bonum, diſperſio ſiquidem malorum vel à malis bona eſt, ſicut & defectio & ſeparatio. Similiter inuenimus à ſanctis nominatam ali-

D quando ſuperbiam ſanctam, quæ ſcil. nobilitatis ſuæ conſcia neſcit proſtitui vel calcari, neſcit niſi ſummis iungi. Ponam te in ſuperbiam ſeculorum, ait Dominus de Hieruſalem noua. Aſſumat vtinam mens noſtri cordis hanc ſuperbiam, vt nulli dignetur intendere, nulli iungi, nulli inhærere niſi vni ſoli, quod eſt neceſſarium, optimum, æternum & ſummum, qualiter elegit Maria partem optimam, qualiter exultans propheta dicebat: Defecit cor meum & caro mea pars mea Deus in æternum. O verè ſancta & deſideranda

E ſuperbia, quæ vnicum bonum ſuum poſſidere vult excellenter ſine arrogantia & vana gloria ſingulariter, ſine inuidia, imperturbabiliter ſine ira, infatigabiliter ſine acedia, indeſinenter ſine auaritia, delectabiliter ſine luxuria & gula, honorabiliter ſine hypocriſi ficta. Diſpergat oro potentia diuinæ miſerationis vniuerſas alteritates, omnes concupiſcentias, omnes ſollicitudines & phantaſias à mente cordis noſtri, vt libera mens apponi diſperſione glorietur exultans, mihi autem adhærere Deo bonum eſt. O felix diſ-

F perſio quæ ſummam congregationem operatur, prout loquitur diuinus Dionyſius, quod vnifica virtus diuinorum luminum reſtituit & replet & conuertit nos ad congregantis patris vnitatem & ſimplificam deitatem. Cui concinens vates regius: Ædificans inquit, Hieruſalem Dominus, diſper. Iſraël congre. Hanc diſperſionem meretur ſancta ſuperbia, quatenus purgetur & illuminetur & perficiatur in vnico optimo mens cordis pura & deiformis. Hæc autem non habetur perfecto cõplemento præterquã in gloria,

participatiuè verò per gratiam, plus aut minus in via ſecundum diſtributionem ſancti ſpiritus, maximè per theologiam myſticam, prout aperient ſequentia, quantum conceſſerit ſpiritus bonus, quem dat pater cœleſtis petentibus ſe. Incideret hic locus de diuiſione ſpiritus & animæ, compagumque & medullarum, & diſcretione cogitationum & intentionum cordis per potentiam verbi, quod eſt brachium patris æterni. Qua diuiſione ſecundum doctores myſticos nulla mirabilior, nulla potentior. Sed ad faciliora reuertamur vt cœpimus, eis contenti quæ tractatu dragmatico ſecundo notauimus.

Prętactum eſt quod in corde rationalis creaturæ reperitur triplex habitaculum, vnde nominari poteſt cordis triclinium. Spiritus verò quaſi præſidens iure dicitur architriclinus, de quo per tropologiam ſignatum eſt in nuptijs, dum in Cana Galileæ Chriſtus aquam conuertit in vinum. Procedemus autem ordine magis narratiuo quã demonſtratiuo vel probatiuo, ſupponentes dicta doctorum cum ſuis declarationibus metaphyſicalibus & theologicis vſquequaque multiplicique ratione fulcitis, quos inſecuti compoſuimus pridem opuſculum de theologia myſtica, partitum in duos tractatus, ſecundum traditionem ſpeculatiuæ primò poſt practicæ per duodecim induſtrias. Contentetur obſecro quiſquis lector acceſſerit ſi non mox pariter omnia numerauerimus quæ faciunt ad decorem & ornatum, diſpoſitionemque mirabili varietate deſcriptam ex libris tam naturæ quam ſcripturæ, quia forte dicetur altero loco. Suffecerit hic & nunc ſenſibilis deſcriptio, quemadmodum per corporalia ſpiritualia figurantur, eò quod omnis noſtra cognitio incipit à ſenſu pro ſtatu præſentis miſeriæ. Propterea interior homo nominat exteriorem, quod eſt vnanimis dux ſuus & notus ſuus. Proponetur vna deſcriptio, non vt in ea ſiſtatur, ſed vt manuductio quædam pro rudibus & idiotis, ad diuina quomodolibet capeſcenda.

Iuxta quod ita Greg. exorditur in homilia quadam de theſauro & precioſa margarita. Regnum cœlorum idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, ſurgat ad incognita, & per hæc quæ ſcit nota diligere diſcat & incognita amare.

Aſſignabimus igitur humano cordi tanquam loco grãdi & ſpacioſo, tria cœnacula, ſupremum, medium & infimum. Primum nominabimus cœnaculum mentis, mediũ verò cœnaculum rationis. Tertium erit & infimũ animæ cœnaculo deputatum. Nolumus tamen vt ſtatim arbitretur inſpector, hæc idcirco depingi quod ita ſint, ſed vt facilius accipiat figurata dũ incipit, ſed non ſiſtat in figuris. Sic per myſticos intellectus arca Noë literalis, ſic arca fœderis, habens inſtar illius ſpiritualis quæ monſtrata eſt in monte, ſic tricliniũ Samuëlis per typum, ſic triclinium fœminarum in Heſter, ſic vniuerſaliter (vt ad vnũ dicamus) omnes parabolicæ locutiones ſignificatum accipiũt. Sic præterea coram oculis poſitum cordis triclinium in quo mens obtinet ſummũ locum, dequo ſeorſum conſequenter propriæ conſiderationes annectũtur, quod rarius ſermo inuenitur de mẽte præciſus. Ratio ponitur in medio, anima ſtat in imo. Spiritus noſter tanquam architriclinus præſi- A det toti triclinio: nunc ab arce mentis dilabens ad vltimum animæ cœnaculum pro adminiſtratione ſenſuum, nunc ſtat in cœnaculo rationis ad inueſtigationem philoſophicę cuiuſlibet diſciplinę. Porrò ſi quis aſpectu primo deſpexerit aut abiecerit hanc noſtram ſpeculationem, & tanquam cõmunis vulgaria vileſcat quaſi nihil afferat nouarũ ſententiarũ præter verba vel figuras, accipiat pro reſponſo primo, quod ideo non eſt abijcienda, quia conſonas habet & priſcas doctorum ſententias ſicut & ipſi ſecum veniunt. Deinde faſtidium B tollitur, dum eadem ſententia variè deſcribitur. Vnde fundatur color rhetoricus expolitio nominatus. Deniq; nemo cogit inſiſtere huic ſpeculationi, præſertim cum neglectu aliorum, imo (ſi nõ fallor) proderit ad omnium ſimiliũ faciliores intellectus, præcipuè ſi cõditio primi cœnaculi quo mens reſidet velut in aureo Salomonis reclinatorio, fuerit plenè nota. Caueátque ſibi maledictum illud ſibi dici: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Quibus ita præordinatis, ſubiungamus tricli- C nium cordis, architriclinus dicitur corculus id eſt cordis cultor & cordatus dici poteſt ſpiritus, ſcil. rationalis, quamuis ſit vnus in eſſentia, triplex tamen in potentia, imo multipliciter triplex in viribus & efficacia. Triclinium fuit Maria, quam eccleſia ſic ſalutat: Salue mater pietatis & totius Trinitatis nobile tricliniũ, verbi tamen incarnati ſpeciale maieſtati, præparas hoſpitiũ, primum ſpectat ad mentem, alterum ad carnem, ex qua verbum caro factum eſt triplex in natura, vnus in perſo- D na. Triclinium triplicatum reperitur in cœleſti hierarchia. Triplex inſuper actus hierarchicus, purgare, illuminare & perficere. Materiam hanc ſupponimus latiſſimè per doctores proſecutam. Hoc primum notetur, quod in omni creatura rationali & iuſta, prę ſertim in homine, triplex hæc triplicata hierarchia reperitur ſecundum triplicẽ vim memoratiuam ſci. & perceptiuam & affectiuam, primò in mente, ſecundò in ratione, tertiò in anima, tripliciter in qualibet ſigillatim. Hic eſt ampliſſima ſpeculatio ex hierarchico Dionyſ. tractatu decimo capite. Triclinium multipliciter tri- E plex conformiter ad cœleſtem reperitur in eccleſiaſtica hierarchia ſic ſimiliter & in ſingulari iuxta triplicem in quolibet ſtatu coordinationem conſideret ſpeculator. Tricliniũ habet magnus mundus ſub Deo, quia quædam ſunt entia purè ſpiritualia, quædam purè corporalia, quædam ex corpore & ſpiritu condita. Declaratio ſupponitur. Triclinium habet minor mundus in habitaculo cordis. ſ. prout ſuperius figuratur. Hæc pars magis F propoſito congruit. Ad cuius elucidationem & dilatationẽ nõ eſt neceſſe ſimplices inducere ſubtiliter, ſufficiat eis pro deuotione capeſcẽda, quoniam ſunt creaturæ rationales ad beatitudinis impaſſibilitatem ordinatæ, quas neceſſe eſt intendere quandoque regimini corporis morali, quandoq; erudiendæ rationi, ſæpe & primò diuinæ dilectioni pro impletione ſuorum præceptorũ. Intentio prima concernit naturã, ſecũda induſtriã, tertia purã gratiã. Triclinium minoris mũdi perfecta diſtinctione cognoſcere, ſpectat ad philoſophiæ & theologiæ profeſſores, ſi voluerint naturã proprietatẽmq; contemplationis agnoſcere, & illud implere

Digitized by Google

implere Græcum oraculum: Γνῶθι σεαυτόν.i. noſce teipſum. Si præterea voluerit ſapienter diſcernere, quemadmodum theologia actiua ſpectat ad infimum, ſpeculatiua ad medium, myſtica ad ſupremum cordis noſtri. In infimo ſunt adoleſcentulæ, in medio concubinæ & reginæ, in tertio vnica eſt perfecta cum dilecto. Triclinium cordis includitur in præcepto dilectionis. Diliges dominum Deum tuum, ex tota mente tua, ecce ſupremum. Ex toto intellectu, vt ponitur in Luca, & hæc eſt ratio. ecce ſecundum. Ex tota anima tua, ecce tertium. Ex toto corde, ecce ſimul totum. Hic tamen attende quod omnia vocabula rationali creaturæ vt rationalis eſt attributa ſæpe permixtim accipiuntur vnum pro altero, & ſingulum ipſorum pro ſingulis quæ multiplicitas vtendi, cauſat frequenter confuſionem in doctrinali diſciplina, vel in ſtudioſa meditatione, niſi proprietas nominum (quo ſumitur apud doctores) annotetur. Triclinium eleganter expoſuit & diſtinxit venerabilis Richardus, & ante eũ Hugo, fundantes ſe in Auguſtino præcipuè. Boëtius quoque in ſuo de conſolatione quarto & quinto. Et poſt iſtos Dominus Bonauentura, tam in lectura ſecundi ſententiarum, quam in ſuo breuiloquio ſub compendio. Denique mirabilius in ſuo itinerario mentis in Deum. Sed & autor de ſpiritu & anima, qui (ſe iudice) fuit tantummodo compilator ex alijs, multa notauit digna. Omnis postremò qui de anima rationali & viribus eius philoſophicè aut theologicè tractauerunt, illuſtrant triclinij noſtri notitiam, ita tamen quod theologica traditio præferatur. Dicitur hoc propter Auicennam & Auerroem & Platonicos & alios, quorum recitator fuit Albertus in ſuo de anima, & de intellectu & intelligibili diſcrepantes in multis à fidei pietate. Scrutetur illud Apoſtoli: Omnia tentate, quod bonum eſt tenete. Triclinium cordis conuenienter aſſignatum eſt ſecundum triplex habitaculum ſeu cœnaculum, ſub appriatione nominum iſtorum, mens, ratio, anima, quibus præponitur velut architriclinus ipſe ſpiritus rationalis. Sponſus autẽ poteſt nominari animus. Vxor verò dicetur affectus vel affectio, & hæc multiplex, ſignanter triplex. Vnde nominari poteſt noſter animus nunc animalis, ſi ex vtero animalis affectus gignit prolem, nunc rationalis, ſi ex vtero rationalis affectionis gignit ſobolẽ, nunc ſpiritualis, ſi fœtus ex multis affectionibus procedat, ſpirituſancto ſuperueniente, atq; ſui roris intima aſperſione mentem fœcundante. Tricliniũ cordis quandoque reducitur ad binarium & ſenarium, quandoque ad ſeptenarium protenditur. Famoſa apoſtoli diſtinctio de homine veteri & nouo, interiori .ſ. & exteriori. Dat interiori quicquid ſpectat ad diuina, dat exteriori quicquid ad vitia & ad brutales ſpectat affectus. Primũ vocat ſpiritualem hominem, alterum animalem. Vbi nominibus aliter vtitur quam habeat diſtinctio noſtri triclinij, ſed ſentẽtia faciliter conſonat ſicut iſta quæ ſeptenario dilatatur. Triclinium cordis habuit Deus & proximus noſter Ieſus Chriſtus ſecundum humanitatem quod fuit in eo mens beata, ratio prompta, anima mœſta cum carne infirma. Significauit hoc triclinium Hugo ſub metaphora triplicis oculi .ſ. carnis, rationis & mentis

ſeu contemplationis. Significauit hoc ipſum
A Richardus ſub typo triplicis coniugij ipſius Iacob. Vnum cum ancillis fuit Bala & Zelpha, alterum cum liberis Rachel & Lya. Tertium (quod ſatis dat intelligi) cum diuina ſapientia, de qua Salomon cecinit: Mulierem fortem quis inueniet? Hæc vtique eſt ſapientia mater pulchrę dilectionis. Hæc non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine virgo concipit & parit Dei filium, quoniam ſpiritus rationalis per Iacob figuratus, non ſufficit ad hunc partum in vtero mentis, ſicut nec Maria virgo fœcundabatur à Ioſeph ſponſo
B ſuo, qui non dominatur, ſed obſequi debet Dominę ſponſæ ſuæ, quam fœcundat ſpiritus Ieſu Chriſti, qui Dominus ſimul & pater eſt & ſpõſus & filius in hoc partu.

Porrò de mente, quæ ſuperiora cordis tenet principaliter, eſt propter verba literæ ſimul cum myſterio pertractandum. Hæc eſt velut in arce ad quam inuitat apud Salomonem ſapientia, & apud Boëtium philoſophia, quibus obediẽtes ſancti & electi viri, conſcendebant in excelſa. Helias, He-
C liſæus, Daniel, Petrus, Sara, Iudich, Heſter quoq; rogatura Aſſuerum, venit per ordinem ad tertium oſtium. Chriſtus demum in monte transfiguratus eſt. Ieſus in cœnaculo grandi ſtrato montis ſyon, cibauit apoſtolos corpore ſuo, quibus & præbuit ſe videndum poſt reſurrectionem, & ſpirituſſancti cœlitus miſſi virtute roborauit, docuit & ſuccendit, colligens illic & veniens humiles mente cordis ſui.

Sequuntur de mente veritates duodecim.

D Continuetur ergo de mente expoſitionis collectio repetendo primitus quod mẽs ab eminentia nominatur & in ſupremo cordis triclinio collocatur, quia proprium habet officium ſpiritualibus intendere, non qualibuſcunque, quia ratio communiter circa ſui cognitionem & ſpiritualiũ occupatur, ſed mens vacat ſoli Deo. Hoc iam præmiſimus in hoc quid nominis conuenimus, adeò quod ſi vacet mens ſibi iam non ſortitur nomen mentis, pro quanto vacat alteri quam Deo. Ipſam verò conſtat non eſſe Deum. Conueniſſet
E in hoc quid nominis etiam philoſophi ſummi, licet à modo ponendi diſcrepaſſent. Mens ſicut à ſolo Deo creatur in natura & in eſſentia ſic à ſolo Deo formatur & illuminatur tanquam imago & ſimilitudo ſua. Hæc iam conſideratio diſcrepat à traditionibus philoſophorum, qui poſuerunt mẽtem rationalem ſecundum mẽtem proximè formari ab intelligentia vltima, cum cæteris erroribus notatis in tenore articulorum Pariſijs damnatorum, de quibus non eſt hic inſiſtendum per ſingula. Sufficiat interim poſitiones fidei ſim-
F pliciter ſupponere, non probare.

Mens comparatur ad Deum ſub triplici habitudine. Primò ſicut ad principium productiuum. Secundò ſicut ad obiectum motiuum. Tertiò ſicut ad domum ſanctificatiuum. Primum habet commune cum quolibet ente. Vnde reperitur in mente modus, ſpecies & ordo. Rurſus vnitas veritas, bonitas. Denique menſura, numerus, pondus. Etenim conſiſtit in re qualibet, quantumcunque modicum habeat entitatis, & in accidentibus & in materia prima veſtigium Trinitatis.

Digitized by Google

Mens cum comparatur ad Deum ſicut ad obiectum motiuum, ſortitur imaginem Trinitatis in natura ſua, vbicunque & qualitercunque fuerit colorata. Ratio, quia capax Dei eſt, vt eum recolat, intelligat & diligat. Nec poteſt aboleri triplex hæc potentia mente ipſa ſtante. Vnde nec in dæmonibus lux harum potentiarum ſeu viriū ſeu aptitudo naturalium extinguitur, quin in ſe lux exiſtat prout eſſet ſol in luce ſua, etiam ſi nihil extra ſe actualiter illuſtraret.

Mens comparata ad Deum ſicut ad obiectum motiuum, eſt nobilior & expreſſior ſimilitudo Dei naturalis, quam ſi conſideretur primo modo tanquā veſtigium. Ratio, quia imago propter maiorem expreſſionem eſt nedum medium deducens à poſteriori tanquā à ſigno cauſato ad cauſæ ſuæ notitiam, ſed habet in ſe formaliter ſaltem in actu primo, cognitionem & dilectionem ſuę cauſæ primæ. Rectè eodem modo quo diſcipulus cognoſcit artem magiſtri obiectiuè in alijs, ſed formaliter eam aut ſaltem virtualiter in ſe capit, & hæc eſt propria diſtinctio imaginis à veſtigio.

Mens comparata ad Deum ſicut ad donum ſanctificatiuum, ſortitur nomen ſimilitudinis Dei, quia per hunc modum particeps eius eſſe poteſt, & hoc plus aut minus ſecundum exuberantiam gratiæ gratum facientis, cum tribus theologicis virtutibus in via, aut tribus dotibus aut actibus in gloria. Ratio, quia gratia gratum faciens vna eſt in radice & eſſentia, & triplex in habitibus fundatis & formatis in ea & ab ea, quorum ipſa eſt radix & forma & finis proportionabiliter ad eſſentiam diuinam vnam in Trinitate, & trinam in vnitate. Vtrum verò gratia ſit prius ſubiectiuè in in eſſentia animæ quam in potentijs? Videtur quod in eſſentia, ſicut eſſentia eſt prior & potentior quam potentiæ, quia radicantur & fluunt ab ea. Sed neque gratia immediatè elicit actus potentiarum, ſed imperat illos, & virtutes eliciunt. ſ. fides, ſpes, & charitas, aut potentiæ mediantibus his habitibus, qui ſunt fides in rationali, ſpes in iraſcibili, charitas in concupiſcibili.

Mens in paruulis baptizatis cenſenda eſt vera imago & ſimilitudo Trinitatis. Ecce nunc incipimus inueſtigationem theoricæ chriſtianorum, quam nullus ſapientium & prudentium mundi cepit. Ad cuius cognitionem non ſunt neceſſariæ inquiſitiones philoſophicæ vel metaphyſicales, nec mathematicæ, ſed ſufficit gratia cum ſpe & fide per dilectionem operante. Quemadmodum ſub compendio diuinus Auguſtinus, quod fide, ſpe & charitate colitur Deus. Vnde deduxit contra Platonicos Plotinum, Porphyrium, Hermetem, Apuleium & ſimiles longo proceſſu in ſuo de ciuitate Dei: & in de vera religione, quod ſolus Chriſtus dederat modum generalem redeūdi mentes in Deum, purgando, illuminando & perficiendo, neque oportebat theletas aut theorgias magicorum vel idolatrarum induci, ſed reſpui. Sufficiebat denique illud impleri quod hortabatur eccleſia: Surſum corda.

Mens paruulorum baptizatorum & generaliter omnium chriſtianorum quantumcunque ſimplicium, ſi ſint in gratia, cenſenda eſt ſoli Deo tanquam ſponſo vero & ſoli, ſuauiter inhærere per influxum formalem gratiæ gratum facientis. Ratio, quia acceptatur quamuis non ſemper exeat A gratia in actum, ſecundum exemplum in qualitatibus materialibus albedine, nigredine, & calore, quia forma communicat actum ſuum primum, quamdiu manet in ſubiecto. Sic enim homo dicitur rationalis & viuens à mente ſua, etiam dum homo dormit, dum actu nihil intelligit. Sunt autem influxus formales ipſius gratiæ tres principaliter, quos appellat hierarchicos Dionyſius, purgare, illuminare, perficere, appropriate ad vigorem virtutis in mente, ad fulgorem veritatis, & ad ardorem vel amorem charitatis, quos omnes B influxus ipſa complectitur quietudo fruitionis, quę eſt pax exuperans omnem ſenſum, & in qua effectus principalis ſtat theologiæ myſticæ, qui ideò dicitur amens. i. ſine mente, & irrationalis. i. ſine ratione, & ſtulta. i. ſine conſueto ordine cognoſcendi, prout infra notabitur.

Mens paruulorum baptizatorum (de quibus minus videtur, quia nondum habent vſum liberi arbitrij) cenſenda eſt naturaliter & ſupernaturaliter, liberè Deo frui, quamuis non libertate, vt eſt C arbitrans ſiue deliberans, propterea nondum dicuntur actu mereri vel agere virtuoſè, ſed complacenter & pulchrè cum decore virtutum, copulantur ipſi Deo ſponſo ſuo. Ratio eſt, quia imago ſuæ mentis ad ſui reformata eſt honorem principijs ſecundum memoriam intelligentiam & voluntatem.

Mens omnibus hominibus eſt æqualis libertatis quoad eſſentiam & actum primum, ſed non quoad actum ſecundum, propter impedimenta vel adiutoria, modo iſtis, modo illis aduenientia. D Caderet hic ſermo de triplici libertate. ſcil. à coactione, à peccato & à ſeruitute. Vnde eſt prætérea quod libertas arbitrij non poteſt cogi, nec ab hominibus, nec à Deo, nec à corpore proprio, cum experiamur ipſam libertatem totaliter frequētius impediri quoad actum ſuum. Sed aliud eſt cogi, aliud impediri vel deturbari, prout ſancti docent.

Mens primo modo prius deſcripta nedum eminet in cordis triclinio ſupra rationem ſuperiorē, ſed locanda videtur ſupra ſyndereſim & conſciē- E tiam. Ratio, quia portio ſiue ratio ſuperior vt talis eſt, intendere poteſt alijs ſub Deo, quę ſunt ſpiritualia & intelligibilia, vt ſunt angeli & ſancti. Porrò ſyndereſis eſt naturale iudicatorium vel inclinatio, ſicut alij loquuntur. Sed hoc iudicatoriū generaliter attenditur ad verum in vniuerſali, & inclinatio ad bonum ſimiliter in vniuerſali. Mens autem ſolum reſpicit Deum, & inclinatur ad ipſum vnum verum bonum, æternū ſolum & ſummum. Habet igitur obiectum prius & principalius ipſa mens quam ratio ſuperior aut ſyndereſis. F Perpendit hoc dum procedit ad actum ſecundum, tam ſecundum potentias ſuas & vires, quam ſecundum habitus quibus ipſa formatur & decoratur. Mens non habet intellectum agētem vel potentialem quaſi potentias diſtinctas eſſentialiter ab inuicem vel à ſeipſa, ſicut multi philoſophantium locuti ſunt, quos non oportet imitari, quia ponebant aut vnitatē mētis in omnibus, aut ipſā non eſſe corporis formam, nec de nouo creatam, ſed perpetuam, nec ad gratiam & gloriam à Deo ſublimari, cum erroribus huiuſmodi cōtrà noſtræ fidei pietatem. Caderet hic exquiſitior ſermo, qua

ratione

Digitized by Google

ratione dicitur mens ſimul eſſe agens & patiens mota & mouens. Sed hæc in ſpiritibus & à materia ſeparatis reperitur libertas cum ſeipſa mouet, dum ſe reflectit ſuper ſe & ſuper actus ſuos.

Tranſeamus ad præſens conquiſitiones huiuſmodi ſpeculatiuas & metaphyſicales & ad modos & ad cauſas vnde mens diſpergitur reuertamur, quatenus eius vnitio & ſimplificatio plus nota ſit, ne incurratur verbum hoc improperij: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Diſperſio mentis dedit occaſionem impoſitoribus nominum quos neceſſe fuit ſapienter attẽtos eſſe circa rerum proprietates, vt mens à mene diceretur. Eſt autem mene idem quod luna vel defectus. Mens autem præſertim ſtulti (ſecundũ ſapiẽtis verbũ) vt luna mutatur. Lunatica quippe eſt, quam ſpiritus immundus mittit nunc in ignẽ cupiditatis male inflammantem, nunc in aquam tumoris malè ſuffocantem, nunc elidit in terram cogitationum noxiarum de terrenis, & volutatur & clamat, & ſtridet, & ſpumat & areſcit & diſcerpitur per varia, vix tandem redit ad ſe per lucidum interuallum vt Deum noſcat & ſe, & hoc ab infantia. O quam ſæpe deſcendit noſtra mens de Hieruſalem pacis in Ierico lunaris mutationis. O quotiens incidit in latrones. Sed locus eſt hic & nunc doctrinæ, & non querela. Diſperſio mentis cauſam habet duplicem in genere. Vitioſarum quædam eſt ex originali culpa, quædã ex veniali, quædam ex mortali. Sunt autem cauſæ aliæ non vitioſæ ſed naturales, quemadmodum eſt neceſſitas ſomni, quamuis aliquorum videatur opinio ſentire, quod pro ſtatu naturæ inſtitutæ mens nõ fuiſſet à ſomno depreſſa, nec etiam in pueris: quin actus ſemper meminiſſet, intellexiſſet & dilexiſſet Deum. Et hoc priuilegium trahere volunt ad beatam virginem, immo ad Ioannem baptiſtam etiã ex vtero, ſicut non eſt dubium, quin Chriſtus viator ſemper dicere poterat: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quippe beatus erat ſecundum mẽtem, non ſic Ioannes & Maria. Stemus hic & in alijs cum traditione communi, quod in iſtis etiã quandoque mens ceſſabat ab actibus ſuis & cauſis naturalibus, & conſtat ſine peccato. Diſperſio mentis pro ſtatu naturæ lapſæ (de qua principaliter erit ſermo) nunquam intelligitur fieri quoad actum ſuum primum. Hoc iam tactum eſt, quia ſic anima rationalis eſt perpetua poſtquam creata eſt, ſiue ſit in corpore, ſiue extra corpus. Lux eſt quædam in ſe nata lucidum reddere in actu ſecundo ſubiectum diſpoſitum vt corpus vel ſeipſum, ſi non aliquis interuenerit obex. Vnde & naturalia in dæmonibus ſecundum Dionyſiũ ſplendida remanſerunt. Vocatur autem actus ſecundus ipſa opratio elicita & immanẽs, vel imperata & tranſiens. Diſperſio mentis quoad actum ſecundum, prouenit quandoque negatiuè, quandoque priuatiuè. Negatiuè ſiquidem dum non ſinitur exire in actũ ſine culpa ſua, priuatiuè verò cum culpa ſua. Exemplum primi, in dormiẽtibus, infantibus & fatuis naturaliter. Exemplum ſecundi, in ebrijs & philocaptis & alijs, quos excæcat ſua malitia. Diſperſio mentis habetur virtuoſè, dum ſpiritus propter actus virtutum in actiua pro tunc impeditur cogitare de Deo ſolo, & manere in arce ſua. Certum eſt autem quod omnes virtutes conſonant quoad habitus ſuos, A nec ſe impediunt. Actus verò ſæpe mutuo ſe non compatiuntur. Quis neſciat quod actus vitæ actiuæ ſuſpendunt actus vitæ contemplatiuæ, & è contra? Non enim ſimul eſt vacare actionibus extrinſecis & intrinſecis ſpeculationibus. Si autem quæratur vtrum ſemper oporteat agere id quod melius eſt in ſe. Clara eſt reſponſio quod non, alioquin quilibet obligaretur ad opera ſupererogationis. Nam virtus & ars terminos ſuos habent & certos. Sufficit igitur pro regula ad ſalutem, quod fiant actus qui tunc iacent ſub præcepto o- B perantis, quantumcunque quis videatur idoneus ad alia & præditus talento multiplici ad ſupererogandum quæ regula tollit ſcrupulos ſuper diſtributione talenti accepti, quos frequenter inducit feruor indiſcretus, & zelus non ſecundum ſcientiam proueniens ex radice ſuperbiæ vel vanitatis, vel certè à dæmonio meridiano, cuius oculi ſunt ſicut palpebræ diluculi, & qui per arrogantiam ferueſcere facit ſicut ollam profundum maris cui cor ſtultorum cõparatur, & ponit quaſi C vnguenta bulliuerit, hoc eſt cum de vitijs virtutes effingit. Diſperſio mentis quoad habitum gratiæ gratum facientis, nunquam prouenit abſq; peccato mortali, ſed actus eiuſdem gratiæ poteſt ſine culpa mortali vel veniali frequenter interrumpi. Hæc pars ſequitur ex præcedenti. Vnde pro faciliori notitia omnium quæ tractamus, poſſumus per diſtinctionem dicere, quod mens in homine ſicut anima rationalis poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum eſſe ſuum, alio modo D ſecundum bene eſſe. Si primo modo, ſic eſt incorporalis & immaterialis naturaliter. Si ſecundo modo, ſic recipit varietates plurimas. Et hoc dupliciter in genere, quia vel conſtituitur ſecundum bene eſſe habituale ſuum ſolum, vel ſecundum eſſe actuale. Si ſecũdum eſſe habituale, ſic eſt dupliciter, vel ſecundum habitus ſuper purè naturaliter infuſos, vel ſecundũ habitus naturaliter per aſſuefactionem acquiſitos. Talis eſt diſtinctio de bene eſſe actuals, quia vel procedit illud ex habitu ſupernaturali vel ſupernaturaliter, vel ſolum na- E turaliter.

Fierent ſubinde multæ diſtinctiones de comparatione mentis, aut animæ rationalis quoad bene eſſe vel quoad eſſe ſecundum quid quod eſt additum ſub vno eſſe. Et ſecundum iſtos reſpectus haberetur notitia; cur anima tot nominibus appellatur, cum ſit eſſentia ſimplex & vna, vt quod dicitur ſpiritus, mens, ratio, anima, dicitur portio ſuperior & inferior, dicitur intellectus ſpeculatiuus & practicus, dicitur ſimplex & com- F poſitus aut diſcurſiuus, dicitur formalis & actualis vel adeptus, dicitur agens vt poſſibilis, dicitur inuentiuus & iudicatiuus, dicitur liberum ſimpliciter & liberum arbitrium, dicitur ſynderеſis & conſcientia, dicitur naturaliter agens, dicitur rationalis concupiſcibilis, dicitur tandem principaliter ſpiritus cognitiuus, dicitur mens collecta & vnita in humilibus deuotis, dicitur diſperſa in ſuperbis mente cordis ſui. Veritates octo diximus de diſperſione mentis.

De collectione videamus ſimul & deuotione. Collectio mentis ad Deum poteſt acquiri quaſi via triplici in genere. Vna eſt per deuotionem

Digitized by Google

ſimplicem, altera per philoſophicam inueſtigationem & intelligentiam, tertia per theologiam, quæ complectitur intelligentiam & deuotionem ſimul ſi plena ſit. Nunc de prima principalior eſt intentio ad confuſionem ſuperborum mente cordis ſui.

Deſcribitur autem deuotio ſecundum doctores nominatim ſecundum Hugonem in ſuo de oratione. Deuotio eſt eleuatio mentis in Deum per pium & humilem affectum fide, ſpe & charitate ſubnixum. Hihil hac deſcriptione verius, nihil lucidius, nihil propoſito noſtro ſimplicium documento accommodatius tradi potuerat.

Porrò de mentis deuotione non ſiluit ſcriptura, loquens de offerentibus mente promptiſſima & deuotiſſima. Mens deuota eſt incipientibus, deuotior in proficientibus, deuotiſſima in perfectis. Collectio mentis per deuotionem, nihil aliud eſt quam eleuatio. Non enim poteſt mentis eleuatio fieri ad Deum per pium & humilem affectum, quin colligatur ad vnitatem. In qua vnione tradit diuinus Dionyſius myſterium conſiſtere theoſophiæ chriſtianorum. Vnde præterea ſumitur diſtinctio ſpiritualis amoris à carnali, quia primus vnit, alter ſpargit. Et quia talis vnio non attingitur abſque amore ſpirituali extaſim faciente tradiderunt expoſitores ſui, quod appellat theologiam myſticam experimentatiuum vel guſtatiuum amorem.

De quo dicit vnus inter cæteros quod amor huiuſmodi cauſabatur ſine cognitione pręuia vel comite. Quod an verum ſit, & quomodo poteſt accipi, tactum eſt alibi ſub duodecim conſiderationibus: & hic ſuperaddentur aliqua. Certiſſimum quidem eſt amor omnis cognitionem præſupponit vnam, aut alteram.

Habemus ecce tria principaliter in deſcriptione deuotionis. Primò quod eſt eleuatio mentis in Deum. Secundò quod hęc eleuatio fit per pium & humilem affectum. Tertiò quod huiuſmodi affectus debet eſſe fide, ſpe & charitate ſubnixus ſeu formatus. Poſſunt hic explicari quatuor cauſæ deuotionis, finalis, materialis, efficiens & formalis. Poſſet inſuper aperiri quid intelligimus per eleuationem mentis in Deum quia non fit hic ſermo de eleuatione locali, cum Deus ſit vbique & ſemper, intimior menti quam mens ſibiipſi. Sed intelligimus de eleuatione ſpirituali, non ſecundum eſſe mentis, ſed ſecundum bene eſſe habituale & actuale, per affectum ſcilicet pium & humilem, qui quandoque ſtat in habitu ſolo quandoque procedit ad actum, quemadmodum fidem, ſpem & charitatem nunc pro habitibus nunc pro actibus accipimus.

Accipientes autem pro actibus conuenienter in primis coarctamus ſermonem ad tria hæc vocabula, affectus pius & humilis, ita vt abbreuiãdo dicere poſſemus, quod deuotio eſt affectus pius & humilis. Quiſquis ergo plenè cognouerit quid eſt affectus pius & humilis, ſciet vtique quid eſt deuotio.

Et quoniam finis legis eſt dilectio ſecundum apoſtolum, conformiter ad Chriſtum teſtificãtem, in duobus mandatis dilectionis tota lex pendet & prophetæ, fuit opinio celebris quod theologia chriſtianorum magis eſt affectiua propriè, quam ſpeculatiua vel practica. Non enim data eſt lex
A chriſtiana vt hic intelligamus Deum, ſed vt captiuemus omnem intellectum in obſequiũ Chriſti. Valet hæc conſideratio pro ſimplicibus chriſtianis, & militat aduerſus ſuperbos mẽte cordis ſui, qui nihil credere volunt niſi prius intelligãt, quales erant philoſophi quos damnant Pariſienſes articuli de errore quaſi per omnia, ſpecialiter dum dicebant quod nihil ſcit qui philoſophię non ſtuduit, quod inſuper non eſt alia felicitas hominum quam ſtudere philoſophiæ, & quod non eſt curãdum de fide. Procedit rurſus hæc conſideratio
B contra ſuperbos, ſolo nomine & vanitate theologos, qui ſtudent ſolum vt ſciant vel ſciantur, nihil verò traijciant ad affectum, nihil ad mores & virtutes. Et cum dicit etiam gentilis philoſophus: Inquirimus quid ſit virtus, non vt ſciamus ſed vt boni efficiamur. Cognouimus prohdolor aliquos quibus omnis doctrina miſcens cum ſpeculatiua pietatem fidei ad effectum reddebatur grauis, moleſta, nauſeans & oneroſa, ita vt doctores deuotos deriderent vt idiotas & vetulas, qua-
C les ſunt apud tales Gregorius Bernardus immo damnata arrogantia & amentia. Auguſtinus & Dominus Bonauentura cũ ſimilibus. Eſt inquiũt, doctrina eorum ad prædicationem & deuotionẽ, quaſi ſtare nequeant pariter deuotio & eruditio. Sed quid? verum eſt quod repugnant ſcientia inflans & charitas ædificans, quia execrabilis eſt ſuperbo humilitas. Sed eſt ſcientia quæ non inflat, ſapientia. ſcil. quæ deſurſum eſt, pudica, ſuadibilis, pacifica, quæ erudiens intellectum, ſimul per deuotionem informat & inflammat & paſcit affe-
D ctum, fauus. ſ. cum melle, oleum cum igne, vtile cum dulci. Deuotio nihil habens de philoſophia vel theologia ſcholaſtica ſpeculatiua, ſufficit ad ſalutem. Sufficit inſuper ad collectionem vnitiuã mentis cum Deo per ſupermẽtales exceſſus. Philoſophia verò & theologia ſine deuotione diſpergunt ſuperbos mente cordis ſui, deprimunt & auertunt vt ſe miſceant quæſtionibus infinitis. Ratio breuis in promptu eſt, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Declaratio ſer-
E monum tuorum illuminat (ait Pſalmiſta) & intellectum dat paruulis.

Conſideremus proprietatem deuotionis, vt conſequenter appareat quales ſunt ad deuotionem illi nimirum quibus eſt ſuauitas in affectu, pietas in intellectu, humilitas in affectu ſimilis & in intellectu. Eſt itaque deuotio affectus pius & humilis. Quid eſt autem affectus niſi ſpontanea quædam & ſuauis inclinatio ait Hugo. Porrò cõtrariatur affectus ſuauitati, mentis duritia, quæ
F compunctionem non molitur, de qua ſapiens: Qui autem mentis eſt duræ, corruet in malum. Et iterum: Cor durum malè habebit in nouiſſimo. Contrariatur pietati fidei mentis inſipientia, de qua pſalmi. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Et alibi: Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde. Prædicamus Chriſtum (ait apoſtolus) Græcis quidem ſtultitiam. Contrariatur humilitati, ſpei, mentis arrogantia quæ præſumit de meritis, vel deſperat de præmijs. Hic eſt vir qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed præualuit in vanitate ſua. Et rurſum: Manus enim

noſtra

Digitized by Google

noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Et illud de Iudeis apud prophetã: Deſperauimus:

Sciuerit igitur omnis homo qui nouerit comprehendi ſub hoc maledicto, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, quod ad mentis collectionem vnitiuam neceſſaria eſt deuotio quam deſcripſimus, quæ eſt eleuatio mentis in Deum per pium & humilem affectum fide, ſpe & charitate ſubnixum. Propterea quemcunque videris carentem iſtis dic quod diſperſus eſt mente cordis ſui, quantumcunque ſe philoſophum vel ſcholaſticum theologum eſſe iactet. Dic illud Iob de tali: Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & dicent qui eum nouerant, vbi eſt? Quaſi ſomnium auolans non inuenietur, & tranſiet quaſi viſio nocturna. Dic quod eſt ſal infatuatum, eijciendum & conculcandum. Secus verò ſi quẽ agnoueris in affectu ſuauem pium & humilem, ſi ad Deum cum ſimplicitate fidei ſpei & charitatis eleuatum, quamuis iſte ſit ſine literis, ſine philoſophia, ſine theologia, talis vtique collectus & vnitus eſt mente cordis ſui. Quid igitur? Vana eſt philoſophia, inutilis eſt theologia? Vana prorſus, inutilis & noxia habenti, ſi non comes affuerit deuotio, quæ pius eſt & humilis affectus, qua comite poterit ad intelligentias plurimas euehi, quas non habebit de lege communi ſimplex chriſtianus. Poterit inſuper talis eſſe vtilis in doctrina, qua fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Vtilis præterea ſicut dicit apoſtolus ad arguendum. Proinde deuotio ſola non ſufficit ad explicationem ſui mentibus alienis inſinuandam, cum amplius in experimentali ſenſu vel affectu, quam ratiocinatio intellectu conſiſtant. Sunt idcirco malè deuoti ſimplices illi, qui iuxta ſuas affectiones tradere ſatagunt alijs regulas & leges ex ſcripturis ſacris. Hinc fatuæ reuelationes, hinc ſuperſtitioſæ affectiones prodierunt. Sicut è conuerſo philoſophi & theologi deuotione carentes, ſiniſtras de deuotionis myſterio deriſiones intulerunt. Rurſus ita ſe habent affectus, pietas & humilitas in Deum, vt nequeat vna veraciter ſine altera inueniri. Nuſquam enim pietas fide ritè ſtabilitur ſine affectione humili nec humilitas ſpei & ſuauitas charitatis, ſine fidei ſolidæ pietate. Quo factum eſt aliquando, vt dolere pœniteréque ſe dicerent nonnulli litteratorum, quod non in ſimplicitate parentum. ſcil. laicorum permanſiſſent. Fides itaque donum Dei eſt, ne quis glorietur. Pax inſuper in credendo precabatur ab apoſtolo ſuis: Deus inquit, ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo. Ratio ſubditur, vt abundetis in ſpe & virtute ſpiritusſancti quæ virtus eſt charitas.

Caderet hic ſermo de certitudine fidei, & quẽadmodum intellectus in ipſa ſtabilitur, ſicut & in ſpe & in charitate per omnimodã ſui derelictionẽ ſub potenti manũ Dei, captiuando omnẽ intellectum in obſequium Chriſti, qualiter ſuadebat Chryſogonus Anaſtaſiæ. Tu verò ancilla Chriſti, tropheum crucis tota mente conſtringe. Modus infra notabitur. Quid autem eſt mens tota, niſi mens vnita totaliter & collecta? Omnis verò mens talis deuota eſt in incipientibus; deuotior in proficientibus, deuotiſſima in perfe- A ctis, quos non diſpergit ſuperbia mentis cordis ſui.

De deuotiſſima mente dicemus aliqua. Primò de deuotione perfectorum ad alios reditura. Deuotiſſima mens qualis eſt in perfectis, habet in ſe ſecretum ſolitudinis, ſerenum luminis, tabernaculum pacis, habet & cœnaculum ſeu diuerticulum refectionis, cubiculum requietionis, nidulum pullificationis, hoc eſt ex Bernardo. Viderit illic lucem, quam non capit locus. Audit harmoniam quam non capit tempus. Odoratur fra- B grantiam quam non ſpargit flatus, guſtat cibum quem non minuit edacitas, hæret amplexui quẽ non deuellit ſatietas, hæc ex Auguſtino.

Sed admirabilior eſt ſuper omnes Dionyſij traditio, quæ videtur inſipientibus corde rem magis inuoluere cõtradictionibus quam docere. Siquidem ad Timotheum ſcribens de myſtica theologia, ſic dicit: Tu autem Timothee circa myſticas viſiones corroborato itinere & ſenſus deſere, & intellectuales operationes & ſenſibilia & inuiſi- C bilia & omne non ens, & ens & ad vnitatem vt poſſibile eſt inſcius reſtituere, ipſius qui eſt ſuper omnem eſſentiam & ſcientiam & à teipſo, & omnibus immenſurabili & abſoluto puræ mentis exceſſu, ad ſupereſſentialem diuinarum tenebrarũ radium omnia deſerens, & ab omnibus abſolutus aſcendens.

Quæreret aliquis, quomodo poſſunt hæc fieri, quæ repugnare videntur in forma verborum. Tentemus aliqua dicere prænotando, quod du- D plex eſt hic notificationis modus. Vnus doctrinalis extrinſecus, alius experimentalis intrinſecus. Vnde ſciendum quod omnis cognitio noſtra ortum habet ab aliqua experientia. Omnis præterea cognitio ſi perfici debeat, in experientia terminatur. Experientiæ verò nomen dicitur ab ex, & pario paris, quia paritur experientia ex rebus in viribus cognitiuis & affectiuis. Hinc dicimus, hoc experior, hoc comperio, hoc reperio. Eſt autem experientia ſecundum rem ſeu quid rei perceptio ſimplex, non diſcurſiua cauſata ſeu parata immẽ- E diatè ab obiectali motione, ita quod ſufficit ad hanc perceptionem præſentia obiecti cum potẽtia perceptiua remotis impedimentis. Si enim color obijcitur viſui, ſufficit ad viſionem per ſolam impedimentorum ablationem, vt quod oculus non ſit clauſus, nec cæcatus, nec aliter impeditus. Sic eſt de auditu reſpectu ſoni, de guſtu reſpectu guſtabilis, de tactu & olfactu ſuo modo. Cæterum perceptio ponitur in definitione pro genere: quæ ſecundum nomen dicitur perfecta captio, & hæc conuenit experimentali cognitioni præci- F puè, quoniam in ipſa prout experimentalis eſt, non cadit error vel deceptio, niſi forte occaſionaliter apud potentiam diſcurſiuam, quemadmodum dicunt Hippocrates, quod experimentum eſt fallax. Cauſam dicti præmiſit. Ars inquit, longa, ars itaque formatur non ab vno tantum experimento, ſed à plurimis, quorum vtique ſingulum verum eſt, alioquin non eſſet per experimentum. Attamen combinatio experimentorum & conquiſitio diſcurſiua de quidditate & conditionibus rerum expertarum, immo & ipſo-

Digitized by Google

rum experimentorum quæ res ſunt, an ſubſtantiæ vel accidentia, ſæpe fallit. Conſurrexit proinde neceſſitas grammaticæ & logicæ pro communicatione mutua ſuper experimentis ſingulis & rebus expertis, nec omnes aut plures experientiæ laterent viciſſim homines, præſertim experientiæ interiores quas nemo nouit niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Conſurrexit denique modus alter cognitionis per experientiam, qui diſciplinalis vel ſcholaſticus vel doctrinalis appellatur per voces & ſcripta quoniam aliter non poſſumus conceptus primos per experientiam habitos exponere. Conſurrexit etiam diſtinctio vetus de conceptibus primæ intentionis & ſecundæ & tertiæ & de modis ſignificandi & de ſuppoſitione naturali. Tota poſtremò pars philoſophiæ quæ rationaliter dicitur, propterea neceſſarium ſumpſit exordium. Suffecerit ad præſens commemoratio diſtinctionis vt oſtendamus primò quod vnio mentis de qua nunc loquimur, conſiſtit in experientia, propterea transfundi non poteſt in alios per doctrinam, ſicut nec viſio, nec aliqua ſẽſatio exterior aliter in alios transfunditur, nec amor nec odium nec lætitia, neque generaliter aliqua experimentalis cognitio.

Nihilominus doctrinalis traditio non eſt fruſtra. Primò propter inductionem, vt fiat amplificatio potentiarum perceptiuarum cum obiectis experimentaliter percipiendis. Deinde notificatio fiat impedimentorum quatenus auferantur. Hæc enim duo ſufficiant ad experientiam, ita tamen ſi obiecta moueant naturaliter, alioquin tertium requiretur. ſ. actualis & libera motio obiectalis, qualem habet extra ſe Deus, qualem habet libertas arbitrij ſuper actus ſuos.

Nullus idcirco putet vel expectet quod ab homine de per ſe ſibi tradi poſſit cognitio ſuper vnione mentis cum Deo. Meritò quidem, quia nec de quacunque experientia poteſt hæc fieri circa creaturas. Nemo præterea ſeparet experimentum, niſi ſublatum fuerit impedimentum. Eſt igitur commune ſtudium omnium qui de theologia myſtica qui conſiſtit in vnione locuti ſunt, inducere ad tria quæ requiruntur & ſufficiunt videlicet deſiderium diuini obiecti, remotio impedimenti, imploratio diuini beneplaciti. Primum fit inſinuando pulchritudinem & valorem. Secundum fit aperiendo defectum noſtrum & languorem. Tertium fit per orationis vehementiam & ardorem. Hæc autem tria complectitur ipſa deuotio, quæ eſt eleuatio mentis in Deũ ſicut in obiectum proprium, & hoc per pium & humilẽ affectũ in quo ſemper eſt Deo beneplacitum. Occurret forſan aliquis & dicet: Quid ad te doctrina myſticæ ſapientiæ, qui non es particeps huius experientiæ? Reſpondeo. Credidi propter quod locutus ſum. Credidi ſermonibus expertorum, propter quod conformiter ad eos locutus ſum. Quatenus inducar & inducam, quantum Dominus adiuuerit ad deſiderium tanti obiecti, cum iſto qui dicebat. Vnam petij à Domino, hanc requiram. Vnam videlicet precioſam margaritam euangelicam, qua habita, dicamus ſufficit, qua non habita, ſaltẽ deſiderare concupiſcamus. Enitamur deniq; pro deuotione cuiuſlibet & impedimenti cum imploratione diuini beneplaciti. A Sanabit ita forte oculũ mentis, & ei ſe præſẽtabit experiendũ, guſtandum & videndum quã ſuauis ipſe eſt, quam magna multitudo dulcedinis ſuæ quam abſcondit timentibus ſe. Supereſt oſtẽdere quod doctrinalis traditio theologiæ myſticæ ſe extendit ad theologiam ſcholaſticã, nec ab ea diuerſa eſt vel ſecluſa, immo nec à vera philoſophia. Fiet autem hoc cõmodè ſi verba beati Dionyſ. à Paulo immo à ſpiritu ſãcto docti cõcordauerimus adinuicem per ſcholaſticam theologiam, cuius ignorantiam habentes, quamuis experientiam in- B trinſecam ſentiant beatę vnionis, tamen hanc doctrinaliter elucidare nequibunt. Exemplum eſt manifeſtum in doctrinis philoſophicis. Nonne poterit aſtrologus qui nũquam expertus eſt eclipſim ſolis & lunæ, tradere, doctrinã huius rei, qualem ruſticus qui experietur ipſas ad oculum tradere nequibit? Poterit ruſticus vtiq; dicere ſocio præſenti: Aperi oculos & vide, poterit extendere digitum ad eclipſim, ſed nil amplius. Aſtrologus verò licet ita mõſtrare non poterit præſentialiter, C docebit tamẽ abſẽtes qualiter aperiẽdi ſũt oculi, qualia ſunt impedimẽta quæ remoueri oporteat, immo ſi catholicus ſit, diuinũ beneplacitum iungere non omittet, qui facit eclipſes ſi vult & quãdo vult. Sic in propoſito, niſi quod aſtrologus habet demonſtrationem, theologus verò ſolam eruditionem in fidei autoritate firmatam. Multi multa locuti ſunt, & nos multotiens tã inter multos de & ſuper verbis Dionyſij, dũ tractat de myſtica theologia & diuina ſapientia chriſtianorum. D Dixerunt aliqui quod conſiſtit hæc theologia in abnegatione omnium à Deo, alij quod in affectu & dilectione, nonnulli quod in intelligentiæ puritate, alij quod in mentis ad Deum collectione vel vnione, alij quod in deuotione ſeu mentis eleuatione, alij quod in raptu vel extaſi vel mentis alienatione. Quas ſex poſitiones abſque contentione pertractemus ſub certis propoſitionibus, oſtenſuri cõformiter ad verba cãtici Mariæ, quod exiſtit in experimentali & gratuita vnione ſeu collectione & exultatione humilium mente cor- E dis ſui cum Deo, dum diſperſit ſuperbos, dum depoſuit potentes de ſede, dum eſurientes impleuit bonis, dum ſuſcepit Iſrael puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ. Dicamus igitur abbreuiato ſermone, quod ſapientia chriſtianorum de qua tractauit diuinus Dionyſius eſt vnio mentis ſeu collectio tanquam pro genere. Iungitur experimentalis & gratuita cum patre luminum Deo tãquam pro formali differentia & pro fine vel obiecto. Mens ponitur quaſi pro materia vel ſubie- F cto. Habemus ecce genus deſcriptionis ſcilicet vnionem, ſimul cum obiecto ſuo Deo, & mentem pro ſubiecto. Nec oportet inſiſtere ſcrupuloſius, quia nullus ambigit. Sed in hoc eſt difficultas quæ & qualis ſit iſta vnio, & quemadmodum comparetur, & cur pro differentia, additum, experimentalis & gratuita. Porrò quin gratuita ſit hęc vnio quis negaret? ad quam nec natura ſufficit nec induſtria. Sed neque ſatis eſt vnio gratuita ſi non percipiatur quemadmodum Deus habitualiter vnitur per gratiam & virtutes in paruulis baptizatis, quos tamen non dicimus myſticè ſapientes,

Digitized by Google

ſapientes. Supereſt igitur difficultas velut vnita, quid ſit & quomodo ſit vnitionis experientia. A Poſſumus autem dicere quod experimentalis vnio mentis cum Deo eſt ſimplex & actualis perceptio Dei gratiæ ſuæ, gratũ facientis dono qualis hic incipit & perficitur in gloria per gratiam conſummatam. Eſt igitur hæc vnio experimentalis prægustatio quædam gloriæ pignus & arra felicitatis æternæ, cui cõtraria eſt diſperſio & auerſio ſuperborum mente cordis ſui. Relinquitur tãdem hæc depurata ſeu expolita theologiæ myſticę deſcriptio dicendo quod eſt experimentalis Dei B perceptio. Potius autem ponitur perceptio quã cognitio, quia generalis eſt terminus ad omnem vim mentis, ſcilicet rationalem concupiſcibilem, iraſcibilem vel ad vim apprehenſiuam & affectiuam quamuis nihil verè videatur percipi quin vis apprehenſiua concurrat. Alioquin vis affectiua fieri poſſet in cognitiua, quod aliqui nedum concedunt ſed hoc probare contendunt. Nec theologiam ſcholaſticam ſuſcipiunt in hac parte ſed à myſtica ſecernunt, ſuper qua re videri poterit in C proceſſu.

De experimentali vnione veritates.

Experimentalis Dei perceptio facilis & immediata non habetur hic in via de lege communi, ſed expectatur pro præmio in gloria conſummata. Conceditur hæc ab omnibus nec oportet probationibus immorari, immò ſi conceſſa eſt propoſitio vt in errorem aliqui pro lapſi ſint, dicentes quod nec in patria Deus immediatè videbitur, ſed in theophanis quibuſdam contemperãtibus inacceſſibile lumen Dei imbecilli menti. D Quo ſuper errore deſtruendo, doctores nedum copioſiſſima diſputatione, ſed ſententiali determinatione proceſſerunt, iuxta notata Domini Bonauenturæ 2. ſententiarum diſt. 23.

Experimentalis Dei perceptio non videtur eſſe formaliter ipſa vnio. Admittitur autem hæc prædicatio quaſi per cauſam vel concomitantiam, ſed non multum intereſt ad rem noſtram. Tanta quippe eſt connexio omnium virium mentis vel habituum virtuoſorum cum habitu gratiæ & actu E principali eius quod apparet quædam circuminceſſio velut in benedicta Trinitate ſuo modo. Eſt enim gratia gratum faciens vna in Trinitate habituum theologicorum & trina in vnitate ſua ſeu radice, ſicut mens vna eſt in eſſentia & trina in potentijs. Vtrum verò potentiæ ſint realiter ab inuicem diſtinctæ vel tantummodo relatiuè ſeu cõparatiuè. Et ſi gratia prius informat eſſentiã mentis quam potẽtia parum intereſt pro deuotis ſcrupuloſius inquirere. F

Experimentalis Dei perceptio videtur fieri dũ influxus formalis & habitualis gratiæ gratum facientis in actus ſuos immediatè ſe protendit, exẽplum de formis alijs dum ex actu primo qui eſt informare procedunt ad actus ſecundos, ſicut vita ad viuere, lux ad lucere, intellectus ad intelligere, ſenſus ad ſentire. Sunt autem effectus plurimi gratiæ, tres Hierarchici, purgare, illuminare perficere quos aliqui multiplicant ſecundum mẽtis vigorem, fulgorem & amorem, dicentes quod virtutem memoriæ purgat eleuat & ſtabilit, fulgorem intelligentiæ illuminat, informat & aſſimilat, amorem affectiuæ perficit viuificat & vnit, & mentem acceptam Deo reddit.

Experimentalis Dei perceptio fit ſecũdum fructus ſpiritus quorum maximus & primus eſt charitas, id eſt chara vnitas, vnde prodeunt alij, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, manſuetudo & fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Vnde charitas prout eſt virtus theologica, dicit habitum, ſed prout eſt fructus, dicit actuale charitatis experimentum vel ſentimentum, quamuis neſciat homo certitudinaliter vnde veniat aut quò vadat, ſicut infra notabitur.

Experimentalis Dei perceptio vel notitia ſi pura eſſe debeat & vehemens requiritur in ſenſibus animæ proportionatis ſenſibus carnis quod purgentur, illuminantur & perficiantur, per operationes gratiæ gratum facientis, quas nunc elicit immediatè, nunc imperat mediatè per habitus virtutum donorum & beatitudinum. Sic experimur quod homo non percipit ſe viuere, niſi dũ anima procedit ad actus ſecundos per opera vitæ quæ ceſſant vtique poſitis impedimentis in ſenſibus per ebrietates per ſomnium per infirmitates aut ægritudines.

Experimentalis Dei perceptio ſi debeat eſſe perfecta & talis quæ dici mereatur ſapientia diuina vel myſtica terminantur in caliginem quam inhabitat Deus verè abſconditus & qui ponit tenebras latibulum ſuum. Quod vt fiat experimentaliter neceſſe eſt mentem ab omni cognitiuo actu vel affectiuo circa creaturam communem, etiam circa ſeipſam tunc vacare & in ſilentio à ſummo eſſe, mori denique toti creaturæ, vt ſoli Deo viuat creatrici eſſentiæ. Hic eſt nunc punctus difficultatis & myſterium abſconditum quod nemo nouit per experientiam niſi qui accipit. Poteſt tamen noſſe per doctrinam in auctoritate fundatam cum manuductionibus & exemplis, alioquin vanè penitus ſtuduiſſet beatus Dionyſius, cum cæteris condere libros ſuper hac re.

Experimentalis Dei cognitio terminatur in caliginem, ſed prius deſerit taliam caliginem. Caligo quæ deſeritur eſt omnis creatura quæ de ſe non niſi caligo eſt priuatio, ſcilicet luminis, alioquin non dixiſſet Ioannes de creaturis quod lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt. Fit autem iſta deſertio ſecundum tria quæ notat Dionyſius, in verbis præmiſſis. Primò deſeritur operatio ſenſitiua, quia non oportet vt vegetatiua deſeratur. Secundò operatio intellectiua ſecundũ omne ens, & non ens & hoc planè accipiendum eſt de ente vel non ente creato vel creabili, non de ente primo & puro. Tertiò deſeritur mens ipſa non vtique quin maneat eſſentialiter in ſe, alioquin eſſet & non eſſet, niſi velimus inſanire cum Almarico & ſimilibus hæreticis dicentibus mentem cõtemplatiui vel beati perdere ſuum eſſe in proprio ſuo genere & redire in illud eſſe ideale quod habuit eſſentialiter in arte diuina. Et hoc eſſent prorſus mentem annihilari aut nihil omnino poſſet annihilare Deus. Et hoc aliqui volunt ſed malè, quia ſimiliter ipſe creare nihil poſſet: Quid eſt igitur mentẽ ſeipſã deſerere? hoc eſt ipſam in actu primo ſuo eſſentiali manentem nullũ actũ ſecundũ circa ſeipſam, aut circa quodlibet aliud ens præter Deũ exercere, & tunc intrat

nouam caliginem de qua ſequitur exponendum.

Experimentalis Dei cognitio ſeu notitia vel perceptio quam inueſtigamus, quia non terminatur in Deum clarè & nudè viſum, ſiſtitur in caligine quadam ſupra ſe, deſerendo primam caliginem creaturarum poſt ſe vel ſub ſe, immò & ſe poſt & ſub ſe modo dicto. Ratio eſt, quia nec mens habet oculum qui natus ſit hic videre Deũ, nec Deus obijcit directè & immediatè ſeipſum. Grandis attamen difficultas eſt, ſi omnis notitia experimentalis ſit intuitiua, ſuper qua notitia tractatur de ſancto nomine Dei. Satis ſit hic dicere quod intuitiua cognitio Dei non negatur hic in via, ex hoc præciſſe quod Deus eſt obiectum improportionatum mentis oculo propter excellentiam viſibilis, ſed quia non placet Deo. Ratio quia obiectum intelligibile quanto eſt perfectius tanto magis idoneus eſt oculus mentis capere ipſum. Non enim læditur harmonia mentis de ſe ab excellentia intelligibilis, quemadmodum deſtruitur harmonia oculi ſenſualis per excellentiam lucis. Comparatio igitur oculi veſpertilionis ad ſolem non dicit omnem ſimilitudinem ad oculũ mentis reſpectu manifeſtiſſimorum in natura, dicente Ariſtotele, quod intellectus quanto perfectiora intelligit tanto ſit habilis ad altiora, vnde probat immaterialitatem ipſius. Experimentalis Dei perceptio per caliginem non fit ſine clariſſima irridiatione, ac ſine ſilentio ſuſurrante, & occultè dicente. Difficilius hoc videtur ad explicãdum. Credendum tamen eſt verbis Dionyſij crebrò ſic loquentis in definitione ſapientiæ & alibi. Placuit inquirere exemplum ſenſibile viſus corporalis ad lucem ſolis, fit enim frequens per Dionyſium & Auguſtinum & Ariſtotelem cum cæteris comparatio talis, quia nihil ſimilius in creaturis corporeis luce ſpirituali quam lux ſolis, ſicut viſui corporeo viſio mentis. Exemplum vnum, ſint duæ domus valde diſtantes quarum quælibet feneſtram habeat apertam aſpectu mutuo & directo, ſit medium prorſus expeditum, ſit oculus ſeu videns in vnam feneſtrarum conſtátque quod ſi nullum ſit in medio lumen puta de nocte, oculus erit inter duas caligines, quarum nullam attinget, quia nec illam quæ retro ſe eſt in domo ſuæ feneſtræ, vel iſtam quæ in iſta feneſtra eſt, quia ad feneſtrarum vacuitatem non pertingit medio non illuſtrato. Sed illuſtretur medium per quod acies oculi dirigatur ad feneſtram oppoſitam, iudicabit vtique talis oculus eſſe caliginem, quamuis domus intra ſe copioſè ſit illuſtrata. Docet hoc experientia cum ratione perſpectiuorum, quia nunquam videtur lux ſine coloris mixtione qui nõ eſt niſi in corpore terminato. Vnde oculus carnis purè in medio lucis poſitus nihil videret, ſed eſſet in caligine. Ecce quod ad inſpiciendum caliginẽ oportet quod oculus ſit inter duas caligines retro & ante, oportet nihilominus ſi debeat anterior caligo videri, quod fiat irradiatio per medium. Exemplum de voragine terræ, quæ non agnoſceretur per oculum ſub ſe tenebroſo medio inter oculum & voraginem nullatenus illuſtrato.

Exemplum alterum, quod ab Auguſtino iam prius inductum eſt de diuiſione ſpiritus. Sit oculus in excelſo monte, qualis fertur eſſe olympus, ſit ab immò nubes caliginoſa, prohibens aſpectũ omnium quæ ſub eo ſunt, ſit rurſum inter ſolem A & oculum alia caligo impediens aſpectum ſolis directum, non autem diffuſionem luminis ex obliquo. Conſtat quod oculus ſatagens inſpicere ſolem, non intuebitur niſi caliginem, quamuis inde ſuſcipiat obliquam irradiationem. Alioquin non videret oculus iſtam caliginem radiatione huiuſmodi non exiſtente. Poteſt hic induci illud Eſaiæ. Surge illuminare Hieruſalem, ecce tenebræ operient terram & caligo populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Conſonant exemplis verba B Richardi de diuiſione animæ & ſpiritus. In hac inquit, diuiſione, anima & quod animale eſt in immò remanet, ſpiritus autẽ & quod ſpirituale eſt, & quod eleuat ad ſumma, & ab infimis diuiditur, vt ad ſumma ſubleuetur, ab anima ſcinditur vt Domino coniungatur, quia qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo. Felix diuiſio & mirabilis ſeparatio, vbi quod corpulentum eſt & fœculentum, deorſum remanet, quod ſpirituale eſt & ſubtile, vſque ad contemplationem diui- C næ gloriæ ſublimatur, & in eandem imaginem transformatur. Pars inferior cõponitur ad ſummam pacem & tranquillitatem, cum pars ſuperior ſublimatur ad gloriã & iocunditatem. Hæc autem ſub eiſdem verbis ponit author de ſpiritu & anima. Quæ autem ſit iſta pax, quæ gloria, quæ iocunditas, & quid eſt quod videatur, hoc eſt quod inquirimus.

Experimentalis Dei perceptio non fit per ſolam abnegationem. Ratio, quia pura negatio D nihil ponit. Vnde vt Damaſcenus libro quarto cap. 4. in fine dicit: Sunt etiam quædam affirmatiuè de Deo dicta, virtutem ſuperexcellentis negationis habentia, vt puta tenebras dicentes in Deo non tenebras intelligimus, ſed quoniam lux non eſt, ſed ſuper lucem, & lux, quoniam non tenebræ eſt, hæc ille. Sic igitur quicquid affirmatiuè de Deo dicimus includit negationem aliquam, & è conuerſo negatio relinquit affirmationem, non quidem ad idem & ſecundum idem & pro eodem, alioquin eſſet contra- E dictio manifeſta, ſed accipiuntur affirmatio & negatio reſpectu diuerſorum, quia negatur à Deo quicquid eſt imperfectionis in creatura, ſicut omnis creatura eſt imperfecta quantumcunque perfecta ſit in ſuo genere, & ponitur per ſuperexcellentiam affirmatio de Deo. Propterea dicit ſæpè Dionyſius quod Deus non eſt ens, ſed ſuper ens, ſuper bonus, ſuper Dominus & ſimilia.

Experimentalis Dei perceptio claudit in ſe duplicem viam cognoſcendi Deum, ſcilicet per abnegationem F & excellentiam, nec via abnegationis ſufficit, niſi via excellentiæ adiungatur, nec è contra. Propterea damnatus eſt articulus Pariſiẽſis, dicens quod non cognoſcimus de Deo hic in via, niſi quid eſt.

Exemplum beati Dionifij eſt aptiſſimum, vbi dicit ſecundò de myſtica theologia: Sicut per ſeipſum agalma naturæ facientes, id eſt, imaginem ex ligno vel lapide, auferunt ea quæ ſuperiecta ſunt, puta oculi viſionem vetantia, & ipſam in ſeipſa ablatione ſola occultam manifeſtant formam, vt in manifeſtationẽ ducant, ſic ſupple fit in cognitione per abnegationẽ. Conſtat autẽ quod

Digitized by Google

quod ſtatuæ factor nihil addit ad lapidem vt ſculpat imaginem, ſed trahit tantummodo de eo. A Veruntamen aliqua ablatione facta linquit pulchram ſcilicet imaginem. Conſonat Auguſtinus Dionyſius., & exemplo pro confirmatione dictorum ſic dicit. Cum audis bonum hoc bonum illud, tolle bonum hoc & bonum illud & vide ſi potes ipſum bonum nullo alio bonum, tunc videbis Deum. Ita de vero, ita de pulchro ita de ente præcipuè, ita de quolibet attributo diuino.

Experimẽtalis cognitio Dei poteſt intelligi per ablationem fieri ſeptem modis. Quorum duo B ſpectant maximè propoſito noſtro. Vnus ad intelligentiam, alius ad deuotionem. Vnus modus eſt per nominis impoſitionem, alius per voluntariam acceptionẽ ſeu credulitatem. Tertius per realem ablationem. Quartus per intelligentiæ depurationem. Quintus per intelligentiæ perſpicacitatem. Sextus per intelligentiæ deiformitatem. Septimus per intelligentiæ ſimpliciſſimã vnitatem.

Diſcurramus per ſingulos modos. Eſt itaque primus familiaris nobis pro ſtatu viæ, verbi gratia, de vno hoc nomine bonum vel bonitas, quia C habito de ipſo ſic accipi poterit de cæteris. Experimur itaque quod ſint aliqua res à nobis appetibiles, vel quia vtiles, vel quia delectabiles, vel quia pulchræ & honorabiles. Imponimus ad hæc appetibilia ſignificanda hoc nomen bonum. Experimur conſequenter quod res appetibiles ſunt in multis defectuoſæ, & quod vbicunque quærimus refectionem, ibi reperimus aliquam defectionem moleſtam appetitui carnis aut ſpiritus. D Procedimus vltra ad impoſitionem vnius nominis quod ſignat bonum vſquequaque perfectum, cui nihil adſit vel adeſſe poſſit de malo, nihil bonum deſit, ita quod ſit bonum quo maius cogitari non poſſit, ſicut Auguſtinus accipit, poſt modum Anſelmus de hoc nomine Deus, quod appellamus bonum ſimpliciter ens, aut ſummè perfectum. Qua impoſitione facta confeſtim omnis qui ſcit impoſitionem, & audit hoc nomen Deus vel hoc nomen bonum, nullo addito, id eſt bonum ſimpliciter, quia ſimpliciter di- E co quod ſine addito dico. Omnis itaque talis accipit pro reliqua re tali præſtantiſſima, quam cæteris omnibus anteponit hoc nomen bonum & hoc nomen Deus, ita quod conuertibiliter ſe habent bonum ſimpliciter & Deus. Conſtat ita fieri potuiſſe & factum eſſe & ita retineri. Quo præſuppoſito voluit Anſelmus & quidam alij demonſtrare Deum eſſe ſicut putabant euidens eſſe quod bonum quo maius ex cogitari non poterat neceſſariò erat, alioquin ſi poſſet nõ eſſe, F iam non eſſet bonum quo maius cogitari non poſſet.

Sed ſecundum veritatem proceſſus eſt ſophiſticus & inualidus, ſi non aliter confirmetur. Diceret enim inſipiens contra quem arguit, ſe admittere iſtud quid nominis quod Deus eſt bonum quo maius cogitari non poteſt, negaret tamen ꝙ aliquid tale ſit in re, ſed tantum in nomine, ſicut ſi Deus imponeretur ad ſignificandum bonum ſummum in tribus ſuppoſitis abſolutis nihil in re nomini reſponderet.

Præterea reſtat ſecundus modus qui neceſſarius eſt, accedere volenti ad Deum credere, ſcilicet voluntariè quod aliquod tale bonum eſt verè in rerum natura, immò ſuper omnia quæ cogitari poſſunt in rerum natura per aliquam imaginationem, rationem vel intellectum. Hæc autem voluntaria & fidelis acceptio, quæ nedum concedit quid nominis, ſed quid rei firmiter credit, & ita in omni locutione ſibi ſupponit, hoc nomen Deus, quia ſuppoſitio eſt acceptio termini in propoſitione pro ſuo ſignificato vltimato. Ex hac acceptione ſecunda protinus elucidare poſſemus, quemadmodum deuotiſſima mẽs laicorum ſimplicium pertingere poteſt ad experimentalem Dei perceptionem ſeu theologiam myſticam, quæ in vnione conſiſtit mentis ad Deum, dum coniungit eos ſibi dum diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Pergamus attamen prius ad aliquem modorum aliorum numeratorum declarationem.

Et quidem tertius poteſt à ſolo Deo fieri redigendo omnia bona in vnum ſe bonum qualiter erat ab æterno ante mundi conſtitutionem in architypo mundo ſolo, ſed non multum facit ad propoſitum, niſi pro quanto facilius venit fidelis ſimplex vel theologus ad cognoſcendum ſupereminentiam boni æterni ſuper omne aliud boni nomen, quando credit vnum poſſe neceſſariò manere alijs non exiſtentibus vel deſtructis.

Quartus modus maximè cõgruit propoſito Auguſtini ſecundum quem proceſſit in ſuis confeſſionibus, immò in omnibus penè libris ſuis etiam cum ſimplice matre ſua dum colloquerentur valde dulciter ad feneſtram. Deputabat itaque matrem deuotam talis abſtractionis philoſophicalis eſſe capacem, prout collitur ex libro ſuo ſecundo de ordine dum vult deducere quod omnis philoſophica traditio ordinatè proceſſit ex amore præuia grammatica, dehinc logica, & conſequenter ſuo ordine de reliquis. Amor enim cũ fuerit humani conuictus ad quem loquela requiritur nec ſufficit niſi polita ſit ratio ſecundum deductionem illic traditam, quamuis in laudem Pythagoræ nimius fuit, vt idem in retractationibus fatetur humiliter Auguſtinus. Modus iſte tantus reputatus eſt à philoſophis, vt dicerent abſque illo non poſſe quicquam ſcire propriè & intelligere, ita enim poſuit Albertus in ſuo de intellectu & intelligibili deducens per longum proceſſum poſitiones antiquorum philoſophorum, immò & idolatrarum qui theletis & theorgicis purgationibus vtebantur, quorum meminit Auguſtinus de Trinit. diſputans aduerſus eos. Quid præterea dicemus de iſto quarto abſtractionis modo, ſi fieri poteſt abſque deuotione? Conſtat ita poſſe, quia communis eſt ad omnem cognitionem de rebus habendam per rationem, maximè per intelligentiam.

Habet autem intelligentia multipliciter inueniri, ſicut ex tribus modis conſequenter additis colligitur, quamuis conceperint aliqui Boetium voluiſſe intelligentiam eſſe ſolius Dei, ſed moderatius eſt vſus quod eſt ſolius diuini generis, ſicut ratio humani. Genus autem ſumus Dei, licet non illa perfectione in qua erimus dum ſimiles erimus Deo & Angelis vel intelligentijs eius. Intelligentia non erit in actum ſuum abſque multis abſtractionibus propter connexionem

Digitized by Google

ſuam cum materia. Corpus autem quod corrumpitur aggrauat animam, quoniam pro ſtatu viæ talis eſt ordo potentiarum quod ſuperior nõ exit in actus ſuos niſi præceſſerint actus inferiores. Hoc autem ſecundum Auguſtinũ non eſt naturæ niſi deſtitutæ. Porrò ſequens modus huius reſpiciebat ſtatũ naturæ ſuæ primitus inſtitutæ, ſimiliter & excellentius ſpectabat ad angelos ante glorificationem creatos. Remanſit hæc perſpicuitas naturalis etiam in ipſis dæmonibus quoad ſpeculabilia, in practicis enim excæcat eos malitia vehementer. Sextus demum modus ſpectat ad omnes glorificatos ſpiritus. Septimus verò proprius eſt ſoli Deo. Reſtringetur autem ſermo noſter ad duos modos, quibus poteſt per abnegationem & ablationem cognoſci Deus. Vnus eſt fidelis ſimplex deuotio, alius eſt philoſophica vel theologica intelligentiæ depuratio. Sic enim ſemper à diſperſione fit reſolutio ad vnitatem, ſicut à pluritate ſingularium vagorum vt hoc ens, hoc bonum, cum inuolucris accidentium loci & temporis, hic & nunc, fit reſolutio ad vnitatem ſpeciei, & conſequenter ad quidditates ſimpliciſſimas quas ſignant termini tranſcendentes. Correſpondent autem vocibus ad extra conceptus naturaliter ſignificantes, ſecundum quos ſumebatur ſuppoſitio naturalis.

Colligimus ex his duas pro fundamento veritates. Prima quod experimentalis Dei perceptio cognitione intelligentiæ puræ præcedentem non requirit nec ſequentem. Apparet per indirectum quoniam hæc intelligentia pauciſſimis conuenit. Theologia verò myſticam dicit Dionyſius communem eſſe Chriſtianorum. Altera veritas. Experimentalis Dei perceptio poteſt in ſimplicibus per deuotionem obtineri quandoque facilius quã per literatos. Patet ex deſcriptionibus deuotionis & experimentalis notitiæ, & abſtractionis volũtariæ per ſolidam fidem.

Reuolet tandem o ad a. finis ad principiũ tractatus ipſius, ô beata conſolatrix peccatorum qui cœptus eſt ſub hac nota cantici tui: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Reſumatur imaginatio de triclinio cordis. Fiat ſecundum illud deductio clarificans quæ ſuperſunt. Conſtituat ſibi noſter ſpiritus tria cœnacula infimum, medium & ſummum, ſit in infimo ſicut incipiens, ſit in medio, ſcilicet ſecundo proficiens, ſit in tertio perfectus.

Concordantiam ſuper qua ſtabiliatur accipiat ex conſideratione ſacramenti Euchariſtiæ, de qua fiet poſterius ſermo ſuper iſto. Eſurientes impleuit bonis. Sunt in hoc benedicto Euchariſtiæ ſacramento primò res ſacramenti, quæ eſt verum corpus Chriſti ſignatum per accidentia panis ſimul & vini & contentum. Eſt inſuper hoc corpus verum ſacramentum totius corporis myſtici quod eſt hic ſignatum, non ſignans aut contentum. Eſt tertiò per concomitantiam perſonalem & eſſentialem ipſe verus Deus, quia caput Chriſti Deus.

Ecce quod ſpiritus hominis fidelis, ſimplicis etiã & ſine literis, poteſt & debet conſiderare & credere cum anima, ſcilicet in infimo cœnaculo poſita, quoniam hic eſt corpus Chriſti verũ & viuũ cum articulorũ fide, quæ humanitatem reſpiciũt. Poteſt ex hac fide totam ſe recolligere ad meditationem iſtorum quæ corporaliter acta ſunt per
A Chriſtum, & ex illa meditatione poteſt cõcipere ſpiritum deuotionis per piũ & humilem affectũ. Poteſt etiam virtus Spiritus ſancti talem affectum deuotionis ita purificare, vt ad nihil aliud diligendum pro tunc ſaltem quod ſit aduerſus ſe conuertat affectus ſic credentis. Conuertat ſe modo ſimiliter ad piam conſiderationem & fidelem corporis Chriſti myſtici, id eſt animarum iam ſaluatarũ in paradiſo, vel ſaluandarum de hoc mundo, ac etiam de purgatorio. Hæc aſcenſio tenet locum ſuum vbi luſtrat ſpiritus vniuerſa in circuitu cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Conuertat &
B eleuet poſtremò fidelem ſuæ meditationis deuotionẽ ad ſolum Deũ, ſecludendo non per rationẽ ſeu intelligentiam, ſed per ſynceram dilectionem omne aliud diligibile creatum ſub ænigmate ſolius piæ fidei qua credit actualiter quod hic eſt Deus ſuus quo maius & nobilius cogitari nõ poteſt nec amari, qui totus eſt deſiderabilis. Sæpè compertus eſt in deuotis ſimplicibus totus caſus quem ponimus. Ex quo colligimus quemadmodum deuotus ſimplicium ſpiritus, exercet ſe tri-
C pliciter vniendo mentem ſuã in Deo per pium & humilem affectũ ad hoc ſacramentũ. Spiritus autem magis eruditus per rationem & intelligentiã poteſt ex induſtrijs ſcientialibus acquiſitis clarius iſta cognoſcere quam per ſolam fidem, ſed nõ verius neque ſublimius. Vnde viſitaui pridem in infirmitate ſua quandam fœminam ætate grandæuã, quæſiui quomodo ſibi eſſet. Mox ſuſpirando clamauit quomodo potuit. Remoui cor meum ab omni creatura, & repoſui in creatore. Ego ve-
D rò reſponſionem tantæ fidei ſtupens & laudans, abſceſſi, hoc vnum inferens: Satis eſt. Et verè ſi ex animo, nihil ſupra. Spiritus ſubinde fas habet per ſapientiæ diffuſionem & illapſum, magis ſurſum agi & reduci qualis erat Pauli mens. Siue inquit mente excedimus Deo. Et iterum: Sapientiam loquimur inter perfectos. Et rurſus: Nos autem reuelata facie transformamur de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. Sapientiam hanc ſupra diximus deſcripſiſſe Diony-
E ſium tractantes illud: Et ſanctum nomen eius circa finem. Aſſignat idem Dionyſius quod hæc ſapientia eſt amens & irrationalis & ſtulta & tamen eſt omnis rationis & mentis & ſcientiæ cauſa.

Videamus de verbo hoc te docente & illuminante ô virgo beata, ſapientiſſima fœminarum. Quid ſibi vult hoc verbum vt ſapientia quam quærimus in nullo videatur noſtri triclinij cœnaculo reperiri, nunquid in ſupremo vbi mens
F habitat? At ſapientia eſt amens, id eſt ſine mente, nunquid in medio vbi ratio collocatur: At ipſa dicitur irrationalis ſine ratione, nũquid in immò vbi cognoſcit anima: Sed hæc ſapientia ſtulta vocatur quaſi ſcientiam nullam habens. Dic obſecro te virgo prudentiſſima, dic per ſapientiam tuam quo pacto talis repugnantia verborum & nominum, immò & rerum ſecum ſtabit? Hoc eſt quod longo iam proceſſu veſtigauimus.

Hoc altero iam tractatu priori de ſancto nomine filij tui, quædam dicere ſpopondimus ſub te fiſi. Hoc nunc exoluere tentauimus expoſitionem recenſentes definitiones ſapientiæ, à deuoto

Digitized by Google

deuoto tuo Dionyſio poſitæ. Sapientia inquit eſt diuiniſſima Dei cognitio quæ eſt per ignorantiam cognita, ſecundum vnionem ſuper mentem, quando mens ab omnibus alijs recedens poſtea etiam ſeipſam dimittens vnita eſt ſplendentibus radijs inſcrutabili & profundo ſapientiæ lumine illuminata. Fiat per particulas noſter curſus.

Sapientia eſt diuiniſſima Dei cognitio. Cum Dei cognitio hic in via, quia ſic loquimur in ſequentibus, ſit triplex in genere. Quædam ſymbolica bene vtens ſenſibilibus, quædam propria benè vtens intelligibilibus, tertia myſtica quæ ducit ad ſupermentales exceſſus. Hæc tertia hic nominatur diuiniſſima, quia perfectiſſima, quia experimentaliter habita. Quid enim perfectius ſcitur quam quod in experientia cognoſcitur? Supra verò deductum eſt quod theologia myſtica eſt experimentalis Dei perceptio & intuitiua ſuo modo. Sapientia eſt per ignorantiam cognita. Si ad idem & ſecundū idē omnino fiat locutio, conſtat quod hoc conſtare nō poteſt, ſicut nec cōtradictio poteſt. Referūtur ergo ad diuerſa hæc duo per ignorantiam & cognita. Tollitur vnitio intellectualis diſcretiua cuiuſcunque rei creatæ vel creabilis, & hoc non in habitu, ſed in actu, ſaltem intentio quæ poſſet mouere vel trahere intellectum diſcretiuum, ad impediendum affectum mentis circa Deum ab actu, qui dicitur hic cognitio.

Sed qualis cognitio ſtatim aperitur ſecundum vnionem ſuper mentem. Erit ſuper hac vnione ſermo poſterior ſuper illud: Eſurientes impleuit bonis. Non enim poteſt hæc materia grandis tota ſimul euolui. Vocant vnionem hāc expoſitores Dionyſij quos legi, vnionem extaticam viuētem affectum mentis cū Deo. Videtur alijs quod hæc vnitio non ſit formaliter amor vel dilectio, ſed radicaliter fundatur in gratia gratum faciente dum eſt in actu ſicut principali & ſupremo qui eſt vnire cum Deo. Iuxta illud Apoſtoli: Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Hæc vnitio per gratiā præſupponit tres virtutes theologicas, dona ſimul & beatitudines & cæteros habitus, præſertim infuſos, quorum gratia gratificans eſt radix, forma & finis, quod dicitur propter gratias ſolum gratis datas, quem non reddunt ex ſe gratum Deo, vt ſunt gratiæ omnes ſi ſtrictè loquamur, præter charitatem. Cuius ratio eſt, quia ſola charitate excepta, quæ non compatitur quodcunque mortale contra legem Dei cæteri habitus ſtare poſſunt cū peccato mortali & gratiæ priuatione, ſed è contra gratia ſtat ſine illis. Rurſus hæc vnitio dicitur ſuper mentem, quemadmodum tractatu ſecundo ſuper illud: Exultauit ſpiritus meus, deductum eſt, Mariam fuiſſe ſupra ſpiritum, immò & ſine ſpiritu quandoque dum cecinit hoc canticum: Magnificat anima mea Dominum. Propterea dicitur hæc ſapientia amens, non quod mens perdita ſit vel deſtructa, ſed quia pro tunc de ſe nil cogitat, intelligendo ſeipſam actu aliter vel amando. Et hoc explicatur cum ſubditur in definitione, quando mens ab omnibus alijs recedens poſtea etiam ſeipſam dimittens. Hoc quomodo fieri poſſit, pluries oſtenſum eſt, etiam naturalibus induſtrijs, maximè præſuppoſita fide ſummi Dei. Sed quod ſequitur prorſus gratuitum, ad quod nec natura

A ſufficit, nec attingit induſtria, propterea iure dicitur hæc ſapientia ſingulari priuilegio data à Spiritu ſancto, quibus vult & quomodo vult ſpirante, & non niſi fidelibus Chriſtianis, quantumcunque alij fuerint per intelligētiam eleuati & illuminati. Hæc ſapientia nō datur per lætitiam internā affectus circa Deum, ſine ſapientia incarnata & impanata ſic loquendo. Sed quia Chriſtus oſtium eſt ad hanc ſapientiam dux & ſcala, idcirco ſequitur, vnita eſt ſcilicet mens ſuperior & principalior portio ſpiritualis ſuper ſplendētibus radijs inſcrutabili & profundo lumine ſapientiæ illuminata. B Confeſtim elicitur quod huiuſmodi ſapientia nō ſit pura caligo, nec puræ tenebræ, nec pura ignorantia, alioquin mens ipſa qualiter eſſet inſcrutabili & profundo lumine illuminata? Colligitur ſecundò quod hæc illuminatio nequit haberi per humanum ſcrutinium, quia dicitur inſcrutabili lumine & profundo, quoniam ad illud nequit per ſe ratio vel anima deducere, ſicut nec altitudinem diuinæ ſapientiæ penetrare. Sunt enim apud Deū idem, altitudo ſeu ſublimitas & profundum, ſicut C ipſe eſt initium & finis. Solus igitur Spiritus ſanctus cauſat hanc illuminationem ſapientiæ, cuius ſpiritus eſt acutus, & omnibus mobilib⁹ mobilior, attingēs vbique propter ſuā munditiam. Spiritus autē ſanctus quē mittit pater in nomine filij, non eſt acceptor ſublimium perſonarū in docēdo veritatem, paruulis & ſimplicibus derelictis, qui credunt in filium. Quinetiam ſi quæ dici poſſit acceptio, cadit illa ſuper paruulos & humiles in oculis ſuis. Ita pater inquit filius, & ſic placitum D eſt apud te. Placitum dicit, non cuiuſcunque meritum. Confundit hæc ſententia generaliter omnes ſcrutatores maieſtatis humana quauis induſtria, niſi hac vna ſola humiliari ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet factos humiles. Porrò recumbere in nouiſſimo loco cum nouiſſimo viro Chriſto in cruce poſito, vt dicat ipſe qui nos inuitauit: Amice aſcende ſuperius, veni vſque ad thronum patris, & in eius ſinu quieſce vt tibi ſit gloria in idipſum.

E Promptum erit deinceps concordare retentis prius dictis, quid ſit diuina caligo, quid diuinæ tenebræ. Siquidem eſt vna caligo reſpectu creaturarum, ſimiliter & tenebræ, quoniam ceſſat actualis illuminatio ſeu viſio intellectualis vel ſenſualis cuiuſcunque creaturæ, immò & ipſiuſmet mentis ceſſat conſideratio de ſe. Eſt altera caligo ſeu tenebra quæ dicitur diuina, quia nullo modo comprehendi poteſt à mēte illud quod per illuminantem radium vel radios oſtenditur, & hoc minus quam abyſſus corporalis immenſa F per oculum, quocunque ſolis lumine ſuperfuſum penetrare. Fas tamen ad illud immenſum diuinū quantumcunque ſit abſconditum & in caligine poſitū viſui ſpirituali. Fas inquā, affectui quod aſpiret quod deſideret quod ad illud qualecūque ſit, vnitiuis protenſionibus ſe extendat. Siquidē & inuiſa nec plenè cognita diligimus deſideramus, ſuſpiramus & ſperamus.

Habemus igitur duas caligines; vnam inferiorem quæ eſt actualis ignorantia creaturarum, alteram à ſuperiori, quæ actualis ignorantia Dei quæ ad viſionem obiectalem habemus medium lucē, immò lumina multa multos radios, quæ tamē ſunt

Digitized by Google

vna virtus vnitiua, vnus radius ſurſum educens ad patrem luminum vnde oriuntur vt à fonte. A Sicut inſuper virtus magnetis attrahit & reducit & cõuertit ad ſe ferrum. Et generalius ſicut omne obiectum appetibile ſuum trahit appetitum quod vidit qui dixit: Trahit ſua quemque voluptas. Quomodo loquitur ſponſa ad ſponſum: Trahe me poſt te. Sciebat quia nemo venit ad eum niſi tractus. Sed ô felix tractus.

Oritur hic non parua dubitatio quæ fundatur in notificatione, quid ſit diuina caligo vel tenebræ. B Eſt enim caligo talis defectus comprehenſionis diuinæ maieſtatis. Conſtat autem quod beati ſimiliter ab illa comprehẽſione deficiunt & non ab apprehenſione. Soluit hoc nomen mox additum, & ſi non apprehenſione. Apprehendunt itaque Deum obiectaliter & nudè & clarè & immediatè, propterea differenter extenſo nomine comprehenſores, nec relinquuntur eis tenebræ vllæ vel caligines vel theophaniæ, prout hic in via. Sunt idcirco ſemper in luce & lumine ſuper ſe quantumcunque exaltet Deus apud mentẽ C beatam in cognitione. Secus in via, quia nec mẽs habet oculos diſpoſitos per lumen gloriæ, vt videat obiectaliter Deum nec Deus vult obijcere hic nudè ſemetipſum. Et hæc ratio potior eſt prima, quia ſi vellet hic Deus poſſet, quod & feciſſe creditur Moyſi & Paulo, & dilectiſſimæ fœminarum. Nonnullis etiam fortaſſis ex priuilegio & exercitio amoris ſingulari. Hinc Bernardus præexpoſito verbo illo: Abſcondit lumen in manibus, ſcribit ad Carthuſienſes de monte Dei, dicens: Nonnunquam quaſi pertranſiens gratia D perſtringit ſenſum amantis, & eripit eum ſibi, & rapit in Deum pro modulo ſuo ad momentum idipſum ei oſtendens videndum ſicuti eſt. Interim etiam & ipſum efficit idipſum, vt ſit ſuo modo ſicut illud eſt, hæc ille. Sonant in hanc ſentẽtiam plurima verba Auguſtini & Gregorij. Nonnulli verò latius & elatius hoc aſſerunt quam ſatis eſt, dicentes animam in omnem plenitudinem Dei tranſire, vt optat Apoſtolus, in illud ſcilicet ideale eſſe ſuum conuerti quod habeat ab æterno. E Poſſet & hac ſanè intelligi & inde colligi ſingularitas amoris ſingulorum beatorum in Deo, ſicut habet & attingit quælibet linea propè centrum ſuum ſingulariter & diſcretè, quod tamen omnibus lineis commune eſt & ſibi. Deſipiunt autem, quia non concedunt animam in eſſe proprio ſui generis remanere. Sequitur de reliquis quæ contradictionem implicare videntur. Silentium occultè, docens: Eſt pax illa mentis quæ exuperat omnem ſenſum, & quies ab omni opere in- F tellectuali & ſenſuali modo dicto. Eſt quaſi ſibilus auræ tenuis poſt ſpiritum compunctionis ſubuertentem montes, & conterentem petras peccatorum poſt commentationem ſe manifeſtantem in confeſſione, poſt ignem zeli ſatisfactionis. Hic ſibilus eſt vocatio Mariæ in ſilentio per Martham. Hæc eſt vox auræ lenis, cuius venas ſuſurrij furtiuè capit auris contemplantis. Hæc mors optabilis ſine qua non videmus Deus, quia non videbit me homo & viuet, ait Dominus Moyſi. Hic eſt ventus roris flans in medio fornacis Babylonicæ, quæ eſt cor noſtrum ſuæ naturæ deſtitutæ derelictum. Nam cor impij quaſi clybanus ignis ſuccenſus. Quanto putas opus eſt ſilentio, quanta pace, quanta ſerenitate, vt audiatur vox ſponſi in abſcondito cubiculi cum ſponſa intus introrſum valdè cum ſummo ſilentio, ſolus cum ſola delectatur, nec admittit alienos. Similiter & ſponſa ſecretum captat nunc in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, nunc in monte myrrhæ, aut colle thuris, nunc ſuper montes aromatum, vnde cum quæſiſſet dilectus, quæ habitas in hortis amici auſculta. Fac me audire vocem tuam verecunda de præſentia amicorum interlinearis: Fuge dilecte mi non quod eo vellet carere, ſed habere ſolitarium. Et vbi: Certè ſuper montes aromatum qui ſunt montes æterni, à quibus Deus mirabiliter illuminat.

Paſcit in illis & quieſcit, vnde turbati ſunt omnes inſipientes corde. Claret ſubinde quid ſit obſcuriſſimum illud quod eſt ſuper manifeſtiſſimum, hoc eſt ipſe Deus. Conſtat autem illud philoſophicæ traditioni, quod manifeſtiſſima naturæ ſicut Deus & intelligentiæ ſunt occultiſſima nobis. Veritas eſt quod philoſophia non conſiderauit aut conceſſit reuelationes deſuper à patre luminum quales ponit, & in quibus quaſi ſolis innititur ſpiritus Chriſtianus. Voluit Deus efferre nos ad ſupernaturalem & æternam vitam. Dedit propterea legem & ſacramenta ſua ſuper naturam, ita vt vita Chriſtiani magis pendeat à miraculis quam natura. Militat hoc contra curioſitatem omnium naturalia ſcrutantium, vel ex eis in viuendo pendentium: ſicut aſtrologorum nonnulli ſunt & medicorum & aliorum per prudentiam ſuam regere rempublicã exiſtimantium, quales omnes deducit in ſtultum finem crebrò Deus, vt ſciant quia Dominus ipſe eſt Deus qui regna mutat & tempora. Perſpicuum denique fit, quam alta ſis mente contemplata virgo beata, tu ſuper omnes illuminatrix & illuminata, dum decurſu mundi labentis peregrinationis hominum ſub ſtabili Dei prouidentia proſpiciens ceciniſti: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, confirmans, per id quod ſequitur: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.

TRACTATVS OCTAVVS PER DIDRAGMA SEV DIALOGVM

partitiones habens quatuor. Prima de depoſitione per impulſus dæmoniorum per notulas quadraginta quatuor.

Prima notula.

DEPOSVIT *potentes de ſede.*

Diſcipulus. Gloriatur pſaltes noſtra cuius Dominus humilitatem reſpexit. Gloriatur in humilium collaudatione ſimul & exultatione. Ex abundantia enim cordis humiliati loquitur, legerat quod magna potentia Dei ſolius & ab humilibus honoratur. Propterea magnificat Dominum cum exultatione ſpiritus, quia ſibi humili fecit magna qui potens eſt, quia miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum, & qui ſunt timentes Deum ſi non humiles?

Quo

Digitized by Google

Quo cótra ſi ab humilibus honoratur & timetur Deus, conſequés eſt vt deſpiciatur à ſuperbis. A Quid præterea ſupereſt niſi vt deſpiciétes ſuperbi diſpergantur & à ſede deponantur qui ſibijipſis non domino potentes eſſe volunt? Sed habet quæſtionem: Qui ſunt hi potentes?

Magiſter. Volo prius agnoſcas quanta ſubtilitate notatur in hac pſalterij chordula duplex impulſ⁹. Vnus in deorſum. Depoſuit, id eſt, deorſum poſuit, & depulit. Alter ſurſum euehit & trahit & impellit & exaltauit humiles. Conſonantia multiplex ſuper hoc impulſu duplici ſuppetit, vno deorſum & malo, ſurſum altero & bono. Audi de B malo. Impulſus euerſus ſum vt caderem, & iterum: Expulſi ſunt nec potuerunt ſtare. De Helya verò dicebant filij prophetarum: Ne fortè tulerit eum ſpiritus domini & proiecerit eum in vnum montium vel in vnam vallium, & de Chriſto ſcribit Marcus, quod expulit eum ſpiritus in deſertum. Vnus tamen impulſus viguit ante peccatum, quo ſpiritus intellectualis ferretur in Deum non violenter, ſed vltroneo voluntatis amore. Sic trahi petebat qui dicebat: Trahe me poſt te. Et Chriſtus: C Nemo poteſt ad me venire niſi pater qui me miſit, traxerit eum. Peccauit lucifer, ortus eſt alter impulſus vſq; ad abyſſum. Vnde dictus eſt diabolus quaſi deorſum fluens. Seducti ſunt & ſeductorem imitati ſunt primi parentes in peccando, factus eſt par impulſus in cadendo, nec poterant ſtare propria virtute. Sed dominus fecit potentiam ſuam in brachio ſuo. Ipſe, miſertus eſt & fecit humiles vt exaltarentur fierentque ſublimes.

Diſcipulus. Væ væ peccatoribus ab impulſu malo. D Sed qui ſunt hic potentes, quos Maria præintellexit an dęmones iſti? *Magiſter*. Loquitur ad Iob dominus de diabolo ſuper metaphora behemoth, quod non eſt poteſtas ſuper terram quæ ei poſſit comparari, qui nedum ſuperbus, ſed rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. Qui teſtante Apoſtolo extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, de quo propheta ſuperbiæ ſuę vocé exprimens: Conſcendam ſuper aſtra cœli, exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti. Sequitur: Et ero ſimilis altiſſimo. Fuerunt qui opinarentur luciferum inuidiſſe E altiſſimo filio, & æqualitaté eius affectaſſe. Et quia propter filiũ tempeſtas aduenerat mortis ex inuidia diaboli in orbem terrarum, dixit in ſecreto Trinitatis conſilio: Si propter me orta eſt mitte me in mare: Fiam homo paſſibilis omnibus fluctibus tentationum expoſitus & ceſſabit tempeſtas. Videtur huic poſitioni textus alludere cantici, cum enim dixiſſet Maria de Deo: fecit mihi magna qui potens, & quia videlicet humilitatem ancillæ ſuæ reſpexerat, ruſum ſubiunxit de F diſperſione locutura. Fecit potentiam, nec hoc ſtetit, ſed addidit, in brachio ſuo. Nouimus autem quod ab Eſaia filius incarnatus & paſſus appellatus eſt brachium domini, quis inquit, credidit auditui noſtro, aut brachiũ domini cui reuelatum eſt?

Diſcipulus. Concordare videtur hæc poſitio cum traditione doctorum per omnia. Ponunt enim quod per ſummam humiliationem filij Dei ſuperbia diaboli deiecta eſt, qui quaſi fortis armatus cuſtodiebat atrium ſuum. Sed habet oppoſitionem, quia lucifer nunquam vidit intuitiuè Trinitatem nec per reuelationem videtur eius cognitionem habuiſſe, ſicut nec fidem, & minus vitam æternam quæ eſt (dicente Chriſto) vt cognoſcant Deum verum & quem miſit Ieſum Chriſtum. Sed nec caſum præſciuit ſuum. Doluiſſet enim pœnaliter ſine culpa. Nolo tamen contentionibus deſeruire, abundet quilibet in ſenſu ſuo. Satis eſt ad rem noſtrã quod diabolus voluit eſſe ſimilis altiſſimo, quia ſibi ſuam beatitudinem à proprijs viribus expetebat, nulli quærens aut ferens eſſe ſubiectus. Hinc euenit illud Chriſti: Videbam ſathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Sic finis ad alta leuatis eſt ruere dum humiles exaltantur. Sunt quæſtiones aliæ plurimorum vt cur Deus creauit quem caſurum nouerat? Cur non appoſuit vt redimeret eum ſicut hominem poſt lapſum erexit, & talia quæ abundè tractata ſunt per doctores. Hæc tamen omnibus curioſis & potentibus apud ſemetipſos nulla poterunt ſatis eſſe vt inueſtigare ſufficiant ſenſum domini. Niſi per fidei humilitatem ſe captiuent, obtundetur & reuerberabitur potius ex lumine rationum ſuus viſus. Credant de domino optimo & ſapientiſſimo quod bene omnia fecit, alioquin de operibus nullam poterint inuenire rationem. *Magiſter*. Sobriè conſulis. Salubrius eſt nobis intendere ne deponat nos dominus de ſede, ſed exaltet humiles contra potentis inſidias & impulſus, aduerſus quem eſt nobis colluctatio, quia aſſiduè circuit quærens quem deuoret. Sic deinceps igitur ſi placet collocutio noſtra contra tentationes inimici, cui nomina mille nocendi artes.

Diſcipulus. Laudo propoſitum. *Magiſter*. Plus laudabilis ſi recogitaueris præcipuam hanc eſſe ſibi artem, celare ſuas artes.

Diſcipulus. Quo pacto. *Magiſter*. Tollere ſatagit ante omnia noſtros oculos ne credamus vllos eſſe dæmones aut vllos à dęmonibus tentationum impulſus violentos immitti. Scit quod pernicior eſt occultus noſter inimicus. Nihil inſuper periculo proximius, quam ſuum neſcire nec credere periculum. Aut ſi fortè habitualiter creditum eſt, actualiter id nec attenditur nec timetur, malè dormitur inter latrones. Cæcatis oculis quid niſi pateat in foueam lapſus? At contra. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Diſcipulus. Immo iacitur aliquando vt terreantur ſonorum impulſibus & territi capiantur. Hæc alta dęmonum fraus eſt, ſi viderint ſe videri per oculos fidei aggrauant periculum, ſpem euaſionis intercludunt. Fallor ſi non conabatur ſathan ſic illudere, ſic tenere Antoniũ, cum ei totum mundum laqueis plenum oſtendit. Qui territus & ſuſpirans ait dominum, quis hos euadet? Scis quale reſponſum accepit? *Magiſter*. Humilitas.

Diſcipulus. Conſonat Pſalm. Cuſtodiens paruulos dominus, humiliatus ſum & liberauit me. Euadunt piſciculi per rimulas retis, dum magni retinentur incluſi. Sed in quo potiſſimè conſiſtit humilitas? Vidimus enim plurimos per nimiam perditos humiliationé, quales puſilanimes, quales deſperantes, quales tædio vitæ ſe necantes.

Magiſter. Certum tene & nullatenus dubites, nullum perire diabolo impellente, niſi prius poſuerit in eo pedem ſuperbiæ. Vidit hoc qui orabat, non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui

Digitized by Google

operantur iniquitatem. Sunt ergo duorum principum vexilla duo diſtinctiua, humilitas & ſuperbia, humilitas Dei, & ſuperbia diaboli. Sunt impulſus duo, deorſum & ſurſum. Quid humilius cruce Chriſti? Quid arrogantius ſuperbia diaboli? qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, & vt Deus & plus quam Deus ſatagit adorari. Hinc omnia reperit machinamenta per idolatras, per magos, ſortilegos & maleficos.

Diſcipulus. Fuerit hæc arrogantia per diabolum ſemper intenta, multos tamen decipit non ſuperbos, quales aliquos notauimus. *Magiſter*. Inueniatur in omnibus perditis ſuperbiā dominatam. Nonne initium ſuperbiæ eſt apoſtatare à Deo? Apoſtatat omnis qui non credit, qui deſperat, qui ſuum præ omnibus iudicium anteponit, qui propriam non domini voluntatem implere ſatagit, qui iuſtitiæ Dei non vult eſſe ſubiectus, ſed propriam ſtatuere. Sic Cayn deſperans, maior eſt inquit, iniquitas mea quam vt veniam merear. Certè maior eſt ô Cayn iniquitas tua quā meritum tuum ex te, ſed non maior quam Dei miſericordia, ſi eidem ſubiecceris te. Iudas prius in tenebris ſathanæ nimis audax, poſtmodum tenebris à corde remotis per aſtutiā diaboli, factus eſt puſilanimis ſupra modum ad nudum proſpectum horrendiſſimi ſceleris ſui. Cecidit inde à ſe per deſperationem, & ſub ſe per damnationem, ſed non adiecit vt ad veniæ petitionem aſſurgeret de peccato quod ore confitebatur, quod deteſtabatur opere pecunia reſtituta.

Diſcipulus. Horreo totus dum verſutias diaboli recogito, dum terribilis Deus aſpicitur in cōſilijs ſuper filios hominum, dum iudicia ſua abyſſus multa, dum omnia reſpicio fieri peccatoribus ad muſcipulam, laqueum & ruinam. Cadit iuſtus & reſurgit, cadit alter, nec dominus ſupponit manū ſuam. *Magiſter*. Sed non minus mirabilis eſt miſericordia Dei ſuper humiles. Illudit draconi iſti behemoth ſicut aui. Puer autem Emanuel tenet ipſum laqueis. Sinitur aliquando procedere ad impulſionem electorum, gaudet erumpere. Porrò dum excedit, protinus reuocatur. Facit ita Deus cum tentatione prouentum, nec ſinit tentari ſupra id quod poſſumus. Poſſumus intellige non in noſtra, ſed ſui ſiducia.

Diſcipulus. Putas ne ſathan iſte poſuerit inimicitiarum ſuarum laqueos contra mulierē noſtram virginem puriſſimam, quæ à ſexu mulier, non à corruptione dicitur, ſimiliter à fœcunditate & venuſtate? *Magiſter*. Puto, namque cantantem vt audiuit: Magnificat anima mea dominū, miratus cauſam gaudij pariter & exultationis, credidit arrogantem, cum ſubintulit: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Iunxit applauſum ſuum, demū impulit ab extra quaſi blandiens, vt eleuatam Mariam vehementius alliceret. Sed illuſus eſt & eliſus ab humilitate Mariæ validiúſque repulſus. Sed repulſus ad alteram ſe conuertit aſtutiā ſubinferens: O quanta facta es beata per omnes generationes, quæ talis exiſtis & tanta. Tu ſuperbiam humilitate viciſti, rara prorſus honorata. Euge euge, quia dignè beata quia dignè laudanda per omnes generationes es inuenta. Cuius inſidias ſubdolas intelligens Maria blandientem mox repulit vt aduerſantem. Conuertantur inquit, retrorſum & erubeſcant, qui dicunt mihi, euge euge.

A *Diſcipulus*. Æquiſſime Deus, quid hic nobis erit tutum? Dicitur in proſa, cum nec ipſa vel virtutum tuta ſit victoria. O monſtrum horrendum, ingens ſuperbia, quæ nunc à ſuo contrario, nunc à vento ſolo, nunc à propria morte nefariam trahit originem. Sed ô quale præſtabitur effugium, ſi tam à dextris impugnat quam à ſiniſtris. Si viuit, ſi moritur, ſemper ſæuit, ſemper impellit, ſemper euertit vt cadamus. *Magiſter*. Accipe conſilium. Impulſus cade & vide ne ſteteris in te. Iacta te cum nouiſſimo virorum in nouiſſimo loco. Securus eris, quia ſuſcipiet te. Hoc erit altiſſimum refugium B tuum. Non accedet ad te malum, ſi habitaueris in adiutorio altiſſimi non in te, non in meritis tuis, non in induſtrijs, nō in timore malorum tuorum, dicens domino: Suſceptor meus es tu, exultabis te liberatum à laqueo venantium. Cæterum pulliculus eſto ſub alis ſuæ miſerationis, non timebis ab hoc rapace miluo. Te pupillum & viduam animam tuam, te manſuetum cōſtitue. Crede pſalmis C ſuſcipiet te. Statuet te in ſublimi protectionis ſuæ throno, faciens etiam hic & nunc confidere te in cœleſtibus, quia conuerſatio in cœlis eſt dum ſperas in eo impulſus impulſu vincetur. Cantabis & dices: Depoſuit potentes de ſede. In me ponere & ſuper me & affectiones meas, exaltauit humiles, quia gloriam præcedit humilitas.

Diſcipulus. Specioſa ſunt quę loqueris & deuota, ſed qua poterit ratione homo iuſtus ſibi bene conſcius de virtutibus iudicare ſe virtutes nō habere.

D *Magiſter*. Virtutes veræ non ſunt niſi quas gratię gratificantis radix profert, viuificat, fouet & roborat, quia non habet aliquid viriditatis ramus boni operis niſi maneat in radice charitatis. Neſcit autem homo an amore dignus ſit gratificante, quare neſcit ſe veras virtutes habere.

Diſcipulus. Scit nihilominus gratias ſe plurimas à domino recepiſſe in bonis vel fortunæ vel naturæ vel animæ. Quid ſuper iſtis dicet Deo? *Magiſter*. Vtique Confitebitur domino, gratias aget benefactori ſuo. *Diſcipulus*. Lego Phariſæum in Euan-E gelio gratias agētem, quia nō erat iniuſtus adulter, raptor. Ieiunabat his in ſabbato, decimas dabat, receſſit tamen iniuſtificatus in domum ſuum, potenſq; in regratiatione ſua deiectus eſt, dum publicanus humilis exaltatus. *Magiſter*. Intende diligenter, & inuenies laqueos inimici ſuper ſeminatos in vijs Phariſæi. Ambulat iter rectū gratiarum actionis. Quid enim gratitudine rectius eſſe poteſt? quid peruerſius ingratitudine? Poſuit iuxta hoc iter quo Phariſæus ambulabat laqueum arro-F gantię quo comprehenſus corruit in foueam contemptus cæterorum. In contemptum nominatim aſtantis & pœnitentis Publicani. Nequitia hæc eſt dæmonum, omnia ſtatim pariter deprauare. Sufficit eis vel vnus aditus ad perniciē. Sciunt bonum conſtitui ex circunſtantijs omnibus bonis, malum verò ſibi ſufficit ad reatū ſi vel in vno peccauerit.

Diſcipulus. Phariſæus iſte bene dotatus in gratijs Dei, conſiderare quid habuit? *Magiſter*. Primò illud: Quid habes quod non accepiſti, & hoc videtur feciſſe gratias agens Deo. Secundò diceret. Si accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Et ſi putabat obſeruare mentiebatur iniquitas ſibi.

Quare?

Digitized by Google

Quare? quia proximos contemnebat non habentes. A Iudicabat alienum ſeruum publicanum, qui domino ſuo iam iuſtificatus aſtabat. Dedit dominus Apoſtolis formam quid agerent in articulo tali: Non inquit vos me elegiſtis ne gloriemini quaſi ex vobis, ſed ego elegi vos, ne ſitis ingrati quaſi non acceperitis, & poſui vos vt eatis & fructum afferatis, ne torpeatis otio gratiam Dei in vacuum recipientes & fructus veſter maneat, quatenus perſeuerantia coronetur.

Diſcipulus. Facile talia dicimus, facile nos in verbis B deijcimus. Sed ô prauum cor hominis & inſcrutabile. Quis cognoſcet illos occultiſſimos in cordis finibus ſathanæ laqueos, & vehementes impulſus quis euadet? *Magiſter.* Paulo ante reſpondebas ex oraculo Antonij, humilitas.

Diſcipulus. Quid quod humiles etiam in arrogantia merſi volumus iudicari? *Magiſter.* Hæc eſt palma ſuperbiæ videri vult humilis ne vileſcat. Confitetur ſe aliquando peccaſſe, immo plus peccaſſe quam fecerit aut ſibi conſcius ſit. Quare hoc? quia quærit in peccato laudem iuſtitiæ, dum audit C à ſapiente: Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.

Diſcipulus. Vah qualis hæc pernicies quam ſtulta gloriatio. Filij hominũ vſquequo graui corde, vt quid diligitis mendacium? Quale dabitur inter iſta conſilium? *Magiſter.* Conſulit Beda contrarium ad Phariſæi verba modum: Deus ignoſce mihi peccatori, quia nõ ſum ſicut cæteri hominũ. Innocentes caſtitate, pollentes orationi, inſtãtes, ſobriè, iuſtè & pie viuentes, in hoc ſeculo fructus dignos pœnitentiæ facientes, ſicut etiam hic publicanus, D ſicut hæc meretrix de qualibus iurat veritas quod præcedent in regno Dei Phariſæos. Non ieiuno, nõ decimas do, ſi aliquid boni facio, illud quid diſtrictione iudicetur ignoro, aut quo fine terminetur. *Diſcipulus.* Totus intremiſcit in me ſpiritus meus, dum hoc vltimũ maximè recognoſco, quia neſcit homo finem ſuum. Quia væ etiam laudabili vitę hominum (dicit Auguſtinus pro matre flens, ſi remota miſericordia iudicetur. Non autem ex meritis datur gratia, alioquin iam nõ eſſet gratuita nec gratia. Profectò ſi aliqua debet humilitatem E parere cõſideratio, hæc vltima debet, quia qua diſtrictione iudicetur vita noſtra, & quo fine terminetur ignoramus. *Magiſter.* Rectè ſentis. Sed tamen hic inſidiari hic impellere non deſinit inimicus. Teſtes accipe multas hęreſes ex his diuinę gratiæ laudibus ortas & velut aduerſas. Dixerunt aliqui, ſi totum diuinæ gratiæ tribuimus, noſtra quid agunt opera? Benè, malè fecerimus, ſoli quos ſuſceperit gratia ſaluabuntur. Vox aliorum eſt, boni non eſt niſi bona tribuere. Non fecit Deus homiF nes, præcipuè fideles ſuos, vt damnentur. Benignus eſt non crudelis, vt qui in perditione hominum delectetur. Tollit ſathan perinde ſemen bonum à terra cordis noſtri perturbati, aut ſuffocat in ortu vel dum fructus habẽdus eſſet exterminat.

Diſcipulus. Hæreticos innumerabiles non inficior à ſathana circumuentos. Porrò ſermonem habeto de Chriſtianis fidelibus. *Magiſter.* O ſi cordis ſecreta lynceis vt dicunt oculis penetrare fas haberes, quot peiores heu introrſus hæreticos ſub velamine Chriſtianitatis inuenires. Attamen nolo te curioſum ſcrutatorem eſſe vitæ alienæ, ſemper memineris præconij charitatis, quia non cogitat malum. Vox eſt Chriſti: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

Diſcipulus. Quo pacto poſſum iſta non cogitare, quæ experientia palam facit. *Magiſter.* Fuge quantum potes experientiam, tecum habita, te cogita, te circunſpice, clauſos in alienis ſceleribus, apertiſſimos in tuis oculos habe. Quid neceſſe eſt vt alienis ſordibus cor tuum inquines, aut impleas ſuſpicionibus maleuolis & impuris?

Diſcipulus. Homo ſum. Fratres & proximos qua ratione poſſum non curare, quo pacto non lugere cum lugentibus, cum infirmantibus non infirmari? *Magiſter.* Crede iam hic latet laqueus ſathanæ multiplex vix extricabilis tanquam Dedali labyrinthus, quaſi negotium perambulans in tenebris, & vnde veniat aut quo tendat vix deprehenſibile. Ponatur interim ſilentium de beneficiatis & officiatis in republica, de præſidibus aliorum quorum cura vel ingeſta, vel arrepta, vel ſuſcepta eſt. Loquamur de homine ſic libero, qui ſoli Deo & ſibi viuere quærit, qui non habet homines impoſitos ſuper caput ſuum, quem punitio peccatorum non vrget vt intendat eis. Cui conuenit illud attendere, quid ad te de his qui foris ſunt iudicare? Portabit onus ſuum vnuſquiſque, vaca tibi tuæque ſaluti. Ecce tales multos continet Eccleſia, præcipuè in religionibus qui depoſuiſſe ſe credunt curam omnium ita, vt nec ſui ipſorum retinuerint. Attendat oro quilibet talium. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore & prępara cor tuum ad tentationem. Tempus quippe non deerit, nam impulſus etiam in iſta re frequenter, quam potiſſimum vitare debueras.

Diſcipulus. Quæ eſt res iſta? *Magiſter.* Nimirum quam diximus de aliorum iudicio. Cogitant malum, gaudent ſuper iniquitate, & ſi non facienda, tamen audienda. Vident curioſitates aſpectu contradicentes, nedum ciuitatis ſed regnorum. Inde tunc de bellis, de titulis regnantium primos omnium rerum motus accipiunt. Chariſſimam & in familiaritatem recipiunt ſibi famam monſtrum horrẽdum ingens, quod ſua per mendacia creſcit, quod magnas territat vrbes, ſemper & audítis aliquid noui adijcit auctor. Denique ſic cupiunt omnia cogitare, quaſi de omnibus fuerint rationem reddituri. Iubentur à Petro ſollicitudinem omnem & curam ſuam in Deum proijcere. Ipſi verò curam omnium ſuſcipiunt.

Diſcipulus. Nunquid non audire talia poſſunt, quaſi non audientes? Audiunt vt ſibi conſulant vt vileſcat mundus cum perturbationibus ſuis, vt patriam cœleſtem deſiderent, vt pro afflictis deuotius intercedant apud Deum. *Magiſter.* Inducis perizomata prurientis ficulneæ, quibus nuditatis ſuæ pudenda tegere putant, quaſi non melius in pace colatur & oretur De⁹ in animi collectione, non in diſperſione quam neceſſariò rumores & fabulationes non vt lex tua domine, cauſant, nutriunt & augent. Hinc incertæ fluctuationes impulſiuæ cordis. Hinc modo gaudia vana, timores ſolliciti, falſæ ſpes, odia, luctus, partialitates. Exterminiũ poſtremò totius vnitatis ad Deum quã pro parte optima ſibi elegiſſe blandiuntur. Itaque duas ciuitates conſtituunt duo amores. Ciuitatem Dei amor viuens ciuitatem Babylonis amor diſpergens. Sentiet hæc quiſquis attendere pro-

Digitized by Google

fundius cognouerit quod conuerſio ad creaturas diſpergit de ſe cor in varia. Colligit autem & vnit ſola in Deum conuerſio. Relinquit illa poſt ſe triſtitiam, iſta conſolationem. Denique ſatis erit impulſori etiam ſi cætera ſcelerum damna non afferent temporis conſumptio. Hæc victoria, hic triumphus ſuus ingens.

Diſcipulus. Quid quod in talibus contra tædium animi cōſolationes quærunt? *Magiſter.* Quærunt ſed inueniunt pro refectione defectionem. Itaque dulcedo fallax & ſcalpens aurium puriginem abit celeriter, fixus aculeus pungit actius miſcent ſe vltro rixis alienis. Pares ſunt tenentibus canem vel lupum auribus quorum morſus vix vel nunquam effugiunt. Nihil ad ſanationem animi fructuantis plus aduerſum quam ſe in talibus oblectare, qui nunquam animi ſuauitati ſicut nec ſanctitate gaudebunt. Et quid operatur hæc omnia niſi ſuperbia mentis, quæ ſpreto vero bono quærit in infimis delectari, vult quietem per inquietudinem poſſidere? Quod ſi ſenſerit potens calumniator Chriſtianorum qualem loquimur rumores fugere, curare ſeipſum ſollicitè, putas requieſcet? In puluere ſufflabit aliorſum, ſed tamen ad deorſum. Conabitur vt fiat ſolitarius, agreſtis, inciuilis, auſterus ſuis, ſibi triſtis, omnibus odioſus, aut inutilis, loquenda tacebit indiſcretus, tacenda loquetur, auarus, vtilis prius ad confeſſiones audiendas, idoneus ad commotiones ſecretas aut publicas, fugiet omnia velut à facie colubri, ſecum rabioſa ſilentia rodit. Vnde ſub regula poſuit quidam: Dum fugiunt ſtulti vitia in contraria currunt. Nec iam currunt, ſed impulſi rapiuntur, ſed rapti præcipitantur. Abſorbet eos profundū, & verè quod non habet remedium, ſi vrgeat ſuper eos puteus os ſuum deſcendens in infernum, quia ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper?

Diſcipulus. Concludis in vnum contraria aſcenſum & deſcenſum. *Magiſter.* Aſcenſus ſuperbiæ deſcenſus eſt, ſicut gratiæ deſcenſio exaltatio ſublimiſſima reputatur. Quod enim altum eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum. Dicta ſunt multa ſuper multis impulſibus, qua ratione quoue poſſent indicio ſecerni bonus impulſus & malus. Hæc breuis eſt diſtinctio ſurſum, deorſum, depoſitio de ſede quietis, exaltatio ad ſedem pacis dicta eſt, altera vnitio & diſperſio nominetur, tertia deiectio & ſuſceptio nominetur, quarta rectitudo & curuitas addatur, quinta ſatietas & inanitas vocari poteſt, & ſexta exultatio mentis & deſolatio.

Diſcipulus. Quomodo poſſunt hæc fieri cum reproborum multi gaudeant, iuſti lugubrem trahūt vitam? *Magiſter.* Intra in ſanctuarium Dei, vt intelligas in nouiſſimis eorum. Si videris ſtultum F fixa radice, vide ſimul & exitum, maledices pulchritudini eius ſtatim, quia ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. At verò quia non attendunt iſta filij hominum, ipſi abſque timore perpetrant mala, quamuis timida ſemper ſit malitia, ſecura verò mens quaſi iuge conuiuium. Non eſt autem vnitas niſi in vno & ſolido æternóque bono. Pellitur & impellitur vnita mens, ſed immota manet diſperſa velut arundo ventis agitata, non ſubſiſtit, corruit tandem, & fit illius ruina magna. Impellitur viciſſitudine miſerabili, nunc contra Deum per præſumptionem, per impietatem, per deſperationem, per infidelitatem. A Nunc contra ſe per diſſolutionem cordis, per debilitatem corporis, per enarrationem virtutis, per conſumptionem temporis. Denique contra proximum per errorum inductionem, per pudoris exterminationem, per rancoris contentionem, per fauoris denegationem.

Diſcipulus. Latiſſimos impulſuum malignorum notas impetus generales particulares enarratio vel enumeratio plus doceret. *Magiſter.* Infinitum, tradit Ariſtoteles, incognitum eſſe, nec numerari B poteſt. Circunſtātiæ verò particulares impulſuum ſunt infinitæ, quorum præterea quod non ſe ſemper continuò manifeſtant, latet exitus, deijciunt aliquando plus quam ſentiatur. Notauit pſalmus ſpecies ſeptem impulſuum. Vnus eſt timor nocturnus & hic obſcurus, alius ſubditus, ſagitta volans in die, tertius perplexus & inuolutus negotium perambulans in tenebris, quartus importunus, quintus violentus qui pariter exeunt ab incurſu, ſextus eſt à dæmonio meridiano, qui ſe in angelum transfigurat, ſeptimus eſt à diuinorum C curioſo ſcrutinio ſuper filios hominum qui pereunt omnes à ſiniſtris, cadent à latere tuo mille qui videbantur perfectiores, & decem milia à dextris tuis omnes fide ſignati. Horrendus nimis eſt hic impulſus. Ecce dum hic viuimus nauigamus velut in mari magno fluctuantium cogitationum. O quam ſæpe ſuſcitatur & inhorret ſpiritus procelloſæ tentationis, permittente Deo, impellente diabolo. Inuidet enim depoſitus iſte ſublimandis ad ſedem vnde corruit. Aſcendunt fluctus D interioris noſtri maris ad cœlos per præſumptionem, deſcendunt vſque ad deſperationis abyſſos. Afflat ex aduerſo bonus noſter ſpiritus, ponit procellam noſtri cordis in aurā, & ſilent fluctus eius, & deducit nos in portum noſtræ voluntatis.

Diſcipulus. Venit in recordationē illud ſcriptum tuum per ſex lectiones vbi dictum Apoſtoli tractas. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Diſtinxiſti quadruplicem vitam ſpiritus, Porrò de motu & ſtatu noſtro in Deo præſtolabantur aliqui ſermonem. Nunc verò aduenit occaſio loqui de E motibus impulſuum bonorum & malorum, dum nunc impulſos & depulſos ſuſcepit contremiſcens morientium terra, velut in quodam ſtationis ſerenæ ſinu.

Magiſter. Centilogium accipies ſeorſum de impulſibus. Cras præterea dum ſuppetit hora quæ nunc tarda eſt, plurima rurſus me loquente, te auſcultante de bonorum & malorum angelorum officio quietus accipies. *Diſcipulus.* Delectabit auditio.

SECVNDA PARTITIO DE CVSTODIA ANGELORVM, *& fallacijs dæmonum per notulas quinquaginta.*

DEPOSVIT *potentes de ſede, & exaltauit humiles. Diſcipulus.* In hoc heri ſtetimus in hoc rurſus aduenio poſt impletum canonicæ inſtitutionis officiū, auditurus te ſicut es pollicitus locuturum.

Magiſter. Si per potentes de ſede depoſitos dignitatis,

Digitized by Google

tatis, intelligimus apoſtatas angelos, conſequens eſt vt exaltati humiles accipiantur angeli boni, in ſede fœlicitatis æternaliter exaltati. Si malignitas inuida dæmonũ circumit & impellit homines ad ruinã viatores, ſi per eos fiunt immiſſiones malæ, vult oppoſita charitas beatorum Angelorum fieri quod dicit in Pſalm. Immittet Angelos domini in circuitu timentium eum. Ad quid? Vt eripiat eos. Habet litera Hieronymi ſecundum Hebræum: Circundat Angelus domini in gyro timentes eum vt eruat eos. Audis circuitum malum, audis & gyrum bonum immiſſionẽ ſcilicet bonam & malam. Datur omnibus ad exercitium circuitus ſathanæ quærentis vt deuoret. Circundat Angelus domini in gyro timentes eum vt adiuuet & ſaluet. Exaltat dæmon ad ruinam, quia per ſuperbiam. Exaltat Angelus bonus ad gloriam & ad vitam, quia per humilitatem. Eſt namque exaltatio quę cauſat humiliationem, ſed vtraq; mala deprimens & damnans. Eſt optata exaltatio humilis, & humiliatio exaltans, quia pœnitens & ſaluans. Si bene te humiliaueris, bene exaltaueris. Si te humiliaueris ad pœnitentiam habes veniã & exaltaris ad gloriam. Sunt hoſtiles nobis inſidiæ per depoſitos à ſede, ſunt excubiæ cœleſtes pro nobis plures ne timeamus. Merentur vt aliqui tradunt, Angeli ſuam quam iam habent beatitudinem miniſtrando hominibus. Congaudent eis, certum eſt dum ſaluantur. Gaudium eſt Angelis Dei (teſtatur Chriſtus) ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis ſuper vno iuſto pœnitẽtiam non deſerente. Vexillum ſathanæ cum perdito exercitu ſe defert infidelis temeritas. Crux fidelis ſeu crucis humilitas vexillum eſt Angeli domini, qui circundat in gyra timentes eum vt eruat eos. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, teſte dilecto domini fides noſtra. Petrus quoque princeps vexillum hoc iubet erigi, contra diabolum, qui circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite ait fortes in fide. Similis eſt Apoſtoli non ignorantis aſtutias ſathanæ ſententia, ſub metaphora ſcuti. In omnibus ait, ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Scutum iſtud nunquid non eſt veritas fidei de quo pſa[l]mus: Scuto circundabit te veritas eius. Sequitur multus effectus victoriæ per diſcurſum pſalmi per totum. Interrogauit me pridem virgo grandæua probatiſſimæ & deuotiſſimæ vitæ, nomine Agnes, propinqua quondam Vrbani Papæ v. Quod eſt potiſſimum contra diaboli tentationes ſubſidium? Dum ſuſpenderem ego cogitabundus reſponſionem, Ipſa ſubintulit mox, Crux. Suſcepi protinus hanc vocem quaſi de cœlo ſonuiſſet, & ita ſonuerat. Ego enim etiam atque etiam multis iam annis mecum reputans, conferens inſuper cum alijs, non inuenio compendioſius, non efficacius antidotum. Quare, quia nullum humilius, nullum inſuper arrogantiæ diaboli magis aduerſum, nullum quod ita ipſum proſtrauerit. O crux ſignum triumphale, clamat Eccleſiaſtica proſa. Et in hymno: O crux aue ſpes vnica. Et iterum Eccleſia: Ecce crucem domini fugite partes aduerſæ. Et Apoſtolus: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti. Sileo interim de probatiſſimis miraculis, quia nota ſunt ſatis, In Conſtantino, in Eraclio, in Iuſtina, in Chriſtoforo, in Iudæo cruce ſignato, cum cæteris multis. Suadet ob hinc Hieronymus, Euſtochio, ad omnem greſſum pingere crucis ſignum. Et Chryſogonus ad Anaſtaſiam carcere clauſam. Tu autem ancilla Chriſti trophæum crucis tota mente conſtringe.

Accipiatur breuis ars crucis ad victoriam vitiorum, non ad perpetrationem malorum, qualiter in militaribus inſignijs gerunt aliqui non deuotione humili, ſed ſacrilega tyrannide dominandi. Impelleris ô anima Chriſtiana ſuperba ſapere vel quærere, crux apponatur protinus corde, voce vel operis ſignatione. Quid enim magis eſt ſuperbiæ inimicum? Inuidia vult obrepere, viruſque ſuum animo ſpargere, crux theriaca fiet efficaciſſima. Crux omnem iræ vel rancoris amaritudinem dulcorabit. Crux re[illegible]t contra deſidiam ſtrenuum, contra cupiditatem efficiet pauperem ſpiritu. Crux gulæ ſimul & luxuriæ febres acutiſſimas temperabit. Vna omnium communis eſt ratio, quia pendens in ea crucifixit pedes iſtos omnes triumphans in corpore ſuo Chriſtus. Hoc eſt ſignum tau, quo ſignatos Angelus exterminator percutere non ſinitur, ſaluat potius & protegit, ſi tamen corde fideli cruci iſti conſentiat. Alioquin mendax Angelus & mendacij pater, arripit quod ſuum eſt. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltatus eſt filius hominis prudens vt ſerpens. Curabantur à ſerpentibus percuſſi ænei ſerpentis inſpectores. Aſpice ſerpentem hunc pro ſimilitudine ſine veneno culpæ Chriſtum pendentem in cruce, fides eius à morſibus tentationum ne te perimant, liberabit. Hinc de Lucia canit Eccleſia, quod crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore portauit. Hinc Apoſtolus ait: Chriſto confixus ſum cruci. Hinc Andræas lætus & alacer ibat ad crucem. Hinc rurſus Paulus, nihil me iudicaui ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, hæc humilitas ſua fuit, hæc exaltatio, & ſecundum menſuram humilitatis dabitur ſublimitas exaltationis. Propterea tu cuius humilitatem profundiorem omnibus reſpexit dominus virgo beata meritò gloriaris ſuper omnes in exaltatione tua. Nolo tamen putauerit aliquis lignum crucis vt lignum eſt, adorandum, ſicut nec eſt ens diuinum & ſummum quo ſit fruendum, quod ſit ſuper omnia diligendum. Sciunt hæc fideles, ſciunt & philoſophi omnes. Nihil habet lignum crucis diuinitatis etiam in qua pependit dominus, ſed in cruce tanquam in ſigno ſurgit fides noſtra ad dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Deum verum, qui ſalutem noſtram operatus eſt in ea. Sic de imaginum veneratione vetus habet doctorum determinatio. Sic per figuram ſignum accipitur pro ſignato, vt nomen pro nominato, imago pro imaginato.

Dices fortè mihi, nunquid non in homine, præſertim in Maria virgine, verior & expreſſior eſt imago beatiſſimæ Trinitatis? Sed & ipſe dæmon retinet hanc eſſentialem imaginem. Aſinus proinde cui Chriſtus inſedit cur non adoratur? Reſpondebo primitus ſub vna generali veritate, de re qualibet indiſtinctè. Non eſt aliqua res quantumlibet etiam vilis appareat, quin ex eius cõſideratione poſſit animus fidelis eleuari ad magnificationem & adorationem Dei. Ratio, quia à qua-

Digitized by Google

libet tanquam à ſigno poteſt à poſteriori veſtigari vel inquiri maieſtas Dei, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas ab alijs quidem clarius, ab alijs obſcurius. Porrò nimis habet de periculo ſcandali & idolatriæ, teſte beato Dionyſio, ſi nominetur Deus infimis nominibus creaturarum vilium per metaphoram & ſymbolum quam ſi fiat hoc de rebus dignitatem habentibus, quales ſunt Angeli, quales ſunt homines ratione præditi. Quis enim crediderit quod Deus ſit eſſentialiter lapis aut vermis? Confunditur nihilominus idolatria quæcumque fuerit circa creaturam aliquam ſeu de creatura, quia non refert totum hominem ad Deum, ſiſtens in auxilio creaturæ maximè dum hæc facere prohibetur. Habet virgo benedicta ſanctitatis priuilegia, habent & homines in dignitatibus conſtituti, [illegible]rum conſideratione participatiuè ſolum & per analogiam dicuntur honorandi, ſed ſub Deo, cui veraciter ſoli debetur honor & gloria.

Denique vitamus ſcandalum & irriſionem infidelium aut ſimplicium, ſi coleretur aſinus ſicut colitur crux. Non enim æquè faciliter honorem referrent ad prototypum, id eſt, ad ſignatum Chriſtum, nec ad redeptionis noſtrę myſterium, quemadmodum fit de cruce. Crux humilis mox vt in memoriam venerit animæ fidelis, ſit hoc viſu ſit cogitatu, ſit auditu, quid aliud ſignat, quid aliud per ſignum ſeu ſignificationem intellectui repræſentat, quam dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra, per quē ſaluati & liberati ſumus. Hæc ideo conſonat propoſito noſtro, quia vincere docent nos de impulſore noſtro. Crux humilis memoriter intellecta liberationem ſignat, vitam & ſalutem. Ipſe conſolationem & ex conſequenti gloriam & exultationem ſi gratus ſit animus operatur. Crux humilis hominem collocat & recumbere facit in nouiſſimo loco, quo nullus cogitari poteſt inferior, quia nouiſſimus virorum pendet in ea. Sic recogitatus, creditus, ſperatus & amatus, qui nos inuitauit, dicet: Amice aſcende ſuperius, & erit nobis gloria. Crux ſicut humiliat in profundiſſimo loco, ſic exaltat in ſummo. Non enim mentitur noſtra pſaltes: Et exaltauit humiles. Gloria crucis & exaltatio ſimul cum exultatione, tanto verior eſt, ſolidior atque iocundior, quanto minus habet de creaturarum vanitate. Gloria crucis fit in confirmationis ſacramento & alij myſterijs de oleo ſimiliter & balſamo quandoque de oleo ſolo ſed ſacrato, vt qui conſiderat pœnam in cruce, conſoletur ex intima Spiritus ſancti vnctione.

Gloria crucis facit inſignem Chriſtianum, dum oleo lętitiæ linit ipſum ex nomine. Eſt enim Chriſtus per interpretationem vnctus. Reges autem, Sacerdotes, Prophetæ & pugiles inunguntur priſco more. Gloria crucis non conſtanter retinetur & prædicatur, ſi non ad crucis non ignominiam, paſſionem & tolerantiam animus præparatur. Non enim natura compatitur vt duo fines principales & vltimi ſimul intendantur, præſertim contrarij. Quid autem vanæ gloriæ, quid auaritiæ quid libidini, plus quam ipſa crux reperitur aduerſum? Sunt qui ſub nomine Chriſtianitatis arbitrantur ſe magnificare dominum, qui crucifigunt in ſe rurſus filium Dei, & habent oſtentui, qui guſtauerunt verbum Dei bonum & A virtutes futuri ſeculi, ſed per apoſtaſiæ ſuperbiam prolapſi ſunt, quos impoſſibile (pro difficile dicit Apoſtolus) eſt rurſus renouari ad pœnitentiam, vel certè ſumitur hic renouatio baptiſmalis, quam conſtat iterari non poſſe.

Glorietur frater humilis in exaltatione ſua per crucem, mores inſuper ſecundum nomen Chriſtiani vitamque componat. Sit prima ſit vltima ſit tota laus tua. O anima deuota, dic ſimul & profitere Chriſtiana ſum. Sic enim magnificas dominum, accipe rurſus. B Exaltatio crucis Chriſti tota myſterijs plena refulget. Eſt in ea longitudo latitudo, ſublimitas & profundum, longitudo æternitatis, latitudo charitatis, ſublimitas maieſtatis, profundum ſapientiæ iudicantis. Habet crux excelſa ſimul & humilis medium, cui ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum coniunguntur, & in hoc medio Ieſus totus effluens & affluens miſericordiæ viſceribus. Vnde ſi eidem fidem affixeris tuam, radiabit ſurſum amor, dextrorſum ſpes, ſiniſtrorſum timor, & deorſum C dolor, quæ ſunt animæ quatuor principales affectiones ſecundum quas bene contemperatas & ordinatas eſt omnis harmonia ſpiritualis. Exerceat te ſuper his traditio de canticis. Conuerſus ad crucem piæ mentis oculis lachrymoſis inſpicias extenſum in hoc ligno ſanctiſſimum corpus Ieſu ſicut tympanum vel cytharam, vnde protulit voces ſuas in ſymphonia diuinis auribus gratiſſimas, pro inimicis primam, ad latronem ſecundam, fuit ad matrem tertia, ad diſcipulum quarta, ad patrem quinta, pro ſeipſo ſexta, pro conſummatione redemptionis ſeptima, pro ſuo tranſitu D octaua, ita factus obediens patri vſque ad mortem dedit fidelibus ſuis perfectum humilis obedientiæ necnon pietatis documentum.

Eſt autem humiliatio per obedientiam exaltatio. Triplex eſt in genere quæ ſub arbore crucis exercetur humiliatio, pœnitentialis, ſacramentalis, ſupernaturalis, ſecundum tres ſtatus, incipientium, proficientium & perfectorum, ſuadet rex ipſe Dauid dare pſalmum iocundum cum cythara. E Eſt autem cythara pœnitentium quæ vertitur in luctu in pſalterij ſolatium. Tradit expoſitor vnus cytharam qua Dauid adhuc paſtor & pſallens coram Saül expellebat ab eo ſpiritum domini malum prætendiſſe ſignum crucis. Iubetur apud prophetam anima peccatrix ſumere cytharam & bene canere. Cantus iſte puto lamentationis eſt pœnitentialis, de quo pſalm. Confitebor tibi in cythara Deus meus.

Ita demum conſonat pſalterio iocundo internæ lætitiæ, F ita ſub alio typo conſonat philomelæ modulis, turturis ſuſpirium. Ita ſpiritus noſter vexatus ab Angelo domini malo, melius habet. Ita (ſi de poëticis aliquid miſceri placet) Orpheus furias mitigat infernales, id eſt, furioſas ſuas paſſiones quæ quidem potentes nimis deponūtur de ſede cordis & humiles exaltantur affectiones piæ mentis. Componebat ad cytharæ modos Pythagoras motus ſuos. Et ad excitationem prophetici ſpiritus pſaltem adhibuit Helizæus. Hæc de crucis auxilio contra dæmonis impulſus generales tantumdem dicta ſunt, ſimul & Angelorum præſidio.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum quia periculorum particularium animaduerſio plus horretur & vitatur, plus inſuper liberator imploratur, gratior denique fit miſericordia liberantis, expediens iudicaui particularibus mouendis intendere, niſi tamen aliter cenſueris frater. *Diſcipulus.* Immo verè cupidus & attentus ſicut hactenus auſcultabo, quouſque petiueris à me verbum *Magiſt.* Fit impulſus angelicus virtuoſè, ſapienter & benigne, quatenus humiles exaltentur. At verò depoſitus iſte de ſede diabolus, deorſum fluens ſathanas, ſatagit homines deponere violenter, fraudulenter & malignè. Violentia cernitur in obſeſſis. Fraus verò dum ſpecie bona, ſalubris & virtuoſi conſilij quaſi moralis philoſophus doloſè impellit. Paucos accipe modos ex innumeris, & vt ſit aliquis ordo in non habentibus ordinem, ſed confuſionem babylonicam, dicenda per quaternaria ſeu per tetrades partiemur.

Deteſtatur quandoque ſuperbiam patentem, ſed vt in deteriorem ſub inuolutro fictæ humilitatis precipitet. Nam eſt qui ſe nequiter humiliat. Et rurſus ait ſathanas: Noli humilis eſſe in ſapientia tua, quatenus inſipienter exaltetur. Deteſtatur præſumptionem & timorem laudat, quatenus ingerat timoris ſcrupulos vbi non eſt timor, vt ablata pace cordis recedat iſte cuius locus eſt in pace. Deteſtatur inobedientiam, vt peccati ſeruitutem inducat & aſininam patientiam quæ fert non ferenda, quales notabat apoſtolus eſſe Corinthios. Fefellit innumeros nequam iſte, qui ſub velamento obedientiæ nefanda perpetrarunt quaſi peccare non poſſent, quia non habent velle vel nolle iuxta verbum ſuum. Deteſtatur ſuperſtitiones quandoque manifeſtas, ſed non occultas & obumbratas ſanctis obſeruationibus. In ieiunijs, in virginitate, in ſanctis orationibus ſuperſtitiones impellit. Proinde cur fuit prima dæmonis vox & interrogatio? Cur inquit, præcepit vobis Dominus. Vtitur frequentiſſimè cur iſto, quatenus homines in curioſitatis noxiæ laqueos cadant. Cur fecit Deus rationales creaturas, quas præſciebat fore peccaturas & damnandas? Cur eas Deus tales non condidit qui peccare non poſſent? Cur delectatur in perditione viuentium? Quod inde ſibi lucrum creſcit? Nunquid non melius eſſet vniuerſis, ſi peccatis omnibus ablatis remanerent in ſolo decore virtutum? Cur indurat aliquos & aliorum miſeretur? Cur acceptio perſonarum reperitur apud ipſum? Cur non citius venit ad homines redimendos, & legem veterem quam dederat in fœdus æternum per aliam commutauit. Cur tot abſque baptiſmo innocentes, tot in inſulis ſine legis auditu viuentes, tot qui ſaluarentur ſi bonis doctrinis & ſocietatibus inſtruerentur, perire permittit & dimiſit? Scit iſte nequam quod perſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Scit hominem prohibitum, ne in pluribus Dei operibus fuerit curioſus.

Culpat hypocriſim, ſed vt homines abſque honeſtatis velo perpetrent mala laudat ſimplicem cum verecundia ſancta, quatenus hypocriſis fictiones introducat. Culpat inuidiam & benignitatem laudat, ſed vt malignitas improba nocentium foueatur. Culpat è contrario iniquitates aliorum, vt perſonale odium contra fraternam charitatem ſuſcitetur. Culpat iratos, ſed vt zelum ſanctum abijciat. Laudat zelum ſanctum quo præceps ira furiat. Culpat inertiam, ſed vt inquietudo plus æquo laborioſa fatiget. Laudat quietem ſanctam, ſed vt in ſterquilinium torpentis inertiæ deijciat. Oſtendit odibilem auaritiam, & quod nihil nequius quod amare pecuniam, ſed vt prodigalitatem conſumptione omnium cum rapinis introducat. Pulchram dicit & amabilem frugalitatem, vt tenacitati locum paret. Oſtendit quantas gignit infirmitates gula, ſed vt periculoſiorem vacuitatem capitis & corporis, abſque remedio operetur. Laudat omnia ſana eſſe ſanis, & nihil eſſe recipiendum, quod cum gratiarum actione accipitur, vt à temperantia fallax abducat. Oſtendit quam fœda ſit luxuria, quam virilis, nec honore digna, vt coniugiorum iura contaminet. Laudat prolificationem, immo iubet per illud: Creſcite & multiplicamini, quatenus concubinatum licere demonſtret. Oſtendit non eſſe iurandum. Sit inquit, ſermo veſter, eſt eſt, non non, vt deteſtetur omne iuramentum. Dicit ex aduerſo. Qui bene iurat, bene credit, vt periuria vel contumelias nominis Dei multiplicet.

Circumit iſte ſathan terram, & perambulat eã, vt circunſtantias omnium cõſideret. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Tendit laqueos in quos impellat multos valde, vt ſi fuerit aliquis ab vno liberatus, cadat in alterum. Facit ad hoc Macharij narratio de poculis. Non enim ſemel victus ceſſat, ſicut opinatus eſt Origenes. Itaque conſiderat dum circuit, & obſeruat volentes placere Deo. Videt aptum aliquem ad religionis ingreſſum, impellit ad oppoſitum ſic illudens. Cur ciuilem vis deſerere conuerſationem, quoniam homo natura ciuile animal eſt, homines hominum gratia facti ſunt, vt ſe mutuo iuuent, ſicut pecora vt hominibus ſeruiãt. Væ ſoli. Cur non poteris ſub habitu ſeculari ſalutem tuam operari ſub vno abbate tuo Chriſto? Gaudeat lege libertatis quam dedit tibi Deus, & emit Chriſtus. Quid pulchrius? quid eligibilius libertate? Cur tot & tales vis ſubire obſeruationes, & vota ſuper te inducere, qui non ſufficis ad præcepta ſeruanda? Qui ſunt obligationes tot, niſi laquei totidem ad tranſgreſſores? Vide ne illaqueatus verbis oris tui cadas. Diſplicet enim Deo ſtulta & infidelis promiſſio. Ecce quot, quales in religionibus defecerunt? quot ceciderunt? quot apoſtatæ retro abierunt? Cur non vidis talentum tibi creditum in his & in alijs gratijs multiplicare? Vt quid perditio hæc eſſet in religionis ingreſſu ſiue ſolitudine. Celat perditus iſte laqueos in ſæculo, ſit iſte qui ſaluandus fuerat in religione perditus in ſeculari cõuerſatione, ſit ſecularis, coniungitur vxori. Heu quos illic laqueos tribulationũ non inuenit. Naſcũtur filij, alia cura, ſi procax vxor, grauis, magnifica, ſi ſterilis, ſi fœda, ſi lubrica. O quale ſuppliciũ. Sit de militia, aut de curialiũ numero, quot illic curis inuoluitur. Primitus erit dulcis inexpeto, cultura potentis amici. Expertus metuet, inuidiam non tolerabit. Sit oportet aſſentator ad omnia, ſit miſer viuens, dormiens, comedens ad alterius arbitrium.

Sit cauſidicus aut practicus in phyſica, fraudes mille ſpargentur in practicatione. Dum quærit diues fieri, incidet in deſideria multa & laqueos quibus mergatur in interitum. Sit beneficiatus in eccleſia & celebs, cauendum ſibi erit à retibus ſimoniæ, à negligentia ſeruitij, à luxuria, ab inerti conuerſatione, à dilapidatione bonorum eccleſiæ.

Circumit & conſiderat ſathan iſte alterum, quẽ ex inſtabilitate propria vel infirmitate cognoſcit ad religionis aut ſolitudinis vitam ineptam. Vide ait, quanta ſit religionis, quanta ſolitudinis perfectio, vacare ſoli Deo, ſalutem ſuam operari. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Vide quantum totus mundus in maligno poſitus eſt, quam breuis vita quam mors incerta, quæ tormenta inferni? quæ gaudia paradiſi? Vide ne procraſtines, ne conſilia multorum præſertim domeſticorum & ſæcularium quæras. Inimici hominis domeſtici eius, & animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. Res certa eſt. De ſolis incertis habendum eſt conſilium. Dicere quod religionis ſtatus non ſit perfectior, hæreſis eſt. Magna verò ſtultitia eſt nolle eſſe perfectum. Quid hæſitas? quid tergiuerſaris? Vocat te Deus per inſpirationes iſtas? quid in te ſtas & non ſtas proijce te in eum, & ipſe te ſuſcipiet, neque deſeret iam ſuſceptum. Vide nunc pauper homuncio dum cõpungeris corde, fac votum Deo cœli, firmet te iuramentum. Felix neceſſitas quę ducit in melius. Sciueris opus cum voto Deo eſſe acceptabilius. Da totam arborem voluntatis tuæ cum fructibus ſuis Deo tuo. Denique qui propoſitum tuam iſtud ſanctum diuerteret à te, re[illegible]ſſet vt Deo ſe redderet in religione loco tui.

Silet iſte nequam quod ad religionis introitum oportet attendere nedum bonitatem religionis in ſe, ſed alias circunſtantias maximè duas, quarum vna ſe tenet ex parte religioſorum ſi perfectè regulam ſeruant. Altera ex parte ſuijpſius, ſi iuxta parabolam Chriſti, dum inchoat, poterit conſumere. Quod ſi ſecundum rationis conſilium res tam grandis aggredienda eſt, quam poſtmodum mutare non licet. Non tamen ſequendi ſunt viriles impetus aut motus deuotionum quales habere poſſunt pueri aut puellæ, quandoq; plus ex conſtantiæ vitio vel melancholiæ, quam gratiæ certo inſtinctu potius aliquando, qualiter modo ex aſtuto dæmonis impulſu, quam certè deuotionis afflatu. Silet, quoniam media ſunt moderanda ſecundum virtutem tam agentis quam patientis, nec poterat Dauid cum armis Saül egredi contra Goliam. Non poſſunt ſimiæ cum botis latioribus quas in fraudem eis derelictis accipiũt, incedere, ſilet onera religionis, cum moribus inhabitantium. Dat bene ſentire de omnibus, neminem iudicare, ſpes adijcit quandoq; magnas, quod proficiet alijs ſua eruditio, ſuum conſilium, quia literas nouit, quia prudens eſt in agendis. Deniq; exemplum dabit reliquis de ſeculo vt ita faciãt quẽadmodum & fecit, & ſeculum relinquant. Quid? Tandem voto ſe conſtringit, deſerit habita beneficia, dat ſua pauperibus, via ſibi vnica religionis relicta eſt. Captus eſt ait, inſultans dæmon. Euge euge iam non eſt ſilendum, iam in odium religio-

A nis exaggeranda ſunt omnia. Aperiendi ſunt oculi, diſcrimina reuelanda, murmur inducẽdum, dicat ipſe ſibi ſentiens ſe deluſum. Quid mihi feci miſer? In quod me malum impuli? Non potero ferre iugum hoc intolerabile. Quæſiui requiem vt in pace ſeruirem Deo, & ecce turbatio, fugi homines, homines inuenio. Cedebam tentationibus de ſeculo, deteriores dæmonis perfero, quid feci? quid agam? quò me vertam? Amicos carnales offendi ſpernens eos cum ſuis conſilijs, nullus mihi ad eos regreſſus. Si diſpẽſationem voti quæ-

B ſiero, non dabitur aut in data nunquam conſtans ſibi animus quietabitur, ſed neque quomodo viuerem in ſeculo relictum eſt. Si ad aliam migrauero religionem, ſcandaloſus ero meæ, & forſitam intolerabilis alienæ. Quid feci? Deuotionem in ſæculo ſuauiorem, & crebrius inueniebam quia ſenſus vegetiores nec perturbati per vigilias, non exinanitum cerebrum per ieiunia, non oppreſſa mens in prolixitate vocalis ſeruitij, ſed & ſecularibus inuoluor curis pro neceſſitatibus fratrum.

C Contingit obedientiæ currere diſcurrere per ſæculum, qui quietem ſolam ſperabam mihi obtinere. Sic quotidianis fatigor odijs & rixis. Quid feci? quid tandem volui mihi miſer. Delectabat me ſtudium, docebam & docebar. Nunc qui doceatur aut doceat nullus eſt. Fratres ſatis eſſe reſpondent occupationes religionis ſuæ vexatio ſatis eſt. Non eſt inquiunt, religio ſchola docẽdi, ſed diſciplina viuendi. Si vixero ſecundum mores fratrum collapſos omnino à regulis patrum perditus ſum ſine dubio. Si ſingularis mihi viuere

D volo, nec datur, nec ſufficit. Ecce quid murmurat inconſtans quandoque non ſine magno perplexitatis vinculo, maximè ſi monaſteria mulierum collapſa, iunior iam aliqua vouit & intrauit.

Circumit iſte depoſitus de ſede, quærit quem deuoret. Inuenit hominem deditum ſtudijs literarum & ſcientiarum, ſi poteſt, auertit. Affert occupationes ex ſæculo, ſicut ex prælatorum ſeruitijs, aut principum, aut penuria tranſcribentium, vel imperitia, aut librorum cauſat nimietatem o-

E neroſam, aut fruſtra fieri verba ſurdis dicit. Si nequiuerit abducere quatenus otium deſideret ſtudioſum ſed ſibi vacet & ſapientiam ſcribat in otio ſubdolus impellit vt alios dum docere vult ſcribendo ſe ſeducat. Laudat iam laborem, ſed corrumpere ſatagit intentionem. Eya doctor, ſcribe quæ relegat poſteritas, quæ tibi ſint in nomen æternum, quoniam melius eſt nomen bonum quã vnguẽta precioſa, Orabunt alij pro te. Non tibi ſoli laborabis, talentum tuum diſtribues. Sed ad quid ſathan iſta? Quid ſibi ſuper aliorum ſalutem

F profecto nihil, ſed ſatagit vt iſte ſub hac intẽtione ſcribens, audiat in iudicio, recepiſti mercedem tuam. Accipe quod tuum eſt & vade, ex ore tuo & ſcriptis tuis te iudico ſerue nequam. Fers literas mortis tuæ ſal infatuatum. Eya ſcribe, ſed ſubtilia, ſed extranea, ſed nouiter inuenta. Turpe eſt alienis vti. Sic impellit vt deſerat terminos quos poſuerunt patres ſui. Vt vanè glorioſus dicat: Super omnes docentes me intellexi. Vt deſerens vias certas dicat. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.

Digitized by Google

Eya ſcribe, aut de tuiſs virtutibus, aut celeritatem oſtende dictandi. Aut da ſatis intelligi quod bene, quod deuotè viuis vt loqueris, aut certè in alienis laudibus quære laudem tuam. Quære celebritatem nominis, ſi non ex te, ſaltem ex illis quos exaltas ſcribendo miracula ſua, viſiones, vitam ſupra modum mirabilem, diuinationes, ſectas nouas. Canonizatus eris in ipſorum canonizatione. Sed ô fraudem ſathanæ deteſtandam, quandoque tamen ita fallentem, vt interim taceamus de manifeſtis erroribus & hæretica prauitate. Eya ſcribe, totus inſiſte laboribus importunè. Non des requiem calamo, poſtpone horas canonicas aut abſque intẽtione proferas, indulge ſecurus lautioribus cibis, vtere ſomno vſque ad ſaturitatem. Deſere ciuilem aliorum conuerſationem. Compenſabit hæc omnia labor tuus in dictando. Sic impellit iſte nequam, ſcit quod inutiliter immo noxię fiunt non iuſſa præceptis omiſſis. Scit quod fauemus vltra modum ſcriptis noſtris, diligimus vt filios, placent etiam ſi deformia ſunt & inculta, ſi vacua ſententijs. Teſtis eſt ſimia fabuloſa. Gallina dum nimio clamore prodit ouum, perdit illud. Coruus crocitans vt à vulpe laudetur, fraudatur cibo ſuo. Non aliter ſæpe virtutes perdunt ſcribæ docti, vel quæſitas prius vel acquirendas in tempore. Ratio, quia dicunt & non faciunt, quia de donis Dei dum gloriam quærunt, Deo rapiunt quod ſuum eſt, quia ſcit inſuper ſiniſtra talium, quid facit dextera. Poſſunt nihilominus meritoriè fieri noua ſcripta ſi modus affuerit, finis & ordo recti. Vnum facere & aliud non omittere.

Circumit & inuenit hominem deditum confeſſionibus audiendis. O quot immiſſiones facit per angelos ſuos malos. Venit ad confeſſionem plebeius idiota, veniunt pueri & puellæ, iuuenes & maritatæ. Suadet inueſtigare diligenter ſuper omnibus circunſtantijs, vt agnoſcat vultum pecoris ſui, quia nec aliter ſolui poteſt peccator niſi dixerit omnia. Abſit iſte curioſus ſcrutator, & deficiat ſcrutans ſcrutinia cum ſcandalo confitentium, cum lapſu proprio, cum ſuſpicionibus infinitis, cum interminabilibus ſcrupulis, ſiue remittat non abſolutum, ſiue detineat moroſiſſimè, vix tandem abſoluendum. Veniunt tales poſtmodum, & vertitur in oppoſitam qualitatem, quia timet expertus tales tales facere interrogationes. Dicit ſibiipſi, ſaluet ſe ſi voluerit, non intrabo domum conſcientiæ alienæ, nihil interrogabo, ſcit peccata ſua, dicat illa ſi vult. Sic dimittit inſcios, ſic verecundos latere in peccatis ſuis, non vtens claue ſcientiæ, quæ data eſt ad aperiendum (cum diſcretione tamen) ſecretas conſcientiæ plagas. Veniunt alij magni prudentes de ſeculo, veniunt prædones, vſurarij, ſimoniaci, rancoroſi, violatores eccleſiaſticæ libertatis, concubinarij notorij, nolunt à peccatis reſilire, nolunt reſtitutiones facere, ſunt excommunicati, ſunt irregulares, alij ſi culpantur, excuſant aut defendunt peccatum ſuum, dicunt ſe iuſta bella gerere, & planè mirum eſt, ſi etiam angelus de cœlo reperiret quid agendum in talibus multis, niſi coaſſiſteret ſibi miraculoſa Dei virtus. Veniunt alij vel aliæ curioſè agentes, ad fabulationes vertunt confeſſiones ſuas, miſcentur colloquia de prophanis, vtinam non de nefarijs, vtinam quæ A ſpiritu cœpiſſe videntur, non conſumẽt in carne, prohibeat deteriora Deus. Circumit & inuenit declamantem in populo ſeu prædicantem. Cognoſce dæmonis quot impulſus ſunt in ſermone, dum de omni ſtatu perſonæ ſunt quæ vitijs contrarijs infectæ ſunt. Si culpat auariciam, prodigus applaudit, & ridet auarum. Si prodigalitatem vituperat, auarus libens ad ſe contrahit dicens, tene quod habes. Si loquitur aduerſus inertiam, gaudet iſte qui ſtulto labore conſumitur, & eſſe ſub ſentibus curarum mordentium, delicias computat. B Zelus laudatus accendit iracundos. Pietas laudata puſillanimes nutrit & deſides. Pro tunc & qualem tua prædicatio fructum afferet conſidera. Sunt qui nollunt præmeditari, nolunt ſanctorum allegationibus vel autoritatibus, aut certè neſciunt vti. Garriunt & effundunt quicquid in buccam venerit, cæci cæcos alloquentes. Sunt ex oppoſito qui tot accumulant allegationes, ſuper allegationes richmos ad richmos, concordantias cum concordantijs, effluunt vſquequaque, C non Deum ſed ſe, ſed ſcientiam ſuam oſtendere volentes. Blandiuntur ſibi, quia non propter ſe & famam ſcientiæ, ſed ad ædificationem quærũt aliorum. Sunt qui ſolum apud auditores ſuos inobedientiam & rebellionem inferiorum tacẽdo culpãt vitia ſuperiorum etiam dum abſunt. Vnde nihil plauſibilius audit inuida plebs quam ſuperiorum vitia prodere, augere, inculpare. Et hæc ſæpius & accuratius ſtudent aliqui prædicatores deteſtari, qui ſi vel in modico vitio culparentur, D protinus implacabiliter obſiſterent vera dicentibus, & capitali clam vel palam perſecutione vexarent. Adde quod multitudo prædicationum ſæpe fit in laqueum audientium. Quare? quia iam ſano ſciunt voluntatem Domini, nec faciunt, præuaricatores effecti de peccantibus. Propterea perplexos habet behemoth neruos in multis, quibus non eſt exitus frequenter poſſibilis, niſi mors inflicta iudicialis, ſeu captiuitatis hoſtilis viam fecerit, liberans ab omnibus debitorum vinculis. Aut ſi non fuerit aſſũpta religio cedens omnibus. E Aut vltronea paupertas ſua & ſuorum ſubeatur. Sed quam difficilia ſunt hæc remedia præſertim in ſenibus, in ægrotis, in delicatis viris & pompoſis. In fœminis neſcit nemo. Singulariter idcirco notauit apoſtolus auaritiam, tentationibus & laqueis diaboli plenam eſſe, quæ mergunt hominẽ in interitum, vnde vix fit regreſſio. Circumit iſte ſathan iſte depoſitus, & inuenit hominem in ſolitudine vel deſerti, ſicut eſt pellicanus vel domicilij, ſicut nycticorax, vel tecti ſicut paſſer, protinus immittit fraudulẽtus auceps iſte laqueos ex- F quiſitos, & tota malignitate conatur inuoluere, nunc pennas, nunc pedes iſtius, qui ſolitarius elegit viuere, volaturus (vt æſtimat) ad ſuperna, & ſecum furens ait: Non ſic abibit ſolitarius iſte, ſi bene me noui. Sit piger, impatiens, mala cogitet, & ſua quærat. Agitatur nunc feruore nouitio, fingit ſibi quietem & otium, fingit patiẽtiam, ſi non habeat conſortium, fingit puritatem in affectibus habituram, fingit denique quod dabit ſe Deo totum. Sed ô miſer, neſcit quantum meis artibus, ab expectatione ſua longè fiet. Surgite vos infernales & improbæ peſtes meæ.

Digitized by Google

Stultum hunc impellite caſurum in retia peccatorum, quæ fugere putat, nec præcauet. Tu primitus inertia, deſes ad bonum, ſed ad perniciem efficaciſſima. Hic exteriori caret exercitio, ocioſus vacat. Age tædioſa ſit oratio, ſibi faſtidiat & dicat, quouſq; eadem ? Succedat nunc impatientia. Fac ipſum ſumet pœnitere, fac diſplicere quietem, fac otium proprium horrere, nec ſe iam ferre poſſit. Fac langueat totius & pigriter. Exurge nunc blaſphemia, cogitationes nefarias immitte. Fac deſideria occidant pigrum. Age doceat otioſitas mala multa. Tradideris enim quatuor quaternionibus paſſionum vinculandum, in carcere noſtro peccatorum. Scis nomina, ſcis officia vulgata ſunt. Spes, mœror, mœtus gaudium. Speret vana, metuat falſa, mœreat moleſtè, gaudeat moleſtius. Tuum erit vltimum hoc officium ô libidinoſa cupiditas, quærens aſſiduè quæ tua ſunt. Quærat iſte conſolatiunculas proprias ſi poterit in carnalibus dilicijs, cibo, ſumno, venere. Si refugerit patentem hanc turpitudinem tuã, velaueris eam ſimilitudine deuotionis ad Deum. Da mendaciter intelligi ipſum, quærere quæ Dei ſunt, ſe in Domino delectari ſolo, cum ſua principaliter quæratur oblectatio. Signum huius accipe certum, quia dimiſſis diuinorum impletionibus mandatorum, laborat in hoc totus, vt in alijs quæ ſpiritualia fingit delectetur. Deridemus meritò ſabbata eius, videntes ignominiam eius. Videmus introrſum fornicationibus proprijs, mendax, procax, meretrix inquirit & rapit.

Adauge dolos tuos ô libidinoſa cupido. Interroget curioſitas tua cor eius in plurimis, ſi mallet damnari quam offendere Deum ſponſum ſuum redemptorem ſuum, de quo gloriatur. Si mallet ſubire mortem aut incendi quam frangere ieiunium, vel incurrere carnis lapſum. Quicquid elegerit irretiemus eum vel arroganti mendacio, ſi pœnam propoſuerit inferni vel incendij, quod ſi poſtpoſuerit iam peccauit, quia peccare prælegit. Adde ſi videris ipſum in multis deficere dic blandiens, non concutiant te defectus iſti frater, permittat eos Deus in te ad humilitatis cuſtodiã, ne magnitudo virtutum te extollat. Habes in Paulo ſimile de ſtimulo ſathanæ propter magnitudinem reuelationum. Capiamus eum & illaqueabimus vt defectus proprios iam non laboret corrigi, ſed in illis audeat etiam gloriari. Sit rurſus tuum ô blaſphemia, ſoror inertis deſidiæ machinamentum, ſit cogitationes immittere, quales nec homines ſæculi, nec meretrices dignarentur admittere. Pudeat ipſum qui tantus eſt in oculis ſuis, pudeat & indignetur & iraſcatur, ſuperbiens etiam in Deum & ſanctos angelos eius & ſanctos, & deſperet tandem ſeipſum. Suaderem vobis inquam, quatuor ſodalibus mihi chariſſimis ſuper huiuſmodi ſoliiarijs, in alia diſcrimina deturbandis, ſed ea quotidiana quaſi domeſtica, ſcilicet curioſitatem perſcrutationis vitæ alienæ, negligentiam propriæ vitæ, videre feſtucam in alieno oculo, non aduertere trabem in ſuo. Cæteros ſpernere, ſibi ſuaque placere. Rumoribus nouis aſſiduè agi & ſuſpitionibus temerarijs inquietari. Proinde minus omnibus hominibus alacres ſpiritu, minus eſſe patientes plus ſui amatores, plus ſordidos aliorum

A mala tenentes.

Agite poſtremò ſodales fideliſſimæ mihi, quatenus iſtos exhibeatis ſolitarios, tandem mihi ſimiles fieri. Solitudinem odiant, fiant diſperſi mente cordis ſui, fiant gyrouagi & profugij, fiant inſtar Cayn vagi & profugi. Quid enim magis propriũ eſt mihi quã eſſe gyrouagum, circumire terram & perambulare eam, hæc nequam ſpiritus. At verò quid te agitas frater, quid turbaris, cum iam ſilentium pati non potes hactenus obſeruatum.

B *Diſcipulus.* Nunc prorſus inſpicio, quoniam vndequaque miſer ſum & miſerabilis, ne quid agam, nec quò me vertam ſcio. Ita concluſus ſum inter anguſtias ex impulſibus ſathanæ numeratis, præſertim in vltimis vt meritò tædeat animam meam vitæ meæ. Nolo tamen deſperare memetipſum, ſed auxiliaria potius documenta quærere. Itaque fraudes & laqueos inueſtigaſti, tuum ſit remedia tradere cautelas & auxilia. *Magiſter.* Si humanum præſtolaris auxilium, falleris, illud enim

C nec perſpicuum eſt, nec validum, maximè aduerſus aëreas poteſtates. Eſt vita hominis militia ſuper terram. Aduocandi ſunt milites angeli boni contra nequam hos ſpiritus. Plures ſunt, fortiores ſunt, ſapientiores ſunt abſque vlla comparatione, feruentiores in iuuando quam aliorum malignitas in impellendo, tantummodo adſumus nobiſipſis, nec vltra pellamus eos adiutores tam ſedulos, beneuolos & certos. *Diſcipulus.* Hoc eſt profectò potiſſimum quod flagito, quod ab eis peto dari mihi, ne repellam eos. Cupio pariter & deprecor, quatenus impulſiones ſuas inſtigãt nos bene

D agere, ſtudueris aperire. *Magiſt.* Si de cuſtodia angelorum præcipuè ſingulorum qui dantur ſingulis ab exordio, ſi de ſuis officijs ſigillatim cognarer aperire, quæ ſub exemplis leguntur in ſcriptura ſacra, quæque hyſtorias, quę ſubinde per doctores ſacros tradita ſunt, ſuperfluus immo vanus iure dicerer res ſuſcipiens ſupra vires. Attamen ne totus obmuteſcam, quaſi ſpernens precem tuam, eligam vnum ſua auctoritate refulgẽs exemplum.

E Deinde per conſiderationes aliquas paucis verſibus comprehenſas curabo nos aduerſus diabolicos inſultus reddere doctiores. *Diſcipulus.* Gratus audiam & attentus. *Magiſter.* Petrus poſt tot perpetrata virtutum inſignia, dormiebat in carcere vinctus catenis inter duos milites. Typus iſte eſt chriſtiani, licet egregij meritis qui per Herodem iſtum ſathan gloriantem in pellibus, quia palliant nequitiam ſuam, detruditur in tentationis horridum carcerem, diſcrimen imminet mortis, niſi

F quod orante iugiter eccleſia, fit quod ſequitur. Angelus aſtat, fulget, pulſat, ſurgere clamat. Soluit & educit, libertatique relinquit. *Diſcipulus.* Placet metri compendium quo ſeptem angelico ſancto facta miniſterio complecteris. *Magiſter.* Solerter aduertis. Exiſtimo non grauaberis, ſi conſiderationes pauculas rurſus ita verſibus ligauero ſuper cautelis quibus agere nos oportet, & prius facere quod nobis eſt, gallicè (*faicts ce que doibs.*) *Diſcipulus.* Non granabor, nec leuitati deputabo metrum, quale frequenter in pſalmis & canticis prophetæ ſumpſerunt.

Magiſter.

Digitized by Google

Magiſt. Immo nihil apud veteres philoſophos ſerioſius metro fuit. Accipe ergo dogmata ſeptem.

Penſa quis finis proprius, qui ſit ſtatus omnis.
A ſathan impelli ſperans fac iuſſa: timenſque.
Magnifica Dominum, *dic ô me ſuſcipe Chriſte.*
Vixeris hic & nunc velut hic & nunc moriturus.
Viue pius, purus, velut hic & nunc obiturus.
.i. obuiam Chriſto iturus.

Diſcipulus. Et ſi prouocet me auiditas expoſitionis latioris, nolo tamen eſſe moleſtus exactor poſt tam multiplex eloquium per te nunc habitum. Conſeruabo interim omnia verba hæc conferens in corde meo, quouſque altera nos collocutio congreget in idipſum, quouſque præterea centilogium de impulſibus accepero. *Magiſter.* Fiat vt vis, & in eo bene vale, qui depoſuit potentes de ſede, & exultauit humiles.

TERTIA PARTITIO DE SEPTEM MODIS GENERALIBVS ANGELICÆ *cuſtodiæ per notulas octuaginta-tres.*

ET *exaltauit humiles. Diſcipulus.* Conuentionis huius noſtræ diem & locum proſperum faciat, iſtorum beatorum beatiſſima iſta per humilitatem ſingulariter exaltata, cuius eſt hoc verbum: Et exaltauit humiles. *Magiſter.* Fiat: tu quid affers colloquij poſt triduanum hoc ſilentium! *Diſcipulus.* Perlegi tuum ſuper impulſibus centilogium. Experior illud eſſe connexum priori noſtræ collationi, deſinit in auxilio bonorum contra apoſtatas angelorum nobis in hoc exilio vbi etiam filius dilectus nihil differt à ſeruo, cum ſit Dominus omnium, ſed ſub tutoribus angelis & actoribus & vſque ad præfinitum tempus à patre. *Magiſter.* Bene eſt, bonos tutores habet iſte filius. *Diſcipul.* Iſtic necpe ſumus cognoſcere qualia ſunt adiutoria bonorum, qualia miniſteria, quales pulſus aut immiſſiones. Memini verò te nudiuſtertius ſeptem officia numeraſſe ſub tropologia liberationis Petri.

Angelus aſtat, fulget, pulſat, ſurgere clamat, ſoluit & educit, libertatique relinquit.

Magiſter. Non erret recordatio. Scis ne memoriter additas ſimul ſeptem conſiderationes ad tutelam noſtram ſub quadruplici verſu.

Diſcipulus. Nimirum ſic continent.

Penſa quis finis proprius, qui ſit ſtatus omnis.
A ſathan impellit ſperans fac iuſſa, timenſque.
Magnifica Dominum, *dic ô me ſuſcipe Chriſte.*
Vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus.
Spiritus eſto pius velut hic & nunc obiturus.

Magiſter. Scires adaptionem facere ſeptem ad ſeptem reddendo ſingula angelorum auxilia, ſingulis his conſiderationibus aut doctrinis.

Diſcipulus Cupio ſecurius ex te cognoſcere ſimul vt abbreuiatior ſermo fiat. *Magiſter.* Tentabo ſic efficere pariterque reddere totum Mariæ canticum conſonans dictis noſtris. Itaque taliter accipe ſummatim primò dehinc amplior conquiſitionis erit locus.

Angelus aſtat vt penſemus, hoc eſt ponderemus & libremus in trutina cordis quis ſit finis. Si enim ſathan adeſt nobis vt noceat, quis ferret

ſi non contra ſtaret angelus bonus, ſicut præterea A quærit iſte ſathanæ claudere vel eruere penitus oculum fidei, nec recogitemus finem noſtrum qui Deus eſt, conueniens eſt vt angelus bonus ſanet & illuminet oculos cordis in viam & in finem pacis, hæc de primo.

Angelus aſtans fulget in carcere mortis huius, nouerit vnuſquiſque poſitus in tenebris qualis ſuus ſit ſtatus proprius. Sunt enim iuxta qualitates morborum ſingulorum qualitates auxiliorum. Angelus aſtans & fulgens pulſat incitans B ad bonum. Scit enim generaliter omnes, & hoc nos ſcire facit à ſathan impelli, dum enim ſcitur periculum, ſollicitudine maiori fugitur ad auxilium.

Angelus aſtans fulgens & pulſans iubet ſurgere velociter. Hoc autem impletur dum ſperando diuina mandata ſeruantur, alioquin iacet obrutus in peccatis vetus homo noſter de ſe deſperans, aut non cum minori diſcrimine nimis ſperans aut præſumens. Angelus aſtans, fulgens, pulſans ſurgere iubens, ſoluit à catenis vitiorum C vinctum in mendicitate & ferro. Concuſſus enim timore caſto & ſancto, cum grata Domini magnificatione iam ſe præcingit virtute actionis, iam calciat caligis præceptorum in præparationem euangelij pacis.

Angelus ſextum peragit officium, dum aſtans poſt quam fulſit pulſauit ſurgere iuſſit & ſoluit, educit extra carcerem. Aperit vltrò portam ferream pœnitentię, tranſit vicum vnum ſatisfactionis arctæ & directæ. Angelus tandem ſic eductum D libertati derelinquit. Quo facto, ſic ſanè deinceps quæ retro ſunt obliuiſcens, liberatus in anteriora ſe totus extendit. Reuerſus quidem ad ſe, Deo gratus & angelo ſuo, dicit ex ſententia: Nunc ſcio vere quia miſit Deus angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Diſcipulus. Delectat ſimul & ædificat adaptatio neque curioſitati deputandus iſte mihi verè breuis & lucidus ordo. Addideris quod ſpopondiſti. *Magiſter.* Intellige prius quemadmodum E quatuor prima ſpectant ad omnes generaliter qui purgantur, ſpectant alia duo magis ad illuminandos tanquam proficientes, ſeptem propriè quærit eductus & perfectus. Porrò canticum noſtrum ſic adapta. Scieris vt ſcis, quoniam finis vniuerſæ rationalis creaturæ conſiſtit in magnificatione Domini, & quod exultet ſpiritus in Deo ſalutari ſuo. Quid eſt enim beatitudo niſi Domini noſtri ſalutaris magnifica iocundáque fruitio, honor & collaudatio? hoc primum. Cæ- F terum reſpectus humilitatis, conſideratio & cognitio ſtatus proprij & conditionis in vnoquoque, hoc ſecundum.

In hoc perinde quod facit nobis magna qui potens eſt, quod beatificat apud alios. Concludimus quod Dominus eſt in circuitu populi ſui, quod immittit angelus Domini in circuitu timentium eum, contra tot gyrouagos dæmonis impulſus, hoc tertium. Rurſus ex ſanctificatione nominis ſui, dum dat ſpem & impletionem mandatorum Dei velociter inclamat, qui prius aſtiterat, illuxerat, pulſauerat ad Deum, ad nos ad aduerſarium ſolerter cognoſcendum, hoc quartò.

Digitized by Google

Subſequitur quinto timor Domini liberãs à peccato, timor enim Domini expellit peccatum teſtimonio ſapiẽtis. Sed ne ſeruilis ſit aut vilis mercenarius timor, magnificat ipſe gratis Dominum, recogitans quoniam miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Conſurgit autem timor dum anima noſtra conſiderat humanã miſeriam, ſi ſeuerè faciat Dominus potentiam in brachio ſuo, ſi ſuperbos diſpergit mente cordis ſui, depoſuit potentes de ſede, ſi diuites dimittit inanes, quis non extimuerit, ſi ex conſideratione ſuæ miſericordiæ: quis ipſum non magnificauerit, quia timentibus veniam dat, quia humiles exaltat, quia eſurientes ſatiat & ſaluat? Suſcepit propterea ſextò Dominus Iſrael puerum ſuum illuminatum, pulſatum, cõmonitum, abſolutum, ſi dixerit. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum, dum verò ſuſceperit, quis de manibus ſuis eripiat eum? Dominus qui iuſtificat, Dominus qui ſuſcipit, quis eſt qui condemnet aut quis abijciat? Poſtremò ſpiritus ita ſuſceptus in manibus ſaluigardiæ.i.ſaluæ cuſtodiæ Chriſti, ſuæque libertati derelictus poſt omnem Herodis expectationem quid ſupereſt? agat ille qui ſpiritu Dei agitur, qui iam perſpicit vltra in lege perfectæ libertatis, quæ non timore ſupplicij, non ſpe premij trahitur: ſed ſuaui iugo Chriſti mentem ſanctam ſpontaneam totam contulit ad honorem Dei & patriæ liberationem. Recordatur profectò ſolius miſericordię Dei, dulce habet in lege Domini meditari die ac nocte, ſicut locutus eſt ad Abraham patrem noſtrum & ſemini eius in ſæcula, quod eſt Chriſtus. Hoc denique eſt perfectorum, ſicut alia ſunt illorum qui proficiunt aut incipiunt.

Nunc per ſingula diſcurramus angelorum miniſteria quæ tacta ſunt circa Petrum? Angelus aſtat. Cur ita? cur ſi non? vt aſtare coram Deo nos faciat. Deo autem tunc aſtare nos tradit Dionyſius caſtiſſimis orationibus niſi ſtantes, reuoluto animo propinquamus, credẽtes quoniam ipſe eſt Dominus Deus ſalutaris noſter, innitentes ei ſicut littori fixo, tracti à magnete virtuoſo. Aſtans verò tunc refulget angelus, cum nos docet, cuius conditionis & ſtatus & humilitatis ſumus quatenus inſpiciat Deus humilitatem ancillæ ſuæ animæ noſtræ, nouerit ipſa quid ſe quærere conueniat. Non enim omnibus omnia æqualiter licẽt, docent & expediunt. Totum paſtorale Gregorij contextum eſt in huiuſmodi documento. Propterea tranſeuntes iudicamus quatuor induſtrias ſpecialiter aſſumendas contra aſtutias ſathanæ fundatas ex locis dialecticis, quibus homines ignaros proprij ſtatus conatur auertere, vel mutando dum bene ſunt, vel retinendo pertinaciter ſtatum, dum malè locati ſunt. Locum aſſumit ab auctoritate, ſed applicat ſiniſtrè. Locum ab exemplo & ſimilitudine ſed diſſimiliter, cum nihil in perſona vel re noſtra. Locũm ab inductione, quatenus præcipitet in iudicia falſa & temeraria. Locus denique ſub truncato enthymemate, minore ſua non appoſita explicata. Scit enim quod ex minoribus ſeu particularibus præmiſſis tota pendet difficultas illationis. Fallit ſe voluntas ſæpius in hac argumentatione, dum præſentato aliquo obiecto generaliter ſub ratione boni, confeſtim fertur illud attentandum, non diſcernens in particulari quod vel quale ſit illud bonum. Dicit ratio ſuccurrendum neceſſitati proprij corporis ſui. Comede & bibe iubet voluntas. Colendus eſt Deus, tene te igitur in hac religione reſpondet voluntas. Dicit ratio maledicti ſunt qui viam pacis præpediunt. Reſpondet voluntas, quod maledicti ſunt qui viam ceſſionis huius contendentes de papatu, non inquirunt. Notum eſt qualiter loco ab autoritate abutebatur apoſtata Iulianus: Chriſtus dicit: Niſi quis renunciauerit &c. immo ſic diabolus auſus eſt dicere Chriſto: Scriptum eſt: angelis ſuis &c. Non habemus neceſſe longe morari, quia ex ipſo ſumpſerunt omnes deceptiones hæreticorum exordium, maximè dum quærunt homines vltra ſapere, quam diuiſit eis Deus menſuram fidei vel doctrinæ, dum fieri volunt magiſtri, qui nunquam fuerunt diſcipuli, ſacrarum litterarum interpretes, qui nunquam fuerunt didicerunt illas. Adiecit igitur diabolus aliud machinamentum efficacius ex hoc loco per autoritatem fieri tranſlationes varias pro vulgaribus idiotis, quibus habitis & lectis in ſuperficie, contẽnunt mox ſacros expoſitores. Nolumus inquiunt niſi textum nudum, quem tradidit ſpiritusſanctus.

Tandem redduntur imperſuaſibiles, neque ſibi relinquunt autoritatis pondus vnde valeant ad veritatis cognitionem illuſtrari. Cæterum de locis ab exemplo & ſimili tot ſunt experimenta fallaciarum quot hominum capita, dum quilibet aſſequi vult quemlibet, dum exemplo dicit ſe viuere talium & talium, quos approbat aut canonizat eccleſia, vel qui ſuperiores eorum ſunt, qui rectores, qui doctores, qui laudati. Quid facit filius aiunt, niſi quod viderit patrem facientem? Patres tamen optimos niſi nolunt, ſed peſſimos hoc exẽplo ſequi. Vox aliorum eſt: Paulus ſe laudauit. Paulus viſiones in raptu ſuſcepit, cur non poteſt modo Dominus in talibus & talibus ſimilia operari? Hinc cõfictio prophetarum, hinc miraculorum admonitio, hinc etiam adoratio damnatorum hominum in populis. teſtis eſt mihi legenda, immo de adoratione canis mortui viſum eſt in Vienna. Caueat igitur ſancta ſedes Romana, caueat in ea ſedens papa, quibus argumentis & cauſis & medijs canonizatio alicuius ſit facienda.

Diſcipulus. Cognita ſunt omnia quæ loqueris etiã pro infœliciſſimis diebus noſtris. Neque de loco per inductionem neceſſe habes exempla ponere, quia quotidianis ſuſpicionibus improbis contra ſtatus varios militat per ipſum dæmon, præſertim apud ſolitarios & deuotos in oculis ſuis, vt damnent cæteros omnes. Diabolus dicit ex particularibus inſpectis defectibus generalem inferant condemnationis ſententiam.

At verò difficultatem habens maximam quadruplex ille fallendi locus qua ratione vitabitur? dicunt iſti, ſi gloſſas recipit textus vnus ſcripturæ, cur non alius? Si licuerit iſtis gloſſas addere, cur non nos inquiunt, aut non eadem facilitate reſpuimus eas, ſicut doctrinas apocriphas? Quo pacto igitur fiet diſtinctio inter miracula vera & falſa, inter reuelationes veras & fictas? Si canonizata eſt hæc perſona propter atteſtationes miraculorum & auſteritatem vitæ, cur nequit hoc tempore fieri ſimile ſub ſimilibus.

Magiſter.

Digitized by Google

Magi. Habes alibi tractatus qui ad iſtas quæ quotidie fiunt, obiectiones reſpondere conantur. Sed apud plurimos neque talis ſufficiet reſponſio, nec puto quod altera ſine gratuito miraculoſoq; Dei dono. Olim dum ſcriptis & verbis oſtenderem quod in iſtis non poteſt tradi ars vel regula infallibiliter humanitus, inducebam argumentũ quo ſe fundat academicorum ambiguitas, dicens nihil ſciri, immo nec hoc ſciri quod nihil ſcitur. Argumentum eſt de diſtinctione dormientis & vigilantis, dum ſe videre putat dormiens ſimiliter ad vigilantem, & hoc cum ratiocinationibus multis & deflectionibus quibus dicit ſæpe ſibi. Tu nõ dormis. Ecce talia & talia facis & inſpicis. Tu ſomnum tuum alijs narras & recolis. Eſt autem vigilantis, ait Seneca, narrare ſomnia ſua. Ita ſomnians hæc & talia nunquam agit. Porrò ſuppetit in hac reviſitatio Petri, quam tractamus, de ipſo quidem vtique vigilante ſcribit hiſtoria Lucæ: Neſciebat verum eſſe quod fiebat per angelum, exiſtimabat autem ſe viſum videre. *Diſcipulus*. Concludo magis, quoniam neceſſe ſit nobis in his tenebris & vmbra mortis angelica viſio ſimul & illuminatio, cum iſta quæ intimo ſenſu & guſtu docet de omnibus ſpirituſſancti vnctione. *Magiſter*. Iure concludis, iure conſulimus nos aſſiduè per deuotionis orationem ſub hoc duplici refugio ſuppliciter humiliari, quatenus veritas nos exaltet.

Angelus aſtat. Poteſt in momento, in ictu oculi noſter angelus à ſummo cœlo deorſum nobis aſtare, qui nihilominus ſemper aſtat Deo beatifica viſione. Non deſerit exemplar æternũ dum venerit circa nos operari, conſulit non minus diligenter, quia ſuæ actionis regulam eſſe ſcit & artem directiuam. Fit autem aliquando cuſtos angelus longè à cuſtodito, non per ignorantiam, nõ per negligentiam ſuam, ſed propter maliciam noſtram cui dedignatur aſtare. Fit hoc aliquãdo per diſpenſationem ad experientiam noſtræ colluctationis cum aduerſarijs noſtris, dum enim angeli boni qui iuxta nos erant de longè ſteterint, fit quod ſequitur: Et vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Fit tunc angelus noſter adiutor in oportunitatibus in tribulatione, facit cum tentatione prouentum. Erudiuit enim prius quid agere conueniat tempore conflictus & impulſus.

Diſcipulus. Operæprecium eſt cognoſcere quibus doctrinis armat angelus bonus ſuos ſtare cõtra diabolum in die belli. *Magiſter*. Multi multa ſcripſerunt in ænigmatibus & figuris & ſimilitudinibus varijs corporaliter pugnantium. Tu quoniam ſcholaſticus fuiſti, gratantius puto recipies, ſi exemplum quaſi familiare de ſchola tibi tradidero. Conſtitue ſathanam quaſi ſophiſtam cuius hoc totum ſtudium eſt fallere, non quærit ſapiens eſſe ſed videri. Vnde vt decipiat garrulus eſt, multa petit. Celat propoſitum ſuum, & inueſtigat alienum, ſophiſticus per omnia. Tu è cõtra doctus ab angelo bono cautus eſto: nominatim in quatuor, differemus poſtmodum de reliquis.

Primò velis non videre ſapiens, ſed eſſe. Sapientis autem præcipua cura eſt finem reſpicere.

Secundò pauca cum aduerſario loqui, vel ex
A toto ſilere.

Certum habe tertiò propoſitum ſuum quod te quærat recipere, non docere.

Certum ſit quartò propoſitum tuum, nolle veritatem deſere. *Diſcipulus*. Diſcurre ſummatim de ſingulis. *Magiſter*. Sapientia Chriſtianorum eſt id ipſa, non ſolum nomine profiteri ſe Chriſtianum. Hoc qui bona fide quæſierit, hoc qui cupierit vt malit eſſe bonus, quam videri exemplo Catonis, perueniet ad optatum iuxta Socratis documentum. Atverò ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum
B hypocritam ſcilicet & deluſorem ipſe deludet, quia deludi ſinet. Eligit talis ſeruire duobus dominis, ingredi terram viuentium duobus vijs, fit præterea inconſtans, fit arundo ſemet agitans, fit cum garrulo ſophiſta, ſe ſimiliter in omnibus effluens, deſerit cautelam ſecundam ſilentij. In ſilentio autem & ſpe eſt fortitudo noſtra. Obſeruatio ſilentij quam neceſſaria ſit, notauit rex pœnitens. Ego inquit, tanquam ſurdus non audiebã, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Vulgata ve-
C ritas eſt, fœmina quæ auſcultat, & caſtrum quod loquitur, neſciunt diu ſtare. Poſſumus addere de curioſitate alterius cuiuſlibet ſenſus. Eua ſi clauſiſſet aures ad primam diaboli curioſam interrogationem, quia per cur incepit, ſi mox confugiſſet ad mariti conſilium, ſuperaſſet tentatoris aſtutiam. Exemplo cuiuſdam matronæ, quæ dum impeteretur ab adultero, quæram inquit, à marito meo ſi tibi conſentiam. Probè quidem ſi verbo ſuo cor & operatio protinus iungebantur, alio-
D quin procacitas dicti plus accendit adulterum, diuertere ſe protinus & ſilere cautum magis.

Fulciamus etiam ex animalium fabulis dogma noſtrum. Vulpes & cattus dum in nemore fuiſſent obuiam ſibi, audirent à longè ſonitus venatorum & latratus canum, contremuerunt mutuo inquirentes qualiter euaderent. Neſcio inquit, cattus niſi modum vnicum. Spernens eum vulpes, aſſeruit ſe habere modos mille & mille per circumitum. Facta eſt inter loquendum irruptio canum, cattus exiliuit in arborem, vulpes ca-
E num morſus plurima circumitione deludẽs diu, tandem comprehenſa, docuit ſaltũ catti vnicum plus ad euaſionem valuiſſe. Hæc nos fabula reſpicit, ſemper ad arborem ad quam docet ſapientia confugiamus, non tam motu corporis, quam pij cordis. Damus aliquando aliquod tale ſalubre conſilium, quod dum præterimus, decipimur. Exemplum doceat à parabolis ſumptum. Nidificabant palumbi ſyluarum in arborum proceritate more ſuo, circumibat vulpes ad radices, ſe cõminans aſcenſuram, ſe nidos omnes cum fœtibus
F direpturam, niſi pullulus ſibi proijceretur vnus. Trepidantes palumbi, agebant quòd petebat, & abibat. Reuertebatur ad ſimile, quouſq; paſſer dato palumbis conſilio, continere ſe nidis ſuis, vulpes à fraude ſua fraudata eſt. Sed in paſſerem vertit inſidias, non viribus, ſed adulatione. Erat in dumo paſſer, vulpes affuit beatificans auiculas quæ volatu ſuo ſe protegerent à beſtijs & laqueis terræ. Sed hoc vnum deeſt inquit, qua ratione contra ventorũ turbines & frigora ſe protegant. Voluit paſſer gloriari & concionari cum garullo.

Reſpondit ſe protectionem habere dum flabat boreas à ſiniſtris, mergebat enim caput ſub plumis ad dexteram, & è contrà ſi à dextris. Fingens vulpes ſe non ſatis audire propter diſtantiā protrahebat alloquium. Dilapſus eſt paſſer ad ramos proximiores terræ, quæſiuit vulpes dum ventus flabat ab anteriori quid agebat. Sic ait dimittens caput ad pectoris plumas. Exilijt vulpes in non videntem & deceptam blandiŭjs, vorax rapuit.

Inducamus de ſcripturis: Oculi mei ſemper ad Dominum dicit. Pſal. Sequitur effectus & ratio, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos. Et in pſalmo de Dauid, qui factus erat ſicut homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones. Subditur: Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Et alibi: Educes me de laqueo quem ſtatuerunt mihi quoniam tu &c. Iterum prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Et rurſus: Ecce ſicut oculi ſeruorum &c. *Diſcipulus.* Ridebunt forte noſtri ſcholaſtici fabulationes tuas de auibus & beſtijs, quia ſubtilia quærunt. Dicent præterea ſpectare potius ad opprobrium reſpondentis metam ſilentij ſi non audeat cum aduerſario congredi congreſſus nihil reſpondeat. Vbi erit præterea quod iubet Iacobus? Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis. Et Petrus de eodem. Cui reſiſtite fortes in fide. Dic quæ fortitudo, quæ laus eſt fugere? Time credere malis, dicit apud poëtam. Sed contra audentior ita vulgo dicitur (*Qui fuit en le chaſſe*) Qui fugit fugatur. *Magiſter.* Quid ſi fugerint ſcholaſtici tui, quartam cautelam à nobis hic notatam, qualiter accipiatur craſſius ridebunt. Docemus & quicquid ſophiſta nequam diabolus argumētans concluſerit contra bonos mores aut fidem, dicat pius & fidelis animus ab angelo monitus nego cōſequens, nec aliter nec alia forma reſpondeat. Stet in ſua poſitione ſecurus. Vnde illud de comico agunt homines, birreus ſemper homo. *Diſcipulus.* Stultus hic modus reſponſionis habetur. *Mag.* Atverò nullus ſapientior nullus cautior apud Chriſtianos reſpondendi modus contra diabolum. Quicquid aggarriat, quicquid nectat, hæc reſponſio vna ſit fidelis animæ: Chriſtiana ſum. Sic olim Blandina martyr, ſic re & nomine quidam ſanctus apud tortores perſtiterat vt nihil extorquere poſſet ſua malignitas ab eis quam Chriſtiana ſum, Chriſtianus ſum. Hoc meum nomen meum genus mea ſors & patria. Mentior ſi non ita iuſſerit apoſtolus deuitare contentiones verborumque profanas nouitates, & non intendere genealogijs interminatis cum ſimilibus. *Diſcipulus.* Cur ergo ſancti doctores tot quæſtiones induxerunt, agitauerunt, determinauerunt. *Mag.* Habes altero opuſculo rationem.

Porrò principalis noſter ſermo eſt hic de impulſibus ſecretis diaboli cum blaſphemijs ſuis, quæ non melius quam contemnendo vincuntur, fugiens indignans aut deridens anima Chriſtiana dicat ſimpliciter quod alia dixit procaciter. Quære qui tibi reſpondeat, dicat, blaſphemia tua ſuper te lucifer & damnate, alioquin ſi velit ſibi facere laudem quia bene diſſoluerit ſophiſtrias omnes nequiſſimas ipſe ſe ſeducit, quia iam ſuperbiens meretur illudi, meretur laqueis irretiri niſi talis ſit qui pro conſuetudine habeat ſenſus exercitatos totus ſpiritualis effectus omnia dijudicans.

Angelus aſtat ad recordationem Dei, fulget ad cognitionem noſtri. Pulſat vlterius tertiò ad confutationem aduerſarij. Diximus ſuper huiuſmodi pulſibus & impulſibus iam plurima, volo nunc inducere fallacias, quatuor ex logicalibus ſumptas, ad cautelas quatuor prædictas & totidem à locis dialecticis deceptiones ortas. Sunt huiuſmodi fallaciæ vna ſecundum plures interrogationes vt vnam, altera ſecundum quid ad ſimpliciter, tertia ſecundum accidens per coniugationes inutiles, quarta per apparentiam cōtradictionis & non exiſtentiam. *Diſcipulus.* Iſtæ ſunt cognitæ logico, ſed quid ad deuotum? quid ad morale documentum? *Magiſter.* Multum per omnem modum. Scis quia extra dictionem nominantur iſtæ fallaciæ, quia non ex dictionibus, ſed ex rebus ortum habent in apparentia ſimul & defectu. Neq; præterea quiſpiam eſt idiota ſine literis, quin iſtis poſſit falli.

Diſcipulus. Induc exempla. *Magiſter.* Subdolus impulſor inſtar ſophiſtæ proponit animæ timoratæ plurimas interrogationes. Vrget quatenus vna detur abſoluta reſponſio. Ad formam inquit: Quærit ab vno (exempli gratia) qui ex adulterio gratiſſimum ei optimus moribus & artibus inſtitutum habet filium. Velles tu deuote Petre non habuiſſe filium talem? Si reſpondeat, placet hūc habere, perſtat inquirens: Quid ſuper adulterio dicis? ex quo non aliter habitus eſt, reſpōde quid elegeris ex duobus, carere filio, vel adulterio? Si dixerit carere filio, conſcientia ei contradicit. Si placet adulterium, planè peccat, non pœnitet. *Diſcipulus.* Sentio quod danda ſit duplex reſponſio, placet filius, diſplicet illicitus concubitus. *Magiſter.* Conſultè ſentis, vnde ſi millies impulerit vt facta comparatione filij ad adulterium reſpondeat Petrus quid è duobus mallet, non oportet vt ſimpliciter reſpondeat ſed diſtinctè. Tactus eſt prius alter caſus ſuper interrogationibus curioſis. Si doleat homo de peccato ſic quod mallet fuiſſe damnatus vel annihilatus. Si fugiat ita peccatum quod mallet cruciari per incendium multis diebus quam frangere debitum ieiunium aut committere mendacium. Vitanda eſt fraus interrogationum huiuſmodi plurium quæ impellunt reſpondentem aut ad temerariam, falſam & arrogātem de ſuis viribus præſumptionē, aut culpabilem electionē, dicat igitur, neutrū eligo, diſplicet peccatum, hōrreo incendium, nunc incendiū nō incumbit eligendū. Quid ſi vehementius vrgeatur aliquis eligere, quid ageret aduenientem caſu tali, prout erat martyrium tempore tyrannorum? reſpondet ſe humilians ſub Deo & ſancto angelo eius, dicat: Dominus non patiatur me tentari ſupra id quod poſſum. Et ſi caſus eueniret qualem proponis, ſpero in Domini bonitate quod faceret cum tentatione prouentum, vt poſſem ſuſtinere, vel aliter quam per peccatum euadere. Caueat igitur arroganter prędicere cū Petro. Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, dicat potius. Imperfectum meum viderūt oculi tui, ſis adiutor in oportunitatibus in tribulatione, aut

Digitized by Google

in talem tentationem me non inducas. *Diſcipulus.* Cautè ſobrièq; conſulis. Confundis ex hoc curioſas inquiſitiones quorundam confeſſorum ſuper voluntate certa non peccandi ſeu recidiuandi in futurum, vt dum interrogatur pœnitens à ſe vel ab altero. Credis tu quod poſtmodum nunquam cades in talem peccatum? Reſpondeat: Ego fragilis formido lapſum, non tamen volo nūc vel eligo caſum de futuro miſericordiæ Dei me commendo, deprecans vt me cuſtodiat à peccato, quod ſi ceciderit fragilitas mea deprecor adijciat vt reſurgat. Hæc fallacia ſecundum plures interrogationes vt vnam, quantum video non melius euitatur quam per ſilentium modeſtum, ſe diuertens ad alia cogitāda, aut per diſtinctionem acutum interrogationum, aut perſtet iuxta quod notaſti, negétq; conſequens. *Magiſter.* Ita eſt etiam circa ſpeculabilia fidem rectam tangentia. *Diſcipulus.* Exemplifica. *Magiſter.* Omnis penè deceptio prouenit in ſpeculabilibus, ex defectu diſtinctionis & reſolutionis ad ſimplicia, qua deficiente doctor quò plus inquiret per argumenta ſcilicet diſſoluere tanto plus inuoluet, & eò plus ſi non veritatem, ſed aduerſarij confuſionem pro ſua laude ſcrutatur. Exemplum: volens vnus doctor concordare ſimul quomodo actus peccati ſit à Deo & à libero arbitrio, concludebat argumentorum ſubtilitate nō pia religioſitate, quod Deus erat cauſa peccati, quod Deus facit hominē peccare, quod Deus vult hominē peccare, dum peccat. Addidit ipſe idem quod libertas arbitrij comparata ad Deum, faciat iſta neceſſariò quæ factura eſt. In operatione ad diuinam præſcientiam omnia de neceſſitate ſunt futura, alioquin inquit, Deus poſſet falli. Addidit quoq; quod ideò & nō aliunde res dicuntur impoſſibiles fieri, quia poſitiuè Deus vult ita eſſe poſſibile, cum tamen ſi Deus per impoſſibile non eſſet, impoſſibilia nunc non eſſent tunc minus impoſſibilia. Addidit contingentiam in Deo intrinſecam eſſe, quia diſtinguere connotationes terminorum, vel neſciebat, vel aſpernebat. *Diſcipulus.* Tange breuiter formas argumentorum. *Magiſter.* Arguit ſic in forma logicali, demonſtrato ſorte qui facit homicidium vocetur actus ille A. ſortes facit A. Et ſortes habet præceptum de non faciendo a. ergo ſortes peccat. Tunc vltra. Deus facit & vult totum antecedens & quamlibet partem antecedentis, ergo facit & vult conſequens quod eſt illud, ſortes peccat. *Diſcipulus.* Videtur indiſſolubilis hæc ratio. *Magiſter.* Videtur ſi nō diſtinxeris aliquid in ea. Si præterea non reſpexeris ad blaſphemiam inſanam vltimæ illationis quod Deus facit & vult quod ſortes peccat, quanto magis oportuerit ſapere ad ſobrietatem vbi etiam ſolutio rationis latuiſſet, & dicere ſoluat eam angelus Domini & ſolutionem aperiat. Omnis abſq; dubitatione ratio quæ militat contra pietatem, ſophiſtica eſt peccans in materia vel in forma. Quod ſi nōn videat diſcipulus homo, videt doctor Chriſtus homo & angelus eius in ipſo.

Itaque dum ſubſumit doctor iſte anglicanus quem profundum cognominant, quod ſortes habet præceptum de non faciendo a. actum, vel intelligit abſolutè de eſſe actus ſollummodo, & tunc eſt falſa minor iſta, quia ſortes poteſt in caſibus multis facere à actum ſinè peccato, ſicut in furia vel in inuincibili ignorantia. Si verò A intelligatur quod ſortes habet præceptum de non faciendo a. deformiter & peccabiliter, hoc vtique verum eſt. Sed iam Deus neque facit neque vult quod ſortes taliter agat, & ita non facit neq; vult antecedens prædictæ ſophiſtriæ ſuæ, quia palam concludit deformitatem, aut conſequentia nihil tenet. Conſtat enim quod nec Deus, immo nec homo poteſt velle deformitatem ſub ratione deformitatis, dicente Dionyſio & philoſopho, quod nemo ad malum aſpiciens operatur velle autem B eſt quoddam operari. *Diſci.* Cui ſimplicitas placet, placeat & tua reſponſio, conſequens eſt iudicio meo. Sed neque ſi calumniabilis eſſet iſta vel altera reſponſio, deberet inconueniens tantum concedi quod offendit omnium pias aures tam philoſophorum quam moralium & ſimplicium in quacunq; lege viuentium. Dic alteram ſophiſtriam de futuris contingentibus. *Mag.* Accipit ſic, antichriſtus fuit erit futurus, & antichriſtus, non erit, ergo Deus vel homo qui credidit antichri- C ſtum eſſe futurum deceptus eſt. Antecedens eſt poſſibile & compoſſibile: quia prima neceſſaria, & ſecunda poſſibilis, omne autem poſſibile ſtat cum neceſſario, igitur conſequens poſſibile, quod impium eſt de Deo concedere. *Diſcip.* Dic reſponſionem. *Magiſter.* Diſtingue minorem qua dicitur, antichriſtus non erit tanquam poſſibilis ſit. Aut intelligis quod eſt poſſibilis quacunque lege poſita, & tunc iſtam nego. Aut intelligis quod poſſibilitas comparatur ad Dei potentiam abſolutam ſecluſa omni lege ſeu comparatione, D & ſic conceditur, ſed negatur cōſequentia, quod ergo credens antichriſtum futurum ex fide, ſit deceptus de facto vel de poſſibili. Ratio eſt clariſſima, quia in maiori non credidit aut ſciuit aliquis antichriſtū fore niſi de lege ordinata, ſciens quod de abſoluta potentia Deus non poſſet facere quin potentiam haberet vt antichriſtus nunquam foret. Non eſt igitur aliqua deceptio ſed ſumma conformitas. Porrò deceptionis rationem quæ ponit intrinſecam in Deo contingentiam, modo E notauimus. Alibi latius aperta eſt in centilogio de modis ſignificādi. *Diſcip.* Perſpicua fit amplius mihi ſapientis narratio, quia qui ſophiſticè loquitur odibilis erit. Et iterum: Illuſores ipſe deludet. Sic qui quærit mendacium ſubuertetur ab eo, cadens in laqueos quos tetendit. Porrò qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. *Magiſt.* Non aliter eſt. Narrat Rufinus in illo quem addidit hiſtoriæ eccleſiaſticæ Euſebij libro, de quodam inuincibili ſophiſta contra pietatem fidei, quem ſimplicitas pij ſenis nudam proponendo verita- F tem fidei vicit. Docemur in hoc apud ſophiſtias (etiam dæmones) perſtare in ſimplici confeſſione fidei. Noſti illum qui mox vt aliquem ſentiebat ſophiſticè contendere, quieſcebat, niſi forſan ex ſilentio ſuo circunſtantium ſcandalizatio timeretur. Mos ſophiſtarum eſt vt tandem ſemetipſos fallant & apprehendant in aſtutia ſua, dum ad agibilia venerint, docet hæc propterea dæmonum, quorum argutias retorquet angelus Domini contra ſemetipſos in fines contrarios.

Diſcipulus. Exempla da. *Magiſt.* Impulit fratres Ioſeph vt ex viſionibus ſomniorum inuiderent ei

quærentes media quæ ſcripta ſunt, ne regnaret ſuper eos. Qui euentus fuit ſcimus, Regnauit. Ita quotidie fideles impedit, quoſdam vt deijciat & exaltantur, quia per tribulationem humiliantur. Fiunt doctiores, quos infatuare quærit. Fiūt purgatiores & fiunt ſanctiores, quos ſatagit inficere, quia diſciplinam conuertunt in pœnitentiæ patientiæque virtutem. Permittit angelus futura quidem dæmones ab eis cognita ſimiliter inueſtigare & audire. Quare: quia ſcit quod dum quærent obniti, complebunt voluntatem Dei. Sic in Ioſeph, ſic in omnibus fiat electus. *Diſcipulus.* Satis enim de fallacia ſecundum plures interrogationes dixiſti, quemadmodum nunquam abſque diſtinctione danda ſit vnica reſponſio. Video perinde conſilium ſaluberrimum quod eſt, quod ſe fideliter reſoluere conſueſcat. *Magiſter.* Animaduertere quemadmodum in moralibus etiam iſtud prodeſt & expedit. Si dolet caput aliquis ex ebrietate vel alia culpa fiat æger, acceptet dolorem & ægritudinem patienter vt eſt afflictiua orans Deum quatenus ſit pars purgationis ſuę, pœniteat de cauſa pro quanto eſt culpabilis. Si moritur pater, & fiat hæres filius locupletatus, doleat piè mortem patris, gaudeat gratus de opibus relictis. Si puniuntur iudicialiter peccatores, lætentur de iuſticia, triſtentur de demeritis. Potes altius ſpeculari de præſcientia Dei circa damnatos, etiam ſi proponis tibi talem fore, nō quidem, aſſerendo vel cum deſperatione. Dic conſiderando iuſticiam Dei: Iuſtus es Domine, & iuſticiæ tuæ diligendæ ſunt & honorandæ, peccata vero quæ ſunt damnationis occaſio, deteſtor, odio, abominor, quia taliter me velle vis & præcipis. Soluitur inde laqueus iſte nequiſſimi, qui vult reſpōſionem vnam dari, dū curioſius inquirit: Si Deus vult te damnare vis hoc & tu, dic nolo peccare, quod ſi non peccauero, non damnabor. Si rurſus vrgeat pulſans, quid ſi tibi reueletur tua damnatio? Quid ſi reueletur de te Petro, quod alter qui peccauerit in hac die tandem ſaluabitur, alter qui non ita peccauerit in hac die tandem damnabitur. Caſus eſt poſſibilis & ideo reuelabis. Nūquid elegeris hodie peccare, nunquid in primo caſu deſperares. Reſponde cautus ſemper, non vnica, ſed duplici reſponſione. Habent hanc induſtriam puerūli dum interrogantur, quem è duobus plus diligis, patrem aut matrem: Inquiunt, diligo patrem, diligo matrem. Sic interrogatus demum Petrus, diligis me plus his. Diſtinxit & reſpondit, tu ſcis Domine quia amo te, innuens quia diligunt & alij te.

Si quæritur, nunquid malles peccare nunc, poſtmodum ſaluari. Reſpondeo nolo peccare, volo ſaluari. Et in altero caſu dic: Volo ſperare quia ſic præcepit. Credo ſimiliter Deum non reuelare niſi verum, ſed non ita quod neget ſeipſum. Si ſub electione præponuntur duo mala, caue neutrum eligas. Nam in malis quid eſt eligendum? At verò ſi culpa noſtra ceciderimus vt neceſſe ſit alterum ex peccatis fieri, minus eſt acceptandum, quia iam in comparatione deterioris ſortitur boni ſecundum quid rationem. Denique proficit iſte pulſus angelicus qui diſſoluit colligationes ſpirituales, ſicut in Petro materialiter actum. Proficit inquam, contra omnes penè fallacias quæ ſequū-

A tur ſi pia voluntas affuerit. *Diſcipulus.* Explica de fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter. *Magi.* Cōſidera ſolerter vnde voluntas decipitur, præſertim à mundo & carne per proſecutionem voluptatum, aut per fugam tribulationum. Præſentantur itaque ſibi tanquam bonæ ſimpliciter vel ſimpliciter fugiendæ, qui ſic arguat caro vel mundus. Hæc delectant nunc, hæc contriſtant modo. Eſt autem delectatio bona & triſticia mala. Si voluntas ſit impia vel incauta, confeſtim elegit hoc bonum ſecundum quid, & refugit ſimile malum. Si verò ſit virtuoſa conſulit rectam rationem, & o-
B bedit conſilio. Si verò nequam ſit refugiet rationem conſulere, immo claudit oculos & aures ſibi. Porrò voluntas incōtinentis audit quidē conſilium rationis, conſcia ſibi quia bene ſuadet. Sed tandem inclinata per bonum ſecundum quid dimittit iudicium rationis actualiter conſiderare & impetu ſuo fertur in illud ſciens ſemper, in habitu, & conſentiens rectum eſſe, præferendumq; rationis iudicium. *Diſcipulus.* Quo pacto fieri poteſt, quod voluntas feratur in obiectum non præ-
C uio rationis iudicio, quodq; in illud ita fieri debet, non enim feretur in incognitum. *Magiſter.* Eſt inter doctos grandis diſceptatio, ſi & quale fieri valeat quod inquirimus, maximè quia dicente philoſopho conſonè ad ſapientem: Omnis malus ignorans.

Cæterùm Pariſienſis articulus habet ita: Si ratio recta & voluntas recta eſt, error ſupple ſic dicere. Itaque duo ſunt in hominis liberi arbitrij iudicio. Vnum quod eſt rectæ rationis & vocatur
D propriè iudiciale, ſeu legale. Aliud eſt per modum arbitrariæ poteſtatis. Arbiter autem non ſemper tenetur inſequi iudicium ſecundum leges, ſed habet plenam facultatem eligendi ſicut ſibi placuerit, nunc autem tale eſt iudicium, quia poteſt inſequi vel non inſequi pro ſuæ voluntatis arbitrio iudicium rationis. *Diſcip.* Intelligo tale effici ſæpe propterea ratio principatur voluntati non vt ancillæ, ſed ſibi conſulit vt dominæ. Portat tamen ſibi lucernam vt videat qualiter ſit incedendum, non vt cogat eam, immo diuertit ad eius impe-
E rium lucernam ſuam, vel ſuffocat & deſerit eam, ne luceat actu pleno. Et ita quamuis voluntas vitioſè eligens, ſit ſemper errans in electione tali arbitraria, non oportet tamen quod error ſit ratione iudiciaria vel aſſentiua. Eſt nihilominus vt communiter ignorantia craſſa vel ſupina. Soluitur quemadmodum Adam potuerit peccare nec tamen errore ſeductus eſt in ratione, ſicut incontinens dum peccat contra charitatem non ob hoc perdit fidem. Perſpicuum denique factum eſt auctoris moralis documentum dum aliquid propo-
F nitur, confeſtim diſcute quid ſit. Confeſtim virgo prudentiſſima ſic diſcuſſit: Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. *Magiſter.* Addendum eſt pro cautela quatenus à bonis ſecundum delectabilibus nimium refellendis voluntas protinus ſe diuertat, dum iſta conſtiterit ſimpliciter mala eſſe. Poteſt autem in malis ſecundum quid de triſtabilibus conſiderandis inſiſtere ad patientiā exercendam. Non enim furantur intellectum ſapientis aduerſitates, quemadmodum voluptates. Habes proinde rationē dicti illius prius inducti per te: Iubet Apoſtolus: Fugite fornicationē. Eſſet hic

hic conquiſitio de primis motibus, ſi & quomodo repelli debeāt, ſi & quando ſciri poteſt quod voluntas acceptat iſtos vel refutat, & hoc imputabitur ad peccatum mortale. Rurſus ſi ſtat eodē tempore tentationis quod voluntas peccet in venialibus multis, & cum hoc multipliciter vitam æternam mereatur. Tolleret iſtorum deciſio ſcrupulos à conſcientijs plurimis timoratis. *Diſcipulus*. Sed peto tranſeas ad aliam fallaciam quæ dicitur accidentis, quia ſuper his dubijs alibi tractatum eſt. Complectitur in ipſa accidentis fallacia quælibet inutilis coniugatio ſeu connexio, dum putet aliquis quod ex conuenientia vel diſconuenientia aliquorum duorum vel plurium ad vnum tertium conueniant vel diſconueniant inter ſe, ſimiliter iſta duo vel duo. *Magiſter*. Super hoc autem tene pro regula, quod omnes & ſingulæ voluntates quæ per charitatem vniuntur cū vno tertio quod eſt Deus, ipſæ vniuntur inter ſe quantumcunque viſæ fuerant diſcordare, ſicut de diſperſione legimus Pauli & Barnabæ. *Diſcipulus*. Pulcherrimum hoc (per meam fidem) & gratiſſimum eſt hoc theorema, verificat planè Pſal. verbum: Particeps ego ſum omnium timētium te, & cuſtodientium mandata tua. Felix ergo mirabilis quam vnio plurimum in Deo, quaſi in vnico medio connexorum. *Magiſter*. Quid de pluribus quantumlibet vnitis & coniunctis in alio quam in Deo? *Diſcipulus*. Video quod non ſimpliciter vniuntur, fas eſt quod nullæ virtutes inter ſe coniunguntur, ſi non in vnica veritate prima connexæ ſint. *Magiſter*. Hoc videtur difficilius præſertim cum in diuinis videatur exceptio fieri, quoniam pater & filius & ſpiritusſanctus vniuntur vna veritate quæ Deus eſt ſeu diuina eſſentia. Eſt autem alius pater, alius filius, alius ſpiritusſanctus. *Diſcipulus*. Subintras aliam fallaciam accidentis, ad quam aliæ quaſi ſingulæ reducuntur, quemadmodum fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam, ſicut fallacia conſequentis quæ omnes ferè complectitur paralogiſmos ex locis dialecticis malè formatos. *Magiſter*. Subit animum recordatio generalis me dum puerulus eſſem, legiſſe quandam fallaciarum applicationem moraliter ad peccata mortalia, ſed abolita eſt recordatio ſpecialis. *Diſcipulus*. Dic ſi habes iſtam in promptu, vel aliquam affer probabilem. *Magiſter*. Non recordor illius, poſſumus autem dicere quod infernalis beſtia de mari paſſionum exiēs à corde impij quod eſt ſicut mare feruens, habet ſeptem capita, & cornua decem, quibus impellit ad tranſgreſſiones nominatim ſeptem. Appropriat autem quodam modo ſingulas ſingulis capitalibus vitijs. Vtitur ad ſuperbiam fallacia petitionis principij, arguens ita: Omnis magnus eſt honorandus, tu es magnus, dum quia nihil habet quod non accipit, & ita de nihilo ſui poteſt gloriari quaſi principio. Si autem venerit ad verum principium, iam non in ſe ſed in Domino glorietur. *Diſcipulus*. Placet adaptatio, diſcurre per reliquos. *Magiſter*. Vtitur ad inuidiam fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam, arguens ſic: Omne nociuum eſt odiendum. Iſte æquipollet virtutibus tibi nocet: Tollit enim tibi ne ſis in virtutibus ſingulariter honorandus. Ecce quod virtutes aſſumit ad cauſam odij, quæ ſunt ad amorem

A cauſæ veræ.

Vtitur ad iram fallacia ignorantiæ elenchi quaſi contradictorium ſumat ab aduerſario honoris ſui, dum perturbat ipſum, ne aliter quam oportet glorietur. Debet inſuper iraſci culpæ non perſonæ, vincere maliciam quæ iram comcomitatur, &. hoc per mititatem, non maliciam ipſam iraſcendo nutrire.

Vtitur ad acediam coniugationibus inutilibus & ineptis, per euagationes mētis innumeras quæ ad fallaciam ſpectant accidentis. Vtitur ad auaritiam,

B fallacia ſecundum. plures interrogationes vt vnam, dum ad omnes neceſſitates humanas ſubleuandas, dicit ſufficere congregare pecunias, quæ frequenter afferunt plures indigentias, quia qui plura habet pluribus indiget.

Vtitur ad gulam fallacia ſecundum quid ad ſimpliciter. Iſtud eſt delectabile & bonum gulæ, ergo eſt ſimpliciter eligendum.

Vtitur tandem ad luxuriam fallacia iſta & altera, quia non coniunguntur extremitates conue-

C nienti medio. Fallaciam quoque proponit conſequentis arguens ſic: Generatio filiorum eſt bona, ergo ceſſatio à generatione mala, per argumēmentum à contrario ſenſu, quod fit ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis. Sed ecce cum tibi quaſi ſcholaſtico ſatisfacere cupio, vitium curioſitatis apud non ſcholaſticos vereor incurram. *Diſcipul.* Tolerabunt inter alias materias congruas eis, hanc inſeruiſſe ſcholaſticam. *Magiſter*. Ita maximè, quia poteſt angelus Domini bo-

D nus ex iſtis maligni ſophiſtæ pulſibus curioſis inducere pulſus ad virtutes. *Diſcip.* Tange quo modo? *Magiſter*. Si per ſingulos diſcurſus fuerit, prolixitas pareret faſtidium. Dicam verò tibi ſub compendio regulam certiſſimam, ſed non ab omnibus ſtatim cognoſcibilem ſeu practicabilem. Sicut in purè ſpeculabilibus nulla formatur conſequentia tenens vniuerſaliter niſi fieri poſſit reductio ad primam & vnicam veritatem quæ Deus eſt. Sic valet nulla conſequentia in agibilibus bonis, niſi poſſit reduci ad primam bonitatem quæ

E Deus eſt, finis omnis bonitatis. Similitudo fundatur in hoc, quia ſic ſe habet finis vltimus in agibilibus, ſicut primum principium incomplexum vel complexum in ſpeculabilibus. Hæc eſt philoſophi. Porrò non fit ſyllogiſmi reſolutio ad primum principium rerum ſpeculabilium, niſi virtualiter aut expreſsè reguletur per dici de omni, aut per dici de nullo, alioquin non poterit effici vera contradictio penes quam deficit fallacia ignorantiæ elenchi ſpecialiter, ſed generaliter e-

F tiam quæcumque fallacia. Hinc eſt quod ex puris indefinitis non tenet argumentum de forma, nec ex puris negatiuis. Hinc eſt quod terminus communis ad plures res (ſicut hoc nomen eſſentia diuina) non poteſt eſſe medium ſufficiens in ſyllogiſmo expoſitorio. Hinc eſt quod ſi affirmatiua de dici de omni, includat omnia quæ poſſunt de ſubiecto prædicari, illa non ſufficit vt ſit præmiſſa de omni. Exemplum, omnis pater eſt generans ſi non diſtribuat pro eſſentia diuina, non eſt efficax præmiſſa ad ſyllogizandum de dici de omni, & ſic conſtat tunc quod eſt vniuerſalis falſa

Digitized by Google

pro eſſentia. Non aliter accipiendum de dici de nullo, quod negetur omne quod affirmatiua de dici de omni ponit, alioquin non eſſet vera contradictio. Cadunt in abſurditates non ferendas, qui iſtud non conſiderant. Concedit vnus quod duo contradictoria non verificantur in inſtanti temporis. Alius, quod innumerabilia cõtradictoria vera ſunt in inſtãti æternitatis. Alius quod primum principium non eſt euidens in diuinis, cum ſit ibi præcipuè certiſſimum. Alius, quod anima mouetur & non mouetur, quia mouetur in manu, & quieſcere ſimul poteſt in pede. Alij quod relationes in Deo ſunt Deus & non ſunt Deus. Alij ſunt de formalitatibus in diuinis, at verè ſi negatio capiatur de dici de nullo, quæ ſcil. negat omne illud conuertibiliter, quod affirmatio ponit in tempore modo loco & cæteris, euidens eſt quod erit vera contradictio. Et ſi non, non. Vnde non contradicunt iſtæ duæ pater generat, eſſentia non generat, niſi neget negatio generationem à patre. Sed homines groſſi intellectus ſubtiles iſtas non aduertunt reſolutiones in negando vel affirmando. Putant idcirco contradictiones eſſe vbi non ſunt. *Diſcipulus.* Edoctus ſum iuuenis ſuper hoc dici de omni & de nullo quod in eis fundatur vel reſoluitur omnis cõſequentia bona & formalis, ſed non habui tam expreſſam ſuper iſtis explanationem. Putabam quod idem eſſet propoſitio affirmatiua cum dici de omni, ſed video differentiam non modicam, ſimiliter & in dici de nullo. *Magiſter.* Conabantur aliqui ſoluere paralogiſmos in diuinis, addendo aliquod eſt.

Sed hæc ars breuior eſt & certior, quam Ariſtoteles ſatis intelligitur poſuiſſe. Platonici quoque de homine communi & ſingulari loquentes habebant introducere tale dici. *Diſcipulus* Nunquid non multæ ſunt conſequentiæ topicæ ſeu rhetoricæ quæ non poſſunt nec debent iſto modo regulari? *Magiſter.* Prudenter opponis propter canoniſtas & legiſtas, immo propter omnes in ſacra ſcriptura conſequentias in moralibus & hiſtoricis accipiendas, modo qui congruit morali negotio, vbi non poſſunt haberi conſequentiæ vt ſæpius, niſi quæ tenent ſolum gratia materiæ, & non formæ, quales accipiuntur à locis dialecticis, quales præterea non reſoluuntur ad cõtradictionem ſecundum quid modificatè. Vt ſi dicatur: Reſponde ſtulto iuxta ſtulticiam ſuam, ſtatim ſubditur? Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtulticiam ſuam, quæ videntur contradictoria. Similiter in euangelio: Videant opera noſtra bona. Et in eodẽ textu culpantur hypocritę qui faciunt opera ſua coram hominibus. Sed ratio dictorum tollit contradictionem apparentem, immo exiſtentem ex vi Logicæ in ſpeculabilibus. Hinc de ſubtilitate Logicorum & Metaphyſicorum ſurrexit dictum, quod nimia ſubtilitas reprobatur in iure, cuius intellectus nũc expoſitus veriſſimus eſt atque ſaluberrimus, alioquin ſunt ad morale negotium ſubtilitates huiuſmodi Logicorum & Metaphyſicorum, ſicut ciniſes Ægypti morales oculos ſuis aculeis tenebrantes.

Sunt ex aduerſo groſſi morales ad ſubtilia ſpeculanda, quæ de Metaphyſica ſunt & Theologia ſpeculatiua nimis inhabiles, ſicut modò diximus, quia conſequentias non accipiunt niſi per tropos & apologos ſuo modo. *Diſcipulus.* Quorum eſt

A laudatior conditio? *Magiſter.* Vtramque laudabilis immo neceſſaria, ſed pro neceſſitate materiarum varianda, dicit philoſophus primo ethicorum, de quærentibus acribologias id eſt Metaphyſicas demonſtrationes in Moralibus, topicas autem rationes in Mathematicis, vtrumque eſt vituperabile, quia quærenda eſt certitudo iuxta negocij qualitatem. Proficit hæc regula contra nimium ſcrupuloſos in Moralibus, dum certitudinem quęrunt ampliorem quam haberi poſſit

B ſecluſo miraculo, ſufficit enim probabilis & moralis coniectura. *Diſcipulus.* Concordas more vulpis fabuloſæ, quæ diſcantum philomelæ tenorem coruo dedit, miſcens groſſum ſubtili, vtile dulci, imo iam non miſces, ſed ſuades ſeparatim accipere.

Veni ſi placet ad alteram principalis conſiderationis declarationem, quod omnis conſequentia debet in agibilibus reduci ad vltimum finem ſi probabilis debet eſſe. *Magiſter.* Habes Apoſto-

C lum; Omnia in gloriam Dei facite. Habes Chriſtum.

Primum quęrite regnum Dei. Habes ab eodem præceptum de dilectione Dei ſuper omnia quæ finis præcepti eſt. Quocirca concludimus ſalubre pro Chriſtianis omnibus documentum. Plus inſiſtẽdum eſt dilectioni quam ſpeculationi. Plus inſuper vnioni affectus vacãdum eſt quam diſcretionis intellectus. *Diſ.* Aperi quomodo? *Magiſter.* Proprietas intellectus eſt diſcernere & hoc adeò,

D quod illa quæ realiter idẽ ſunt, ſatagit & valet ſeparatim conſiderare, & ſeparata coniungere. Veritas eſt hæc philoſophiæ & experientiæ. Atverò proprietas affectus eſt ſe in vnum ferre, & ſe in vnitatem recoligere, vbi etiam diſtincta ſunt realiter amata. Propterea dicuntur amantes ſe, vnuum cor vna anima vnus ſpiritus. Cum autem Deus ſit totus deſiderabilis ſecundum omne quod in eo poteſt intelligi, conſtat quanta facilitate & libertate poteſt affectus ſe totum in Deum ferre. Intellectus dum diſcreta rimatur metaphyſican-

E do circa Deum penitus vnicum plus ſpargitur, plus difficultatur, minus ædificatur in fine legis quæ eſt dilectio. Deniq; non ita Deum comprehendit vel apprehendit intellectus, cum non ſit à nobis totus cognoſcibilis, ſicut eſt totus amabilis, ſi formaliter ſunt in Deo perfectiones diſtinctæ quoad affectiuam quæ totum amare quærit, non perfectè formalem hanc vel illam.

Diſcip. Saluberrimum in Phyſica radice dogma fundatum elicuiſti. Nos enim iubemur omnem intellectum captiuare in obſequium affectus

F Chriſtiani, quæ neceſſitas eſt totum in intelligẽdo ſeu diſcernendo Deum noſtrum per vniuerſum labilis, vitæ tempus ſtudium conſumere, nec tamen attingere. Videmus effici potius tales temerarios aſſertores, garrulos, inflatos, aridos ſine deuotione, ſine pietate. *Mag.* Experta loqueris pro diebus noſtris. Quocirca eſt laudanda præ talibus idiotarum ſimplicitas amatiua. Neque mihi videntur aliunde philoſophi dati in reprobum ſenſum, quam eò quod relicta pietate vnitiua affectus circa Deum tanti euanuerunt per inquiſitiones

Digitized by Google

tiones ſolius intellectus, impulſi non dubium, à ſpiritibus erroris quibus ſeruierunt per theletas, theorgias ſacrilegas potius quam creatori. Collaudandus ad extremum eſt doctor theologus, cuius doctrina ſic erudit ad intellectus diſtinctionem, quod non minus allicit, trahit & inducit ad affectus vnionem.

Sed ecce dum officia beatorum angelorum circa nos ex hiſtoria Petri quærimus, per multa digreſſi ſumus, vix tamen attingimus pauca pro multitudine dicendorum, nominatim circa contradictionis obſeruationem, ad quam oportet fiat omnis reſolutio. Sed neceſſarium prædiximus eſſe quod in vera contradictione negatio deſtruat quicquid & qualecumque quod affirmatio poſuerit. Fundatur in hoc ars obligationum, ars inſuper reſponſionum ad inſolubilia Logicorum, ars Theologorum circa myſterium beatæ Trinitatis. Sæpe enim fit apud ſubtiliter intelligentes in ſpeculabilibus, quod negatio non accipitur vt negans ſimpliciter omnia de quibus fit affirmatio. Dicimus enim quod pater & filius ſunt eſſentia diuina, tamen verè dicimus quod pater non eſt filius. Non accipitur ibi negatio ſecludens eſſentiam, ſed vnitatem ſolum perſonalem. Saluat hæc conſideratio multos ſubtiliter formalizantes, ſed pauciſſimi ſunt qui capiant virtutem negationis huiuſmodi non ſimpliciter, ſed cum moderatione. Circa hanc (vt æſtimo) moderationem philoſophus in materia Trinitatis facilius admiſiſſet quam homines non philoſophi, ſi fides ab eis ſec [illegible], [illegible] autem fides ſaluat eos dicentes: Magiſter noſter Chriſtus ſponſa ipſius eccleſia, dedit nobis ita credere ſimul & confiteri. Sufficit autoritas. Si plus detur intelligi, gratias ei. *Diſcipulus.* Sentio quod multa ſuperſint ex propoſitis de angelorum cuſtodia, quibus homines exaltantur contra diabolicos impulſus. Vix diximus de aſtantia boni angeli quoad primum, de illuminatione ſua quoad ſecundum, de impulſu ſuo quoad tertium. Quid de clamore, quo iubet ſurgere Petrum, quaſi myſticè diceret: Surge velociter per ſpem fac iuſſa per obedientiam quoad quartum. *Magiſter.* Hoc eſt præcipuè ſeruandum alioquin nihil valent cætera. Soluit proinde quintò ligatum angelus, vnde timens & gratus magnificat Dominum. Educit ſextò Petrum, quia Ieſus ſuſcepit eum. Septimò libertati relinquit tunc viuit purus velut hic & nunc moriturus. Cantat dum exierit de carcere corporis: Nunc ſcio verè &c. qui prius exiſtimabat ſe videre viſum. Et quid omne quod videmus in carcere poſiti niſi viſus aliquis fidei ſimul & ſpei. Tunc autem ſciet homo verè cum liberatus ab angelo plenè, relinquitur in libertate gloriæ filiorum Dei, quando depoſitis potentibus de ſede, gloriaſi licebit apud ſanctorum omnium conciues: Et exaltauit humiles. Meditemur de reliquis.

Finis.

A

QVARTA PARTITIO PER SOLILOQVIVM VBI DE CVSTODIA *angelorum per notulas quinquaginta.*

NOTVLA PRIMA.

DEPOSVIT *potentes de ſede & exaltauit humiles.* Sis igitur humilis anima mea quatenus exalteris. Magnifica magnum, prædica Dominum. Gratias age ſibi inquietem tui ſilentij. Quid niſi magnificetur iſte cuius opus eſt confeſſio & magnificentia? Gratias & tibi beata virgo cuius eſt hoc magnitudinis exordium. Itaq; eſt gratum animæ meæ poſſe in magnificatione Domini cantico tuo vti. Donum iſtud eſt gratiæ Dei, donum pariter meriti tui. Dederis exemplo tuo cantare Domino primitus miſericordiam pro beneficio ſpeciali: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ animæ meæ, creans eam, ſui capacem faciens eam in baptiſmate, ſui participem atq; Dei conformem, confortans eam ſacræ confirmationis vnctione. Deinde per pœnitentiam reparans lapſam, eruens eam totius miſericorditer ab inferno inferiori, cibans eam pane cœleſti, qui dat vitam mundo, ſpem denique felicitatis æternæ concedens. Magnificat anima mea Dominum. Cantans ei miſericordiam ſimul & iudicium pro omnibus & ſingulis animabus cum quibus debet eſſe anima vna & cor vnum, quia miſericordia ſua eſt à progenie in progenies timentibus eum. Cantet rurſus anima mea magnificans Dominum. Primò ſuper iudicio, quia depoſuit potentes de ſede. Dehinc ſuper miſericordia, quia exaltauit humiles. Fiat iterum conuerſio de miſericordia, in iudicium, quia eſurientes impleuit bonis. Ecce miſericordiam. Et de iudicio ſequitur, quia diuites dimiſit inanes. Sola poſtremò miſericordia ſicut ab initio decantetur. Quia ſuſcepit Iſraël puerum ſuum recordatus miſericordiæ ſuæ. Appoſuit ab initio magnificare ſe Lucifer ſuper cœlum, & Adam poſtea ſuper terram. Tu verò beata noſtra contrario modo magnificare cœpiſti, non te, ſed Dominum. Vide anima mea ſi verè magnificas Dominum. Si ſis humilis ancilla ſua, non diaboli ſerua, non iræ filia. Horrendum nimis eſt dictum ad Iudæos: Vos ex parte diabolo eſtis. Et iterum: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Proditor igitur domini ſui, non magnificator. Vide anima mea ne magnifices Deum verbis, factis autem neges, vilifices & blaſphemes. Dilige ſalutare Dei, confitere peccata tua & dic, ſemper magnificetur Dominus. Nolo ſolam te cogitaueris, nolo cæteros excluſeris. Exhortare potius cum exultatione ſpiritus: Magnificate Dominũ mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Magnificatio tua ſit omnium communis, & omniũ ſit tua ſpecialis. Ita enim decet fieri magnificationem vnam ſicut eſt cor vnum & anima vna. Si cecinerimus magnificantes Dominum, præuenient nos principes angeli noſtri coniuncti pſallẽtibus. Si ô anima mea talis qualiũ in medio ſunt idẽ principes. Sis tympaniſtria quia ſunt in medio iuuẽcularum

tympaniſtriarum. Adoleſcentulæ ſunt iſtæ Domine Deus ſalutaris meus, quæ dilexerunt te nimis, quæ per mortificationem carnis innouatæ ſuauiter tympanizant. O ſi depoſito onere veteris hominis qui nos tyrannizat qui nos in carcerem mittit, vt Herodes Petrum, qui nos tradit quatuor paſſionibus carnis noſtræ, quaſi totidem quaternionibus. Eſt enim quælibet in quatuor qualibet. Qui cathenis alligat duabus, quæ ſunt amor voluptatis & vanitatis. O ſi nos inter hæc mala ſopitos, diſcinctos, diſcalciatos præueniat, vel vnus de principibus iſtis. O ſi angelus aſtet, fulgeat, pulſet, ſurgere clamet, ſoluat & educat, libertatique relinquat. O ſi tunc iubilo cordis in magnificatione animæ, in exultatione ſpiritus cantare licebit. Nunc ſcio verè quia miſit Dominus angelum ſuum & eripuit me. Tanta eſt dignitas tua ô anima mea, tanta quod ab exordio creationis tuæ tibi tuæque cuſtodiæ deputatus eſt angelus vnus de principibus cœli, qui depoſitis potentibus in ſua ſuperbia de ſede dignitatis, ipſe humiliatus ſub Domino proprio & ſupremo exaltatus eſt, magnificans non proprium Dominum, ſed dominantis maieſtatis imperium. Denique datus eſt tibi, quatenus ſe rectore, ſe duce, ſuſcitet te Dominus de puluere & ſtercoroſo corpore, vt collet te cum ipſo principe tuo, cæteriſque principibus populi ſui, & ſolium gloriæ teneas in palatio Dei. Caue precor ô anima mea, ne ipſi ſis ingrata tanto principi tuo. Nolo turpiter in oculis ſuis viuere, noli vilis offendere, noli præſentiam ſuam à te moleſtis actibus iniurioſa repellere. Væ tibi, væ ſi eo longè ſtante vim faciant & impulſum, qui te quærunt perdere, ſeducere & deuorare. Qua tunc virtute reſiſtere, qua poteris aut ſcies induſtria, ſola, miſerabilis, cæca, nuda, pauper euadere? Confide nihilominus etiam ſi ambulaueris in medio vmbræ mortis, ſi vincta fueris in mendicitate & ferro, princeps tuus pius & cuſtos eſt tuus tibi nuncius id eſt angelus præueniet te frequenter, aſtabit, fulgebit, percuſſoque latere tuo (quod eſt ſyndereſis) acclamabit. Surge velociter per ſpem, circunda tibi veſtimentum tuum per operationem, præcingere per diſciplinam. Calcea te in præparationem euangelij pacis per obedientiam. Tunc cathenæ conſuetudinis malè cadent de manibus tuis, vt poſſis bene agere. Educet te de medio duorum militum, timore & dolore, & hoc infra te. Tranſibitis ipſe & tu primam & ſecundam cuſtodiam noctis circa carcerem. Ecce ſunt hi cuſtodes, mundi tentationes in deſiderijs & læticijs vanis, quos bona ſpes tranſit & læticia ſpiritualis. Venietis ad portam ferream. Hæc eſt diabolica cuſtodia tertia, quæ viſo angelo diſcedet vltro viam faciens tranſituris. Tranſibitis vicum vnum diſtrictum & longum & rectum. Hæc eſt ſancta meditatio de diuinis poſt ſatisfactionem de peccatis. Hic te videbitur relinquere ductor tuus, quia ſoli Deo per contemplationem tunc aſſiſtis, & hærebis ſola ſoli, vnica vnico, quid eſt enim contemplatio, niſi aſſiſtentia coram Deo? & hoc in ſecreto ſolitudinis, in ſereno luminis diuini, in amœno pacis. Poſtquam ſaluum te fecerit à puſilanimitate
A
ſpiritus per ſecuritatem, & à tempeſtate, per tranquillitatem, poſtquam indicauerit tibi vbi paſcat, vbi cubet in meridie. Tunc pſalles ex ſententia: Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Denique ſi priora reſpexeris quaſi tibi ſobriè reddita, & rediens à mentis exceſſu ſuſpirabunda gratáque cantabis: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus angelum ſuum.

Deinceps iam conaberis redire ad ipſum familiaris eſſe, ſatagens amplius & amplius
B
principi tuo angelo bono, cuius præuentionem in medijs peccatorum tenebris, in obliuione torpida, diuinæ & ſuæ pietatis experiri datum eſt. Abſit vt aliquando immemor ſis liberationis ſuæ. Caue ſic poſtmodum eſſe mortua in corde tuo. Abſit vt gaudium ſuum ſuorumque, quod habuit in pœnitentiali ſolutione tua, perdas vnquam vel minuas. Dic ſedulò, dic toto cordis incendio ad miniſtrum tuum qui totus eſt ignis Dei, quia miniſtros ſuos facit ignem
C
vrentem id eſt Vriel, dic, angele qui meus es cuſtos pietate ſuperna, me tibi commiſſum ſerua, defende, guberna.

Paruulos honora qui tales angelos habent. Doce ſimiliter eos credere, honorare proprios angelos qui vident omnia quæ faciunt. Caueant eis ſpectantibus agere turpia, quæ videntibus hominibus facere non auderent. Aſſueſcat orare ſæpius quilibet bonum angelum ſuum modo prædicto vel ſimili, cancellatis manibus
D
ſuper cor & pectus ſtringens. Dicat ex affectu magno paruulus corpore: Mi bone angele, cuſtodi me bene (*Mon bon ange garde moy bien.*) Sic imbibat noua teſta quem vetus ſeruet odorem. Lactet ab vberibus pietatem religionis ad Deum & angelum ſuum, ſicut infans Agnés Ieſum. Non enim parum refert pueros ſic vel ſic affici. Loquor expertus, cuidam infanti pater effigiauit ſe contra parietem in modum crucifixi, dicens; Vide fili mi, quia ſic fuit crucifixus & mortuus Deus tuus qui te
E
fecit & ſaluauit. Manſit hoc exemplar puero vt habuit memoriam illa ætas, illa anima, ſpeculum ad hunc mundum manſit vſque in ſenectam & ſenium creſcens creſcentibus annis. Benedictus pater iſte pius, quoniam dies exaltatiotionis ſánctæ crucis fuit dies obitus ſui, quo obuiam ijt Chriſto per crucis humiliationem ſublimiter exaltatus.

Audis an libenter obſecro te domina angelorum pium de tuis angelis ſoliloquium ſimul &
F
preconium? Audis profectò, immò nudè conſpicis, complaces & approbas. Pijſſima quoque verbum de pietate collaudes, neque ſinas irremuneratam cuiuſlibet ad angelos abire deuotionem, non magnificentiam animæ, non exultationem ſpiritus in recordatione.

Quid porrò dicemus: O regina cœlorum, ô domina angelorum, quid de filio tuo qui vocatus eſt magni conſilij angelus? Conſilium illud magnum & antiquum, per ipſum verbum fuit nunciatum & expletum.

Si mater es principis, immo creatoris

angelorum,

Digitized by Google

angelorum, Si mater es illius qui totiens nominatur Dominus exercituum, dominuſque virtutum, qui electus eſt ex milibus tam angelorum quam ſanctorum. Cuius currus decem milibus multiplex, iure ſupereſt, vt exaltata ſis ſuper choros angelorum, vt audias à filio tuo: Equitatui meo aſſimilaui te, qui tibi me pacificaui, tibi me humiliaui, paulominus in hoc ab angelis minor factus. Sic humiliatus in te, & me & te ſuperexaltaui, vt in nomine Ieſu & Mariæ omne genu flectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorum.

Beatus ille cui beata dederis affectum diligendi te, honorandi te, loqui de te, cantandi tecum: Magnificat anima mea Dominum. Salutandi te: Aue Maria gratia plena Dominus tecum. Benedicendi te ſuper omnes mulieres, confitendi & laudandi, quia benedictus fructus ventris tuis Ieſus amen.

Beatus cui beata ſpiraueris affectum petitionis ſeptiformis, ab angelo magni conſilij filio tuo deſcendentis. Pete in primis triplicem nobis beatitudinem, obiectalem in ſanctificatione nominis ſui, formalem in aduentu regni ſui, virtualem in adimpletione beneplaciti ſui. Deinde prouentum cuiuſlibet rei neceſſariç corpori vel animæ in pane quotidiano & ſuperſubſtantiali. Denique remotionis impedimenti ſit illud culpa: Dimitte nobis debita noſtra. Sit illud pugna: Et ne nos inducas in intentationem. Et illud pœna & miſeria: Sed libera nos à malo.

Beatus cui tu beata fidem dederis (quæ per dilectionem operatur, credere in Deum cum cçteris ſecundum diuinitatem & humanitatem articulis.

Beatus inſuper & magnificans & magnificus, ſi aſtantibus angelis tuis in illuminatione vultus ſui, ſi pulſantibus ſi vocantibus nos magnificabit anima mea Dominum, exultabit ſpiritus noſter in Deo ſalutari ſuo. Si reſpiciet Dominus humilitatem ancillæ ſuæ animæ noſtræ. Si beatificabit apud omnes generationes beatorum in cœlis, ſanctificans in nobis nomen ſanctum ſuum, & hoc quoad impletionem præceptorum & oſculum pedum ſecundum animalem obedientium ſtatum. Si præterea ſoluerit angelus tuus bonus colligationes infirmitatum noſtrarum. Si nos eduxerit à tenebris tot phantaſmatum & cuſtodiarum. Si portam ferream aperuerit, vt nos in primis canentes ſuſcipiat angelus magni conſilij Chriſtus ad oſculum manus, per gratiarum actiones, quia timentibus miſericordiam quia humilibus exaltationem quia eſurientibus impletionem bonorum benignè largitus eſt, ſuperbis diſperſis potentibus depoſitis diuitibus inanitis, & hoc quoad rationalem ſtatum. Si poſtremò deſerit ipſe magni conſilij angelus, liberos in lege perfectç libertatis ſub actione vel impulſu ſui ſpiritus, tanquam in ſtatu perfectionis & filialis adoptionis & in oſculo oris. Nam qui ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei, hi ſubleuatis oculis poſt contemplationem & mentis exceſſum nihil vident niſi ſolum Ieſum, ſolam ſalutem, ſolam miſericordiæ recordationem, Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham, qui diem eius vidit & gauiſus eſt.

Et ſemen eius in ſecula. Tunc fiet in quolibet tali, quem ita dignatus fueris angelorum domina. Viue Deo purus velut hiç & nunc moriturus, imò verò iam mortuus toti mundo, viuens ſoli ſoliloquium meum & angelorum Domino Deo ſalutari ſuo.

Complacitum tibi ſit ô beata beatorũ, ô domina angelorum, quia ita ſoliloquium meum conformiter agito ad canticum tuum conformiter ad aliud drachma meum, de pulſibus & officijs beatorum angelorum, contra depoſitorum potentum tot violentos tot fradulentos malignantes impulſus.

Conformiter rurſus ad liberationem Petri, inſuper ad ſeptemplicem induſtriam, quæ verſatur in recordatione Dei, in recognitione ſtatus proprij, in debellatione aduerſarij, in impletione diuini præcepti, dehinc in meditatione in ſpeculatione, in contemplatione aut beatifica viſione. Nihil itaque dulcius, nihil ſuauius, quam conſone tibi dicere vel viuere cuius ſpiritus ſuper mel dulcis, quæ ſuauiſſima facta es in delicijs, quæ mater es pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis & ſanctæ ſpei. Quanta ſententia, ſapientiſſima fœminarum, latet hic in paucis verbis. Sunt iſta æternæ ſapientiæ vbera, cui tu vnigenito à patre æternaliter & à te temporaliter præbuiſti vbera tua. Sunt nihilominus iſta creatæ ſapientiæ verba propriè angelorum qui ab initio creati ſunt in ſapientia Dei, quoad imaginem, quoad ſimilitudinem fiũt ipſis originaliter inſpirata. Omnia ſiquidem in ſapientia fecit, ſed & refecit in ſapientia, quç primitus incarnata, poſtmodum (vt ita dixerim) voluit impanari, quia panis vitæ fieri.

Non eſt iam ô anima mea quid excuſationis inuenias. Si quæritur à te flente, vbi eſt Deus? Reſpice in ſacramentum altaris, dic tota fiducia: Iſte eſt Deus meus, iſte frater, iſte dilectus ex dilecto. Et ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem, iſte cui aſtant angelorum chori, iſte qui facit angelos ſuos ſpiritus, iſte qui miſit angelum ſuum Petro, & eripuit eum de omni expectatione plebis Iudæorũ. Vellem ex te cogitare Petre quo nomine vocabatur angelus tuus ille bonus qui aſtitit & refulſit in habitaculo carceris. Da veniam ſi curioſus interrogo. Habemus nomen illius qui Thobiam duxit & reduxit, quia Raphaël medicina Dei ſecundum nomen & officium eius. Nempe liberauit ipſum à deuoratione piſcis, cuius mors multis vſibus vtilis fuit. Iunxit Saræ coniugio dæmone fugato virorum ſeptem necatore. Reddidit patri ſeniori viſum luminis, ſimul & ſpiritum contulit prophetandi, quæ omnia plena ſunt myſterijs. Habemus nomẽ principis ſynagogæ & nunc eccleſiæ Michaëlem, qui vt Deus pro filijs populi ſui ſtat, qui primitus in cœlo fecit ruinam diaboli magnam & angelorum eius. Qui mulierem illam ſignum magnum in cœlo amictã ſole & luna ſub pedibus eius & in capite eius corona ſtellarum duodecim, protexit à dracone ſeptem capitum, liberauit filium quem peperit & collocauit in throno Dei, dedit mulieri alas ſicut aquilæ vt volaret, non abſorpta ea ab aqua draconis, ſed vt in ſolitudine nutriretur. Non proſequimur per ſingula. Habemus nomen

illius angeli qui ad te miſſus eſt virginem deſponſatam viro &c. Appellabatur hic Gabriel fortitudo Dei, quia forti mulieri quam Salomon inquirebat, deputatus eſt, quia fortiorem forti armato nunciabit tibi, quia ſingulariter ad opera fortis noſtræ ſaluationis ordinatus fuiſſe probabiliter æſtimatur.

Sicut in prophetia ad Danielem in reuelatione confortatiua & directiua ad Ioſeph ſponſum tuum virginalem. In nunciatione Ioannis ad Zachariam, in cantico cœleſti ad paſtores, in monitione ne redirent ad Herodem, ad reges, in reſurrectionis nunciatione ad mulieres. Habemus pro inde nomen illius angeli qui purgauit Eſaiæ labia per calculum de altari, vocatus eſt Seraphin ab incendio.

Habemus de Cherubin dictis à plenitudine ſcientiæ in animalibus & rotis Ezechielis. Nunc pijſſime quæro Petre, quod erat nomen angeli te liberantis, quem angelum proprium fuiſſe cuſtodem tuum fas credere eſt nobis. Dicitur in apocryphis Eſdræ ſermo nobis fieri de Vriel angelo, cuius interpretatio ſonat ignis Dei. Vr ſiquidem ignis, el Deus. Benedictiſſime Deus liceat nobis cuius ignis eſt in Sion & caminus in Hieruſalem, in cuius dextera eſt ignea lex, cuius eloquium ignitum vehementer, immo qui totus ignis conſumens es. Cuius denique iſta vox eſt: Ignem veni mittere in terram, Et quid volo niſi vt ardeat? Liceat angelum tuum ô Petre, liceat & quemlibet aliorum viatoribus ſingulis deputatum Vriel appellare, cuius officium eſt ſuauiter vrere renes & cor noſtrum, conſumere ſordes vitiorum, ſuccendere totum cor ad virtutes, ſacrificare pietatis holocauſtum, quod eſt in odorem Domino ſuauiſſimum.

Poteſt nec negamus ſufficere nomen angeli, quia nuncius Domini eſt, ſed addere videtur aliquid quod angelus iſte ſit ſpiritus & flamma ignis, quia fulget in intellectu & ardet in affectu. Subleuauit angelus ſpiritus Heliam igneo curru, qui prius ambos quinquagenarios è cœlo deſcendens incenderat. Data fuit lex per angelos in manu mediatoris, quantus verò flagrauerit ignis loquitur hiſtoria. Cuſtos erat paradiſi flammeus enſis. Deſcendit denique ſpiritusſanctus ſuper Apoſtolos in igneis linguis factus Vriel in ſingulis. Quid eſt quod Vriel iſte redigit quos inflammat in cinerem per timorem & humilitatem ſpiritus, mollit per pietatem & mititatem contra cordis duriciem lapideam, reſoluit in luctum per propriæ fragilitatis ſcientiam, corroborat per decoctionem & humoris fluidi reſolutionem, vnde venit apud animam fames & ſitis congrua, tractabilem reddit ad conſilium & miſericordiam ſubtiliat & purificat cor ad intelligentiam. Demum ſaporem & internam pacem efficit per renouationem iuuentutis ſicut aquilæ, ſicut ceruorum, ſicut accipitris, vt ſerpentis. Notæ ſunt ſimilitudines iſtæ quales per metaphoram operatur in nobis Vriel noſter, ſi non obſtiterit ipſi animus noſter anima noſtra cum corde ſimul & ſpiritu.

Studioſitas theologorum quærit plurima de cuſtodijs circa nos angelorum. Si nos vnquam deſerunt. Si nos ſaluandos præſciunt aut dam-
A nandos: Si Chriſtus magni conſilij angelus (cui miniſtrauerunt angeli poſt ieiunium, quem & angelus in agonia confortauit) habuit angelum pro cuſtodia? Similiter ſi talem habuerit domina nunc angelorum futura? Si deerit antichriſto cuſtos angelus? Nunquid angelus bonus loqui poteſt animæ noſtræ ſine phantaſmatum ſimulacris, quia de ordinatione phantaſmatum per angelum, & impedimentorum remotione non eſt dubium. Eſt enim modus iſte ordinarius pro ſtatu viæ qualiter erudit magiſter diſcipulum pro-
B ponendo per ordinem doctrinam cognoſcendorum iuxta modum capacitatis ſuæ. Si boni angeli ſunt incitatores ad bonum, ſicut mali dicuntur incitatores ad malum? Si cauſent radium vel lumen ſpiritui noſtro? Si cogitationes noſtras inſpiciunt? Quis numerus angelorum? Sit hæc ſtudioſitas theologis accommoda. Deſit autem curioſitas ab omnibus quos decet amplius ſtudere deuotioni quam ſubtili ſpeculationi. Certum habeat vnuſquiſque ſeruiens Deo,
C quoniam omnes ſunt ſecundum apoſtolum, adminiſtratorij ſpiritus, & hoc mediatè vel immediatè, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Qui verò capiunt & quot noli quærere ſi non vis errare. Certus eſto ſi benè vixeris ſub lege magni angeli & cuſtodia ſuorum angelorum, quorum domina eſt Maria, ſaluus eris ſocius eorum factus in æuum.

Studeamus igitur plus bene viuere quam diſputare. Sis ô Chriſtiane ſpiritus aſſiduè paratus ad mortem. Viue Deo purus velut hic & nunc
D moriturus. Erat vnus inſignis cauſidicus in articulo mortis, dixit confeſſor, vt voce qua poſſet diceret ſeptem pſalmos. Venit ad verſum illum. Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Cœpit arguere more ſuo qualiter illud ſtare non poterat. Nam & ipſe moriens memor erat Dei. Subintulit confeſſor. O Domine tempus eſt pœnitendi & orandi non diſputandi. Reſpicit omnes hæc narratio, quoniam media vita in morte ſumus. Angelicum potius implore-
E mus auxilium quam de modis auxiliandi diſputemus? Sciunt aduocandi, ſciunt auxiliandi, ſciunt conſulendi, ſciunt purgandi, illuminandi & perficiendi ſuum hierarchicum triplex officium. Non eſt ægroti velle medicantis artem, neque litigantis aduocati ſcientiam perſcrutari, maximè dum conſtiterit ſuper vtroque fidelis & prudens, fidelis ne decipere velit, prudens ne decipi poſſit quales ſunt angeli. Deputet autem anima quælibet Chriſtiana magno Dei dono, ſi ſe ſenſerit affectam ad aliquem ſanctorum, nominatim ad
F proprium angelum reuerenter, piè & humiliter. Deputet hoc beneficio tuo ô domina angelorum. Magnificet tecum ſuper iſta talis anima dum pſallat in conſpectu angelorum Dominum, miniſtret incenſum deuotæ orationis quod offerat Deo ſalutari noſtro. Prætetea non timuerit inuidiam facere anima Chriſtiana cæteris, ſi forte fuerit ad vnum quam ad alterum deuotio, ſi fiducialior ad quem piam, ſi frequentior ſit recurſus. Sunt repleti charitate non inuenit locum inuidia, non quærit quæ ſua ſunt. Omnia deputant

Digitized by Google

deputant cõmunia. Recurſus eſt ad Stephanum, recurſus eſt ad Petrum, Ioannem, Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, Vrielem, Mariam, Martham, cum cæteris. Tuam enim in communi recipiunt orationem vnifuſam, dum modo par vtrinque deuotio, tuum optant meritum, non honorem à te ſuum. Quid enim ipſis eſt in cœlo, quæ gloria, quæ laus, quæ magnificentia eſt ab omnibus, quid volunt ſuper terram? Argue tibi ſic. O anima Chriſtiana dum impellit te ſpiritus ſuperbiæ ſuper vanitatibus tranſituris. Si glorificanda, ſiue ſi magnificanda à Domino in æternitate qui ſemper & vbique gloriam meam dicet. Quid mihi de punctali & vmbratili gloria ſuper terram? Si verò iuſto (quod auertat Dei pietas) iudicio damnandus ſum, totus honor impenſus ab hominibus plus ad tormentum mihi cedet quam ſolatium. Plus inde blaſphemabit anima mea Dominum plus exiliet furens ſpiritus in Deum, quia non fuit ſalutare ſuum, plus exardeſcent inuidi dæmones animam cruciare quò plus in bonum ſenſerunt honorati.

Agite quod veſtrum eſt miniſterium ſancti angeli Dei. Depoſitum veſtrum ſeruate. Poterit omnipotens Dominus homines per ſe cuſtodire, quos poſſedit, fecit & creauit. Sed voluit ſecundum legem ſapientiæ ſuæ quod nos inferiores reduceremur ad ipſum ſupremum per vos mediatores. Voluit oſtendere maieſtatem potentiæ ſuæ, magnificentiam gloriæ ſuæ, quia tales habet virtutes & exercitus militantes ſibi vnde nominatur Dominus exercituum & virtutum. Voluit communicare bonitatem ſimul cum virtute vobis angelis ſuis, vt illam nedum recipientes in vobis, ſed in alios communicare poſſetis, audebo dicere deberetis.

Si Deus ita res adminiſtrat vt eas agere proprios motus ſinat, imo iubet ſecundum ordinem iuſticiæ ſuæ. Veſtri autem proprij motus angelici ſpiritus, ſunt cuſtodire viatores magna nobis fiducia datur in veſtræ charitatis auxilio, ſi domina, ſi regina noſtra, ſi mater, ſi ſoror noſtra; gratum erit vobis ſemper tales filios & fratres dirigere, protegere & ſaluare, maximè quia ſumus futuri ciues veſtri. Si tanto fur ore ſatagit nos ſathanas impellere, ſeducere & proterere, tantus amor veſter conabitur amplius per impulſus bonos nos ſaluare.

Debilis eſt oratio noſtra, pauper, fragilis, balbutiens, ceſpitans & cæca, ſi non fulciatur & illuminetur à vobis, ſi non loquelam placentam & aptam loco eius feceritis in neceſſitatibus noſtris. Si non ipſam egenam & mendicam deduxeritis oſtiatim per vicos ciuitatis ſanctæ Hieruſalem qui ſunt ordines veſtri, qui ſunt ſanctorum ſanctarumque omnium chori varij, qui plateæ patentes omnibus ad miſericordiam. Clamate nobiſcum & nobis. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, cum cæteris petitionibus, cum modis petendi, quærendi & præſtandi per vniuerſæ ſcripturæ contextum, præcipuè euangelicum, nobis in exemplum datum.

Sed & fratres habemus in purgatorio carceratos ſub manu iuſticiæ, futuri protinus ſunt conſortes veſtri, immo ſunt iam per gratiam confirmati. Viſitet eos pietas veſtra, conſoletur ſedulitas veſtra, ſalutare ſingulos vice noſtra. Suggerite vt memores noſtri ſint dum bene ſibi fuerit. Inſinuate quomodo nos memores ipſorum ſumus, quatenus inde conſolationem accipiant.

Sunt nobis viatoribus aduerſantes, mundus, caro, dæmonia. Vos potentiores excubiæ, ſtate pro nobis in acie. Sunt incommoda nobis plurima ratione corporis, nunc ab elementis per intemperiem, nunc à cœleſtibus influentijs propter materialem ad influxus ſuos ſuſtinendos vitæ indiſpoſitionem. Fas habetis in melius naturalia etiam incommoda vertere, ſi naturalia poſſunt dæmones bona frequenter in deterius, quãtum diuina prouidentia, & quantum veſtra cuſtodia permiſerit, immutare. Sęuiunt autem perfidi & homicidæ, ſi & dum permittitur eis, ſæuiunt tunc toto malignitatis ardore, quod ſi non aſtiteritis adiutores in oportunitatibus, in tribulatione quis ſubſiſtet?

Tradiderunt gentiles nos habere ab hora conceptionis quemlibet vnum ſuum genium, qui cum moriente deficiat. Stulti dicebant genium eſſe Deum, qui & fata fortunamque Deos faciebant. Prudentiores genium ad inclinationes nobis corporaliter impreſſas à cœleſtibus referebãt. Cum autem huiuſmodi inclinationes nobis corporaliter quædam & commodæ ſint, duplex genius erit nobis, bonus & malus. Aſſumunt perfidi dæmones ad noſtram vtrumque perniciem. Veſtrum verò eſt angelicæ virtutes, principatus & poteſtates, ex aduerſo pro ſalute noſtra, à dextris & à ſiniſtris, omnia in bonum deducere, ſi pij, ſi deuoti, ſi ſeduli quæſiuerimus opem veſtram quam quærere præmonetis ſæpe, præuenientes in nos benedictionibus dulcedinis.

Dormiebat Petrus, non orabat aliquem ex angelis, factum eſt tamen illud quod ſupra tractauimus in exemplum noſtrum & angelicum præconium. Angelus aſtat, fulget, pulſat, ſurgere clamat. Soluit & educit libertatique relinquit.

Sed ecce dum meditatio noſtra protenditur in longius, frater aſtat pulſans ad oſtiolum ſolitudinis noſtræ, quæſiturus, arbitror, venit ſuper plurimis quæ de cantico noſtro tractanda ſuperſunt, præcipuè ſuper eo quod ſequitur: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Non me fallit æſtimatio. Sumit ab hoc verſu principium colloquendi. Et nos parebimus inquirenti. Concentus eſt centilogium de impulſibus conſedebimus ſit in medio noſtri Ieſus Chriſtus Dominus noſter.

TRACTATVS NONVS DE EVCHARISTIA DRAGMATICVS SVPER *illud: Eſurientes impleuit bonis, per quinque partitiones. Prima partitio procedit per dialogum per notulas centum.*

ESVRIENTES *impleuit bonis. Diſcipul.* Si ita res ſe habet eſuriam obſecro, quatenus impleat me Dominus bonis, diues non fiam quæſo ne dimittar inanis, eſurio nihilominus in hoc cantico noſſe quid contemplabatur anima Mariæ ſuper hac eſurie. *Magiſter.* Legis de diuina ſapientia dictum ex perſona ſua: Qui edunt me adhuc eſurient

Digitized by Google

& qui bibunt me adhuc ſitient. Eſt igitur eſuries & ſitis aliqua non corporalis quam experiuntur & bruta, ſed ſpiritualis, quæ eſt fames non panis materialis, ſed audiendi verbum Dei, quod eſt ſapientia Dei patris procedẽs ex ore eius in quo viuit interior homo noſter. *Diſcip.* Vide ne diſſona ſibi ſit hæc expoſitio. Etenim ſi edentes & bibentes ſapientiam adhuc eſurient & ſitient, quomodo dicuntur hi repleri bonis: Sitis quoque & fames dicunt vacuitatis indigentiam nõ plenitudinem ſatietatis. Nonne ſapientiæ fons & fluuius eſt iſta ſalutaris aqua, quam qui biberint nõ ſitiẽt in æternum? Non autem cohærere videntur ſitiet adhuc & non ſitiet in æternum. *Magiſt.* Erras neſciens diuerſimodè dici ſatietatem ſitim & eſuriem ſapientiæ ſeu & iuſticiæ. *Diſc.* Non poterit hoc aptius fieri quam per deſcriptionem reſolutionemque terminorum iuxta morem tuum. Dic igitur quid ſit eſuries quid ſatietas ſapientiæ. Et quid oppoſita ſatietas diuitũ, quid ſit inanitas eorundem conſequenter apparebit. *Mag.* Eſuries in genere deſcribitur, quod eſt amor vel appetitus rei vt conuenientis & abſentis. Et ſi amor ſequitur apprehenſionem intellectualem ſeu rationalem de qua ad propoſitum, tunc addendum eſt in deſcriptione tanquam pro differentia, quod eſuries eſt amor conſequens apprehenſionem rationalem rei ſibi cõuenientis & abſentis vel vt conuenientis & abſentis. Satietas ſibi correſpondens eſt amor conſequens apprehenſionem rationalẽ rei vt conuenientis coniunctæ ſeu pręſentis. *Diſ.* Differũt ergo ſatietas & eſuries ſicut amor & deſiderium, quorum ſunt oppoſitę rationes, quia amor pręſentis eſt, deſiderium verò reſpicit ad futurum. *Mag.* Inuenimus eſuriem & ſitim dici non tantummodo de abſenti vel futuro, ſed etiam de pręſenti iã habito quod auidè ſumitur ſine penuria, propterea non tollit ſatietatem. Rurſus auiditas ipſa tollit faſtidium, quaſi nouũ ſemper accipiens quod habet & amet id eſt cupiat. Vnde dicitur auiditas quam cupit ſimile habere & tenere. Sic habes in proſa. Fruũtur nec faſtidiũt quo frui magis ſitiunt. Exemplũ eſt in voraciter edentibus & bibentibus, quia ſatisfaciũt deſiderio, neq; protinus illud faſtidiũt quouſq; fiat alteratio virtutis appetentis in aliam qualitatem. *Diſcipulus.* Exẽplis conſentio. Sed vnde venit nauſea vel faſtidiũ ſpirituali fruitioni cum anima ſit immortalis nec alterabilis in eſſentia ſua? *Magiſter.* Prouenit hoc ex coniunctione cum corpore. Poteſt etiam in ſeparatis ſpiritibus cum non fuerint confirmati variatio cognitionum ſimul & affectionum ſuboriri. Secus in confirmatis quos fruitio diuinitatis iugiter eodem tenore quaſi ſemper renouato delectabit & implebit. Quam rem poſtulat eccleſia poſt communionem orans: Fac nos quæſumus domine diuinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam precioſi corporis & ſanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. *Diſcipulus.* Audio nunc quam conſonè dicit Chriſtus ad hoc canticum: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniã ipſi ſaturabuntur. Et Pſal. Edent pauperes & ſaturabũtur. Et alio cantico: Famelici ſaturati ſunt. *Magiſter.* Nondum forte ſenſiſti quorſum te ducere poſſunt hæc cantica. *Diſcipulus.* Quorſum precor?

Magiſter. Siquidem ad compendioſam totius beatitudinis **A** cognitionem. *Diſcipulus.* Quonam modo? *Magiſter.* Paucis accipe. Si eſurientes implentur bonis, ſi ideo beati ſunt quia eſuriunt iuſticiam, cum additur quia ſaturabuntur, ſi beatitudo nihil aliud ſit quam Dei fruitio quod eſt omne bonum, nonne conſequens eſt quod eſurientes de quibus Maria loquitur ſint beati? *Diſcipulus.* Conſequens eſt fateor niſi de beatitudine fiat ſermo æquiuocus. *Magiſter.* Deſcribamus quid ſit fruitio Dei, quatenus æquiuocatio nulla latere poſſit. Eſt itaque fruitio Dei operatio ſecundum **B** habitum gratiæ gratificantis non impedita. *Diſcipulus.* Grauis eſt deſcriptio hæc magiſtralis, ſed vide ne cadas in illud, dum breuis eſſe volo obſcurus fio. *Magiſter.* Non tantum magiſtralis eſt hæc deſcriptio, ſed Phyſicalis, quamuis de terminis ſit contexta Theologicis. Deſcribit enim Pſal. delectationem, quod eſt operatio ſecundum naturalem habitum non impedita. Conſtat autem quod fruitio Dei delectatio eſt aut non ſine delectatione. Fruimur (inquit Auguſtinus) **C** cognitis, in quibus ipſis propter ſe mẽs delectata quieſcit. *Diſcipulus.* Eluceſcere tenuiter incipit proportionalis ad tuam philoſophi deſcriptio. Sed habet vtramque dubitationem, quo pacto deſcribitur delectatio per operationem, cum delectatio ſit paſſio quædam mulcebris ad operationem conſequens & non operatio. Ratio, qua fit operatio quaſi exprimendo delectatio autem velut imprimendo. Exemplum in pueris lactantibus, vnde nomen delectationis & oblectationis tractum eſt, puer exprimit ſe ad vbera, **D** vnde lac imprimitur in os eius. *Magiſter.* Conquiſitio tua videtur à philoſopho ſine deciſione dimiſſa. Sed ſaluemus vtrarumque viam dicentes, quod ſi delectatio ſit aliud ab operatione cauſatur tamen ab operatione, & ita deſcriptiones dictæ ſunt datæ per cauſam, quaſi diceremus: Delectatio eſt ex operatione ſecundum habitum connaturalem non impedita, ſimiliter de fruitione ſuo modo. *Diſcipulus.* Sit ita vt dicis. Non enim placet in hac re litigium. At tamen **E** non habetur intentum quod fruitio Dei ſub tali deſcriptione ſit beatitudo. Conuenit enim viatoribus per gratiam Deo fruentibus.

Magiſter. Poterat mox explanari tua dubitatio ſi voluerimus diſtinguere duplicem beatitudinem, vnam ſpei, alteram rei, vnam gratiæ alteram gloriæ, qualis diſtinctio communis eſt & accepta.

Aut ſi volumus ad beatitudinem gloriæ ſermonem contrahere, patietur hoc ipſa additio qua dicitur non impedita, hoc nempe non implebitur **F** perfectè niſi in gloria quæ eſt gratia conſummata nullatenus impedita. *Diſcipulus.* Malo amplecti fateor diſtinctionem de duplici beatitudine. Similiter quod duplex eſt fruitio viæ ſcilicet & patriæ, ſcrupulus tamen ingeritur ex præſenti dicto tuo, quia nulla eſt hic operatio ſecundum habitum gratiæ gratificantis quæ non impedimentum patiatur.

Magiſter. Et patitur ſcimus, ſed non ſemper tale quod tollat fruitionis Dei rationem. Vnde quadruplex in genere numeratur impedimẽtum frutionis

Digitized by Google

fruitionis actualis. Vnum cauſat neceſſitas, alterum fragilitas, tertium vanitas, quartum iniqui- A
tas. Cauſa prima eſt tolerabilis, ſecunda miſerabilis, tertia punibilis quarta damnabilis. Prima interrumpit fruitionem, ſed nõ eſſe morali ſeu meritorio habitu gratiæ remanente. In ſecunda fruſtratur actus fruitionis. In tertia ſordidatur vt leproſi pannus propter veniales culpas quæ ſunt ligna cremabilia, fœnum, ſtipula. Quarta verò totum deſtruit & eradicat fundamẽtum. *Diſcipulus.* Nota loqueris, adde qualia ſunt adiutoria. *Magiſter.* Nimirum conatus libertatis multiplex. Inſuper habitus acquiſitus ex actuum frequentatione B
bonorum. Iuuat præterea roboratio vel augmentum habitus gratiæ gratificantis tam in ſe quam in ſuis ramificationibus per virtutes dona & beatitudines. Denique per ablationem impedimentorum intus & extra diuinitus per angelos aut humana induſtria in corpore & anima comparatam. *Diſcipulus.* Latam aperuiſti materiam quam coarctes oro. *Magiſter.* Si cupis agnoſcere præcipuum fruitionis Dei pro ſtatu viæ nutrimentum & feruoris incentiuum, quid vel quale potero C
conuenientius exponere quam euchariſtiæ ſacramentum? Hoc eſt ſacræ communionis myſterium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Hoc exclamando canit ſancta eccleſia: Hinc ſuperaddit O quam bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in nobis, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cœlo præſtito, eſurientes impleuit bonis, faſtidioſos diuites dimiſit inanes. D
Diſcipulus. Sanctum pulchrum & conſonum das fruitionis auxilium, de quo fiat obſecro collocutio inter nos prolixiori, quos ordinauit Deus eſſe regale ſacerdotium. *Magiſter.* Fiat vt voles, cui quærenti reſponſiones adijciam. *Diſcipul.* Dic in primis ſi beata noſtra iſto fuerit vſa ſacramentali cibo dum viueret maximè in illo cœnaculo grãdi ſtrato mõtis Sion, vbi primitus exhibita eſt inſtitutio huius ſacramẽti quod ante fuit prædicatum dicentibus multis & retro abeuntibus. Durus eſt hic ſermo, cui prædicationi probabile eſt inter- E
fuiſſe Mariam. *Magiſter.* Probabile, quia ſequebatur filium tunc vnicum cuſtodem ſuum (ſicut loquimur) pede poſt pedem. Probabilia inſuper ſũt plurima de & ſuper hac beata beatarum, quæ ſũt potius accipienda de pietate deuotionis quã de fidei neceſſitate vel temeritate aſſertionis, vbi non ſuppetit autoritas ſcripturæ cogens aut ratio conuincens. *Diſcipulus.* Sic acipienda decreui dicta tua aliorumq; doctorum in hac materia, alioquin via nimis prona pręberetur ad errorem. Neq; pla- F
cet ratiocinatio nonnullorum generalis dum arguunt: Deus potuit conferre hanc gratiam matri ſuæ, ergo contulit. Potuit itaq; dare fruitionẽ patriæ ab inſtanti conceptionis, cum alijs multis, quæ certum eſt non dediſſe. *Magiſter.* Quid ſi addatur ad poſſe Dei, quod hæc decuit ipſum dare matri ſuæ? *Diſcipulus.* Redit in mẽtem opuſculum tuum pro articulo ſimili in materia probationis articulorum fidei. Cuius reſolutio finalis ſtat in hoc, quod in rebus ad extra non ideo Deus dicendus eſt facere aliqua quia decentia ſunt & bona, ſed è contra potius ideo aliqua dicuntur & ſunt bona quia Deus talia vult eſſe illa. Conſonat illud philoſophiæ apud Boetiũ de Deo, quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ materiæ fluitãtis opus. *Magiſter.* Sic eſt vt meminiſti. Sic tollendum eſt argumentum tale ad intelligentiam veritatis niſi præſuppoſita rectitudine fidei, alioquin non ædificatio ſed irriſio ſæpe venit. *Diſcipulus.* Quid eſt pietas fidei? *Magiſter.* Habes à me latius alibi quod nunc ſub compendio repeti poteſt. Pietas fidei eſt probabilis ſeu veriſimilis opinio ſub aliquibus quæ deuotionem ædificare poſſunt, quæ ex ſcripturis autenticis nec clarè ſequuntur nec repugnant. Et ſi accipi volo quæ pridem vel deinceps enunciauero qualiter in noſtra Ioſephina præmiſi proteſtationem metro ludens. *Diſcipulus.* Redi nunc ad priora poſt digreſſionem hanc nõ penitus, inutilem. *Magiſter.* Immo neceſſariã pro dicendis vt temeritas euitetur & ceruicoſa contentio, qui quãdo & vbi ſecurior eſt, teſtibus Hieronymo & Gregorio pia dubitatio quam temeraria definitio. Poteſt igitur piè credi de beata noſtra, primò quod credidit & ſciuit myſterium benedicti ſacramenti & ante inſtitutionem & poſt, immo & dum inſtituebatur, licèt præſens fuiſſe non credatur nec tunc communicaſſe ſacramentaliter, potuit attamen tunc ſpiritualiter & ante & poſt effectum mãducationis accepiſſe. *Diſcipulus.* Ediſſere qua ratione fieri potuerit illud quod dicis. *Magiſter.* Poſſum faciliter ex traditionibus doctorum de triplici mãducatione ſacramenti. Quidam ſacramentum manducant ſolum ſpiritaliter, alij ſolum ſacramentaliter, alij verò ſacramentaliter & ſpiritualiter vtroq; modo. *Diſcipulus.* Vſitata eſt hęc diſtinctio ſed ipſam per deſcriptiones elucida. *Magiſter.* Manducatio ſacramenti ſolum ſpiritualis non ſacramẽtalis fit per fidem huius ſacramenti qui per dilectionem operatur. *Diſcip.* Siſtamus hic primo conquirentes ſi ſpiritus angelici dici poſſunt frui hoc ſacramento benedicto ſpiritualiter, quia conſtat eos frui Deo impletos bonis ab eo. Similis eſſet quæſtio de Maria beata, quæ non iam fruitur per fidem ſed per ſpeciem clarę & immediatæ viſionis cum inhæſione perfectiſſima quietiſſimáq; per amorem. *Magiſt.* Reſpondet deſcriptio negatiuè. Nõ enim prorſus. i. frui Deo & frui ſpiritualiter hoc ſacramento, licet è conuerſo quiſquis fruitur ſpiritualiter hoc ſacramento fruitur verè Deo. Deficit igitur in angelis ratio manducationis ſacramenti, quia non ordinatũ eſt niſi pro viatoribus, hominibus ideo rectè viaticum appellatur. Maria verò non modo, ſed tunc dum inſtituebatur ſacramentũ viatrix erat habens fidẽ. De primò verò dicit Auguſt. Crede & mãducaſti. Credidit Maria, propter quod & manducauit. *Diſcipulus.* Sic videtur, tranſi nunc ad manducationẽ ſolũ ſacramentalem deſcribendo eam. *Magiſt.* Sacramentalis manducatio duntaxat eſt actualis ſuſceptio ſacramẽti corporalis, cũ in formi fide ſine charitate. *Diſcipulus.* Si ita eſt, cõfeſtim video ſine multiplicatione quæſtionum, quod nec brutum nec angelus nec infideliis, nec hæreticus, nec diſcredens hoc ſacramentum, comedunt hic ſacramentaliter ipſum. Ratio perſpicua eſt, quia fide carent. Infantes vero baptizati quia fidem habent habitualem ſeu fidei ſacramentum, aſſumere poſſunt etiã ſacramẽtaliter, quia de ſpirituali conſtat

Digitized by Google

propter habitum fidei, alioquin quomodo verũ eſſet generaliter illud verbum Chriſti: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Conſequenter habetur quid ſit manducatio ſacramenti ſpiritualis ſimul & ſacramentalis, ſi duæ præcedentes iungantur in vnã. *Magiſter.* Liberat nos à multiloquio, præuolans ingenium tuum. Nunc accipe qualis & quàm frequentius fuerit manducatio Mariæ, præſupponendo pro dicẽdis, quod in ipſa non minor fuerit fides cum charitate circa figuras huius ſacramenti datas in lege ſcripturæ ſimul & naturę, quã in alijs patriarchis & prophetis, ſaltẽ poſt conceptionem Ieſu Chriſti. *Diſcipulus.* Non dubito quin ex tunc non obſcurior, ſed clarior fuerit in ea fidelis cognitio cauſa charitate præ cæteris patriarchis & prophetis, immo & apoſtolis. Quicquid ſit de illa poſitione quod ab vtero fuerit in ea præuentum rationis iudicium, cum actuali operatione gratiarum ſimul & virtutum. Sumunt argumentum ab exultatione Ioannis in vtero matris. Addunt quod nec in ſomno ceſſabat operatio talis in actu mentis. Iungunt quod omnia ſciuit tunc qui beati ſciunt, licet non cum claritate pari. Sufficit aut ad rem noſtram ſolidior poſitio, quã me dixi non ambigere. Deduc vltra quod intendis.

Magiſter. Dignare me laudare te virgo ſacrata, ſimul cum benedicto fructu ventris tui Ieſu Chriſto, da de ligno vitæ dignos ac ſalubres fructus carpere ſiue excerpere, da theoremata digna promere, quorum ſit hoc primum. Maria ſicut præ cæteris in via eſurijt iuſtitiam, ſic præ cæteris puris viatoribus impleta fuit bonis, ex illo, in illo & per illum qui eſt omne bonum, dicens ex ſententia animæ ſuæ magnificanti Deum: Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis deſiderium tuum. *Diſcipulus.* Conſentio. *Magiſter.* Maria ſicut præ cæteris in via cognouit, credidit & intellexit figuras legis & naturæ, Chriſti ſacerdotiũ præſignantes, ſic in illis aut per illas manducauit fruitiue benedictum fructum ventris ſui, & ſpiritualiter eius ſacramentum, vnde exaltauit ſpiritus eius in Deo ſalutari ſuo. *Diſcipulus.* Conſentio *Magiſter.* Maria dum legebat Dauid patrem ſuum dicente de Chriſto filio ſuo. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ſcilicet panem & vinum obtulit, ex tunc intelligebat & manducabat ſpiritualiter hoc ſacramentum benedictum, vnde cecinit. Magnificat anima mea Dominum. *Diſcipulus.* Conſentio. *Magiſt.* Maria pſallẽs illud Dauidicum. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Memor ero in ſeculum teſtamenti ſui. Credebat & intelligebat hanc eſcam ſacramentalem figurari, & in figura comedebat eam, & teſtamentum ſperabat hæreditatis æternæ. *Diſcipulus.* Conſentio. *Magiſter.* Maria non minus refecta eſt & impleta bonis huius ſacramenti quam patres antiqui, quos loquitur apoſtolus quòd eandem eſcam ſpiritualem mãducauerunt, & eundem potum ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberũt. Biberunt autẽ de ſpirituali conſequẽte eos petra, petra autẽ erat Chriſtus, qui eſt verè panis qui de cœlo deſcendit. *Diſcipul.* Conſentio. *Magiſt.* Maria dum ſtans vel orans in tẽplo, aſpiciebat, credebat & intelligebat omnes oblationes, victimas & holocauſta, A ſacrificia inſuper matutina & veſpertina manducans, implebatur bonis huius benedicti ſacramenti, etiã ante conceptum benedicti fructus ventris tui. *Diſcip.* Cõſentio. Maria ſicut intellexit filium ſuum fuiſſe agnum qui occiſus eſt ab origine mundi, prout Ioannes in Apocal. loquitur. Sic recolens ſacrificium Abel & eius martyrium, fruebatur Chriſto agno qui fuit figuraliter occiſus in eo primitiæ martyrum & virginitatis conſecrator. *Diſcipulus.* Conſentio. *Magiſter.* Maria dum celebratur phaſe ſiue paſcha Iudæorum, celebrat & B ipſius anima cum exultatione ſpiritus paſcha noſtrum quod immolatus eſt Chriſtus, quem epulabatur in azymis ſynceritatis & veritatis, fermento veteri reiecto cum fermento malitiæ & nequitię. *Diſcip.* Conſentio. *Magiſt.* Maria quocunque loco fuerit corporaliter in veſpere cœnæ Domini, comedit ante & poſt inſtitutionem huius ſacramẽti verum corpus & bibit ſpiritualiter verum ſanguinem filij ſui plus appropriatè, dum illud Iudas comedit ſolum ſacramentaliter ſi fidem informem C tunc habuit aliter non. Cæteri vero tam ſpiritualiter quam ſacramentaliter receperunt. *Diſcip.* Cõſentio. *Magiſt.* Maria veſpere dictæ cœnæ dicenda fuit frui corpore & ſanguine filij ſui plus appropriatè quam ipſe Chriſtus, dicitur ſe cibaſſe eodẽ pane & vino myſticè cõſecratis, quia non in fide ſed in clara viſione, nec in augmentum charitatis ſeipſo fruitus eſt. *Diſcip.* Conſentio. *Magiſt.* Maria dicto veſpere iouis ſancto, & ſi non fuit inſignita charactere ſacerdotalis officij dum Iudas illum D ſuſceperit, nihilominus nunc & antea & poſtmodum fuit in regale ſacerdotium præ conſortibus ſuis inuncta, non quidem ad conſecrãdum ſed ad offerendum hanc hoſtiam puram, plenam & perfectam in altari cordis ſui, in quo ſemper ignis ardebat holocauſti. Fuit enim rubus ardens incombuſtus. *Diſcip.* Conſentio. *Magiſt.* Maria plus complacuit Deo, plus humano generi profuit poſt Chriſtum benedictum fructum ſiue filium ſuum offerendo ipſum ſpontaneè in holocauſtũ in ara cordis ſui feruentiſſima charitate ſuccenſi, quãuis E hoc primitus fieret in enigmatibus & figuris ante cœnam hanc benedictã fructus ventris tui. *Diſcip.* Cõſentio. Sed ecce numeraſti quaſi fructus duodecim ligni vitæ, quod in paradiſo viderunt Ezechiel & Ioannes tranſplãtatum iuxta decurſum fluuij defluentis à ſede throni Dei & agni, ſecundum ripas duplices à dextris & à ſiniſtris. Dixiſti de ſiniſtra figurarum in lege naturæ & ſcripturæ veteris notatarum. Adde ſi vis totidem ex dextra fructus veritatum in euãgelicis hiſtorijs complectarum, maximè quia dixit Apoſtolus ſacramentum Chriſti abſconditum fuiſſe à ſæculo, ſed in F eccleſia & ab eccleſia propalatum. *Magiſt.* Dictum apoſtoli non ita ſtrictè accipiendum putaueris vt non aliqualiter fuerit ab aliquibus intellectum, quippe ſine cuius fide implicita vel explicita nunquam fuit ſalus. Non tamen fuit ante legem gratiæ ſicut in ipſa realiter exhibitum ſeu completum. Faciam igitur quod hortaris. Et ſit theoremata primum.

Ieſu tua fruitio eſurientes plebens bonis, virtuoſius affecit Mariæ ſpiritum quam corporalis contrectatio & lactatio ſuauiſſima tuijpſius, qui es bene-

Digitized by Google

benedictus fructus ventris ſui. Ratio, quia cum maiori merito, vnde exultauit ſpiritus ſuus in Deo ſalutari ſuo. *Diſcipulus*. Conſentio. *Magiſt*. Ieſu tua fruitio ſeu manducatio eſurientes replés bonis mirabilior fuit & virtuoſior ſuo modo in Maria, ſimul & virginali ſponſo ſuo Ioſeph quã ſola cõtrectatio vel viſio corporalis dum natus es in Bethleem Iudæ, dum reclinatus ſuper fœnum iacuiſti in medio duum animalium in præſepio quaſi pabulum iumentorum. Et certè comparatus eſt homo iumentis inſipientibus, quibus dediſti cibum, & ad quorum vilia & ſordida corda ſæpe venis concinentibus cum eccleſia choris angelorum: Gloria in altiſſimis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Diſcip*. Silentio meo deinceps conſentire videar vbi nihil addidero. *Magiſt*. Ieſu tua fruitio præſentabatur Mariæ & Ioſeph in circunciſione, quando primò fudiſti precioſum ſanguinem tuum, non dubium cum clamore valido & lachrymis, vnde tunc exauditus es pro tua reuerentia. Ieſu tua fruitio figurabatur in oblationibus trium regum pro primitijs gentium, quam tunc figuram intelligebant Ioſeph & Maria confitentes in corde ſuo ſicut orans poſtulabat eccleſia, vt quæ ſolemni celebramus officio purificatę mentis intelligentia conſequamur. Ieſu, tua fruitio fuit ipſi Symeoni qui iuſtus erat & timoratus ſimilis & Annæ propheticæ cum parentibus tuis in exultatione ſpiritus & gratiarum actione cognita, dum exclamauit Symeon benedicens Deum & inter vlnas te puerum baiulans: Nunc dimittis &c. Denique in oblatione & immolatione turturum aut pullorum columbarum cognoſcebãt oblationem tuijpſius in cruce ſignatã. Ieſu, Tua fruitio fuit in Maria & Ioſeph per illud vniuerſum peregrinationis ſeptennium dum præterea fuiſti ipſis ſubditus, ſtãs in medio ſicut qui miniſtrat, tam in domus obſequio quam in fabrili fortaſſis opificio. Vnde dictus es à Iudæis nedum fabri filius ſed faber, manſiſti vſque ad tempus dum eras quaſi incipiens triginta annorum vt putabaris filius Ioſeph. Ieſu, Tua fruitio guſtabatur iam à Maria & ab apoſtolis credentibus, dum prędicaſti hoc ſacramẽtum, & dum abeuntibus alijs quæſiuiſti à remanentibus: Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus illuminatus intus à patre fortaſſis & à matre tua aſtante nutibus, à ſignis admonitus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus hoc primo. Dehinc & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei. Ieſu, Tua refectio dum Maria recepit eccleſiæ ſacramentum etiam ſacramentaliter maximè poſt aduentum ſpiritusſancti, quando cœpit hoc ſacramentum frequentari, fuit admirabilior ſuo modo, quam maternalis generatio verbi Dei. Hæc enim fruitio ſacramentalis ponit generationem verbi Dei & aliud multum vltra in admirationem & vtilitatem omnium à progenie in progenies timẽtibus eum. Ieſu, Tua fruitio ſacramẽtalis fuit miniſtrata Mariæ viatrici (ſicut piè credi poteſt) nedum à Ioanne cuſtode, nedum à Petro vicario tuo, & totius eccleſię principali, verumetiam à diaconibus ſeptem conſtitutis ad hoc ipſum, inter quos primus fuit Stephanus, immo & à quolibet paſſim ſacerdote ſine diſtinctione, quia ſic exigebat humilitas Mariæ ſingularis, dum attendebat opportunum tempus & locum. Ieſu, Tua fruitio ſacramentalis quo Maria impleta eſt bonis, exemplar erat & eſt omnibus fidelibus, quod eſuriant hoc ſacramentum & impleantur bonis eius cum fidei certiſſimæ firmitate, quæ ſpem & dilectionem operatur. Denique quod non in vanum vel omiſſionem & contemptũ gratiam hanc.i.euchariſtiam ſuſcipiant. Ieſu, Tua fruitio ſacramentalis impleuit Mariam prius bonis quam obiret.i.obuiam tibi Chriſto iret, & aſſumeretur in cœlum. Nec abhorret à pietate fidei, quia tu benedictus fructus ventris ſui totus feſtiuus adueniẽs dederis ſibi (ſicut poſtmodum Dionyſio in carcere) myſterium hoc corporis, dicẽs: Accipe hoc chara mea quod mox complebo tibi in regno meo vna cum patre meo. Ieſu, Tua fruitio nunc eſt matri tuæ regnanti in patria, copioſior & auidior quaſi impletio, & toto ore dilatato, ſed ſuo modo videtur fuiſſe mirabilior in via. Ratio quia difficilior, & in augmento meriti propter ænigma fidei maior.

Diſcip. Conſentio. *Magiſt*. Congaudeat igitur & exultet ſemper eccleſia, cum iocundo pignoris amoroſi conſolata dono. Ecce enim Emanuel.i. nobiſcum Deus, quamuis & abſconditus, quamuis velatus, tamen verè Deus. Compleuit deniq; quod aſcendens promiſit: Ecce vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi, neque iam eſt aut fuit alia natio tam grãdis quæ habeat deos appropinquãtes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis, & certè ipſi non ſunt dij. *Diſcip*. Stupeo totus mecum & admiratione ſuſpendor, vnde talis, qualiter, & cur hæc gratia, hæc euchariſtia, hæc bona gratia. *Magiſt*. Mirari te ad infinita nolo, qui ſicut voluit, ſciuit & potuit. Omnia enim quæcunque voluit, fecit & quæ fecit bene fecit. Vidit enim cũcta quæ fecit, & erãt valde bona. *Diſcip*. Cur hãc mihi cauſam inducis quæ generalis eſt ad omnia, vellem vt ad particularem & proximiorem cauſã huius ſacramenti deſcenderes. *Magiſt*. Si hæc in primis tibi cauſa non ſufficit, neq, ſi mille alias aſſignauero, poteris contentari, nec ad intelligentiæ lumen aſcendes. Et hoc dictum ſit vniuerſaliter pro omnibus articulis fidei. Verum ſiquidem credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & quia mentiri aut fallere non poteſt. Sed in hoc ſacramento præcipuè requiritur firmiſſimum fidei fundamẽtum, alioquin quicquid rationis inductum fuerit, plus offendet & obruet, quam ædificet vel oſtendat. *Diſcip*. Credo ſicut eccleſia credit. *Magiſt*. Sta firmus in hac certitudine verborum, & ſecurus es, aut ſi compendioſius agere vis, dic ex toto corde, chriſtianus ſum. *Diſcip*. Fiat aſſiduè Domino propicio. *Magiſt*. Quid igitur vltra petis, quid exigis. *Diſcip*. Sanè cupio vtrumque intelligere quod credo, tum ad conſolationem meam, tum aliorum catholicorum fortaſſis ædificationem, ſimul & hæreticorum confutationem. *Magiſt*. Cauſæ placent ſi tenueris illud Apoſtoli: Non plus ſapere quam oportet. Sunt enim diuiſiones gratiarum. Ambulet vnuſquiſque igitur prout ei diuiſit Dominus menſuram fidei. Hoc in expoſitione vel intellectu ſacrarum ſcripturarum. Hoc vniuerſaliter in omnibus operibus Dei conſiderandis obſeruare neceſſe eſt. Quod quia philoſophi non fecerunt, errauerunt in va-

Digitized by Google

nitatibus ſuis,& obſcuratum factum eſt inſipiens cor eorum. Similiter & ſectæ omnes hæreticorum datæ ob hoc in reprobum ſenſum. *Diſcipulus.* Dabit Deus meliora nobis,qui credimus vt intelligamus, non intelligere volumus vt credamus. *Magiſt.*Præpoſterus eſſet ordo nedum in theologica, ſed in omni generaliter diſciplina nouiter accedentium ad diſcendum.Hoc Pithagoras,hoc Plato,hoc ſancti patres pro cœnobijs, hoc omnis ſchola,non diſchola canit, hoc rurſum abſurdum eſt docentibus, nec dent ſanctum canibus, nec ſpargant margaritas ante porcos,ne non ædificet, ſed deſtruant,memores illius ſapientis: Qui erudit illuſorem, ipſe ſibi iniuriam facit. Fuit notus mihi quidam ſcholaſticus habens deuotionis ſpiritum.Ingeſti ſunt animo ſuo ſcrupuli multi quæſtionum circa benedictum hoc ſacramentum. Petebat inſtantia continua diſſolutionem dubiorum ſuorum à maximis theologis quos nouerat Pariſijs,quid morarer enarrando per ſingula? Creſcebat morbus ex remedijs,& ſicut de hęmorrhoiſſa legitur, peius indies ſe habebat ex remedijs & impenſis. Conſulit tandem vnus expertorum, vt ad orationem totum ſe conuerteret, & contra ſcrupulos omnes ageret ſuſcipiens ſacramentum, dicens hæc aut ſimilia verba: Credo ſicut eccleſia credit. Credidit & acceſſit,ſerenatus eſt & ſolidatus, nec parum illuminatus deinceps circa venerationem huius ſacramenti. *Diſcipulus.* Noui & ego illum.*Magiſt.*Noui proinde & expertus noui,nedum circa hunc articulum, ſed in alijs varijs conſilium hoc habuiſſe ſimilem effectum, quemadmodum teſtatur Auguſtinus quod ad vnam vocem ceſſerunt omnes dubietatis tenebræ, & perierũt omnes quæſtiones quibus anxiabatur circa textum Apoſtoli.Deniq; meminit alio loco, quod non ſatiabatur dulcedine mirabili conſiderare Dei conſilium circa redemptionem generis humani, qualem deniq; poſtmodum in omnibus articulis fidei,nominatim in hoc ſe præſtiterit,experta lætatur omnis eccleſia. Hodie maximè ſub annuo ſolemnitatis ſuæ feſto quo hæc ſcribimus. *Diſcipulus.*Orandus ergo eſt Deus.*Magiſter.*Credo Domine,da intelligam quod credo, nũc quidem ex parte, tunc autem facie ad faciem, & perfectè oratum eſt. *Diſcipulus.* Quid ſi noluerit exaudire dicens: Sufficit tibi gratia mea quia credis. Fides enim Dei donum eſt, ait Apoſtolus,ne quis glorietur. *Magiſt.* Sufficit itaque mihi,ſed ſi ampliora mihi liberalitas ſua concedere voluerit,non abijciam, nec ingratus recipiam, alioquin deneget aut tollat omnem in caligine peregrinationis huiuſmodi intelligẽtiæ colluſtrationem, ſit lucerna pedibus meis ſolum fidei verbum,& lumen ſemitis meis, potius quam cum claritate maiori, manus peccatoris per ſuperbiam aut curioſitatem moueat me.*Diſcip.*Placeat hoc humilitatis fundamentum. *Magiſter.* Nunc ſi vis videre Ieſum, oportet quia ſtatura puſillus es,& turbæ phantaſiarum te comprimunt vt aſcendas in arborem ſicomorum exemplo Zachæi, ſimul obedi ſapientiæ, quæ poſt præparationem huius ſacramenti ſub typo immolationis victimarum ſuarum vocat ad arcem. *Diſcipulus.* Explana quid per arcem intendis & ſicomorum. *Magiſter.*Mentem tuam & myſticam ſapientiam. *Diſcipulus.*Quo pacto ſic?

Magiſter. Collige per interpretationem ſicomori,
A quæ ficus fatua dicitur.Similiter & crede Dionyſio dicenti,ſapientiam Dei diuiniſſimam ſtultam eſſe. Siquidem & apoſtolum audi: Quod ſtultum inquid eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. Et iterum: Qui vult ſapiens eſſe,ſtultus fiat. Hic titulus ſcholæ huius ſtultitia eſt,tradẽte Lactantio. Audi apoſtolum: Prædicamus Ieſum Chriſtum, Iudęis quidem ſcãdalum, Gręcis verò ſtultitiam, ſed quod ſtultum eſt Dei ſapientius eſt hominibus. *Diſcipulus.*Cur ea quę cõmunia ſunt pro tota fide chriſtiana,nunc inducis ad ſingularem mate-
B riam quam tractamus. *Magiſter.*Ratio in promptu eſt, quia nulla videtur apud ſapientes huius ſæculi maior,nulla abſurdior ſtultitia,nullá que magis infatuat ſenſus carnis & exterius interius quã hæc ſapientia Dei.Cognitum eſt quid latrator iſte demens euomuerit aduerſus leges omnes quod malæ ſunt, chriſtiana verò peſſima, quæ Deum ſuum quotidie comedit. *Diſcipulus.* Cum tot nefandæ leges fuerunt & horrendę dantes in ſacrificium & epulas homines viuos, immo filios pro-
C prios & filias cum alijs innominabilibus portentis vitiorum,colligo quantum qualeve ſcãdalum & ruinam maledictus iſte ſibi ſuſcitauerit aduerſus hoc benedictum ſacramentum. *Magiſter.* Sic refert Lyra de Iudæis, quod idololatras nos exinde peſſimos execrantur. Facit ad hoc hyſtoria Iudæi bullientis & tranſuerberantis hoſtiam conſecratam Pariſijs,ſed miraculum cõfutauit illum, alióſque conuertit. *Diſcipulus.* Nota loqueris.Ad quæſita nunc accede, cauſam aperiens ad intelligentiam, cur ita Deus fieri voluerit, qui omnia
D fecit in ſapientia. *Magiſter.* Reſpondet Apoſtolus quod quia in Dei ſapientia mundus eum non cognouit, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.

Eſt autem hæc ſtultitia prædicationis, quod Deus poteſt alia facere quam fecerit,aut facit pro liberrimo ſuæ voluntatis arbitrio. Hoc enim chriſtianæ religionis fundamentale principium, quo conceſſo, ſubuertitur & corruit funditus omnium philoſophorum radicale principium.
E Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, ait chriſtianus. Omnia quæcumque fecit Dominus, dicit philoſophus, neceſſariò fecit, nec aliter aut alias facere potuit. *Diſcipul.* Pridem recenſui mecum, quia non poteſt tradi capitalior diuerſitas inter fidem & philoſophiam. Nam poſito philoſophiæ fundamento, ſequitur neceſſariò mundum nunquam incepiſſe.Sequitur animas humanas vel eſſe infinitas,vel eſſe vnicam,vt delirat Auerrois, vel migrare de corporibus in corpora per
F infinitas reuolutionum vices, vt ſomniabant Pythagoras & Plato & ſequaces aut quod anima rationalis mortalis eſt.Quodcunque verò conceſſũ fuerit ex altero quatuor horum modorum, tollitur conſequenter omnis pia religio.*Magiſter.* Verè colligis. Nunc oculos tuæ conſiderationis fide purgatos, cõuerte ab beatam beatarum Mariam, perpendens apertè quam verum ſit illud eccleſiæ laudãtis eam præconiũ: Gaude Maria virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo, philoſophorum maximè. *Diſcipul.* quo pacto ſic? *Magiſter.* Nimirum quia verbum verbo virgo cõcepit,virgo permanſit,hoc nos credimus, ipſa per expe-

Digitized by Google

experientiam intellexit. Nihil vero ſcitur verius quam doctrinæ experientia. Hanc ſolam habere ducē & magiſtram profeſſi ſunt philoſophi. Siquidem tolle certitudinem experientiæ, tolles veritatem eius, ſubuertitur pariter omnis philoſophātium via vel inueſtigatio veritatis. Tollitur verò falſa vel inſufficiens experientia, quam opinati ſunt philoſophi habere generalem, quod ex nihilo nihil fit, quod nō niſi commixtione ſexuum homo fit, quod Deus nec hominibus nec corporibus cohabitat, cum cæteris ſine numero, quæ omnia partus per virginem noſtram expertus, falſificat & confundit. *Diſcip.* Habebat ne Maria rationes alias ab hoc vnico partus experimento. *Magiſt.* Habebat profectò per ſpiritum propheticum, tam ſuum quam præcedentium patrum, qui ſpiritus apertiſſima luce ſuper omnem rationem vel demonſtrationem haberi naturaliter poſſibilem veritas noſtræ fidei certiſſimè reuelabat, & ad intelligentiam colluſtrabat. *Diſcip.* Quid quæſo dixeris? An beata noſtra videbat verum corpus filij ſui, dum ipſi ſacramentaliter conſecratum ſumebat? *Magiſt.* Si de viſione ſenſuali quæris, nec ab oculis eius in via neque nunc in patria corporaliter percipi poteſt, vt hic eſt. Intelligi verò ſicut & credi verè poteſt, ſicut nec ſpiritus oculo. *Diſci.* Confundit hæc intellectualis experientia ſapientiſſima ſtultum philoſophiæ principium velut in omnibus. Sed, erat altera-ne ratio Mariæ contra philoſophos, quam per reuelationem aut fidem? *Magiſt.* Erat profectò quamuis rationem hanc etiā ex naturalib. & methaphyſicis officinis, & noſtra fides plurimum iuuaret & illuſtraret. *Diſcip.* Affer obſecro rationem vel moralem ſi habes, vel metaphyſicam, vel mathematicam vel logicalem vel legiſticam ſecundum tres partes philoſophiæ. *Magiſter.* Animaduerte in primis veritatem vnam, qua ſalubriorem, qua ſolidiorem nullus vnquam philoſophorum legitur poſuiſſe, nullus rectè philoſophantium traditur vel neſciſſe vel negaſſe. *Diſcip.* Papę dic quæ ſit illa, & ſi theologia conſona ſit? *Magiſter.* Conſona planè. Eſt autem hæc veritas: Quicquid fit, fit propter finem. *Diſcipulus.* Legi eam in phyſicis & metaphyſicis. Ab Ariſtotele legi, ab Auicenna, legi à commentatore & Algaſel, cum cæteris ſub hac ſententia variè demonſtratam. Nec vox vlla experientiæ conſonātior inuenitur, ſed quid ad rem noſtram? *Magiſter.* Multum per omnia. Primò quia conſequenter oportet vt ſecundum experientiam vel exigentiam finis, cæteræ omnes cauſæ tres habeant moderari, ſicut efficiens cauſa ſit illa principalis, inſtrumentalis aut coadiuuans. Iterum materialis cauſa ſit illa prima vel ſecunda vel tertia. Rurſus formalis cauſa ſit illa cōſtituens, informans, inhærens, aut ſolum exemplaris, aut obiectaliter ſeu vitaliter immutans, de quibus non eſt diſſerendum per ſingula, ſufficit applicare propoſito. *Diſcip.* Sufficiat dum primitus oſtenderis veritatem hāc theologiæ conformem eſſe. *Magiſt.* Non poteſt ad præſens efficacius exemplum ſumi, neque ſublimius quam in conſtitutione prima hierarchicę politię, vbi Seraphin ſuperiores collocantur & immediatiores Deo, quia bonitatem & amorem Dei proximius inſpiciunt, quæ bonitas & amor finis eſt omnium aliorum. Ad Cherubin verò cauſa formalis vel exemplaris ſpectat, ſicut efficiens ad

A potentiam in thronis deſignata. *Diſcipulus.* Lego exemplum hoc à Dionyſio traditum ſimul & deductum. *Magiſt.* Nunc verò ſolerter attende pro re noſtra demonſtrationem moralem. Primò à fine pro ſtultitia noſtra contra mundi ſapiētiam, quæ more Goliad iugulatur enſe ſuo. Portat inſuper litteras (vt Vrias) mortis ſuæ. Si enim cuncta facta ſunt propter finem, homo (cum bona gratia philoſophorum, ſi ſunt homines) non erit excludendus. Nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum, quærit propheticus philoſophus

B hoc à Domino ſicut impoſſibile. Eſt igitur hominum finis aliquis, & hic quidē ſuperior ad bruta omnia, quemadmodum præcellit ea ratione qua Dei capax eſt, & particeps eſſe poteſt per cognitionem & amorem cum memoria. Mentior ſi nō Ariſtoteles inchoauarit duos libros ab hoc puncto ſecundum duplicem vim animæ rationalis, voluntatis. ſ. & intellectus. In ethicis de voluntate: Omnia inquit, bonum appetunt. In metaphyſicis de intellectu: Omnes inquit, homines

C natura ſcire deſiderant. Colligatur acriter vtrobique conſequens deductio, quid aliud inuenimus concluſum quam homines factos eſſe ad beatitudinis ſeu ad felicitatis conſecutionem. Hæc autem conſecutio nequit haberi (ſicut proximo dicebatur) ſi omnia de neceſſitate eueniūt, vtique neceſſariò ſi Deus neceſſariò agit ad extra, quia nulla cauſa ſecunda eſt non ſibi eſſentialiter ſubordinata. Sed neque poteſt vlla beatitudo manere, ſi homines vel infiniti ponuntur actu vel

D finiti ſub vno intellectu, vel per mortem totaliter deficientes, aut de beluis ad beluam ſecundum animam regyrantes. *Diſcipulus.* Vrget vehementer moralis hæc ratio, communes habens pro omni ſecta cauſæ partes, dic logicalem rationem. *Magiſter.* Accipe ſimul cum metaphyſicali pro maiori ſolidiorique compendio. Pono iſtam: Deus eſt quo maius cogitari non poteſt. Debet eam logicus admittere, quoniam ex eius conceſſione nihil ſequitur impoſſibile. Debet & eam metaphyſicus acceptare, qui ponit Deum eſſe primum in

E entibus, immo ſuper omnia, quo nullum maius eſſe poteſt, quia iam ſi eſſe poſſet, eſſet, cum in neceſſarijs non differant eſſe & poſſe, ſecundum Ariſtotelem & veritatem. Pono conſequenter vtrique logico & metaphyſico. Cum Deus ſit optimum & ſummum in rebus & ſuper omnia, dicetur rectè & erit ens vniuerſaliter perfectum. Et ne proceſſum impediat, vel nominis æquiuocatio, vel ignorantia, voco ens vniuerſaliter perfectum, cui nulla deeſt perfectio, nec imperfectio vlla adeſt. Et hoc Anſelmus ſic explicat: Ens

F cui conuenit omnis perfectio, ſeu potius omnis perfectionis denominatio, quæ melius eſt ipſum quam non ipſum. i. vnde res perfectior dicitur, & eſt ſimpliciter ſi ſibi conueniat illa denominatio perfectionis, quam ſi careret illa.

Diſcipulus. Non video qualiter in hac deſcriptione entis ſimpliciter perfecti, debeat logicus aut metaphyſicus diſſentire tibi, cum nomina ſint ad placitum. *Magiſt.* Vocamus ens tale Deum, immo iam non ſolum vocamus cum logico, ſed ipſi metaphyſico aperti demonſtramus, quoniam natura ſemper incepit à perfectis; ideò neceſſe eſt

quod purus actus pręceſſerit omnem potentiam. Quid autem eſt purus actus ſi non ens per ſe & ſimpliciter dictum ſine additione quacunque. Et hoc vtique conceſſum eſt ab omnibus eſſe & eſſe Deum. Nam ſi tale ens ſimpliciter dictum non eſt ens, quid aliud eſſe poteſt? Si logicus reſoluit definitiones ſuas ad aliquid primitus intellectum, illud vtiq; neceſſariò dicitur ens primum & ſimplex. Quicquid enim intelligitur, arguit Bonauentura intelligitur vel vt non ens vel vt ens. Hæc diuiſio eſt per immediata & in primo principio ſc. ens & non ens; cum priuationes & negationes neque aut intelligi niſi per habitum oppoſitum prius intelligetur ens quod non ens. Si autem ita eſt, oportebit quod ens intelligatur altero modo, velut ens in potentia, vel vt ens in actu permixto potentiæ, vel ſine potentiæ admixtione: Si iſtud ſecundum detur, habetur propoſitum, quia illud eſt Deus, oportet autem quod ita ſit quod potentia non niſi per actum cognoſcitur, & quaſi per analogiam. Et conſequenter ex philoſophi regula logicali, ſi analogum per ſe poſitum ponitur pro ſuo ſignificato principali, ita eſt prima vera neceſſaria Deus eſt ens, cõcedenda tam à logico quam à philoſopho metaphyſico, immo apud habẽtes veram terminorum illorum duorum notitiam, ens eſt Deus, dicenda eſt per ſe nota non minus quam primum principium. *Diſcip.* Irrefragabiliter mihi videtur complecti, iuncto quod ſi ens in potentia prius dicatur intelligi, neceſſe eſt hoc fieri reſolutiuè per ens in actu, ſed perge conſequenter. *Magiſt.* Præcurro, tu ſequere. Si Deo competit omnis denominatio perfectionis ſimpliciter, abiecta prorſus imperfectione, cum perfectius ſit agere liberè, contingenter, extra ſe, quam neceſſitate natuæ, conuenit hæc libertas Deo. Quamuis enim libertas contingentiæ non ſit perfectionis ſimpliciter reſpectu finis, eſt tamen perfectionis reſpectu ordinatorum in finem, quando ſine talibus medijs finis nedum haberi vel acquiri poteſt, ſed obtinetur neceſſariò, ſicut eſt de Deo, cuius perfectio non dependet ab alijs extra ſe, alioquin non eſſet per ſe ſibi ſufficiẽs, alioquin præterea non poſſet eſſe beatus abſque creaturis. *Diſcipulus.* Fecimus ab inchoata ſacramenti euchariſtiæ materia digreſſum plus mole ſententiarum quam verborum grauidum, non tamen inutiliter, ad exaltationem ſtultitiæ chriſtianæ contra ſapientiam mundanorum. *Magiſt.* Quid ſi voluerimus traducere mathematicam ad rem noſtram? *Diſcip.* Vide oro quid agas, quia non habet euchariſtiæ ſacramentum æmulam acriorem quę per ſuas acribologias.i.demonſtrationes potiſſimas, & per communes animi conceptiones oppugnare nos ſatagit. Conſtat ait quod ſi duę quantitates iuxta ponantur, & neutra alteram excedat, ambæ ſunt æquales. Iterum ſi ab æqualibus inæqualia demas, quæ remanent ſunt inæqualia. Totum eſt maius ſua parte, & ita de cæteris per ſe notis. Ecce verò clamat iſta: Ecce corpus humanum ſolitæ quãtitatis applicatur hoſtiæ paruulę, nec tamen excedit vel exceditur. *Magiſt.* Eſſet vtinam nobis intellectualis iſte vigor eleuatus ſuper phãtaſiam & imaginationem, quẽadmodum fuit in Maria perſpicuum eſſet ſtatim quod aduerſus hoc ſacramentum mathematicæ poſitiones nihil concludunt. Poſſemus inſuper ex diuerſis eloquijs filiarũ mathematicæ, quæ ſũt arithmetica, geometria, muſica perſpectiua, aſtronomia, gratas accipere pro nobis manuductiones. Sed ad cõpendium ſatis ſit hic explodere quæ obiecta ſunt per diſtinctionem; quid eſt quantitatem applicare quantitati. Aut hoc fit dimenſiuè aut commenſuratiuè vel circumſcriptiuè, & ita mathematicas conceptiones non negamus, aut applicatio fit tantummodo definitiuè & non localiter, quemadmodum anima rationalis applicatur corpori ſuo, tota in toto, & tota in qualibet parte, non localiter. Et ſuper hoc nihil ad mathematicam, cui deeſt intellectualis oculus fide purgatus, vt poſſit diuinũ hoy myſterium. Debemus quæſo Deum plus nõſſe, quam mathematicus naturalis poteſt intelligere. Si filia eius aſtrologia potuit inueſtigare (licet vmbraliter & imperfectè) virginem beatam geſtare in gremio puerum cœlitus in ſigno virginis, quem aliqui Ieſum vocant (ſicut teſtis eſt Albumaſar) non abnegemus partũ noſtræ virginis, quia talis decet partus Deũ. *Diſci.* O miſeris iſta pro nunc fauorem fidei ſonãtia, & ad defenſionem propriã intende, docens quemadmodum quantum corpus alteri poſſit coaptari modo non quantitatiuo, quoniã exemplum de anima rationali nullum eſt verè, caret enim quantitate. *Magiſt.* Fiat hoc per conuerſionem panis in corpus Chriſti exiſtens, accidentibus panis remanentibus, ita quod iam corpus Chriſti non eſt hic locatum in hoſtia per dimenſiones proprias, ſed per illas quæ panem efficiebant. Et quia qualibet pars panis tranſſubſtantiata eſt in totum corpus Chriſti, propterea totum eſt in tota hoſtia, & totũ in qualibet parte, non plus habens poſitionem ad ſecum dimenſiuam quam anima noſtra. *Diſci.* Et ſi præſupponat hæc reſponſio tua rem valde mirabilem, non tamen ita Deo impoſſibilẽ, quin ſubſit ſibi cum voluerit poſſe. Neque enim maius æſtimo eſſe rem mutare in aliam per potentiam obedientialem creaturæ, quam rem ex nihilo producere. Sed quid dicetur ſecundum poſitionem illorum qui contendunt panis ſubſtantiam remanere tanquam ſit facilior ad ſaluandum hæc poſitio. *Magiſt.* Immo verò difficilior & hæreticalis, tum quia damnata per eccleſiam, tum quia tollit veram exiſtentiam corporis Chriſti in hoc ſacramento. Non enim remanet via vel ratio ſaluandi veram pręſentiam actualem corporis Chriſti, niſi quia tranſſubſtantiatus eſt panis in ipſum, ſed ſaluatur modo dicto. Fallitur itaque philoſophorũ & mathematicorũ imaginatio, quaſi totũ corpus ſit extenſũ & extenſiuè ſub dimẽſionibus hoſtiæ, ita ꝙ propria quãtitas ſit ratio ſibi eſſendi in loco quaſi propterea ſit reſpectus ad locũ, ſicut eſt adinuicẽ partib. in toto, neq; tamẽ dimẽſiones panis remanentes efficiunt corpus Chriſti vel inhærent ſibi, ſed per ſe ſtant ab omni corpore ſeparatæ. Vnde ſicut dicimus nos Petrum videre, dum videmus ſua accidentia vel figurã, ita dicimus nos videre corpus Chriſti, dũ videmus accidẽtia panis illius qui in ipſũ tranſſubſtãtialiter conuerſus eſt. *Diſci.* Cauſam aperis cur prædictus error dum putatur eſſe facilior deſtruit totã fidem huius ſacramenti de vera exiſtentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, quæ non ſolũ figurãt, ſed continent,

alioquin

Digitized by Google

alioquin ſi non continerent, non plus eſſet hoſtia adoranda quam petra deſerti, quæ Chriſtum figu- A rabat. Petra autem erat Chriſtus, ait Apoſtolus. Sic de figuris omnibus alijs, ſic de imaginibus & picturis & literis curreret argumentum. Denique nec fides haberet meritum, nec veritatem Chriſti verbum, nec efficaciam eius ſacramentum.

Magiſter. Adde quod fieret iniuria prædicatoribus primitiuę Eccleſiæ doctis ab ore proprio beatæ Virginis. Sicut & Paulus aſſerit ſe hanc veritatem à domino accepiſſe. Poſſem adducere mira ſuper hac transſubſtantiatione monſtrata per alia. B Inſuper manuducere legis vtriuſq; mira, exemplo Ambroſij promptum eſſet. Sed ſi ſenſus deficit, ad firmandum cor ſyncerum, ſola fides ſufficit.

Diſcipulus. Sufficit mihi planè, quamuis claritas intellectualis rationis addita ſit Deo laus & gloria. Claret ex fine quod inſtitutum eſt hoc ſacramentum, quatenus oſtenderet Deus immẽſitatem ſuæ potentiæ, incomprehenſibilitatem ſuæ ſapientiæ, inenarrabilitatem ſuæ beneuolentiæ. Et hæc triplex ratio eſt potiſſima, quoniam in perfectione finalis cauſæ ſolidatur. C

Propterea transfer te nunc ad declarandum copioſiſſimam vtilitatem huius ſacramenti, & poſtmodũ regredi poterimus ad cæteras quęſtiones, ſi fuerint inſinuati fructus (ô benedictiſſima virgo) benedicti fructus ventris tui, vnde crebrò cecinisti magnificans cum exultatione ſpiritus ad ſupermentales exceſſus rapta: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. *Magiſter.* Eſuries in primis neceſſaria nobis eſt, ſi tantis quærimus impleri bonis. *Diſci.* Sic putandũ. Sed quid impedit, D aut quid inducit hanc eſuriẽ, aperire paucis non poſtponas. *Magiſter.* Scis quid obſtabat filijs Iſrael ne manna ſaperet eis, ſed verteretur in nauſeam?

Diſcipulus. Murmur improbum & ingratum, quia deſiderabant carnes, allia, porros & pepones Ægypti. *Magiſter.* Caueamus ſimiles fieri, guſtatis quippe tam vilibus Ægyptiacæ tenebroſitatis eſcis decipit omnis cibus ſpiritualis. Eſuries itaq; cauſatur ex euacuatione ſtomachi à noxijs humoribus, hanc verò paupertas ſpiritus facit. Exemplum habetur Chriſti crucifixi, non vult bibere vinum ſe- E cularis delectationis, quia myrhatũ, quia felleum, quia acetoſum eſt ſpiritui. Dicit cum pſalm. Renuit conſolari anima mea, Memor fui Dei & delectatus ſum. Rurſus ipſe timor domini reuerentialis, obediens & humilis, operatur eſuriem ſanctam, quia ſanctam à ſeculo inanitatem. Mititas præterea cum pietate, tollit virus amariſſimũ rancoris & inuidiæ. Scientia verò cum luctu purgat & abluit vaſculum cordis à ſymptomatibus & fœtoribus præteritorum criminum. Confertur F perinde fortitudo ſanitatis in ſpiritu, vnde conſurgit eſuries & ſitis iuſtitiæ. Et vbi iuſtitia ſi in hoc defuerit ſacramento? Denique poſtquam dixerat propheta de malè habentibus? Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. Addidit, clamauerũt ad dominum. Sequitur: Miſit verbum ſuum & ſanauit eos de interitionibus eorum. Et quomodo ſanauit? niſi quia faſtidio pereuntem recreauit appetitum. Ideo ſanauit, quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. At vbi mittitur iſtud verbum præſentalibus alibi quam apud hoc ſacramentum? Deſit igitur iners deſidia quæ ſibi noxios ex indigeſtione humores attulerat, cum per exercitium calor non acuitur in ſpiritu, ſed langueſcit. Adſit tandem maſticatio per integros & fortes meditationis ſanctæ dentes, quo fiet vt cibus ita ruminatus plus ſapiat, plus appetatur, ac perinde plus nutriat.

Suffecerit hic pro præſenti dragmate pſalterij Mariæ ſuper hac chordula. Eſurientes impleuit bonis, per notulas centum. Porrò ſuperſunt longè plura quæ certis ex cauſis cenſeo cõuenientius per ſoliloquium, quam per alloquium noſtrum noſtrum meditanda eſſe, vel quantũ noſtra pſaltes impetrauerit contemplanda. Tu interim frater tecum habita, poſtmodum fiet dum reditus erit nobis ad commune colloquium doctrinalis apertio ſuper omnibus in ſoliloquio perſonantis.

Diſcipulus. Longanimis expectabo.

SECVNDA PARTITIO PER SOLILOQVIVM MVLTA VARIETATE *diſtinctum. Et ſunt in eo particulæ quaſi notulæ cantabiles centenæ, vel vltra pro loco peregrinationis meæ.*

MAGNIFICAT anima mea dominum, dum clauſo hortuli noſtri florentis oſtiolo vacamus à ſeculo, dum nullus obſtrepit alienus. Loquar nunc ad cor tuum, dicã: Magnifica precor anima mea dominum. Magnifica, quoniã magnificè fecit. Eſurientes enim impleuit bonis. Dedit nobis panem de cœlo verum ſub vmbraculo ſacro ſancti Euchariſtiæ ſacramenti, dedit & nobis abundè omnia ad fruendum in hoc benedicto fructu ventris tui ô benedictiſſima fœminarum. Fas tibi eſt ô anmia mea fas gloriari & ex toto dicere: Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Sede igitur ſolitaria, ſede & ſile, & leua te ſuper te, ſede per quietem, non per torporem, Deus implebit deſiderium tuum in bonis, deſiderabas dilectum ex dilecto, dilectum per amorem amoroſiſſimum. Ecce ſub vmbra iſtius ſedes, ſub ſacris Euchariſtiæ ſymbolis, os aperi per auiditatem deuotionis, & attrahe ſpiritum charitatis, dilata os tuum per deſiderij feruorem. Ipſe ſecundum promiſſum ſuum implebit illud. Et quibus implebit? Planè fructu eius qui dulcis erit gutturi tuo. Sit ô anima mea guttur tuum, ſicut dilecti tui ſuauiſſimũ. Noli cadere in maledictionem taliũ quales propheta deteſtatur. Sepulchrũ patens eſt guttur eorum. Caue fœtores horridos exhalare criminaliũ ſepulchrorum. Noli ſcatere tetris detractionum, aut quarumlibet ſpurcitiarum cadaueroſis fœditatibus & vermibus. Sit purum, ſanctum, nitidius oleo lætitiæ guttur tuum, ſit vinum optimum, dignum dilecto ad bibẽdum, & labijs illius & dentibus ad ruminandum. Experieris certè viciſſitudinem dilecti, quia dulcis eſt gutturi tuo fructus eius. Fructus iſte ſi neſcis, ô anima mea, fructus eſt trium ſeminum. Triceſimus incipientibus, ſexageſimus proficientibus, centeſimus perfectis. Seminatus fuit in terra, non exculta vel aperta, ſed fuſo tantummodo imbre cælitus, cum voto Spiritus ſancti viuificóque calore, decoctus fuit meridiano ſole paſſionis, datur tibi nunc velatus nebula. Dixit ſapiens quod

Digitized by Google

in feſtinatione nebulæ eſt omnium medicina. Suſcipe lætantem, ſede vacans tibi & ſibi ſoli, ſenties affirmo quid ſapiat verbum illud: Et fructus illius dulcis gutturi meo. Guſtabis itaque ô anima mea quoniam ſuauis eſt dominus, guſtabis bonum verbũ eius & virtutes futuri ſeculi, credes ſapientiæ de ſe illa præconizanti: Spiritus meꝰ ſuper mel mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Curres poſt exhortationes. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Surge propterea ô anima mea, curre: ecce trahit te dilectꝰ tuus poſt ſe. Trahenti ſe quære, ſecurè ſede ſub vmbra ſacrorum Euchariſtiæ velaminum. Experieris ſanè, gratulabundáq; cantabis: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Guſtato fructum dulcis amici tui. Quid ſuper eſt ô anima mea? quid dicis? quid ſperas? quid gemis? accipio furtiue venas ſuſurrij tui clamans introrſus cũ ſilentio: Sitio. Introducat me rex in cellam vinariam, poſt cellaria fructus ſui. En ipſe eſt vitis vera, cuius vinum generat virgines, nec ſolum generat, ſed impregnat. Det ipſe vinum illud, det bibere ſobriam ebrietatem ſpiritus. Introducat me in cellam vinariam. Quid tibi vis ô anima mea? Dudum dixiſti poſt petitum oſculum oris ſui: Meliora ſunt vbera tua vino. Et iterum: Memores vberum tuorum ſuper vinum. Cur non vinum petis? Sed pro te mihi reſpondeo, quoniam ipſe tibi eſt lac & vinum, ſiquidem & vbera eius ſunt botri vineæ, loquitur quoque: Bibi vinum cum lacte meo. Vocat inſuper: Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi. Doctè facis ô anima mea, inuitata non abnegas, non diſſimulas, non cauſaris. Dulcis fuit fructus eius gutturi tuo, quæris ſitiens & vocata bibere vinum diuinæ ſuauitatis poſt vbera conſolantis humanitatis, petis impleri quod ſequitur: Introduxit me rex in cellam vinariam.

Quid agis anima mea? quænam hilaritas vultus? quis tremulus & honoris oculorum nitor? quiſnam omnis geſtus, omnis alacritas, lætitia ſimul & voluptas? Quid ſiles? quid quaſi ſpaſmata ſtupes? Verè cognoſco quia introduxit te rex in cellam vinariam, ordinauit in te charitatem, immo charitate vulnerauit te, immo charitatem ſi dici poteſt ſicut ſine modo, ſic ſine ordine dedit. Hinc modus dilectionis tuæ non habet modum. Hinc tota liqueſcens, tota collabens, tota te non ſuſtinens, ſuſpirabunda ſuſurrans. Fulcite me floribus, ſtipate me malis quia amore langueo, quia vulnerata charitate ego ſum. Meditor ego mecum dummodo te talem inſpicio. O triſtis nuper anxia & pauper anima mea quanta & qualis ſit, hæc dextræ Dei ſponſi tui mutatio mirans & ego tecum recognoſco. Itaque libet exclamare: O quã bonus & ſuauis eſt domine Ieſu Chriſte ſpiritus tuus, quã viuus & efficax ſermo oris tui, qui in cœnaculo grandi ſtrato Eccleſiæ tuæ Syon, panem & vinum corporalis edulij conuerterit in fructum lucem animarum corporis & ſanguinis tui. Siquidem ſermo ille, verba iſta quæ locutus es, ſpiritus & vita ſunt. Verè ſpiritus & vita, vnde & vitæ talis effectus eſt exortus in te ô anima mea? Quid reliquum eſt ô anima mea? fulcita es floribus ſanctorum deſideriorum, ſtipata malis ordinatarum affectionum ſub expectatione futurorum præmiorum. Video quàm bene tibi ſit, non deſerit te collabentem dilectus tuus. Indicat hoc tuum velut A auræ tenuis ſuſpirium. Leua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ecce iam fructum edere non quæris ſuauem gutturi tuo, non cellam vinariam introire, non fulciri floribus, non ſtipari malis, ſed tota in totum lapſa & collapſa, tota complexu ſuauiſſimo, ſereniſſimo & caſto in eius ſinu conſopita quieſcis. O quam beatus & efficax & fœlix eſt cibus iſte fructuoſus. Vinum eſt vinaciſſimum corporis & ſanguinis tui Chriſte Ieſu. Vnde talis comparatur effectus, talis B refectio, talis dormitio, quies talis in pace in idipſum. At verò quam breuis hora. Dic obſecro te benigne Ieſu (ſic enim innuere videtur anima mea) dic per amores tuos quod ſequitur: Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. O quam bene ſibimet & mihi excidit, ſiue excidimus Deo, verbum, ô Paule, ſumma ſuauitate refertum, ſiue ſobrij ſumus vobis verbum heu ærumna miſeriç repletum, quia repletur homo multis miſerijs dum redit ad C ſe, dum reditur ipſe ad terram miſeriæ & tenebrarum ab illa qua interim quieſcebat in regione viuorum. Sic ô anima mea ſuſcitauit te vita immortalis, reſorbuit te ad ſe pondus corporis. Corpus itaque quod corrumpitur aggrauat animam. Languida prorſus & vulnerata charitate vigilas. Tu ſuſpenſa reſpectas vndique, fortè redeat ad te dilectus tuus. Cuius adhuc calore tepet lectulus noſter floridus. Dirigis aures ad omnem ſonitum vel flatum ſenſibilium auræ tenuis. Si fortè au- D diatur in ſilentio vox optata dilecti tui. Fallor aut in ſomnis vigilo, ſi non ita res ſe habeat. Non enim poterit zelotes amicus minus amare quam amica non impar eſſe ad amoris viciſſitudinem. Non audio clamantem, vulneraſti cor meum, ſoror mea. Quid igitur? Conſiderans ego amorem ſponſi in celeri reditu, laudo pariter vigilantiam ſollicitudinis tuæ ô anima. Et erat adhuc de longè ſaliens in montibus, tranſiliens colles, alacer & hilaris canticans præ amore. Senſiſti continuò diſtantis adhuc vocem & exultationem. E Exiliſti ilico tremefacta & dixiſti: Vox dilecti mei eſt, ſupplendum quam audio. Vos ſonora cuius auditu reſurgunt mortui, nam qui audierint viuent. Et nonne te mortuam indicas ô anima, aut certè mortuæ ſimilem dum amicus abeſſe putatur? Non auertas, inquit propheta, faciem tuam à me. Dat rationem precis, quia ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Vox autem domini dum ſuper aquas & aquas multas phantaſticarum fluctuantiúmque curarum ſonuerit, fit confeſtim, F ipſo iubente tranquillitas, facit inhabitare diluuium tale fluctiuagum, illic ſedens, illic virtutem populo ſuo ſpiritali dans & benedicens in pace. Sed &, intercidit flammam ignis illecebroſæ tentationis, vitulóſque petulantis ſuperbiæ, licet lybani, id eſt, candidati, videantur ſub colore boni, concidit, obruit & conterit, hæc eſt vox dilecti.

Verum quid agimus? quorſum anima quorſum arripimur? Referam ego tecum ſecretè inter nos alloquia tractare de fructu vitæ, de pane qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, vox exhortationis meæ hoc dederat initium: Magnifica nunc anima mea dominũ, ſubiũxerã quaſi pro cauſa vel

theore-

Digitized by Google

theoremate dicendorum, quia eſurientes impleuit bonis. Sed ignoſcendum eſt, danda venia ſobriæ ebrietati quam cella vinaria propinauit, immo verè iam veniam nil opus eſt, quia digniſſimo noſtro probationem intimiorem operatur, oſtendens in hoc noſtro ſacramento: Eſurientes impleuit bonis. Et ſic implentur vt plenitudinem non capiant, deſiliant quaſi ruptis lagunculis virium omnium titubant quaſi quis crapulatus à vino pondere plenitudinis ſpiritus, tandem reſident & quieſcunt in idipſum. Pondus meum, amor meus. Dic ſi potes, quantis bonis impleta eſt, cuius oportuit caput à leua dilecti ſuſcipi & leuari. Hic eſt effectus principalis vnus inter cęteros, cibi & potus ſalutiferi ſacramenti. Videtur ne tibi parum deficere à ſe, rapit ſuper ſe, poſſe ex ſententia dicere: Defecit in ſalutare tuum anima mea. Et rurſum: Defecit caro mea & cor meum. Sed ne mala putaretur hęc defectio ſubiunctum eſt: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Nonne pars optima quam elegit Maria, pars de qua glorians pſalm. dicebat: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Suſtollam te ſuper altitudinem terræ ait dominus, & cibabo te hæreditate patris tui Iacob. Propterea eidem pſalm. ſubintulit: Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Dicit in alio loco: Paraſti in conſpectu meo menſam, poſtquam præmiſerat: Dominus regit me & nihil mihi deerit. Tandem ſubiunxit: Et calix meus inebriās quam pręclarus eſt. Noli deinceps mirari ebriam quæ in cella vinaria bibit hunc calicem. Veruntamen quia reperitur alius calix inebrians, calix aureus Babylonis, putares nil intereſſe inter ebrietatem & ebrietatem. Audi quid anima, quam introduxit rex pacificus in cellam vinariam addidit pro munere: Ordinauit in me charitatem. Babylon interpretatur confuſio, contrarium verò confuſioni, quid amplius eſt quam ordo & ordo charitatis? Charitas enim quaſi chara vnitas. Vnde colligis, quod ordo charitatis eſt ordo vnitatis. Hic aſſumus ô anima. Bonum eſt hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula ſiue cœnacula, quæ fabricauit ordo charitatis ad eſum & potum ſpiritualis refectionis ſub vmbraculo ſpiritus obumbrantis, tibi vnum, intellectui vnum, menti vnum vel tibi vnum, proximo vnum, Chriſto vnum. Quid reſpondes anima mihi? Neſcit fortè ſpiritus meus exemplo Petri quid dicat: Bibit & ipſe de cella vinaria, experitur in ſe ordinatam charitatem. Eſt nimirum ordo parium diſpariúmque rerum, ſua loca vnicuiq; tribuens diſpoſitio. Erit igitur ordo charitatis, idem quod ordinatus amor. Ordinatur autem amor ad Deum, ad proximum, ad ſeipſum, Chriſtus eſt Deus & proximus ſimul. Moyſes ſimiliter inter Deum & proximum mediator erat. Helias denique bonum zelabat vtriuſque. Decet ô anima mea attentionis trinæ libenter accipere te quæ dicuntur & quæ dicenda parantur. Multa ſuper hoc triplici tabernaculo vel cœnaculo ſeu triclinio ſcis vbi tractauimus ſuper Cantico Mariæ, ponentes ſpiritum noſtrum velut architriclinium, te velut in inferiori cœnaculo, cor vel intellectum in ſecundo, mentem in tertio. Procedamus nunc hic & altera via, tribuantur ſingulis vniuerſa. Sit vnum cor, & vna anima, & vna mens, & vnus ſimul cum intellectu & voluntate & ratione & affectu ſpiritus. Omnia ſiquidem vnum facit ordo A charitatis, ordo charæ vnitatis. Tu anima, ſis eadē, quia cor, mens, ſpiritus, intellectus, ratio, voluntas, ſinderesis, affectus, cum cæteris. Nec hoc extraneum, cum legamus quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, quanto magis vnius hominis in ſeipſo qui habet nihilominus intra ſe regnum Dei, regnum omnium ſeculorum?

Diſtribuat ordo ſingulis in pluritate, & vniuerſis in vnitate, fructus ligni vitæ, fructus duodecim ſpiritus, quorum præcipuus eſt charitas, ſupremus B quidē, ideo dulciſſimus, quia altiſſimus. Diſtribuat in primis ſub ternario fructus ſuos. Aſſignet per relationem ad Deum, ſacrificij oblationem vel hoſtium. Aſſignet ad proximum iſtam communionem & amicitiam. Aſſignet ad ſeipſum totum hominem viatrici refectionē, & exitus ad patriam.

Bene hic datus eſt ordo charitatis circa benedictum ſacramentum, & quoad initium, & quoad medium, & quoad finem ſeu terminum, quæ tamen tria redeunt ad ſeipſa velut in myſticum circulum, vt ſit conſummatio in vnum. Oblatio ſi- C quidem initiata eſt in cruce, facta Deo ſacrificium. Viaticum perducit hominem ad terminum. Communio tenet interim proximos hic in vnum. O ſi habeamus amicū ad quem vadamus media nocte præſentis miſeriæ, & dicamus ei: Amice cōmoda, id eſt, commodè da mihi tres panes. O vtinam inſtantia victus det quotquot habemus neceſſarios, & eſurientes impleamur bonis.

Studioſitas neſcio an curioſitas ordinari meditatur cuilibet horum trium, fructus duodecim ſub D myſticis aſſignationibus in ſcriptura. Primò de numero duodecim panum propoſitionis in antiqua lege. Secūdò de numero duodecim panum in euangelio, ſcilicet ſeptem & quinque, duplici refectione. Tertiò de fontibus helym, quaſi totidem refectionib⁹ quia nihil prohibet omne quod reficit panem dici. Dicitur namque à pan quod eſt totum. Doceat nos hæc petitio cum ſua gloſſa: Panem noſtrum quotidianum, & ſuperſubſtantialem, ponit Lucas, da nobis hodie, quid mirandum ſi fontes nominauerimus panes, cum de la- E chrymis teſtatur pſalm. Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte. Et alibi de cinere: Cinerem tanquam panem manducabam. Bene ſuggeris & ſuades ô anima mea, ſuffecerit iſta tetigiſſe pro ordine charitatis, proque iuuamento memoriæ in ſtudio meditationis. Cauſam aperis perſpicuam. Neſcit amor ordinem talem inſequi, neſcit coarctari. Ordo ſuus eſt hic ordinem non ſeruare. Pergit quocumq; rapit, ducit aut impellit, aut agit ſpiritus, qui vbi vult & quādo vult ſpirat, nam & rotę F ſanctarum ſcripturarū mouebātur ſecundum impetū ſpirit⁹. Spiritus enim vitæ erat in rotis & cum eleuatis animalibus eleuabantur per contēplationem cū ſtantibus ſtabant per diſtinctionē, & cum ambulantibus ambulabant per operationem.

Sequamur quo rapiat feruor ſpiritus. Oremus vt olim quaſi reſponſuri Deo: Præbe fili mi cor tuum mihi, vt ita pro menſura metri præbe cor tuū mihi fili reſpondeamus. Accipe pater quo vis, fer, rape, duc, age, defluat à ſe & ferueat à te. Æſtuet ebria mens in ſuum conuerſa furorem. Scis anima quid ſequitur ſub triplici ſimilitudine ſimul nota tibi & mihi, Arx, pax, fax, dux, lux, frux, rex,

Digitized by Google

quoque lex, lanx. Concernunt hæ dictiones triplicatæ tria diuinis appropriata perſonis. Solicitudinem interim nocturnæ vigiliæ teneamus, ſoror anima dum peruenerit germanus noſter conquæſiturus more ſuo per dialogum ſeu dragmata variãdus erit ſermo. Poterit nihilominus noſtri poſtmodum particeps eſſe ſecreti. Eſurientes impleuit bonis. Volens reficere benignus Ieſus bonis non qualibuſcumque, ſed æternis, cibo qui non perit, pane qui dat vitam mũdo, calicem noui & æterni teſtamenti, prædicabat dicens: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Litigabant ergo Iudæi, compeſcuit eos: Nolite inquit, murmurare. Nemo venit ad me niſi pater meus qui miſit me traxerit eum. Mira ſententia tua Chriſte ſi iungatur cum altera ſimiliter tua: Nemo venit ad patrem niſi per me. Dic nobis per benignitatem veritatis tuæ, qualis iſte ſit circulus, qualis gyratio, qualis circuitus. Nemo venit ad me niſi à patre tractus. Nemo venit ad patrem niſi per me. At verò ſic eſt: Nemo venit ad filium niſi repletus bonis Spiritus ſancti. Nullus dat Spiritũ ſanctum filio in diuinis niſi pater. Non poteſt igitur venire ad filiũ niſi cum Spiritu ſancto quem dat ei pater. Hinc eſt oratio Chriſti ad patrem, vt dilectio inquit qua dilexiſti me ſit in eis, & ego in eis, mira circuminceſſio. Rurſus ipſe filius non redit ad patrem niſi per Spiritũ ſanctum quẽ ſpirando reddit patri felici & inenarrabili, id eſt, non narrante circulo dat Spiritus ſanctus mentem quam inhabitat nunc filio à patre, nũc patri à filio. Petebat hunc circulum qui philoſophans dicebat: Da fontem luſtrare boni. Sic intelligitur illud de ſanctis animalibus, quas lege benigna ad te conuerſas reduci facias igne reuerti, id eſt, ignea charitati Spiritus ſancti, conſonè ad illud Eccleſ. Gyrat per meridiem & pergit in circuitu luſtrans vniuerſa ſpiritus cœleſtium, terreſtrium, ſed & infernorum, quia flectitur ad Aquilonem motu vel obliquo vel recto. Ambulant impij in circuitu, ſed circa ſe recurui ſunt. Referunt omnia ad ſe, nihil diligunt, nihil agunt, nihil timent, nihil fugiunt vel odiunt niſi propter ſe, quia ſe ſuum finem ſtatuerunt. Sunt genus ſathan qui circuiuit terram & perambulauit eam, qui circuit quærens quem deuoret. Perambulabat & Ieſus Hierico, circuibat ciuitates & caſtella. Audis ex ſuis vnum perambulantem in innocentia cordis ſui in medio domus ſuæ, nam & dominus in circuitu populi. Circuit igitur iuſtus & perambulat, ſed circa Deum, circa centrum illius intellectualis ſpheræ, cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam niſi in ſe. Deſerit ſe iuſtus, nihil refert ad ſe, ſed ad Deum, nihil amat, nihil agit, nihil deſiderat niſi propter Deum, immo nec ſe vult eſſe vel viuere vel bene eſſe, niſi ad Deum & propter Deum. Intelligis anima circuitum, & circuitus attendas effectum. Pauperes in ſe, diuites in Deum replentur bonis, quoniam veritas eſt in circuitu ſuo lumen & requies. Diuites non in Deum, ſed in ſe dimittuntur inanes, quoniam vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis: Stulte hac nocte morieris animam tuam repetent à te, & quę congregaſti cuius erunt? Quærebam aliquando pauper & eſuriens: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, volebam paſci cum paſcente, quieſcere cum cubante, nolebam vagari, id eſt, vanè agi, in circuitu impiorum, nolebam egredi à conſpectu domini, horrebat animus paſcere hœdos fœtidos ſenſuum meorum circa tabernacula paſtorum ab vnitate diuiſorum. Inuitabat me qui dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, qualis heu ſum. Pollicebatur repletionem in bono, & ego inquit reficiam vos. O plena refectio. Superaddebat de quiete, & inuenietis requiem animabus veſtris. Venerat aliquando timor & tremor ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Ne quæſierit aliquis vnde? quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate Babylonis & dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Hæ ſunt ſuaue iugum Chriſti & onus leue, qui totus columbinus eſt, totus mitis & humilis corde. Expectabam eum qui ſaluum me fecit, à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate exorans: Velociter exaudi me domine, defecit ſpiritus meus. Defecit præ inopia cibi & potus in regione longinqua diſſimilitudinis, horroris & egeſtatis. Sic volebam, ſic expectabam, ſic orabam. Tu verò homo vnanimis, vetus homo, factus eras vt eſſes vnanimis, dux meus & notus per præuiam ſenſibilium cognitionem, qui ſimul mecum dulces cupiebas cibos ſacramentalis deuotionis, communicationis, in domo domini domo orationis ambulauimus cũ conſenſu. Et heu quale nunc & hic diſſidium? Veniat mors ſuper illos, vnde ſcandalum tale venit, deſcendant in infernum viuentes, & funditus pereant quoad dæmones, aut ſi ſunt homines, vt corrigantur ne in infernum deſcendant morientes. Detruſerunt eruditionem meam, mentem meam apud inferos, collocauerunt me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi. Quærebam elongare ſeculum & manere in ſolitudine, ſed ingenti mole phantaſmatum depreſſus, corrui & duriter alliſus ſum. Demerſit me tempeſtas aquæ fluctuantium deſideriorum, abſorpſit me profundum curarum, ſupereſt vt vrgeat ſuper me puteus os ſuum vtriuſque mortis. Sed ô tu benigniſſime Deus, emitte manum tuam de alto, eripe me de aquis multis, de lacu miſeriæ & de luto fecis, da dexteram miſero & tecum me tolle per vndas. Iube me domine venire ad te ſuquas phantaſmatum, fac ſolidum litus æternitatis attingere.

Reputabam cum ſpiritu meo, vnde mihi talis oppreſſio tanta depreſſio qui mentis alacri volatu, irruentia vndique phãtaſmata tranſuolare non præualeo? Ecce quotidie pauper & eſuriens ad menſam eius ſacramentalem accedere ſatago, obedire volo præceptis ſalutaribus diuina inſtitutione formatis, & dico: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Dat: Accipio. Non ſentio me repleri bonis, dimittor inanis, fame, ſiti maciẽque conſumor & labore. Vbi ergo vox tua Chriſte, ſi vocatus ſi laborans oneratus, ſi veniens ad menſam tuam non inuenio refectionem, vtinam non defectionem. Terret me heu nimis tua per os propheticum imprecatio: Dederunt in eſcam meam fel, vtique fel amaricationis vitiorum, & in ſiti mea potauerũt me aceto, quod & acerbum eſt, & frigidum eſt per indeuotionẽ, necnon obſtupeſcere dẽtes cogit meditationũ per abominationẽ:

de

de qua propheta: Omnem eſcam abominata eſt anima eorum. Væ væ væ quid ſequitur. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, vſque ad maledictiones duodecim quarum neutra tolerabilis eſt à reproba creatura. Conſultius eſt niti per pœnitentiam effugere, quam curioſius diſcurrere vel effari velle. Da beata virgo propheti ſſa mea, da nunc aperire myſterium verbi tui. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Menſa Iudæorum erat menſa legalium omniũ ſacrificiorum ſuarum oblationum, victimarum, hoſtiarum, primitiarum, decimarum, holocauſtorum, vnde implebantur ſacerdotes. Viuebant cum cæteris, quos per talia ſanctificari dicebant. Venit ſummus pontifex & ſacerdos in æternum Ieſus Chriſtus ſecundum ordinem Melchiſedech, panem & vinum obtulit. Fecit ceſſare ſacrificia cum cerimonijs omnibus non ſoluendo ſed implendo legem. Non inquit, veni ſoluere legem ſed adimplere. Tranſijt vmbra figurarum, lux veritatis emicuit, verificauit Chriſtus quod prædixit. Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Relinquetur vobis dom⁹ veſtra deſerta. Hoc imprecabatur ſeu prædicebat allegatus propheta: Fiat habitatio eorum deſerta. Cõſonat omnis cœtus prophetarum ſuper ablatione iugis ſacrificij, ſuper ceſſatione legalium per mortem Chriſti. Hoc idem teſtatur effectus. Hoc dedit Chriſtus intelligi pendens in cruce, dixerat: Sitio, vt implerentur ſcripturæ. Dederunt in eſcam meã fel, & in ſiti mea potauerũt me aceto. Vide mirabilem correſpondentiam ad prophetiam inductam. Continuò Chriſtus dicit: Conſummatum eſt. Quare quia omnia quæ de eo ſcripta erant finem habebant, veritas veri ſacrificij vmbratile cõſummauit. Hoc in ſpiritu præuiderat qui dicebat: Omnis conſummationis vidi finem. Finis itaq; legis Chriſtus ſecundum Apoſtolum. Dedit ille mandatũ dilectionis latum nimis, latum ad Deum, ad proximum, ad amicos & inimicos, & ita latum, vt ab eo & in eo penderet omnis lex & prophetæ, quia finis omnis legis dilectio. Tunc ablatum eſt à Iudęis regnum Dei. Voluerunt conſtituere iuſtitiam legis in ea, id eſt, continuè ſtare abijcientes gratiã Dei nõ perſtiterunt, ipſum velamen oculorum & importabile legis iugum tenere ſuper ſe. Itaque regnum Dei, dicente Dionyſio, eſt omnis finis & omnis ordinis & legis & ornatus diſtributio. Reiecerunt à ſe quotuor iſta Iudæi reijciendo Chriſtum in quo per quem & ex quo, & à quo eſt omnis finis ordo, lex & ornatus. Ornatum intellige quamlibet in re qualibet inclinationem, quam indidit ſapiẽtia diſponens omnia ſuauiter in finem ſuum, ſecundum legem à Deo & ordinem inter ſe mutuò cõſtitutos. Nunquid non ô benedicta in mulieribus notatã olim circa te deſertionem hanc inuenimus. Remanſerat puer Ieſus in Hieruſalem, quęſitus per triduum magni myſterij. Inuẽtus eſt in templo ſedens in medio doctorum, de lege diſputans & reſpõdens. Et de quibus arbitrandum eſt quæſtionibus, niſi de tempore Aduẽtus Meſſiæ & ſcripturarũ impletione. Voluit ipſe benignus filius tuus ô virgo benigna, virgo bene ignita, voluit benigne facere bona voluntate ſua tibi, deſeruit literalem Syon cum ſua Hieruſalem. Deſcendit cum Ioſeph & tecum in Nazareth floridam, nõ vetuſtam, & erat ſubditus vobis, in quibus myſtica iam Syon & Hieruſalem reſidebant. A Manſit annorum ſpatio octodecim, quouſque baptiſma ſumpſit anno triceſimo, quouſq; conſummaret opus ad ædificationẽ cœleſtis Hieruſalem, quouſque acceptaret Deus ſacrificium iuſtitiæ, ſacrificium ſpiritus contribulati Chriſti oblationes. Demum in hoc vnico ſacrificio holocauſtum & vitulos typico ſuper altare crucis impoſuit. Introiuit ſemel in ſancta ſanctorum æterna redẽptione inuenta, facta eſt hoſtia peccati. Damnauit de peccato peccatum, liberauit Eccleſiam ſuam ab intolerabili iugo tot ſacrificiorum, quæ neq; perfecta, B neque plena, neq, placita per ſe erant, ſed nec placita reputabat ea dominus ex bonitate offerentiũ, propter malitiam ſtudiorũ ſuorum. Lege Eſaiam, pſalmos diſcute, nihil apertius inuenies quam reprobationem & abominationẽ cum prohibitione ſacrificiorum, ſi ad literam, prout accipiebãt tunc Iudæi, referantur. Quoniam ſi voluiſſes, ait Dauid, ſacrificium dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis. Et alibi voce domini: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, C cum cæteris ſine numero cadentibus in hanc ſententiam. Sacrificium nihilominus expetit dominus, ſed quale figurabant ſacrificia illa, non litera ſed ſpiritu. Significauit hæc ſacerdos noſter vnic⁹, dum prædicaret oblationem puram, perfectam & placitam corporis & ſanguinis ſui. Verba quę ego loquor inquit, vobis, ſpiritus & vita ſunt. Et prius ad Samaritanam: Deus ſpiritus eſt, & Deum oportet adorare in ſpiritu & veritate. Cum igitur ô anima mea ſis ſpiritus in carne, quid cõuenientius D quam vt ſacrificium tuum eſſet ſpiritus tuus in carne, vel caro in ſpiritu per cõmunicationem carnis & ſanguinis. Neque enim abſq; ſacrificio manere debueras in proteſtationẽ ſupremi dominij quod habet Deus ſuper omnia & in omnibus. Sic enim deſcribitur ſacrificiũ, quod eſt oblatio facta Deo, & in recognitionem ſupremi dominij ſui. Sit hæc oblatio ſolum interior in ſpiritu, ſit exterior in affectu vel effectu. Sacrificium ſicut & verbum abbreuiatũ fecit Deus ſuper terrã hoſtiam viuam, vnicam, mundam, plenam bonis, plenam effecti- E bus omnibus illis pro quibus hoſtia literalis ſolebat offerri. Si dilectionem peccatorum petis. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Si gratiarum actionem, gratias agit Chriſtus patri. Si malorum euitationem, ſanat ipſe nos & liberat quia verè languores noſtros ipſe tulit. Si bonorum conſecutionem celerem, interrogatus latro docebit qui tẽpore huius ſacrificij veſpertini audire meruit cum iuramento: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

F Verum dicis, ô anima, ſunt iſta iam apud Chriſtianos omnes ita digeſta, ita cognita vt faſtidium ſit apud plurimos vel repetere vel audire. Vis aliquid offeratur nouum, aliquid inſolitum. Subit illud rabidarum deliciarum, ait Seneca: Quouſque eadem. Tales inuenit Paulus Athenienſes, qui ad nihil aliud vacabant quam audire vel dicere aliquid noui. Similes ſunt prurientes aures diuitum qui dimittuntur inanes, quia quos non replet bonis ſpiritualibus veritas vanitas inquietas. Sed ecce, ô anima, nouus rex, noua lex, nouus grex, nouum ſacrificium, nouum teſtamentum, non vitulorum, ſed Chriſti ſanguine confirmatum, te-

Digitized by Google

ſtamẽtum hæreditatis æternæ, propterea dicit qui
ſedet in throno: Ecce noua facio omnia. Vis vno
verbo cognoſcere, quid eſt nouum & ſolum tale?
Æternum. Vetera ſunt omnia, & ad interitum ten-
dunt quæ ſeparãtur ab æterno. Breuis diſtinctio
veteris & noui, ſicut & temporalis & æterni.
Noua planè omnia, ſed in nouatis noua, ſi lex per
ſpiritum viuificata ſeruetur. Quæ lex? Audi nouis
ſuperuenientibus vetera proijcietis. Et quid vetu-
ſtius veteri homine noſtro ſecundum carnem?
Quid ſi ſibi nihil ſapit nouum? Febricitans & ex-
cæcatus eſt malis humoribus, quia peſſimis humo-
ribus repletus eſt. Tolle vetera, noua erunt ſpiri-
tualiter omnia, cor, opus & lingua. Dabo tibi la-
tiſſimam nouitatum materiam. Conſidera tot va-
rietates ſacrificiorũ, oblationum, holocauſtorum
veteris legis, præſertim in Leuitico. Tolle nebulas
figurarum ab eis. Aufer ab oculis tuis velum quod
ſciſſum eſt tempore paſſionis. Confer ad interio-
ris legis ſpiritum, orietur protinus tibi ſol iuſtitiæ
Chriſtus. Et qui in ſacrificio corporis & ſanguinis
ſui noua fecit omnia paſcalem agnum manna de-
ſerti, panem cœli, tauros, vitulos immolationis,
hircum emiſſarium, paſſeres, turtures & colum-
bas, vinum & libamina, ſal in omni ſacrificio, cau-
dam cum capite neque mel neque fermentum.
Denique quotidianum his ſacrificium cum matu-
tino veſpertinum. Omnia hæc cum ſimilibus erũt
tibi nouitatis materia, immolabis hœdum Chri-
ſtum pro ſimilitudine carnis peccati ſine peccato.
Comedes agnum non crudum per infidelitatem
tuam, nõ coctum aqua per curioſam philoſophiã,
ſed aſſum igni per charitatis ardorem, deuorabis
per deuotam auiditatem caput. Siquidem caput
Chriſti Deus ſimul cum pedibus humanitatis &
viſceribus ſacramentorum intimis. Hos non con-
fringes ex eo violentia perſcrutationis. Totum
quod comedi non poteſt per intelligentiam igni
ſancti Spiritus combures per venerationem amo-
roſam. Sint azimi panes ſine fermẽto malitiæ cum
lactucis agreſtibus amarę compunctionis. Sint ac-
cincti renes per caſtitatis zonã, ſit ſpei longanimis
baculus in manibus, & comede feſtinanter, auidè,
ſcilicet anhelãs & tendens peregrinus ad patriam.
Lini ad extremum vtrumque poſtem ſeu ſuper li-
minare domus tuæ, vel oſtij de ſanguine agni. Fit
hæc linitio ſub ſignaculo fidei in intellectu, & a-
moris in affectu. Scis hæc ô anima mea? ſcio. At
nihil eſt quod magis ſuadeam facere de te, quam
ipſam te ſacrifices totam Deo. Fiet hoc ſi captiue-
ris & quodammodo trucidaueris omnem intel-
lectum tuum in obſequium Chriſti, omnem affe-
ctum in holocauſtum charitatis. Crede & ama
illum qui latet & præſens eſt, ſis ipſa placens ho-
ſtia, ſis rationabile ſacrificium, nedum mane &
veſpere, ſed aſſiduè nocte diéque. Inuitata es ani-
ma ad nuptias & cœnam magni regis in hoc Eu-
chariſtiæ ſacramẽto. Noli excuſare te, noli tardare
aſſume veſtem nuptialem, tandem in nouiſſimo
loco recumbe cum illo qui pro te factus eſt nouiſ-
ſimus virorum, vnde nec reputauimus eum, ait
propheta euangelicus, nec erat ei ſpecies neque
decor. Habet altare crucis latitudinem charitatis,
longitudinem æternitatis, ſublimitatem maieſta-
tis, profunditatem ſapientiæ iudicantis. Proijce te
& abſconde in hoc profundo, & toto niſu pedem
crucis ſtringe amplectus. Dic cum fiducia ſperan-
A dæ pietatis, viuit dominus quia non dimittam te.
Orietur hæc virga crucis ex radice Ieſſe quod in-
terpretatur incendium. Concremetur hic totum
cor tuum ô anima mea. Ardeat in holocauſtum, in
odorem ſuauiſſimũ domino. Dicit propheta do-
mino de malignis, id eſt malè ignitis. Pone illos vt
clibanũ ignis in tempore vultus tui. Dicat idem da
benignis: Sint ipſi clybanus boni ignis qui eſt in
Syon, & caminus eius in Hieruſalẽ. Monſtroſum
nimis gelicidiũ, ſi non fluat ſicut cera cor tuum. O
B anima mea, à facie huius ignis qualiter defluebat
qui dicebat in canticis: Anima mea liquefacta eſt,
vt dilectus locutus eſt. Iam habemus non vocẽ ſed
præſentiã. Quid ſi addiderimus in bonũ quod de
malis ſubiũgitur, dominꝰ in ira ſua, in ira boni zeli
quẽ tollit à repudiata. Conturbabit eos vt ſanẽtur,
& deuorabit eos ignis bonus qui dominus eſt.
Fœlix verò deuoratio. Deuoret vtinam nos totos
ignis tuus benigne Ieſu. Siquidem ignis conſumẽs
es tu, & pedes tui ſicut electrum in camino ardẽti.
Iacuit ad pedes iſtos congelata prius Maria tota,
C mox in lacrymis inſtar niuis, ad ſolem feruidum li-
quefacta eſt. Audiebat ſimul eloquiũ tuum, quod
eſt ignitũ vehementer, nõ ſolum ignitum, ſed ſicut
oleum effuſum nomen tuum in fomẽtum ardoris.
Ante faciem ardoris huius quis ſuſtinebit? quis eſt
qui ſe abſcõdat à calore eius? quiſquis erit infœlix,
congelatus erit. Spectat hoc nimis accommodè
myſterio corporis & ſanguinis tui Ieſu Chriſte, qui
propter nimiam charitatem qua dilexiſti nos, de-
ſcendiſti in abyſſum incendij. Corriget fortè ali-
D quis & dicet non te deſcendiſſe, dũ mitteres hunc
ignem in terram, ſed aſcendiſſe in altitudinẽ crucis
tempore meridianæ & ardentiſſimę paſſionis tuæ,
profectò nihil aduerſum eſt. Quiſquis deſcendit,
ipſe eſt qui & aſcendit. Quiſquis humiliabitur ipſe
eſt qui & exaltatur. Quiſquis nouiſſimum locum
elegit ipſe eſt cui dicit inuitans: Amice aſcende ſu-
periꝰ. Fęlix nimiũ & ſublimis humilitas. Propterea
demerge te ô anima mea, cum nouiſſimo virorum
in profundo ſapientiæ iudicantis qui & humiles
eleuat, & replet bonis, potentes verò deturbat &
E dimittit inanes. Eſt aliud ex dictis noſtris, quod
ſcire deſiderat animus meus. Quo pacto poteſt
ignis intus claudi velut in clybano cordis noſtri,
dum ipſum deuorat exterius. Grata prorſus hæc
inquiſitio, ſed gratior inuentio. Experientia deniq;
cum ſenſu gratiſſimo, & ita gratiſſima vt nil ſupra.
Hæc eſt repletio omnis boni, hic effectus præci-
puus Euchariſtiæ ſacramenti, vbi ſecundũ Diony-
ſium Chriſtus eſt carbo ignitus, immo totus ignis.
Adiuuet nos philoſophica poſitio. Nihil enim pro-
F hibet vel ab hoſte doceri quanquam vera philoſo-
phia noſtræ theologiæ nequaquam ſit aduerſa, ſed
non aſcendit ad eius altiſſima. Tradit philoſophia
quod anima præſertim rationalis tota eſt in toto
compoſito ſuo, & tota in qualibet eius parte, tan-
quam in hoc ſit microcoſmus, id eſt minor mũdus
maiori ſimilis, vbi Deus totus eſt in toto, & totus
in qualibet parte per eſſentiam, præſentiam & po-
tentiã. Conſidera cor hominis, & vide quoniam
intra ſe eſt tota anima tanquã in clybano. Eſt enim
anima, ſecũdũ philoſophos & poëtas ignea vis vel
igneus vigor. Diffundit itaq; ſe per totum cor tan-
quam infra ſphærã actiuitatis ſuæ viuificans ipſum.

Ipſa

Digitized by Google

Ipſa nihilominus anima præambit & circundat & continet exterius cor noſtrum, tanquam circunferentia eius ad extra, dum eſt ipſa eadem tota, ſicut centrum ad intra, tota tamen indiuiſibilis nō ſicut punctus poſitionem habens in continuo, nec extra ſe fluens, ſed aliter mira virtute ex operatione, qua penetrat ſe diffundens. Fatemur. Imaginatio enim non capit hoc, ſed ratio cōcludit & intelligentia, ſi pura ſit & ſimplex, intuetur. Eleuat ſe ſupra continuum & tempus, ſupra hic & nunc temporis & loci materialis. Vis intelligentiæ vel mentis puræ defigit oculos conſpicuos ad hic & nunc æui vel æternitatis. Et ſi non modo per eſſentiam, tamen aliquando per ſpeculum nitidum & imaginem, de quo apoſtolus: Nos inquit reuelata facie, ſupple ab inuolucris phantaſmatum transformamur de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. Fit quippe talis transformatio per illapſum ſancti Spiritus purgātis animam & eleuantis in idipſum.

Hactenus hæc introducta faciunt vt oremus cum Eccleſia, cuius orationes eleuatiſſimæ ſunt & rotæ igneæ, niſi ſit frigidum pectus plus chriſtallo congelatum. Illo nos igne Spiritus ſanctus inflammet, addamus & deuotet, quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, addamus in hoc ſacramento, miſit in terram, & voluit vehementer accendi. Capiet tunc ignea mens cum ſumma facilitate. Sētiet cum ſumma iocunditate, quemadmodū Deus eſt omnia in omnibus, & totus in ſingulis, communis omnibus, & vnicuique ſingularis, totus apprehenſus, à quolibet beato, à nullo comprehenſus totus intimus, totus extimus, totus omniū centrum, totus & circumferentia, totus ſtabilis, dans cuncta moueri. Ad hoc philoſophi conati ſunt, maximè metaphyſici, ſed ſola Dei gratia & & veritas quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt, poterit hoc adipiſci tunc per gloriam conſummatam, & hic in via per theologiam myſticam. Valet inſuper hæc mentis eleuatio mirabiliter ad intelligentiam myſteriorum Euchariſtiæ ſacramenti. Tradidit enim Chriſtus rem à ſenſibus taliter elongatam, vt diſcamus nedum amare, ſed intelligere & venerari cœleſtia, ſecernere materialia à ſpiritualibus, Deum à creaturis omnibus, vitam æternam à mundi fluxibus & caducis calamitatibus. Sciamus proinde quod aliter habet proceſſum ſuum Dei prouidentia ſuper homines, aliter ſupra bruta. Cur ita? Certè vt magis diuinæ gratię & miraculis innitamur quam naturæ. Non quidem vt tentemus Deum, ſed vt nouerimus nos ad finem noſtrum qui ſupra nos eſt, non niſi gratuitis ſuper naturam miraculis peruenire. Hoc quia nō vidit Pelagius errauit ingratus gratiæ Dei, non quod homo deſtituatur operatione ſua naturali propria pluſquā bruta, ſed ad altiora niti debet, & in his gratiæ Dei totus inniti. Nota diſtinctionem hanc de duplicitate operationum, & oppoſitas contra rationes Auguſtini concordabis. Voluit Dei ſapientia ſpiritum rationalem cōiungere materiæ, quatenus iſtas nos connexio docéret, ſpiritum noſtrum cum Deo qui ſpiritus eſt, facilius coniungi poſſe, & quoniam ex eiſdem gignimur & nutrimur incarnata prius de hinc velut impanata vel ineſcata ſub ſpeciebus ſacramenti ſapientia facta eſt nutritio noſtra ſicut & formatio. Et quoniam nutritio proficit ſanis & mun- A dis, facta eſt eadem ſapientia nobis in probatica piſcina quinque vulneribus corporis ſui ſalus, mundatio. Cor famelicum cor quod aruit, quia quia oblitus ſum comedere panem meum, cor durum cor carneum, cor ad ſolem iuſtitiæ nō liqueſcens, ſed obduratum, cor quod derelinquit animā meam, & facta eſt ſicut columba Ephraim ſeducta. Redi nunc ad vocantem te Chriſtum in altari. Dic cū pſalmiſta: Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Eras nempè cor vetuſtum priuſquam emitteret lucem ſuā. B Recreauit te & innouauit in tabernaculis Eccleſiæ detracta pelle vetuſta peccati, defluētibus plumis ad calorem auſtri. Contuſa ad petram Chriſtum in abſtinentia curuitate nimia noſtri.

Grandem nobis fiduciam ſperandæ pietatis induliſti benigne Ieſu, proponens exemplum filij prodigi, cui tanta celeritate pater occurrit, cecidit ſuper collum, oſculatus eſt eum. Stolam citò primam iuſſit proferri, anulum cum calciamentis dari. Denique vitulum ſaginatum in epulationē C occidi. Tu figuraliter es vitulus iſte, quem reuertenti de regione longinqua peccati filio vis apponi. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. O ſupereminens ſcientia charitatis Chriſti, ſi manſiſſet apud patrem perditus iſte filius qui typum tenet Adæ fugientis à facie Domini, vitulus ad epulationem nō fuiſſet occiſus, quia nec Chriſtus immolatus fuiſſet. Ceſſet igitur ô curioſitas quæſtio tua. Cur dimiſit Deus vt peccaret Adā? Ecce quantum fructum Dei ſapientiſſima bonitas elicere ſciuit, potuit & voluit ex peccato.

D Curre iam ô anima pœnitens clama poſt Chriſtum cum Chananæa: Domine Ieſu fili Dauid miſerere mei. Qui ſi fortè à matre comite rogatus vt dimittat te, ſileat & procedat, irrue feſtinatione tota, præueni faciem eius in adoratione dicens: Domine adiuua me: Si rurſus oppoſuerit confundens te, quod panis filiorum non eſt dandus canibus. Reſponde tota fiducia: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tandem mere- E beris audire: Fiat tibi ſicut vis. Filiam tuam (quæ eſt ſenſualitas lunatica, & à dæmonio fomitis originalis malè torta) inueniens ſedatam, & ſedentem in obedientia rationis. Conuiuium enim ſi recogites ô anima, figuraliter reſtaurant ſeptem filij Iob cum tribus ſororibus, quilibet in diem ſuum. Senſiſti quandoque motum reuerentiæ profundæ necnon humilis ad Deum timoris, nō audes præ verecundia ſurſum oculos attollere, dicens cum percuſſione pectoris: Deus propitius eſto mihi peccatori. Scito quod apud te fecit cō- F uiuium primogenitus filius timor in die ſuo.

Senſiſti motum pietatis ad Deum, ad te ad proximum ſuauem & lætum, mitem inſuper, valde profuſum. Hæc dies eſt ſecundi filij. Senſiſti æſtimo tot miſerorum afflictiones in pœnis & culpis ſuper filios hominum, vel ex proprijs anguſtijs luxiſti beato ſanctóque luctu. Hæc eſt dies tertij filij. Corroborata es in vigore tolerandarum aduerſitatum vel in abſtinentiarum rigore firmata. Facta es eſuriens & ſitiens ſatisfacientem iuſtitiā. Ecce quartus filius inſtaurauit in die ſuo conuiuium.

Digitized by Google

Conſiliata eſt in operibus ſupererogantis iuſtitiæ, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ. Hæc eſt dies quinti filij. Intellexiſti myſteria ſacramentorum præcipuè huius, retuliſti omnia quæ videntur ad æternitatis ſpectacula, obtinuiſti etiam mūditiam cordis, ne dum à peccatis, ſed à phantaſmatibus & curis. Pulcher iſte dies & ſerenus eſt ſexti filij. Sapuit tibi tandem per omnes ſenſus intimos, quam ſuauis & bonus eſt ſpiritus Domini guſtantibus eum, videntibus eum, audientibus eum, odorantibus eum, amplexātibus eum in hoc ſacrato. Feliciſſimum hunc ac beatiſſimum in apparatu conuiuij diem filius ſeptimus habet ſuum. Bibunt illic vinum ſeptem filij cum tribus ſororibus, cuius qualis ſit effectus ſi ſcire deſideras, inſinuabit qui dicit: Inebriabuntur ad vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Biberat hanc ſobriam ebrietatem ſpiritus pia mater Auguſtini Monica: dum poſt ſuſceptionem ſacramenti in publico rapta clamauit: volemus in cœlum fideles, volemus in cœlum. Pulſata & exquiſita quid ita clamaret. Demiſſa cum vultu voce inquit: Cor meum & caro mea exit in Deum viuum. Altera quædam ruptis venis expirauit, vim amoris ſancti ferre nō ſuſtinens. Felices ſunt domus illæ fidelium, per quas fiūt per orbem per fructum conuiuium ſingulis diebus illuminatæ conuerſationis. Offert nihilominus holocauſta Iob myſticus, quoniam iuſtitiæ noſtræ non ſunt omnino ſynceræ, egent inſuper conſeruatione. Debet denique conſummationē accipere in gratiarum actione omnis cibus communiter.

Quos præterea fructus apponere ſoleat in hac Euchariſtiæ menſa ſpiritus ſapientiæ, cenſeo meditationi deuotorum potius quam ſcriptorum expreſſioni linquendum, veniant, vacent, guſtent & videbunt. Sed neque putandum eſt nos conſortes & conciues futuros beatorum ſpirituum ab ipſis, deſeri, dum ſedemus in Eccleſiæ conuiuio. Facti ſunt quippe omnes adminiſtratorij ſpiritus propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, cuius arram accepimus hic & pignus. Si ad inſtructionem conuiuij perfectam plurima requiruntur, diuites ſunt hi ſpiritus ad ampliora, habent ad votū cellaria regis, proferunt de theſauris ſuis quæque voluerit interior homo noſter. Petitur ignis & caminus incendij, Seraphin ardent. Petitur ſal & lumen, Cherubin ſapiunt & lucent, petuntur ſedilia, throni habent illa miniſtratur à ſuprema hierarchia, quia miniſtrantibus imperant. Quæritur qui dominetur in cōuiuio, qui virtute pareat, qui poteſtate tueatur, hæc ſecunda poteſt Hierarchia. Quæritur pro inferiori cœnaculo, quod ordo ſit in conuiuantibus offerunt ſe principatus, ſubordinant Archangeli & Angeli ſubſeruiunt. Si fructus defuerint, aſcendamus in palmam crucis, apprehendamus fructus eius, quod ſi ſolos carpere poſſumus infimos minuſque maturos, diſtribuit liberaliter de medijs & ſupremis chorus ipſe ſanctorum per ramos inhabitans. Exemplum accipe. Ibat ad paſſionem Dorothea virgo. Theophilus quidam Scholaſticus exclamauit ad eam (ſuſpicor irridens.) O Dorothea ſponſa Chriſti, mitte mihi mala de paradiſo ſponſi tui. Spopondit ſe miſſuram. Iuſſa flectere ceruicem, horatium prius eximens aſtanti dedit puero qui ferret Theophilo & diceret: Dorothea ancilla Chriſti mittit tibi mala de paradiſo ſponſi ſui. Recepit gratus, applicuit faciei. Senſit continuò vim cœlici cuiuſdā odoris, quo repletus & totus in alterum virū mutatus repetens dicebat: Benedictum ſit nomen Domini mei Ieſu Chriſti. Qui mox captus dirè tortus poſt occiſus, aſcendit in palmam vbi pleno ore vorat fructus eius. Cæterum qua poſſumus ad te fiducia confugere beatiſſima fœminarum. Tu mater es Euchariſtiæ, quia mater gratiæ bonæ. Tu clauigera cellariorum regis pacifici. Tu frangere panem potes illum petentibus. Tu epularis quotidie ſplendidè, non negabis micas vlceroſis nobis & mendicis, quorum tot ſunt linguę clamantes ad tuam miſericordiam, quot ſunt vlcera noſtram oſtendentia miſeriam, vox ſapientiæ vox tua eſt. Nimirum quia tu nedum ſapientia per emphaticam locutionem, ſed mater es ſapientiæ, ſponſa, ſoror, filia. O quam ampliſſimum pandit nobis hæc meditatio & quam amenum hortum, immò paradiſum deliciarum tuarum virgo ſapiētiſſima, cuius in filio ſacramentaliter ſuſcepto laus omnis terminatur. Ego inquit, ex ore altiſſimi prodiui: Ego mater pulchræ dilectionis: ego ſicut vitis fructificaui, cum cæteris in ſapientiæ præconiū numeratis nec finitis. Tu quaſi oliua ſpecioſa in campis, quæ mundo naufragoramum illum oliuæ paternæ protuliſti Ieſum Chriſtum.

Colligere fas habet ipſum in hoc Euchariſtiæ ſacramento fidelis anima, fas illū ferre in ore ſuo, dum veſper mortis aduenieus, ſuadebit regredi ad verum Noë Deum, qui dum creauit eam, miſit per aquas & terras huius diluuij, quatenus bene volando rediret ad ipſum qui miſit illā. Felix planè anima quæ redibit ad veſperam vitæ ſuæ, ferens in ore ſuo ramum hunc oliuæ Chriſtum, per ſacramentalem ſaltem ſpiritaliter ſuſceptionem.

TERTIA PARTITIO PER SOLILOQVIVM CONVERSVM AD *Mariam per notulas quinquaginta.*

Prima notula.

CONTEMPLATIONIBVS tuis deinceps intendere cupientes, nos eſurientes cōuertimur ad te eſurientem olim ad te pauperem ſpiritu & humilem ancillam Chriſti virgo beata, virgo iam benedicta per omnes generationes, virgo nunc æternis epulis ſemper abundantiſſimè plena. Cuius mens contemplata eſt multa nimis ſapienter. Tu conſcia ſuper omnes poſt filium ſacramenti huius abſconditi à ſeculis extitiſti. Ecce plus quam Salomon hæc. Quare? Dic nobis per miſerationes tuas, dic quæ & quanta bona contemplabatur mens tua, cum poſt beneficia tibi ſingulariter exhibita, tu generalia omnibus ceciniſti, dicens: Eſurientes impleuit bonis. Narrat Lucas conſcius ſecretorum tuorum, quod Apoſtoli erant cum mulieribus & Maria mater Ieſu. Subdit poſtmodum: Quotidie quoque per durantes vnanimiter in templo frangebant circa domos panem ſumentes cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis. Eras inter hos ſumentes cibum haud dubiū ô Maria mater Ieſu, exulta-

Digitized by Google

exultabas in ſimplicitate cordis collaudans Deū
& habēs gratiam ad omnē plebem quid ſequitur:
Dominus autem augebat qui ſalui fierent quo-
die in idipſum. Eſt igitur ſalutaris effectus huius
ſacramenti, ſalus & augmentum fideliū quotidie
in idipſum. Et hæc contemplatio tuta præcipua.
Nulla fuit natio, quæ non ſacrificium cenſeret of-
ferēdum illi ſoli quem credebat aut fingebat Deū
ſibi. Sacerdos & ſacrificium eſt nobis factus ô
Maria filius tuus. Sed qualis ſacerdos & quale
ſacrificium, exponit apoſtolus eius latiſſimè ſcri-
bens ad Hebræos. Non in vitulorum ſanguine
& taurorum cæde. Hæc contemplatio altera.

Contemplabatur mens Mariæ, quantum ſe ſa-
crificium arbitrabatur Dauid, quantum Salomō,
quantum omnes priſcæ legis exoluiſſe, ſi multa
taurorum, ſi agnos abſque numero iugularent
Domino. At nos ſub vnica panis exigui ſpecie,
ſub modi vini calice ſacrificium abſque vlla com-
paratione placidius in odorem ſuauiſſimum Do-
mino conſecramus offerentes. Et ſi quidem ho-
ſtia ſecundum literam, parua, nitens ſana, teres,
azyma nudáque ſcripta. Signat hæc ſeptuplex
conditio nos debere vitia capitalia ſeptem exclu-
dere. In paruitate ſuperbiam, in nitore inuidiam,
in integritate iram, in rotunditate volubili ace-
diam, in azymo furfur auaritiæ, in munditia fœ-
ditatem luxuriæ, in ſcriptura hebetudinem gulæ.
Gratias tibi virgo beata, quæ talem nobis ho-
ſtiam protuliſti. Gratias filio tuo, qui nos à iu-
go legis intolerabili liberauit. Væ tentantibus
inducere rurſus ſuper ceruices credentium illud
iugum, quibus ſe Paulus conſtanter oppoſuit, &
apoſtoli conſenſerunt.

Contemplabatur Maria, quemadmodum fuit
tempus ante paſſionem, dum legalia currebant
fructuosè in populo Iudæorum. Fuit tempus
poſt paſſionem vſque ad perfectam prædicatio-
nem euangelij per Iudæam dum erant permiſſa
(quamuis inutilia) quatenus mater ſynagoga cū
honore ferretur ad tumulum. Fuit tempus ter-
tium quo temerator materni ſepulchri reputan-
dus eſt & à fide alienus, qui legalia vel obſeruat
vel obſeruanda contendit. Libenter profectò
nos credentes de gentibus caremus iugo tali, li-
bentérque in hoc ſacrificio puro facili perfectó-
que gloriamur. Non ſumus ingrati gratiæ Dei.
Iuſtitiam enim conſtituere volumus, ſed per gra-
tiam ſperamus ſaluari longè confidentius quam
illi per legem, vt interim de ſacrificijs execrandis
gentilium ſileamus. Congregauit nos Deus in
vnam Eccleſiam in communionem Sanctorum
vnam, dans remiſſionem peccatorum. Itaque
ſub fide articulóque vnius Eccleſiæ Catholicæ
comprehenditur communicatio ſeu communio
omnium ſanctorum. Eſt enim Eccleſia congre-
gatio ſeu potius conuocatio fidelium viatorum,
prout accipitur à triumphante diſtincta. Eſt in-
ſuper Eccleſia continens cōmunionem Sancto-
rum, id eſt ſacramentorum, per quæ nimirū ſacra-
menta fit remiſſio peccatorum. Ceſſat igitur quæ-
ſtio nonnullorum, cur de Euchariſtiæ ſacramen-
to nō factus eſt in ſymbolis articulus, factus quip-
pe eſt ſub communione ſanctorū, id eſt ſacramē-
torum, inter quæ poſt ſacramētum baptiſmi iſtud
ſacramentū fuit prædicatū, & vſu continuo diuul-
gatum quod & antonomaticè cōmunio vocatur.
A Contēplabatur hæc communionē, & ſapuit mens
Mariæ continuandam per generationes vſque
ad conſummationem ſeculi, quod ſi non mutabi-
tur hoc ſacrificium, vtique nec ſacerdotiū Chriſti
nec lex mutabuntur, contra Ioachim & ſequaces
eius, nouam Spiritus ſancti legem in Euangelium
æternum damnabiliter promittentes, propterea
dicitur hora nouiſſima tempus legis Chriſti, quo-
niā altera non ſuccedit. Contemplabatur mens
Mariæ conferens iugiter in corde ſuo, quemad-
B modū Chriſti corpus contentum non ſolū ſigna-
tūm ſub ſpeciebus panis & vini, eſt vera res huius
ſacramenti. Eſt inſuper ſignū ſeu ſacramentū to-
tius corporis myſtici, quod eſt Eccleſia Catholica
tam militans quā triumphans, cuius caput Chriſt'
eſt Chriſti autem Deus. Corpus Chriſti & ſi non
videatur, eſt tamen de ſe ſignū viſibile, gratia verò
vniens fideles in vnū corpus & ſpiritum, cauſatur
à Chriſto. Contemplabatur quemadmodum in
omni ſacrificio altaris datur ſponſus Chriſtus Ec-
cleſiæ ſponſæ ſuæ, datur caput membris, à quo ſu-
C ſcipiunt influentiam perfectionis ſecundum men-
ſuram vniuſcuiuſque membri, quouſq; perueniāt
ad menſuram plenitudinis Chriſti. Contēplaba-
tur omnem hominē viatorem ſignificari ſub hoc
ſacro quoad ſufficientiam ſacrificij, non tamen
quoad finalem efficaciam niſi tantum electi.

Contemplabatur hominū communionem ſub
multiplici differentia. Eſt communio naturæ, à
qua nullus excipitur. Eſt communio ſecundū ap-
titudinē ad gloriam, & ab iſta nullus viator exci-
D pitur, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri.
Eſt communio prædeſtinationis & gratiæ finalis,
& ab illa omnes reprobi viui & mortui excōmuni-
cantur vel excipiuntur. Contemplabatur cōmu-
nionē aliquā eſſe in gratia in meritis ſecundū præ-
ſentē iuſtitiam tantummodò. Similiter aliqua erat
excōmunicatio ſecundū præſentē iniuſtitiam &
demeritū. Rurſus aliqua erat ſecundū præſētis Ec-
cleſiæ extrinſecum iudiciū per ſentētias irregulari-
tatū & excommunicationū initiata. Contēpla-
batur ꝙ in oblationē ſacramenti vt erat ſacrificiū,
E nullus viator quantūcunque peruerſus vel excō-
municatus, erat excipiendus ab offerentis affectu
charitatiuo, ex quo erat capax beatitudinis. Secus
de excōmunicatione iā damnatorū, hinc orat ec-
cleſia, quod hoc ſacrificiū ſit abſolutio ſcelerū &
remiſſio omniū delictorum, quatenus per ſacrifi-
cij virtutem peccatores reuiuiſcant, & ad vitā gra-
tiæ reuertantur. Contemplabatur quod Eccleſiæ
iudicium poterat arcere ſacerdotes offerentes ſa-
crificiū, ne per expreſſam Eccleſiæ orationē com-
F prehenderent excōmunicatos ab ipſa. Noluit ta-
mē nec debuit prohibere charitatis interiorē affe-
ctum, vt dictum eſt, propterea forte fuit inſtitutus
mentalis modus orandi per memento. Contem-
plabatur quod horrenda eſſet excōmunicatio, &
quā timidè ferenda & timidius ſuſtinenda, quæ fa-
ceret hominē ab hac cōmunione ſalutifera ſepa-
ratum. Contemplabatur quod in ratione ſacrifi-
cij petit ſacerdos quoſlibet aſſociare nō prohibi-
tos ab Eccleſia & eius pia intentione. Vnde ſicut
oblatio Chriſti fuit ſingularis pro omnibus, ita
fuit communis pro quolibet ſingulari. Hæc con-
tra timidos auaros in ſpiritualibus qui quærunt

Digitized by Google

appropriare ea ſibi quibus non eſt liberalitas hu-
ius ſacrificij ſatis nota. Contemplabatur quod
licet vna miſſa ſufficiens eſſet de ſe, ſicut & paſſio
Chriſti pro ſaluatione omnium viatorum, nihilo-
minus in ratione ſatisfactionis & pretij plus vale-
bant plures miſſæ quam vna, & plus vna pro vno
quam pro multis, ſecundum ordinem diuinæ ſa-
pientiæ, quæ dat omnibus menſuram, numerũ &
pondus. Scit autem ipſa beata nunc in verbo,
menſuram hanc in Ezechielis menſuratione figu-
ratam, nos neſcimus. Contemplabatur quod exẽ-
plo Chriſti, poterat ſacerdos offerre ſacramentum
pro peccatis aliorum quandoque cum pluri me-
rito quam ſi pro ſe ſolo celebraret, nec ſe tamen
nec aliquem debet excipere niſi modo dicto, nec
ſingulariter appropriare, propterea ſtultè agunt
qui volunt miſſas dicere ſecundũ intentiones ſuas
quaſi venales & mercenarias & auaras, & non ſe-
cundum intentionem & traditionem Eccleſiæ li-
beralem planè, nec ſunt audiendi. Contempla-
batur & ita ſeruabat charitas Mariæ, vt ſacrificiũ
intus offerret nõ niſi Deo, nec ad aliquem ſe obli-
garet quaſi pro vice gratuitorũ oblatorum. Iam
enim videretur ſimoniaca mercatio ſed non pri-
mo modo, dum ſolus Deus eſt principalis termi-
nus. Contemplabatur quod titulus ſolus, ſecu-
rus & mundus à ſimonia vel turpi quæſtu in rece-
ptione temporalium per ſacerdotes, eſt titulus ſu-
ſtentationis miniſtri ſeu ſacerdotis celebrantis.
Qua ſuper re longus alibi de ſollicitudine Eccle-
ſiaſticorum tractatus eſt habitus. Contemplaba-
tur quod titulo generaliter quadruplici quælibet
perſona viatrix tenetur offerre ſacrificium hoc ip-
ſi Deo, ſaltem ſpiritualiter in ſui cordis altari. Pri-
mò ratione charitatis ad ſe. Secundò titulo ratio-
ne conſortij ad omnem hominem capacem beati-
tudinis. Tertiò ratione beneficij ſuſcepti ſit in
bonis fortunæ, ſit in bonis naturæ, ſit in bonis
gratiæ. Quarto ratione gratiarum actionis Deo
& ſanctis omnibus pro beneficio tanti ſacramen-
ti cum cæteris, complacenter beuolè recolendo.
Contemplabatur quod vltra titulos iſtos obliga-
bantur ſacerdotes titulo ſuſcepti tanti ſacerdotalis
officij, vt poſſint gloriari cum Apoſtolo. Gratia
Dei in me vacua non fuit. Cum enim creſcant do-
na rationes etiam creſcunt donorũ diuerſimodè
tamen pro qualitate circunſtantiarum. Contem-
plabatur quemadmodũ Chriſtus lauit pedes Apo-
ſtolorum ante conſtitutionem huius benedicti ſa-
cramenti & ante miniſtrationẽ, in ſignum quod
ſolis mundis debet tradi, & à mundis celebrari,
dicente Apoſtolo: Probet autem ſeipſum homo,
& ſic de pane illo edat. Nota ſunt quæ ſequuntur
ſed pro multis horrenda. Contemplabatur quod
ad celebrationem & ſuſceptionem tã ſublimis ſa-
cramenti nullus de ſe dignus eſt, quia nec ex me-
ritis quæ incerta & ſæpè vana & ſordida ſunt, nec
ex officio, quia iuſtè & ſanctè quæ ſancta ſunt exe-
queris. Hinc fuit tanta apud multos reuerentia,
quod ſacerdotes eſſe fugerent. Legitur hæc de ſan-
cto Marco & de nonnullis eremitis. Contem-
plabatur quod ſtante conſcientia bene ſibi cõſcia
de non impedimento peccati mortalis vel irre-
gularitatis vel excommunicationis vel ſcandali,
ſacerdos laudabilius faciebat celebrando modo
& tempore conſtitutis ab Eccleſia quam propter
ſolam reuerentiam abſtinendo, & hoc cæteris pa-
A ribus. Rationes poterunt infra tradi.

Contemplabatur quemadmodum ſtaret aliquẽ
ſacerdotem vel alterum communicãtem eſſe rea-
liter in peccato mortali & extra gratiam, vel in ex-
communicatione, & tamen non peccabit nouiter
in celebrando vel communicando. Non negatur
tamen quin ſemper ſit in peccato, ſed non peccat
nouiter in hoc actu ſuo. Valet hæc contemplatio
pro ſcrupuloſis, & habet locum quãdo facta exa-
minatio conſcientiæ, pro vt ſolet in talibus fieri
bona fide de recolẽdo & amouendo omne pec-
B catum, & impedimentum pro tunc non occurrit.

Contemplabatur exinde Maria, quod ad nõ in-
dignè celebrandum ſeu communicandum ſufficit
conſcientia probabilis coniecturæ, quod pro tũc
habet impedimentum neceſſariò vetans vel arcẽs
ad celebrandum vel communicandum. Et hoc
iterum contra ſcrupuloſos conſolatoriũ eſt docu-
mentum. Contemplabatur quòd à tanto bono,
tam honeſto, tam vtili de ſe & delectabili, nõ erat
C priuandus vel arcendus homo ſine magno & le-
gitimo impedimento, vt pro immunditia corpo-
rali ſola quæ mortali peccato iuncta non eſt, ſcan-
dalo tamen rationabili non imminente. Longus
eſſet hic proceſſus de leproſis, de menſtrua patiẽ-
tibus vel hæmorrhoidas vel pollutiones in ſom-
no, cum cæteris. Ratio omnium eſt, quia non eſt
afflictio danda afflicto, ſed conſolatio. Ratio al-
tera, quia cibus iſte magis eſt ſpiritus quam carnis,
qui nec carnalibus ſordibus in ſe vel ex ſe macu-
latur. Eleuet in hac conſideratione deuotio fide-
lium ſurſum corda.

D Contemplabatur magnificãs anima Marię Do-
minum cũ exultatione ſpiritus in Deo ſalutari ſuo,
quemadmodũ præſentialiter erat in hoc ſacramẽ-
to iſte cui miniſtrant millia millium, & decies cẽ-
tena millia aſſiſtunt ei. Non ita tamen quod om-
nes dimiſſo empyreo cœlo, aſſiſterent huic in ter-
ris ſacramento, niſi ſecũdum ordinationem diui-
næ ſapiẽtiæ cum beneplacito creatoris. Contem-
plabatur non eſſe indignum ſed digniſſimũ videri
angelicis ſpiritibus viſitare præſentialiter eccleſias
E in qua celebratur & ſeruatur Euchariſtiæ ſacramẽ-
tum. Exemplum huius figurale fuit in ſcala Iacob
& in monte Synai, quando data eſt lex per ange-
los in manu mediatoris, cum ſimilibus multis.

Contemplabatur quanta erat patientia Chriſti,
quanta angelorum beatorũ hęc aſſiſtentium, dum
tolerant indignitatem contrectantium hæc ſacra-
mentum, cum illi tanta ſeueritate puniebantur ac-
cedentes ad montem Synai. Vnde & beſtia ſi te-
tigiſſet montem, obruebatur lapidibus. Sæpè au-
F tem poteſt in hæc ſacramento conqueri Chriſtus:
Manus tradentis me mecum eſt in menſa. Et il-
lud: Iuda, oſculo filium hominis tradis. Nihilo-
minus ex peccatis talium elicit Deus bona in ſa-
lutem electorum, ſicut ex bonis Dei mala pecca-
tores eliciunt. Contemplabatur quod hoc ſacrifi-
cium dabat gloriam Deo in excelſis, & in terra pa-
cem hominibus bonæ voluntatis, lætificabat an-
gelos, liberabat purgatorio detentos, vt eorũ pœ-
na breuior ſit aut leuior. Viatoribus impetrabat
nunc conuerſionem ad gratiã, nunc conſeruatio-
nem in gratia, nunc contra mundi pericula firma-
mentum, nunc angelorum cuſtodiam & refrena-
tionem

Digitized by Google

tionem tentatorum. Contemplabatur ex his & ſimilibus effectibus laudabilius eſſe ex amore ſacramenti & confidentia miſericordiæ Dei ſæpius accedere, quã ex timore vel ſcrupulis diu ſe ab eodem ſacramento quodãmodo excommunicatum facere, qui nec ſe exponit periculo qui non habet certitudinẽ de legitimo impedimento & accedit, quemadmodũ ſupra notatum eſt. Sed & ſtultus illius timor eſt, vel reuerentia minus prudẽs, qui ad Dominũ ſe vocantem & inuitãtem nõ accedit ſed procraſtinat, ſed dicit voce corui, cras, cras, cras. Sæpè demũ fit illud: Qui nõ eſt hodie cras minus aptus erit. Contemplabatur tales qui nolunt accedere niſi ſint actualiter deuoti & feruidi, ſimiliter agere quaſi frigidus nolit ad ignem proximare niſi prius calidus ſit, nec ſordidus niſi ſanus. Sit tamen iſte viuens non mortuus per mortale qui confidit accedere. Alioquin ſi ſit mortuus, non recipit emolimenta viuorum, non eſt conditio mortuorum vt comedant.

Contemplabatur Maria etiã ſe ex ſe nequaquã eſſe dignã excelſior ſuper omnes. Dicebat igitur cum Apoſtolo: Venit Deus ſaluos facere peccatores, quorũ prima ego ſum. Sed miſericordiam in præſeruatiua ſanctificatione & redemptione ab omni peccato etiam originali cõſecuta ſum, alioquin etiam natura filia iræ fuiſſem ſicut & alij. Solus & vnicus filius meus neque peccatum neque neceſſitatem habuit conſequendi peccatum priuilegio ſingulari quia ſingulariter ex Spiritu ſancto natus. Contemplabatur aliquando commũnicantes ſecum in Euchariſtia peccatores eſſe, fortè & peccatores ſciebat eſſe aliquos qui ſacramentum miniſtrabant, qualis fuiſſe putatur ſeptimus Diaconorum Nicolaus. Sed non ceſſabat ob hoc non refugiebat, non ſe excommunicabat, id eſt extra cõmunicationem ſe ponebat. Sciens & recolens dictum filij ſui qui ſumitur in hoc ſacramẽto: Venit peccatores ſaluos facere, dũ Phariſæorum falſa iuſtitia indignaretur, exprobrans & dicens: Hic peccatores recipit. Et iterum ad diſcipulos: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? Sed neque Chriſtus prohibuit Iudam per abnegationem cibi ſui. Cõtemplabatur amplius & complectebatur ampliſſimo ſinu charitatis omnes peccatores terræ & publicanos & meretrices, quales ſæpè præcedunt in regno Dei. Clamabat valide cum lachrymis intra templum cordis ſui ſe cõnumerans exemplo Danielis: Peccatores, te rogamus audi nos. Miſerere noſtri ſecundum magnam miſericordiam tuã, quia peccatores magni ſumus. Et ſecundũ multitudinem miſerationum tuarum, quia multi ſicut inſpicis ſumus. Exemplum itaque dedit nobis quantumcunque videamur iuſti, vt quemadmodum illa fecit, ita & nos faciamus. Nemo alium iudicet, nemo damnet, ſed ſolum per Eccleſiam ſuam & ſuos damnet Deus. Coruus fuit qui paſcebat Heliam. Præſcripſit formam orationis, excipiens nullum qui dicere iuſſit, Pater noſter non meus dimitte nobis debita noſtra, non mea.

Contemplabatur fieri quandoque vt rex introduceret quæſtorem in cellaria ſua, collaturus bona, dum pro pluribus & maioribus indigentibus exponit ſe quærere. Siquidem vbi abundauit delictum, ſuperabundat & gratia, maior quoque miſeriarum abyſſus, abyſſum fortius inuocat miſericordiarum. Contemplabatur & aſſumebat huiuſmodi ſacramentum quaſi hora ſua eſſet qua trãſitura erat ex hoc mundo ad patrem, vel poſt deſertum ad terram promiſſionis, comeſtura de fructibus. Reuoluebat animo tota celeritate omnia noua & vetera de theſauro cordis ſui, quæ ad deuotionem & venerationem & laudem & iubilũ cum exultatione ſpiritus prouocabant, maximè omnia quæ cœpit Ieſus facere & docere ſingulariter ſecum & vniuerſaliter cum omnibus per totum vitæ curſum, ab introitu ad exitum & vſque in ſeculum. O quantam quam vberem vides anima Chriſtiana Mariam tibi miniſtraſſe materiam contemplandi. Expergiſcere igitur; oculos aperi; aures erige, cor dilata, & excipiens Euchariſtiam clama. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Faſciculus vtique paruulus mole, ſed virtute immenſus. Dic ex ſententia, hoc eſt ſenſu vel ſentimento intimo. Omnia poma diuinarum ſcripturarum, noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi. Et vnde quia dediſti mihi, de tuo tibi reddo. Talis mihi certè es qualem te fideliter recogitauero. Infans, puer, iuuenis, prædicans, ſanans, moriens, reſurgens, regnans.

Contemplabatur ſuſceptionẽ Euchariſtiæ quaſi filium audiret ex cruce dicentem ſibi quod latroni iurauit. Amen dico tibi, hodie mecũm eris in paradiſo. Siquidem gratia Dei (teſtimonio ſapientis) eſt paradiſus in benedictionibus. Et vbi gratia ſi non Euchariſtia, quæ per excellentiã bona gratia nuncupatur? Porrò gratia Dei vita æterna ſcilicet vita & pax. Eſt autem in Euchariſtia pax noſtra Chriſtus. Completur ergo ſalutatio tua ô Paule totiens poſita & à Ioanne & Petro ſimiliter: Gratia vobis & pax. Quid gratia & pax niſi gratia pacifica? Et ſi pacifica non eſt impedita. Deductum verò prius habes quod paradiſus & æterna vita eſt fruitio Dei ſecundum habitum gratiæ non impedita, præſertim quando eſt conſummata.

Contemplabatur cum exultatione ſpiritus Euchariſtiam in templo, iubilãſque dicebat: Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. Suſcepimus olim miſericordiam hanc viſibiliter, me præſentante Symeone, recipiẽte Anna prophetante. Etenim Deus meus miſericordia mea. Suſcepimus hanc eandem ſacramentaliter quotidie, ſi volumus in medio templo cordis noſtri. Itaque templum Dei ſumus. Nos quæramus ſapientiam accuſantem, non iuſtitiam damnantem, non potentiam puniẽtem, ſed miſericordiam abſoluentem. Suſcepimus eam ſacramentaliter quotidie mirabilia in exceſſu facientem. Facit de ſapientia accuſante aduocatam, de iuſtitia damnante abſoluentem, de potentia puniẽte protegentem & liberãtem. Siquidem factus eſt nobis Chriſtus à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio, via, veritas & vita. Contẽplabatur exiſtentiã mirabilem filij in hoc ſacramento, quẽ viſibiliter tractauerat cũ blanditijs & oſculis ſuauiſſimis in gremio corridentem. Credebat hoc idẽ ſibi licere nunc, quãuis alio modo, ſed nõ minori merito. Oſculatur, tangit, & quod ſibi tunc nõ licuerat corporaliter, manducat & bibit & accipit vitã, nã qui manducat me inquit, & ipſe viuet propter

Digitized by Google

me. Grandem rem tibi ô anima Chriſtiana grandem nimis æſtimaſſes, ſi virgo benedicta poſuiſſet olim filium ſuum in gremio tuo. Si conceſſiſſet amplexũ & oſculum, ſed habens hic rem ſuo miraculo & merito grandiorẽ. Eia nunc ô anima cãta cantica canticorum quæ ſuſpirabunda petebas. Quis det mihi te fratruelem meum ſugentẽ vbera matris meæ, vt inueniam te ſolũ foris & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat. Ecce foris & verè foris, à nemine viſibilis, dat ſe ſolũ tibi, dat vt oſculeris eum, fac quod ſequitur. Apprehende eũ & introduc in domũ conſcientiæ tuæ, quæ eſt domus ſapiẽtiæ matris tuæ. Illic docebit te, da & mihi potũ ex vino conditũ deuotionis tuæ, da mihi muſtũ malogranatorũ tuorũ feruidæ dilectionis.

Contemplabatur in Euchariſtia, quia nõ eſt hic localiter corpus filij ſui. Non enim poſſet trahi linea viſualis à corpore Chriſti, vt hic eſt ſacramẽtaliter vſque ad oculũ, & è conuerſo. Credebat ꝙ per concomitantiam erat anima in corpore, ſimiliter cum ſanguine & cũ deitate. Sed nunquid per concomitantiã erant illic dũ conſecrabantur tẽpore cœnę veſtes ſuæ, nunquid aër circũſtans corpus & veſtes? Curioſitas aut ſtudioſitas hoc inquirit, vt deducat ꝙ in hoc ſacramẽto per concomitantiã, ſunt omnes Angeli, omnes Sãcti. Et tu beatiſſima virgo, immò ſub breui verbo totus mũdus, ſiquidẽ Deo canitur: Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Orat Eccleſia patrem, vt veniens filius tuus cũ omnibus ſanctis, paratã ſibi inueniat manſionẽ.

Contemplabatur corpus verũ filij ſui ſacramentũ eſſe corporis ſui myſtici. Signat igitur hoc ſacramentũ totã Eccleſiam electorum, etiã ex vi ſacramenti. Non tamen dicimus quod cõtineatur hic tota Eccleſia ſub ſacramento. Concedimus quod Chriſtus homo eſt vbiq; perſonaliter, quia videlicet perſona Chriſti verbum Dei eſt vbiq;. Nõ tamen cõcedimus quod Chriſtus ſit vbique corporaliter dimenſiuè, ſed tantũ in cœlo & ſacramẽtaliter in tẽplo. Logica hic opus eſt, vna ex ancillis ſapientiæ, ſi nolumus malè loqui. Cõtẽplabatur ideo dici corpus Chriſti in hoſtia, quia conuerſa erat in ſe ſpeciebus hoſtiæ reſeruatis. Vnde conſequens eſt, ſi Chriſtus apparuerit hic aliquando ſub ſpecie pueri vel crucifixi, ſi debeat credi quod ſit ibi Chriſtus, oportet quod ſpecies hoſtiæ remanſerint, alioquin non erit ibi Chriſtus ſacramentaliter, ſed nec videtur quod localiter, cum talis nõ ſit in cœlo ſtatus & ſtatura. Caueat igitur ſibi curioſitas inquirendi miracula. Caueat vicina leuitate tales protinus adorare viſiones. Meminerit de Martino cui ſpiritus nequam trãsfiguratus apparuit in ſpecie Chriſti, qui Angelus eſt magni cõſilij, nedum Angelus lucis, ſed lux Angelorum.

Contemplabatur exiſtentiam filij ſui viuacius per intelligentiam quam per ſolam fidem, & nullo modo imaginationem admittebat, immò nec rationem. Percipiebat inſuper præſentiam eius per amoris ſentimentum & complexum. Quanto verò ſit perſpicacior oculus intelligẽtiæ, quã imaginationis vel rationis, metaphyſici tradiderunt, immò & mathematici, de quibus minus videretur, vix credibilia poſuerunt. Putant ſe perſpectiui demonſtraſſe, quod omnes radij luminis & colorum omnium quantumcunque à circũferentia prodeuntium, cõcurrunt impermixti in quolibet puncto medij vel ſpeculi vel oculi. Sic inquiunt, in guttula iridis ſunt tres, colores qui apparent in arcu, ſic in collo columbæ, ſic certè conſequens eſt quod infinities infinitæ. Sic in organo memoriæ diceremus. Et quis ineruditus oro crederet iſta? Demonſtrat arithmetica cũ geometria, quod in quolibet paruo piſo vel calculo ſunt omnes numeri cũ figuris omnibus & habitudinibus ſuis, quæ omnia vtique ſunt infinita. Nec eſt vt dicatur quod ſolum ſunt in potẽtia. Videt quippe Deus actu, & in actu omnia talia. Si poteſt per ſolam remotionem (exemplo Dionyſij) vna figura fieri viſibilis in hoc piſo, præexiſtebat igitur in eo, quia nihil additum eſt, ſed ſubtractum, cur non ita de cæteris figuris dici poteſt? Contemplabatur hæc Maria longè viuacius oculo intelligentiæ quantum ſpectabat ad magnificandum dominum (cuius potentiæ & ſapientiæ non eſt numerus,) quam quicunque philoſophus docente eam Spiritu ſancto omnem veritatem. Et ſi non fortè ſemper in actu, tamen in habitu. Accipiat hanc expoſitionẽ quiſquis aliquam vellet ſtruere calumniam ſuper omnibus Mariæ contemplationibus tactis aut tãgendis, ſi & quantum continent veritatem. Sciat Mariam maiori cognitione totius ſeculi cum decurſu fuiſſe præditam, quam prophetarum vel apoſtolorum vel philoſophorum cœtus vllus. Si mathematicus viſo piſo cognoſcit in eo non per imaginationem neque per ſenſum exteriorem ſed per ſcientiam demonſtrationis acquiſitã, tot theoremata, geometriæ, tot arithmeticæ, tot perſpectiuæ, non abneget illa quę de ſacramento credimus intelligi poſſe Domino reuelante, qui intellectũ dat paruulis. Sunt innumerabiles populi quos Deus trahere vult poſt ſe per cognitionem & amorem. Et quia cognitio intellectualis datur pauciſſimis dedit fidem innitentem authoritati dicẽtis, intuentem vicinius & adhærentem firmius & certius, quam adhæreat philoſophus per ſciẽtiam ſuis concluſionibus. Docet hoc effectus, quia fidelis citius vitam deſerit quam fide, non ita philoſophus. Tale aliquid miratus eſt in Ignatio, Traianus, ſicut legitur, cuius Ignatij illud eſt inſigne elogium: Amor meus crucifixus eſt, qui à te virgo beata litteras accepit reſponſiuas ſuis petitionibus, vt ex te, per te & in te fides neophitorum firmaretur.

PARTITIO QVARTA PER SOLILOQVIVM QVASI NARRATIVVM

de contemplationibus Mariæ ſuper hoc ſacramento. Et principaliter de duodecim bonis eius quibus replentur eſurientes, per notulas centum cum additione quadraginta theorematum de vnitate.

CONTEMPLABATVR amplius Maria magnificans Dominum quam magnã fecit ipſe cœnam, quã lautum & ſplendidum conuiuium, dum ſuis fidelibus inſtituit hoc communionis ſacramentum, dum eſurientes impleuit bonis. Dicta ſunt aliqua de Euchariſtia prout data eſt in oblationem ſacrificij mixta ſunt aliqua de ipſa eadem, prout eſt in communione conuiuij, ſed ſuperſunt ampliora ſi benedixerit Dominus cœnam ſuæ familiæ, ſi fregerit panes,

panes, ſi cum piſciculis iuſſerit illos recumbentibus miniſtrari. Nunc duodecim ſportæ, nunc A cophyni ſeptem poſt ſaturitatem colligentur fragmentorum. Tanta eſt tam efficax Chriſti benedictio, quia & per benedictionem ſe totum largitus eſt in hoc communionis ſacramento. Cæterum facto interim ſilentio de ſpeciali ſeu perſonali refectione viatici quod eſt tertium bonum, notemus adhuc pauculas beatæ Mariæ contemplationis de ſecundo bono contenti de dictis ſuper primo.

Contemplabatur Maria conferens in corde B ſuo ad inſtructionem huius conuiuij quaſi omnes cataractas cæli aperiri. Quis fidelium dubitet (inquit Gregorius) in ipſa immolationis hora cælos aperiri, & imis cæleſtia iungi? Dicuntur hic aperiri cæli, non per fractionem ſed per influentiam ſpecialem, qualiter optabat propheta dicens. Vtinam dirumperes cælos. Et iterum: Rorate cæli deſuper &c. Vox inſuper eſt eccleſiæ gratulantis, hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cæli. Sicut inuenimus Dalidam perfidam dixiſſe de Sanſone: Nunc aperuit mihi cor C ſuum, ſecretum enim reuelauerat, ſic hic reuelantur cæleſtia. Contemplabatur quod iſtic iunguntur ima cæleſtibus propter connexionem mébrorum eccleſiæ militantis cum membris eccleſiæ triumphantis in vno capite Chriſto præſentialiter hic exhibito. Orat eccleſia patrem. Iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui, qui Chriſtus eſt angelus magni conſilij, perferens totum corpus myſticum in ſublime altare diuinæ maieſtatis. i. ſupremæ & altiſſimæ diuinitatis. Maieſtas itaque dicitur quaſi magnitudinis ſtatus. D Peracto demum ſacramento dicitur corpus Chriſti rapi & in cælum ab angelis deferri, non per realem loci mutationem ſed per operatiuæ connexionis virtutem. Contemplabatur quam iſtic eſt oblatio vna, & plures offerunt. Offert filius offert ſpiritus eius ſanctus. Offerunt angeli: offerunt ſacerdotes, offerunt fideles aſſiſtentes, qui quanto plures ſunt & deuotiores, tanto fit acceptior oblatio, quod valet pro celebrantibus in medio ſeu patenti eccleſiæ loco. Tu ſingulariter & efficaciter E offers poſt filium virgo benedicta, vita dulcedo & ſpes noſtra. Contemplabatur quod iſtic aliud eſt ſacramentum aliud vſus ſacramenti, non ſic in baptiſmo. Vſus eſt ſacramentalis comedere & bibere ſub intentione eccleſiæ. Hic vſus & ſi veraciter nutriat corpus, ſicut & alios effectus habet naturales, ne deprehendatur tranſſubſtantiatio, & hoc ad fidei meritum, non tamen ordinatur vſus ad hunc effectum, ſed ad ſolius mentis nutrimentum. Hinc Chriſtus ait: F Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, quia vitam ſpiritualem reficiunt. Iſte eſt finis, hæc inſtitutio. Contemplabatur Maria quod iſtic poſt deſitionem accidentium panis & vini deſinit eſſe corpus Chriſti & ſanguis, non per annihilationem vel aliam in ſe mutationem. Redit autem materia vel eadem numero quæ prius fuit, quod vtique fieri poteſt per creationem vt redeat idem numero, aut materia creatur nouiter, qualis eſt carnis vel vermis vel alterius rei, quæ per actionem accidentium ſuccreſcit. Placet alijs melius dicere, quod ſicut accidentia habent modum ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtendo, ſic tenent locum materiæ & formæ panis in agendo & patiendo, non nouo, ſed antiquo miraculo. Contemplabatur magis ad rem noſtram deuotionis amplificationem. Aſpiciebat in latitudine cordis innocentis, quemadmodum electi omnes conferunt partes ſuas ad opulentiam huius conuiuij, à primo Abel iuſto vſque ad vltimum qui naſciturus eſt in mundo. Conſiderabat præcipuè fratres ſuos duodecim apoſtolos. Hi volentes conuiuium eſſe ſplendidum, collegerunt ex omnibus reliquijs ciborum à domino benedictorum & multiplicandorum duodecim ſportas vel cophynos. Hos vocamus ſymbolum apoſtolorum. Appoſuit enim quilibet bolum ſuum. i. articulum. Sed ô magne Deus quam magna virtute refertum. Introducat nunc nos rex in hæc cellaria ſua, quorum tu celleraria es. O tu beata, tu maximè conſcia ſubſtantia. i. fundamentum es illorum qui Chriſtum de te dicunt conceptum & natum.

Contemplabatur quemadmodum ſuper floridum Ieſum, qui flos eſt campi inenarrabilis benedicti ventris ſui, ſpirituſſanctus ſeptem dona quaſi totidem refectionis ſpiritualis nutrimenta diffuderat per deſcenſiuum illapſum, nec deſinit effluere tanquam caput in membra. Sed per quod medium? Planè per te virgo virga Ieſſe. Tu collum eccleſiæ firmiſſimum & candidum, tanquam turris eburnea, & ſuauiſſimum quaſi vinum. Tu connectis eccleſiæ membra ſuo capiti Chriſto filio tuo, tu ſuſtentas, tu vitales hauſtus prima ſuſcipis & refluis, tu aſpiras & reſpiras in eccleſiæ corpus vniuerſum. Contemplabatur ſeptem panes dotum iſtorum donorum, coniunctos panibus alijs ſeptem beatitudinum, quibus connectuntur ſeptem panes dotum beatarum. Porrò ſacramenta ſub eodem numero, necnon virtutes totidem contra rabidam famem ſeptem vitiorum. Sed hæc ex alibi traditis notiſſima, non hic docendo, ſed curſim rememorando poſuiſſe, ſatis ſit ad amplificationem noſtri conuiuij.

Contemplabatur Maria pauperes eccleſiæ militantis circa tale conuiuium diuerſimodè ſe habétes: Vox aliquorum eſt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. Et iterum. Calix meus inebrians quam præclarus eſt. O verè mirabilis contra tribulantes armaturæ ſpecies vt menſa ſit ad tutamentum, quæ prius literaliter afferre ſolet carnalibus nocumentum. O vehemens ebrietas quæ mortem ſuperat & infernum, de qua pſalm. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.

Contemplabatur alios quaſi mendicos, petere, quærere, pulſare, dicentes ex inſtitutione Chriſti: Panem noſtrum quotidianum (& ſuperſubſtantialem addit Lucas) da nobis hodie. Iungebant ſex petitiones iſtę mediæ tres vltimas quæ ſunt de remotione triplicis mali. ſ. culpæ, pugnæ & pænæ. Nec non tres primas quæ ſunt de collatione boni ſanctificationis & regni, & beneplaciti diuinæ voluntatis. Contemplabatur plurimos per omnes generationes eam dicentes beatam, quia gratia plena, quia domino ſociata, quia benedicta in mulieribꝰ, & pręcipuè quia per eá collatus

Digitized by Google

fuit fructus vitæ, fructus benedicti ventris ſui Ieſus Chriſtus amen. Quare tota deuotione offerebant ſibi aue Maria, quia complacebāt in recordatione nominis ſui, quia congratulabantur ſuæ felicitati, & ſuam famam optabant augeri. Concinebant denique poſt impletionem bonorum ab ea prouenientium: Magnificat anima mea dominum.

Contemplabatur mens Mariæ magnificans dominum cum exultatione ſpiritus, quemadmodū dominus inſtituens Euchariſtiæ ſacramentum, eſurientes impleuit bonis & diuites dimiſit inanes. Et hoc ſub triplici bono eſurientium impletiuo. Vnum eſt bonum oblationis ſacrificij. Alterum bonum communicationis conuiuij. Tertium refectionis viatici vel edulij. Primum quoad Deum, ſecundum quoad proximum, tertium cuiuſlibet quoad ſeipſum. Et quidem de duobus primis plurimæ ſunt Mariæ contemplationes inductæ. Fuerunt nonnulli qui non ſatis attendebant ad hoc primum duplex bonum Euchariſtiæ, quod habet oblationem Deo & communionem proximo. Conſiderabant duntaxat tertium bonum propter ſimilitudinem ad panem & vinum quod datur in refectionem edulij ſeu & viatici. Conſulebant idcirco ſeuerius, ne quis accederet ad hoc ſacramentum, niſi valde ſanus & mundus. Mouebat eos iſte medicorum aphoriſmus: Ægra corpora quanto magis nutries, tanto plus lædes. At verò perſpicuum eſt quod Euchariſtiæ ſacramentum etiam vbi lædit accipientem aut conſecrantem, neque ſibi prodeſt pro viatico refectionis, prodeſt tamen eccleſiæ toti pro ſacrificio oblationis & ſacramento communionis. Væ tamen homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, hæc pro præfatione. Veniamus ad Mariæ contemplationes circa tertium fructum. Præmittamus ſub quadruplici metro totum Mariæ compendium pro dictis & dicendis. Hoſtia ſacrificat, ſatiat, cibat. Ecce tres fructus principales. Sequitur in ſpeciali de cibo ſub numero contemplationum duodecim cibus iſte, Reſtaurat, ſatiat, delectat, roborat, auget, Obdormire facit, caro ſeruit mens dominatur. Vim genitiuam dat, transformat inarrat, & vnit.

Contemplabatur mens Mariæ ſacramentum Euchariſtiæ tanquam cibum refectionis ſub ſpecie panis & vini, vt ſignum ſignato reſponderet, vt ſimilitudo curreret pedibus ſuis dum dicitur: Eſurientes impleuit bonis & diuites dimiſit inanes. Contemplabatur in Euchariſtiæ ſacramento filium ſuum, qui factus eſt cibus hominum, qui ſemper eſt cibus angelorum. Contemplabatur quod eſurientes qui ſunt pauperes ſpiritu, impleuit bonis per hunc cibum, dum faſtidioſi diuites dimittuntur inanes. Eſurientes ſiquidem impleuit. Primò bono reſtaurationis. Secundò bono ſatiationis. Tertiò bono delectationis. Quartò bono roborationis. Quintò bono augmentationis. Sextò bono obdormitionis. Septimò bono ſubiectionis in carne. Octauò bono dominationis in mente. Nono bono inſuper generatiuæ virtutis. Decimò bono transformationis. Vndecimò bono inarrationis. Duodecimò bono vnionis. Sumamus compendium à vocabulis bonorum iſtorum cum ſuis contemplationibus in Maria iungendo prædictis.

A

Primum bonum reſtaurat.

Vita ſpiritualis ſicut & corporalis ſuo modo conſeruatur in calido & humido debitè commēſuratis. Loquimur autem hic de vita ſecunda quæ conſiſtit in actione, prouenitque à vita prima. Vicem calidi tenet charitas ſeu gratia prout charitatem nominamus feruorem charitatis in agendo, vocem huiuſmodi quaſi paſſiuam ſibi vendicat affectio bona voluntatis. Sit hoc memorabile pro dicendis omnibus fundamentum. Sicut enim non perditur vita eſſentialis animæ, ſic nec reſtauratur. Porrò dicimus vitam animæ chriſtianæ vitam amoris. Amor tuus vita tua, loquitur ad animam ſuam Hugo. Amorem intellige non cuiuſcunque, ſed Dei, alioquin quilibet aduerſus amor nominatus libido vel cupiditas mors, non vita dicendus eſt. Diliges Deum ex toto corde iubet Deus, ſubiungit amoris huius effectum, & viues. Creſcente verò cupiditate vel libidine minuitur aut obtunditur actus & feruor charitatis, & ſi habitus permaneat. Quot autem modis & quotiens iſtud contingat, plus experimentis docemur quam verbis. Notauit hæc mala ſub quadruplici clade Amos propheta, quaſi per totidem animæ paſſionis quæ ſunt ſpes, metus, mæror, gaudium. In eruca nominatur gaudium carnis virentia carpens. In locuſta notatur ſpes arrogantis. In bruco autem iners & totus exterioribus incumbens metus. In ærugine mæror ſeculi interiora conſumens. Ex his quid ſupereſt niſi vita languens & ægra? Pollicetur alius propheta vice domini, quod reuertentibus ad ipſum reſtitueret annos quos eruca, locuſta, brucus & ærugo conſumpſerunt. Hæc eſt reſtauratio quam operatur dominus per Euchariſtiæ ſacrum cibum, quia ſanat has infirmitatum peſtes, & replet in bonis eſurientes.

B

C

D

Contemplabaris ô Maria reſtaurationem huiuſmodi, ſed aliter experiebaris quam cæteri. Nihil quippe per vitium deperdebatur in te de vita gratiæ, qualiter in nobis. Attamen naturalis neceſſitas viæ non ſinebat hanc vitam in ſuo feruore ſemper eſſe qualiter tibi nunc eſt in patria, ſed nec eras in termino meriti. Tu idcirco iuſta iuſtificabaris adhuc & erat ſemita tua ſicut lux ſplendens, creſcens vſque ad perfectam æternitatis diem. Reſtauratio tua erat non tam ſuppletio deperditi, quam augmentatio iam habiti.

E

F

Sciebas Euchariſtiæ ſuſceptionem virtutem habere priuilegiatam, quam dicimus vim operis operati. Addit hæc vis ad proprium meritum ſolius voluntatis vel proprij operis, plus valet hic ſicut & in baptiſmo actualiter accipere, quam ſolum voluntatis deſiderium habere. Quocirca ſtultè agunt qui ſe reddunt inhabiles ad ſuſceptionem, ſtultè qui ſine cauſa rationabilis impedimenti ſe ſubtrahunt. Prudenter verò qui ſibi bene conſcij frequenter accedunt. Porrò meretur ſacerdos digne conſecrans, ſed amplius dignè communicans etiam non ſacerdos.

Adde

Digitized by Google

Adde quod fingentes hoſtiam conſecratam eſſe quæ non eſt, & ita præſentantes ad adorandum A vel communicandum, rei ſunt criminis idololatriæ quantum in ſe eſt. Et quamuis ignorañtia poſſit alios excuſare ne peccent adorando, propter conditionem ſubintellectam, & ſi non expreſſam, ſuſcipiẽtibus tamen non accreſcit tantus fructus. Exemplum in alijs ſacramentis, maximè de baptiſmo. Denique non eſt cauta ſatis conſecrantium ſollicitudo, qui hoſtiam prius quam ſit conſecrata ſurſum leuant, flectunt genua, poſt benedicũt, populo reſpiciente nec attendente conſecrationis horam vel momentum. B Eſt autem corpus Chriſti præſentialiter ſolum tunc in altari primò, dum verba ſacramentalia finita ſunt in inſtanti vltimo, ita quod primum non eſſe verborum, eſt primum eſſe corporis Chriſti in hoſtia, quæ verba non ſolum ſunt ſignificatiua vel demonſtratiua, ſed operatiua ex ordinatione inſtitutionis Chriſti coaſſiſtentis efficaciter pro iſto inſtanti primo nõ eſſe verborum. Et illud inſtans demonſtratur ad intellectum dum dicitur, hoc eſt corpus meum, quia illud eſt primum inſtans exiſtentiæ corpus C Chriſti, & non factio. Ideo non bene dicitur, hoc fit corpus meum. Conformiter de ſanguinis conſecratione ſuo modo, cuius forma non dependet à prima. Cognouit iſta tuus (ô virgo beata) deuotus & ſapientiæ magnus diſcipulus Hugo, qui laborans in extremis, noluit vti hoſtia quam per intimum ſpiritus ſenſum deprehendit non eſſe conſecratam. Poſt dum eſt allata conſecrata, timens periculum vomitus ſi ſumeret, dixit magna fide: Filius redeat ad patrem, & ſpiritus ad Deum D qui dedit illum. Et ita piè credimus (quia ſtatim obijt) eſſe completum.

Secundum bonum ſatiat.

Quanta ſit & quam improba fames peccatorum quos non implet & occupat charitatis cibus & potus recogitare ſtupor eſt, ſentire grandis & incomparabilis miſeria, quis vſque ad mortem. Crede non mihi, ſed ſapienti: Deſideria inquit occidunt pigrum. Experientiam interroga, reſpondebit E quemadmodum aures pruriunt ad rumores, oculi furiunt ad reſpiciendum vanitates & inſanias falſas, gloſ. ſc. quæ faciunt inſanire. Itaque nec ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu. Adde quod os ſcurilitate & vaniloquijs, guſtus ſaporibus, olfactus odoribus, tactus contrectationibus adimpleri videtur, nec ſaturatur. Proinde ſumma malorum vanitas vanitatum & omnia vanitas, ſi non repleuerit veritas & charitas, erigitur & inaneſcit vanitas, ſibi diues, vacua Deo. Suadet F immo vrget ſuperbia, & dicit, viuas excellenter, Inuidia ſuſurrat, eminens ſingulariter, Ira vult hoc ſecundum impertubabiliter retinere, Acedia infatigabiliter, Auaricia indefectibiliter, Gula & luxuria delectabiliter, Hypocriſis venerabiliter. Denique ſummatim collige quod vanitatis fames & concupiſcentiæ eſt, vt ſibi ſubſeruiat impunita nequitia. Hæc felicitas mundanorum, hæc verò quia vana ſunt & inania non ſatiant, ſed acriori tales fame perurgent, lambunt vmbram fructuum ſuper ſpinas apparentem. Inhiant vmbræ craſſi oſſis inſtar carnis, qui natans dum vanitatem vmbræ captat, hiando perdit veram eſcam. Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames? exclamat quidam. Deuorat alius carnes ſuas alius ſcintillas ardentes haurit, alius in montibus attrahit ventos. Et cur hæc omnia? niſi quia rabies famis eſt valida. At verò cibus noſter dignè ſuſceptus, quia verò bono replet, vere ſatiat, aut pro magna parte famem ſedat. Alioquin timeat qui non minus aut plus quam ante dimittitur inanis ne iudicium ſibi manducet & bibat.

Contemplabaris ſatietatis hoc bonum ſimul & experiebaris ô beata: propterea nuſquam in te dominabatur vana gloria, quam replebat totam Euchariſtia. Nec erat locus in te vanitati, nec duplicitati nec falſitati, quam funditus occupabat veritas ſimplex & ſolida. Quid enim quæreres in cælo, aut quid velles ſuper terram præter vnam hanc rem ſolam optimam & æternam, dicens ex ſententia: Et pars mea Deus in æternum. Plane nimis amarus eſt, cui tanta pars non ſufficit immo miſerrimus & pauperrimus qui præter hanc aliam quærit. Sunt qui te Mariam de inani gloriatione vellent notare quia cum exultatione ſpiritus protuliſti: Ecce enim ex hoc beatam me dicẽt omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens eſt. Faciunt de te ſecundum ſe iudicium qui ad omnem gloriunculæ ventum agitantur vt arundo. Neſciunt quanto humilitatis pondere ſtabilita eras non in te ſed in Deo ſalutari tuo, dum hæc prophetica nunciatione proferres, beatam me dicent omnes generationes.

Tertium bonum delectat.

Si delectatio eſt perceptio conuenientis coniuncti aut ex huiuſmodi perceptione conſurgit. Nihil verò conuenientius nihil intimius coniungitur animæ quam iſte cibus in quo Chriſtus ſumitur. Delectat igitur in ſummo, ſi ſenſus interiores ipſius animæ ſiue mentis purgati ſunt in ſummo. Figuratur idcirco per manna, de quo ſapiens teſtis, quod omne delectamentum in ſe habebat.

Senſerunt aliqui perceptibiliter in ſenſibus carnis delectationem huius panis. Sicut iſte à Guilhelmo Pariſienſi memoratus in rethorica ſua: qui per olfactum cognoſcebat locum quantumcunque alias incognitum, vbi repoſitus erat dominus ſuus. Ita enim loquebatur de Euchariſtia. Huius inſuper cibi guſtus ita ſibi ſapuit vt non contentus comeſtione ſacramenti, vaſculum ruminauerit ligneum contentiuum eius. Quid dicemus de paſſis extaſim ſæpe vel poſt comeſtionem huius ſacramenti, vel ad ſolum deuotionis intuitum? Poſſet huius delectationis feruidus ardor, totus incendens totus liquefaciens colligi per totum decurſum cantici canticorum, ſub alloquijs amoroſis ſponſæ ad ſponſum. Videre eſt illic vt æſtuet affectibus, vt totum ſcintillet amoroſum ipſius incendium vulneratur, languet, ſtipatur, fulcitur, cadit & ſpaſmatur. Væ illis quorum anima nauſeat ſuper cibo iſto

Digitized by Google

leuiſſimo, ſuſpirans ad ollas carnium Ægypti, allia, porros, & pepones. Væ alijs nec calidis nec frigidis, qui nauſeam & vomitum ſui prouocant de ore Dei, qui ſuauitatem vnguenti perdunt per muſcas tepidorum deſideriorum morientes, qui ſimiles ſunt ouibus malè foris, & ideo fætidis, vel qui maiori maledictione miſcent fel in hoc cibo, & vinum dant myrrhatum Chriſto peruersè ſumendo. Contemplabaris & experiebaris hanc delectationem etiam in medijs doloribus ô virgo beata, fiebat tibi in Euchariſtia dilectus tuus ſicut faſciculus myrrhæ, ſuauis & amarus. Sed in conſideratione diuinitatis totus formoſus & ſuauis & chariſſimus in delicijs, & verè totus deſiderabilis in exultationis ſpiritus in Deo ſalutari. Sic nouiſſimè legeris Ignacio ſcribens: Non te moueat inquis perſecutionis auſteritas, ſed exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari.

Quartum bonum roborat.

Educas panem de terra, quærit Pſalm. cuius effectus ſubiungitur, & panis cor hominis confirmet. Iungitur, vinum lætificans cor & oleum deuotionis faciem exhilarans. Hæc ſunt tria quibus Iſaac ſua benedictione ſuum filium Iacob ſtabiliuit: Frumento inquit & vino ſtabiliui eum. Legitur in figura quod mater futura Samuellis Anna comedit & bibit, & vultus eius non ſunt amplius in diuerſa mutati. Timeant illi poſt cibum iſtum mutabiliores effecti, quales notat apoſtolus Corinthijs loquens: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt hoc de ſomno mortis vel corporis poteſt intelligi ſuæ mutabilitatis ad vitia.

Contemplabaris & experiebaris corroborationis huius virtutes. O Maria conualeſcebas & in aduerſitatibus ſeculi, quam nec ipſa mors filij proſtrauit in terram. Stabat inquit, cuſtos tuus virgineus Ioannes, ſtabat & iuxta crucem Ieſu mater eius. Habet virtus ſuam antipariſtaſim, coadunatur in ſe ex circunſtante, non penetrante contrario, ac perinde fortificatur. Sedet Iob percuſſus vlcere peſſimo, ſedet in ſterquilinio, vbi velut in throno regio concionatur, nec innocentiam deſerit, nec veritatem, nec animi robur & virtutem amittit. Quamuis autem delectatio teneat operantem in operatione, nihilominus tenet & contriſtatio quæ ſecundum Deum eſt. Cur ita? nimirum quia delectat. Quæ ratio? quia ſcit placere Deo. Vnde hoc? certè quia vel probat exercens ad virtutem, vel purgat & liberat à reatu, vel erudit ad ſapientiam.

Quintum bonum auget.

Conſequuntur iſta ſe mutuo in anima nondum perfectæ charitatis, videlicet reſtauratio, ſatiatio, delectatio, roboratio & augmentatio. Et rurſus ſextum quod eſt obdormitio. Collige ſimul vnico pſalmiſtæ verbo tres vltimos fructus ſuos. Dediſti inquit, lætitiam in corde meo, à fructu frumenti vini & olei ſui multiplicati ſunt. Ecce poſt delectationem augmentum ſeu multiplicationem, ſequitur obdormitio. In pace in

A idipſum dormiam & requieſcam. Contemplabaris & experiebaris hoc augmentum per Euchariſtiam ô beata. Diximus ſupra quoniam virtus Euchariſtiæ ſacramentaliter operatur in ſui digna perceptione. Differt ex hoc maximè à ſacramentis antiquæ legis, quoniam virtus inanis erat, ſi non ex deuotione ſuſcipientium, aut aut ſi virtus erat in circuncisione, erat longè minor. Tranſibimus interea de augmento virtutum tuarum ô beatiſſima beatiſſimarum. Tu facta es nobis exemplar longanimitatis efficaciſſimum, vt non

B ita deſideramus peregrinari à corpore quin incolatum Cedar per pacem & æquanimitatem toleramus. Poſtulantes & ſperantes gratiæ ſimul & gloriæ, nos ampliorem cumulum recepturos. Confundantur & erubeſcant nequam ſpiritus, qui paſtos hoc cibo dum proſternere quærunt eleuant dum expugnant, coronas fabricant dum ſe extollunt ſuper omne quod dicitur Deus, vident inuidi ſtercoroſum hominem quem ſuſcitat dominus egenum de puluere, & de ſtercore

C erigit pauperem vt ſedeat cum principibus vnde excõmunicati ſunt, & ſolium gloriæ teneat, quod appetentes ceciderunt vt fulgur in abyſſum.

Sextum bonum obdormire facit.

Felix verò ſomnus ſuauis & iocundus. Hic aufert & ligat ſenſus exteriores, vt vigeat interior. Habet hic ſomnus extranea valde, ſed ſalutifera ſomnia ſuo modo peragit ſæpe vigilantium

D ope. Somnia hæc ſi quæris, ſunt diuina ſpectacula, ad quæ noſter ſpiritus dormiens, rapitur & eleuatur. Pulchra valde ſunt & iocunda, & quæ in faſtidium ducant omnem gloriam mũdi cum iſta quæ dicebat: Regnum mundi & omnem ornatum eius contempſi. Contemplabaris & experiebaris frequenter hæc ſomnia ô ſereniſſima fœminarum. Legimus de virginali ſponſo tuo Ioſeph quod pluries corporaliter dormiens, acceperit diuinas reuelationes. Tu corporaliter vigilans, ſed per contemplationis extaſim dormiẽs,

E mirabiliores reſpexiſti. Signum tuæ dormitionis poſt conceptionem filij notat Lucas dicẽs: Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione. Vnde precor exurgens fuiſti ſi non à ſumno quodam, non tam ſenſuali quam ſpirituali, & hoc in contemplationem quatenus ſedula fieres miniſtratrix in actione? Otioſorum enim eſt ſedere vel dormire, actiuorum exurgere & progredi.

Væ nunquam ſoporatis in hoc ſomno requiei

F ſpiritualis: Torquet eos inſania vigiliarum huius ſeculi, ſequuntur phantaſias & phreneſes capitis ſui, furiunt mouent lites, nequeunt catenis præceptorum teneri, lacerant occurrentes diſcerpunt ſe, reuerſant neſcientes quid dicant, neque de his quibus affirmant accipiunt vmbras & falſa ſimulachra pro veris rebus quæ ſolæ ſunt æternæ: eorũ verò ſimilitudines ſunt flexibiles & incertę. At ècontra dormiẽtes mundo & vigilãtes Deo vident vera, ſed ab inſanis iſtis irridẽtur vt inſani. Ratio, quia nõ capiũt ea quæ vera ſũt ſed vmbratilia vidẽt ſub imagine vanitatis quæ par eſt leuibus ventis,

ventis, volucrique ſimilia ſonno. Hinc implacabilis rixa contra ſpitiales per mundanos, hinc ſubſannationes & pugnæ. Volunt nempe ſpiritales ad ſanitatē deducere phreneticos iſtos, at ſibimet ſapientes, ſibi diuites, ſuis in malis ridentes & cantantes, refugiunt, odiunt & perſequuntur. Dixit enim inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Dixit & ſapienti quotidie, vbi eſt Deus tuus. Sapiens & fidelis oſtendit ſacratam hoſtiam, & dicit. Hic eſt Deus meus. Protinus extollunt riſum, ſubſannant & blaſphemant: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire. Contemplabaris ô virgo tales benigna, compatiebaris & orabas & mentem optabas eis meliorem dari.

A

B

Septimum bonum caro ſeruit.

Debilitatur itaque fomes carnis concupiſcens & tyrannizans aduerſus ſpiritum, dum ritè ſumitur iſte cibus vitalis. Guſtato quippe ſpiritu, deſipit caro. Contemplabaris experta non nouiter bonum iſtud ô Maria: quippe fomitem omnem carnis extinxerat verbum in te caro factum. Vtrum vero paſſionabiliter aliquando mouebatis tractauimus quoddam dragmate cantici tui. Sed videre me videor ſubſannantes inſanos legem & Euchariſtiam Dei noſtri. Ecce inquiunt promittis per Euchariſtiam carnem ſub ſeruitute redigi, quæ plerunque ſeuit acrius impugnat acerbius. Exemplum de apoſtolo veſtro ſumite, qui dicebat: Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, nihilominus ſub pondere eius preſſus gemebat; Non quod volo facio. Et rurſus: Velle mihi adiacet, poſſe autem non inuenio. Hinc exclamabat: Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Accipiat verò quiſquis oppoſuerit talia dictum quod continuò ſubiunxerit, quaſi talibus ſibique reſpondens. Gratia Dei ſupple liberauit me per Ieſum Chriſtum. Et vbi gratia ſi non in Euchariſtia cōfertur diſpoſitis? Dudum in re ſimili multas aſſignauimus rationes fere viginti cur non ſemper conceditur ſentimētum ſpiritus extinguens fomitem carnis actualem. Tres ſunt principales, humiliatio, patientia ſeu probatio & coronatio. Procedimus nunc alia via, tranſeuntes ad octauum Euchariſtiæ bonum.

C

D

E

Octauum bonum mens dominatur.

Si mens in ſacramento Euchariſtiæ ſubijcit ſe fideliter Deo, ſubiectam habebit profecto carnem. Dixit dominus ad Cain: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Intellexerunt hoc aliquid dictum de appetitu voluntario & libero. Sed illi ſecundum Ariſtotelem ratio dominatur regulariter: quia poteſt contradicere nec obedire tanquam libera contradictorie in ſeipſa. Dominatur autem ratio cum voluntate appetitui ſenſitiuo ſeruiliter & deſpoticē, quia poteſt & debet rebellantem coërcere. At ſi non poteſt & vult, liberatur à culpa ſi mens ſit in gratia ſub lege Chriſtianæ libertatis. Contemplabaris hæc dum viueres virgo beata. Colligebas ex hac radice cauſam aſſertionis filij tui. Iugum enim meum

F

ſuaue eſt, & onus meum leue. Detur aliquis quantumlibet oneratus pondere carnis, tollat ſupra ſe iugum Chriſti, vel in baptiſmo, vel in Euchariſtiæ ſacramento, vel in pænitentiæ lauacro, confeſtim efficietur dignus eiuis vitæ æternæ. Tradebant philoſophi felicitatem aliquam nos poſſe conſequi. Sed ô bone Deus per quanta temporum diſpendia, per quot exercitia virtutum moralium per quam raram & artem prudentiæ ſemitam & directionem pauciſſimis datam, Chriſtus noſter vno momento viam ad beatitudinem, non qualemcunque, ſed æternam aperuit. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Et rurſus pro re noſtra. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.

Denique legem dedit quam obſeruat. Si ſepties, immo ſeptuagieſſepties peccauerit homo & dixerit, pænitet me, iubet vt dimittatur ei. Non eſt minus miſericors vt non dimittat ſibi dicenti, pænitet me. Plene ſunt exemplis ſcripturæ ſuæ, de publicanis, de peccatoribus, de adultera, de latrone, de Petro. Quis verò neſciat quin mens Euchariſtiæ ſacramento ſe ritè ſubijciens, dicat ex animo, pænitet me? Quo dicto vincit carnem, vt non ſibi rebellis ſit ad perditionem, ſi non ſponte ſe dederit rurſus mancipium ſibi, ſerua vilis effecta per indignam libidinem aut furorem.

Aſt forte dicet aliquis: Dominationem mentis ſupra carnem eſſe fragilem, ſeruitutíque procliuem. Fatemur quoniam & theſaurum noſtrum habemus in vaſis fictilibus, ne quis glorietur, ſed aſſit robur fidei qui per dilectionem operatur. Accedat fides huiuſmodi mens vtique domina fiet inuincibilis. Poterit quidem à corpore violenta morte tolli, ſed non vincetur, immo victrix coronabitur. Nolo per exempla ſingula morari. Turba martyrum omnium de omni ætate & ſexu profert teſtimonium, omni exceptione vel calumnia maius, quorum plurimi ſub eodem pene momento de reprobis per omnem vitam ſeruis ſuæ carnis, fecit fides Chriſti dare carnem ſuam ad mortem. Romanus, Geneſius, Ioſias, latro bonus, & mille alij, tam ſubito mens eorum dominata eſt carni tam feliciter & fortiter ex eius ſubiectione ſunt in æternum triumphatores effecti.

Nonum bonum vim genitiuam dat.

Cibus habet hoc proprium dum nutrit comedentem, vt tempore ſuo faciat habilem ad generationem. Semen enim ſuperfluum eſt alimenti, non in quali, ſed in quanto prouenit inde ſtimulus & tempus amantium.

Planè quando venit plenitudo temporis, Deus dedit cibum Euchariſtiæ, fecit per ipſum mentem eſſe verbigenam ſterilitate depulſa. Cibus iſte, iuxta prædicta, reſtaurat, ſatiat, delectat, roborat, auget, obdormire facit. Quid conſequentius quam vt vim genitiuam dat. Immiſit dominus ſoporem in Adam, ex eius coſta vice ſeminis ſtatuit eam in mulierem. Myſterium eſt Chriſti dormientis in cruce & eccleſię ſponſæ. Hunc Chriſtū

Digitized by Google

inebriatum vino charitatis & nudatum, ſenior Iudaicus filius irriſit & maledictus eſt. Contemplabaris ô Maria quoniam ſi mens, exemplo tuo ſi domina, ſit apta ad generationem verbi. Tua enim interpretatio dominam ſonat. Et certè ita decebat vt ad dominam mitteretur angelus partu conſectandam diuino, parituram quoque dominum dominantium, hoc quoad literam de carnali generatione verbi, non ſecus de generatione mentali. Contemplabaris omnia quæ de ſpirituali deſponſatione Dei & animæ notata ſunt in ſcripturis præſertim in canticis cãticorum. Intelligebas omnia quemadmodum vergunt in hanc ſententiam. Ecce per analogiam virginalis aliqua mens nutrita cibo vitali, manet in ſe tanquam in ciuitate. i. ciuium vanitate, qui ſunt cogitationes & affectiones ordinatæ. Ciuitas hæc eſt Galileæ per tranſmigrationem ęternam per volubilitatem obedientiæ, per rotam interminabilẽ circa beatiſſimam Trinitatem. Huic ciuitati nomen Nazareth ob floridam conuerſationem. Mittit angelus à Deo fortis ſcilicet inſtinctus diuinus ad mentem hanc virginem deſponſatam, ſed non in concupiſcentia iunctam viro qui eſt ſpiritus ſuus intellectualis, ſonans in augmentum. Ideo nomen eius Ioſeph de domo Dauid regis vtique cæleſtis manu fortis. Et nomen virginis Maria, quæ domina ſalutatur vt gratia plena, turbatur vt verecunda, cogitat vt prudens, qualis eſt iſta ſalutatio. Confortatur, edocetur, aſſecuratur per inſtinctum, quoniam ſpiritusſanctus ſuperueniet in ſe purificans eam ab omni concretione materiali & virtus altiſſimi verbum patris obumbrabit ſibi per ſecretum ſui luminis illapſum. Ideóque & quod naſcetur ex illa, ſanctum vocabitur filius Dei. Credit, optat conſentit & concipit efficitur verbigena mox vt obediendo dixerit. Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Contemplabaris experiens quotidie mente tuam ô Maria filium Dei parturire per Amoroſorum exercitia donorum, donec in Bethleem domo panis cæleſtis naſceretur. Hic iam non puer, ſed vir perfectus, & collocaretur non in præſepio ſed in throno patris ſummi, & aſtares à dexteris eius regina, quæ omnia ecce completa ſunt in te. Ideo beata quæ credidiſti. Ideo per hanc beatitudinem obſecramus mentes noſtras tuis precibus diuino germine repleat Euchariſtiæ ſacer cibus.

Decimum bonum tranſformat.

Nullus inuenitur illapſus intimior in corporalibus, quam vt cibus conuertatur & transformetur in cibatum. Manet iam non in ſe ſed in comedente, viuit eius vita, non ſua. Scimus quod ex voce domini dixerit Auguſtinus. Cibus ſum grandium. Creſce & manducabis me: Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Notauit hanc intimitatem Chriſtus qui olim ſub nomine ſapientiæ poſuiſſe ſe dixerat menſam & miſcuiſſe vinum. Nouiſſimè cum cænaret cum apoſtolis: Ecce inquit diſpono vobis regnum vt edatis & bibatis ſuper menſam meam. Poterat infirmos aut carnales mouere vt crederent quod regnum Dei ſit eſca & potus, niſi verba ſapientiæ prorſus nos à tali ſuſpicione red-derent alienos, & apoſtolus expreſſiſſet, immo A & Chriſtus affirmaſſet quod erunt in gloria ſicut angeli Dei qui nec nubent nec nubentur, profectò nec ideò comedent aut bibent cibum carnis. Quid autem ſit eſte panis & iſte cibus regni cælorum dedit Chriſtus intelligi dum ait: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Eſt igitur hunc cibum manducare in eo manere. Contemplabaris ô ſapientiſſima fœminarum, quoniam in Euchariſtiæ ſacramento fit tranſformatio panis in eſſentia ſua remanentibus accidentibus. At verò B dum mens in Deum transformatur, remanet quidem eſſentia mentis, ſed accidentia noua ſuccedunt, non phantaſtica non materialia, ſed Dei formia diuina claritate radiante. Transformamur (inquit apoſtolus) de claritate in claritatem, de claritate communis noticiæ rationalis acquiſitæ in claritatem fidei deiformis infuſæ, de claritate hac fidei in charitatem intelligentiæ, & de hac demum in charitatem ſaporoſæ & ſapientialis experientiæ.

C Experiebaris transformationem iſtam in ſumptione ſacri cibi, propterea ſicut de voluptuoſis brutalibus concludit philoſophia apud Boëtium, quod deformantur in beluas, ita de ſapientibus elicit quod in Deum transformantur. Denique ſicut primi ſunt beluæ vel pecora in effigie corporis humani, ita de ſecundis rectè dicimus quod ſunt dij ſub humana ſpecie transformati, felix huius transformationis cognitio ſed experimentum & ſentimentum longè beatius.

D *Vndecimum bonum inarrat.*

Dederat olim dominus animæ rationali pignora ſuæ dilectionis, pulchras arras ſuæ deſponſationis cælum & terram ad eius obſequium ſimul & ſolatium. Contempſerant has arras plurimi etiam philoſophorum, atque eis omnia viluerant. Dedit ad extremum ſeipſum pariter in arram & precium, dum in hoc ſacro conuiuio iuxta canticum eccleſiæ, futuræ gloriæ pignus datur. Contemplabaris ô dilectiſſima mulierum ſedula mente E cum gratiarum actione pignus & arram diſponſationis tuæ, non in vna tantum, ſed in qualibet creaturam refulgere. Dicebas ad intuitum cuiuſlibet arram hanc dilectionis ſuę contulit mihi dominus ſponſus meus. Dedit omnia mihi, & non minus mihi, quia cum multis, immo tanto iocundius quanto nulla ſine ſocio iocunda poſſeſſio, dedit omnia mihi quatenus ipſum cum omnibus & ſuper omnia cognoſcam, colam, diligam, laudem & adorem. Dedit celum & terrã. Quid enim horum indigebat? Dedit & omnia quæ in his ſunt F inconſulatum vel famulatum. Ecce pignum amoris. Addidit manus in reparatione, quia propter nimiam charitatem ſuam exinaniuit maieſtatem ſuam, vt acciperet cauſa mei pro me ſeruilem formam frater effectus & filius ex Deo rege domino & patri. Creuit itaque arra beneuolẽtiæ ſimplicis, in dilectionem gratuitæ electionis. Vnde dilectio nomen habet. Proinde prolapſa eſt dilectio in amicitiam (quæ addit ad dilectionem ſigna mutua cum communicatione ſecretorum) quando cum hominibus conuerſatus eſt. Iam inquit, non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Amicitiæ proinde

prolapſa

Digitized by Google

prolapſa eſt in zelum propter ſingularitatem amicitiæ, quæ non compatitur ſocietatem in amore qualis eſt ſponſi ad ſponſam,& è contra dum & ſi ſocietas rumpit fœdera pactionis. Zelotypiam hanc conſequitur inamoratio, qualem ſuo modo experimur in ſtultè philocaptis.Hanc ſenſerat quę languens dicebat: Vulnerata charitate ego ſum. Poſtremò nil ſupereſt niſi plena & ſecura poſſeſſio. Hæc nominatur propriè in bonum charitas. i.chara vnitas, de qua ſequens eſt vltimum Euchariſtiæ bonum.

Duodecimum bonum venit.

Hic finis, hoc complementum omnium quæ dicta ſunt aut dici poſſunt ſuper cibi iſtius laudibus, fructibus & effectum. Totus ob hoc mundus creatus eſt exterior & interior. Ad quid inquies? Certè ad vnitatem, vt omnia ſint in vnum conſummatá, hoc eſt illud verbum de quo Chriſtus. Porrò vnum eſt neceſſarium. Et diuinus Dionyſius omnia vno participant. Demum & ipſe theologiam ſuam myſticam in vnione ſupra mentem conſtituit. Vnionem hanc præpoſuit ſponſa pro fine dilectionis ſub oſculi nomine: Oſculetur me oſculo oris ſui. Conſonat apoſtolus: Vnus panis & vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Contemplabaris ô beatiſſima beatarum vnionem iſtam ſub velaminibus & ſymbolis multipliciter inſinuatam, qualis erit in patria vna domus patris & manſiones multæ, & vnum ouile & vnus paſtor, vnus denarius diurnus, vna corona, vnum brauium, vnus lectulus, vnus ſinus, vnum cubiculum, vnus nidulus, vnus panis, vnum corpus & vnus ſpiritus, vnum gaudium, penetrabas contemplans omnes has ſimilitudines. Sed neſcio ſi difficilius & profundius ſit ad intelligendum verbum Chriſti, qui dum tranſiturus ad patrem oraret pro electis vt ſint vnum inquit, cōſummati in vnum. Et rurſus: Vt ſint vnum ſicut & nos vnum ſumus. Maior itaque vel ſingularior vnitas nulla eſt, quam beatæ Trinitatis. Magna igitur & ſingularis eſt vnitas omnium electorum inter ſe & cum Deo. Magna & admirabilis eſt vnio humanitatis Chriſti & in vnitate perſonæ verbi. Sed ſi per intellectum ſecludatur vnio beatifica, hæc ſecunda erit inquam eligibilior prima.

Da ſapientiſſima beatorum omnium, da poſſe me quicquam in re tanta ſcribere, quod ſentit aut ſentire deſiderat hebes mens mea, da te illuſtrāte & Deo propicio aliquid balbutire. Aſſumitur in primis manuductio imaginationis, non vt duret, ſed vt tranſeat. Imaginetur circulus more mathematico, ex cuius centro medio indiuiſibili penitus & vnico protendantur lineæ rectæ vſque ad quodlibet punctum circunferentiæ. Tranſcendat ratio vel mens imaginationem, & addat quod centrum habeat vim cognitiuam qualem habet angelus, habeat ſimiliter quælibet linea recta à centro egrediens ad circunferentiam vim huiuſmodi cognitiuam. Conſtat ex hac hypotheſi quod quælibet linea per cognitionem non ſolum per terminationem, attinget totum punctum. Neque enim poteſt dici quod partem vnam vna, alteram altera ſolum ſolū apprehendat, cum pars A eius non ſit. Centrum ſimiliter intelliget ſingulas lineas à ſe protenſas ad circunferentiam, maximè ſi ponatur quod iſte ſit ambitus actiuitatis ſuæ & cognitionis.

Aſcendat adhuc ſublimius mens noſtra & ponat quod illud centrum ſpheræ intellectualis, non accipit cognitionem linearum à ſe progredientium per receptionem cuiuſcunque motionis obiectalis ab extra, ſed in ſe ſit ex ſe ſufficiens omnium cognitio. Ecce quod hucuſque nihil poſuimus à magnis & claris philoſophis alienum. B Si dixerimus Deum eſſe centrum tale taliſve naturæ. Accedat modo fides aut intelligentia per fidem purgata, illuſtrata, roborata, eleuet mētem ſupra philoſophiam ſequentium ſolam experientiam effectuum, ad inueſtigationem cauſæ primæ. Doceat fides quemadmodum Deus quaſi centrum iam poſitum non educit ex ſe lineas, aut circunferentiam ex ſe cauſat extra per effectus niſi purè liberè, contingenter quia planè bonorum creaturæ ſuæ non eget, ſufficientiſſimus per ſe ſibi. C Porrò ſicut non efficit aliud extra ſe niſi purè cōtingenter, ita nec obijcit ſe per modum formæ intelligibilis cuicunque intellectui creato, niſi purè, liberè, contingenter ſub quacunque ratione. Sit iſta ratio abſoluta entis, ſit denominatiua ratio vnius per indiuiſionem ſui, ſit denominatiua ratio veri per comparationem ad intellectum, ſit denominatiua ratio boni per comparationem ad appetitum, maximè ad appetitum rationalem vel intellectiuum ſeu mentalem, quia D propriè ſolus talis eſt primi boni capax, & eius particeps eſſe poteſt ſicut & intellectus primi viri. Conſequenter adiuuet imbecillitatē noſtræ mentis illuſtratio tua virgo ſapientiſſima, quatenus iſtam quam quærimus vnionem, attingamus. Et ſi non hic per experientiam facialem, ſaltem per intelligentiam diſcretiuam & perceptionem directiuam.

Conceſſum inuenio & deductum à magnis mundi philoſophis maximè Platonicis, quod per virtutes purgati animi poteſt intellectus ſeparatus E à corpore vniri formari, ſuſtentari in Deo primo & vnico omnium centro. Conceſſit hoc aduerſarius noſter procaciſſimus Auerrois. Errauerunt tamen iſti, & defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, quia viam & oſtium, ſcalam & vehiculum perueniendi non habuerunt, aut reiecerunt dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Rurſus quia Deum non ſicut Deum glorificauerunt bene viuendo & humiliter gratias agendo piéque colendo, erat eorum intelligentia diſcretiua, non ſatis F quidem clarè de Deo ſuper hoc & nunc qualem habent dæmones, ſed ſine humilitate & pietate & deuotione & charitate: In elatione oculorum, in exaltatione cordis, in ſuis, non Dei viribus ſpem habentes. Venit Chriſtus tuus & noſter ô benedicta, ſe viam & exemplar oppoſitæ humilitatis exhibuit factus obediens Deo vſque ad mortem mortem autem crucis, quia nihil abiectius poterat cogitari. Cur ſic? vt eleuatus à terra. i. ab omnibus quæ terreni homines quærere poſſunt, traheret ad ſe omnia, tam exemplo tali, quam auxilio inuiſibili. Poſtremò quia trāſiturus erat ad patrem etiam corporaliter videntibus diſcipulis, quibus

Digitized by Google

cum eras humillima creaturarum reliquit hoc pignus dilectionis, hanc arram Euchariſtiæ quæ nos conſumat in vnum. Nam quid dici poteſt vnitius quam qui mãducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. De ineſſe & manſione ſuper admirabilis prorſus iſta ſententia: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo, nec minus admiranda ſimul & amplexanda quæ ſequitur: Sicut me miſit viuens pater, & ego viuò propter patrem & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Denique ſubditur: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et quoniam alio tempore & loco Chriſtus ait: In domo patris mei mãſiones multæ ſunt. Et iterum de diligenti ſe: Et pater meus inquit diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.

Subdamus aliqua de huiuſmodi manſione, per quam noſter Emanuel (quod interpretatum eſt nobiſcum Deus) manet in manducante, & manducans in eo. Manſio in alio, præſupponit eſſe in. Sunt autem ſecũdum grammaticos ſedecim modi eſſendi in, quos philoſophus reſtringit ad octo, addunt aliqui nonum. Sed ſub compendio dicamus quod eſſe in alio maximè per manſionem, dicit duo. Dicit enim diſtinctionem aliquam, quia mihi vnum penitus ſine quauis diſtinctione reali vel ratione ſubſtantiali vel accidentali, abſoluta vel relatiua, dicitur eſſe in aliquo, licet bene concedamus aliquid eſſe idem ſibijpſi, reſoluendo locutionem ad hanc negatiuam, quod idem non differt à ſeipſo. Alterum quod importat manſio, dicit quandam vnionem ſeu conuenientiam duorum in aliquo quaſi tertio, ſiue illud tertium ſit ſubſtantia, ſiue ſit res aliqua relatiua, ſiue ſit accidens abſolutum ſiue relatiuum. Sublata enim per intellectum omni conuenientia ad inuicem, non remaneret modus cur vna res diceretur eſſe in altera. Fiat hoc proſpicuum quiſquis modos eſſendi in, diſcutere voluerit. Sed veniamus ad compendium ſuper propoſita manſione. Manſio mutua manducantis cum manducato in Euchariſtiæ ſacramento, manifeſtam habet manducantis & manducati diſtinctionem & diuerſitatem. Supereſt idcirco ſolum inueſtigare quid eſt illud in quo vniuntur. Et primò dici nequit quod vniantur in eadem eſſentia, ſicut tres perſonæ diſtinctæ ſunt eiuſdem penitus eſſentiæ. Vnde conſurgit quod pater eſt in filio & filius in patre & ſpirituſancto per circuminceſſionem, qua nulla poteſt eſſe maior. Sic enim euangelium ſancti Ioannis incipit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Sed neque eſt iſta vnio in identitate relatiua perſonæ, quemadmodum in Chriſto tres naturæ vniuntur. Porrò non eſt vnio quæ eſt per participationẽ carnis eiuſdem quomodo tu beata virgo cum filio tuo communionem ſortita es vt diceretur ſingulariter, dominus tecum, & quod filio tuo ſingulare præparaſti hoſpitium.

Manſio quam inquirimus non tantummodo generalis in exiſtẽtia qua Deus dicitur eſſe in rebus per potentiam, præſentiam & eſſentiam ſecundum triplex genus cauſæ. Efficientis qua dicitur eſſe in rebus appropriatè ad potentiam, formalis ad præſentiam, & finalis ad eſſentiam. Quoniã hoc modo eſt in re qualibet vſque ad inſenſibilia & dæmones. Immo & ſi per impoſſibile res non A dependerent à Deo in aliquo genere cauſæ, tamẽ propter immenſitatem ſuam diceretur Deus, adhuc eſſet in rebus, quia videlicet tres non eſſent ſine Deo ipſas penetrante, neque Deus ſine eis.

Sed neque manſio quam quærimus fundatur ſufficienter in coniunctione donorum non gratificantium, qualia numerauit apoſtolus de diuiſione gratiarum loquens, quæ licet ſint à ſpirituſancto, poſſunt nihilominus eſſe ſine ipſo, ſupplent doctores gratificante vel acceptante, quia conſtat iſtas gratias eſſe non poſſe ipſo non operante ſe- B cundum triplex genus cauſæ, immo ſi ſcrutamur acutius, nulla res poteſt dici eſſe in Deo, & è conuerſo, niſi ſecundum aliquam habitudinem cauſæ vel productionis vel communicationis, accipiendo amplè nomen cauſæ ad creationem & conſeruationem. Et ſicut Richardus extendit in diuinis ad productionem perſonarum, ſed nõ admittitur à modernis. Sic enim pater eſt in filio, quia communicat eſſentiam quã habet primitus & fontaliter producẽdo filium, & non quod ſit perfectior C filio vel filius imperfectior ſed hæc eſt productio ex proprietate primi principij ſicut eſt ex proprietate filij quod recipiat à patre totum quod eſt patris, ſecluſa primitate producendi naturali modo filium alterum, communicat nihilominus primitatem reſpectu ſpirationis ſpirituſſancti modo liberali. Sanctus verò ſpiritus non poteſt vltra habere primitatem niſi reſpectu productionis creaturarum & vnum principium cum patre & filio. Manſionis conuenientia quam inquirimus con- D ſiſtit in habitu vel actu vel vtroque gratiæ gratum facientis, vel conſummatę ſicut in patria, vel inchoatę ſicut in via conſonant doctores. Sequitur ex præmiſſis per indirectum. Stemus igitur in hac veritate, & videbimus quomodo ſunt in domo patris multæ manſiones, & tamen vnica eſt. Multæ quidem propter multitudinem ſingularium gratiarum formalium differentium in perfectione, ſicut ſtella differt à ſtella ſecundum apoſtolum in hoc propoſito. Eſt autem vnica gratia gratificans obiectaliter, clarius & obſcurius non E in actu ſuo intrinſeco, qui certè vnicus eſt & immenſus & idem, ſed in effectu extrinſeco. Sic ſaluatur illud de proſa quod vna vox eſt lætantium, & vnus ardor cordium. Trahit ad idem illud pſalmus: In voce exultationis & ſalutis ſonus epulantis. Non dicit, in vocibus & ſonis, nec dicit in vna voce & ſono. Traheret nos (ſi ſequi vellemus) ad ampliſſimam iſtam de canticis materiam & harmoniam, quemadmodum vnica eſt ſymphonia in vniuerſo tanquam in organo magno, F quoniam vnica vox eſt, & vnus ſonus vel vniſonis concentus. Vnde & harmonia & concentus & ſymphonia & vniſonum vel monochordum ſua interpretatione dicuntur ab vnitate. Et hoc quidem gratiſſimè & appropriatiſſimè ad verſum pſalmiſtę nunc inductum. Conſonat ad manducationem vel epulationem Euchariſtiæ qui reſpicit inſuper ſymphoniam illam & chorum, dum occiſo vitulo ſaginato pro reditu filij, dicebat pater euangelicus duro & diſſono fratri: Epulari & gaudere oportebat. Sed alibi copioſiſſimè materia hæc (vtinam ſalubriter) à nobis tractata eſt in vtraque lingua.

Manſiones

Digitized by Google

Manſiones huius conuenientia licet ſit vnica in radice gratiæ gratum facientis, ſortitur nihilominus nominationes plurimas ſine numero per ſcripturas ſacras. Et hoc expediens eſt ſcire ſimul & notare propter amplificationem ſanctarum meditationum & affectionum deuotarum conſequendam, quamuis hoc nequeat ad plenum fieri niſi fuerit homo ſpiritualis affectus, & quaſi totus deiformis, aut deiformatus, aut deificatus ſecundum varios gradus gratiæ in via & conſummationis in patria. Dicitur (exempli gratia) manſio Dei in homine & hominis in Deo, vt hic. Dicitur viuificatio & habitatio vitę æternæ ſaltem in radice vt hic viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autem apoſtolus quod gratia Dei eſt vita æterna. Dicitur & oſculum oris ſponſi quod petit ſponſa. Dicitur lac & vinum, & vnguenta & oleum effuſum, & tractus & pulſus ad ſponſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter vbera ſponſæ tanquam faſciculus myrrhe. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo florido. Hoc eſt donum perfectum deſurſum deſcēdens, non aſcendens de deorſum. Hæc eſt ſapientia diuinitus inſpirata cum ſuis laudibus vniuerſis. Hoc diuinum ſilentium hoc ſibilus auræ tenuis, hoc ſuſurrium verbi abſcondit, hoc vox quaſi auræ lenis immo & tonitrui magni, & vt ad vnum colligamus innumera, quicquid ſonat manſionem vel habitationem, vel inhæſionem, vel vnitatem vnius corporis & vnius ſpiritus animæ cum Deo, ſponſæ cum ſponſo, vnicæ cum vnico, ſub gratiæ gratificantis nomine & radice principio, forma & fine, vnico vocabulo datur intelligi quod eſt manere in Chriſto per mutuum gratiæ complexum. Inuenies autem ſemper in hac manſione quomodolibet nominetur habitudinem cauſæ ad cauſatum, & ècontra. Sic materia de qua minus videtur dicitur eſſe in forma, nedum quia recipit influxum formalem ab ea, ſed quia communicat ſibi potentialitatem ſubiectiuam vt ſubſtet in ea ſicut in materia, quamuis dicitur ſolum patiens, nihilominus appetitiua ſimul eſt vt accipiat formam, vt perficiatur ab ea. Sic locatum appetit locum vt conſeruetur, & locus locatum vt conſeruet ipſum. Similiter Deus qui bonorum noſtrorum non eget, vult gratuita pietate communicare ſe creaturæ ſuæ, præſertim rationali, quæ communicatio dicitur inhabitatio ſecundum triplex genus cauſæ, extendendo ad creationem & conſeruationem & obiectalem motionem vel immutationem vocabulorum cauſæ. Plurimum eſt iſta conſideratio pro cognitione quidditatis ipſius manſionis rerum in Deo. Iuxta illud philoſophicum quod Paulus theologicum fecit: In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Fas porrò conuertibile dicere eſt, Deus in rebus ſuis eſt per potentiam, præſentiam & eſſentiam modo dicto. Sed in aliquibus vltra ſimplex eſſe confert beneeſſe maximè per gratiam & gloriam. Et hæc inhabitatio reſpicit influentiam diuinam quæ ſuperadditur ad naturam & eſſentiam.

Manſionis huius cōuenientiam gratuitam profectò felix qui poſſederit habitualiter, felicior qui actualiter cum habitu. Sed feliciſſimus qui reuelata facie transformatus fuerit in eandem imaginem de claritate in claritatem tanquam à domini ſpiritus actus, ductus & tractus, ita quod ſen-
A tiat per illuminatos cordis oculos (ſicut imprecatur apoſtolis, ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, hoc eſt gratiam hanc coniungentem, & charam vnitatem ad ſimplificam deitatem. Multi quidem ſunt qui habēt in habitu, ſicut pueri nouiter baptizati. Multi qui in actu poſſident & exercent dum merentur. Sed pauciſſimorum eſt ſentire diſtinctè & apertè, nexum iſtum, manſionem iſtam, vocem iſtam propter occurſationes curarum in memoria, phantaſiarum in intelligentia, & concupiſcentiarum (quamuis minimè cri-
B minalium) in volitiua vel affectiua. Sentiunt hāc gratiam inhabitationis Chriſti & ſpiritusſancti, qui cum apoſtolo mente excedunt Deo, prętcrea ſentiunt operationem intra ſe verbi Dei. De quo dicit idem apoſtolus quod viuus eſt ſermo Dei, quia loqui poteſt cum quolibet, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipite, quem gladium venit Chriſtus mittere in terram vt pertrāſeat vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, & feratur ſpiri-
C tus ſurſum, & anima maneat deorſum, quod fieri nequit niſi maxima pax fuerit & ſilētium tam ſurſum quam deorſum, niſi præterea fuerit diuiſio compagum & medullarum & cogitationum & affectionum naturalium ſeſe complectētium. Fiat etiam diſcretio cogitationum & intentionum ſimplicium naturaliter acquiſitarum vel acquiſibiliū, & remaneat in ſentimento & experientia ſolus felix iſte, & gratuitus deiformis illapſus & influxus ſpiritus Ieſu Chriſti, plus ſupereminens in ſpiritu & mente ſuper animam, quam diſtat cælum
D & terra. Dicimus operationem vitalem non ita penitus eſſe eandem in ſpiritu vel cum ſpiritu anima. Sentiunt hanc gratiam actualem & experimentalem, non quidem omnes qui dignè manducant corpus Chriſti, & in quibus manet Chriſtus & ipſi in Chriſto ſicut modo dicebamus. Sed væ etiam cordi hominis quod prauum eſt & inſcrutabile, quia putauerunt aliqui gloriantes in ſe, & habentes cor elatum & exaltatum, & elatos oculos ambulantes in magnis & mirabilibus ſuper ſe, neque humiliter ſentientes. Putauerunt in-
E quam, vel ex conſuetudine ſenſuum exercitatorum, ſicut aliquando fit in habentibus conſuetudinem prophetandi, vel ex diabolica illuſione excæcante cor, iuſto ſed occulto Dei iudicio tanquam in ſomno graui, ſentire, diſtinguere & experiri, & in ſe regnum Dei hoc intra ſe, & dicere ex ſententia. Defecit caro & cor meum Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum, ſed mentiebatur iniquitas ſibi. Beata igitur & ter beata ſemper humilitas, quam ſolus docet & dat ille qui ait: Di-
F ſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Denique beatus vir qui ſemper eſt pauidus & exultās in tremore, complens illud quod eſt omnis homo: Deum time & mandata eius obſerua. Non quod timor humanus, mundanus & ſeruilis ſtet cū charitate quæ talem omnem timorē mittit foras. Sed non illum profectò caſtum, quia manet in æternū. Auget potius aſſiduè vſque ad gloriam confirmatam, in qua firmatur & ſiſtit. Manifeſtum eſt igitur magnum pietatis ſacramentum quod manifeſtum eſt in carne iuſtificatū in ſpiritu, & eſt aſſumptum in gloria. Neque minus mirabiliter in hac ſacra manducatione ſacramentum, hoc pietatis

Digitized by Google

exhibetur, quod quidem manifeſtum eſt in ſenſibilibus ſignis panis & vini velut in carne, ſed per A gratiam cum fide, ſpe & charitate iuſtificat hominis ſpiritum, & quodammodo aſſumunt in gloria, quia fides dirigit ad imaginem ſpecularem gloriæ Dei. Spes erigit vſque ad interiora velaminis eiuſdem gloriæ Dei. Charitas verò ſe erigit, ſubintrat & appræhendit & aſtringit dicens: Inueni quem diligit anima mea tenui eum nec dimittam. Subinde vox eius eſt Sunamitis ad Heliſeum, viuit dominus & viuit anima mea, quia non dimittam te. Apprehendam te (inquit anima in canticis) B & introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Felix introductio & nota ſunt quæ ſequuntur. Quæſtus præterea magnus eſt pietas hæc cum ſufficientia. Reponit enim cor hominis in ſede ſua, & in centro & in loco quandoque proximus dum plus eſt cor aſſimilatum, deputatum & illuminatum cum pondere maioris charitatis. Exemplum in magnete ferrum trahente nunc vehementius nunc remiſſius pro qualitate mediorum, nam ſi circumliniatur C ferrum per alium, ſuſpenditur vis attractiua. Pietas itaque ſubinde valet ad omnia, quoniam reddere docet & ordinare prout vnicuique debitum eſt, Deo ſibi & proximo, ſecundum genus omne paſſionum vel affectionum vt gaudeat, ſperet, timeat & doleat, ſicut oportet moderate, ſecundum circunſtantias omnes, prout ſapiens iudicabit & debita pij cordis harmonia ſuadebit. Dicamus præterea quod manſio mutua mãducantis hoc ſacramentum cum Chriſto manducato ſaluari non poteſt, neque cognoſci ſine cor- D dis mentalis motu. Ita enim dicebat Bernardus pluries expertus ſentire ſe præſentiam verbi ex motu cordis, intellige mentalis, vnde & ſi nonnulli voluerint hanc manſionem poſuiſſe ſine habitu gratiæ diſtincto & ſpirituſancto, nulli tamen negauerunt motum cordis diſtinctum tam à Deo quam à corde ſeu mente cordis, qui motus cordis totus fit ſupernaturalis per infuſionem ac illapſum ſpirituſſancti mouentis cor, qualiter nulla facere poſſe creatura, immo nec ipſa mens ſola E taliter ſe mouere poſſet, quamuis ſit inſtrumentum ſeipſum mouens, ſed non tali motu deiformi niſi detur à ſpirituſancto. Iſte autem motus eſt nex ipſe medius quo Chriſtus eſt manducante ſe dignè actualiter & manducans in eo ita quod recipiens iſtum motum tanquam ſi chorda muſicalis percutiendo ſonore moueretur reddit illum motum & iſtum ſonum Deo, quemadmodum filius recipiens ſpiritumſanctum à patre per inſpirationem actiuam patris, reddit per eandem F vim ſpiratiuam quam recipit ſpiritumſanctum patri. Agitur ergo & agit anima manducans actualiter dignè Chriſtum & in eo manens: quia. ſc. facit illum actum per acceptionem & redditionem ſpontaneam eſſe ſuum.

Qualis autem ſit iſte motus aut quid, dixerunt aliqui non eſſe rem abſolutam vel formam vel reſpectiuam ſeu relatiuam. Alij quod eſt complexè ſignificabile. ſc. animam ſic ſe habere. Alij formam poſuerunt eſſe abſolutam de genere qualitatis. Alij tenentes idem quod ſimul eſt forma reſpectiua, addiderunt ſubiectum denominare eſſe tale vitaliter immutatum & Deo acceptum vnde nec tali denominatione poſſet informare A ſubiectum non cognitiuum vel affectiuum. Et quoniam Deus non poteſt eſſe talis forma conſtituens vel informans & relatiua dependens, iure damnatus eſt Pariſijs articulus tali poſitioni fauẽs. Similiter in decretalibus ſummorum pontificum, quod Deus ſolus eſt formalis beatitudo ſiue lumen gloriæ, nihil actu ſuperaddito. Nec celeberrimus ille Hugo, neque magiſter ſententiarum vnquam ita ponere voluerunt, qualiter improba quorundam ſubtilitas ſine modeſtia, ſine freno furioſè ſe agens trahere conata eſt. Patet ad extre- B mum ſenſus apoſtolici verbi, vnum corpus & vnus ſpiritus & vnus panis ſumus. Et alterius Lucæ: Erat cor vnum & anima vna. Intellectus inſuper totius illius cæleſtis ſermonis nocte iouis ſancta per tria capitula. Libet exclamare cum propheta cãticum illud: Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite Chriſto, Chriſti autem caput eſt Deus. Reliqua autem quælibet creatura (maximè autem rationalis) eſt corpus eius, veſtimen- C tum eius, mons eius. Mons quidem Hermon prius anathematizatus, & mons Sion iuſtificatus. Et quid ros niſi gratioſus illapſus illius? Ego ros, & Iſrael quaſi lilium germinabit.

Denique datur credi, datur etiam ſciri, datur & aliqualiter intelligi. Sed quam beatius erit & experiri, quomodo Deus hoſpes glorioſiſſimus erit omnia in omnibus modis vt potuimus expoſitis. Sed plus docebit verbum iſtud impreſſum menti quam expreſſum ore dum ipſo plenè viſo toto D ore, totáque auiditate fruemur. Quam fruitionem temporalis perceptio corporis & ſanguinis præfigurat.

Connectemus quaſi pro notula centeſima quadraginta notulas ſeu minutias theoreumatum quadraginta.

Vnitatem Dei per vnitatem centralis punctis poſſe manuduci. Hinc eſt ex philoſophis Dei deſcriptio, quod eſt ſphera intelligibilis, cuius cen- E trum eſt vbique, circunferentia nuſquam. Vnitatem Dei abſque creaturis poſſe intelligi. Vnitatem Dei abſque ipſius abſoluta entitate non poſſe intelligi. Vnitatem Dei non poſſe continuò & tempore perfectè intelligi. Vnitatem Dei nullatenus à creaturis dependere. Vnitatem Dei neceſſariò creaturarum producibilitatem virtualiter includere. Vnitatem Dei neceſſariò ſuam æternitatem concludere. Vnitatem Dei non neceſſariò quamlibet diſtinctionem formalem intrinſecam ex par- F te rei quoad nos concludere. Vnitatem Dei non neceſſariò productionem actualem creaturarum ſupponere vel inferre. Vnitatem quoque numeri & ordinem creaturarum exiſtentium, referri ad diuinam quoque vnitatem & monadem oportere, ſecũdum triplex genus cauſæ efficientis, exemplaris & finalis. Vnitatem diuinam gignere vnitatem, & in ſe ſuam reflectere vnitatem per amorem ſpiratiuum triangulo intelligibili perfectè circulato.

Vnitatem Dei poſſe plus aut minus intelligi pro libero arbitrio ſuæ motionis obiectalis, nunc ſine viſione creaturarum nunc cum viſione plu-

rium

Digitized by Google

tium vel paucorum. Exemplum de lineis omnibus terminatis ad centrum, quarum quælibet ſi punctus centralis ad eas liberè contradictoriè influeret cognitionem aut lucem, poſſet intelligere centrum lineis egredientibus non cognitis aut inæqualiter cognitis. Vnitatem diuinam ſeipſa ſe inuariabiliter habente, cognoſcere variabilia immutabiliter, mutabilia futura præſentialiter, contingẽtia neceſſariò & certitudinaliter, nullam tamen ideo ponendam eſſe contingentiam intrinſecam in Deo, ſicut nec tempus, nec locum, nec corpora, nec complexiones, nec diſcurſus, quia talia ſcit & cognoſcit. Et hic eſt lapſus magnorum doctorum quærentium metaphyſicam, vbi logicus faciliter ſe expediret. Vnitatem Dei poſſe diuerſiſſima producere ad extra nulla diſtinctione niſi perſonali exiſtente ad intra. Nulla inſuper variationem determinationis ad intra facta. Et hic eſt lapſus hominum groſſi ſenſus ponentium neceſſitatem fati aut fortunam in omnibus. Nec valentium prouidẽtiæ ſimpliciſſimam formam formaliter intueri, neque cum libertate humanæ voluntatis ipſam concordare, neque cũ peccatis hominum actionem Dei iungere, neque cum Dei miſericordia reprobationem præſcitorum.

Vnitatem Dei potuiſſe & poſſe ſemper effectuum varietatem educere, & eductis prouidere, & prouiſa reducere ad ſe, quodlibet ad proportionabilem vnionem. Hæc eſt lapſus philoſophorum præſupponentium quod ab eodem inquantum idem, non prouenit niſi effectus idem nec ab antiqua voluntate nouus effectus ſine immutatione voluntatis. Hæc eſt lapſus eorum qui putãt intelligere comparationem Dei ad creaturas, abſque creaturis comparatis, cum tamen intellectus vnius correlatiui neceſſariò præſupponat alterius intellectum, tanquam duo relatiuæ comparationis extrema ſeu fundamenta. Vnionem naturæ intellectualis creaturæ cum Deo & per Deum & in Deo aliter conſiſtere quam cæterarum creaturarum non intellectualis naturæ, quoniam iſtæ percipiunt Deum, & aliæ non. Vnionem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum & in Deo non poſſe nec debere concipi per transformationem ipſius intelligentiæ eſſentialem ſed accidentalem, per habitus. ſc. & actus ſecundum obiectales influxus ſeu vitales, ſeu (clarius loquendo) perceptiuos. Vnionem aptitudinalem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum & in Deo cõſiſtere & attendi ſecundum triplicem eius potentiam in vnitate eſſentiæ, quæ ſunt vis memoratiua, intellectiua & volitiua. Vnionem habitualem gratificam naturæ intellectualis, cum Deo, per Deum & in Deo conſiſtere & attendi pro ſtatu viæ ſecundum triplicem virtutem theologicam in gratiæ gratum facientis vnitate. Vnionem actualem naturæ intellectualis cum Deo, per Deũ & in Deo conſiſtere & attendi pro ſtatu viæ, ſecundum operationem perceptiuam & motiuam triplicis virtutis theologicæ in radice gratiæ gratum facientis. Vnionem actualem naturæ intellectualis cum Deo per Deum & in Deo conſiſtere vel attendi pro ſtatu gloriæ ſecundum operationem triplicis dotis, in radice gloriæ ſuæ gratiæ conſumatæ, quas includit ſimul fruitio, quæ eſt conſumata perceptio. Vnionem intellectualis naturæ cum Deo aptitudinem, habitualem vel actualem in via vel patria non poſſe conſiſtere vel attendi per transformationem naturæ diuinæ eſſentialem in naturam intellectualem creat.

Vnionem naturæ diuinæ cum natura intellectuali creata debere concipi per illapſus obiectiuos fieri conformiter ſeu quadam proportione ad monitiones ſenſibilium & ſenſuum obiectales, & hoc altero trium modorum ab apoſtolo poſitorum facialiter, aut ſpeculariter aut ænigmatice perceptiuæ. Vnionem naturæ diuinæ cum creatura intellectuali radicaliter plus attendi ſecũdum vim tactiuam obiectalem, proportionabiliter ad ſenſus materiales qui omnes in vi tactiua radicantur. Nam & guſtus eſt quidam tactus, ſimiliter alij ſenſus ſuo modo. Conſonat illud philoſophi: Omne agens agit per contactum. Vnionem Dei cum creatura intellectuali ſecundum vim contactiuam ſpiritualem obiectalem eſſe vehementiorem, intimiorem & puriorem, non ſicut in ſenſibus, in quibus tactus eſt materialiter & impurus. Vnionem Dei ſecundum vim tactiuam, ſpiritualem, obiectalem perfectius, purius, intimius & ſuauius attendi in via quam ſecundum motionem obiectalem ad viſum vel auditum ſpiritus percipientis. Vnionem Dei per Euchariſtiæ ſacramentum dignè ſuſceptum plus attendi ſecundum vim tactiuam & guſtatiuam ſpiritales quamuis in hac vnione actuentur ſenſus omnes ſpiritales ſuo modo ſaltem in ænigmate & per fidem & ſpem.

Vnionem Dei ſecundum vim tactiuam ſpiritualem, obiectalem actualem eſſe ſecretiſſimam, nec percipi poſſe niſi ab accipiente. Sicut nec ſubiectum perceptionis alibi vel extra eſt. Hinc eſt illud: Nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Vnionem Dei cum natura intellectuali gradus habere varios & multiplices, pro varietate obiectalium illapſuum diuinorum perceptiuorum & ſentimentorum. Vnionem Dei cum natura intellectuali pręcellere poſt Chriſtum in Maria, & conſequenter omnibus in patria. Vnionem Dei cum natura intellectuali remotiſſimam eſſe à lucifero vel altero ſi quis ſit damnatior eo: & conſequenter alijs in gehenna, maximè quoad vnionem obiectalis illapſus, ſecũdum vim tactiuam per quam ſentitur & guſtatur quam ſuauis eſt dominus. Vnionem Dei cum natura intellectuali inter hæc duo extrema patriæ & gehennæ, medias intellectuales naturas plus aut minus recipere vel à ſe repellere. Vnionem conſumatam omnium electorum cum Deo obiectaliter effici per repletionem intuitiuam & nudam omnium ſenſuum ſpiritualium & redundantium in ſenſuales, tam intra quam exterius, vt ſiue ingrediatur ſiue egrediatur natura intellectualis paſcua inueniat. Vnionem conſumatam eſſe cum quolibet electo ſingulariter, & tamen communiter apud omnes, iuxta comparationem centri ſphæræ intelligibilis reſpectu linearum egredientium & in centro coniunctarum. Sic virtus cæleſtis influentiæ in ſphera corruptibilium neceſſariò coniungitur ad centrum, immo verius ad Deum.

Vnionem conſumatam recipere maius aut minus, iuxta maiorem aud minorem circa centrum

ipſum quod eſt Deus, virtualem & quaſi circularem proximationem. Exemplum de circulis ſpheræ, hæc comparatio commodior eſt quam quod egreſſus creaturarum fiat inſtar numeri, per additionem vnitatum, quia poſſunt eſſe ſpecies multæ, æquè perfectè, & omnes de neceſſitate coniunctæ Deo ſunt ſicut in centro lineæ. Vnionem conſumatam efficere vt ſit Deus omnia in omnibus, cum tradiderit filius cum ſpirituſancto patri regnum, qui fontalis eſt diuinitas & vnitas, qua ſimplicior aut vlterior nequit intelligi. Hæc eſt apoſtoli à Dionyſio declarata. Vnionem conſumatam ſi per intellectuales circulos accipiamus oportere per conuerſum modum ad materiales ſpheras cæleſtes intelligi, quæ quanto maiores ſunt mole tanta efficaciores in virtute. Spiritualia verò quanto ſimpliciora & centro proximiora, plus habent de influentia. Vnde beata beatarum continet omnes hierarchias in ambitu ſimpliciſſimæ virtutis ſuæ. Inde regina cælorum & domina angelorum dignè vocata eſt.

Vnionem Euchariſtia figuratam & ſacratam deſiderare nos & eſurire præ cæteris bonis contemplatiuis debere, propterea ſurſum leuare corda à ſpeciebus materialibus hoſtiæ ad Chriſti corpus verum, & ab illo ad myſticum, & abinde per eleuatiuam vim & vnitiuam verbi diuini, reduci ad congregantis patris diuinitatem & ſimplificam deitatem, qua nihil vltra, hæc eſt Dionyſij. Vnionem hanc non poſſe non conſequi perfectè ſine diuino illapſu ſegregante mentem ab omni alteritate, curis inſuper ſollicitudinibúſque depulſis, & ſupermundane explicatis, vt in diuinam monadem cõgregemur, & ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignotè congregemur. Hæc eſt Dionyſij. Vnionem hanc non poſſe nos conſequi, niſi irruentia vndique phantaſmata nos mentis puritate tranſuolare præualeamus. Hæc Bernardus. Erras inquit, ſi citra expectas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, ſerenum luminis, tabernaculum pacis.

Vnionem hanc percipi motu cordis maximè mentalis eſſe præſentem, colligi verò ſuos effectus & efficaciam viuacem ex diuiſione ſpiritus & animæ cum depulſione vitiorum, & reformatione virtutum, in iocunditate & ſuauitate, in ſpirituſancto, iuncta magnificatione Dei & exultatione ſpiritus in Deo ſalutari ſuo. Dum in hoc conuiuio mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Amen.

QVINTA PARTITIO[illegible]R SOLILOQVIVM EXHORTATORIA *ad meditationes huius ſacramenti, per notulas quinquaginta.*

MEDITARE nunc anima chriſtiana cui forte contemplari non ſatis adhuc cõceſſum eſt. Meditare cum vehementi ſtudio animi qualis & quantus ſit iſte qui tibi ſacramentaliter nunc offertur, quam magnus quam ſapiens quam delectabilis & benignus. Eſuriens & pauper es & nihil habes, plurima debes, tibi non ſuppetunt merita vnde
A reſtituas, vnde diues fias, fodere non vales, ſed mendicare non erubeſcas. Sit tibi mendicitas tua lucrum tuum. Neceſſitas neſcit verecundiam, ſicut nec habet legem. Ille tibi nunc offertur ſi neſcis, qui propter te dixit & paſſus & expertus eſt: Ego autem mendicus ſum & pauper. Tibi datur iſte qui propter nos egenus factus eſt, vt illius inopia diuites eſſemus. Tantum tribuit quod quaſi nihil ſibi retinere videretur. Diues eſſe debes, cui diuitiæ largitæ ſunt immenſæ. Noli cadere ô anima chriſtiana in illam expro-
B brationem vt dicas: Ecce ego diues ſum, & nullius egeo. Scieris, quia miſera es & miſerabilis & pauper, cæca & nuda, & eò plus miſera & miſerabilis ſi hoc ignoraueris. Nam quid miſerius miſera, ſe miſeram neſciente? Audi conſilium, ſuadeat tibi ſaluator tuus præſens in hoc ſacramento. Suadet tibi vt emas aurum ignitum, quatenus diues fias. Non opus eſt per diuerſa vagari vt venditorem inuenias. Ipſe eſt venditor ſimul & precium emptionis. Suadet inungere collirio
C oculos tuos, ipſe fecit collirium ex ſputo gratiæ ſuæ & luto mortalitatis tuæ. Suadet veſtiri veſtibus albis, ipſe tibi gratis & aurum ignitum erit in hoc ſacramento & collirium & veſtis. Eſuris & ſitis, cænare vis, hoſpes non eſt longè quærendus qui cænam dat. Ecce ipſe ſtat ad oſtium & pulſat, aperi ſibi ianuam, cænabit tecum, & tu cum illo. O ſplendida felix & lauta cæna, vbi ipſe qui cænat Chriſtus ſumitur, vbi fas eſt habere & dicere: In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis.

Stat & pulſat nunc, quaſi cum digito qui eſt
D ſpirituſſanctus, nunc malleo terribilis iudicij ſui, nunc ſonitu velut auræ tenuis blandiens & dicens: Aperi mihi ſoror mea, columba mea, immaculata mea. Conqueritur non tam ſua quam ſuorum & tuam noctis incommoditatem, vnde refrigeſcit feruor charitatis. Dat hoc intelligi, quia caput meum plenum eſt rore ait, & cincinni capitis mei guttis noctiuum. Noli tardare, exurge velociter, noli ſomnolenta verba reddere. Alioquin declinabit & diſcedet, atque ſæpe quæſitus
E clamatus obſurdeſcet.

Faciat cænam Simon olim leproſus nunc curatus à domino. Ipſe eſt ſpiritus noſter ante leproſus. Miniſtret Martha & ſollicita ſit erga frequens miniſterium, hoc eſt inferior portio rationis. Maria virgo ſuperior pars inungat pedes Ieſu fracto deuotionis alabaſtro. Effundat inſuper confiſa magis ſuper caput illius recumbentis. Caput autem Chriſti Deus. Impleatur domus tua cordis ex odore vnguenti. Ceſſet mur-
F muratio Iudę ſenſualis & furis, de quo fure conqueritur vnus prophetarum. Oculus meus deprecatus eſt animam meam. Sit Lazarus nuper reſuſcitatus per gratiæ vitam vnus de recumbentibus. Et hic eſt affectus noſter, ſæpe quatriduanus mortuus miſericordia Dei ſuſcitatus. Faciat & aliam cænam Chriſto Simon idem vel aliter in litera, ſimilis in figura. Accedas ô peccatrix anima chriſtiana nulla te verecundia prohibeat: nullũ in peccãdo modum tenuiſti, nihil ad te moderari eſt quo ſaneris. Sta, maneas retro ſecus pedes recumbentis in hac ſacramentali cæna, laua lachrymis, terge capillis meditationum ſanctarum.

Iunge

Digitized by Google

Iunge oſcula charitatis, oleo piæ miſerationis inunge. Sic age: vt tandem merearis audire. Fides tua te ſaluum fecit: vade in pace. O fides, ô ſalus, ô vade, ô in pace. Fecerunt Chriſto corporaliter diuerſi varias cœnas cum viueret in terris. Fecit apud illos magna miracula. Non eſt impotentior nunc in cœlis non eſt manus eius abbreuiata, vt ſaluari non poſſit in mente, ſicut tunc in corpore. Æſtima cœnam hanc, ô anima chriſtiana, nunc ex illis vnam eſſe.

Cœnabat apud Petrum & Andream, Ioannem & Iacobum, noſter Chiſtus hic in ſacramento velatus. Tenebatur ſocrus Petri magnis febribus, imperauit febri, & ſocrus continuò ſurrexit & miniſtrabat eis, & tu ſpera ſimiliter.

Conuiua fuit apud Matthæum noſter Chriſtus hic in eucharistia. Conuenerunt publicani & peccatores, murmurabat falſa iuſtitia phariſæorum, qui cum morbo ſuo ſenſum amiſerunt pariter. Confitere te de numero peccatorum & indigentium pœnitentiam, & audies. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Audies prætereà ſimilem in domo Zachæi pœnitentiam, in Hierico ciuitate lunatica. Et verè tu lunatica es anima chriſtiana hic in via tua immenſi lunatici. Tu ſtulta quæ vt luna mutaris. Tu quæ nunquam in eodem ſtatu permanes. Nihilominus obedi dicenti: Oportet me hodie manere in domo tua, feſtinus & lætus deſcendat ô anima mea. Feſtinus ſuſcipiat Ieſum in hoc ſacramento ſpiritus tuus princeps publicanorum, quia princeps & primus peccatorum. Dic hilariter. Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus. O heu Domine quid & quale eſt illud dimidium bonorum qui nihil habeo, nihil habere concupiſco, dum tantum cupio niſi te, dũ portio mea, tu pars mea, tu hæreditas mea, quam præclara es mihi. Ecce ego Domine non dimidiũ bonorum, ſed te totum bonum meum in hoc ſacramento contentum, do pauperibus hoſpitalis tui magni in hac terra morantium. Et in altera. ſc. in purgatorio poſitorum. Quod ſi aliquem defraudaui, reddo quadruplum, quia temetipſum qui vnus pro decem milibus computaris, & in cuius ditione ſunt omnia, quo ſoluente & adquitante, nemo poteſt dicere cur ita facis, tollis quod meum eſt, quod omnia tua ſunt iure pleno.

Deſiderio deſiderauit manducare paſcha cum diſcipulis ſuis Ieſus paſſurus. O anima chriſtiana, puta deſiderium ſuum vt ſalua ſis imminutum ſit per gloriam vt non deſiderio deſideret manducare paſcha. ſ. tecum ſuam cœnam. Caue ne dura ſis, ingrata, ruſtica, ciuilis, vt fraudes Dominum tuum benigniſſimum à deſiderio ſuo. Hoſpes eſt, petit in hoſpitium tui cordis ſuſcipi & colligi. Et ô bone Ieſu qualis & quantus, quam honeſtus, ſuauis & commodus hoſpes aduenies, quando aduenis etiam non inuitatus ſæpe ſed inuitans. Quid inuitationem commemoro? Compellis. Mittis manum tuam omnipotentiæ tuæ actiuæ, per foramen obedientialis paſſiuæ in omni creatura. Sic tacta dic ô anima chriſtiana, & venter meus intumuit ad tactum eius. Exurge taliter excitata, ſtillent manus tuæ myrrham primam, pleni ſint digiti tui myrrha probatiſſima quaſi nihil in opere tuo putredinis aut fœtoris appareat. Mor-

tificat omnia carnalia myrrha compunctionis a- A mariſſima. Aperi dilecta peſſulum oſtioli tui, ſed heu tepida ſedes ſomnolenta, pœnam cognoſcis pigritantis ignauiæ, vult certè, vult ad feruorem ſpiritus altius inflammare. Sentis iam nunc vim eloquij ſui vehementer igniti, alioquin vnde clamor ille tuus: Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt? Non iam tenetur anima terminis proprijs ſicut fluit cera à facie. Sic tota defluis, tota liqueſcis in amatum. Inuenerunt te vigiles qui babylonicam cuſtodiunt mundi ciuitatem, dum per creaturarum noctes quæris dilectum & B vocas, percutiunt te ſuis pulchritudinibus allectiuis quæ ſunt in mundo, concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis & ſuperbia vitæ. Verberante te quamuis non ad mortem peccati mortalis ſed venialis tamen lædunt. Porrò cuſtodes murorum, iniquitas & dolus & iniuſtitia peruerſorum ciuium, dum non talia, ſed dilectũ quęris, eò quod triſtitiam inferunt cordi tuo, pallium gaudij tui, nunquid non auferunt? Quis ſcandalizatur & ego non vror? anima Pauli clamat ignita. C At verò charitatem cum ſuis lampadibus, quæ ſũt ignis & flammarum, extinguere non potuerunt aquæ tribulationũ multæ, nec turbida babylonis flumina obruerunt eam. Tranſi ô anima, tranſi ciuitatem hanc cum habitatoribus ſuis, non quęſieris an viderunt quem diligis, verbera potius quam verba bona dabunt. Eleua oculos tuos in montes, vbi ſunt filiæ Hieruſalem, clamor ingens tuus audiatur. Filiæ Hieruſalem nunciate dilecto, quia amore langueo. Felix languor, & ſuaui vulneratus telo charitatis. Ecce ſentis ô anima quantum D profuerit tibi eius quem diligis abſentia. Torpebas algida, iacebas ſomnolẽta, nunc curris nũc liqueſcis, & languida per amorẽ ad filias Hieruſalẽ ignitas, anxia, anhelaque conuertere. Clementes ſunt filiæ Hieruſalem, amoroſum habent pectus amoris. Idcirco verba ſcintillantia recognoſcunt. Interrogant qualis ſit dilectus tuus ex dilecto. i. dilecto per dilectionem totus amor tuus. Dilecte, nominant te pulcherrimam mulierum, non vt ſuperbias niſi forte ſancta ſuperbia. Volunt quod E tua ſancta pulchritudo tibi cognita ſit, quæ iam digna ſit & amari & amare. Talem pulchritudinẽ non decet amor niſi pulcherrimus. Tempus tibi venit amantium, caue ne des amorem tuum indigno tuo.

Denique poſt notificationem ſpecioſitatis ſponſi, tu ô anima chriſtiana rectè cenſes interrogata. Vbi abijt dilectus tuus? Myſticum oſtendis eccleſiæ ortum, in quem deſcendit quotidie ſacramentaliter, ad areolam aromatum, & in altari F ſacro ſuauiter redolente, vt ibi paſcatur in hortis irriguis & formoſiſſimis ſanctarum animarum & lilia caſtiſſimorum ſpirituum ad ſe trahat & colligat ad thalami cœleſtis ornatum. Accede proprius ad hunc hortum, immo ſis hortus à propheta deſcriptus irriguus, à cuius fonte non deficient aquæ gratiarum. Sis hortus concluſus ſeruans te ſolam ſoli. Sis fons ſignatus, ne pateas adultero. Sis puteus auarum viuentium, cuius impetuoſum à libano paradiſi fluxum nullus obex peccati tardet aut impediat. Hora eſt quotidie ô anima chriſtiana, Hora qua tranſeas ex hoc mundo ad patrem, ab exilio in patriam, à deſerto

Digitized by Google

afflictionis in terram promiſſionis. Si retardet te corpus, liber tamen eſt animus vt euolet. Vult tecum Ieſus facere paſcha ſuum, fac te illi cœnaculum grande ſtratum in dilatatione & amplitudine cordis. Cœnare dignabitur, lauabit pedes diſcipulorum ſuorum, qui ſunt diſciplinati affectus tui. Sint ipſi nouellę oliuarum in circuitu menſæ Domini, quorum & mater eſt ſapientia, vxor ſpiritus tuus deiformis. Habitet ipſa ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Ego inquit, ſicut vitis fructificaui ſuauitatem &c. Quid denique? Cibauit omnes ex adipe frumenti. Dicent: Comedite amici mei & bibite, & inebriamini chariſſimi. Trepidas timore? Tandem hic timor aliquando pellendus eſt foris à charitate. Cogitas te tantis indignum myſterijs? Certè nec ex meritis tuis, etiam per mille millia annorum ſatagens digna fies. Dignificet te oportet qui te inuitat ad ſe. Dignificabit autem ſi ſtudueris ea quæ diſplicent oculis ſuis à domo cordis expellere. Enitere precor hic & nunc ô anima mea, parare te ſi te congnoſcis imparatam. Caue diutius in ſterquilinio fecis mortiferæ volutari ſub expectatione craſtini. Quid ſcis ſi craſtinus eluceſcit tibi dies? Quis ſuper hac te reddet te ſecuram? Non eſt tuum noſſe tempora vel momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Rurſus ita collige ſi conſcia tibi non fueris impedimenti legitimi, quo minus euchariſtiam ſuſcipias. Cur tanto te bono pigra & ingrata priuabis? Si remordens accuſet te conſcientia, cur pœnitendo, cur impedimenta tollendo, poſſe tenus non intendis? Cur nouis te laqueis malè differendo, ſtultè contemnendo te rurſus inuoluis. Audio quid reſpōdeas, frigida ſum, diſperſa ſum, carnalis ſum, exagitor curis, ſcrupulis inquietor, mordeor concupiſcentijs, fides imbecillis eſt, nutat ſpes, charitas refriguit, quæ mihi conuentio cum hoſpite tanto? Immo verò quæ tibi curatio, niſi ſub medico tanto? Si te ſanam iudicares, opus medico non haberes, iure repelleres à te. Exemplum Petri non approbamus in hac parte. Stupuit ad capturam piſcium, ſubintulit tremens: Exi à me Domine, quia peccator ego ſum. Tanto magis ô Petre ſi peccator es, retinendus eſt medicus ſanctificans & peccata tollens à te. Quanto ſapientius peccator Zachęus, qui feſtinus gaudens ſuſcepit Ieſum ad ſe. Deniq; quam prudenter hoc fecerit data ſalus oſtendit.

Centurionis, ô anima mea, ſimilitudinem inducis, quam in humilitate tua procliuior es imitari, vtinam nō ex ignaui procraſtinatione. Dicat inquis Ieſus tantū verbo, & ſanabitur puer meus. Affectus. ſ. rationalis, qui iacet paralyticus & malè torquetur, ſufficit hoc, non intret tectum meum, non intret ad me vt rememorentur peccata mea, & interficiat Deus puerum meum reddens ipſum de languido mortuum.

Vrgens pertinaciter. Non eſt nouum abſconſum à ſapiente, quia occaſiones quærit qui vult ab amico recedere. Si vera te humilitas compeſcit à ſuſcipiendo, cur eadem te non impellit in obediendo? Vocat te Deus ad menſam ſuam, compellit etiam per ſeruos. ſ. prælatos de eccleſia quādoque intrare temporibus inſtitutis, vt in paſcha. Statuit Chriſtus teſtamentum hoc æternum & nouum, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Si te retrahit indignitas tua, maior
A alliciat conſiderata dignatio ſua, charitas, miſericordia, veritas, mititas atque benignitas. Accede & dic. Miſericordia & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. Ægrotus an non agit ſtultiſſimè, cui tātum diſplicet deformitas ægritudinis ſuæ, quod aſpectum vel aduentum horret medicantis manus alienæ, dum medicus inuitat, offert, prouocat, aſtat, vt ſuſcipiatur & ſanet.

Debilis es ô anima chriſtiana, ſurge, comede, bibe in menſa ſapientiæ, in arce ſion, aut ſi potius inueneris te in deſerto ſolitudinis mœſtam, ſi tæ-
B dio vitæ huius moribundæ deiectam. Surge, comede & bibe, & ambulabis in fortitudine cibi illius vſq; ad montē Dei Oreb in mēſa refectionis æternalis. Eſurit Daniel in lacu leonum, cœtus. ſc. fidelium in purgatorij lacu morſorum. Fer prandium meſſorum laborantium in eccleſia viatorum, refocillabit eos cibus iſte tuus quia per te datus eſt & oblatus in altaris alueolo, ad cœtum deſiderantium nunc in lacu degentium. Portabitur in momento, & hoc in cincinno vno capitis
C tui, qui cincinnus eſt vnica mentis ad eorum refectionem intentio. Reſpondens ô anima pigritans anima voluens & reuoluens cor tuum ad excuſandas excuſationes, vtinam non in peccatis. Præparatum ait vult medicus corporalis infirmū ſuum fieri per euacuationem humorum corruptorum prius quam cibet eum antidoto ſalutari. Scit illum aphoriſmum: Ægra corpora quò plus nutries, eò magis lædes. Cōſonat apoſtolus quaſi præconiſans & arcens indignos: Probet autem
D inquit, ſeipſum homo. Nil planè contradixerim verbis tuis iſtis ô anima chriſtiana, non prohibeo ſed præcipio præparationem. Sed talis ſufficiat, vt plena nequaquam primitus perfectáque ſanitas exigatur. Compatitur ſecum vita ſpiritualis languores qui non ſunt ad mortem. Tales non auget morbos, ſed tollit euchariſtiæ gratioſa ſuſceptio. Nolo vt dijudices te dignam iſto ſacramento, etiam ſi calida, ſi feruens, ſi tranquilla, ſi in pace ſpiritus, ſi ſtabilis in fide, ſi ſpe gaudens, ſi efficax & vigil in opere, ſi caſtitate, ſi ſobrietate pollens, a-
E lioquin condemnabit te os tuum, & prauum te iudex tuus comprobabit. Quid ingemiſcis ad hæc & ſuſpirabunda clamas cum Suſanna: Anguſtiæ ſunt mihi vndique? Caue ne ſic erraueris. Patet exitus & egreſſus amplius. Deſere te, & proijce te in manus ſalutaris tui. Non eſt crudelis, nō inuidus. Cur inuitans te non ſuſcipiat te, & ſuſcipiens non conſeruet & ſanet? Conſilium tamen eſt, vt recumbas in nouiſſimo loco, vt crucem ab imo tota mente conſtringas. Porrò ſi conſcia fles
F veſte te nudatam nuptiali, hic illam confeſtim poteris ab inuitante rege ſi petieris impetrare, cōtemptus ſolus deſit. Sed ſola phantaſijs aut philoſophorum argutijs impeditur fides, ſi curioſitas acceſſerit cū ſerpente, dicens: Cur iſta & iſta conſtituit Deus? cur nō manifeſtè ſe præſentat Deus? cur præſentia diuinitatis non ſufficit? Qualis ſitus eſt hic corporis Chriſti, vbi caput, vbi pedes, ſi corporeis nos intuetur oculis, ſi audit, ſi mouetur? Dic ad hæc omnia fide ſimplici, chriſtiana ſum, catholica ſum.

Deus omnia quæcunq; voluit, fecit, Deus omnia quæcūq; fecit & dixit, verè dixit & bene fecit,

ſit

Digitized by Google

ſit nomē eius benedictum,ſit in eccleſiæ fide meritum meum,ſit acceſſus ad ſacramentum. Et tu Maria mater euchariſtiæ,quia mater gratiæ,mater pia miſerorum,quia mater miſericordiæ.Tu contra tales verſutias, tales phantaſias,viles concupiſcentias,viliſſimas nec nominandas blaſphemias; tu nos ab hoſte protege.Et quia morimur aſſiduè (quid enim aliud quotidianus defectus corruptionis quam quædam prolixitas mortis, tu continuè nos hora mortis huius ſuſcipe.Sis ſuſceptrix omnium qui filio fidenter dicimus vnuſquiſque. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Si te miſerante & opitulāte ſuſcipimus filium tuum in euchariſtiæ ſacramēto,profectò ille nos ſuſcipiet & incorporabit in myſtico ſuo corpore. Credimus & manducamus eum, diligimus & ſperamus,& ipſe manducat nos,quia ſibi nos incorporat.

Dic tecum conferens ô anima. Dic ſi introiero in domū eccleſiæ, domum vtique meā ſi cohæres ſum filij, cuius domus hæc eſt. Inueniam victimas immolatas, quia vnicām pro omnibus hoſtiā præparatam. Inuenietur mēſa ſapientiæ poſita,& mixtum vinum. Sic cibata, ſic potata deſiderabo in iocunditate ſpiritus, in innouatione iuuentutis verbigena fieri. Non enim eſt prius animata apta venire ad oſculum pignorationum verbi, niſi fuerit ab vberibus inebriata ſuis,quæ fragrantia ſunt vnguentis optimis amoroſiſſimæ allocutionis. Vnde ſentitur ſicut oleum effuſum nomē ſuum.Vnde adoleſcentulæ nondum aptæ viri copulæ,ſtimulos inchoant amantium ſanctos, intra ſe ſentire,necnon amoris per amorem, igneo ſed ſobrio furore ſuccendi. Plurimis obligata es debitis ô anima mea,multis nimis, & apud creditores & exactores qui perurgent,dicentes: Redde quod debes.Ecce nihil habes ex te vnde reſtituas, niſi forte parum olei deuotionis. Clama ad verū Heliſæum in hoc ſacramento: Domine vim patior, reſponde pro me, liberabit ipſe te per infuſionem olei in vaſa virium cordis tui, quæ præſētabunt filij tui affectus.ſ.pij ad Ieſum,cuius nomē eſt ſicut oleum effuſum.Creditor primus eſt creatio, cui te totum debes, ſicut ab alio nihil habes. Secundus eſt recreatio,à quo habes quæ tota perieras. Tertius eſt baptiſmalis adoptio, quæ non data eſt cuilibet nationi.Quartus poſt tot peccata pœnitentialis iuſtificatio, & ab inferno liberatio quem milies demerueras.Quintus gratuita beneficiorum largitio nominatim in hoc altaris ſacramēte.Sextus proximorum damnificatio,in commiſſis, in amiſſis, in omiſſis.Septimus futura beatificatio cui conſequendæ nulla ſunt digna tuorum opera meritorum. Sed ecce venit ad hoc ſacramentum Chriſtus, qui factus eſt nobis ſapientia creans recreans & adoptans. Iuſtitia iuſtificās, ſanctificatio mundans & implens,redemptio debita ſoluens.Denique via vehens ad cœlum,veritas dirigens,& vita beatificans. Suſcipe puerum Ieſum ſacramentaliter, vt ſuſcipiat te miſericorditer faciens ſpiritum tuum eſſe Iſrael puerum ſuum. Suſcipe regnum cœlorum ſe conſule ſicut puer amplexabitur te,benedicet tibi.Dicet:Sinite paruulos venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum, vnum talem qui ſuſcipit, me ſuſcipit. Nec mirum, quia tu idem es ô bone Ieſu qui ſuſcipis, & ſuſceptus haberis dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium,non exhibes te videndum, ſed
A tangendum,ſed guſtandum, ſed amplexandum. Tu anima mea ſicut ouis quæ perierat redempta, reportatáq; proprijs humeris, comedis nunc domeſtica de pane ſuo,& de calice bibis, dormis in ſinu ſuo,habet te pro filia immo pro ſpōſa, immo pro matre verbigena, cui miniſtrare dignatur & ſubiectus eſſe.Nonne mira ſuſceptio? Fiet ſuper hac ſuſceptione dragma ſequens. Suſcepit Iſrael puerum ſuum.

B TRACTATVS DECIMVS SVPER ILLO: SVSCEPIT ISRAEL PVERVM *ſuum. Et eſt in eo duplex partitio. Prima fit per dialogum & notulas ſeptuaginta ſex.*

SVſcepit Iſrael puerum ſuum. Exhilareſce tu qui perieras in Adam totus Iſrael. Exulta in iubilo cordis & laudibus oris. Exulabas expoſitus perditioni, cæcitas ceciderat in Iſrael.Erraueras ſicut ouis quæ perijt. Videbatur Dominus oblitus miſericordiæ ſuæ,qua iurauerat
C Abrahæ, dicens:Per memetipſum iuraui,quia feciſti hanc rem, & non pepercisti vnigenito tuo propter me. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Clamabat vniuerſus perditorum cœtus. Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine?Ecce cum eſſet rex in acubitu ſuo quieſcens in ſinu patris, nardus tua, ô pulcherrima & ſuauiſſima fœminarum, dedit odorem ſuum, ſicut odorem agri pleni cui benedixit Dominus. Odoratus eſt Deus pater odorem ſuauiſſimum totius honeſta-
D tis tuæ virgo ſanctiſſima,nata ex ſemine Abrahæ. Propterea recordatus eſt miſericordiæ ſuæ antiquæ,ſicut locutus erat ad Abraham & ſemini eius in ſæcula. Miſit continuo & ab intimo ſinu diuinitatis ſuæ filium ſuum, qui ad liberandum ſuſcepturus hominem,non horruit tui virginis vterū. Hoc deniq; eſt quod magnificans Dominum cū exultatione ſpiritus depropſiſti iubilans & erumpens in canticum. Suſcepit Iſrael puerum ſuum. *Diſcip.* Dic obſecro rationem exhortationis tuæ præſentis, ſuper hac notula cantici Mariæ vehe-
E mentius habitę quam in exordio cæterarū.*Magiſt.* O neſcis frater quam iuſtè,quam alacriter id effecerim. Sunt alia beneficia Dei magna valde,pro quibus pſallat iuuencula noſtra in hoc pſalterio decachordo,magnificans in anima Dominū cum exultatione ſpiritus in Deo ſalutari ſuo. Magnificabat ꝙ reſpexerat humilitatē ancillæ tuæ, quod beata diceretur per omnes generationes,quod feciſſet ei magna qui potens eſt & ſanctum nomen eius,hoc quo ad magnitudinem Dei in ſe, & ad ſingulare beneficium collatum in Maria. Proce-
F debat conſequenter ad inſinuationem aliorū ſub generali narratione beneficiorum, ſub tropicis antithetis,iungēs cum miſericordia pietatis timorem ſeueritatis, cum diſperſione & depoſitione ſuperborum exaltationem humilium, cum eſurie ſatiāte ſaturitatē inanem,Tandē omnino cōcluſit vt oratrix peritiſſima per hoc verbū: Suſcepit Iſrael puerū ſuū.*Diſcip.*Finis non hic ſtetit, ſubdidit enim:Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abrahā & ſemini eius in ſecula.*Magiſter.*Finis (vt philoſophia te docuit) primus eſt in intēſione, vltimus in executione. Præceſſerunt plurima ſuſceptionem

Iſrael Domini per incarnationem, inter quæ fuerunt nunciationes propheticæ, quas Maria ponit conſummationem accepiſſe tunc primum, cum ſuſcepit Dominus Iſrael puerum ſuum. *Diſcipulus.* Nunquid videtur è conuerſo textus euangelicæ locutionis notare crebrò, dicens: Hoc autem totum factum eſt vt implerentur ſcripturæ prophetarum. *Magiſt.* Reſpondet vſus communis gloſſatorum, ly vt poſitum hic, dici per conſequentiã, non per cauſam principalem & finalem. Sub hoc ſenſu ſcripturæ ſunt impletæ, quia taliter factum eſt noſtræ redemptionis myſterium. Sed in propoſito quicquid Dominus locutus eſt per os ſanctorum, finem accepit cum ſuſcepit Iſrael puerum ſuum. Hinc totiens de ſuſceptione tali, nunc ad literam, nunc per allegoriam, modò per tropologiam, ſæpe per anagogiam ſanctorum vnuſquiſq; meminit conſonans ad hoc beneficium. Suſcepit Iſrael puerum ſuum. Vt eſt illud: Suſceptor meus Deus Iacob. Et illud: Dicet Domino ſuſceptor meus es tu. Et iterũ: Adiutor meus tibi pſallã, quia Dominus ſuſceptor meus, Deus meus, miſericordia mea. Quare miſericordia mea? quia recordatus miſericordiæ ſuæ, mihi dedit illam. *Diſcipulus.* Copioſiſſimam cum diſſolutione dubitationis factę materiã deuotionis aperuiſti; de ſuſceptione dignatiua Dei. *Magiſter.* Immo ſi recogites quam meritò ſic inciderim. *Diſcip.* Cur illud eſt? precor eloquere. *Magiſt.* Spiritus meus vt chriſtianus Dei dono qui & ſacras ab infantia literas nouit, conſiderabat frequentes ſcripturarum voces ſub hac ſententia: Memento finis: Recordare nouiſſima. Memento iudicij mei. Et quia mors non tardat. Et ab eccleſia. Media vita in morte ſumus. Experiebar hoc idem quotidie in moribus hominũ etiam magnorum & chariſſimorum. Animaduertebam tutum eſſe conſilium ſapientis: Ante iudicium para iuſticiam. Et quia bonus finis non eſt quem non præceſſit bona vita. Subibat & illud; Ad aliquem ſanctorum conuertere. Quid multa? propoſuit mihi ſpiritus exemplum vnius ſanctorum, cuius in morte fuerat hoc verbum: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Percuſſit illico cor meum ſuauis quædam & ſpontanea deuotio ſuſpirans mecum & dixi: O ſi daretur hoc eſſe verbum meum similiter vltimum: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Suggeſſit proinde cor meum in me. Conſuetudo inquit, eſt altera natura. Conſueſce in vita quod protinus occurrat in morte, dum curſus vitæ tuæ coget dicere: Conſummatum eſt. Dic verbum vltimum Chriſti: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Iunge ſupplicans cum illo magno prothomartyre Stephano: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. *Diſcipulus.* Iocunda ſimul & exemplaris eſt hæc narratio. *Magiſter.* Confirmationem habet ab illo qui duriſſimus ad baptiſma ſuſcipiendum, per appoſitionem florum de altari eiuſdem Stephani ſub puluinari capitis ipſius dormientis delatorum repente mutatus eſt in virum alterum, quia tetigit Deus cor ſuum. Suſcepit Deus ſpiritum eius ad fidem, baptizatus eſt, & deinceps vſque ad vltimum fuit in ore ſuo hoc verbum, cum neſciret Stephani illud fuiſſe nouiſſimum: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Vade & fac ſimiliter.

A *Diſcipulus.* Fiet ita propicio mihi Deo cum omnibus ſanctis eius & Stephano. Fuerat iſte mos meus; tamen dicam in omne recollectione mea ad Deum cum nouiter profitentibus. Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea, adiuua me & ſaluus ero. *Magiſt.* Salubriter id effeceris, ſumus enim nos chriſtiani de numero illorum quos aſpernabatur phariſaica iuſtitia, & ideo iam non iuſtitia, quia phariſaica, quia hic peccatores recipit. Suſcipit nos benignus Ieſus in religione ſua cum clamamus: Abba pater. Sumus hic dum viuimus in ea nouitij. B Tempus probationis habemus, vſquequo venit dies profeſſionis faciendæ coram abbate noſtro Deo, & cœleſtium conuentu toto, vt tunc habeamus vocem in capitulo, ſtallum in choro, cibum in refectorio, lectulum in dormitorio. Conſtituit hic & conſtruxit officinas magnas, abbas noſter Chriſtus ſuæ abbatiæ, dum penderet in cruce pro nouitijs. Oratorium Pater ignoſce illis. Capitulum, Latronem confitentem abſoluens. Amen dico tibi &c. Dormitorium, curam matris Ioanni in quo gratia, totam linquens. C Clauſtrum, clamans & ſtans perſeueranter in cruce. Refectorium, dicens: Sitio. Cellam probationis vſque ad conſummationem, dicens: Conſummatum eſt. Denique nil ſupereſt niſi profeſſio in manibus abbatis, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum dicendo: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et orando: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. *Diſcip.* Nimium heu miſeros dixerim hos nouitios, ſi profeſſionis hora dum venerit, audiant: D non ſuſcipiam vos. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Quo contra beatiſſimi quos miſericordia & veritas ſuſcipiunt, Audientes: Venite benedicti patris mei.

Sed reuertamur vt oſtendas quis eſt iſte puer Iſrael ſecundum literam, quis ſecundum allegoriam, quis ſecundum tropologiam, quis ſecundum anagogiam, ſicut ante tangens nondum elucidaſti. *Magiſt.* Iſrael vnus literalis eſt ſecundum carnem populus vnde Chriſtus carnem ſumpſit. E Nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ in Maria. Iſrael eſt alter literalis, per repromiſſionem populus gentium qui vidit lucem magnam. Hunc populum ab impotẽtia, ab ignorantia, à nequitia, ab omni turpitudine & inquinatione, ſuſcepit Deus in populum acceptabilem, doctum, ſanctum, pulchrum, incoinquinatum, vt rex potentiſſimus ad regnandum, vt doctor ſapientiſſimus ad erudiendum, vt ſponſus ſuauiſſimus totus pulcher & decorus, totus deſiderabilis. Cui diceret: Deſpõſabo te mihi in fide, F quia charitate perpetua dilexi te. Denique repudiato carnali Iſrael, ſpiritalem ſuſcepit gentilem populum tanquam Iſrael puerum ſuum. *Diſcipul.* Non me latet quin multa poſſunt literaliter hic queri de vocatione gentium Iudæis reprobatis. Tranſi ad allegoriam. *Magiſt.* Spectat ad eam ipſa gentium ſpiritualis vocatio. Nihil enim prohibet eundem textum plures ſimul coniungere ſenſus, quorũ quilibet tamen erit literalis, quamuis ſit allegoricus & moralis. Patet ex illo: Ex Ægypto vocaui filiũ meum. Et iterum: Iſrael primogenitus meus, vnde Iſrael literalis & allegoricus

ipſe

Digitized by Google

pſe pariter vnus eſt Chriſtus. Demum Iſrael no-
ralis & anagogicus figuratur in perſonali Iſrael,
qui & Iacob dictus eſt, qui benedictionem pa-
tris accepit Rebeccæ conſilio, qui ſcalam in mõte
vidit, qui duodecim patriarchas genuit, qui poſt
benedictionem angeli mutato ſibi nomine, glo-
riatus eſt dicens: Vidi Dominum facie ad faciem
& ſalua facta eſt anima mea. Et apoſtolus: Nos in-
quit reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes
transformemur de claritate in claritatem tãquam
à Domini ſpiritu. Tropologiã ſimul conſpicio cũ
anagogia lucente in puero humili & obſequioſo
Iſrael perſonali. Elucidauit omne myſterium a-
nagogicus iſte Richardus de duodecim patriar-
chis, concludens ad Beniamin adoleſcentulum in
mentis exceſſu. Potero fortaſſis abbreuiato ſer-
mone aliqua poſt quærere.

Sed vehementer mouetur animus ad hoc my-
ſterium cum autoritate apoſtoli nouiſſimè poſi-
tum cum ſcriptum nouerimus: Non videbit me
homo & viuet, nec hoc paſſim cuiuis dictum eſt,
ſed Moyſi oranti videre faciem Domini. *Diſcip.*
Quaſi nihil ante notaueris in alijs tractatulis, &
ſuper hoc cantico de cognitione Dei. Nunc ita
videris nouus & inſcius perſcrutari velle. *Magiſter.*
Materia hæc (crede mihi) & iam vetus eſt & ta-
men ſemper noua. Conor iudicans obedire Hie-
ronymo monenti: Diſcamus in terris quorũ no-
biſcum ſcientia perſeueret in cœlis. Oro cum Au-
guſtino ad Dominum: Nouerim te, nouerim me.
Et certè ſi non nouerim Deum, nec me noſcam.
Quærebat in canticis anima deuota: Indica mihi
quem diligit anima mea; vbi paſcas vbi cubes in
meridie, ne vagari. i. vanè & inutiliter agi incipiã,
ſupplendum eſt de ignoto. Qui gloriatur (ait pro-
pheta vice Dei) in hoc glorietur, ſcire & noſſe
me. Denique hæc eſt vita æterna vt cognoſcant
te Deum verum, ait Chriſtus ad patrem. Noli pro-
pterea te in admirationẽ cordis ducere, ſi pridie,
ſi quotidie circa viſionem Dei verſor, ſatagens
vnus eſſe generationis illius, de qua pſal. Hæc eſt
generatio quærentium Dominum, quærentium
faciem Dei Iacob. Et iterum: Tibi dixit cor meũ,
exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine re-
quiram. Lætetur cor quærentium Dominum ad
oſculum oris. Quærite Dominum & conforma-
mini per complexum amoris, quærite ad faciem
eius ſemper, quid niſi per affectum contemplatio-
nis aut apertæ viſionis. *Diſcip.* Collaudo deſideriũ
tuũ ſimul & ſtudiũ quale me decet maximè dum
occupat me ſenectus & ſenium. Et quit amplius
im ſeculo niſi labor & dolor? Vnde conſolatio,
niſi quia miſerationem Domini cum ſuæ verita-
tis agnitione recordabor? Depereant omnes iſtæ
quæſtiones infinitæ quibus pridem fruſtra labo-
raui, dicam deinceps: Vnam petij à Domino à qua
vna quiſquis auertitur miſcet ſe neceſſariò quæ-
ſtionibus infinitis & interminabilibus. Si auerti-
tur voluntas ab vna prima bonitate, continuò
miſcet ſe quæſtionibus infinitis per cupiditatem
inſatiabilem. Intellectus per ſciendi curioſitatem,
potentia vel memoria per inquietam mutabilita-
tem. Sit igitur nobis ſemper dulce quærere faciem
Domini, aut ſi non datur, concupiſcat anima no-
ſtra deſiderare ſicut ceruus ad fontes aquarum ad
te Deus. Sitiuit anima mea ad te fontem viuum.
Dicebat ad hanc ſimilitudinem propheta. Sed
A quouſque ſities ô propheta? Sanè donec veniam
& apparebo ante faciem Dei. Domine auertiſti
faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus ſi-
milis deſcendentibus in lacũ, ſuſcipe me Domine
puerum tuum Iſrael, aut ſi nondum ſum tali di-
gnus nomine pueri tui Iſrael, ſuſcipe me vt dignũ
efficias, quia tali honore dignus erit quem tu vo-
lueris honorare, qui clemẽs eris in quem tibi pla-
cuerit, ſuſcipe ſeruum tuum in bonum. *Magiſter.*
Ex quo votum eſt vnicum cordis noſtri, quærere
B faciem eius ſemper, nec mutuo quærimus ſi non
inuicem de Deo loquimur, colloquamur aſſiduè
quatenus ſit in medio de ſe loquentium. Oſten-
det ſe fortaſſis ſaltem ſub peregrina ſpecie, aperiet
intellectum, inflammabit affectum? Poſtremò
coactus ad euchariſtię menſam ſe cognoſci faciet,
vel ſaltem raptim in fractione panis quem quo-
tidie frangimus celebrando. *Diſcipulus.* Dic id-
circo quid ſibi vult anagogicus Iſrael. Vidi in-
quit, Dominum facie ad faciem. Concinit Pau-
lus: nos autem reuelata facie. Quid eſt aliud re-
C uelata facies quam viſio nuda facialis? Cur dicit
ſpeculantes, & non iungit facie ad faciem viden-
tes. *Magiſt.* Doces de reſponſione dum pruden-
ter interrogas. *Diſcip.* Qualiter ita quæſo, nun-
quid ſapienter inſcius ſum. *Magiſt.* Animaduerte
quomodo ſi facies eſſet penitus reuelata, prout in
patria fulgebit, non eſſemus ſpeculantes, ſed
comprehenſores Ruſus ſi nihil gratiæ ſpecialis
vltra communem ſtatum viæ conferretur, non
fieret hæc additio de claritate in claritatem, tan-
D quam à Domini ſpiritu. *Diſci.* Tuum eſt hoc ape-
rire. *Magiſter.* Dubiorum inuolucra quid euoluit
& diſcriminat ſi non diſtinctio? Diſtinguamus er-
go de triplici facie, de triplici velamine, de triplici
ſpeculatione, de triplici claritate, de triplici trans-
formatione. *Diſcipulus.* Auſculto. *Magiſter.* Ha-
bes ex prioribus triplicem in triclinio cordis ho-
minis faciem eſſe ſecundum triplex habitaculum
ſiue cœnaculum. Facies mentis ſuperior eſt, facies
rationis media, facies animæ non illius brutalis,
ſed obedientis rationi, quæ dicitur portio ratio-
E nis inferior. *Diſcipulus.* Memini traditum prius ſu-
per iſto. Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Stu-
dui poſt hoc mecum philoſophiam concordare
iuxta coordinationem habituum quin quam, no-
bis partim inſitorum, partim acquiſitorum, itaq;
ars & prudentia primum vendicant cœnaculum.
Scientia & intellectus ſecundum tenent. Sapien-
tia velut in arce ſedet, in ſupremo cum mente vel
ſpiritu vel animo retinens principatum. *Magiſter.*
Solerter egiſti colligens ex auditis alia non acce-
F pta. Triplex conſequenter accipe velamen. Certè
fidei velamen primo quæ ſola ſoli Deo nata eſt
connecti. Et nebulas patitur aliquando non in
ſe intrinſecè & eſſentialiter, ſed ſecundum quid
& accidentaliter, propter molem & nebulas cor-
poris. Vnde ſollicitudines velant memoriam,
phantaſmata intelligentiam, concupiſcentiæ vo-
luntatem. Velatur aliter ſecundò facies mentis e-
minentior, non vt prius ex corruptione corporis,
ſed ex ſtatu viatorum. Sic facies hominis pro ſtatu
naturæ inſtitutæ recipiebat velamen ſaltem in
ſomno, ſaltem in quotidiano corporis obſequio,
vt non tota claritate faciei ſuæ ferretur ſemper in

Deum. Velatur aliter tertiò facies mentis velamine quodam, non tam poſitiuè quam negatiuè, & nullò modo priuatiuè. Tale velamen (vt accipias facilius quæ dico) habuerunt angeli incorporei prima morula viæ ſuæ, prius quam raperentur ad gloriam felicitatis æternæ. *Diſcipulus.* Sed quid vel quale velamen erat illud? *Magiſt.* Planè voluntas Dei, nolens ſe facialiter & obiectiuè per eſſentiam ſuam nudè aperire. Eſt igitur iſtud velamē tertium ſemper apud viatores de communi lege. Eſt primum apud omnes pro ſtatu naturæ deſtitutæ, quandoque totaliter, quandoque plus aut minus, niſi fuerit ablatum per gratiam ſpecialem, qualiter fuit in te ô Maria beata & benedictiſſima fœminarum. Alterum videlicet ſecundum velamen mentis, quale fuiſſet non in angelis ſed in parētibus primis dum ſtabant innocentes, poteſt auferri minus de communi lege quam primum, immo nec arbitror quod à te digniſſima & pulcherrima fuerat totaliter dum viatrix eſſes euolutum vel ablatum, ſed crebro ſed ſæpe, ſed frequentiſſimè tollebatur pro loco & tempore quantum ſtatus viæ mortalis tolerabat *Diſcipulus.* Non obuio ſi non aſcribas præconia iſta digniſſimæ fœminarum quę nec eccleſia tibi tribuit, per quæ poneretur extra viæ ſtatum, neque enim ſimul & aſſiduè poterat non eſſe viatrix & eſſe. *Magiſt.* Triplex amplius nota ſpeculum, quia dicitur ſpeculantes, cui cōiunge triplicem claritatem. Vnum ſpeculum eſt cum claritate ſua quod indidit natura & induſtria poliuit, quale fuit apud philoſophos quoad intelligibilia per inueſtigationem naturalem, quamuis mixtæ fuerint multæ nebulæ, immo tenebræ errorum. Non tamen oportet dicere cum aliquibus, quod nihil ſpeculati fuerint veritatis, etiam de Deo intelligentijs. Sciebant ſaltem quod Deus non erat lapis aut brutum. Rurſus alterum nota ſecundò ſpeculum per ſupernaturalem irradiationem ſuper intellectum humanum cum limpidiore & ſynceriore claritate, quam poſſit natura ſola vel induſtria propinare. Denique tertium accipe ſpeculum cum ſua claritate quod intimè latet, quod ab exterioribus nequit aſſumi totaliter. Sed omnis hæc claritas filiæ regis abintus eſt introrſus valde, ad quam non admittitur alienus. Bibe de aquis tuis prior iubet ſapiens. Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ in gaudio eius non miſcebitur alienus. Non enim gaudium habet intrinſecus ortum ab amaritudine cordis in contritione qui non ſimiliter afficitur in dolore qui vertitur in gaudium. *Diſcipulus.* Frequenter audiui talia qualia dicis, ſed nondum dicere vales (niſi mentior) quod plenè concipiam. Fac manifeſtum ſi potes. *Magiſt.* Si manifeſtationem expectas doctrinalem & diſciplinalē, polliceor hoc faciliter effecturum ſi diſcipulum quaſi puerum te præbueris. Crede primò more diſcipuli, ſcieueris ita poſtmodum quæ dicētur ſaltem ex medijs ſeu locis intrinſecis, videlicet ex autoritate dicētis quod & ex iſta maxima: Cuilibet experto in ſua arte vel ſcientia credendum eſt. Tali loco & maxima fides innixa Deo & eccleſiæ, quę regitur ſpiritu ſancto, ſtabilitur. Si verò non contentus iſta notitia, tibi quæſiueris demōſtrationem euidentem, aut notitiam intellectualē ex terminis aut experimentalē perceptionē, fruſtra (ne dicam ſtultè) conabimur. Manifeſtiſſima A ſumitur ratio ex alijs in nobis expertis, quæ nemo poteſt extra ſe tradere, experiri, nec tamen abſque experientia poſſunt ſciri. Tale ſpeculum, talis ſua claritas (ne te ſuſpendam diutius) eſt vnio per guſtum & tactum ſpiritualem, quæ vnio dicitur hic per anagogiā ſuſceptio Iſrael pueri Domini Dei. Per apoſtolum dicitur transformatio. Dicitur in canticis oſculum & amplexus. Dicitur per pſalmiſtam adheſio & inhæſio. Iungit adhæſioni ſuſceptionem. Adhæſit inquit anima mea, poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Hæc eſt mutatio dextræ excelſi. B Hæc actio vel deductio ſpiritus. *Diſcipulus.* Multiplices licet talia centies nomina, non ad intelligentiam ſatis erunt. *Magiſt.* Verbum latens in mente non aliter poteſt extra prodi quam per voces, maximè quando eſt verbum tale quale deſcribit Auguſt. Verbū inquit, eſt notitia cum amore. Dixerit aliquis fidus tibi, noſco Ioannem & amo eum conſentis ei, & formas in te crudelitatem de notitia cum amore, quam intueri.i. intus tueri vel aſpicere fas non habes. Nihilominus enitere tecū C in corde tuo Ioannem illum diligere, veniet dilectio te Ioanni, non prior aliena dilectio, ſed tua. Senties intra cor ſuſceptionem ipſius Ioannis, noniam aliena ſed intus propria experientia. Conuerte ſimilitudinem hanc ad vnionem cum Deo, per proprium tuum non alienum amorem, ſenties in te quid habeat ſuauitatis, quid virtutis verbum hoc anagogicè de te, ad te & in te prolatum. Suſcepit Iſrael puerum ſuum. *Diſcip.* Cur ſi non amauero, ſentiam tale nihil ſuaue vel iocundum. D *Magiſt.* Repletam altius ex intimis philoſophiæ principijs quaſi non iam credas autoritati, ſed rationi conuincenti. Triplex eſſe genus boni definierunt philoſophi per naturæ voces edocti. Bonum vtile, bonum delectabile, bonum honeſtum. Cognouerunt vlterius quod res inanimatæ tendunt per appetitum naturalem inditum ad bonum duntaxat eis vtile ſicut ad loca ſui conſeruatiua & ad alia, ſine quibus eſſe vel bene nō poſſunt. Porrò de delectabili bono nihil habere dicuntur, ſicut nec triſtabili, niſi per tranſſumptiones E voluerimus amplè nimis loqui. Res autem animatæ per formam ſenſitiuam in actu fundatam tendunt quidem in bonum vtile, quod dum ſequuntur & illud eis coniungitur, ſentiunt delectationem, ita vt iam ferantur in proprium bonum, quia delectabile eis, etiam ſi non eſſet vtile, immo nociuum ſępe. Natura tamen plus ingeniauit delectationem in animalibus propter operationem vtilem, quam propter delectationem ſuauē, vnde ſi haberet animal nutrimentum ſufficienter ſibi F coniunctū, ſi præterea generaret ſibi ſimile ad cōſeruationem ſuæ ſpeciei, natura non curaſſet adiungere delectionem in ſenſibus guſtus & tactus plus quam in igne qui fertur ad locū ſuū & generat ſibi ſimile ſine delectatione. Si autem animalia dimiſſo ſibi vtili, vel ſuę ſpeciei quęrunt ſolum delectari, fit hoc præter intentionē naturę principalem. Si verò coniungunt vtrumque, non errant vt delectatio teneat operationem & foueat. *Diſcipulus.* Dicis ea quæ philoſophiæ conſonant & experientiæ, conclude proinde quia delectatio non fit ſine operatione aliqua cognitiua ſimul & motiua, quia nec motiua vis ſola ſufficeret plus

quam

Digitized by Google

quam in rebus ſine anima. Nec rurſus ſola diſcretiua ſine motu virtutis appetitiuæ, ſatis eſſet ad A delectationis originem.

Magiſter. Cenſes acutè, porrò cernas acutius volo, qualis ſit hæc combinatio ſenſus percipientis & appetitus mouentis. Nec ideo quæſiuerint ſi ſint duæ potentiæ realiter & eſſentialiter diſtinctæ vel ſola ratione. Sufficiat quod ad cauſandam delectationem mutuo ſe præſupponunt.

Diſcipulus. Præſupponunt ſcio, non aliter quam forma literarum præſupponuit oculum dirigentem & manum mouentem, vbi neutrum per ſe ſufficeret. B *Magiſter*. Exemplum placet & ſi non penitus adæquatum. Exemplum aliud eſt de libertate arbitrij, quæ non vnam ſed duas præſupponit potentias, aut potentiæ vnius eſſentialis duas rationes. Quæro tamen quæ potentia prius occurrat ad cauſationem delectationis, appræhenſiua vel motiua? aut ſi ſit penitus res eadem, quæritur ſub qua ratione prius ipſa concurrit, vel apprehendendo vel mouendo.

Diſcipul. Cur hoc in quæſtionem vocas, cum vis appetitiua animalis, non mouetur niſi prius C obiectum ſit apprehenſum & ſibi præſentatum, propterea & non ob aliud vocatur animalis. *Mag*. Quid ſi tibi monſtrauero conuerſum ordinem inueniri. Exempli gratatia in homine qui potentiam habet reflexiuam ſuper ſe, delectatur ipſe in obiecto per apprehenſionem & vim motiuam voluntatis. Conuertat & reflectat apprehenſiuam ad cognoſcendum quid & qualis ſit hæc delectatio cauſata ex perceptione prima cõiunctionis obiecti conuenientis cum appetitu qui eſt vis D motiua ſolum, vt ſit non cognitiua nec perceptiua. Attende ſolerter hoc dictum. Cuius ignorantia vel inconſideratio, multos fallit & inuoluit. Neſciunt enim ſecer nere id quod attribuatur virtuti motiuæ vt ſic à virtute diſcretiua & hoc propter continuitatem mutuam & circuminceſſionem ſeu coexiſtentiam.

Diſcipulus. Vnus ex illis vſque nunc fui. Vnde frequenter turbatum & circundatum me tenebris inueni, ne cognoſcerem illud dilucidè, ad quod (quantum iam coniecturo) ducere me ſatagis. E *Magiſter*. Nil admirandum ſi diſcreta coniunctim, & coniuncta diſcretim concipiatur aliter quam oportet confuſio ſubſequatur. Concedis quod in prima cauſatione delectationis neceſſe eſt vim apprehenſiuam in actu ſuo præcedere, ſi non tempore, tamen ordine naturæ. Nunc animaduerte poſtquam delectatio cauſata eſt, ſi vis cognitiua cognoſcit hanc delectationem, conſtat quod inde conſequatur noua delectatio & reflexa, quæ fit vt homo ſciat & velit ſe delectari. F *Diſcipulus*. Conſtat & experiri protinus licet vnicuique non proteruo. *Magiſter*. Quæro nunc ſimiliter à non proteruo nec diſcholo quæ cauſa præcedat ordine naturali perceptionem delectationis iſtius ſecundæ reflexæ, vtrum appetitus vel vis perceptiua ſenſus aut intellectus?

Diſcipulus. Videor apte reſpondere ſi dixero quod ad hanc delectationis ſecundæ perceptionem neutra potentiarum ſe primò ſola concurrit, ſed vt coniunctæ fuerint & vnitæ ad primæ delectationis (quæ nunc obijcitur) habendam reflexæ ſuper ſe perceptionem. *Magiſter*. Conſequitur ergo ſecunda perceptio ad vnionem vtriuſque cauſæ concurrentis, nec potuiſſet aliunde percipi reflexa delectatio, niſi ſimplex prior eſſet. *Diſcipulus*. Nequeo contradicere, perge ſi placet ad tertium bonum, quod honeſtum nominatur.

Magiſter. Hoc proprium ſoli naturæ intellectuali eſt, vt ad bonum honeſtum ſolum propter ſe moueatur, etiam ſi nihil inde vtilitatis nihilque delectationis oriretur, quamuis in ſe tamen ſummè ſit vtile & delectabile. Honeſtum, inquit Tullius, eſt quod ſua nos vi trahit & allicit ſua dignitate. Finis itaque naturæ intellectualis eſt, vt ſuſcipiatur ad bonum honeſtum quo ſolo fruatur, & in illo delectata quieſcat. Nulla ad hunc finem attingit irrationalis creatura quia nec ad illum creata eſt memorandum, intelligendum & amandum.

Contemplabaris altiſſimam hanc & pulcherrimam veritatem, ô altiſſima & pulcherrima fœminarum. Hanc inſinuaſti dum de ſolo Iſraël (qui ſua interpretatione dicitur videns Deum vel viſio Dei) compleuiſti canticum tuum: Suſcepit Iſraël puerum ſuum. *Diſci*. Propoſueras inter diſtinctiones antedictas, de facie de velamine de ſpeculo, de claritate, diſtincturum te inſuper de transformatione. *Magiſter*. Aptè recolis, ſimul & alia ſunt de ſuſceptione per anagogiam, quam ſuſceptionem transformatiuam dicimus, addenda prioribus. Pauſes interim ab inquiſitione, & ſuper hac ſuſceptione transformatiua tredecim conſiderationes accipe.

Suſceptio ſancti Iſraël transformatiua, ſicut non propriè dicenda eſt generatio vel tranſſubſtantiatio, ſic nec propriè eſt naturalis alteratio. Generatio quippe tendit ad introductionem formæ ſubſtantialis qualis non introducitur in hac transformatione quam nominare poſſumus deiformem, quia forma imprimitur diuinitus menti qualem non habet ex natura vel ſola induſtria. Sed neque mutatur aliqua res eſſentialiter in animam, quemadmodum panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti. Porrò naturalis alteratio fit per abiectionem formæ prioris contrariæ, & hoc in melius vel in peius.

Suſceptio verò transformatiua deiformis non præſupponit aut requirit huiuſmodi variationem ſecundum contrarias qualitates. Similiter idcirco magis illuminationi ſolis in cœlo, & in medio peruio atque perſpicuo. Sic à lumine ſuperno illuminari dicitur tam vniuerſalis quam particularis eccleſia, ſicut à ſole luna.

Suſceptio transformatiua plus conſiſtit in perceptione vnitiua quam in amore ſolo per ſe vel in cognitione ſola. Veritas iſta concluditur ex colloquio prius habito quo quæſiuimus delectationis originem etiam ſenſualis. Deus itaque cum ſit ſummum bonum, obijcit ſe mediate vel immediatè dilecto Iſraël puero ſuo ſub triplici ratione generali, boni ſcilicet honeſti, delectabilis & vtilis. Aut ſub alijs loquendo terminis illabitur in mentem, vt pulchritudo ſeu formoſitas, vt ſuauitas vt ſalubritas. Eſt denique Deus immenſa lux in quo tenebræ non ſunt vllæ Ioannis teſtimonio. Eſt autem proprietas lucis ſe communicare ſeu diffundere per vniuerſam ſpheram ſuæ actiuitatis. Sphera verò diuinæ

Digitized by Google

actiuitatis, eſt immenſitas & æternitas ſua, cuius circunferentia nullatenus extra ſe eſt. Vnde æternitas quaſi extra terminos entitas vel vnitas. Sic idem eſt penitus centrum & circunferentia. Sic infinitas in Deo magis ſecundum rem dicitur poſitiuè quam negatiuè. Nomen verò videtur negatiuum, ſicut è contra de finitate quæ vocatur terminatio ſic quia fines habeat vltra quos progredi non poteſt. Eſt igitur hęc negatio quam negat infinitas, quaſi non finibilitas. Noſti verò per Logicam quod duplex negatio reddit affirmationem. Sed proſequamur quod cœpimus. Lux diuina communicat & producit ſuam ſpeciem per totam ſe ſimillimam ſibi & æqualem, propter quod habet pulchritudinem infinitam, de qua Sapiens: Pulchritudinem eius admirabitur oculus: Nam oculo maximè conuenit de pulchritudine iudicium, ſicut alijs ſenſibus de ſalubritate & ſuauitate, propter ea comparatur bono honeſto bonum pulchrum, quod nec delectabilis nec vtilis vt ſic includit rationem. Amaretur enim & ſi nec vtilis eſſet nec delectabilis aliunde quam ex ſe. Porrò ſi diuina pulchritudo ſolum ſe offerret indiuiduo creaturæ rationalis intuendam ſiue pluri, ſolus intellectualis oculus iudex eſſet, non guſtus aut tactus qua ſuper re ſequatur alia conſideratio.

Suſceptio transformatiua ſi perfecta ſit, præſupponit indiuiduo creaturæ rationalis illapſum fieri verbi luminoſi quod eſt ſpecies adęquata ſuę luci, & hoc ſecundum virtutem actiuam ſummè proportionatam, & ſecundum operationem perfectè replentem omnem indigentiam pueri Iſraël ad hanc transformationem ſuſcepti. Placet itaque ſpeciei pulchritudo, etiam propter ſe ſolam. Sed virtus ſpeciei agens proportionaliter in potentiam receptiuam ſuauitatem inducit. Sicut & operatio replens indigentiam, affert ſalubritatem. Habes igitur bonum honeſtum in pulchritudine, habes delectabile in ſuauitate, habes vtile in ſalubritate, habes proinde bonum omne de quo ad Moyſen Dominus: Oſtendam tibi omne bonum. Concluditur iterum, quod ſuſceptio transformatiua conſiſtit in concurſu omnis boni, & ſi non formaliter, ſaltem virtualiter & eminenter, hoc autem tale bonum in habitibus deiformibus, eſt ſola gratia gratificans aut gloriæ conſummatæ ſanctificans.

Suſceptio transformatiua nunquam potuit obtineri niſi per gratiam diuinitus infuſam quæ radix eſt omnis transformationis deiformis & surſum vnionis. Continet autem virtualiter in ſe fidem, ſpem & charitatem cum cæteris habitibus luminoſis & affectiuis, taliter ſuo modo qualiter eſſentia animæ originaliter complectitur ſuas vires. Omittatur interim ſimilitudo de diuina eſſentia reſpectu trium perſonarum reſpectu inſuper omnium rationum perfectionem in diuinis dicentium, quia nulla creata ſimplicitas iſti poteſt adæquari vel par eſſe. Suſceptio transformatiua actualis non conceditur de communi lege ſine exercitio actuali mentis, faciendo quod in ſe eſt ad hanc ſuſceptionem ſaltem per obicis cuiuſlibet ablationem. Exemplum inſuper naturale formæ rationalis introductione, quæ naturales diſpoſitiones præſupponit in corpore. Conſideretur ex hac duplici conſideratione ſtatim, quod A abſque miraculo non fit ſuſceptio transformatiua maximè gratificans, nihilominus illam aſſerere, non fit certum euidenter ſine miraculoſa reuelatione, propter conſimiles motiones quas habet natura per habitus acquiſitos informes ad habitus fide, ſpe charitatéque formatos, hinc hæretici pertinaces, hinc nonnulli infideles, hinc peccatores vani glorioſi de ſuis ſentimentis ſępe confunduntur in æſtimatione ſua relaturi ſupplicium vnde prœmium magnum conſequi putant. Hinc eſt illud: Cadent à latere tuo mille, qui ſe de latere B proximos arbitrabantur. Et decem milia à dextris tuis ſtatum Chriſtianitatis aſſecuti. Suſceptio transformatiua viciſſitudinem habet reciprocã & quaſi circularem. Vtimur ſimilitudine palpabili ex ſcripturis. Dixit in Apoc. Chriſtus. Ecce ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis mihi aperuerit ianuam, introibo ad eum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum. Fit perinde illud de grammatica hoſpes qui recipit, & qui ſuſceptus habetur. Audis quod Chriſtus intrat vt hoſpes in animam & animam C cibat vt ipſam ſuſcipiens. Et certè ſic eſt tenendum ſimul & admirandum, non iam per ſimilitudinem ſi ad ſuſceptionem Euchariſtiæ trãſeamus. Qui manducat, inquit Chriſtus, meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet quaſi hoſpes ſuſceptus à Chriſto. Et ego in illo, quaſi qui qui ſuſcipitur in mentis hoſpitio. Felix nimirum puer Iſraël hoſpite tanto. Felix munere duplicato atque reciproco. Suſcepit Iſraël deiformis noſter ſpiritus puerum ſuum. Iure ſtupes ad hoc verbum ô frater. Scis quia vocem Ieſum Chriſtum D puerum noſtrum, ſuſcepit Iſraël ſpiritus ſuus deiformis ſuſcipiendo ſacramentum. Planè ſic legis de eodem Chriſto: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, poteſt hoc intelligi de puero Ieſu ſecundum carnem, qui per te virginem puerperam datus eſt nobis & corporaliter natus. Eſt alius mirabilior, & niſi de ſe teſtis eſſet incredebilior ſenſus quia datus eſt nobis vt ſit puer noſter per filialem ſuſceptionem in vtero mentis Iſraëliticæ conceptus & genitus. Qui fecerit inquit, volunE tatem patris mei, ille meus frater, ſoror & mater eſt. Audis matrem, & cuius matrem, nonne pueri Ieſu? Sic enim à patre puer & à prophetis & ab euangeliſtis crebrò Chriſtus nominatur, quamuis vir fuerit ab vtero. Etiam inde factum & nouum ſuper terram, quia mulier circundebit virum.

Suſceptio transformatiua reddit animam verbigenam. Ipſa ſiquidem quæ per naturam ancilla eſt, quæ per gratiam adoptionit filia quæ per ſubarrationem dignatiuam ſpõſa fit per nimiam graF tiæ ſuperabundantiam gaudia de te puero Ieſu, te marito, te viro, te ſponſo, vt iam ſponſus & ſponſa ſint duo in vno ſpiritu, immo in vno fœtu qui es tu Domine. Suſcipe propterea ô deiformis anima & ſimul ſponſa dicta. Suſcipe tuum puerũ, non iam, vt hoſpitem tuum, non iam vt Dominum, non iam vt amicum, non vt ſponſum qualemcunque ſed vt ſponſum & filiũ tuum. Filium qui concipitur in vtero memoriæ per infuſionem roris gratiæ. Filium qui formatur in vtero intelligentiæ per infuſionem deiformem. Filium qui parturitur per opera charitatis elicitiuè vel imperatiuè,

Digitized by Google

ratiuè, donec in mundum naſcatur perennitatis glorioſæ. Video r audax nimis, & rectè viderer ſi non teſtimonijs ſcripturarum fulcitus eſſem quæ Deum eſſe tradunt animæ ſanctæ & Iſraëliticæ omnia quæ dicta ſunt. Filioli mei (inquit Paulus) quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus. Et dominus per prophetam Amos dicitur: Vir meus es tu, dux virginitatis meæ tu es. Et iterum: Fornicata es &c. tamen ad me reuertere, & ego ſuſcipiam te.

A Suſceptio transformatiua mirabilior effecta eſt poſt lapſum quam ſtante nec peccante natura fuiſſet.

B Primò, quia non maius eſt cœlum & terram creare, quam peccatores iuſtificare. Ratio. Non enim habet poſitiuum creatio contrarium ſicut contrariatur iuſtificationi peccatum. Rurſus in creatione ſola potentia conſideratur, ſed in iuſtificatione ſapientia ſimul & beneuolentia, nec minus cum potentia penſatur. Quid ſapientius quam vt vincat ſapientia maliciam, & ita vincat quod ex ea ſit elicere maximam iuſticiam? vult exhibere ſummam beneuolentiam, vult exercere

C ſummam potentiam in debellando per humilitatis deiectionem omnem ſuperbiam. Conferebas hæc verba frequenter in corde tuo virgo digniſſima, nec ſatiabaris dulcedine mirabili ſuper hac ſuſceptione Iſraël pueri ſui. Hinc deuotum tibi cum exactione pia dirigitur in proſa votum. Nec abhorre peccatores ſine quibus nunquam fores tali digna filio. Tu quoque Gregori ſic exclamaſti: O felix culpa Euæ, quæ talem & tantum meruit habere redemptorem, addamus ſuſceptio-

D nem. O certè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti ſanguine deletum eſt. Noli propter hoc extolli ô culpabilis Eua, noli tibi blandiri peccator Adam, quia Dei benignitas omnipotens, non impotens veſtra peruerſitas talem meruit redemptionem & ſuſceptionem exhibuit.

Suſceptio transformatiua clarior quandoque nonnunquam obſcurior inuenitur. Prouenit hoc principaliter à beneplacito ſuſcipientis actiuè, ſed diſpoſitiuè à conditione ſuſcepti. Vox inde eſt illa Pauli: Transformamur de claritate

E in claritatem, quia videlicet alia claritas ſolis, & alia claritas eſt lunæ, ſicut non par ſemper eſt reuelatio faciei. Tenet Dominus in manibus lucem &c. Si vult videtur, ait Auguſtinus, ſi non, non. Sit aliquis clauſis palpebris ſeu membranulis oculorum poſitus extra radios ſolis, conſtat quod nihil aut tenuiſſimè videbit, quamuis oculi ſint ſaniſſimi, nec velamen aliquod maximè compoſitionis habentes. Prodeat iſte ad intenſiſſimum lumen ſolis aſpiciendum conuerſo intuitu, non

F videbit itaque rotam ſolis, attamen multo ſplendore luceſcet oculis per velamen palpebrarum. Sit aliud exemplum de oculis apertis ad obliquũ lumen ſolis circa crepuſculum diei in ſuſceptione matutina quali Chriſtus reſurrexit, cum tenebræ eſſent ſuper terram orto iam ſole. Sit aliud exemplum. Si poneremus ſolem libere obiectaliter ſe viſui præſentare.

Suſceptio transformatiua feruentius excandeſcit aut tepidius duplici ratione, quæ nunc de claritate ponebatur ſcil. arbitrio Dei vel diſpoſitione ſubiecti. Diſponitur autem ſubiectum quod eſt mens rationalis, maximè per humilitatem ſpiritus, quia humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Interroga naturam, audis ſub exemplo reſpondentem. Obijce ſpeculum concauum politum ſolaribus radijs, cauſabitur ex multa reflectione in puncto concurſus radiorum ardens ignis. Similis erit effectus ex vaſe criſtallino vel vitreo pleno aqua. Quid quod aſpectus pulchritudinis corporalis aliquos transformat in furiam & mentis amentiã, cur non poterit inſpecta pulchritudo ſpiritalis Dei? Cur non diuinorum ſpectaculorum pulcherrimorum conſideratio in talem ſuo modo ſpiritualis ardoris effectum mentem euehere? Cur non poterat extra ſe fieri? Cur non ad dilecti pulchritudinem tota rapi ac perinde amens eſſe? Sic enim diuinus loquitur Dionyſius in re noſtra, ſed ô felix amentia pro qua ſequitur.

Suſceptio transformatiua ſpiritualis contrario modo ſe habet ad transformationem animalem & brutalem. Tradit Dionyſius quod amor in terrenis eſt diſperſio & labefactio amoris. Sed diuinus amor eſt ſicut quidam æternus circulus, per optimum, ex optimo, & in optimo & in optimũ inenarrabili conuerſione circumiens. Colligitur protinus differentia breuis inter duos amores, quorum vnus conſtituit ciuitatem Dei ſecundum Auguſtinum. Alius ciuitatem Babylonis. Primus vnit, ſecundus diſpergit. Et verè ſic eſt ſi per omnia reſpexeris. Dedit Chriſtus intelligi cauſam, quia inquit vnum eſt neceſſarium, plurima vero ſunt contingenter variabilia. Neceſſarium itaque (quia tantummodo vnicum eſt) colligit: cetera omnia quia labilia ſunt, diſpergunt. Amor qui innititur vni neceſſariò, ſtabilitur in eo amor innitens mutabilibus, vt mutetur neceſſe eſt. Eſt autem omnis creatura vanitati ſubiecta. Audi de homine qui fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Ciuitas igitur Babylonis quam fundat amor ſui vſque ad contemptum Dei, quam rectè Babylon id eſt, confuſio nominatur. Ciuitas vero iure vocatur eccleſia, quia conuocat & colligit. Dicitur & Hieruſalem, cuius participatio eius in idipſum. Ædificans, inquit propheta, Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſraël congregabit. Fit hoc dum ſuſcipit Dominus Iſraël puerum ſuum, quia ſimiliter venit ad hoc Caypha prophetante, ſed non à ſeipſo, venit enim vt filios Iſraël in vnum congregaret, congregatione non tam locali quam ſpirituali in vnam fidem, in vnũ ouile, in vnum nidulum ſub alas amoroſiſſimæ circa fœtus gallinæ, quæ eſt æterna ſapientia Chriſtus Ieſus.

Suſceptio quælibet à Deo nomine proprijſſimo dici poteſt vnitio, ſiue literaliter ſuſceptionem accipias, ſiue per allegoriam. Myſterium quippe incarnationis quando celebratum eſt, finis ſuus totus fuit vnitio. Tunc enim fecit Chriſtus vtraque vnum dum coniunxit ima ſummis, dum factus eſt lapis in caput anguli, dum cantata eſt in terra pax hominibus bonæ voluntatis, pace reformata cœleſtium cum terrenis. Si verò per tropologiam, ſi per anagogiam ſuſceptio Iſraël pueri conſideretur, quid aliud videbitur quã vnitio? hoc eſt ad vnum collectio & ad vnum exaltatio, ad vnum impletio, reſtitutio & conuerſio humilium mente cordis ſui.

Digitized by Google

Diſcipulus. Sile quæſo ſile, iam ſatis eſt mihi, iam quaſi luce ſerenitatis infuſa, omnis conſummationis video finem. Conſummatio ſermonum enim iſta eſt procul dubio. Det hoc vnum Deus & dicemus, ſufficit nobis, credemus dicenti, ſufficit tibi gratia mea. *Magiſter.* Æſtuas gaudio nouo, quaſi non prius omnia quæ protulimus millies audieris, tum à ſcripturis euágelicis & apoſtolicis, tum à collationibus mutuis quibus ita frequenter inſertus eſt ſermo de theologia myſtica à doctore Dionyſio. *Diſcipulus.* Audiui fateor & legi, nunquam verò mentem ita perſtrinxi quædam vt nunc intima perceptio. Nunquam ita mihi ſapuit verbum hoc hominis pleni fide & ſpiritu ſancto, Stephanum loquat: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Quod verbum nonne conſonanter erat ad verbum Mariæ ſiue canticum: Suſcepit Iſraël puerum ſuum. Hoc plenè mox effectum eſt ſecundum anagogiam, dum obdormiuit Stephanus cum Domino in pace in idipſum. *Magiſter.* Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in maieſtate & in magnificentia, quia nunc magis aperuit intellectum vt intelligeres ſcripturas in ſua collocutione, hic in via ſub peregrina licet effigie, tetigit cor & ſtrinxit, quo ſuſceptionem eius perciperes, nedum per diſciplinam doctrinalem, ſed experimentalem cognitionem. Hæc eſt cognitio cum qua & ſine qua non acquiritur & guſtatur ſapientia myſtica, hæc ſuſceptio vnitiua ſancti Iſraël regis noſtri, hæc collectio humilium mente cordis ſui. Hæc ſola diuidit inter ciues Hieruſalem & Babylonis, hæc ſanctificatio, hoc regnum, hæc voluntas Dei, hic panis ſuperſtantialis, hic liberat à malis culpæ, pugnæ & pęnæ. Amen, hoc eſt quod ſine mente vel defectu mixto cuiuſuis naturæ pro momento huiuſmodi experientiæ. Crede mihi quoniam vel expertis merè gratis datur, quamuis non ſoleat dari niſi deſiderantibus, quærentibus & pulſantibus. Denique vim patitur, quæ ſi cui datur, confertur aliquando nihil agentibus, quandoque aliquid agentibus, quandoque ſomnolentis raptim, vt ſubitò neſcire poſſis quando veniat, aut quò vadat. Cur ita? planè ne tuo merito vel induſtriæ aſcripſeris ſuſceptionem viſitationis ſuæ, ſed dic tempus beneplaciti Deus. *Diſcipulus.* Loqueris experta. Sufficit ad exemplum Paulus, ſuperabundant in miraculoſè viſitatis & ſuſceptis teſtimonia. *Magiſter.* Crede tamen quod non idcirco tibi prohibenda eſt vel alteri, lectio non allocutio deuota, non meditatio ſolers, non oratio frequens & feruida, non demum ſacramentalis ſuſceptio, quæ ſi ritè fiet, ſuperat vigor eius attractiuus, hæc omnia ſpiritualis exercitij documenta. Crede equidem dum in hortis eccleſiæ habitas conſecrationis tempore, adſunt amici, angeli auſcultant, fac dilectum audire vocem tuam, Oſtende ei faciem tuam, ſi decora eſt, Sonet vox tua in auribus eius ſi ſuauis eſt.

Diſcipulus. Doceris obſecro quę ſit illa vox quam audire petit dilectus meus mihi. *Magiſter.* Doceat te finis & conſummatio cantici canticorum, quod iungemus ad hoc pſalterium: Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum. *Diſcipulus.* Mirabilis verò eſt talis amicæ vox ad dilectum petere vt fugiat, quo abſente nihil iucundum, cuius præ- A ſentia nil optabilibus eſſe poteſt ad votum. *Magiſter.* Ignorans myſterium, neſcis, quia non poteſt altera proximior ad dilectum fieri præſentia, quam ſi fugiat ipſe ſuper montes aromatum, non qualicunque modo, ſed ad ſimilitudinem capreæ hinnulique ceruorum. Mos eſt capreæ ſolitudinis ſecreta diligere. Caprea quaſi capiens alta. Secretum ſimiliter mutuum quærunt dilectus & dilecta. Nunc in foraminibus petrę, nunc in cauerna maceriæ. Petra autem eſt Chri- B ſtus crucifixus, perforatus & in latere cauernatus. Secretum verò nouiſſimum & vltimum eſt ſuper montes aromatum montes qui ſuſcipiunt, immo dant pacem populo. Cæterum quid quærit hinnulus ceruorum, dum fugit per deſerta montium? puto redit aſſiduè ad vbera matris, in cuius antro quieſcit & ſinu. Scis autem quia ſe refert & omnia filius ſemper ad patrem. Ipſe hinnulus gratiſſimus ad ceruam chariſſimam ſapientiam ingenitam confert. Concludo tádem quod ſonet hęc dilectiſſima vox in amorato per amoré, C dilecte mi quid per adiunctam oro te petis ſimilitudiné, niſi vt fugiat dilectus ad patrem, quo ibidem quieſcente trahat dilectam ſuam ſecum, collocet non iam in hortis vbi ſunt amici, ſed ſolam cum ſolo, vnicam cum vnico delicioſus amator complectatur. Sicut in eodem lectulo florido, ſicut in lectulo Salomonis pacifici, ſicut in cubilibus ſponſi, vbi ſponſa dicat ex ſententia: Dilectus meus mihi totus & vnicus coniúgitur, & ego illi. Dicat & ſuus deiformis ſpiritus iam Iſraëlita per D limpidam viſionem. Iam puer amplexatus per intimam ſuſceptionem, iam ſuus effectus hęres per filialem hæreditariamque poſſeſſionem, nunc quidem in ſpe ſub certa expectatione futurorum. Suſcepit Iſraël puerum ſuum. *Diſcipulus.* Benedictus Deus & magnificus in ſanctitate, deſero iam ex animo alias quæſtiones omnes prædulcedine verborum iſtorum, præſuauitate mellei ſpiritus ſapientiæ. *Magiſter.* Placet ad initium redigi, non ratiocinando, ſed iubilando, placet E concinere cum exultatione ſpiritus in idipſum: Magnificat anima mea dominum, quia ſuſcepit Iſraël puerum ſuum.

ALTERA PARTITIO QVASI PER SOLILOQVIVM ET MEDITATIONES *per notulas triginta.*

SVSCEPIT *Iſraël puerum ſuum.* Suſcipe me Domine ſeruum tuum in bonum. Seruus tuus ſit ſpiritus meus, qui F deſiderat eſſe Iſraël puer tuus. Multi dicunt animæ meæ non eſt ſalus ipſi in Deo eius, dicunt hoc crebrò calumniatores ſuperbi, mundus, caro, dęmonia. Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum.

Caput meum mens mea Domine quia capiat te. Caput enim à capiendo nomen habet. Sed nec altera eſt aſſignabilis differentia potior mentis ad reliqua omnia mente carentia, niſi quia capax tui eſt, & particeps eſſe poteſt. Capax per in-

Digitized by Google

intrinſecam conditionem memoriæ, intelligentiæ & voluntatis. Particeps vero id eſt perfectè capiens per habitus actuſque ſuper additos, maximè per illapſum deiformis gratiæ tuæ.

Suſcipias igitur me ſecundum eloquium tuum, ſuſcipiam & ego te per amorem tuum. Quid hoc ſuſcipe, niſi ſurſum me cape in mentis meæ cœnaculum. Domine inclina cœlos tuos & deſcende, vt aſcendam ad te, adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es. Ad hoc enim feciſti me Deus meus miſericordia mea. Propterea precor & obſecro, ſuſcipe me recordatus miſericordiæ tuæ. Sunt vanæ ſuſceptiones, hoc eſt ſurſum acceptiones mentis meæ de te, quouſque veniat conſummatio, quouſque dextera gloriæ tuæ ſuſcipiat me in finem. Suſceptio autem ænigmatica creaturarum extrinſecus eſt. Interius capio te intus in anima mea nunc per ſpeculum cognitionis & amoris, nunc in eiſdem ſpeculis quæ cognitio & perceptio dilectiua, quibus interim conſtringis & allicis experimentaliter pauperculum cor meum ſuſcipiens ipſum, ſed non in illa qua refulges claritate in ipſum, non in illo torrente voluptatis tuæ. Cũ hoc factum fuerit vt ita ſuſcipias me & ego te, fiet illud de Pſal. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Dic benigniſſime puer Ieſu dic ſpiritui meo quem imples dono tuo: Ecce puer meus quem elegi, quem ſuſcepi, quem amplector, cui benedico. Olim ferebas indignè ſi quis prohiberet pueros ad te venire. Venio ad te ſuſcipe me. Si eiicis foras venientem ad te, quomodo ſuſcipies fugientem. Vbi eſt illa vox manſuetudinis tuæ, eum qui venit ad me non eiiciam foras. Scio Domine docente te per ſcripturas quia eſt puer & puer. Puer ſenſibus & nõ malicia vel moribus, qualis eſt puer centum annorum maledictus. Nolo Domine talis inueniri puer, ſed in quo ſit innocentia, humilitas & obedientia, qualis appellatus eſt Dauid annoſus, qualis iam Abraham centenarius. Collegit vnus ſeptem puerorum cõditiones aduerſarias ſeptenario vitiorum. Sunt pueri parui, vnde frangitur ſuperbia, puri vnde luxuria deturbatur, modico ſatiati quos gula non ſuperat, ludunt ne ſint inertes & languidi, concordant contra malignitatem inuidiæ, citò dant vt liberales citò pacificantur, rancoris expertes. Sũt iſta ſæpius ex ætatis beneficio, comitãtur alia multa ex ætatis vitio. Cæterũ vetus puer efficitur ſpiritus rationalis in qualibet ætate corporis, ſi fuerit præditus innocentia, ſi humilitate, ſi obedientia. Talis erat ſpiritus Mariæ humilis & obedientis ancillæ. Talis ipſius Dauid, qui vileſcebat in oculis ſuis. Talis in Abraham, qui iuſſus immolare filium protinus obedire parauit. Et ô quam mirabiliter obedire ſpiritum talem qui ſit humilis, innocens & obediens innoua in me Deus quẽ digneris ſuſcipere. Sit in eo ſimplicitas, ſed cum prudentia, ſit humilitas ſed cum fiducia, ſit obedientia ſed non in angaria.

Magna prorſus erat in humilitate Mariæ fiducia, magna obedientiæ promptitudo, magna in ſimplicitate prudentia quoniam nec temeritate præceps fuit in reſpondendo, nec poſt inſinuationem angeli qualiter fieret mater Dei, dare diffidit ſuum aſſenſum, quo habito mox per incarnationem ſuſcepit Iſraël puerum ſuum.

A Suſceptio tua Domine Ieſu colluctationi ſimilis eſt, dum te viciſſim ſuſcipere & retinere laboramus. Figurauit hanc luctam Iſraël iſte literalis puer tuus. Timebat nimis à facie fratris ſui Eſau tranſmiſerat omnem comitatum, ſolus remanſerat. Apparuit vir luctans cum eo vſque mane in Phanuel. Iacob illum volentem diſcedere, detinuit. Non inquit, dimittam te niſi benedixeris mihi. Benedixit in eodem loco, & ſtatim ortus eſt ſol. Luctatur homo ſolus exiſtens metuens impulſus contrarios, orat Deum tota mente nocte tribulationis. Et ita luctatur cum angelo magni conſilij.
B Quid enim oratio feruens eſt niſi quædam luctatio Dei cum homine: Se mutuo brachio amoris ſuſcipiunt. Porrò non ceſſat Iacob ſupplantator vitiorum quouſque benedictionem ſuſcipiat meritorum, etiam ſi videatur iam aurora mentalis illuminationis, perſtat tamen donec ſtatim poſt benedictionem ſol oriatur luminoſior in experimentali perceptione. Mutatur nomen, quia transformatur in virum
C alterum. Iam eſt Iſraël vir potens & fortis Dei viget in actione arduorum & in difficilium perpeſſione & in limpida Dei viſione fit Iſraël. Gratulatur ſe vidiſſe Deum facie ad faciem, ſed per ſubiectam creaturam quaſi per ſpeculum. Concipit internæ fiduciæ guſtum, & ſalua inquit, facta eſt anima mea. Robur denique carnalis amoris quam neceſſe emarceſcit propterea claudicat ſolo pede neceſſitatis tangens panem. Facta ſunt hæc poſt generationem vndecim filiorum, & natus eſt multo poſt in introitu Be-
D thleem domus panis ipſe Beniamin filius dextræ vel doloris, moriente Rachel matre ſua dum parturit eum.

Placet præpterea ô anima Chriſtiana, ſummatim recordari myſterium genealogiæ noſtri Iacob Iſraël, ab alio diſertiſſimè expoſitum. Habet myſticus Iſraël dum Iacob eſt, duas ſorores liberas in vxores Lyam & Rachel. Habet Lyam, vim affectiuam, hæc laborioſa eſt ſecundum nomen in exercitio virtutis. Huic Lyæ deeſt ocu-
E lus intelligentiæ perſpicacis. Habet idem Iacob myſticus Rachel decorem & ſimplicem inſtar ouis ſecundum nomen ſuum. Hæc eſt intelligentia ſuperioris rationis quæ ſe verſat in exquiſitione veritatis ſpecialiter principij.

Datur vtrique ancilla ſua. Seruit Racheli imaginatio, non qualiſcunque, nec brutalis, ſed cum ratione participans, dicitur hæc Bala, hoc eſt inueterata, loquitur quidem inceſſanter etiam dum ſola eſt more ſenum. Senſualitas autem vel ſenſualis appetitus obſequitur Lyæ. Eſt ipſi nomẽ
F Zelpha interpretata os inhians, quia neq; auditu (teſte Salomone) nec alio ſenſu ſatiatur inhiando ſeu deſiderando. Cæterum Iacob vir videns in primis paupertatem ſuam, generat affectum timoris ex Lya, dicitur iſte Ruben filius viſionis. Gignitur poſt hunc affectus doloris, Symeon hoc eſt auditio, quia qui verè dolet & pœnitet protinus exauditur. Sequitur tertius filius dictus Leui. i. additio, quoniam poſt timorem & dolorem additur ſpes. Quartus in filijs Lyæ, Iudas confitens vel confeſſio ſubſequitur. Hic eſt amor aut

Digitized by Google

gaudium. Copulatur enim Lya, quæ eſt bona voluntas, Deo tanquam viro ſuo per gaudium amoroſum. Cernens autem Rachel ſororem Lyam ſcilicet voluntatem totam, prolis fœcunditate lætantem, zelat & ipſa parere. Et quoniam habet timorem qui eſt principium ſapientiæ, habet & amorem qui trahit rationis oculum videre dilectum, deſiderat ipſa Rachel cognoſcere Deum, quem Lya timet & diligit. Atverò quia neceſſe eſt cognitionem prius à ſenſu & imaginatione fieri, dicentibus hoc philoſopho, apoſtolo & experientiæ ſono. Dat Rachel ipſi Iacob ſponſo ſuo Balam ancillam imaginationem. Suſcepit ab ea duos filios ſpectantes ad imaginationem iuncta rationi. Vnus eſt Dan, qui conſiderat, ſpeculatur & iudicat de malis futuris in malorum damnatione. Nephtalim alter filius conſiderator eſt bonorum futuri ſeculi, dans eloquia pulchritudinis, nunc in canticis canticorum, nunc in pſalmis, & iuxta nominis interpretationem, nunc vtitur comparatione, modo, conuerſatione recognitio futura.

Porrò dum Lya conſpicit ancillam ſororis Balam, peperiſſe geminam hanc prolem, Dan & Nephtalim, prouocatur tradere ſimiliter ancillam ſuam nomine Zelpham in ſinum viri ſui. Fit ita. Naſcitur inde duplex ſibi filius, Gad & Azer. Horum interpretatio eſt beatitudo & felicitas, quoniam beati ſunt & felices qui poſt ſpeculationem æternorum hinc malorum, hinc bonorum, pariunt in ſenſualitate quæ eſt iuncta voluntati, immo participatiuè voluntas. Pariunt inquam duos filios, quorum primus eſt vigor abſtinentiæ, ſecundus vigor patientiæ. Accipe quomodo beati ſunt qui lugent, vt Gad. Beati qui perſecutionem patiuntur, vt Azer. Verum poſt hoc tempus, Ruben iam adultus ingrediens & egrediens inuenit mandragoras de bona fama, quoniam qui abſtinentes ſunt & patientes ſunt, cum timore Dei collaudantur, bonus odor Chriſti inquit, ſumus apoſtolus. Rachel verò petit partem mandragorarum, quas totas Lya dat libenter Racheli, quia ſubijcit ſe rationi: quatenus viro ſuo copuletur. Iam enim nihil ad famam reſpicit, ſed ad Dei gloriam, ſed ad futuram viuentium terram & quietem. Dicit è ſententia: Quid enim, nihil eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Supereſt igitur vt Lya generet duos filios, qui ſunt Iſachar & Zabulon. Iſachar eſt aſinus fortis ſibi vileſcens, qui vidit requiem, haud dubiè æternam, quod eſſet bona, & terram ſupple viuentium, quod eſſet optima, & factus eſt tributis ſpiritualium exercitiorum ſeruiens, qui inter terminos habitauit, neque enim quærebat eſſe in terra, neque poterat in cœlo. Fecit quod potuit. Inter terminos habitauit, poſitus hic in orizonte diuinorum & humanorum, crebrò vertebat oculos ad diuina. Quintus iſte eſt filius Lyæ qui eſt gaudium ſpiritus & amor boni. Quem conſequitur ſextus filius qui eſt zelus factus in odio mali. Hũc ſextum Lya mater appellat dotem bonam. Nam quæ melior dos zelo animarum & odio vitiorũ? Nomen eius ſecundum laudem ſuam zabulõ habitaculum fortitudinis. Nam quod aliud habitaculum fortius quam vbi moratur æmulatio dura ſicut infernus veniens ex gaudioſa diuini muneris dilectione, quæ vt mors fortis eſt, cuius lampa-

A des ignis atque flammarum. Patuit in martyribus zelando ſalutem animarum, quorum charitatem multæ perſecutionum aquæ non potuerunt extinguere, nec flumina voluptatum obruere valuerunt. Rurſum verò ſatis eſt probabile quod zelus dum exercetur, offendit in multis, & dum currit incurrit, ſi non inde naſcatur ſancta verecundia coram Deo quam nominamus Dynam in fœmineo ſexu propter minorem quam in viris fortitudinem, & quia propter formoſitatem plus allicit. Quid enim apud Deum, quid apud homines

B gratioſius quam humilis verecundia poſt tot ſanctos mores, poſt genitos quales diximus ſex Lyæ filios: Sunt iſti ſex principales affectus voluntatis, moderati ſimul & ordinati. Etenim virtus quid aliud eſt quam dilectio vel affectio veritatis, moderata per rationis normã, & ordinata per voluntatis intentionem? nomina ſunt, timor, dolor, ſpes, gaudium, quæ ſic nominat proſa: Spes, mœror, metus gaudium. Subinde ſunt amor boni, zelus vel odium mali. Coniunguntur filij qua-

C tuor ancillarum. Bala quippe genuit duplicẽ ſpeculationem, vnam inferni, alteram paradiſi, zelpha autem genuit duplicem in ſenſualitate affectum, vnum qui eſt rigor abſtinentiæ, alterũ qui dicitur patientiæ vigor. Sed væ filijs hominum à ſcandalis, quoniam non eſt homo qui viuat & nõ peccet, non eſt qui non hoſtilibus quandoq; pateat inſidijs, ecce dum prædicti omnes filij Iacob circa paſcẽdos greges bonarum actionum ad proximos occupantur. Dyna ſoror iam adulta nec ſe

D continens in ſolo mentis habitaculo, egreditur videre mulieres regionis illius. Egreſſus eſt hic per curioſitatem, dum vitam aſpicit aliorum, dum denique mores & formam vitę eorum comparatiõne ſui conſiderat. Gloria ſua iam non tota eſt teſtimonium conſcientiæ ſuæ coram Deo, ſed gloriã foris expetit. Violatur hoc modo Dyna, quæ eſt ſancta verecũdia, dum ſatagit mundo glorioſa videri. Sed à quo violatur Dyna. i. iudicium verecundiæ? Certè à labore aſinino, ſcilicet à Sychem qui interpretatur labor quem gignit Emor, qui

E ſua interpretatione ſicut & actione notat aſinũ; quid enim ſtultius quam vanè gloriari de nõ ſuis virtutibus vel de receptis aliunde? Amor igitur propriè excellentiæ generat vanam gloriam, quæ Dynam (quamuis obnitatur) opprimit & violat. Offert ſe nihilominus ad compeſcendum furorem fratrum Dynæ. Sychem iſte offert circumcidere mores ſuos omnes. ſ. pro gloria vera laborare, vt nihil appareat in ſuis moribus inuerecundum. Hac circuncisione facta propter hominum

F gloriam, tres dies qui ſunt tres conſiderationes tranſeunt: dum Symeon & Leui dolor & ſpes, nõ ſecundum ſcientiam arreptis gladijs ſuis, inſiliũt in omnes mares ſub Sychẽm & Emor habitantes, viriles quoq; ſuas operationes occidunt dũ dolor eſt grauiſſimus. Symeon per gladium exprobationis, Leui per gladium exactionis impoſſibilis ſæuiunt. Dolor grauis eſt, quia prædixerunt exterius famam. Labor eſt grauior, quia perdiderunt interius innocentiam, grauiſſimus quia demeruerunt gehennam. Quanto ſatius erat huiuſmodi filios operationum cuſtodire ſub religionis diſciplina, ipſos quoque paulatim bonos efficere per intentionem

Digitized by Google

tionem meliorem, quam furore pertinaci & æmulatione dura inutiliter exprobrando & plus exi- A
gendo quam poterat, perdere ſimul & opprimere. Videmus quemadmodum neceſſaria ſi poſt & inter virtutes omnes diſcretio, quam pro ſui vtilitate non eſt nata parere niſi Rachel ratio ſuperior. Eſt iſte primus Rachel filius in ordine filiorum vndecimus, Iacob Patriarchæ qui nominatur Ioſeph ſcilicet accreſcens, quoniã experimentis creſcit aſſiduis & virtutibus excollitur, dũ plus viuit. Facit huic pater tunicam, talarem, quia ſolus ad talos conſummationis opera perduxit. Hunc odiũt B
fratres ſui dum modũ vult eis imponere, dum impetus refrenare. Accuſat eos apud patrem crimine peſſimo quod eſt hypocriſis, quia ſimulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex eſt iniquitas.

Rurſus inter hæc Ruben violat Balam, dum nimium grandis effectus eſt, quia timor ſi nimius eſt, dum ſe cuſtodire nititur, format inutiles imaginationes, quibus ſe cõuoluens à ſalutaribus impeditur. Tandem ipſe Ioſeph dum ſemet excolit quotidie per prudentiam fit maior, mater eius Rachel concipiens & parturiens anxij doloris C
deſiderio Benjamin, hoc eſt filius dextræ, filius in potioribus donis cœleſtium collocandus. Moritur in eius partu Rachel, quia dum cœleſtia mẽs rimatur, oportet vt ratio ſuccumbat & huic vitæ moriatur, quia non videbit me homo & viuet, ait Dominus ad Moyſen. Hic eſt Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Et vbi & nempè in Eccleſiis vbi benedicitur Domino. Et quæ ſunt Eccleſiæ, niſi conuocationes tam cogitationum quam affectionum ſanctarum. Pſallunt medita- D
tiones ſanctæ Domino cum iuuenculis inſpirationibus tympanizantibus in corpore mortificato. Præueniunt principes angeli coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum typaniſtriarum. Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Suſcipit Dominus hunc puerum Iſraël, quoniam amantiſſimus eſt Domini & habitat confidenter, & in eo ſicut in thalamo tota die commorabitur, quia manet in charitate, & omnis talis in Deo manet & Deus in eo. Denique delicioſus puer inter humeros Dei per mutuos amplexus requieſ- E
cit. Dixit in exceſſu ſuo omnis homo mendax, quia iam factus ſuper hominem, dicit in exceſſu mentis ſuæ per humiliationẽ huius miſeriæ. Proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Vſquequo Domine auertis faciem tuam à me, quoniam facies tua plena eſt gratiarum, quam adhuc velamine mortalitatis huius celas à me.

O quotiens venditur Dominus noſter Ioſeph in Ægyptum tenebrarum harum quotiens iſte frater ſuus Benjamin minimus deſcendit ad eum. F
Iungit oſcula cum amplexibus dum diſcretio prudens in humanis, & contemplatio prudens in diuinis vna veritatis ſententia conueniunt. Sic iuſtitia de practicis & pax de ſpeculatiuis oſculatæ ſunt. Cur ita? Nimirum quia miſericordia & veritas obuiauerũt ſibi, de quibus vterque gloriatur. Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperũt me. Et tu Domine Ieſu per quem facta eſt miſericordia, cuius currus eſt decem millib⁹ multiplex. Currus igneus vehens ad cœleſtia. Cuius equitatus victorioſus eſt in curribus Pharaonis, trahens ſponſam ad te. Suſcipe ſeruum tuum in bonũ non calumnientur me ſuperbi inimici mei dum loquar eis in porta obitus mei. Obſtituat ſapientia tua ſuſcipiens cauſam animæ meæ, furores calumniæ ſuæ recordatus ſolius miſericordiæ tuæ Domine Ieſu ſpes vltima animæ meæ.

TRACTATVS VNDECIMVS

DRAGMATICVS SVB DVPLICI PARtitione *ſuper illo verſu: Sicut locutus eſt ad patres noſtros. Prima partitio de contemplationibus Mariæ ſuper locutione* Dei *per prophetas, & maximè per ſemetipſum incipiendo ab Euangelica narratione iuxta compilationem nouiter factam, quæ dicitur vnũ è quatuor, per notulas quadraginta ſuper rubrica prima: In principio erat verbum. Vnde datur intelligi quantum ſuper reliquis ſermo protenſior eſſe poſſet.*

SICVT *locutus eſt ad patres noſtros.* *Magiſter.* Multifariè multiſque modis olim Deus locutus eſt in patribus & prophetis, Nouiſſimè locutus eſt in filio. Conſeruabat autem Maria (ſicut ſcribit Lucas) omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Conſeruabat nedum noua, ſed vetera. Similis erat patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Similis & ſponſæ quæ dilecto ſuo ſeruat omnia poma vetera & noua. *Diſcipulus.* Quo pacto nõ obuiat dictũ Iob: Semel loquitur Deus, & ipſum non repetit. Quomodo præterea verbũ Pſal. non repugnat: Semel locutus eſt De⁹, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia. *Magiſter.* Locutus eſt ſemel Deus, locutus eſt etiam multipliciter. Semel in ęternitate, multipliciter in tempore, verbum ſemel in æternitate locutum non repetet. Ex verbo tẽporali multa audiuntur. Inter quæ præcipuè ſunt duo, miſericordia & veritas ſeu poteſtas. Contexitur inde verſiculus cantici huius. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum, ſuper quo tractatus habitus eſt.

Diſcipulus. Habitus eſt memini. Eſſet autem iocunda nec infructuoſa collocutio, ſi recenſerentur collocutiones Mariæ ſuper verbis illis quæ locutus eſt Dominus in patribus & prophetis, quæ præterea locutus eſt in filio, qui fuit ſemen Abrahæ, cui Dominus locutus eſt.

Magiſter. Vocas ad rem magnificam valde, & cuius magnitudinis non ſit finis. Dicam tamen ex infinitis pauciſſima quæ Maria conferebat in corde ſuo de locutionibus Domini. Tu ex minimis collige quantum magna potueris. Interroga pariter quantum volueris ſuper his omnibus quæ cõtẽplata eſt mens Mariæ ſapienter. Videor autem ita cõuenienter incipere ſi dixero contuliſſe Mariam in corde ſuo, quemadmodũ perfecerit omnia quæ ſibi dicta fuerant ab eo iuxta cognatæ Elizabet vaticiniũ. Eſt ẽm magnificentiæ proprietas cõſummatio fortis inchoatorum, ſicut ad magnanimitatem ſpectat aggreſſio conſiderata magnorum. Laudans igitur & magnificè gratias agẽs Domino, cuius perfecta opera ſunt, concinebat in pſalterio hoc decachordo per mentis iubilum. *Diſcipulus.* Placent iſta. *Magiſter.* Licet autem de multitudine magnificationis Mariæ

multa perquirere, multa iam ſanè dicta ſunt, ſed eò plura ſuperſunt, tanquam de infinito quodam pelago, cuius quantitatem non molis, ſed virtutis accipientibus, ſemper vltra contingit accipere. Neque vidimus idcirco ab hauriendo deſiſtere, ſed inſiſtere ad refocillationem animarum noſtrarum quæ non areſcent ſiti dum fons hortorum, dum puteus aquarum viuentium fluunt impetu, non impediti de lybano candoris virginei ſcaturientis in abundantia de fontibus ſaluatoris Chriſti ſui. Cæteris quippe per partes datur, Mariæ autem Hieronymo teſte, ſe infundit gratiæ plenitudo tota. Ideo ſalutatur antonomaticè gratia plena, cuius plenitudinis abũdantiam nullus aperire ſermo ſufficiet. Non enim iam eſſet adeò mirabilis & anguſta, ſi verborum anguſtijs clauderetur.

Diſcipulus. Rectè dicis. *Magiſter.* Audebo nihilominus in auxilio plenitudinis gratiæ ſuæ trãſire ad contemplandam ſapientiam contemplationis ſuæ, ſapientiam quam contemplata eſt multo intuitu, quæram plurima de ſeipſa, vtinam hæc ſeipſa vel ab ipſa liceret. *Diſcipulus.* Oratum te, peroratúmque cupio, quatenus in omni locutione noſtra miſceas vtile dulci, ſpeculationem cum deuotione, nec per multos opinionum riuulos effundaris. Dic poſitionem, vel quæ potior, vel ſua nouitate iocundior apparebit. Sciſcitor in primis quibus & quot modis cognoſcatur quod mens Mariæ contemplata ſit multa ſapienter, vt ad magnificandum Dominum anima cum exultatione ſpiritus moueretur. *Magiſter.* Congratulor ſancto tuæ deuotionis ſtudio quod in ampliſſima & magnifica vis nos exerceri materia cõtemplationis beatæ & ſapientiſſimæ ſapientum omniũ ſuadens recenſeri, non quidem omnes vt impoſſibile rectè cenſes, ſed quot & quales ipſa dignabitur miniſtrare de ſe loquentibus, magnificentiam ſimul cum laude mirantibus & cupientibus quantum fas fuerit recordari, proteſtatione præmiſſa quod ea tantummodo volumus aſſerere quæ certa tradit authoritas fidei vel quæ ratio clara conuincit. Cætera verò tanquam piè opinabilia ad exercitium deuotæ ſpeculationis recẽſebimus, non quod ita fuerit affirmãtes, ſed quod ita fieri potuerit, ſecundum probabiles coniecturas æſtimantes didiciſti quod duo contradictoria non in veritate ſtãt ſimul, ſed in probabilitate. Pictores imitabimur & rhetores, qui non adæquatam & apertam ſignificationem geſtorum promittunt inducere, alioquin temeritate fallerentur atque mendacio, ſed veriſimiles illi picturas, iſti rationes offerre contenti ſunt.

Diſcipulus. Diſcholum eſſet plus exigere de rebus quæ nec ſenſu percipi, nec ratione probari, nec authoritate poſſunt confirmari, de quibus tamen aliqua dicere vel ſcribere vel audire decet, licet & expedit. Incipe ſecurus, quia perſuaſum ſic teneo, nec aliter recipio.

Magiſter. Contemplationes Mariæ recenſere placet tempore quo quaſi vidua mater poſt aſcenſionem filij poſt miſſionem Spiritus ſancti, clauſo ſuper ſe cubiculo, reducebat ante mentis oculos præteritum decurſum vniuerſæ vitæ filij ſui. Hoc ſibi ſpeculum, hoc ſibi exemplar ſatis erat in omni contemplatione ſua.

A *Diſcipulus.* Placet electio temporis dum beata noſtra viatrix adhuc exiſteret. & dum reductis ad geſta dictáque Domini noſtri ſpiritualibus oculis illorum poterat reminiſci. Nos demum per hæc ædificari familiari repetitione valemus. Vbi enim modò paſcit, modò cubat in meridie claritatis immenſæ, quis contemplaturus aſcenderet? Porrò ne te fortaſſe ordo geſtorũ ſollicitet, perge quorſum volueris in contemplationibus beatæ Mariæ virginis recenſendis, quoniam nec Euangeliſtarũ traditio doctrinalis, ordini ſe geſtorum per omnia

B conformauit. Sentis ex iſta compilatione laborioſiſſima, quæ nuper edita eſt ex quatuor vt vnum, neque veritati tamen Euangelicæ, neque deuotioni, neque doctrinæ deperit aliquid ſaluari. *Magiſter.* Contemplabatur eo tunc Maria ſolitaria ſecum frequentius omnia quæ viderat vel audierat quæ contrectauerat de verbo vitæ, ſicut eius cuſtos virgineus Ioannes de ſe pro multis loquitur dicens: Quod fuit ab initio quod vidimus quod audiuimus, quod oculis noſtris perſpeximus & manus noſtræ contrectauerunt de

C verbo vitæ & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis. Hoc teſtimonium in nulla fuit eminentius creatura pura, quam in Maria verificatum, quæ verbum vitæ nedum vidit, nedum audiuit, nedũ contrectauit, ſed concepit, peperit, lactauit & aluit. Cæterum nulla ſunt quorum ſola ſibi conſcia fuit, nec prodidit dicens: Secretum meum mihi. Multa quæ potuerunt ſe ſola reuelante cognoſci,

D quorum fecit participes Apoſtolos & Euangeliſtas maximè Lucam. Cognouit viuente Ioſeph virginali ſponſo ſuo, ſingula quæ Dominus noſter ſubditus eis operatus eſt vſque poſt obitum felicem eiuſdem Ioſeph cuſtodis & teſtis fideliſſimi, quando ceſſit ipſa in cuſtodiam peculiarem filij ſui, ſequens eum quocũque iret præſentis in omnibus quæ faceret & doceret, vſque dum cuſtodiæ Ioannis in cruce tradita eſt.

Diſcipulus. Affer ſi habes vel auctoritatem vel rationem de ſequela matris, toto tempore Chriſti

E prædicantis, hac illácque diſcurrentis per ciuitates & caſtella, quia venerat ad hoc ſicut reſpondit ipſum retinere volentibus. Talis autem diſcurſus videbatur importunus verecundiæ virginali honori maternali, ſexus inſuper ætatiſque fragilitati.

Magiſter. Conuenientiſſimus ergo fuit comitatus talis matris cum filio. Viri nempè viduata ſolatio fuit, filius quoque prædicans matris indigebat obſequio, quoniam non renuit extraneas etiam mulieres ſe ſequi, ſibique miniſtrare

F de facultatibus ſuis per omne iter quod erat ipſe facturus. Teſtatur hoc euangelica narratio, quæ matris ſocietatem expreſſit locis pluribus, vt in nuptijs dum dixit filio: Vinum non habent, vt poſtmodum dum deſcendit Capharnaum infidelem ciuitatem ipſe & mater ſua, dicit Ioannes. Quanto probabilius credenda eſt aſcendiſſe cum eo Hieroſolymam ſanctam ciuitatem, vbi vidit filium, qui cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo. Legimus præterea de quod mater Ieſu ſæpè quæſiuit loqui ei, foris ſtans & inſequẽs. Quod inſuper efficaci

afferre

Digitized by Google

afferre poſſumus argumentum præſentis cõtinuè, quam illud dum filius ignominioſiſſimæ morti traditus eſſet, voluit beatiſſimam matrem adeſſe conſpectricem. De diſcipulis rurſus & Apoſtolis ſcribit Lucas, poſt paſſionem Domini quod erant perſeuerantes in oratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu. Porro ſi filius non habebat vbi caput reclinaret, hoc ipſum probabile de paupere vidua matre ſentire. Fouebatur igitur à filio. Legimus quatuor Philippi filias prophetizas ſequentes ipſum prædicantem. Apoſtolus quoque dicebat ſe poteſtatem habere ſororem circunducendi ſicut & cæteri Apoſtoli. Denique quid charitas materna velit & audiat, quid filialis retribuat pietas? Auguſtinus cum monica teſtis adſit.

Diſcipulus. Probatam ſatis æſtimo ſequelã Mariæ continuam cum filio, quod nobis afferet non mediocrem contemplationum ſuarum materiam atque fidem, per vniuerſam totius euangelicæ ſeriei narrationem. Quinetiam Maria contemplabatur ea quæ didicerat infantula, ſub parentum domeſtica diſciplina, de hinc quæ toto puellaris ætatis tempore didicit & perlegit in templo ſub doctrina ſacerdotum, cum alijs virginibus de ſacerdotali regalique proſapia, nobilem trahentibus originem erudita. Tandem reliqua tam ab euangeliſtis poſita, quam longè plura non poſita per totum beatiſſimæ vitæ ſuæ curſum æſtimamus multa nimis. Inuenire tuum eſt. Incipe quomodo placuerit. Dignabitur ſpero ſeſe noſtro qualicunque ſermone laudari, quam audire videor exhortantem omnes per verba patris ſui Dauid: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum, dicentes: Magnificat anima Dominum, quoniam hic eſt finis noſter, iſta ſalus, iſta perfectio, iſtud principium, & vltimum creaturæ rationalis opus bonum.

Magiſter. Contemplatio Mariæ præcipua fuit de magnificando Dominum. Cauſam verò poſuiſti, & dicant: Semper magnificetur Dominus (ait propheta) qui diligunt ſalutare tuum, quod eſt Chriſtus verbum in principio apud patrẽ, Deꝰ de Deo per quem omnia facta ſunt, & per quem deſtructa per peccatum, refecta ſunt. Quoniam verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et quia contemplabatur mens Mariæ quemadmodum futurus erat Deus homo, factus Iudæis in ſcandalum, & gentibus in ſtultitiam & deriſum, voluit à magnificatione Domini ſalutaris ſui canticum inchoare, ſignificans nihil in depreſſionẽ diuinæ magnificentiæ factum eſſe per incarnati verbi myſterium noua potius mentis noſtræ oculis (ô magnificentiſſime Deus) lux tuæ claritatis infulſit, vt dum Deum viſibiliter agnoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.

Diſcipulus. Hæc cauſa probabilis eſt cur à magnificentia ſumpſit exordium, dum recreata conſiderat per exinanitionem paſſionis. At verò dũ attenderet omnia quæ facta ſunt per verbum, nõne confeſtim à magnificatione creaturarum aſſurrexit ad cognoſcendam laudandámque magnitudinem creatoris.

Magiſter. Aſſurrexiſſe non denego, coniecturãs ipſum propterea præpoſuiſſe nomen Domini quã ſalutaris conſonando Pſalm. verbo: Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Ideo quippe A Dominus appellatur, quia ſubiectam habuit creaturam iure ſuo factam, aut ab eo fieri poſſibilẽ. Porrò ſi quæreretur à Maria de rebus cõditis in tali menſura, numero & ordine, nonne pro omni ratione potuit reſpondere: Dominus eſt, quod bonum fuit in oculis ſuis hoc fecit, & quod fecit priꝰ in ipſo vita erat & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cõprehenderunt. *Diſcipulus.* Tollebat ex hoc curioſitatẽ ſtultam ſcrutantium ſcrutinio, volentium ſapere non ad ſobrietatem non ad menſuram cordis ſui nimis B exiguam, qua nequit immenſitas Dei claudi. Non attendunt iſti quod omnium quæ facta ſunt, & quomodo facta ſunt ſimul & refecta, tota ratio eſt omnipotens & omniſciens voluntas operantis.

Magiſter. Contemplabatur in hoc Euangelico Ioannis cuſtodis ſui principio mens Mariæ multo intuitu ſeptem abyſſos, quas ſolus Dei penetrat oculus, lucidior ſuper ſolem. Siquidem Deus ipſe Dominus qui intuetur abyſſos, ideóque ſuper omnem creaturæ ſcientiam notatam per Cheru- C bin ſedere perhibetur. Hic tenebras eſſe ſuper faciem abyſſi Moyſes ſcripſit. Hinc de luce diuina poſitum eſt quod tenebræ eam non comprehenderunt, non negando qualemcunque participationem huius lucis velut vmbratilem. Vmbram quippe dicimus eſſe refulgentiam quandam lucis plus aut minus, & non omnimodam lucis priuationem. Sic Angelus eſt ordine naturali prima vmbra ſeu refulgentia ſummæ lucis participatio. Anima rationalis altera, denique vmbra cognitiuæ lucis occumbit poſt vmbram ſenſitiuæ virtu- D tis in vegetiua, ac deinceps.

Diſcipulus. Quid de vita dicemus? an effulgeat ſimiliter in creaturis & occumbat? *Magiſter.* Si vita dicatur omnino illud quod habet vim motiuam ſui, concluſimus alibi quod nulla res eſt ſine vita, quoniam naturalis amor omnibus inſitus eſt quo res quælibet tanquam pondere ſuo moueatur mediatè vel immediatè, ad propriũ centrum omniũ Deũ. Rationales creaturæ per cognitionem coniunctã ſibi, ſed irrationales per ſepara- E tam, feruntur nempè ad loca ſua per impetum amoroſum Dei dirigentis, vt à ſagittante ſagitta dirigitur petere ſignum quod ſagittans intendit. Eſt igitur res quælibet in Deo quędam vita etiam priuſquam fiat, & hoc per rationem idealem, non quidem extra Deum (prout Ariſtoteles arguit Platonem ideas poſuiſſe) ſed in Deo, ſecundum reſpectus habitos ad creaturas per intellectum paternum, & per verbum ſuum iuncto voluntatis amore quo vult Deus bonitatem ſuam ad extra communicare, & lucem immenſam quo- F dammodo ſplendeſcere & vmbratiliter radiare. Alioquin ipſum verbum diuinum vt ſine voluntate tali conſideratum purè ſpeculatiuum, non operatiuum cenſendum eſt etiam dum protenditur ſeu procedit communicatiuè ad proceſſionẽ Spiritus ſancti, qui amor eſt Patris & Filij. Praxis igitur non intenditur in intellectu ſpeculatiuo ſi confeſsè ſe habeat ad appetitum, niſi procedat ad operationis rationem. Sicut alibi de theologia quod ſit ſpeculatiua dediciſti, quãuis eiꝰ finis præcipuus ſit amor Dei, & laus eius magnificãs Dñm. Tunc verò diuinum verbum non irrationabiliter

Digitized by Google

appellatur practicum, dũ diuina voluntas accipit ipſum ad productionem ſeu producibilitatẽ eorum omnium quæ facta ſunt, ſecundũ triplex fieri. Vnum eſt in mẽte angelica vel humana. Secundũ in exiſtentia propria ſeu genere proprio & in eſſe formali ſuo. Cæterũ priuatio ſeu nihil dicitur ſine verbo facta, nõ quia ſit aliquid extra intelligentiã, ſed ita quod nomen entis vel eſſe vel exiſtentiæ, philoſophus extendit ad illa circa quæ negociatur intellectus vt ſunt priuationes & relationes rationis, vt complexè ſignificabilia ex fabricatione intellectus componentis & diuidentis cũ ſimilibus.

Diſcipulus. Grandes ſub paucis collegiſti contẽplandi materias, redire placet ad illas abyſſos ſeptem quas innuis Mariæ mentem fuiſſe contemplatam. *Magiſter.* Abyſſum dicimus profunditatem, cuius fundus aut terminus non poteſt ab inſpicientibus intueri. Vide ſi non ſit abyſſus talis ipſe benedictus Deus trinus & vnus in ſua maieſtate, non per reſpectum quamuis extrinſecum conſideratus, quia nemo nouit patrem niſi filius, nec filium niſi pater, non excluſo tamen ſpirituſancto, qui prorſus eſt eiuſdem cognitionis eſſentialis cum patre & filio. Sex alias abyſſos numeramus habendo reſpectum ad res exteriores maximè rationales, quæ ſolæ capaces ſunt beatitudinis æternæ vel pennis miſeriæ.

Nunquid non abyſſus eſt miſericordię Dei quę res viles & de ſe nihil dignata eſt facere ſeipſa dignas atque particeps ſuæ pulchritudinis, nobilitatis & honoris immenſarum, vſque adeò quod idipſum ſunt per gratiam, quod Dei filius eſt per naturam. Hoc intuebatur in ſpiritu propheta loquens in perſona Domini: Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Si quidem dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, non ex ſanguinibus corporeis per voluntatem viri ſe commiſcentis cum carnis ſuæ id eſt mulieris voluntate, ſed ex gratiæ germine, dum ex Deo nati ſunt per verbum regenerans, quod ideo caro factum eſt, vt eſſet caro Deus habitans in hominibus, & homines in eo ſuper admirabili prorſus vnitate. Vis altera velut ex oppoſito tibi monſtretur abyſſus, hæc eſt incomprehẽſibilis & horribilis diuinæ iuſtitiæ ſeueritas, quæ proijcit à facie ſua rationalem creaturam, reprobans & indurans eam, reputans eam indignam ſeipſo qui creauit eam.

Subinde ſunt abyſſi duæ proportionabiliter ad duplicem hanc hominum ſortem aſſignandæ. Primis dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod paratũ eſt vobis ab origine mundi, quod nec oculus vidit. Audient alij: Ite maledicti. Demum conſidera duas abyſſos velut intermedias quæ ſint viæ ad duplicem præcedentem, de quibus eſt in pſalm. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Ecce quam incomprehẽſibilis ſit vtraque viarum. Quoniam eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Et viceuerſa iuſtorũ ſemita reputatur inſania. Alternatio tanta poſtremò cernitur in vijs iſtis, tam ambigua, tam perplexa, tam timida & incerta, vt verè dictum ſit: Neſcit homo finem ſuum, & omnia in futurum ſeruantur incerta. Latro per totam vitam ſceleratus, ad vnum petitionis verbum meruit audire: Hodie mecum eris in paradiſo, dum Petrus negauit, dum Iudas A-

A poſtolus deſperationis peiori laqueo quam canabis ſe ſuſpendit.

O quotiens mentem Mariæ contemplantem ſapienter has abyſſos arbitramur Deo dixiſſe: Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, quoad tres abyſſos miſericordiæ, & in eloquium iuſtitiæ tuæ, quoad tres abyſſos veritatis & ſeueritatis eiuſdem iuſtitiæ. O quotiens expauit ſicut Paulus, quotiẽs caſto ſilentio magnificans Dei ſecreta nec audaci temeritate ſubintrans aut irrumpens ſuſpirauit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſapientiam quoad intrinſecam abyſſum diuinitatis, B ſcientiam verò referamus ad alias. Sequitur, quã incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Has vocat pſalm. cataractas. Abyſſus ait abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.

Diſcipulus. Conſiderans iſta totus horrore cõcutior, totus ad me meámque vtilitatem reſiliens, diuinam maieſtatẽ trepidus expaueſco, nec quid agam, quid dicam, quò me vertam quò fugiam, prorſus ſcio.

C *Magiſter.* Proijce te totum ſecurus in illum qui eſt Deus noſter refugium & virtus. Itaque patre trahente venimus ad filium. Filius verò pollicetur eum qui venit ad me, non eijciam fòras. Proijciamus tota fide totáque ſpe nos in manus miſericordiæ ſuæ reſilientes à ſeueritate iuſtitiæ. Non poterit miſericordia claudere gremium redeuntibus, quæ pro fugientibus requirendis, reparandis & ſaluandis in hoc miſeriæ deſerto lacerata eſt ſpinis & cruce clauata. Poſtremò quid niſi ma- D gnificentiam talis Domini reuerearis, exultans ei cum tremore dicens: Domine Deus magnificatus es vehementer. Rurſus cum ſapientiſſima mulierum? Magnificat anima mea Dominum.

Diſcipulus. Contemplationem dic alteram Mariæ, quia propoſui redire poſterius ſuper iſtam de abyſſis iudiciorum Dei, qui aliquos miſericorditer dat filios Dei fieri cohæredes regni, alijs ad interitum derelictis, iuſto quidem ſed occulto Dei iudicio.

Magiſter. Salutanda ſæpè eſt & adoranda ma- E ter miſericordiæ, vita, dulcedo & ſpes noſtra, quatenus Dei miſericordiam, non iudicium ſentiamus. Etenim ſi quod factum eſt in verbo vita erat, quanto perfectius fuit & eſt ipſa in eodem verbo, vita per quam & in qua verbum caro factum, reddidit perditis & mortuis vitam? Dulcedo ſubinde noſtra eſt, quæ fontem in ſe parturijt dulcedinis. Spes inſuper intercedendo recõcilians & ſubleuans, non auctoritate prima ſaluans. Transferuntur obinde per Eccleſiam illa F verbi præconia ſub nomine ſapientiæ, prædicata per ſapientem ad iſtam verbigenam de verbo & in verbo gloriantem: Ab initio inquit, & ante ſecula creata ſum per prædeſtinationis eleuationem præ omnibus. In me omnis ſpes vitæ & virtutis, per auxiliationem.

Diſcipulus. Noui talia omnia quæ ſapiens colligit, & mecum ſæpè retracto, maximè dum natiuitatis eius ſacra celebritas recolitur, de qua fieri poſſet comparatio ad illius natiuitatem, qui fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes, qui venit in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine.

Magi-

Digitized by Google

Magiſter. Alludis ſi ſciens vel inſciens neſcio ordini cōtextus Euangelici, cuius ſupra meminiſti de quatuor vt vnum, quod opus incentum quinquaginta rubricas partitum eſt, cum aliquot rubricellis. Dum enim verbi generatione contemplationem incepimus Mariæ, tu nunc traducis vt de præcurſore loquamur ſequamur hunc ordinem ſi complacitum ita tibi fuerit.

Diſcipulus. Sequamur quæſo de beato Ioanne qualis fuerit Mariæ contemplatio quaſi ſecunda principalis ediſſere. *Magiſter.* Contemplabatur mens Mariæ Ioannem, nunc ad literam, nunc ad tropologiam, quandoque verò per allegoriæ & anagogiæ myſterium. *Diſcipulus.* Litera palam facta eſt de Ioannis nunciatione cum præconijs eius, parentúmque ſuorum affert aliquid de myſterijs. *Magiſter.* Contemplabatur Maria verbum quod erat in principio, quandoque metaphyſicaliter. Aſſumebat enim ſimilitudinem hominis per artem operantis in exteriorem materiā. Conferebat ad primum artificem Deum, qui omnia quæ facta ſunt, produxerat non naturali neceſſitate, non caſualiter aut fortuitè, ſed ſpontaneè. Recenſebat aliquos philoſophos ita ſenſiſſe, ſicut dicit Ioannes Euangeliſta. Deus enim manifeſtauerat eis, quoniam inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt à creatura mundi, id eſt, homine intellecta cōſpiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas oſtendit ordinatiſſimè conſtituta ſupra omnem artis excogitationem, ars verò quid eſt niſi recta ratio rerum agibilium? Ita concludebat Maria metaphyſicans, oportere poni verbum ſeu logas, id eſt, ſermonem vel rationem patris, per quod verbum omnia facta ſunt, & quod factum eſt, erat vbique præcognitum ab hoc verbo, non alia cognitione quam ſeipſo qui Deus eſt, quem nullus dubitat eſſe vitam & primam vitam, alioquin iam non eſſet Deus verbum ſuum vel ideæ ſuæ. Cuius rei abſurditatem ipſe etiam philoſophorum princeps Ariſtoteles ferre non potuit, conferens cum Platone. Porrò noluit Deus condens vniuerſa, latere penitus imméſitatem lucis ſuæ, dum eam fecit ſplendeſcere per creaturas, quas omnes in ſapientiæ ſuæ luce conſtituit. Omnia in ſapientia feciſti ait Pſalmus.

Fuit igitur homo miſſus à Deo qui ſpectator eſſet omnium operum Dei, quique teſtimonium perhiberet de lumine, non enim erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quia nullus illuminatur ad cognitionem liquidæ & puræ & perſpicuæ veritatis abſque prima luce, ſecundum triplex genus cauſæ, efficientis, exemplantis & finientis. Quali dono, qua gratia, qualis oro poteſt eſſe maior etiam philoſophiæ teſtimonio? Erat propterea homini miſſo à Deo nomen Ioannes, dum mundi ſpectator in ſtatu innocentię conditus eſt, vt teſtimoniū perhiberet de lumine. Videbat primam lucem per ſpeculum & in ſpeculo creaturarū, non in obſcuritate ænigmatis. Videbat & in imagine mētis ſuę, & per eā lucidius multo quam per veſtigium vel ſpeculum creaturæ, nondū tamē intuebatur in ſua quidditate nudam lucem. Sed heu homo cum in honore eſſet, non intellexit, cōparatus eſt iumētis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Propterea tunc euenit vt lux vera in mundo eſſet, per quam A factus eſt mundus. Et mundus iſte Microcoſmus eū non cognouit ad quem cognoſcendum factus erat. *Diſcipulus.* Nihil hactenus attuliſti in hac contemplatione Mariæ ſecundū phyſicā rationē, quod ſit ab homine verè philoſophāte negandū ſi non ſit aduerſus à vera luce Deo per tenebras peccatorū, ſi non ſit obſcuratum inſipiens cor ei', nec datus in reprobum ſenſum. Si denique fuerit in eo gratia Dei, vt meritò Ioannes appelletur. At verò ſi id quod ſequitur ita poſſit ad commodum philoſophiæ flecti, deſidero cognoſcere. ſ. in pro- B pria venit, & ſui eum nō receperūt, quotquot autē receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt: Et verbū caro factum eſt. *Magiſter.* Nō poteſt ad literam expoſitio tradi niſi de incarnatione verbi per cuius fidem fiunt homines filij Dei, cuius inſuper literalis Ioānes præco fuit, vox & lucerna. Confitetur hinc Auguſtinus quod quid haberet myſterij. Et C verbū caro factum eſt, nec quidem poterat ſuſpicari, cū de præcedentibus aliquid non negaret intelligētiam cōcepiſſe ductu philoſophiæ. Erat nēpè Platonis inſtructus & Pythagoræ diſciplinis. Attamen ſine præiudicio literam videamus, ſi verbum Dei poſſit dici in propria veniſſe per infuſionem luminis vultus ſui ſuper faciem mentis humanæ, immò per quandam ex vtero mētis incorporationem ſui. Omnis itaque res quantumcunque ſubtilis ſit incorporeæque naturæ ſi cōparatur D ad ſimplicitatem primæ lucis, corporea iudicatur, materialis inſuper quia potentialis eſt atque mutabilis, & non purus actus. Dum ergo prima lux influit & illabitur in portionem rationis ſuperiorē, quam dicimus apicem mentis vel ſynderiſim virgineam, quidni dicamus Dei verbum quodāmodo incorporatum vel hominem factum propter deiformem principalis humanæ partis vnionem per quā ſi Boëtio credimus fiūt homines dij. Dei etenim propterea genus ſumus in quo mouemur, viuimus & ſumus? Et habitat in nobis verbum E ſuum vnigenitum & æternum plenum gratiæ & veritatis. *Diſcipulus.* Non aduertebam talis philoſophicæ contemplationis applicationem quæ non aberat à fide. *Magiſter.* Fides plus eleuat arcem mentis, vt verbum Dei inhabitet per fidem in interiori homine vt hortatur Apoſtolus. Cōſiderans igitur hanc vnitiuam habitationem Auguſtinus dicit Mariam matrem Dei cōcepiſſe primò felicius Deum per fidem, quam poſterius per carnem. Non em̄ ſecunda ſine prima ſibi ſalutem F attuliſſet conceptio. *Diſcipulus.* Vtrum potuerit Maria ſine fide vel charitate fuiſſe mater Dei corporalis. *Magiſter.* Si potentiam ordinatam ſpectes non potuit, quoniam Deus hoc facere non ordinauit, ſed quin aliter ordinaſſe potuerit, cum ſit immenſæ potentiæ, nec implicet contradictionem ita fieri, quis hæc à Dei potentia negauerit?

Diſcipulus. Sunt aliæ quæſtiones abſque numero ſuper incarnationis beatæ myſterio vtputa ſi verbum fuiſſet incarnatum homine primo non peccante? Si poteſt ratio tradi conuincens, cur Deus homo ſit? Ita enim conari videtur Anſelmus cum alijs nonnullis.

Digitized by Google

Rurſus cũ opera Trinitatis ſint indiuiſa ad extra, quomodo fieri potuit vt ſolus filius diceretur incarnatus cum ſimilibus abundantiſſimè tractatis per doctores, quos idcirco non induco.

Magiſter. O quanta credis perſpicacitate mens Mariæ contemplabatur omnia talia conferens in corde ſuo, qualia meruit experiri quando domus pudici pectoris templum repente fit Dei, quãdo fas fuit pro ſalutatione ſibi dici: Salue mater pietatis & totius Trinitatis nobile triclinium, verbi tamen incarnati ſpirituale maieſtati præparans hoſpitium.

Triclinium fuit per fidem charitate formatam, ſed ſpirituale hoſpitium per veram maternitatem, nedum carnis ſolius, ſed & mentis præparauit. Intelligitur autẽ ſpiritualis maternitas in anima verbigena facientem volũtatem Dei patris, quæ ideò frater, ſoror & mater eſt verbi Dei mater virgo filia. Nunciat hanc verbi conceptionem Spiritus ſanctus, qui vbi vult ſpirat, quæ inſpiratio vel inſtinctus interior tenet ad animam vicem Angeli, qui Gabriel eſt fortitudo Dei, nam quid fortius, quidve potentius poteſt nunciari? Cæterum gratia Dei per Ioannem ſignificata præcedit, viam præparans verbo Dei, qui Ioannes per orationẽ conceptus eſt, Gabriele ſimiliter nunciate. Nihil enim habet homo fœcunditatis in quauis portione rationis, ſit vir vel mulier, vt talis filiꝰ inde poſſit gigni, præcedat oportet, & præcedat Zacharias (dictus Domini ſaturitas) in templũ, poſiturus incenſum deuotionis, cuius oratio exauditur, & concipit. Elizabeth (qui eſt Domini memoria) filium cui nomen eſt Ioannes, in quo gratia Dei, quãquam nullus in cognatione naturali vocetur hoc nomine. Porrò ſi ſequeris allegoriam. Zacharias ſacerdotium Eliſabet legem veterem ſignificat, ex quibus timore frigeſcentibus non potuit concipi gratia Dei. Nihil enim ad perfectum perduxit lex, quouſque venit plenitudo tẽporis, quãdo ſol iuſtitiæ debuit oriri ſuper terram humanæ conditionis per myſterium incarnationis. Tunc præceſſit in Ioanne lucifer, illum ſolem qui ex vtero patris ante luciferum genitus eſt in die virtutis ſuæ in ſplendoribus ſanctorum.

Diſcipulus. Ergo ne putandum eſt Mariam nihil de prænunciatione Ioannis cognati ſui fuiſſe literaliter contemplatam. *Magiſter*. Immò verò nec vnum iota dimiſſum eſt, nec vnus apex omnium quæ Lucas ſcripſit, quin Maria rimaretur, & meditando ruminaret, conferens ad innumerabilia quæ nos latent, neque ſcriptis mandari potuerũt. Itaque ſi Ioãnes fuit tanta ſolemnitate nunciatus, ſi per orationem ſupra naturæ curſum impetratus ſi ſanctificatus in vtero, ſi gaudiũ & exultationem cum admiratione parentibus attulit, ſi præcedit Chriſtum in ſpiritu & virtute Heliæ ſi ſobriè educatus & veſtitus in exemplar pœnitentiæ per contemptũ temporalis felicitatis & amorem æternæ. Si talia nobis innotuerunt Luca ex ore Mariæ nobis referente, nemo dubitauerit quin ad ſeipſam plurima talium retulerit reuoluens oculos ad proprios parentes, qualiter angelica nunciatione fuit ipſis ortus ſuus cum vitæ ſerie. i. ordine reuelatus, vt non minus de gratijs ab vtero ſibi largius collatis Maria conſurgere ad gratiarum actiones, quã pro præcurſoris huius iocundo ſanctóque natalitio nunciato, repetens crebrius cum exultatione ſpiritus canticum ſuum: Magnificat anima mea Dominum.

SECVNDA PARTITIO DE VITA SOLITARIA IOANNIS QVASI *ſuper rubrica ſecunda de denunciatione ſua & habitatione in deſerto. Sunt in hac partitione tres particulæ, iuxta triplicem modum manifeſtandi vitam ſolitariam. Et continet notulas nonaginta.*

Diſcipulus.

ET ſi multa fuerunt ipſi Marię contemplanda circa Ioannis nũciationem in templo. Si circa viſitationem & ſalutationem Eliſabet, ſi circa natiuitatem circunciſionémque pueri, quibus inter fuiſſe Maria creditur, ſimiliter & audiuiſſe canticum illud Zachariæ. Benedictus Deus Iſraël, cum myſterijs hic incluſis. Nihilominus ad præſens vertere cõtemplationis oculos deſidero ad ſolitudinẽ Ioannis, de qua Lucas ſic intulit. Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu, & erat in deſerto vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

Magiſter. Fiat, vt vis, & incipiam quomodo vis.

Diſcipulus. Cum homo ſit naturaliter animal ſociale, gregale & ciuile ſecundum philoſophum Platonis quoque ſententia dicit, homines hominum cauſa factos eſſe. Eccleſiaſtes inſuper maledicit ſolitarios dicens: Væ ſoli. Nonne ritus iſte viuendi in deſertis culpabilis eſt habendus tanquam conueniens feris indomabilibus, aut hominibus melancholicis. Solitudinem enim quærere Ariſtoteles poſuit in Homero fuiſſe ſinum melancholiæ. Fuit igitur puer Ioannes melancholicus aut ferialis. *Magiſter*. Addere debebas vnã diſtinctionis partem à philoſopho poſitam: Solitarius inquit, vel Deus eſt, vel beſtia. Fuit autem puer Ioannes Deus per participationem diuinitatis, non per naturã. Etenim manus Domini erat cum illo. Fuit repletus Spiritus ſancto ex vtero matris ſuæ. Neque complexione melancholicus, cum per miraculũ fuit Domino operante formatus, cuius perfecta ſunt opera. Lege quod dicitur: Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu. Poſt ſubditur: Et erat in deſerto. Quare & quouſque? Nimirum vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël quatenus interea loqueretur Dominus ad cor eius in ſolitudine, reuelans & indicans quæ eſſet ipſe facturus ad Iſraël & docturus. Simul vt non leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. Dedicabat euangelicum virum in ſuo celibatu virgineo imitabatur vitam Heliæ per quẽ erat ipſe figuratus. Complebat prænunciatam de ſe prophetiam Eſaiæ: Ego vox clamantis in deſerto. Prædicabat primitus exemplo ſanctorum ſpem regni cœlorum per contemptum terrenorum, quatenus authoritatis pondus adderet verbis ſuis operatio atque talis merito iudicaretur qui fallere nollet cupidine mundanorũ, ne dũ alijs prædicaret pœnitentiã ipſe per deliciarum inſecutionem reprobus inueniretur. *Diſcipulus*. Collegiſti ſummatim cauſas ſolitudinis in Ioãne. De cæteris vero ſolitarijs quid iudicas? Non enim ſimilibus tueri ſe valent cauſis.

Magi-

Digitized by Google

Magiſter. Operi tuo, dicit Ambroſius, intentio nomen impoſuit. Et Chriſtus: Si oculus tuus fuerit ſimplex non habens aliquam partem tenebrarum, totum corpus tuum lucidum erit; & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. Primum eſt igitur aſpicere quæ ſit & qualis intentio ſolitudinem inquirentis. Mouet aliquos feritas incompoſita complexionis naturalis vel acquiſitæ, non patiens ciuiliter conuerſari, cuius odium contra omnes & omnium cõtra ſe, ſicut de Iſmaële loquitur ſcriptura. Hanc cauſam ſolitudinis in cato monſtro ab Hercule necato, hanc in leonibus, hãc in auibus nocturnis accipimus. Mouet aliquos cupiditas implendæ voluptatis ſeu propriæ voluntatis, quorum fœlicitas æſtimatur impunita nequitia, peccare ſcilicet, volunt neq; verecundiam hominum, neque pœnam pati. Quærit enim latibula fœdæ voluptatis impletio, quod & ferè demonſtrant, & auiculæ quædam oſtendunt, niſi fortaſſis aliquos ita beſtiales inuenies, quos propriæ nequitiæ publicatio delectat, prędicantes vt Sodoma peccatum ſuum, & cum malefecerint gloriantes. Mouet alios animi quædam deiectio ſeu puſilanimitas, cauſata per phreneſim, aut melancholiam multis modis, quales numerant medici, quos nihilominus fatentur innumerabiles reperiri. Taliter dementatum tradunt expoſitores Danielis ipſum Nabuchodonoſor, cuius fuit habitatio cum feris. Et dæmoniacus iſte per legionem oppreſſus qui habitabat in ſepulchris. Pueros inſuper aliquos immo iuuenes & ſenes hac timoris formidine agitari ſic conſtitit, vt nec videre alios vellent, nec ſe paterentur facialiter intueri. Quorum tandem aliqui per deſerta vagantes, nuſquam comparuerunt. Alij laqueo vel præcipitio vel aliter ſibi mortem intulerunt. Laudabilis certè verecundia, maximè puerilis & in mulieribus, quæ ſaluam rem facit malis obſtans conatibus. Sed ne quid nimis, ne læſa tandem verecundia frons accipiatur meretricis, atque verificetur ille ſubuerſiuus iuuenum verſus: Angelicus iuuenis ſenibus ſathanizat in annis. Mouet alios inanis iactantia, alios ſpes quæſtus vberioris, alios otium iners, alios phãtaſtica libertas, alios quidam feruor nouitus, non ſecundum ſcientiam, volens ſibimet eſſe dux, Prior & Abbas. Alios ignorantia difficultatis eremiticæ vitæ ſeducit æſtimantes ſolitarijs deeſſe nihil præter orare Deum, dum vbi ſegregatos ſe faciunt ab alijs inueniunt ſemetipſos cum paſſionibus duriſſimis, luxuriæ, gulæ, deſidiæ & acediæ ſupra modũ vt interim diabolicis aſtutijs de viſitationibus hominum curioſis ad inſolita, de victualium poſtremò veſtiúmque carentia taceamus. Tandem pœnitet eos ſuimet & gyrouagi fiunt cum Cayn, ſolum de eremitica vita barbam & appellationem retinens, quibus ſolitudo non abſtulit vitia, ſed aluit auxit & multiplicauit, qualibus vicos & plateas vidimus impleri. Teterrimum hoc genus monachorum ait Hieronymus beatiſſimus & benedictus, immo monſtra ſunt hominũ extra terminos bonæ politiæ depellenda.

Diſcipulus. Et quis ad ſolitudinem his attentis putabitur idoneus? Confirmas enim quod oppoſui: Væ ſoli. *Magiſter.* Video ne malitia plurimorum paucis obſiſtat bonis & electiſſimis prorſúſq; diuinis cultoribus ſolitudinis quales in commendationem fidei vocat Apoſtolus: In ſolitudinibus errantes; in montibus & ſpeluncis in A melotis & in pellibus caprinis, quales Paulus & Antonius, Arſenius, Agathon, Hilarion; cum ſimilibus innumeris, qui naturam ſuperegredientes oderunt in ſeipſis quod regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud: Quid denique de Ioanne noſtro, quid de puero Benedicto quid de ſimilibus factum ſit ipſe legis.

Diſcipulus. Spiritus vbi vult ſpirat, neque mirabilia trahenda ſunt ad imitationem ſed reuerenter admiranda. *Magiſter.* Rectè ſentis. Non agitur B itaque fœliciter vita ſolitaria ſine quodam afflatu Spiritus ſancti; quandoque patenter reuelantis; quandoque ſecretius inſpirantis ducentis & agentis. Dicitur enim de Chriſto, quod ſpiritus impulit eum in deſertum, dicitur quod ductus ſit, dicitur quod agebatur in deſertũ. Et hic de puero Ioanne præmittitur quod confortabatur ſpiritu. Qui autem priuata lege ducuntur publicis & generalibus non ſubſunt inſtitutis.

Diſcipulus. Qua ratione cognoſcetur quod à Spiritu ſancto quis ducitur in deſertum ſolitariam C ducturus vitam cum tot ſeductionis cauſas narraueris? & vniuerſalius expeto de ſolitarijs omnibus quis debet eſſe ſuus finis? quis ſuæ oculus intentionis? *Magiſter.* Tres modos ſolitudinis inſinuaſſe videtur mihi pſalm. comparans ſe tripliciter. Similis inquit, factus ſum pellicano ſolitudinis & factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Prima figurat ſolitudinem deſerti, ſecũda clauſtri, tertia tecti ſiue templi, quod ſignat tectum amplum. D Conſideratur in ſub triplex in generali finis quærendæ ſolitudinis, vnus peccandi vitatio, alius peccatorum punitio, tertius ad Deum proximatio. Habet tamen in ſingulis Spiritus ſanctus proprios fines, qui poſtmodum cõſtat ex euentu, ſed interim loquimur de humano concilij. Amplius quę ſit & qualis ſolitudo deſerti, patet in eremicolis, iuxta narrationes & vitas patrũ, qui præterea ſunt, & qui nũc ad hanc ſolitudinem idonei tradiderunt. De ſolitudine verò clauſtri vel cœnobiorum habetur notitia per regulas ipſorum, E que conueniũt omnes eſſentialiter in triplici voto, obedientiæ, paupertatis continentiæ. Porrò de ſolitudine tertia quam imaginamur ſimilẽ paſſer, qui ſolitarius eſt in tecto, non ita cognitionem inuenimus traditam. Participat autem cum vtraque priori ſolitudine differens tamen ab vtraque.

Solitudo clauſtri collocatur in ciuitatibus, ſicut habet nicticorax domicilium in eiſdem. Sic ſe habet ſolitudo paſſerum in tecto. Non enim refugit ciuitates, ſicut pellicanus in deſerto longè fit ab F eis & eremi cultores ſimiliter longè fiunt. Cæterum ſolitarius ſicut paſſer ſolitarius in tecto, nulla lege viuendi ſub voto aſtringitur, imitans in hoc voluntarios eremitas. Nihilominus locum villarum vel ciuitatum non relinquunt, diſpares in hoc eremitis. Legimus quod Anna prophetizans de puero Ieſu, non recebat de templo ieiunijs & orationibus vacans. Legimus de ſancta Iudith quod fecerat in ſuperioribus domus ſuę ſibi cubiculum, vbi cum puellis ſuis ſola morabatur. Sara iunior moleſtata perrexit orare ad ſuperius cubiculum domus ſuæ. Heliæ & Elizeo fuerunt in ciuitatibus aſſignata in ſuperioribus domus cœnacula. Petrus

Digitized by Google

oraturus aſcendit in ſuperiora domus, ita per multa colligitur ſanctos viros loca ſibi quæſiſſe ſecreta & alta.

Diſcipulus. Ediſſere quomodo poteſt eſſe laudabilis huiuſmodi tertia ſolitudo quaſi ſit cũ domo & ſine domo. Reſidet itaque ſolitarius in tecto, quam ſimilitudinem non ſiluit ipſe Chriſtus loquens de tribulatione futura, monens eum qui in tecto eſt vt non deſcendat tollere quæ in domo ſunt. Habent enim domus regionis illius tecta plana, apta deambulationi, ſecretęque conuerſationi, tanquam pauimenta de lapidibus planis cum cemento ſtructa. *Magiſter.* Propoſitum ſolitarij talis eſt, vti mundo quaſi non vtatur. Non enim fidit in viribus proprijs aut corporis aut animi poſſe pati ſolitudinem, vel deſerti vel clauſtri, facit hoc quod poteſt. Accipit ſolitudinem tecti non ſemper ad literam, ſed per ſimilitudinem. Sicut enim manens in tecto non reſpicit quæ fiunt in domo, ſic nec ille ſolitarius ea curare vult quæ fiunt in mundo. Viuit ſibiipſi & Deo curam ſuam totam & cogitatum ſuum & ſuam ſolitudinẽ proijcit in Deum. Finis ſuus eſt triplex prætactus. Primus, vitare facilius peccata futura, dum non tangit picem curæ corporalis ne inquinetur ab ea. Secũdus, cogitare omnes actus ſuos in amaritudine aīæ ſuæ. Tertius proximare Deo, videns enim iniquitatem & contradictionem in ciuitate, & dolos & vſuras & blaſphemias in medio eius, elongat ſe nõ corpore, ſed mente manens in ſolitudine, qualem ſibi fecerat Heſter in medio palatio, vocans ſe ſolitariam, & cuius præter Deum non eſſet auxiliator alius.

Diſcipulus. Contraria videtur eſſe ſibimet hæc ſolitudo, videt enim & audit mala quæ fiunt in ciuitatibus, nihilominus (vt dicis) fugit ea. Si fugit, qualiter illa videt & audit. *Magiſter.* Doceat te propheta regius qui dicit: Qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Non dicit ſurdus & mutus ſed tanquã ſurdus & mutus.

Diſcipulus. Si zelum Dei habet, quo pacto non obuiat iniquitatibus, quomodo ſaltem voce non reclamat, non arguit, non prædicat, non inculpat?

Magiſter. Habet vtiq; zelum, ſed ſecundum ſcientiam quæ docet eum cõuerſari in medio nationis prauæ, quæ non ſapit aut inquirit quam oportet. Neq; fruſtra nititur, ſed gemens intus tolerat, quæ nec poteſt nec debet arguere. Reſpondet crebro curioſitati zeli ſui. Quid ad te? non eſt tuum noſſe talia, vel talia nõ arguere. Non enim contra ictum fluuij. Curam illam Deo linque, & tuam age.

Diſcipulus. Omnes hoc modo ſi dicere facereq; ſtatuerent, quis perſequeretur vitioſos, quis bonorum profectum pacis cõciliator intẽderet. Sancta ruſticitas, ait Hieronymus, ſibi ſoli prodeſt, immo dum non opitulatur alijs, obeſt, dum non eſt proximo, contrariatur ei. Nauta dum nauem deſerit, nonne ſubmergit? Damnationem proinde pigri ſerui, nonne pro talento recondito talis meretur & metuit. *Magiſter.* Cur metueret qui nihil erogandum ſuſcepit ex officio, cui nihil ex articulo neceſſitatis incumbit agendum? Tradit ad vſuram talentum omne quod accepit, dum vtitur illo qualiter & quouſque ſe lex & voluntas erogantis extendit. Si non abutitur donis ſibi traditis quando & qualiter non oportet, profectò non retinet talentum, non eſt contrarius Chriſto. Non deſerit nauem qui cuſtodiam eius non accepit. At verò videant qui ſuis humeris officia publica vel impoſuerunt vel impoſita ſuſceperunt, quemadmodum reddent rationem de ſubditis. Quid ad iſtum de non ſuis quæ foris ſunt, quæ iuris ſunt alieni?

Diſcipulus. Nonne mandauit dominus vnicuiq; de proximo ſuo? Nonne iuſſio legis eſt: Diliges proximum tuum ſicut teipſum? *Magiſter.* Mandatum iuſſũmque fatemur curare proximum & diligere, ſed non plus quã ſeipſum, non plus quam Deum. Deus certis amorem Dei & proximi terminis limitauit, de quibus non eſt hic dicendum per ſingula, quorum debes alibi notitiam comparaſſe, ſcilicet inde conſolatione theologiæ.

Diſcipulus. Didici quod fieri iuſtè debet quod iuſtum eſt. Quod nihil prodeſt homini ſi vniuerſum mundũ lucretur, animæ verò ſuæ detrimentũ patiatur. Quod prædicare & arguere nemo ſolenniter debet niſi miſſus. Quod fraterna correctio nõ pro ſemper obligat. Quod ſæpe fit eadem correctio temerariè, dum neq; fructus cernitur, neque modus cuſtoditur, nec tempus, perſona aut locus obſeruatur. Sed apparet difficile quomodo manẽs inter alios non incurrat caſus plurimos in quibus oportebit ipſum non ſolum ſibi vacare, ſed proximis intendere. Alioquin vel inutilis vel inciuilis, vel arrogãs fortaſſis aut phantaſticus poterit multorum iudicio reputari. Suſurrabunt mutuo dum viderint aliquem literatum qui fundit vnguẽtum ſuæ meditationis ad pedes vel caput Ieſu, vt quid perditio hæc? Cur non erogat per prædicationem in pauperes, idiotas & egenos. Talia ſibi ſoli meditatur & ruminat, cur regiminis curam non quęrit? Cur nõ ſuſcipit oblatam quo pacto prius habitam derelinquit? *Magiſter.* Nihil affers incognitum, ſed ad alta vadenti contemnendus eſt ipſe cõtemptus, nec populari rumore, ſed conſcientiæ veritate vita ducenda eſt, maximè quærenti Deo viuere, quærenti cum propheta dicere: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in domino Deo ſpem meam. Omnis gloria eius. Cuius eius? vtique animæ deuotæ, filiæ regis & ſpõſæ, ab intus eſt, cui pro minimo eſt vt ab hominibus vel ab humano die iudicetur, ſed nec ſe iudicat, omne iudicium ſuum ponens ſuper eum qui dominus eſt, cui ſoli intendere, quẽ quęrere, in quem ſperare quem diligere conſtituit. Qui vult inter vos ſapiens eſſe, monet Apoſtolus, ſtultus fiat vt ſit ſapiẽs Chriſto, decipiat mundo vt placeat Chriſto. Nam qui volunt hominib⁹ ſeculi placere, qui ciuiles ab eis, qui beneuoli, qui ſociales, qui (vt eorũ verbum ponamus) boni ſocij blandiẽti lingua vocari deſiderãt, videãt ne Dei, immo ſui conſtituãtur inimici, perdunt nempe tempus comeſſando, iocundando, detrahendo, narrãdo fabulationes, ſed non vt lex tua domine, deteriora non addimus quæ ferre coguntur. *Diſcipulus.* Quotidianus nobis hominum conuictus quę dicis oſtẽdit. *Magiſter.* Crede mihi poſſe vacare ſibi, non eſt paruum neque negligendum talentum, non eſt infodiendum terræ, quia non eſt terrenis occupationibus obruendũ, habet homo pro quolibet ſenſuum quos accepit talenta, totidem ſingulis non pariter vtitur. Si totus ſe ad videndum ſalubria, totus ad cõuerſionem cordis conuertit,

Digitized by Google

conuertit, redditur excuſata manus vel pes vel lingua, ſi tunc non operatur homo, aut ambulet aut loquatur. E conuerſo ſi robuſta fuerit manus & oculus lippus vt videre vix poſſit, mittat manum ad fortia, hoc eſt viri ſolitarij & actiui. Determinat Ariſtoteles philoſophica ratione vitam contemplatiuã ſimpliciter optimũ eſſe hominis bonum. Conſonat omnis theologizãtium chorus. Determinat hoc Auguſtinus quod otium veritatis inquirendæ, præferendum eſt negotio charitatis ſi nullus imponat, nec ſic tamen funditus otium deſerendum noſtra ſuſtinenti. Iam verò quæritur quis ad hanc ſit idoneus vitam ſolitariam. Non iuuenis moribus qui ad operationem mittendus eſt ne vacet. Multa enim mala docuit otioſitas. Vidit hoc qui philocapto mederi pollicẽs ait: Loca ſola nocent, loca ſola caueto. Talis non cum Deo, ſed cum deſiderio rabioſo continuè loqueretur. Occidunt deſideria pigrũ præſertim ſine literis, cuius otium mors eſt, Seneca teſte, & viui hominis ſepultura. Et Horatius: Si non intendas ſtudijs & rebus honeſtis, inuidia vel amore torquebere. Cæterum nequit vacare otio cõſtitutus ſub alterius poteſtate. Quo iubente fac hoc, faciendum eſt. Vade illac, iſtac eundum eſt. Obſequere ſubditis, iſtos dirige & rege, parendum eſt. Amplius ſi proprio te voto conſtrinxeris ad actionis negotium, iam tibi vacationis otium ſuſtuliſti. Si denique neceſſitas periclitationis proximorum corporalis aut ſpiritualis imminet, cui tu potes, nõ alius pro nũc, probabiliter opitulari, lex neceſſitatis immo charitatis, à vacatione te ſeparat. Lex poſtremò diuinæ iuſſionis inſpirata te perurget ſeſe ſequi, qualem hi qui ſpiritu Dei ducũtur, infallibiliter recognoſcũt.

Diſcip. Hactenus multa conquiſiuimus de vita ſolitaria ſub quadam fluctuatione ſententiarum & ordinis cupio naturam ipſius philoſophica ſimul & theologica ratione ſcrutari, deſcriptionẽ quoq; ſuam in primis volo fundamentaliter notam eſſe.

SECVNDA PARS. DEMONSTRATIVA POST PRIMAM INQVIſitiuam de ſolitudine.

Magiſter.

VITA ſolitaria eſt vita intellectualis naturæ ſeu rationalis, quæ agitur ſegregatim à multis & propter Deũ. *Diſci.* Cur ad vitam ſolius naturæ intellectualis ſolitariam vitam ſtringis, cum ſit auibus & beſtijs aliquibus ſua ſolitudo viuendi: *Magiſter.* Volui ſub compendio vitam tollere omnem quæ beatæ vitæ particeps eſſe nequit. *Diſcipulus.* Nunquid ſatis erat vt de intellectuali natura ſermo fieret additione non facta de rationali dicẽs, intellectualem dimittendo. *Magiſter.* Poſtulat hoc fieri proprietas vocabulorum. Cum enim rationale ſit differentia conſtitutiua hominis, nec ſolius hominis ſecundum Porphirium Platonicum, ponentem dæmones & angelos eſſe animalia rationalia, quæ deos vocat, & compoſitos ex anima & corpore, tradit per immortalitatem differentes ab homine. Definitio noſtra debuit hoc notare, quamuis aliquando rationalis dicatur natura quælibet quæ poteſt vti ratione, & quę libertatem habet arbitrij potens in oppoſita. Eſt enim liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis, quaſi liberũ de ratione iudiciũ, iuxta quem loquendi modum Deus diceretur nedũ intellectualis naturæ ſed rationalis, licet Boëtius approprioet intelligẽtiam puram ſoli Deo, aut verius ſoli generi diuino, quoniam vſus philoſophorũ tribuit angelis intelligentiam, quos ideo vocant intelligentias, & ab hominibus non penitus abſtulerũt, ponentes agentẽ intellectum.

Diſcip. Vis igitur ponere in Deo vitam ſolitariam vel ſocialem? *Magiſter.* Audies poſtmodum ſi primitus expoſuero de parte definitionis addita cum dicitur vita naturę intellectualis aut rationalis, quę agitur ſegregatim à multis & propter Deũ. Damus per hoc intelligi cauſam formalem ſeu differẽtiam à vita ſociali. Cauſam inſuper finalẽ vitæ ſolitariæ, non cuiuſcũque, ſed laudabilis aſſignam9 propter Deũ, qui Deus gratia [illegible]i eſt, ſiue propter ſeipſum tanquam liber & nobilis in ſupremo. Cęterum natura quælibet, præſertim rationalis, quædam in ſe dicitur vita prima, ſi nihil etiam actualiter ratiocinaretur vel intelligeret actu perfecto, neq; ſimiliter vellet, cui vitæ nõ attribuitur propriè ſolitariũ vel ſociale, ſed vitæ quæ dicitur vita ſecunda proueniens, profluens aut emanans ab hac vita prima. Hęc autem dicitur operatio vitalis elicita ſeu producta à re quæ eſt vita prima, vt anima rationalis, vel habet vitam primam vt homo. Sic intelligitur definitio philoſophi de anima, quod eſt actus primus corporis phyſici, organici, vitã habẽtis in potentia, ſupple ad vitã ſecundã quę eſt vitalis operatio. Sic intellexit idem philoſophus, qui poſuit fœlicitatem hominis non in habitu ſolo cum Stoicis, nec in ſola ſubſtantia vel natura à ponentibus fata, ſed in optima operatione reſpectu optimi obiecti per optimã potẽtiam, optimo habitu roboratam. Sic dicebat Chriſt9: Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum verũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Loquuntur ad ipſum cõformiter theologi ponentes vitã æternam in æterna Dei viſione quæ fruitionem complectitur, delectationẽmque ſupremam includit. Poſtremò ſumptam dicimus ex his diſtinctionem phyſicam pariter & theologicam de multiplici vita. Quædam eſt actiua, quędam contemplatiua, quædam mixta. Rurſus quædam eſt bona ciuilis & moralis, quędã mala multis modis ob peſſimas operationes ſecundum prauos fines, ſicut ſuperbiam & honores vanos, ſicut ad diuitias & opes iniuſtas, ſicut ad voluptates & luxus ſordidos. Et hæc iuxta tria quæ ſunt in mũdo, qui triplicem ſibi vendicat ſapientiam, terrenam, animalem, diabolicam. Amplius verò diuiditur vita talis quæ eſt operatio naturæ rationalis vel intellectualis, in vitam ſocialem, & in vitam ſolitariam de qua præſens ſermo quærit. Vita ſolitaria agitur non in multitudine, aut ſaltem non cum multitudine, ſed ſeparatim à turba maximè ſecundum quod accipit vulgus, dum ſeparatio ſeu ſegregatio fit in locis ſolis, vt erat Ioannes puer in deſertis. Additur ad extremum quod ſegregatiõ ſit propter Deum, ad excludẽdum prauam quamlibet ſolitudinem, qualem Epicureorum voluptatum aſſertores, & Stoicorum ſecta laudabant, ad qualem præterea beſtialitas morum, vel corruptiõ complexionis impellit.

Diſcipulus. Elucidatam ſufficienter exiſtimo de-

finitionem vitæ ſolitariæ ſed an conueniat Deo & Angelis ſcire deſidero. *Magiſter*. Si viuunt intellectualiter prout eos viuere nulli dubitare fas eſt viuant, oportet aliqua vita ſolitaria aut ſociali. Et quidem de Angelis & hominibus ſaluatis, perſuaſum ſatis habemus quod viuunt ſocialiter atque ciuiliter. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, loquitur propheta de ciuitate cœleſti. Concludens: Sicut lætantium omnium eſt in te habitatio. Et in proſa, quam fœlix iſta ciuitas in qua iugis ſolennitas, & quam iocunda curia quæ curæ prorſus eſt neſcia. Conſonat Ariſtotelis verbum quod extra cœlum ſunt animalia optimam vitam ducentia, ſed ſi nominat animalia largo modo intelligentias vel Angelos. Si dicat inſuper eas extra cœlum formaliter quia cœlum non formant, nec tempore menſurantur. At verò de vita diuina non ita perſpicuum eſt ſi ſocialis fuerit æſtimanda. Obſtat philoſophus metaphiſicando ponens Deum primum & ſupremum monarcham extra ordinem totius vniuerſi,tanquam ſolum ſingularem & vnicum principantem, cui nullus ſociatur, non plus fortè quam ſi per impoſſibile & ſecundum ipſum, ſed per poſſibile & verum ex poſitione fidei,Deus fuiſſet ab æterno ſine creatura. Hæc eſt altiſſima de Dei primitate ſententia philoſophi conſonans theologiæ per omnia immenſitatem & immutabilitatem primi entis magnificans & attollens.

Diſcipulus. Nonne latuit philoſophum Trinitas perſonarum diuinarum in vnitate ſubſtantiæ? quam ſi cognouiſſet, vtrum dixiſſet Deum ſolitarium vel ſolitariam in ſe gerere vitam, aut aperi quid theologica fides ex dictis inferret.

Magiſter. Fallit aut conturbat nonnullos habentes de diuinitate ſermonem,dum nitũtur phyſicas coaptare conſiderationes ex creaturis ſumptas,ad illa quæ Deo conueniunt, quæ plus in infinitum diſconueniunt creaturarum proprietatibus quam aſſimilentur eis. Exempli gratia. Ponimus fide docti generationem naturalem filij Dei de patre Deo, quærunt ſi generatio talis ſit vniuoca vel æquiuoca. Quodcumque dicatur, inſtantiæ plures occurrent. Expeditior via tenetur, quæ nec vniuocam dicit generationem nec æquiuocam. Eſt enim plus quam vniuoca, quæ generans communicat generato eandem quam habet naturam, nec dum ſpecificam prout in creaturis, ſed prorſus ipſam vnam, nec ſpecie, nec numero diſtinctam. Rurſus non eſt penitus ęquiuoca generatio ex iſta radice, quamuis habeat aliquod ſimile in hoc quod actus geniti eſt alius ſpecie ab actu generantis, quia filiatio non conuenit paternitati. Sed horum cum ſimilibus declaratio theologis remittatur. Ad rem noſtram venientes dicamus, quod vita Dei in ſe, nec ſolitaria, nec ſocialis taliter exiſtimanda eſt, qualiter rationalibus conuenit creaturis. Itaque ſi ſingularem diuinæ naturæ ſpectes vnitatem, nil minus ſociale vel gregale, nil plus ſolitarium vel ſegregatum & ſolum reperies. Si verò conuerteris oculos fide purgatos ad communicationem diuinæ eſſentiæ, quæ non in vno abſoluto ſuppoſito ſiſtit, ſed fluit (vt ita loquamur) pullulat aut germinat à patre ſecundum Dionyſium habens tria ſuppoſita relatiuè diſtincta, & hoc ex immenſitate bonitatis ſuæ. Nihil minus ſolum aut ſolitarium iudicabis. Sic loquitur Richardus,ſic alij theologi volentes deducere

A philoſophica ratione Trinitatem in diuinis ex immenſa bonitate quæ ipſius diffuſiua eſt, nedum punctualiter vt in creaturis, ſed immenſè. Tum ratione iocunditatis, quia nullius rei ſine ſocio iocunda eſt poſſeſſio. Tum ratione fœlicitatis, & ex talibus iudicijs ex quibus ſocietas ponatur in diuinis,ſic & Trinitas. Eſt tamen hæc ſocietas diſtans nimis à ſocietate creaturarum, quæ quantumlibet aſſociatè viuant, non efficiuntur, nec ſunt vnum per eſſentiam quamuis bene dicantur

B cor vnum & anima vna, vnus ſpiritus per gratiam & concordiam voluntatum. Colligas ex præmiſſis licet corollarium pulcherrimum de vita qualibet creaturæ rationalis vtendo deinceps rationali prout extenditur ad intellectuale, ſit hoc in Angelis,ſit in homine pro breuitate ſermonis.

Diſcipulus. Aſto cupidus audire ſi quid afferas noui. *Magiſter*. Audi & vide quod omnis vita creaturæ rationalis tanto perfectior eſt, quanto magis participauerit de vtraque diuina vita ſociali, ſcilicet & ſolitaria.

C *Diſcipulus*. Quomodo fiet iſtud, cum ſociale & ſolitarium contrarias habent rationes?

Magiſter. Animæ ſunt rationes contrariæ ſi reſpectus ad varias fiet. Alioquin vnica Dei vita non eſſet pariter ſocialis & ſolitaria, cuius appoſitum monſtrauimus, quam inſequi vitam, tota laus, tota gloria, tota perfectio iure putatur rationalis creaturæ. *Diſcipulus*. Quid concludere rurſus poſſis conijcio, ſed apertius ediſſere.

Magiſter. Poſt Chriſtum vita beatiſſimæ Mariæ

D fuit excellentiſſimè ſocialis ſolitaria dum viueret, & nunc ſocietatem Cherubin & Seraphin, omnémque Angelicam vitam exuperat glorioſa. Coniungitur vna ſola, perfecta pulchra, columba, amica, ſponſa, ſoror & mater, vnico ſponſo ſuo & filio, dicens ex ſententia; Dilectus meus mihi & ego illi. Inuenit eum quaſi foris ſuper omnem creaturam in æternitatis ſolitudine, in deſertis ſeculorum, quem deoſculatur toto cordis & oris affectu, dicens: Etiam me nemo deſpiciet. Ecce ſolitariam.

E *Diſcipulus*. Porrò de Ioanne quid diceres, quid de tot ſolitarijs in vita præſẽti tam viris quã fœminis, Maria Magdalenæ, Maria Ægyptiaca & ſincletice? Quid præterea de retinentibus vitam ſocialem? quid de mutua collatione duplicis huius vitæ, ſocialis & ſolitariæ? *Magiſter*. Dixi iam ſi retines nec grauat repetere quod omnis vita creaturæ rationalis ſit in via, ſit in patria, ſit ſocialis, ſit ſolitaria, perfectior eſt tanto, quanto magis particeps eſt diuinæ vitæ, quam ſupremè ſolita-

F riam deduximus & ſocialem ſuo modo.

Diſcipulus. Qua ratione fit hæc participatio?

Magiſter. Nempe per vnitatem gratiæ, quæ reddit deiformem eſſentiam creaturæ rationalis in ſe, & cũ Deo vnam facit, ſic & in multiplicitate potentiarum, aſſociatio virtutum theologicarum & moralium, cum donis & beatitudinis & fructibus & operationibus inde ſequentibus, & pulcherrimam intus ſocietatem conſtituentibus in viatoribus, ſed pulchrius & proportionabiliter excellentius in beatis. Longa eſſet ſed facilis adaptatio ad propria ſimul & appropriata diuinæ vnitatis & Trinitatis perſonarum reſpectu vni-

tatis

Digitized by Google

tatis eſſentiæ rationalis cum Trinitate potentiarum imaginis, necnon cum viribus ſibi inſitis per naturam (vt ita fas ſit dicere) ſupernaturalem. Vetus eſt diſtinctio de natura naturante quæ eſt Deus, & de natura naturata quam indidit creaturis. *Diſcipulus.* Conſentio quæ loqueris de vita bonorum, ſed reproborum vitam qualem dicis, ſolitariam an ſocialem? *Magiſter.* Ego verò neque ſolitariam neque ſocialem appellabo, vtpote quæ vita non eſt, ſed mors horrida, monſtrum horrendum peccator ingens eſt; qui ſecum diſſidet, qui conuenit nulli, qui diſſipatur & ſoluitur curis & ſceleribus; facinoribus & flagitijs inceſſanter, ſine modo, ſine ordine, ſine pondere menſura ve ſubſiſtens, ſe odit, in ſe ſæuit, malus omnibus, peſſimus ſibi, & eò infœlicius quò deterioribus peccatis fuerit obnoxius, à primo peccatore vſque ad vltimum.

Diſcipulus. Terribile eſt quod loqueris, ſolitariam habent vitam, quos opera comitantur & rodunt, neque ſociales appellandi ſunt, qui nec ſibimet fœderantur agitati præcipites, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Magiſter. At verò vulgus indoctum veritates iſtas ex abditis philoſophiæ & theologiæ penetralibus erutas fortè non capiet, fortè tanta mala quæ tolerat pacem appellabit, ſi ad tempus gaudeat de impunitate nequitiæ, ſi abundat diuitijs, ſi voluptatibus effluat, maximè ſi ſibi fuerint filij ſicut nouellæ plantationes à iuuentute ſua, ſi filiæ compoſitæ & circumornatæ vt ſimilitudo templi, ſi promptuaria eorum plena, ſi oues fœtoſæ, ſi boues craſſæ, ſi neque ruina, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum, Si blandos denique ſenſerint amicos dicentes: Beatum populum cui hæc ſunt. Sed heu popule meus, conqueritur propheta dicens, qui beatum te dicunt ipſi te decipiunt. Ratio, quia ſolus beatus populus, cuius dominus Deus eius, qui ſolus eſt in deſolatione potens adiutor, in aſſociando fidelis comitator.

Diſcipulus. Expedit ergo loqui familiarius de vita ſolitaria conformiter ad acceptionem vulgarium, tunc enim eò fiet vtilior quò communior ſermo multis. *Magiſter.* Rectè cenſes. Sapiẽtibus enim & inſipientibus debitores ſumus. Fiet autem lucidius ſi per diſtinctiones & definitiones habeatur reſolutio, conſequenter ad primam vitæ ſolitariæ definitionem generalem, quæ Deo ſimul conuenit, Angelis & hominibus ſuo modo. Loquimur præterea de viatoribus ſolis hominibus, quos docere moneréque iam poſſumus. Et quoniam ſolitarium diſtinguitur contra ſociale non ſecundum rem, ſed ſecũdum formalem rationem, prius eſt videre quot modis aliquid dicatur ſociale non qualitercúmque, ſed in vita humana ſeu morali. Attende quot in genere vel ſpecie, talis vitæ ſocialis modos inuenies.

Diſcipulus. Philoſopus duas primò ſocietates ponit, œconomicam & politicam. Politica verò multiplex eſt. Vna ciuitatis perfectę. Altera patriæ magnæ ſeu prouinciæ. Deinde politias bonas diſtinguit, in regnum, ariſtocratiã & thimocratiam. Politia verò ſacerdotum (quæ dudum druydes in Gallia vocabatur) determinat patrem eſſe politiæ cuiuſlibet perfectè ſicut & milites & populum.

Magiſter. Sufficit iſta notaſſe ad inueniendum diſtinctionem vitæ ſolitariæ multiplicem, ne nos A decipiat ambiguitas in nomine. Porrò ne progreſſus eat in immenſum coarctabitur ſub tetrade ſeu quaternario. Et dicemus quod eſt vita ſolitaria, primò celibalis, ſecundò monachalis, tertiò eremiticalis, quartò ſapientialis. Vita celibalis eſt vita creaturæ rationalis, abdicans à ſe ſocietatem coniugalem propter Deum vt liberius ei ſeruiatur in continentia corporali aliter quam œconomica ſocietas. Vita monachalis vltra celibalem abdicat à ſe appropriationem rerum perſonalium & propriam voluntatem propter Deum in pœnitentia B ſalutari, aliter quam politica ciuilitas. Vita eremicalis vltra monachalem abdicat à ſe ſocietatem humanam ſecundum loca & tempora propter Deum, in abſtinentia ſingulari aliter quam monachalis vel ciuilis ſocietas. Vita ſolitaria ſapientialis reperitur in quolibet ſeu ſub quolibet genere vitæ ſolitariæ triplicis ſcriptæ. Et eſt vita abdicans à ſe quantum fert humana mortalitas, quicquid obſtare poteſt ſapientiæ contemplandæ propter Deum & experientiæ ſaporali, aut perfectius quam ſentiat aut ſapiat quæuis humana communitas. C Ecce quadruplicem vitam ſolitariam quæ quadruplici opponitur vitæ ſociali ſecundum rationes formales aut obiectales ſumptas ex proximis finibus & differentijs accidentalibus. Et prima eſt appropriata ſacerdotij vel ordinis ſacri, quamuis alij ſunt celibes quam ſacerdotes vel ordinis ſacri profeſſores, ſed non ad ſacra deputati myſteria. Secunda vita eſt monaſterij vel cœnobij vel clauſtri, & hominum ſub triplici voto viuentium. Tertia D eſt eremi vel deſerti & hominum loco ſegregrato ſe continentium propter Deum. Quarta vita eſt ſtudij, non qualiſcumque, ſed diuinæ ſapientiæ. Et iſta eſt hominum apud ſemetipſos contemplantium, curis omnibus alijs poſtpoſitis & calcatis vel reuerenter omiſſis, quod additur propter iſtos qui regularibus aſtricti diſciplinis, licentiam accipiunt legitimam quod non exerceantur in illis, ſed vacent otio ſancto ſapientiæ contemplandæ. Nota in pſalm. tres ſub tribus auibus ſolitudines. Similes inquit, factus ſum pellicano ſolitu- E dinis, hæc eſt appropriatior eremitis. Et factus ſum ſicut nycticorax in domicilio, hæc cœnobitis vel monachis. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto, hæc pro contemplatiuis, quaſi ſuper tectum in ciuitatibus ſibimet vacantibus.

Diſcipulus. Multi paſſi inueniuntur traditiones de triplici vita, prima quæ ſolitaria dicitur non ſimpliciter, ſed per reſpectum ad ſocietatem oppoſitam. Clericos enim celibes ſcimus quotidie publicè conuerſantes, carent tamen œconomica F ſocietate & illo conſortio quod ab initio conſtituit Deus, dicens: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, quod conſortium Chriſtus in noua lege temperauit non penitus abdicans ab hominibus, ſed præferens caſtitatem illorum qui ſunt eunuchi propter regnum Dei. Qui poteſt capere, capiat. Vita talium celibum hac ratione dicitur ſolitaria, deinde plus monachorum. Deinde ſpecialibus eremitarum vel anachoritarum. Nunc de quarta vita ſolitaria cuius nomen non ita reſonat in vſu vulgari, colloqui in dies deſidero. Et primò quis ſit finis eius ſpecialis & proximus.

Digitized by Google

Magiſter. Finis qui generalis eſt de iure vel facto cuilibet homini ſcilicet vniri Deo per gratiam & A virtutes, iſte eſt homini contemplatiuo ſpecialis & proximus, nec aliter omnino ſibi præſtituit. Non vult beneficiorum curis intendere, non regimini etiam ſpiritali populorum, vt ſacerdotes, prælati, non vult officium clauſtrale (ſi fas habeat) inſequi, non vult in auſteritate eremi ſeipſum concludere, ſed temperanter vti cibo & ſomno & obſequio tolerabili vnius vel paucorum, vult ſufficientiam habere librorum, ad intelligentiam ſapientiæ valentium, vult aliquando ſe B rariſſimè collationem diſputationis habere cum ſcholaſticis, quorum vita ſocialis eſt, non hoc modo ſolitaria, nec penitus tali fine. Laborant igitur multi vt intelligant & diſputent de ſapore verò guſtare, vel negligunt vel nequeunt, diſtenti curis alijs, aut paſſionibus ſenſualibus impediti.

Diſcipulus. Manifeſtius iſta patebunt ſi exempla narraueris. *Magiſter.* Narrabo ſed primitus explicabo finem otioſi noſtri vel ſapientiæ ſtudioſi. Ita enim magis hoc nomine quam ſolitarij vocandus apparet. Studet alternatim velut æquè C primò, nunc intelligere quem credit fide nunc ſapere ea vel ſaporare per affectum quæ credit aut intelligit. Hic eſt enim duplex oculus contemplationis ſe mutuò iuuans & conſequens, & hoc ſecundum duplicem vim rationis ſuperioris, in qua duplex pars creatæ conſiſtit imaginis beatæ Trinitatis. Intellectus, ſcilicet & affectus, ſiue ratio & voluntas, ſiue intelligentia veri ſummi boni, & ſynderesis prout dicitur ſcintilla tendens in amorem primi boni. Cæterum poſt hunc finem duplicem vnus eſt poſſe interpretari, quæ D ſentit & intelligit quantum licet eloqui. Multa quippe ſunt arcana intus verba quæ non licet homini extra loqui. Subinde quartus finis eſt in promptitudine animi, non ſemper in operis executione, Eccleſiam ædificare & illuminare in toto vel in parte ex his & per illa quæ contemplatus eſt ſapienter. Nunc accipe primum exemplum & præcipuum poſt Chriſtum ſapientiſſimæ mulierum. Legis itaque de Maria quod conſeruabat omnia verba quæ de Chriſto erant conferens in E corde ſuo. Ecce duplicem primum finem, intelligendæ ſapientiæ, & aſſiduè meditandæ in corde ſuo, quod intelligitur ſuperior pars rationis vel arx mentis. Vocat enim ſapientia ad arcem & ad menſam. Verba nempe ſapientiæ dulciora ſunt ſuper mel & fauum. Ita ſi fauus maſticatus dente meditationis rumpatur & effluat in os non infectæ mentis. Porrò duplex alter finis qui eſt interpretari poſſe contemplata, & Eccleſiam illuminare nonne cognoſcitur in Maria fuiſſe ſecundum doctores, quando reuelauit Apoſtolis & F Euangeliſtis ea quæ de filio ſuo Chriſto erant, quantum & quouſque licuit ei loqui, & audire decuit alios vel expediuit. Non hoc ignorabas ô Ignaci feruenter ignite, cuius amor erat, te dicente, crucifixus. Etenim ſcripſiſti Mariæ chriſtiferæ. Venire inquit, debueras viſitare neophytos, vt ex te & per te & in te confirmentur. Cui benignè Maria humilis ancilla reſcripſit ſe cum Ioanne ventura.

Diſcipulus. Congratulor in exemplo, ſed ſcripta ſapientiæ ſuæ debuerat (vt videtur) poſteritati relinquere. *Magiſter.* Nequaquam. Intelligebat etiam tunc modeſtiſſima fœminarum id quod Apoſtolus poſtea ſanxit doctrinam publicam non eſſe fœminei ſexus officium, præſertim regulare. Confundit exemplo ſuo garrulitatem arrogantem nonnullarum quas in ſpiritu futuras aſpiciebat fœminarum. Intelligebat præterea cauſam in filio ſuo Chriſto alteram, qui ſuam noluit per calamum & attramentum ſcribere legem ſecundum deductionem Auguſtini de conſenſu euangeliſtarum, circa principium. Scripſit eam ſufficienter, & adhuc quotidie ſcribit in cordibus fidelium. Quod euenturum Hieremias prophetauit: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum, ſcribam eam.

Diſcipulus. De doctrinis fœminarum quæſiui latius crebrò faciliterque falluntur in viſionibus capitis ſui, & perfectò ſcienter & ſubdolè quandóque fallunt & fingunt. Loquor expertus de multis. Quamobrem, his omiſſis dic de viris quos exuperauit Maria mater illa mirabilis fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſerens. Nam plus quam mulier hæc, parum eſt, plus quam vir, hoc modicum eſt, plus quam Angelus omnis, propemodum ſatis eſt. *Magiſter.* Poſſem tibi numerare tam Apoſtolos quam Apoſtolicos viros ipſis contemporaneos, niſi quod ſapientiam magis acceperunt per reuelationē quam per ſcripturarum meditationē, teſte Hieronymo. Sunt affines propoſito noſtro, Auguſtinus paulopoſt conuerſionem ſuam ſegregatus habitans, & quid ageret oſtendunt ſoliloquia ſua & liber confeſſionis, cum multis, Gregorius inſuper monachus primò ſummus Epiſcopus. Pręterea ſanct⁹ Bernardus, Hugo, Richardus contemporanei. In quorum doctrinis quid ſit intelligentia ſcripturarum, quid contemplatio relucet ſimul, & qualis fuerit vita taliter cōtemplantium & ſentientium de domino in bonitate & ſimplicitate & ſuauitate ſpiritus ſatis liquet.

Diſcipulus. Nominas illos qui monaſticæ fuerunt vitæ, ſicut & Beda & Baſilius & Thomas & dominus Bonauentura, quos ſubticere non oportuit. *Magiſter.* Nonne dixi tibi quod nulla ſpecies vitæ ſecludit homines quin habito moderamine poſſint vti vita hac otioſa & ſtudioſa, vel in toto vel ad tempus, ſi aliunde fuerint idonei ad intelligentiam & contemplationem ſcripturarum, maximè poſt edomitam furiam paſſionum.

Diſcipulus. Quale moderamen intelligis?

Magiſter. Vacationem de qua Hieronymus. Vacate & videte ſit animus liber oportet, ſint ſenſus intus & extra quietiſſimi neceſſe eſt, ſi guſtando viuere, & viuendo ſtare volumus, quoniam ſuauis eſt dominus. Cæterum, qualia ſint tantæ tranquillitatis impedimenta, nouerunt qui ad contemplatiuam vitam tradere ſe ſatagunt, monſtrat experientia de plurimis de quibus radicales cauſas phyſica ſeu medicinalis dat doctrina & ſublimius aperit theologiæ myſticæ diſciplina. Putas officiarent doctores prænominati circa temporalia vel etiam ſpiritualia, monaſteriorum exercitia continua? Putato melius quod ſedebant ad pedes Ieſu, audientes verbum illius in ſcripturis. Sedebant ſolitarij & tacebant ſine cantu vel voce carnis, dum cantabant domino in cordibus ſuis, dum inhiabant in ſuperna fluenta

Digitized by Google

fluenta fontis vitæ, dum in otio ſuo ſine negotio laborabant & negociabantur pro ſe & poſteris in intelligentia ſapientiæ ſalutaris. Aptabatur illis verbum Scipionis? Nunquam minus ſolus quam cum ſolus, vt qui poterant apertis oculis ac pedibus mentis expeditis inſerere ſe toti mundo, præteritorum, præſentium atque futurorum, tam eorum quæ videntur quam eorum quæ non videntur qualia ſunt ſpiritualia. Ceſſerunt ob hoc nonnulli paſtorali curæ habitæ. Alij oblatam ſuſcipere noluerunt vtentes parabolica ſimilitudine de lignis conſtituere volentibus ſibi regem, quibus aſſenſit Rhannus, non oliua, non ficus, non vitis, contentæ dulcedine fructus ſui. *Diſcipulus.* Habet multam conquiſitionem ſi prelationis ſtatus in vita actiua ſit perfectioris eminentioriſque meriti, quam ſolitariorum contemplatorum vita. Qua ſuper re Chryſoſtomus ad Baſilium dialogizans præfert abſque dubitatione præſulatum, *Magiſter.* Nolumus ad preſens iſtam ſubintrare litem, vtraque vita certè contemplatiua & actiua pulchra eſt, vtraque meritoria, vtraque Dei donum, vtraque diſtributio ſpiritusſancti, vtrumque neceſſarium eſt myſtici corporis ornamentum & membrum. Legatur elegantiſſima ſimilitudinis iſtius deductio per apoſtolum ad Romanos atque Corinthios introducta, quam nec Ariſtoteles nec Plutarchus ſiluerunt. Contemplatiuum te conſtituit Deus, noli altum ſapere, ſed time. Vide ne caſus hinc grauior fiat quò mens altius fuerit eleuata, gemens illud: Et eleuans alliſiſti me. Caue ne montem aſcendere coneris, vnde tanquam fulgur videbat Chriſtus ſathanam de cœlo cadentem. Si conſtitutus es in lecto contemplationis otioſæ, ſi myſteria noueris omnia, ſi poſueris in cœlo nidum tuum, ſi caput nubes tetigerit tu ad vnum flatum ſuperbiæ reprobus à charitate factus detraheris in abyſſum, & tanquam ſterquilinium in fine perderis, quando ille arctiuus iudicio tuo mundanus totus per difficiles diſtractus actiones, mordacibus attritus curis cœleſtia, nec intelligens nec ſapiens ſuſcipietur humiliatus in cœlum, agente miſericordia illius qui ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus & ſolium gloriæ teneat. Ambulet vnuſquiſque vocatione qua vocatus eſt in timore & tremore. Nemo iudicet alienum ſeruum pro quo Chriſtus mortuus eſt. Suo domino ſtat aut cadit, liberatus es à cura ſecularium actionum, non incumbit tibi regimen per auxilium proximorum tibi tuæque ſaluti vacare conceſſum eſt. Vaca igitur gratus Deo. Laborantes ipſos iuua precibus aſſiduis, memineris iudiciorum Dei terribilium ſuper filios hominum, qui quorum vult miſeretur. Clemens inquit, ero in quem mihi placuerit.

Denique pro concluſo tene, quod qui fuerit humilior ac vilior in oculis ſuis apud Deum reſpiciet illũ propicius & miſericors Deus, qui per os loquitur prophetæ. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. *Diſcipulus.* Nonne maledictus qui partem ſuam facit deteriorem. Cur non igitur quilibet aptus ſedere ad pedes Ieſu, & audire A verba eius in otio cum Maria partem optimam (iudice Chriſto Ieſu) ſibi quærit? Cur non implebit hortationem ſapientis, præcurre prior in domum tuam, & illuc aduoca te, & illuc lude, age conceptiones tuas. Et iterum: Fili in paucis ſint actus tui, & in tempore otij ſcribe ſapientiam, cuius conuerſatio non habet amaritudinem, cuius aſpectus pulchrior eſt ſuper ſolem, cuius amore Ioannes puer allectus confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis. *Magiſter.* Attende quid ſequitur vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël. B Itaque non licet hominem ſæpe eſſe vt vult. Spiritus vbi vult, ſpirat, diſtribuens ſtatus, ordines & gradus, non prout homo, ſed prout ipſe vult. Erat Ioannes in deſerto, ſed non niſi quouſque voluit Deus ipſum oſtendere in Iſraël & prædicare, & prædicando ſubire martyrium. Etherius ſpecu clauſus, vinculatus in archipræſulem Lugdunenſem raptus fuit. Alij inſtiterunt è contra ſeculi curis quos depulit ſpiritus. Attende iſtum ſecundum Heliſæum prius arantem iuſtum, poſt C archiepiſcopum Lugdunenſem. Sic igitur hominum vitæ mirabilis eſt nunc actiuæ, nunc ſolitariæ mutatio dextræ excelſi. Multos ſaluauit Deus medijs in fluctibus negotiorum, qui litus otij tenentes naufragaſſent. *Diſcipul.* Et nihilominus ex duobus bonis nonne fas eſt apud homines deliberare quod melius, ſaltem de genere operis in ſe quidquid ſit de circũſtantiarum omnium qualitate? *Magiſter.* Vtique fas eſt vt in omnibus honorificetur Deus vtique per cognitionem muneris gratia cognoſcatur & magnificetur autor. Sic D egit pulcherrima mulierum, magno ſpiritu videns vltima. Ecce inquit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Et quo fecerit medio iunxit: Et ſanctum nomen eius, ſuppleri poteſt: Et ad verbum iſtud fecit retorqueri virgo enim fide qua nomen eſt Dei ſanctum concepit ſanctum ſanctorum. *Diſcipulus.* Laudes igitur vel paucas numera vitæ ſolitariæ, qualis eſſe debeat in profitentibus eam, ſit in eremo, ſit in domicilio, ſit E in tecto ſeu ſtudio: qua ſcilicet Dei gratuita pietas in electos, iuſta ſeueritas in reprobos ſolitarios, tali collaudatione monſtretur velut in pictura vel ſpeculo. Scitum eſt illud Auguſtini. In eremo bene viuere eſt ſumma laudatio, & malè, ſumma damnatio. Bene viuens glorietur in domino, Malè, verecumdetur & conuertatur in animo, ne dum vitam ſolitariam extollat præconijs quibus caret audiat à domino. Ex ore tuo te iudico ſerue nequam. *Magiſter.* Fedus pictor vt ſpecioſiſſimam vitæ ſolitariæ pingat imaginem F ſuades. Facia hoc non noſtra turpitudo, ſed proprius eius ſermo frequenter à Maria comtemplatus.

TERTIA PARS COLLAVDATIVA VITÆ SOLITARIÆ.

EGo illa ſum vita ſolitaria quæ de terrenis hominibus cœleſtes, de carnalibus ſpiritales conſtituto. Ego diſperſiones Iſraëlis congregabo, propter quas Dei filius ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, deſcendit in aulam ſecretam & clauſam vteri virginalis. Concluſeram in oratorio cubiculi matrem eius ſolitariam quando ſalutata eſt ab angelo, quando reſpondens: Fiat mihi ſecundum verbum tuum, concepit mox æternum verbum caro factum. Nouum tunc fecit dominus vt mulier circundaret virum, cuius nomen erat oriens, qui verè eſt Deus abſconditus, quem ab æterno continebat ſinus patris illius qui ſolus eſt & alium non habet, cui ſoli honor & gloria per deſerta ſpacioſaque ſeculorum. Ego iſta ſum vita ſolitaria per quam omnia facta ſunt, & in qua omne quod factum eſt nihilominus vita erat, ſed non altera & altera vita. Ego vitam iſtam dum caro facta eſt, feci ſeorſum à turbis pernoctare pluries ſolum in oratione Dei. Multiplicauit in ſolitudine panes, ſuperauit in deſerto diabolum ſolus cum feris habitans & ieiunans, nihilominus comites fuerunt angeli miniſtrantes dum humano carebat conſortio. Dum transfigurationis oſtendit gloriam ſeorſum tres tantummodo duxit in montem, vbi tandem leuantes oculos neminem viderunt niſi ſolum Ieſum, quoniam à contemplatiuis ſola ſalus per omne quod inſpiciunt cogitatur. Solus & auulſus à ſecretiſſimis etiam apoſtolis ter orauit patrem, & factus in agonia prolixius quando ſudauit rorem ſanguineum, quando apparuit illi angelus de cœlo confortans eum non auxilij neceſſitate, ſed diſpenſatione myſterij. Quis dedit puero Ioanni locum amplum in ſolitudine? quis aluit in deſertis? quis ſolitarium confortauit? quis myſterium baptiſmatis ſibi reuelauit & diſpoſuit? Aderam ego cuncta diſponens. Carebat illic puer Ioannes ſolatio nutricis & parentum non ſedebat ſuper ollas carnium vino non æſtuabat, non veſtiebatur mollibus, vxorem non habebat. Aderam ſibi pro omnibus & per omnia ad ſolatium, victum, veſtem precioſam. Denique qualem quæſiuit ſapiens aſſumere ſibi, copulaui ſapientiam & myſticam Abyſac ſponſam Sunamitem (quæ incendium patris ſonat) in ſinu repoſui. Porrò quid de primo illo formato Adam dictura ſum, qui tam diu ſaluus manſit quam diu ſolus: Data fuit mulier in auxilium mox iſtum detruſit in exilium. Raptus eſt Enoch, in ſolitudine paradiſi terreſtris, ne malicia immutaret & ſubuerteret cor ipſius. Placita enim erat Deo anima illius. Propterea properauit eum deducere de medio iniquitatum. Sedebat Abraham ſolus ſubter ilicem Mambræ, quando tres vidit & vnum adorauit. Poſtmodum gradiens ſolus audiuit ab eis myſteria. Solus erat dum ritum circunciſionis accepit à domino. Vidit angelum in ſolitudine Agar ancilla, quæ de puteo viſionis refocillauit puerum morientem.

Iacob ſolus primò vidit ſcalam cum angelis deſcendentibus & aſcendentibus & typum domus Dei. Solus cum angelo luctatur & meretur benedici, meretur nomine nouo, quaſi mutatus in virum alterum inſigniri.

Moyſes iſte magnus legiſlator didicit in ſolitudine viſionem magnam rubi ardentis, patrationem miraculorum accepit, populi liberator & Deus Pharaonis inſtituitur. Poſtmodum ſolus cum ſolo Deo vocatus ab eo, de medio caliginis loquens ſicut amicus ad amicum, tabulas legis accepit.

Deerant panes in deſerto, arida erant omnia. Ego verò non defui manna pluens de cœlo, & aquas producens de ſaxo duriſſimo. Poſtremò aggregaui mihi prophetas & filios prophetarum non ſine mirabilibus multis, quorum vitam præſertim Helyæ imitatus puer noſter Ioannes, erat in deſertis ſæpe confortatus ſpiritu non minus quam Helias. Nunc circunductis vſquequaque oculis, video turbam magnam ſolitariorum turbam fugientem. Paulus ſub palma concluſus paſcitur eius fructu, folijſque veſtibus, bibit de fonticulo caua manu. Viſitat ipſum protinus migraturum magnus ille ſolitarius Antonius, cuius elogium eſt non poſſe extra ſolitudinem Monachum viuere, non magis quam in arido piſces.

Migrat Arſenius in eremum ab angelico iuſſu dicente ſibi: Arſeni fuge homines & tace, & ſaluaberis. Multos huiuſmodi contemnentes multitudinem ciuitatem quaſi onagri liberi, ruptis vinculis vitiorum, nec clamorem exactorum audientes, oſtendunt ipſæ narrationes quas appellant vitas patrum. Sed ô bone Ieſu quam minimam loquuntur meorum filiorum portionem, quos recepi, quos alui, quos ſalubriter inſtitui; ad beatorum omnium ſocietatem recto calle perduxi; dicente mihi ſapientia quam dilexi: Tu chara mihi imprimis. O vita ſoror ſolitaria, tu ſuſcipias velim vnamquamque animarum ad te, quæ diligit, me quærit, me colit, ad me vigilat ſine fictione. Habito ſiquidem in ocio ſancto, & eruditis interſum cogitationibus. Fugio fictum, fugio ſeculariter occupatum. Nam quæ mihi ſocietas cum ſeculo, quæ paruulis me reuelo, non diſperſis mente cordis ſui. Eſurientes implebo bonis, quibus appono menſam lautiſſimam, procul eiectis & dimiſſis diuitibus.

Suſcipe igitur pauperculam animam quæ me ſitit, me eſurit. Duc eam tecum in ſolitudinem, illic loquere ad cor eius, ibidem lacta eam & inebria ab vberibus conſolationis tuæ, quoniam meliora ſunt vbera tua vino terrenæ delectationis in comeſſationibus turbulentis. Si autem ambulat in magnis, ſi in mirabilibus ſuper ſe, ſi non humiliter ſentit, ſi per puericiam innocentiæ, modo vt puer Ioannes in deſertis, ſit vt puer Iſraël videns Deum, quem ipſe ſuſcepit recordatus miſericordiæ ſuæ, ſit talis anima ſicut ablactata ſuper matre ſua, egrediatur & abeat, quoniam ignorat ſe, paſcat hædos ſuos fœtidorum affectuum iuxta tabernacula paſtorum mundanorum. Eſuriat ſiliquas porcorum in regione longinqua egeſtatis, nec ſit qui det vnde venter ſuus, impleatur, ſi ſe magnum iam aliquid exiſtimat quo Deus indigeat ad paſcendum oues paſcuæ ſuæ, prorumpat ad

auxiliandum

auxiliandum omnipotentem eo non trahente. Si propterea quærat exitum ſolitudinis, vel horreat introitum, eijce procul inutilem cum hac arrogantia ſcilicet quæ neque ſalutem ſibi, neque iocunditatem allatura eſt tibi, ſale nimirum prope deterius eſt infatuato per defectum.

Atvero ſi te quærat, te complexetur in ſimplicitate cordis, ſis ei paradiſus in benedictionibus, ſis hortus concluſus, ſis fons ſignatus, cuius non deficient aquæ, ſed ſit ei deſertum in ſtagna aquarum ſalientium in vitam æternam. Oſtende ei faciem tuam, quæ intrinſecus latet ſub pallore & ſqualore tribulationis corporalis. Sonet vox dulcis tua in auribus eius & dic: Ego ſum illa contemplationis mater proximior Deo, viſu perſpicacior, venuſtate pulchrior, ſecurior, ſedatior, ſuauior, permanentior, deuotior, familiarior, verior, precioſior, diuinior, finalior, & ideo perfectior, amantior & amatior, ſimplicior, intimior, purgatior, clarior, timoratior, humilior, obſequentior, citius impetrans plus eſſentialiter mœrens, fœcundius prolificans, cuius ad extremum finis totus & aſſiduus eſt magnificare Deum. *Diſcipulus*. Iocundæ ſunt laudes iſtæ, ſed habet dubitationem iſta laudis particula ſcilicet quod vita ſolitaria ſit plus eſſentialiter mœrens, fœcundiuſque, prolificans. Quomodo fiet iſtud, vt qui ſolus eſt, ſit in prole fœcundior, formoſior eſt Rachel, nunquid Lya fœcundior? *Magiſter*. Sunt merita quædam, ſunt & prolificationes, quas dicere poſſumus accidentales, ſic enim habet diſtinctio theologica de duplici præmio, vocat vnum eſſentiale, accidentale alterum. Radix meritorum cum ſuis prolificationibus & præmijs conſiſtit eſſentialiter in charitate, quæ quantitate merito dat & præmia eſſentialiter iuxta ſui magnitudinem. Porrò ſunt exteriora opera quibus ex multitudine & vtilitate prouenientes circa proximos accreſcunt ſæpe prouentus ſpiritales ex orationibus & benefactis aliorum, quo fit vt euangelica pauper vidua, quamuis plus omnibus miſerit in gazophilacium dans minuta duo. Magna tamen exterior largitio cum minori charitate poteſt ſibi facere amicos, poteſt peccata redimere. Iuxta illud: Redemptio hominis propriæ diuitiæ, ſed in comparatione æternorum talia non magna ſunt. Eſt expreſſum verbum Gregorij cui ratio theologica ſuffragatur, quod contemplatiua maioris eſt meriti. *Diſcipulus*. Compeſcuit obiectionem meam tua diſtinctio de duplici merito. Sed alia ſuboritur. Quare Ioannes Baptiſta optima parte dimiſſa quam contemplando tenebat in deſerto, ad ſeculum venit ad prædicandum ſimul & baptizandum, immo & Herodem arguebat adulterum. *Magiſter*. Obedientia ſic impulit, qua ſpreta contemplatio ſolitudinis noxia eſt, non meritoria. Contemplata es frequenter idipſum conferens in corde tuo ô ſapientiſſima fœminarum. Placuit in deſerto Ioanni quamdiu ſibi licuit habitare ſolitarium. Placuit & obediendo illi qui ſe miſit baptizare ſeu viſibili forma fecit hoc vt probabile eſt, ſeu ſecreto ſanctiſpiritus afflatu perdoctus eſt. Conquiſiuit in eremo virtutes quæ directionem ſibi conferrent in ſeculo. Sobrietatem in victu, auſteritatem in veſtitu, lucem ſimul & ardorem A in affatu & effectu. Erat enim lucerna ardens & lucens. Erat ſtabilis, non vt arundo agitata vento. Erat in prædicando diſcretus, varians præcepta pro qualitate dicendorum. Erat regula viuendi cæteris quoniam prius inceperat à ſe, non imponebat onera grauia pœnitentiæ, quæ prius ipſe non tuliſſet ſuper ſe, non docebat ſeu loquebatur ex proprijs, quoniam qui loquitur ex proprijs mendax eſt. Sed quæ lucidius explicuit in viſione columbæ ſignantis ſpiritum-ſanctum in voce paterna de nube ad filium.

B Primus viam ſtrauit pœnitentiæ, non pro temporali aliquo, ſed æterno cœlorum regno.

Prima vox quæ de Chriſti verbis colligitur ex euangelijs poſt illam dum puer inuentus in templo dixit: Quid eſt quod me quærebatis fuit ad Ioannem ad quem baptizaturus aduenerat, dum prohiberet eum Ioannes. Sine inquit, modò, ſic nos decet implere omnem iuſticiam. Et quid omnis iuſticia, ſi non humilitas inferiori ſe ſubijciens, ſicut è contrario omnis iniuſticia ſuperbia C eſt ſuperiori ſe præferens. *Diſcipulus*. Eſt ne putandum quod beatiſſima virgo viſitauerit vnquam in deſertis cognatum Ioannem & filiolum quodammodo ſuum, tam in vtero dum ſanctificatus eſt, quam poſt vterum dum natus & circunciſus eſt? *Magiſter*. Viſitaſſe eum cum Ieſu ſimul & Ioſeph piè credi poteſt, dum in deſertis ieiunauit Chriſtus poſt baptiſmum. Quod ſi Ieſum ſathan eſt auſus aggredi diuerſis tentationibus, non eſt incredibile Ioannem eius impulſi- D bus exortem non tranſiſſe, quatenus probatus vinceret & vincens coronam acquireret.

Attamen (vt aſpicis) diuturna nos locutio traxit ad veſperum, dum ſuper Mariæ contemplationibus cœperamus habere ſermonem, & vix pauciſſimas numeraſſe ſuffecimus. Quid exiſtimas ſi per totum euangelicum contextum ſecundum capitula vel rubricas notatas in quatuor, vt vnum progredi ſtuderemus. Eſſet iſta ſancta & ſalubris, recogitatio ſed pro ſua infinitate minus forte conueniens ad ſcribendum. Non E ſunt itaque ſolitarijs & contemplantibus explicandæ contemplationes Mariæ per ſingula. Mittant ipſi manum ad fortia, habent abundè quas ruminent dente meditationis, digerántque ruminata viuido calore charitatis, ſi non contempſerint ea quæ locutus eſt dominus ad Abraham patrem noſtrum, & ſemini eius quod eſt Chriſtus in ſecula. Amen.

F TRACTATVS DVODECIMVS IN PERSONA MARIÆ PER SOLI*loquium ſummatim colligens ſenſum huius cantici canticorum Mariæ per notulas centum, quaſi per pſalterium decies decachordum. Superadditis his duobus verſiculis ab eccleſia frequentatis in quolibet pſalmo: Gloria patri & filio. Sicut erat &c.*

Digitized by Google

PRIMA NOTVLA.

MAGNIFICAT *animā mea Dominum.* Iuſtè quidem, quia magnificus eſt in ſanctitate. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, quia ſanctum nomen eius. Et exultauit ſpiritus meus in Deo qui factus eſt ſalutaris meus Ieſus meus quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Singularia ſunt hæc mihi magnifica, vnde ſingulariter magnificat anima mea Dominum, vnde exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Sunt alia quæ magnificè fecit & operatur vſque modò generaliter per decurſus ſeculorum magnus ipſe Dominus & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis, cuius ſapientiæ non eſt numerus, cuius non eſt terminus in bonitate, quoniam miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Quia depoſuit potentes de ſede & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſecula.

Sub hoc verſuum denario meum conſtituitur pſalterij decachordum placet imitari patrem meum, Dauid regem qui poſt necem Goliadis Domino victoriarum non ingratus: Deus inquit, canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi. Bonum ſanè eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime, in decachordo pſalterio cum cantico & cythara. Diuiditur hoc pſalterium in duos tomos ſeu partitiones, quæ ex tetrachordo & exachordo reddunt decachordum. Sonat magnifica Domini ſpecialia in tetrachordo, porrò magnifica communiter largita cantatur in hexachordo.

Magnificat igitur anima mea Dominum, quia me dominam conſtituit ſecundum nomen meū. Maria nempe ſua interpretatione dominam inſinuat. Futurum eſt præterea vt me dominam non qualemcunque, ſed dominam mundi, dominam beatam me dicent omnes generationes. Scitote quoniam dominus ipſe eſt Deus, Deus autem ſcientiarum dominus eſt, ſcientiæ verò inquam quæ illuminat, quæ deſcendit à patre luminum, propterea conſequens fuerit vt dominam me dominus inſtituens illuminaret ſecundum nomen ſanctum ſuum & meum. Maria quippe dicitur illuminata, & ipſe eſt lux qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quanto ampliori perfundit lumine dominam mundi. Proinde ſupereſt vt domina illuminata refundat lumen in cæteros. Eſt enim lumen ſui ipſius naturali liberalitate diffuſiuum, quod factum eſt vt iure dicerer illuminatrix. Sic enim ſonat Mariæ proprium nomen meum. Sic Maria per ethymologiam dicor maris ſtella quam illuminatricem eſſe conſtat. Hæc illa ſum quæ proxima Deo cardini totius machinæ mundi, dirigo nauigantes in ciuitatem, quoniam non habent hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirunt homines. A Et qui homines? Certè viatores procellis huius maris magni grauiter impulſi, fluctibus & cantibus inceſſanter impulſi. Futurum eſt per omnes generationes vt me ſtellam eſſe maris prædicent, me reſpiciant, curſus ſuos ad illuſtrationem meam dirigant. Nec fallentur hæc agentes, nec errabunt in deuijs, nec in periculis contabeſcent. Itaque domino propicio me dominam inuocantes, me illuminatam & illuminatricem aſpicientes patriæ portum ſalutarem introibunt. Hæc ſunt quæ magnificat, magnum prædicat, B magnum, eſſe apud omnes generationes clarificat & ſignificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, qui ſalutem fecit, qui lucem dedit & gaudium in vniuerſo mundo. Futurum certè eſt vt decantet omnis eccleſia ſanctorum colentium ſanctum nomen Dei. Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annunciauit in vniuerſo mundo. Salutabit etiam & dicet: Aue regina cœlorum, aue domina angelorum, aue radix ſancta, ex qua mundo lux eſt orta. C Præſignata ſunt pridem hæc magna quæ mihi fecit qui potens eſt, quæ iam nunciata eſt per angelum completa eſt conſeruo conferens in corde meo. Nonne cor meum ardens eſſe conuenit? Nonne cantans, iubilans & exultans in collatione tam magnorum? Nonne iuſtiſſima ratione magnificat anima mea dominum, qui me ſublimauit in dominam, qui me illuſtrauit per immenſam lucem ſuam qui dominam illuminatam dedit in lumen aliorum, dum D extulit me in ſublimen maris ſtellam directricem nauigantium. Cupient ex poſteris generationibus me beatam dicentibus plurimi cognoſcere, cur non cecinerim in prima perſona. Magnifico dominum, ſed in tertia. Magnificat anima mea dominum. Similiter de exultatione ſpiritus in Deo ſalutari meo? Docebuntur ex theologicis & philoſophicis traditionibus cum rhetoricis coloribus magnam ſuper iſtis rationem, ſed non expectent vt omnia (quia incomprehenſibilia ſunt) comprehendant. Sunt in humano E corde meo (quod confert de omnibus) tres per tropologiam manſiones. Dominum imitor patrem meum, in cuius domo manſiones multæ ſunt. Trahit enim propriè dominus nomen à domo, quia præſidens & princeps aut primus & œconomus in domo eſt. Domina quoque ſimiliter à domo, quia principalis cum domino nomen habet. O Iſraël, clamat propheta, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius. Gerit huius magnæ domus imaginem microcoſmus homo minor F mundus. Emittet in hac domo cor: & in corde domicilium tricameratum ſeu triclinium reperitur. Eſt inhabitator huius triclinij animus, hic appellatur vigor perceptiuus ſeu cognitiuus. Conſociatur huic anima quæ correſpondenter dicitur vis motiua vel affectiua.

Fit inde coniugium philoſophicum & morale ſeu myſticum, dū vigor perceptiuus animi vel animus dirigit vim motiuā animæ. Talis ſubinde reſultat maritalis nexus, vt neutrum iſtorum per ſe

ſufficiat

ſufficiat ad generationem prolis vel filiorum in bonis operibus & meritis, non aliter quam generatio naturalis, vel à viro ſeparatim vel à fœmina ſola perfici nequit. Excludo miraculum quale fecit mihi & in me qui potens eſt. Dum ſuperuenit in me ſpiritusſanctus, & virtus altiſſimi obumbrauit mihi, quin tunc primo Deus ſuſcepit Iſraël puerum ſuum recordatus miſericordię ſuę, dum verbum fuit caro factum. Habitant igitur in triclinio cordis animus & anima, vir & vxor ſua, vigor perceptiuus & vis motiua, vigor cognitiuus & vis actiua. Talem domum cordis, tales & inhabitantes in ea pater meus Dauid rex intellexerat, dicens: Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Et iterum: Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, quia tunc dominaretur omnis iniuſticia tunc fieret ſpelunca latronum domus Dei. Porrò nondum diximus de ſpiritu, nunquid putandus eſt in domo cordis intima locum non habere? Habet profectò non qualemcunque ſed vniuerſum, quo meretur architriclinus nominari quaſi princeps triclinij. Hic alio nomine notiori & proprio ſub neutro genere (quia nullius eſt generis) vocatur liberum arbitrium, penes quod ſuprema poteſtas eſt. Nec mirandum. Conueniunt nempe ad integritatem poteſtatis ſuæ animus & anima, vir & vxor familias, vigor perceptiuus, & vis affectiua. Viderunt hanc connexionem acutiſſimi Metaphyſici, nominum primi impoſitores, definierunt arbitrium eſſe facultatem rationis & voluntatis, quaſi per interpretationem liberum arbitrium ſit liberum de ratione iudiciū. Vocatur hic ipſa ratio (quamuis alio termino) vigor cognitiuus qui eſt animus perceptiuus. Voluntas autem eſt motiua vis in anima, quæ vtitur ratione quæ per eam in motibus proprijs dirigitur: ſi velit iure dici domina, ſi regina in cordis domo, & intimo regno magno principari. Regnum ſiquidem Dei intra nos eſt, vbi ſub Domino ſupremo Deo regnat ſpiritus per deiformitatem decorem indutus. Alioquin deponitur de ſede dignitatis ſuæ, & diſpergitur ſuperbus mente cordis ſui. Quo contra ſpiritus cum animo & anima bene regulatus & actus exultat in Deo ſalutari ſuo. Colligitur hoc loco reſultans imago & ſimilitudo beatiſſimæ Trinitatis & appropriatorum ſuorum. Spiritus architriclinus & æconomus potentiam patris & primæuitatem retinet. Porrò filij ſapientia relucet in vigore animi perceptiuo. Motiuitas verò ſancti ſpiritus in animi vi motiua præſentatur. Et quoniam in paucioribus via magis patet, conſtituamus totam domum microcoſmi ſeu minoris mundi in corde præſidentis in domo. Dicamus animum & animam virum & vxorem, ſponſum & ſponſam, quorum ſæpe vox eſt eadem, ſicut idem eſt non corpus, ſed anima & animus. Præficitur huic domui & vniuerſæ familiæ cogitationum, affectionum ſpiritus deiformis, vice ſanctiſpiritus factus idem cum eo. Nam qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. Et hæc emphatica, non eſſentialis locutio, qua fit vt abſtractum ponatur pro concreto, Deus pro diuino, & pro ſpirituali ſpiritus, vt fiat vehementior expreſſio. Supereſt ſermo de triplici modo coniugij myſtici quod celebratur cum animo & anima, iuxta triplex habitaculum in triclinio cordis

A domus cordis. Diuerſificatur nempe conditio animæ pro varietate habitaculorum cordis, vnum eſt infimum, aliud medium, tertium ſupremum. Anima tanquam ancilla eſt in infimo. Anima quaſi ſocia & libera & compar reſidet in medio, ſed anima in ſupremo locatæ non dominatur, non iungitur animus vir, ipſi ſic habitanti tanquam ancillæ vel compari, ſed vt dominæ ſuæ cuſtos ordinatus & in ſolatium datus. Ego Maria talis data ſum in ſponſam, virginali meo viro

B iuſto Ioſeph. Non vt me humiliaret, non vt parerem ex eo, ſed vt cuſtos & teſtis & nutritus ſedulus eſſet. Peperit Elizabet vxor libera, quamquam ſterilis ex viro Zacharia tanquam in medio cœnaculo. Peperunt ancillæ Iacob per myſteriū Baba & Zelpha, prolē in inferiori cœnaculo cum liberarum Lyæ & Rachel filijs numeratam. Loquens introducitur anima in cāticis canticorū dum reſidet in ſuperiori cœnaculo, dum vult eſſe verbigena non ex virili ſemine naturalis animi ſed myſtico ſpiramine ſolius ſpiritusſancti qui eſt ſpiri-

C tus verbi diuini. Vox eius eſt: Oſculetur me oſculo oris ſui. Et paulò poſt. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, non quærit infimum, non medium, ſed ſupremum, in meridie æternitatis, vbi cubiculum, vbi & cœnaculum eſt refectionis cibi qui non perit, locus paſcuæ vbi nihil deerit. Erat anima mea ſecundum meliorem ſui portionem quæ ab imminentia mens dicitur, concluſa in hoc ſuperiori cœnaculo, quando fecit mihi magna qui po-

D tens eſt. Complacet Domine Deus meus rex vniuerſæ creaturæ tuæ. Complacet recordari & conferre in toto corde meo ſupra, ſub & in medio, qualia & quantáque fuerunt magna quæ fecit mihi magnificatus vehementer & glorioſè. Miſſus eſt angelus tuus Gabriel in ciuitatem Galileæ, quæ tranſmigratio, quæ volubilis, quæ rota per interpretationem ſignificatur, propter volubilem ad iuſſa tua promptitudinem. Porrò nomen ciuitatis ab vnitate, quaſi ciuium vnitas. Na-

E zareth autem à floritione nuncupatur. Iure quidem quia flos campi in ipſa nutritus eſt. Eram deſponſata viro, verè ſic dicto à viribus & virtute, verè nominato Ioſeph ab augmento, verè de domo Dauid à nobilitate & manſuetudine. Erat virgini mihi nomen Maria. Non eram à viro cognita vel cognoſcenda. Votum obſtabat ſimul & ordo diuinæ ſapientiæ conſtitutus ab æterno. Salutauit ingreſſus angelus ad me ſolitariam clauſo literali & ſpirituali cubiculo. Dixit: Aue gratia plena Dominus tecum. Collocaueram

F ad oſtium cuiuſlibet cœnaculi, prudentem pro oſtiaria cognitionem. Hæc vt audiuit angelicam ſalutationem, ſtetit & cogitabat ſecum & mecum qualis eſſet illa ſalutatio, non erat præceps eius conſilium, non ſubditus ad quemlibet ingredientem & blandientem applauſus. Me turbatam conſolatus eſt angelus me nomine meo vocans: Ne timeas inquit, Maria inueniſti gratiam apud Deum. Gratias Deo quod inueni, quia inueni quem multum diuque quæſiueram. Promiſit

Digitized by Google

me concepturam pariturámque filium Ieſum, nomine, qui eſſet magnus, & filius altiſſimi vocaretur. A Promiſit daturum illi Deum ſedem Dauid patris eius. Promiſit quia regnaret in domo Iacob in æternum, & regni eius non eſſet finis. Erat itaque regnum illud non terrenum quod vtique finitur ſed cœleſte. Falluntur ergo Iudæi Meſſiam expectantes (neſcio quem) temporaliter apud eos regnaturum cum potentia, pompáque ſeculari, cum de paupertate regnaturi Meſſiæ, de paſſione & abiectione ſua prophetiæ omnes ad tempora Meſſiæ reſpiciẽtes impletæ ſint. Quæſiui modum ab angelo, docuit & exemplum Eli- B zabeth cognatæ ſterilis induxit. Conſenſi dicens: Ecce ancilla Domini. Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Iunxi cum humilitate naturæ magnanimitatem fidei & gratiæ. Concepi mox filium altiſſimi. Mulier à ſexu non à corruptione ſic dicta, virum mox circundedi, quia totum in virtute perfectum. Prædixerat hoc Hiere. Faciet nouum Dominus ſuper terram, mulier circundabit virum.

Fuit hæc conceptio mirabilis in infimo cœnaculo C animæ meæ, immo ſub ea in parte vegetiua, nutritiua & generatiua. Hanc humilitatem ancillæ ſuæ reſpexit in carne mea Deus. Nam matrice fœminea quid humilius? Mirabatur olim & nunc lætabitur & læta cantabit Deo ſalutari meo omnis eccleſia ſanctorum. Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti virginis vterum. Beata prorſus & dignatiua ſuſceptio, vnde me matrem Dei, matrem gratiæ, matrem miſericordiæ me beatam denique dicent omnes D generationes. Vnde collaudabunt quod extollens quædam mulier de turba vocem dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Sed non horruit planè. Conceptio nempe prius effecta eſt in ſuperiori cœnaculo cordis per virtutem gratię ſeminalis, quæ virginalem animæ meæ portiunculam eleuauit diuinitus, vt eſſet mater verbi per dignatiuam ſuſceptionem prius in mente quam in carne. Tunc tenebræ cognitionis noſtræ moralis lucem non tam comprehenderunt quam apprehenderunt. Nihil enim a- E liud ab ipſo plenè comprehendit ipſum niſi idipſum. Tunc dedit omnibus quotquot receperunt eum poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, dum nos diuinitatis ſuæ participes eſſe tribuit. Felix Ioannes generis noſtri lux & decus, felix qui miſſus es à Deo vt teſtimonium perhiberes de lumine, de his quæ ad dexteram altaris incenſi, quæ orante vniuerſo populo, quæ per Gabrielem, quæ cum prophetatione futuri meriti, quæ cum ſimilitudine ad F Heliam repromiſſa ſunt, fuit celebrata.

Grata mihi erit recordatio temporis illius, quando de Nazareth licentia recepta à virginali ſponſo, à iuſto Ioſeph, abij in montana cum feſtinatione. Intraui in domum Zachariæ, ſalutaui Elizabeth, exclamauit ſalutata: Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Cauſam addidit cognitionis exultationem infantis in vtero. Subiecit: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Magnifici nempe proprietas eſt conſummare, quod incepit, & certè Dei perfecta ſint opera. Subdidi protinus ipſum ore proprio quod diu mente prius tractaueram, canticum nouum in iubilo. Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Mouebat ſpiritusſanctus ſpiritus benedicti fructus ventris mei, totum cor meum vt in anima & in ſpiritu cum exultatione magnificaret Dominum. Dederat iam cognoſcere poſteriorem decurſum per omnes generationes ſeculorum, quantum iudicauit talis filius illuſtrare talem matrem pro beneplacito voluntatis ſuæ. Hinc iſta prænunciatio prophetica: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Iunguntur aliæ poſtmodum in hexachordo pſalterij de miſericordia Dei, in progenie & progenies cum reliquis. Atverò delectat plurimum conferre in corde meo ſuper iſtis nominibus Dominum & Deo ſalutari meo. Æſtimauerunt perſcrutatores ſeculi, quod propter relationem actualem ad creaturas Deus ab æterno dictus fuerat Dominus. Sed ſi vniuerſa creatura conuenirent in vnum: poſſet exprimere vocem ſupplicem patris mei Dauid. Conſerua me Domine dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Deus itaque ſicut fuit ab æterno ſine creaturis Deus, itaque dici poteſt fuiſſe Dominus, non per actualem, ſed per aptitudinalem creaturarum poſſibilium ad ſe relationem. Deus enim pleniſſimo & liberrimo iure dominatur ſuæ creaturæ ſiue ſit ſiue non ſit. Poteſt enim ſi vult educere in eſſe non exiſtentes, & rurſus eas in nihilum redigere quæ iam exiſtunt, cui nulla poteſt creatura dicere cur ita facis? Qualis eſſet hęc in Domino maieſtas id eſt, magnitudinis ſtatus, ſi ad ſui magnitudinem Deus creaturis exiſtentibus indigeret? Vidit anima ea in arce poſita domus cordis mei magnificum nimis & immenſum dominium Domini Dei. Cecinit idcirco per iubilum: Magnificat anima mea Dominum. Excitaueram per Pſalmiſtæ vocem crebrius eam. Benedic anima mea Dominum, & omnia quę intra me ſunt nomini ſancto eius, quia ſanctum nomen eius. Conſiderabam quia nihil accreuerat ſibi, ſed creaturis ex earum productione. Nulla eſt apud eum tranſmutatio neque viciſſitudinis obumbratio. Semper eſt qui eſt, ſemper qui potens eſt. Et hoc eſt primum ſanctum nomen eius. Qui eſt inquit, miſit me ad vos. Addidit ſpiritus meus: Exultare poterat pro omni laude, ſatis eſt Deum nominare Deum, quoniam maius eo cogitari non poteſt. Addidit ad expreſſionem vſitatiſſimo more totius ſcripturæ maximè pſalmorũ: In Deo ſalutari meo. Prolixius nimis eſſet ſermo: ſi myſteriũ contentum in verbis iſtis Domino Deo ſalutari meo quęreret exprimere. Myſteriũ ſiquidẽ beatiſſimæ Trinitatis cũ appropriatis perſonarũ continetur his terminis, Dominus Deus ſalutaris meus, ſimul & habitudo creaturę intellectualis ad ipſam Trinitatem. Capax enim eius eſt ſola, & per beatitudinem particeps ipſius id eſt perfectè capax eſſe poteſt. Spectat Dominus ad potentiam adiuuatiuam actu vel aptitudine. Spectat Deus ad ſapientiam prouiſiuam. Spectat ſalutaris &

Digitized by Google

& meus ad bonitatem reductiuam. Comparatur omnis creatura quantumcunque tenuis entitatis ad iſta tria, vnde ſortitur vnitatem, veritatem & bonitatem aliquam ſuo modo per analogiam ad primum ens, vnum, verum, bonum. Sortitur modum, ſpeciem & ordinem. Sortitur denique menſuram numerum & pondus. Reddantur ſingula ſingulis.

Porrò creatura intellectualis longè altiori & diuiniori proximiorique dignitatem potentiam, ſapientiam & beneuolentiam diuinas imitatur. Dicebatur nunc ratio, quia trium iſtorum capax eſt. Et quomodo capax? Certè per memoriam, cognitionem & amorem. Denique per influentiam gratuitam perfectè capax, hoc eſt particeps eſſe poteſt. Nulla ſiquidem alia creatura comparatur ad Deum ſicut ad obiectum cognoſcibile, amabile & memorabile preter intellectualem. Sola igitur ſcit & poteſt ſi vult magnificare creatorem omnium vt Dominum ſuum, vt Deum ſuum, vt ſalutare ſuum, & ita ſuum vt ſemel habitum & poſſeſſum nunquam perdere poſſit inuita. Fuit in me ſpecialis ratio cur appellaretur ſalutaris meus quod eſt Ieſus meus, propter maternalem prærogatiuam, ſecundum quam voluit etiam dici filius meus, immo & ſubditus eſſe meus. O Deus altiſſime, quis, qualis, quanta maieſtas quantæ humilitati. Sed minuit admirationem dum venit ad peccatores ſeruus eſſe opprobrium hominum & abiectio plebis vſque ad mortem crucis. Datur hic documentum quatenus ad hæc nomina, Dominus Deus mens, anima vel ſpiritus ſemper aſſurgat. In timorem ſanctum propter maieſtatis dominium. In honorem pium, propter ſapientiæ decus eximium, quæ ſua dignitate trahit & allicit. Denique in amorem ſyncerum, propter poſſeſſionis beneficium. Etenim plus amamus quæ noſtra ſunt. Nomen verò ſalutaris & ſalutis complectitur hæc tria, quia replet indigentiam iraſcibilis quæ tendit in arduum, rationalis quæ tendit in honeſtum, pulchrum & verum, necnon concupiſcibilis, quę ſe iungit & intimat ad bonum conſummatiuum & vnitiuũ vmbris derelictis. Quo fit vt turpiora iudicet & horreat recta ratio, quæ magis eam ab honeſtatis nobilitate & libertatis ſede deijciunt, ſicut luxuria & gula. Pulcherrima proinde virginitas nuncupatur. Trahitur hæc altiſſima & prorſus iugiter ruminanda conſideratio ex ipſis naturæ proprietatibus. Natura quippe filia Dei patrem imitatur. Concluſerunt philoſophi cultores ſui, quod nõ poteſt inueniri niſi triplex ratio boni, vtilis. ſ. delectabilis & honeſti. Rurſum triplex hæc ratio tota non reperitur in alijs quam intellectualibus creaturis, & hoc aduerterunt pauci nimis. Creaturæ inanimatæ tendunt in ſolum conueniens eis & vtile abſque delectabili. ſ. ad loca ſua pro conſeruatione, vel actiones pro ſui multiplicatione, ne ſpecies deficiat, Creaturæ ſenſitiuæ tendunt vltra bonum ſuum vtile ad delectabile, ſed non ad honeſtum. Creaturæ intellectuales tendunt ſub hac ratione triplici ab obiecta ſua, maximè ad honeſtum, verum ſiquidẽ ſi rectæ ſunt, aut ſolum apparens ſi peruerſæ. Eſt enim ſingularis & eminens proprietas animæ rationalis vt appetentiſſima ſit honeſtatis. Sunt in animalibus & auibus quædam ſimulachra con-

A cupiti honoris, quia pugnant vt vincant, ſed radix eſt non honeſtum, bonum ſed vtile, vt prouidis vel delicioſum pro cibis & prolificatione. Similiter & brutalibus hominibus qui comparati ſunt iumentis inſipientibus, quibus non eſt intellectus.

Nonne magnificus, nonne potens Dominus ſic magnificans & extollens animam & ſpiritum rationalem, ſic per hoc triplex bonum replens, ſi non repleuerit omne in bonis deſideriũ. ſ. quæ repletio beatitudinis eſt conſummatæ fundamentum? B Magnificate igitur mecum Dominum ô filij hominum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Canant omnes & dicant ſinguli mecum: Magnificat anima mea Dominum. Itaque bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo altiſſime. In decachordo pſalterio cum cantico in cythara. Omnipotens pater tuus (ô ſpiritualis anima) qui poſſidet fecit, & creauit te, noluit te derelinquere ſine muſica delectatione. Voluit in primis te in canticis exerceri. Nutriunt hęc amorem ſanctum qui ſpiritum exhilarant, delectant mentem & lætificant, oblectant animam. C Totum proinde cordis triclinium gaudio replent in voce exultationis & ſalutis. Completur ille decachordi pſalterij Dauid patris mei finis in vnum. Omnis ſpiritus laudet Dominum. Spiritus (vt diximus) eſt architriclinus cordis, princeps cordis. Oeconomus domus ſuæ vocatur ex naturæ ſuæ proprietate, liberum arbitrium, aut ſpiritus liber arbitrio. Conſurgit poteſtas eius ex animo & anima viro & vxore modis expoſitis. Non enim eſſet ſpiritus liber, ſi ſola ſibi poteſtas eſſet percep- D tiua, non etiam motiua. Neque ſi poteſtatem haberet mouendi ſe non etiam cognoſcendi ſe ſpiritus libertate polleret. Et quoniam poteſtas vtraque ſibi conuenit facultas à facilitate dicitur illa poteſtas. Sic enim duo ſimul conuenientes ad tractum nauis facultatem ſortiuntur quam non habet quiſque per ſe ſumptus. Sic ad ſcribendum concurrunt oculus viſione ſua dirigens & manus digitorum motu ſcribens, alioquin non eſſet facultas, hoc eſt facilitas informatione literarum.

E Hoc planè cognito memoriterque retento, fiat adaptatio finalis, quomodo concurrat pſalterium cum cantico & cythara. Dicat igitur ipſe ſpiritus: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara. Sonet pſalterium ab alto, fidiculas habet ex auro vel auricalco, dat ſpiritus deiformis & animæ dũ reſident in excelſo cordis habitaculo tanquam in arce Sion quæ eſt apex mentis. Dat inquam, pſalterium, dat idem ſpiritus animo & animæ dum manent in infimo tabernaculo cytharam, quæ ex F imo ſonat, quæ ex corio deſiccato & tenſo cum chordulis neruorum tortis, texta eſt in ſignum mortificatę carnis. Subinde canticum commemoratum inter pſalterium & cytharam dat, ſpiritus animo & animæ, ſponſo & ſponſæ dum medium locum myſtici cordis tenent. In primo ſola æternitas. In ſecundo æuiternitas. In tertio materialitas inſpicitur. Veniat ætas quando pertranſibunt plurimi & multiplex erit ſcientia, quando ſapientia abſcondita in myſterio copioſius eluceſcet. Multa enim habeo ſuper iſtis dicere, quæ modò portare non poteſt vnuſquiſque. Exurgat cum diluculo ſpiritus exhilaratus & pſalterio de-

eachordo cum cantico in cythara. Exurgat in gloria ſua, exurgat diluculo, dum aurora lucis per gratiam rutilat, dum hyems infidelitatis tranſijt, imber carnalis ſenſus abijt & receſſit, trahens deorſum, lumenque conglutinans, flores ſanctorum deſideriorum pulcherrimi & vernantes apparuerunt in terra, quæ prius mortis & aliena facta eſt, vitæ & noſtra. Tempus putationis palmitum minus vtilium aduenit. Vox turturis caſti gemitus ſuauiſque planctus audita eſt in terra noſtra, quæ à vitijs derelicta deſerta eſt, ſed virtutibus ſpecioſa, pingueſcens, & vberrima ficus quæ (ſicut vitis & oliua noluit deſerere dulcedinem ſui fructus vt regnaret inter ſterilia ligna ſæculi) protulit groſſos ſuos, vineæ florentes ſub vnica vitæ quæ eſt æterna ſapientia. Et ſub agricola patre odorem dederunt, bonis in vitam, ſed malis eſt odor mortis. Quid ſupereſt niſi vt vox ſpiritus deiformis imaginem habens dilecti nunc audiatur & dicat ad animam quocumque fuerit habitaculo collocata: Surge propera amica mea immaculata mea & veni columba mea. Columba prout manet in inferiori, immaculata prout tenet ſuperius, amica prout reſidet in medio. Audiatur ſequens exhortatio: Oſtende mihi faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis & facies tua decora. Quidni reſpondeat amica delicijs plena: Dilectus meus mihi ſuauis eſt pulcher & decorus, & ego illi, quia deliciæ ſuæ eſſe cum filijs hominum? Nam ſi delectabitur Deus in operibus ſuis, quanto putandus eſt amplius delectari in humana natura quam poſſidet in filiam & hæredem gratiſſimam, quam fecit in imagine pulcherrimam, quam creauit in facultate liberi arbitrij ſub ſe potentiſſimam. Siquidem ex ipſo creata eſt in eſſentia immortalis. Per ipſum facta ſeu formata eſt vigore perceptiuæ intellectualis. In ipſo poſſeſſa eſt in vi affectiua ſeu dilectiua, dum ad ſuum principium redit circulariter perfectibilis.

Laudauit in pſalterio anima mea Dominum ſub duplici chordula. Prima in exultatione ſpiritus: In Deo ſalutari meo. Rapta quippe ſum in chordis arcem: etiam in ſpiritu, immo & extra ſpiritum. Exemplo regina Sabæ, quæ ad aſpectum ſapientiæ Salomonis in ordinatis operibus ſuis non habebat vltra ſpiritum. Et certè plus quam Salomon hic. Pſallit hinc propheta Dauid pater meus: Quam magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua, immo eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos & terram. Hic eſt in cuius ſalutari deficit anima mea Domine Deus meus. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum. Mirabilis prorſus, ſed felix hæc defectio.

Laudauit in cythara anima mea Dominum, magnificans eum quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, mortalitatem in me ſuſcipiens naturæ.

Laudauit in cantico anima mea Dominum per vniuerſos modulos qui ſequuntur in hexachordo. Gratia cum Elizabet, quę Dei ſaturnitas interpretatur, ſicut & Zacharias Dei memoria. Hæc de filiabus Aaron in lege, prophetis & pſalmis eruditiſſima, vetus mulier & noua mater, ſed in antiquis eſt ſapientia, maximè dum partus Ioannis. i. boni operis in quo gratia comitatur. Laudauit hæc Elizabet Dominum, exclamans voce

A magna in cantico oris. Senſerat enim ex Ioannis prægaudio & exultatione, Domini præſentiam in me, canticum incepit à me: Benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus &c. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Erat Zacharias ſapientiſſimus, quia ſacerdos Dei altiſſimi perdiderat pro ſigno vſum vocis, quem nata vox clamantis Dei poſtmodum mox vt nomen ſcripſit, reſtituit. Contuleramus plurima ſpacio menſium trium Elizabet & ego verbis illi nutibus & ſignis. Protinus vt ſolutum eſt vinculum

B linguæ eius; collaudauit Dominum diluculo naſcentis auroræ per gratiam rorifluæ: Canticum eius fuit ſub triplici tetrachordo, & perſonuit ter nomen ſalutis, & quid ſalus niſi Ieſus, quid ſalus niſi virtus replens totam indigentiam ſui paſſi. Quid hæc ſalutaris repletio in hominibus niſi beatificatio? quid hæc beatificatio niſi benedicta viſitatio. De qua Iob: Et viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Benedictus igitur Dominus Deus, quia viſitauit & fecit redemptionẽ

C plebis ſuæ. Et exaltauit cornu ſalutis nobis. Sed vbi exaltauit cornu ſalutis, hoc eſt potentiam ſalutarem? Subdit: In domo Dauid pueri ſui. Poſſem per ſingulos modulos cõcordare triplex hoc tetrachordum Zachariæ in duodecim verſiculis cum meo pſalterio decachordo. Dixit ſalutem à Domino factam in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum &c. Conſonat vltimis pſalterij mei verſiculis: Suſcepit Iſrael puerũ ſuum. Sicut locutus eſt ad patres noſtros. Dixit

D ſalutem ex inimicis futuram, & plebem humilem Deo ſeruituram. In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo. Totam hanc ſententiam meum perſonuit hexachordum, colloquens & alloquens puerum cum quo iã erat manus Domini. Præibis inquit, ante faciem Domini, ad dandam ſcientiam, non qualemcunque ſed ſalutis, ecce tertiò iam dicta ſalus. Inde eſt quod reuelauit angelus chariſſimo virginali & iuſto viro meo Ioſeph de benedicto Ieſu ſancto meo, vocabis nomẽ eius Ieſum. Cauſam addidit: Ipſe enim ſaluum faciet populum

E ſuum à peccatis eorum.

Prætereundum nunquid eſt canticum angelorum. Immo magis eò commemorandum, quò ſubitò facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis quaſi chorum ducens. Præmiſit hic chorus caſtrorum pſalterium inchoãs à ſummo: Gloria in excelſis Deo, iunxit citharam cum pſalterio, & in terra pax &c. Vox ipſorum laudantium Deũ nonne canticum eſt?

Nonne ſimiliter eſt canticum in ipſa tam multiplici & ſedula paſtorũ laude? Reuerſi ſunt glo-

F rificantes & laudantes Deum. Silemus paſtorales ad literam fiſtulas, tympanum & chorum, chordas & organum, tibias & cymbala. Plus anagogia nos delectat.

Nec incommemoratus abibis ô Simeon iuſte, pie, longanimis timorate. Tu veniens in ſpiritu in templum, dum induceremus ego & pater eius puerum Ieſum cum oblationibus hoſtiarũ, cum redemptione quinque ſiclorum, tu puerum in vlnas ſuſcipiens & gratias agens ceciniſti: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, quia vide. &c. Sufficere potuerat pro

pro ſumma laudis & gloriæ verbum hoc ſatis vnicum quod expreſſiſti. Lumen ad reuelationem gentium. Cõtuliſti mecum de ſuſceptione Iſrael pueri ſui, vocans ipſum ſalutare, gloriam plebis ſuæ Iſrael.

Exhilareſce nũc rex & pater meus Dauid pſaltes Domini. Cõpleri sẽtis & intelligis exhortationes tuas totiẽs in pſalmis poſitas, iterũ iterũq; repetitas. Cãtate Domino canticũ nouum. Exurge gloria mea exurge pſalterium & cythara exurgam diluculo. Habet aliquid diluculum iſtud myſterij, etiam intellectum literaliter. Dixit Dauid alio loco me ſignificans: Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. Adiuuabit eam Deus mane diluculo. Dedit & titulum pſalmo illi cuius initium fuit verbum in cruce filij mei. Deus Deus meus vt quid me dereliquiſti. Dedit inquam, titulum pro ſuſceptione matutina. Petit in canticis ſponſa ſponſum. Mane ſurgamus ad vineas, quando aſpiret dies æternitatis: & inclinentur vmbræ mortis huius. Rurſus inter tot opera Dei facta commemoratio ſpecialis eſt per prophetam diluculi: Tu fabricatus es inquit auroram & ſolem. Et ſanè quid aurora pulchrius? quid iocundius? quid ſalubrius? Ad homines venit in ſuſceptione matutina ros lucis, ros refrigerans, ros fœcundans. Rorat deſuper iuxta votum prophetæ: Rorate cœli deſuper. Inde Dominus ait: Ego ros, & Iſrael quaſi lilium germinabit, hoc rore perfuſa cõcepi ſocietatis fructum, hoc rore mens impleta inſtar teſtæ oui rore pleni, trahitur à radijs ſolis in excelſum. Citharizant in auroræ diluculo, pſallunt, iubilant alacriter volucres ſpirituales. Sunt exultationes Dei in gutture eorum, quibus excitatus omnis ſpiritus exurgit diluculo laudare Dominũ. Cauſat hæc omnia ſol oriens nondum viſus. Sol in quo poſuit Dominus tabernaculũ ſuum, quia nihil in rebus ſenſu perceptibilibus efficacius manuducit ad Deum & in ſenſibili comparatur. Sũt iſta in ſole, lux, vigor, fulgor, feruor ſub ſyllabis explicata ſeptem. Lux eminenter continet hæc tria quæ ſunt proprietates eius, vigor, fulgor, feruor. Vigor, quaſi fœcundus plena luce, continet eminenter fulgorem. Vigor & fulgor continent eminenter feruorem, & ibi ſtatus cum circulo quodam. Fulgor & feruor redeunt ad vigorem eſſentiali luce plenum ſeu fœcundum velut ad parentem. Conformiter in diuinis, eſſentia diuina communis tribus perſonis cõtinet eminenter ipſas cum omnibus perfectionibus ſimpliciter, non tamen formaliter etiam ſecundum ponentes in diuinis formales perfectiones. Pater fontalis eſt plenitudo diuinæ eſſentiæ, potens generare filium ſicut vigor lucis fulgorem ſuum. Pater & filius ſunt ſufficiens principium ſpiritusſancti, ſicut vigor & fulgor ſunt principium feruoris, & ibi ſtatus quia filius per acceptam vim ſpiratiuam reddit ſe & ſpiritum ſanctũ patri. Trãſeamus ad imaginem ſpiritus humani dicamus ipſum eſſe lucem ſicut verè eſt lux. Et eò perfectior quo meminit, intelligit & diligit, ſéque ſuper ſe reflectit, quia ſe percipit, quia ſe mouet dum percipit, & percipit dum ſe mouet circumceſſione mirabili. Eſſentia ſpiritus continet eminenter vigorem memoriæ fœcundæ, & hic continet eminenter fulgorem intelligentiæ. Duo autem hæc, vigor memoriæ & fulgor intelligentiæ,

A continent euidenter feruorem amicitiæ: & hic eſt ſtatus, quia reflexio fit ad fontale principium, dũmodo redit finis ad principium per medium, quia ſi lineæ tres rectæ ſunt, quælibet de puncto ad punctum ſecundum originem reſultat triangulus intelligibilis. Sed quia finis redit ad ſuum principium per medium neceſſe eſt intelligi ſpheram aut circulum. Qui poteſt puro, viuaci & irreuerberato ſpiritus oculo conſiderare quæ diximus de architriclino vel œconomo cordis noſtri, poterit in ſe & per ſe tanquam in ſpeculo &

B per ſpeculum cognoſcere ſe in ſe, & per ſe poterit conſequenter rapi à ſe & ſupra ſe ad ſapientiam diuinam, quę per ignorantiam cognita eſt ſecundum vnionem ſuper mentem. Quod ſi deficit in multis fidelibus hæc ſapientia, ſola fides, ſpes, & charitas ſufficiunt in gratiæ eſſentia radicatæ, & in ea virtualiter, immo ſupereminenter repoſitæ, & ſi non formaliter. Oportet enim in omnibus ſic fieri, vt omnia participent vno, & ad vnum congregentur ſecundum varios ordines vſ-

C que ad monadem diuinæ eſſentiæ, quæ fontaliter eſt in patre. Sic potẽtiæ animæ ad eius eſſentiam. Sic habitus omnes virtutum donorum & beatitudinum, ad vnam gratiam referuntur. Denique ſit contentio de tot diſtinctionibus ſecundum formas metaphyſicales ſit rationalis, & quantum rationalis ſeu minus neceſſaria, magis ex hoc patet ſi diſtinctio per relationes in diuinis ſit maxima, qualis per abſoluta fingetur. Colligitur altera ſimilitudo lucis ſolis ad lucem ſpiritus. Lux ſe

D diffundit per medium non impeditum ſecũdum totam ſpheram ſuæ actiuitatis. Manet tamen in ſe iugiter ſuus vigor, fulgor & feruor. Diuinus ſpiritus ſtabilis ſemper in ſe, diffundit ſe per omnes creaturas quaſi centrum omnium per illapſum ſecundum eſſentiam, præſentiam & potentiam, nihilominus ambit & præambit creaturas vniuerſas quaſi circumferentia. Rurſus ad rem noſtram ſpiritus hominis totus eſt in corde carnali, ſicut centrum eius influens & radians ad totam circumferentiam cordis. Spiritus verò non inde minus eſt

E ambiens & præambiens totum cor quaſi circumferentiam eius.

Qui fixo poſſet hæc & aquilino veritatem oculo ſpiritus intueri, profectò facilior ad omnia quæ dicta ſunt de Deo & de ſpiritu noſtro proſpectus ſuus eſſet, ſed reuerberatur propter coniunctionem ad continuum & phantaſmata, & ad hic & nunc, donec puritate mentis poſſit ſpiritus ad vnitatem ſe colligere & collectus ſtare. Sed ô Domine Deus quis habitat in tabernaculo tuo.

F Quam hoc paucorum, quam hoc pauciſſimorum quod ſequitur, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo. O requies, ô in pace, ô in idipſum. Hæc eſt pax & vnitas. In qua petit dimitti Symeon in cantico. Venit ad hoc oriens ex alto, dirigere pedes noſtros in viam pacis, vt cecinit Zacharias. Conſonat angelicum melos dans in terra pacem hominibus bonæ voluntatis. Dedit ſimiliter tangens in vltimo pſalterium meum: Suſcepit Iſrael puerum ſuum. Quid enim ſuſceptio niſi ſurſum acceptio ſecundum nomen ſuum, & quid à Deo ſurſum acceptio niſi ad ſe ſpiritualis attractio, ſicut vis magnetis trahit ad ſe ferrum, & vniuerſa-

Digitized by Google

liter omnis finis finibile ſuum? Omne appetibile appetitum proprium. Hinc philoſophicè enunciauit non poëticè qui dixit: Trahit ſua quemquam voluptas. Hoc in te factum eſt ô glorioſe teſtis Stephane, quando complendo omne deſiderium tuum hoc vnum petiſti: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Hoc tuum inſtar oloris canticum parata morte, ſuauiſſimo gutture protuliſti.

Magnificat anima mea Dominum. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, quando qui creauit me requieuit & ſe vniuit in tabernaculo meo, quando noua facta ſunt omnia in cœlo & in terra. Quomodo noua? eò nimirum, quia æternitati ſunt coniuncta. Vidit hoc pſalmiſta ſæpius incitans ad canticorum nouitatem: Cãtate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Nunquid non omnium nouitatum ſupereminens nouitas quæ mutauit ſigna, innouauit mirabilia, quando verbum immenſum abbreuiatum eſt, quando diuina maieſtas ita eſt inclinata vt acciperet ſerui formam, quatenus exaltaretur forma ſerui ad diuinam? Subdit mirabilem nouitatis rationem, dicens: Saluabit ſibi dextera eius, & hoc humiles ad æternitatem exaltando. Dextera quippe pertinet ad æternitatem. Hinc eſt illud ſponſæ: Dextera illius amplexabitur me & pſaltes. Tenuiſti manum dexteram meam, & cum gloria ſuſcepiſti me, quia dextera tua exaltauit me. Saluationem hanc ſeu ſalutem operatus eſt in me qui fecit mihi magna, quæ ſum terra illa de qua veritas orta eſt. Etenim Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuũ benedictum dum germinauit ſaluatorem. Itaque non iam mandauit tantummodo ſalutes Iacob, ſed operatur ſalutem in medio terræ. Dicit vnicuique. Salus tua ego ſum, quoniam non eſt in alio ſalus. Neque enim datum eſt ſub cœlo aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Tu propterea ô Gabriel dum miſſus es à Deo legatus ad ea quæ ſalutis huius & pacis erant à ſalutatione cœpiſti: Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Addidit Elizabet cognata mea: Et benedictus fructus ventris tui. Suppletum eſt per te Gabriel nomen propriũ, dum cogitanti mihi qualis eſſet iſta ſalutatio, ſubintuliſti: Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum. Terminat aliquorum deuotio, Ieſus Chriſtus amen. Salus ſuáque abſque me ne ſeu defectu verè fiat, hoc eſt quare, qualiter & vnde beatam me dicent omnes generationes, quia beatitudinem ſalutarem fecit per me, faciens mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen eius, quod dum bene viuimus, ſanctificatur in nobis. Sanctificauit & in me tabernaculum ſuum altiſſimus, quia ſanctum nomen eius. Hoc quoque quod natum eſt in me ſanctum, vocabitur filius Dei Ieſus magnus per angelum, & ſanctus ſanctorum per Danielem, fidelis Dominus in omnibus vijs ſuis, quia omnia opera eius in fide & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Sanctus ſanctus ſanctus Dominus Deus ſabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Taliter conſeruo memoriter omnia quæ ſalutifera ſunt conferens in corde meo. Meditans ſum aſſiduè & admirando deficiens, quanta ſit & qualis hæc ſalutatio. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Concinet olim A mihi omnis eccleſia ſanctorum ſalutiferum promens illud atque gratiſſimum: Salue regina miſericordiæ. Et iterum: Salue mater pietatis & totius Trinitatis nobile triclinium, verbum tamen incarnati, ſpeciale maieſtati præparãs hoſpitium. Denique frequentius: Aue Maria gratia plena Dominus tecum. Decet profectò me matrem ſalutis ſalutantem non inſalutatum præterire. Debet obſequioſus amor viciſſitudinem amationis recipere. Debet gratia plena cum qua Dominus B eſt refundere gratiã pro gratia. Debet benedicta benedictionem fructifera fructum, domina regnum. Illuminata ſimul & illuminatrix ſecundũ nomen meum, debeo cohæredibus meis illuminationem. Dabit poſtremò Ieſus ſalutem indefectibilem, ad hoc etiam venit.

Contuli crebrò mecum in corde meo talia. Cõtuli ſimile cum virgineo Ioſeph viro meo vocans ipſum ſicut Sara Abraham Dominum. Quærebat à me inter ſecreta colloquia, quomodo hæc & hæc fierent aut facta eſſent quæ tandem in me C modò completa ſunt. Conſeruabat memoriter in ſimplicitate cordis ſui ſalutationem angelicam quam acceperat à me, ſimiliter & canticum nouum meum; Canticum inſuper Zachariæ cum cantico Symeonis. Cantabiles ſibi erant hæ iubilationes in loco peregrinationis ſuæ, hæc cantica Sion, hæc in recordationem cœleſtis Hieruſalem ſolatio ſibi tradita ſunt. Et quia doctiſſimam me nouerat in pſalmis, & canticis, dicebat aliquando Maria domina mea, quia mater Domini mei. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. D Vox verò mea quid aptius ſonaret in auribus ſuis quam proprium canticum: Magnificat anima mea Dominum?

Apparuit tandem magna fides eius, dum viſitatus ab angelo triſte illud iuſſum accepit: Surge & accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum. Audierat prius ab ipſo angelo confortante ſe vt me acciperet in coniugem. Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Prædixerat me filium parituram. Iuſſerat vt vocaret nomen eius E Ieſum. Cuius cauſam & diuinitatem aperiens, inquit: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, cum delens iniquitates ſit Deus ſolus.

O quam diſſimilis hæc prænunciatio videri poterat ad iſtam; Surge & accipe puerum & fuge in Ægyptum, quam diſtans ô Gabriel nunciatio tua: Regnabit in domo Iacob in æternum, & iſta: Accipe puerum & fuge in Ægyptum. Magna fides magnam fecit magnificentiam. Vtrique noſtrum cum magnanimi ſpe contulit, vt contra ſpem ſpe- F raremus. Porrò totum illud ſeptennalis peregrinationis exilium, quanta ſedulitate, patientia & longanimitate tranſegit cum puero Ieſu, & mecum recolat pius animus & conferat in corde ſuo.

Venient generationes quando ſcribet aliquorum deuotio plurima ſuper iſtis piè ſpeculanda, multa proſaicè, quædam Heroico carmine, cui Ioſephina nomen erit, quædam aliter & aliter. Nonnulli de laudibus iuſti virginalis ſponſi mei fidiſſimique cuſtodis & teſtis delegati, multa ſuæ poſteritati legenda relinquent, ſtatuent conſummationem

Digitized by Google

mationem in ipſius precioſa morte, qua præſentibus filio meo & me piéque flentibus, appoſitus eſt ad patres ſuos in ſenectute bona, cuius memoria in generationes ſeculorum. Scribentur deinceps certiora pro decurſu temporis quo Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta quando tota ceſſi in cuſtodiam & indiuiduam ſequelam eius, dum per priores annos fuerat velut occultus & inglorius, ſubditus pauperculis nobis quaſi ſeruulus qui venerat etiam miniſtrare, non miniſtrari, in humilitatis & ſummæ obedientiæ documentum, tunc prodiens Ioannes ab eremo iuſſus baptizare, iuſſus clamare, parate viam Domino, iuſſus annunciare primus regnum Dei, iuſſus prędicare pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Signum proinde ſuſcipiens: Super quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ipſe eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Conſenſit baptizare filium meum, ſeruus Dominum, vox verbum amicus ſponſi ſponſum. Cui refugienti cum reuerēti timore Ieſus ſubintulit: Sine. Sic nos decet implere omnem iuſtitiam, & hoc in confutationem omnis iniuſtitiæ noſtræ.

Campus ecce copioſiſſimus apertus eſt collationum mearum memoriter in corde meo, affabiliter, ſæpe doctrinaliter & deuotè cum alloquio alieno communicatorum, etiam viuente filio meo benedicto. Sedulius autem contuli poſt reſurrectionem & aſcenſionē ipſius, quando (data ſub cruce in filialem diſcipuli illius quem diligebat Ieſus cuſtodiam) manſi vſque ad felicem obitum meum cum apoſtolis & diſcipulis in Hieruſalem, qui fuerunt illic per annos duodecim ad conuincendum Iudæorum incredulitatem. Erāt enim, ſicut aperuit medicus chariſſimus Lucas ſecretorum conſcius meorum, omnes ſimul in oratione perſeuerantes cum mulieribus & Maria matre Ieſu. Tunc dato ſpirituſancto, celebris habebatur ſacri panis communis in ſimplicitate cordis. Iungebatur oratio Dominica, ſymbolum cōditum eſt me conſulta. Hoc autem vltimum de me in canone ſcripturæ catholicæ verbum reperitur expreſſum, quia ſum Maria mater Ieſu. Sed ô ſapiētiſſime Domine Deus ſalutaris meus quāta & quam multifaria ſunt præter hæc dicta, docta, collatáque, quæ ſi per ſingula ſcriberentur, nec ipſum arbitror mundum capere eos qui ſcribendi ſunt libros. Et quoniam finis legis Ieſus Chriſtus & huius ego appellor Maria mater Ieſu. Placet collationes aliquas de Domino Ieſu meo ſub fine pſalmi huius decies decachordi notulare. Sunt vigintiquatuor huiuſmodi collationes.

SEQVITVR PRIMA QVÆ EST NOTVLA SEPTVAGESIMA *ſeptima in ordine.*

DOMINVS Deus ſalutaris meus Ieſus meus quem magnificat anima mea cum exultatione ſpiritus, & ipſe eſt finis omnis cōſummationis. Et eſt regalis diſtributio omnis legis & ornatus vel inclinationis naturalis & ordinis. Ipſe rex regum & Dominus dominantium. Dominus Deus ſalutaris meus non vanè cōſtituit omnes filios hominū minus quam alia opera ſua ſubiecta ſub pedibus hominis, quæ tamen facta ſunt bona valde, nec à ſuo fine fruſtrata. Dominus Deus ſalutaris meus cōſtituit naturam humanam ſupra cæteras irrationales creaturas vt capax eſſet & particeps eſſe poſſet honeſtatis, quæ dicitur honoris ſtatus, terminus boni & finis honoris. Eſt autem honor ille bonum honeſtum, bonum conueniens appetitui rationalis vt rationalis eſt. Dominus Deus ſalutaris meus, non eſt ſalutaris vel ſalus vel Ieſus ſecundum nomen ſuum ſi non implere valeat totam indigentiam rei ſaluabilis ſecundum omnes vires ſuas. Patet hoc ex deſcriptione ſalutis vel ſalutaris, cuius finis eſt vt repleat totam indigentiam patientis. Salus in rebus ſenſū carentibus ſufficienter obtinetur, dum ſuo conuenienti vel vtili bono coniunguntur, etiam ſi non delectabiliter participant illud. Patet hoc in quiete rerum ſenſu carentium ad loca ſua, dum præterea formam ſibi ſimilem introducunt ad conſeruationem ſpeciei. Salus in animalibus carentibus ratione, ſufficienter obtinetur dum ſuo conuenienti vel vtili coniunguntur, & dum illam coniunctionem percipiunt, & in perceptione delectantur, etiam ſi nihil participant de honeſto. Patet, quia ad honeſtum percipiēdum nequaquā condita ſunt. Salus in omni creatura rationali vel intellectuali nequaquam obtinetur, ſi non honeſto bono ſuo cum perceptione coniungatur, intelligendo de ſalute perfecta, quæ cōſiſtit in actu, non aptitudine ſola vel habitu. Patet, quia ad honeſtum bonum percipiendum actualiter formata eſt. Salus in hominibus conſtitui non potuit abutentibus ratione, philoſophis aut alijs præterquā in honeſto ſolo bono ſupremo æterno & vno, nō in diuitijs vtilibus non in delitijs ſuauibus, non in honoribus vel gloria temporalibus. Patet, quoniā hæc omnia ſi affuerint, remanet indigentia ſeu vacuitas vel inanitas non repleta in principaliori potentia rationis, quæ ſuſceptiua eſt boni honeſti & illius perceptiua. Magnificentia ſalutaris ad honeſtum capeſcendum propria eſt ſolius naturæ intellectualis. Sola enim mouetur ad honeſtum vel ſtat in eo ſub hac ratione, quod bonum hoc aut illud conſonat rectæ rationi, etiam ſi non haberet rationem delectantis aut vtilis. Honeſtum quippe eſt quod ſua vi nos trahit & allicit dignitate. Honeſtum bonum dicitur per relationem ad appetitum rationalem vt rationalis eſt ordinē ſuum ſeruans retinenſque naturam. Magnificētia ſalutaris ad honeſtum, fontaliter eſt in Deo patre luminum, apud quem non eſt alia ratio cuiuſcunque appetibilis vel amabilis quam honeſtas ſua, omnia enim propter ſeipſum fecit Dominus, non propter aliud vel vtile vel delectabile intuitu principali. Magnificentia ſalutaris neq; habetur neq; ſeruatur, niſi recta ratio quę ſēper ad optima deprecatur, terminetur aut finiatur in deſiderio ſuo. Semper enim curua remurmurat, inquietatur & imperfectè ſtat. Hoc vidit qui dixit. Non eſt pax impijs. Et rurſum: Cor impij ſicut mare feruēs quod quieſcere non poteſt. Hinc orat pater meus Dauid: Cor creari mūdum, ſpiritum inſuper dari rectum, ſpiritum ſanctum, ſpiritum principalem ſecūdum tria ad quæ factus eſt rationalis ſpiritus, vt rectè, ſanctè, fortiter feratur in honeſtum. Magnificentia ſalutaris variè quæſita eſt ab omnibus

quotquot venerunt hactenus vſq; ad Dominum Deũ ſalutare meũ, vel qui prius implicitè credebát in eum. Ipſe enim eſt qui totum hominem ſaluum fecit ſecundũ omnes vires quod cõſiſtens in ſinu patris annũciauit nobis de Deo qui ad veram honeſtatẽ via eſt, vector, oſtium & terminus idẽ. Reſpectio ſalutaris illius qui eſt excelſus Dominus & humilia reſpicit, ſolã in anima rationali ancilla ſua reſpicit humilitatis honeſtatem. Hæc ſpecioſitas animæ, hic decor, hæc pulchritudo qui trahit ipſum & allicit, nec aliunde tamen ideo Ieſus trahitur quam à ſe vel allicitur, quoniam in hac humilitatis honeſtate quam dedit, ſe reſpicit & diligit. Reſpectio ſalutaris notatur à ſponſa in cãticis. Cum eſſet rex inquit, in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. In nardo humili redolente accipimus honeſtatem. Intuitus huius honeſtatis oculus eſt efficax & viuus qui penetrat & vulnerat cor in amore. Reſpectio ſalutaris fit in ancilla quæ reſpicitur conuerſa viciſſitudine ad dilectũ, qui reſpicit per oculum ſimplicem & rectum, de quo veritas: Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum ſupple operationum tuarum erit lucidum & rectum. Ratio, quia & finis præſtituetur bonus, & ad finem ordo rectus, non diſtortus per ineptitudinem aut vicium. Reſpectio ſalutaris multipliciter intelligitur fieri à Domino Deo ſalutari meo. Vnus modus eſt in æterna prędeſtinatione, ſecundum quam dictum eſt à filio in Ioanne: Qui ex Deo eſt, non peccat, quia generatio, Dei conſeruat illum. Alius per gratiam habitualiter gratificantem, qualis eſt in paruulis & in hominibus ſanctis dum dormiunt. Tertius eſt in operationibus ſãctis cum perceptione diuinorum chariſmatum, per ſẽſum intellectus & affectus in vna facultate liberi ſpiritus, in corde vno quod eſt natura eſſentialis animæ ſupereminenter continens memoriam, intelligentiam & affectum. Fit hæc ſalutaris perceptio ſæpe dum dicit homo deuotus: Ego dormio, ſupple in viribus infimis, actũ non ſentiens temporalium, & cor meum vigilat in ſomnijs ſpectaculorum æternorum.

Beatitudo animę rationalis dicenda per omnes generationes conſiſtit in factione magnorum per illum qui potens eſt, hoc autem fiet dum erit memorię repletio æternitatis & pacis, erit intelligentiæ repletio veritatis & luminis, erit volitiuæ repletio dilectionis & fruitionis. Beatitudo animæ rationalis dicenda per omnes generationes conſiſtit in ſtatu qui eſt omnium bonorum aggregatione perfectus. Hęc eſt definitio recta beatitudinis quæ ſtatim dicit in optimo dum optima potẽtia optimo ſuo obiecto imperturbabiliter coniuncta eſt. Beatitudo animæ rationalis conſiſtit in hoc quod ipſa tanquam ſignum magnum in cœlo amicta eſt ſole totius honeſtatis in rationali. Eſt luna totius mutabilitatis ſub pedibus eius in concupiſcibili. Eſt corona totius perfectionis quaſi ſtellarum duodecim in capite virtutis iraſcilis quæ tendit in ardua. Denique perturit filium qui rapitur ad thronum Dei, recturus gentiles affectiones. Fit enim verbigena, quia deſcendit in eam ſpirituſſanctus, & virtus altiſſimi obumbrabit ſibi, & quid obumbratio niſi lucis effulgentia cum tenebra? Maior idcirco intelligitur obumbratio, quæ ſub luce clarior eſt obumbratio, qualis poſt animam filij mei facta eſt mihi, ſub cuius vmbra quam deſiderabam ſæpe ſedi, & poſtquam ſolicitè miniſtraueram ei. Beatitudo animæ rationalis, quam fecit magnã qui potẽs eſt, plus depẽdet à beneplacito ſuæ manutenentiæ in ſtatu finis vltimi & honeſti, quã in vigore propriæ naturæ, vel in fulgore perceptiuo, aut in appetiua motione. Soluitur pro inde faciliter quæſtio, cur ſathan irremediabiliter corruit, dum alij ſteterunt immobiliter, quia terminum vię datum cuilibet eorum impleuerunt hi per depoſitionem de ſede dignitatis ſuæ, iſti per exaltationem ex ſua dum viatores eſſent ſub Deo, fideli humilitate, honeſtate, pulchritudine, formoſitate, ſpecioſitate, in ordinis ſui conſeruatione.

Sanctitas nominis Dei conuenit cum honeſtate, conuenit cum ſalute, conuenit cum humili diuina reſpectione, conuenit cum magnificentia beatitudinis ab ipſo colatæ, cõuenit inſuper cum timore Dei, cum humilium exaltatione, cum eſurientium repletione in bonis. Poſtremò cum Iſrael pueri Dei ſuſceptione. Sanctitas & omne generaliter nomen quod ad æternitatem ſignificandam adaptatur propriè eſt inter creaturas naturæ intellectuali quoad finem ſuæ conditionis intentum, ſi non ex propria malitia & impuritate deficiat. Eſt enim ſanctitas libera ab omni contagione, puritas ſponte ſeruata. Sic ſanitas ſuo modo, ſic nobilitas, ſic libertas dicũt facultatem proximam & facilem ad operationes proprias & ordinatas & debitas exercendas. Sic inſuper pax dicitur ordo non impeditus, vel ordinis tranquillitas. Sic modeſtia modi ſtatus eſt, & bonitas boni ſtatus. Sanctitas colligit & ſatiat, dum ſalus omnium & ſanctus ſanctorum Ieſus ſplendor patris in diuinis, illabitur creaturæ intellectuali tãquam ſpecies & imago & virtus Domini Dei ſui patris, dum enim illabitur vt ſpecies, percipitur vt pulcherrima. Quid enim eſt pulchritudo niſi proportio numeroſa, quæ ſuum perfectè repreſentat exemplatum? Porrò dum illabitur vt virtus agens per contactum medium ſeu moderatum, percipitur ſuauitas. Natura enim quæ triſtatur in extremis, in medijs delectatur. Poſtremò dum illabitur vt operatio, replens totam capacitatem & indigentiam ſui paſſibilis, ipſa ſalutem omnia complentem operatur, & fit quies. Sanctitas ſalutaris & beata complectitur neceſſariò in anima rationali, quam ſanctificat, ſaluat & beatificat, omne bonum, vt verificetur illud ad Moyſem: Ego oſtendam tibi omne bonum, bonum honeſtum principaliter. Et ex eius perceptione neceſſariò ſequitur ſumma delectatio propter conuenientiã ſummam. Demum vtilitas propter indigentię cuiuſlibet ſupplementũ. Vnde fas habet benedicere Deo qui replet in bonis deſiderium ſuum concinens in exultatione ſpiritus in Deo ſalutari ſuo. Magnificat anima mea Dominum.

GLORIA patri & filio & ſpiritui ſancto. Quoniã inſpirante te & præueniẽte in benedictionibus dulcedinis, ô glorioſa Trinitas pater & filius & ſpirituſſanctus, Ego humilis ancilla magnificatiouis tuæ, cum exultatione ſpiritus canticum in finem vſq; deduxiſti. Gloria tibi qui es α & ω, principium & finis,

Digitized by Google

finis, cui ſoli debetur honor & gloria. Coniunxi prius pſalterium iocundum cum cythara, miſericordiam. ſ. & gratiam cum potentia. Iure ſupereſt vt ſubnectam canticum gloriæ tuæ quod habuiſti in te & apud te, prius quam mundus fieret. Mundum enim & omnia quæ in eo ſunt, condidiſti propter magnam gloriam tuã. Inde eſt quod cæli enarrant gloriam tuam, & omnia quæ cæli ambitu continentur gloriam magnificentiæ regni tui. Gloriam hanc vidit in ſpiritu Eſaias dum audiuit cherubin clamantia: Sanctus ſanctus ſanctus dominus Deus ſabaoth. Pleni ſunt cæli & terra gloria eius. Dudum in principio quando creati ſunt cæli & terra canticum hoc gloriæ tuæ frequentatum eſt per ſpiritus angelicos, laudantes te dominum & patrem & filium & ſpiritumſanctum. Cui cantico quia diſſonare præſumpſerunt apoſtatæ ſpiritus, quærentes eandem ſibi vſurpare gloriam, zelaſti propter eam, quoniam ſola tibi propria eſt zelauit & princeps militiæ Michael exclamans: Quis vt Deus? Fuit poſtmodum in conſummatione ſeptem dierum conditus rationalis ſpiritus in homine, cui datum eſt pſalterium decachordum ad magnificandum te dominum, quoniam præceptum diſciplinæ ipſi ſecundum quod tibi concineret in laudem & gloriam tuam contuliſti. Rupit ipſe chordulas huius pſalterij tranſgreſſor effectus, & ideo proiectus eſt extra paradiſum deliciarum, cui ſi non data fuiſſet cythara pœnitentiæ ad reparandum pſalterium iocundum obediẽtiæ & gratiæ, nihil ſibi remanebat de canticis niſi lamentationes mortalis exilij cum beſtijs, & væ vę damnationis cum dæmonibus in gehennæ ſupplicijs. Reparauit hoc pſalterium iocundum cum cythara filius ſecunda in Trinitate perſona, volente patre cum ſpiritusancto cooperante, dum factus eſt ipſe per aſſumptionem carnis & ſpiritus cythara in carne mea, pſalterium iocundum in ſpiritu, & gloria patris in diuinitate. Sic enim alloquitur eum pater: Exurge gloria mea, exurge pſalterium iocundum cum cythara. Cui filius reſpondens inducit: Exurgam diluculo. Tu enim ſuſceptor meus es gloria mea & exaltans caput meum, quod reſuſcitaſti ad gloriam. Taliter itaque egregius Dauid pſaltes pater meus dedit intelligi, propterea ſimul conſonans ſibi erupit nũc anima mea in magnificationem domini cum exultatione ſpiritus miſcens pſalterium iocundum miſericordiæ cum cythara ſeueritatis & pœnitentiæ. Amplius verò cur nõ potius à glorificatione quod à magnificatione ſumpſerim initium, vt dicerem: Glorificat anima mea dominum? Sentiebam profectò priuilegium hoc cantici gloriæ reſeruãdum multitudini militiæ cæleſtis exercitus, quando cõpleti fuerint dies vt pariam filium meum primogenitum. Fiat tunc reuelatio cælitus ad paſtores, quibus pro ſimplicitate ſua & ſedulitate vigili ſuper gregem ſuum velut in quadam ſolitudine deſerti, ſubitò fiet cum angelo euangelizante gaudiũ magnum comes multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum cælico carmine & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Venient paſtores, videbunt & mirabuntur, reuertentur glorificantes Deum. Futurum eſt inſuper ad Bethleẽ diuerſorium partus mei, inoleſcat mos per eccleſiam ſanctorum toto

terrarum orbe diffuſam, iungere finibus pſalmo-
A rum, canticorum & hymnorum celebriter velut
vna & inceſſabili voce cum omni militia cæleſtis
exercitus. Gloria patri & filio, &c. Sicut erat in
principio & nunc & ſemper & in ſecula ſeculorũ
amen. Sed ô glorioſa Trinitas quanto pondere
ſententiarum reſonat in auribus meis paruus hoc
eſt pauculus numerus verbulorũ. Quot & quanti
futuri ſunt conciues ſanctorum & domeſtici Dei,
qui ad iuſtitiam erudiunt plurimos, & fulgebunt
velut ſtellæ in perpetuas æternitates qui ad decla-
B rationem cęleſtis huius cantici gloriæ, laborabunt
te doctrice. Concertabunt apud diſſidentes futu-
rorum hæreticorum fragores, ſtrepitus horrẽdóſ-
que clamores, vt in debita concinant harmonia, te
beatiſſimam Trinitatem in vnitate, & vnitatem in
Trinitate in perenni ſeculorum tempore amen.
Dicent crebro. Gloria tibi domine. Nominabũt
te Deum gloriæ, te gloriam plebis tuæ Iſrael. Te
dominum virtutum qui es rex gloriæ. Tu rex glo-
riæ Chriſte, concinit omnis eccleſia. Tu ad dexte-
ram Dei ſedes in gloria Dei patris. Tibi laus, tibi
C gloria, tibi gratiarum actio. Quid igitur ſupereſt
humilitati meæ quam reſpexit dominus, niſi vt cũ
omnibus generationibus ſeculorum ſubiungam
pro fine pulcherrimo debitóque ſuperaddens ad
canticum meum: Gloria patri & filio & ſpiritui
ſancto. Sicut erat in principio & nunc & ſemper,
& in ſecula ſeculorum amen.

FINIS.

D SEQVITVR CARMINVM SVPER MAGNIFICAT PARS NON MINIMA, quæ pro abigendo tædio quietæ ſenectutis & recordatione præteritorum ſtudiorum non tam nitori ſtudens quam deuotioni & vtilitati modulatus eſt.

MAgnificat anima mea te dominũ, meus in te
Spiritus exultat, reſpice fac humilem.
Aduena dum terris dego, me cura placendi
Sæpius eluſit, Chriſte peto veniam.
E *Da modo complaceat tibi ſoli ſerior ætas,*
Carmine ſe ſolans, ſis ſibi ſolus honor.
Carnea carnales elegia cantat amores,
Cælica cæleſtem promat amicitiam.
Geſta ſtilo memori miſerandi temporis huius
Dent alij, nobis diua ſophia placet.
Non eſt conſilium pulchri ſpectacula cæli
Linquere, ſcænumque vile ſtilo terere.
Me mea ſcripta tuis committo pater manibus fac,
Quantum quamue parum vis fieri maneant.
F *Maxima pars monet & ſupponit noſcere ſeſe*
Viribus in proprijs intus & exterius.
Se ſcripturarum manifeſtant dicta viciſſim,
Crebro latent ſola, perlege, ſe reſerant.
Denique præueniat reſerans oratio ſenſus,
Lectorique comes ſit pia ſedulitas.

CUr ſpeculatiuas claudo ſub lege metrorum,
Materias quærit cor iuuenile ſeni?
Metrorum leuitas an non minuit grauitatem,
Senſus, & proprium pondus habere vetat?
Dedecet an ſenium ludus iuuenilibus aptus
Ætatem proprium quamque decet ſtudium?

Digitized by Google

Grandior es, pudeant puerilia, nunc lachrymarum,
Tempus nunc lachrymis corda pianda pijs.
Ludicra pone ſenex puer vt non ſis maledictus,
Seria res agitur, mors volat ante fores.
Parce ſeni iuuenis, paucis confuſa reſoluo,
Mens gaudet numeris arctius arcta tenet.
Ædificat ſenium doctrina virilis, & acta
Ludicra delectant metra puericiæ.
Gratus erat puero iam de conceptibus omnis
Sermo, nimis cupiens noſcere quid ſit homo.
Intus & exterius quod habet vires repetebam
Sedulus, & tandem ſero videre datum eſt.
Triclinium cordis quid ſit, quid mentis aſylum
Qualis imago Dei, gloria qualis ei.

Hoc opus, hoc ſtudium canos excreuit in annos,
Otia delectant, ſabbata ſola placent.
Ex requie requies, menſis de menſe vacare
Dant, exaltatus vt Deus eſt videam,
Miris iſta modis Deus attulit otia nobis,
Anxia curarum vincula diripiens.
Forte, nec inuideo, poterit quod ſcribitur olim,
Id forte nonnullis vtile, ſuaue, placens.
Nec puerilia ſunt quibus vſi metra prophetæ
Pſaltes, philoſophi, theologique graues.
Attamen auditu carnis reſonantia non ſunt
Carmina de rebus quas ſapit vnica mens.
More ſuo ſi ſit breuitas obſcura pateſcet,
Vocibus aut proſis latius expoſita.
Ingeniique modum decet vnumquemque, notare,
Par aquilæ non eſt quæque volabit auis.
Ars quoque nulla ſtatim totam ſe prodit, oportet
Vſus vt acceptam ruminet aſsiduus.
Ingenium clareſcit & ars, ſi longior vſus
Affuerit, nemo ſumma repente capit.

Arguitur ſenium quod deſipiens puereſcat,
Altera cauſa ſubeſt, perdita vita prior.
Eſt virtus vegeta minor in ſene, fortior aufert
Ex animo pacem de cerebro requiem.
Fulget in antiquis ſapientia, ſed quibus ætas
Iunior in claris conſenuit ſtudijs
Profectos gaudet elegia claudere ſenſus
Verſu ſub duplici, pulchrior inde nitet.
Complacuit per eam vacuæ monumenta ſenectæ,
Vtile cum dulci conſociando dare.
Otia prudenter vitans eremicola quidam
In plectis operans fine cremabat eas.
Exemplo conſolor in hoc, ſi nullo manerent
Poſterius ſtudij ſcripta labore mei.
Profuerint ſi non alijs obliuia vitæ
Mæſtæ dant animum dum meditando replent.
Qui loquitur linguis, neque intelligitur, illum
Præcipis vt cantet, Paule, Deóque ſibi.
Ergo tecum habitans cane muſis ludéque tecum
Gratia quanta, Deo poſſe canendo mori.

Humanæ finis naturæ nos docet aptus
Quis modus & noſtris ordo ratus ſtudijs.
Philoſophia, fides, cum quauis religione,
Conueniunt, quod homo ſit ratione vigens.
Rurſus ſola bonum ratio concernit honeſtum
Bruta ſuper, finis ſolus ei Deus eſt.
Finis diſpariter brutis, quoniam meminiſſe
Poſſeque noſſe Deum quin & amare datum eſt.
Sumitur ex iſtis veraciter eſſe beatos,
Verbum qui capiunt & retinent domini.
A Talibus optima pars cedit, quæ cogitat vni
Poſtpoſitis curis, ſcire vacare Deo.
Contemplatiuos ideo laudare beatos
Auſus Ariſtoteles conſonus eſt fidei.
Multa tamen variat, ſed in hoc concordat, vt ætas
Vltima diuino dedita ſit ſtudio.
Non niſi poſt artes, mores & philoſophiam,
Otia concedit poſſe beata ſequi.
Chriſticolas quanto leuius citiúſque beatos
In commune facit ſpes, amor atque fides.

B Theologia quidem pariter cum philoſophia
Mores non deſinit, altius erudiunt.
Sit procul atra comes cui mos inflare ſcientes.
Scire tum ære facit, teſtis apoſtolus eſt,
Contemplatiuos ratio demonſtrat amicos
Eſſe Dei, quibus & paucula ſufficiunt.
Signat amicitiam perquirere conditiones
Dilecti, de quo cogitat & loquitur.
Hoc contemplator præſertim theologizans
Nonne docendo facit? vel meditando ſilens?
C Viuit contentus præſentibus, anteriora
Poſthabitis alijs, vnica cura ſequi.
Non rixas hominum, bellorum ſiue tumultus
Audit, ad hæc ſurdus, mutus in ore ſuo.
Sumit in exemplum Loth, qui prout aduena iudex
Tam ſceleratorum non fuit in Zodomis,
Tranſiliens iditum cur ſe miſceret iniquis
Qui foris eſſe volunt, cur ſibi ſit nocuus?
Altior eſt mundo curas qui deſerit omnes,
Quem ſuſcepta nihil publica cura premit.

D Magnificans Chriſtum bene plebs ait omnia fecit,
Nam quæ fecit erant omnia valde bona.
Firma fides niſi ſit diuæ pietatis amatrix,
Iugiter inquirens, irrequietus eris.
Illa vel illa Deus cur fecit? quæſtio curis
Plena nimis, plenum ſciueris oſa notat.
Oſum cur iungas, cur oſus erit vitioſus?
Scrutator rerum quas agit omnipotens.
Quærat & inquirat non inueniet rationem,
Ipſe quidem fecit omnia quæ voluit.
E Ordo duplex rebus nam primus reſpicit vnum
Qui creat, eſt medium, finis & initium.
Æternus, nulli mixtus, quamuis ſit vbique
Præſens eſſe ſuum poſſe vel influere.
Alter ineſt rebus inter ſe viuidus ordo
Certis qui numeris mutuo nectit eas.
Primum contemplans nullam prorſus rationem
Dic, niſi quod fecit omnia quæ voluit.
Iuſtitiæ radix eſt velle ſuum prior vlla
Quæritur, erratur, quid prius initio.

F An diuina caret recta ratione voluntas?
Non caret, ipſa ſibi ſufficiens ratio.
Primipotens faciat quod vult nec iuſtius vllum eſt,
Libertas aliter quomodo cedet ei?
Sit ſtatus in primo, ſi non, vbi conſtituetur?
Diſpoſitus rebus ordo ſecundus ineſt.
Inuenies iſtic connexas mutuo cauſas,
Vt cur ex rebus proueniant alia.
Hoc natura facit quæ vis eſt inſita rebus.
Quæ rem conſimilem procreat ex ſimili.
Philoſophis ſtudium talis fuit ordo ſecundus,
Ex hoc ad primum ſcandere cura fuit.

Theologis

Digitized by Google

Theologis quia mox ſolum ſublime fides dat,
Se prius his ſtatuunt, infima deinde petunt.
Ardua diſparitas, felix qui ſemper in alto
Nixus principio, iudicat reliquis.
Actio paſſa petit, ſed contemplatio fini
Iugiter intendens: dirigit huc oculos.
Inde quieta manet, torquet nihil ordo ſecundus,
Scit quoniam primo conſonat optimus eſt.

Eſſe gradus rerum varios cognoſcit & apto
Cuncta loco poſita quicquid iniquus agat.
Ordo ſecundus habet mala plurima, ſed tamen illa
Solis noxia ſunt, iure volente, malis.
Sis bonus innitens primo bona ſunt tibi prorſus
Omnia, nilque tuo deerit in obſequio.
Exclamabis ad hæc quo pacto, qua ratione
Eſſe bonus valeo ni Deus hoc dederit?
Non potes affirmo, quare ſis ſubditus illi
Atque tuam minimè iuſtitiam ſtatuas.
Eſt tamen orandum, bene viuendum, medijs lex
Quæ iubet inſtandum, nec potes abſque Deo
Murmura non reſonent hominum, da quæſo ſalutes
Ipſe Deo ſoli, qui creat & recreat.
Prima libertas cauſæ determinat omnes
Effectus, proprio vult vt in arbitrio.
Philoſophus ſi libertatem denegat iſtam
Aut nihil aut fiet omne potens fieri.
Ecce gradus ſimiles numera ſiue poſſibiles ſunt
Quilibet vt fiat, hic fit, & ille nihil.

Iudicio res ſolerti penſata, docebit
Omnia quod primi terminat arbitra vis.
Non tamen arbitrij libertas vlla creati
Tollitur, augetur & viget inde magis.
Cur ita vult ita namque Deus qui cuncta miniſtrat,
Condita vult proprijs & ſinit ire modis.
Naturalis vis quam reſpicit ordo ſecundus
Contingenter agit, ſi Deus inſpicitur.
Sed manet arbitrio dupla contingentia noſtro
Ordine ſub duplici ſic patet imparitas.
Impius eſt error dicens prodire neceſſe
Omnia ſub primo, ſi referantur ei.
Res habet inſtanti ſolo quæcunque neceſſe,
Si vult namque Deus, quæque repente perit.
Tolle Deum facere quicquam, mala nulla manebunt,
Non tamen idcirco vult Deus eſſe mala.
Cur ita? nam propriam vult appellat rationem
Nemo malum vellet ſub ratione mali.
Sermo pias igitur lædens aures reprobetur
Quod Deus actor vult crimina, probra, nefas.

Spiritus exultauit ait meus alma, ſuperbos
Mente ſui cordis ad nihilum redigens.
Spiritus & mens ſunt eſſentia, ponimus vnam,
In nobis animam conſociamus eis.
Fit tamen à ſermone Dei Paulo referente
Has inter vires ſectio mira nimis.
Spiritus atque anima quaſi ſunt ratione ſecati,
Lucida nonnulli ſcripta dedere ſua.
At ſi diuiditur vel quomodo ſpiritus & mens
Sermo rarior eſt, vtique diuiditur.
Qualiter aſtruitur rationis portio duplex
Non re diſtincta, ſed magis officio.
Mentis amor Deus eſt ſolus, ſed ſpiritus omne
Reſpicit obiectum quo bene diligimus.

Mentis imago Deum proſpectat vt vnica ſolum
A *Spiritus obiecta plurima reſpiciet.*
Semper in arce manet Syon mens ſpiritus omnem
Hieruſalem quaſi rex regulat atque regit.
Menti lectulus eſt ſponſi locus vnicus omni.
Triclinio mentis ſpiritus imperitat.

Spiritus eſt menti dux & rector, vice ſponſi
Quem fœcundare gratia ſola poteſt.
Namque vtero mentis dum ſpiritus aduenit almus,
Supremi virtus ſemet obumbrat ei.
Naſcitur hinc ſanctum domini quod gratia gignit
B *Concipit illud mens parturit atque parit.*
Verbigena menti dux ſpiritus additur, eius
Dum peregrinatur ducitur arbitrio.
Virgo Maria Ioſeph non te grauidauit, erat vir,
Attamen ille tuus, continuúſque comes.
Cum puero matrem fidus deducit, alebat
Sponte labore ſuo, ſedulitate pia.
Spiritus haud aliter menti datus, impius & trux,
Et ſi non domino paret & obſequitur.
Impietas quanta eſt ſeductor de duce ſi ſit
C *Mentis ſi fœtum ſuffocat aut perimit.*
Euenit hoc operum quotiens alimento bonorum
Detrahit, aut gladio criminis vltro fecit.
At ſi pœniteat conſurgit cum puero mens
Rurſus & ad patriam fas erit ire ſuam.

Libertate viget homo duplice, prima cohæret
Fini, quæ nunquam tota perire poteſt.
Libera vis hæc eſt, quæ non deliberat, eſt vis
Arbitra, cui flecti ſemper vtrinque datur.
D *Complaciti primam nos dicimus, altera nomen*
A contingenti ſumit, & officium.
Pollet vtraque Deus, per primam ſpirat ad intra,
Altera diſponit cuncta ſuis vicibus.
Prima neceſſarium non aufert, altera verò
Contingenter ait proſpiciens media.
Arbitra vis, lunæ ſimilis, mutabilis inde
Obuia ſit prima noxia criminibus.
Si duo concordent vir & vxor, ſpiritus & mens
Promiſit, faciet Chriſtus erit in medio.
Non duo iam vel tres inconnexi, ſed in vnum
E *Cor ſimul atque animam fortis amor rapiet.*
Gratuitus cum natiuo iungentur amores.
Finis principio, quatenus alpha ſit ω.
Mens conuerſa, mens pater es, dux virginitatis
Alme mea, dicens oſcula ſancta feret.

Arbitra vis ſi ſpiritui proprietur, ad ipſum
Omnis culpa redit, noxa ſcelus vitium.
Scilicet omittit vel committit, quia menti
Diſſonat, intentè ſemper amare Deum.
F *Mordet eo vermis damnatos arbitra quando*
Vis refugit, quod amans libera vis meminit.
Hanc Deus impreſſit menti cum viribus eius.
Indebiliter, dum manet ens proprium.
Libera vis nunquam niſi ſit ſimul arbitra peccat,
Dote quidem tali pollet imago Dei.
Vult natura Deus, vult inclinatio recta,
Spiritus vt mentem ducat in alta ſuam.
Spiritus arbiter eſt, mens libera, collige paucis
Inter eas vires ſectio qualis erit.
Spiritus arbiter eſt vires animæ ſuper omnes
Qualis contingit ſub ratione regi.
Eſt penes arbitrium quæuis operatio laudis

Digitized by Google

Vel vitij, rebus vtitur & fruitur.
Arbitrium tuleris, nihil eſt peccabile, nullum
Demeritum cuiquam prouenit aut meritum.

SPiritus eſt typicè dictus Iacob, & variè vir
Ancillæ, ſociè vir pariter dominæ.
Mentem dic dominam domini cui fulget imago,
Gloria, lux, ſpeculum, quem meminit, ſcit, amat.
Synderiſim quandóque ſcias pro mente reponi.
Cuius natura pellit ad omne bonum.
Aut prout hic loquimur ſoli mens dedita primò eſt,
Cuius & obiectum finis & vnicus eſt.
Mens ita ſynderiſim ſupereminet vnica iungi,
Quæ ſolet ad ſponſum filia virgo Deum.
Mens & apex mentis ideo diſtincta notentur.
Sit quod amor radix finis & initium.
Omnia finit amor, prout inchoat omnia, nunquam
Ipſe tamen neſcit, nec memor eſſe nequit.
Vnius & trini ſaluator ſemper imago
A patre per verbum circulat almus amor.
Imprimit hoc natura bonum, ſed gratia format
Gloria conſummat poſt rudimenta viæ.
Contemplantis habes finem, qui ſubleuat ad ſe
Mentem ſupra ſe, ſicque ſigillat eam.

EST naturalis affectus & eſt animalis,
Eſt rationalis mens amat arce manens.
Mens patriam repetens amat, & quæ poſſidet illa
Mens amat, & ſe mens omnipotentis amat.
Diuini generis amor eſt mentis triplus iſte
Finis, & obiectum ſtat tribus ipſe Deus.
Per ſpeculum primus amor eſt, ſpeciem tenet alter
Actu ſe proprio ſolus amat dominus.
Solus in immenſum ſe nouit, amat fruitúrque
Actu non menſo nullus amare poteſt.
Sub gradibus ternis opus exercetur amoris,
Credulitate prior fit, ratione ſequens.
Ex intellectu reliquum fit, conſimili dic
Gratificus quod amor triplificat meritum.
Primum ſimpla fides, intellectus quoque donum
Quod ſequitur præſtat, dat phreneſis reliquum.
Gloria triplatur, communis prima ſecundam
Mater habet, ternam Chriſte ſupreme tenes.
Vnica ſublimis gradibus caret omnipotentis
Gloria ſit quamuis trinus & vnus idem.

GRatia gratuitus amor eſt baptiſmus amori
Primitus impreſſo deſuper addit eam.
Mens per eam patris æterni vitæque perennis
Hæres adaptatur, ſponſa fit, arra datur.
Naturalis amor nunquam delet, eundem
Ad reprobos etiam continuat dominus.
Obniti conatur ei malè grata voluntas.
Se crucians vt equus calcitrat ad ſtimulum.
Mira Dei bonitas patet ac inuicta poteſtas,
Cúrque voluntati pax nequit eſſe malè.
Extimulans agitat, vrget, pungítque remordens,
Complantatus amor iura Dei retinens.
Primus amor mentis liber ſe ſponte coaptat
Primo principio, quod nec amare nequit.
Arbitrium ſequitur vſum rationis, & vltro
Flectitur in partes, ſi vollet, oppoſitas.
Sponte ve ſuſpendit ſe partes inter vtráſque,
Vſquequo confirmet gloria velle bonum.
Liber amor melior, quo plus fulget, viget ardet
Corde manu, ſenſu peruigil, hinc melior.

A EST occaſus in ens purum fit caſus & alter
In purum non eſt, mens ab vtraque cadit
Dic ita contingens, quia non valet eſſe & in eſſe,
Non impoſſibile dicitur eſſe tamen.
Falſaue ſunt non aliud eſt in eis medium.
Non, negat omne quod affirmatio ponit,
Et viceuerſa, quid me duret ibi.
Principium primum complexum fallere ponens.

ARbitra ſe virtus viréſque ſuas mouet omnes
Flectitur ad ſeſe mota mouens eadem.
Altera cauſa tamen ſemper concurrit vt ipſum
B Obiectum ſaltem cauſa ſuprema mouet.
Actio non eadem motus ſeu motio moto.
Hoc Deus ad ſeſe ſolus habet proprium.
Par eſt obiectum, par eſt ratióque videndi
Actio, ſed diſpar cum Deus inſpicitur,
Verbum ſi dicat ea mens, aliter tamen intro
Verbum diuinum corde pater generat.
Spiritus & ſanctus mentis ſpiratur amore,
Non prout hunc ſpirant filius atque pater.
Exemplar verbum dices exemplar amorem,
C Quem ſanctus ſibimet ſpiritus appropriat.
Vnica forma Dei formas ſupereminet omnes,
Altera dic non eſt forma realis ibi.
Formales varias rationes fabricat vſus,
Intellectiuus abſtrahit, aut reſerat.
Componens caueat falſos coniungere ſenſus,
Dum ſuper abſtracto ſcire cupit quid id eſt.

MEns à mene dum variatur imagine lunæ,
Mens quia metitur, eminet & meminit.
Mens ita totus homo, mens intellectus & eſt ens,
D Ipſa voluntas eſt vis memorans pariter.
Mens homo dum lunaticus eſt, dum more Zachæi
In Hiericho degit, luna ſonat Hiericho.
Vix interualla recipit lunaticus iſte
Lucida pauca nimis, valle manens miſera.
Torquet & illidit vel humi vel aquis vel ignes,
Paſsio crebra ruens, dormiat aut vigilet.
Nitatur tamen vt vel rarò cogat in vnum,
Spiritus initium quod ſit amore pio.
Semet adunat amor vires reliquas ſimul omnes
E Colligit imperitans, actificans habitus.
Tunc lucet tenebra, radians caligo ſubitur.
Mens intro rapitur, lux inabyſſat eam.
Sicut aquis oleum ſupereminet, almus amor ſic
Supra quodlibet ens exilit vſque Deum.
Argentum viuum ſemper protendit ad imum
Centrum quod Deus eſt ſemper homo repetit.

MAgna potens fecit mihi magna canis benedicta,
Ecce beatam me prædicat omne genus.
F Virginitas matri, fidei cor, ſummus ad imum
Iunguntur, mirer quid potius dubito.
Magna potens tollit mirari, ſolus is ipſe
Cor fidei iunxit omnia qui potuit.
Deſine mens hominum temeraria velle profundum
Conari ſenſum te penetrare Dei.
Infinitus enim non circunſcribitur arcto
Formatæ mentis quolibet ingenio.
Cuncta Deus ſapienter agit, nec homo rationem
Aſſerit hoc Salomon, ſcire poteſt aliquam.
Deſtruat, ædificet, perdat vel collocet vt vult,
Cur ita feciſti dicere quis poterit?
Deſpicit excelſos oculos, cordíſque ſuperbos

Mente

Digitized by Google

Mente ſui, dignè fallitur improbitas.
Improbitas ſapere quæ non vult ſicut oportet,
Senſus ſobrietas eſt inimica ſibi.
Contingenter agit extra ſe prima voluntas
Libera ſe varijs inſinuando modis.

MOtus cuique rei proprius diuina voluntas,
Paret & ad nutum flectitur illa Dei.
Nulla prior cauſa eſt, cui ſoli dicere fas eſt,
Sic volo, ſic iubeo, velle mihi ratio eſt.
Grammatici cauſam quærenti ſignificati,
Reſpondent, quia ſic impoſitor voluit.
Diſpoſitis rebus datur altera cauſa propinqua,
Ordine pro rerum proprietate modis.
Quæque Deus forma vult, non quia ſunt bona de ſe.
Sed bona ſunt, quia ſic diſpoſuit fieri.
Cum voluit nihil eſſe prius quodcunque creatum,
Tunc nihil hoc fuerat ſi capis eſſe bonum.
Fiat lux dixit, bona lux, quia complacuit lux
Ut fieret, bona ſunt omnia iure pari.
Quod bona, quódque potens ſapiénſque per omnia clamāt
Vocibus excelſis cuncta creata ſimul.
Res ita diſponit, proprios vt eas ſinit actus
Seu motus agere, vertere ſponte poteſt.
Vertit & immutat quotiens miracula fiunt,
Ut dum ſuſpenſa qualibet actio ſit

MVlti quid fatum ſit fortuna requirunt,
Soláque ſi præter nomina ſunt aliquid.
Sunt aliquid, nec enim ſermo communis inanis,
Nil penitus fruſtra publicus vſus habet.
Eſt operans à propoſito certum ſibi finem,
Certáque pro fine præſtituens media.
Dicere fortuitum nemo præſumit vbi quis
Præuiſis medijs quod petit aſſequitur.
At dum proueniunt ea rarò qualia prorſus
Non intendit agens, dicito fortuita.
Pergis ad eccleſiam domino tua reddere vota,
Et patet ante pedes aurea maſſa tuos,
Vtique fortuitus eſt hæc inuentio, cauſam
Eius fortunam dicere ritè potes.
Inde vides primam cauſam quicquid facit, eſſe
Nil ſibi fortuitum, nam videt illa prius.
Non ita fit nobis quos ignorantia duxit,
Non præconceptis finibus aut medijs.
Adde quod excelſus Deus efficit omnia, quare
Fortuna omnipotens eſt Deus & dominus.

QVicquid contigerit nobis, nec præſcia mens eſt
Præuidiſſe Deum non dubitare poteſt.
Hinc fortuna liquet quod in omni re dominatur,
Nemo ſcit ſibi quid veſpera ſera vehat.
Præterea cauſas alias ſi colligis omnes
Ipſas fortunam ſæpius inuenies.
Cur quia concauſant vbi nemo intenderet actum
Talem, vel tali fine, modo fieri.
Iunge intellectus vbi maior ineſt, minus illic
Eſt de fortuna, cur? quia plura videt.
Angelici porrò ciues animæque beatæ
Nil vel rarò aliquid fortuitum reputant.
Omnes namque docet in verbo viſio clara,
At nos væ miſeros nubila tanta tegunt.
Porrò priora tenens de fortuna, ſciet aptè
Mox quid ſit caſus cauſa, vel eius opus.
Caſus ineſt ſoli propria ratione carenti,
Vt ſunt bruta, quibus nulla præeſt ratio.

Nulla quidem propria eſt, ſed ineſt aliena, regens, dux
A *Et quæ non errat primo potens ratio.*

DIxeris hunc vigilem ſenſus ſunt cuius aperti
Peruius & liber ſpiritus hos animat.
Somnus verò quid eſt illiberatio ſenſus
Communis greſſus fumus opilat eum.
Ergo ſtatus medios varióſque notato frequenter
Senſibus humanis poſsibiles fieri.
Sonniculoſus enim vigilat torpore grauatus,
Nec vigilat prorſus, inter vtrunque manens.
Læſio communis ſenſus, vel apertio lenta
B *Dat phreneſim capiti ſic reueriſa venit.*
Verba nihil connexa ſibi profert reueriſans,
Neſcit quid ſequitur, quidue repugnet eis.
Cur? quia nulla regit ratio, phantaſmata, nullo
Ordine quæ girant vt mare fluctiuagum.
Somniat ergo vigil minus aut plus plurima vexant
Fortia vel modica dum ſimulacra caput.
Gallum nunc loquitur, aſinum modo, caſtraue terris
Fundat in Hiſpanis, vota facit varia
Paſsio quæ fortis fuerit, quæ fixa cerebro,
C *Credite quod non vult ſe ratione regi.*

PAſsio dum turbat cerebrum, fit homo fatuiZans,
Augetur tandem, lædit: & eſt phreneſis
Ergo vides cordi deuoto vel ſtudioſo,
Noxia cur ſiunt idola corporea.
Abſtrahat ergo ſagax à phantaſmatibus almam
Vim mentis, purè lumine ſe recreet.
Sed quam difficile eſt, quam rarum, nec venit vlli
Gratia ni fuerit deſuper irradians.
D *Qua duce præſumat cor ſurſum poſſe leuari,*
Et quadam lucis ſe regione frui.
Semper ſuſpecta ſit quantumcunque ſalubris
Paſsio credatur, quem retinere nequis.
Namque praire ſuam quæ dutrix eſt rationem
Geſtit & effrenem ſe rapit abſque modo.
Non ſecus indomitum vidi geſtire caballum,
Sic ſtimulis acti taurus, aper furiunt.
Paſsio iudicium variat, prout ebrietatem
Non vno faciunt fumida vina modo.
E *Hic ſilet, hic loquitur, furit hic, ridet pius ille,*
Hic vigil, hic ſtertit, ſit ratione nihil.

GLoria celſa Deo vobis vir & ô mulier pax,
Quæ vos conciliet ſemper amore pari.
Qui mores hominum, quos ſecum ſexus vterque
Fert conferre cupit, ſcandala præcaueat.
Nam generare ſolet odium collatio talis,
Laudetur potius fœdus amicitiæ.
Mutuo ſe refouent artus in corpore vero,
F *Humanus ſic ſe ſexus vterque iuuet.*
Conſona membra ſibi, non vllum corpore ſciſma eſt,
Non oculus manui dicit inepta mihi es.
Eſt hominum ſpecies eadem, ſit fœmina, ſit mas,
Sunt animæ ſimiles quæ ratione vigent.
Conditor vnus eius plaſmator ſiue creator,
Par & origo dedit nobilitate frui,
Materies ſimilis, clauduntur morte parilli,
Idem finis eis primo ſtatutus erat.
Crimina nemo libens ſua credito vult recitari
Cum ſoleat laude quiſque tumere ſua.
Dixeris ergo frequens quod ſexum poſsit vtrunque
Nexu iocundo conciliare ſibi.

Digitized by Google

Exhortare, colant & ament ſe ſexus vterque.
Præueniant gratis iugiter obſequijs.
Si vitam inſpicias hominum, ſi denique mores,
Nemo caret vitijs iunior aut ſenior.
O tandem maior parcas inſane minori.
Non alios damnet quem mage culpa ligat.
Omnes nonne ſimul eadem damnatio ſtringit,
Omnes peccati perdita maſſa ſumus.
Quiſquis ſaluatur, hunc ſaluat gratia ſola,
Gratuiti doni eſt gloria nulla tibi.
Nos fecit dominus, nos deſtructóſque refecit,
Sunt & apud dominum fœmina virque pares.
Nunquid vita mares ſolos æterna beabit?
Hæc ne ſalus cunco fœmineo dabitur?
Qui ſexum culpat muliebrem ſiue virilem
Culpat cum puero te pia virgo tuo.
Matribus & patribus proprijs conuitia dicit,
Sanctos & ſanctas conſpuit improbiter.
Vir bonus eſto memor, quod ſit tibi fœmina conſors,
Inque tibi gratum ſit data ſubſidium.

Vir qui fortior es quanto robuſtior in te,
Et pollet valido mens tua iudicio.
Fœmina ſi varium cor habet mutabile ſemper
Plus indulget ſibi, plus miſerere pius.
Tu dux, tu rector, caput es, rege, conſule, nutri,
Dilige, conſerua, Chriſtus vt eccleſiam.
Scandala ſed dices præbet mihi fœmina crebro
Blanditijs, rixis, cultibus, illecebris,
Conſentire caue, tibi nil affirmo nocebunt,
Hoc tua, ſi præceps, non ſua culpa facit.
Quid quod res omnis laqueus culpæ fit iniquis,
Omnes non ideo res odienda bonis.
Cultu ſi nimio mulierum ſexus oberrat,
Ponat noſtra viri prouida cura modum.
Euam debuerat Adam reprehendere, ſed dum
Conſentit, proprium plectitur ob vitium.
Fœmina ſis ſubiecta viro, caput eſt, ſibi pare.
Laus ſua laus tua ſit, gloria, fama, decus.
Proba malis dicta bona ſis ſcito tua laus ſunt,
Nam virtutis honor dedecus eſt vitij.

Non nocet innocuis infamia fœda nocentum.
Ante tribunal onus quiſque feret proprium,
Fœmina cum tibi ſit pudor & deuotio cordis,
Flebilis & mollis vtere dote tua.
Cerne quod omnipotens per ſexum fortia fregit
Sæpe tuum, tribuens martyrij brauium.
Ergo probus conare ſequi, vos fortia fortes
Exercete mares, laus ſit vtrique ſua.
Sit vobis in amore bono nexus, cor & vnum,
Vna prout ſpecies, finis & vnicus eſt.
Spiritus annexus tres vires, tres quaſi ſponſus
Ancillam, ſociam ſuſcipit & dominam.
Eſt ancilla caro, ratio quoque libera, ſed mens
Eſt dominans, grauidat ſolus eam dominus.
Artes fuſca petit ſeruiles fulgida francas,
Deica vult ſoli ſola vacare Deo.
Spiritus eſt ſeruus, liber, dominus, prout his ſe
Arbitrio proprio plus ve minus, ſubijcit.
Conſona ſi fuerit microcoſmo copula triplex,
Nil microcoſmo pulchrius aſpicies.

Et ſanctum nomen eius, cuius? niſi ſancti,
Sanctorum, ſanctos vt ſuperas alios.
Sanctus ſanctorum vult ſanctum ſanctificari
Nomen, vt orando prima petitio dat.
A *Eſt natura capax rationis, cætera claris*
Dotibus excellens, quæ meminit, ſcit, amat.
Prouida cura patris homini ſpecialiter aptam
Orandi formam iuſſit & inſtituit.
Hic bona quæ cupiat, mala quæ fugiat numerantur,
Mentis & interpres lingua Deum rogitet.
Qui pater es noſter in cælis, ſanctificetur,
Abba tuum nomen ſanctificare potens.
Adueniat regnúmque tuum, fiatque voluntas
In terra ſicut cælicus ordo facit.
Panem hodie noſtrum da nobis quotidianum,
B *Et ſuper ens, triplex qui datur & ſatiat.*
Debita dimitte nobis, dimittimus vt nos
His quorum nobis debita noxia ſunt.
Ne nos inducas vt nos tentatio lædat,
Gratia ſed tua nos liberet abſque malo.

Mira Dei pietas omnis pietatis origo,
Ex nihilo miſeris ſe dedit eſſe patrem
Filius es, non iam de terra, cælicus eſto
Cæleſti caueas degener eſſe patri.
C *Adde quod & frater dici dignatur, & eſſe*
Proximus & ſocius factus homo voluit.
Immo miniſter ait ego ſum, non conditione
Seruili, pietas vnica flexit eum.
Amplius adijciam, quod crede tamen, quia ſponſum
Tradit ſe menti deigenámque facit.
Filius ergo tuus Deus, ô dignatio qualis,
Factus verbigena magnifica dominum.
Noſter paruulus es, natus nobis, datus idem
Filius, & nomen Emanuel proprium.
D *Factus es & nobis vltro ſapientia, iuſtus,*
Sanctificans, redimens, vitáque, vera via.
Qui ſolus propriè es, ex quo, per quem fit, & in quo,
Quodlibet es forma, finis & efficiens.
Hinc vnum verum, bonitas, ſpecies, modus, ordo,
Pondus, menſura, prouenit & numerus.

In cælis habitas, cælum cæli ſimul ipſum
Cælum cælorum dixeris ex proprijs.
Vel cælis ideo quia te celas, tenebráſque
Ponis latebras, cui locus eſt nebula.
E *Hæc calido quid eſt tibi ſermo myſticus edet,*
Quem docuit Paulus, crede Dionyſio.
Scribimus et legimus, loquimur quoq, plurima ſed quid?
Omnia ſunt ſi non ſpiritus introducet.
Multis hos cælos deuotio fecit apertos,
Dixit vterque Ioan cælica viſa ſibi.
Prologus orando nos fecerit hactenus aptos.
Attentos, dociles, quæque petenda ſequi,
Abba tuum nomen oramus ſanctificetur,
Sanctum ſanctificans ſanctificare decet.
F *Nomen noticiam quaſi notamen vocitamus,*
Eſt vnum nomen omnimodúmque Deo.
Sanctificantem nos decet illum ſanctificemus,
Sedulo quæramus nomina noſſe Dei.

Theologia triplex numeratur myſtica tradit
Solus quod ſe ſcit exuperante gradu.
At per ſymbolicam transferre in quodque creatum
Fas eſt, & ſummo nomina ferre Deo.
Vilia dum transfers aures offendere noli
Simplas atque pias, vera licet tua ſint.
Ex perfectis propria conſtat theologia,
Nil imperfectum nominibus reſonat.

Omnia

Digitized by Google

Omnia tollit myſtica ſummo, dátque ſecunda
Nomina cuncta Deo, terna ſtat in proprijs.
Prima Deum celat in ſe, velátque ſecunda
Symbolicis retinet terna velut medium.
Tertia namque parit conceptus interiores
Abſtractos, primo principio proprios.
Actu perfectus, primus, purus, quod eſt ens
Æternum, verum, ſimpliciterque bonum.
Vtitur in patria conceptibus intuitiuis,
Quos inde viſus imprimit ipſe Deus.
Finge Deus retrahat ſe, ceſſat & intuitiua
Viſio, namque Deus ſolus erit ſpecies.

ADueniat regnum, quia ſi non primitus ad nos
Venerit ad regnum nitimur in vacuum.
Intra nos regnum Ieſus eſſe Dei manifeſtat,
Ergo ſuum regnum rex regat vt proprium.
Ligna petunt regem, nec ficus, vitis oliua
Conſentire volunt, nam ſua ſufficiunt.
Solus in aſſenſum ſe ramnus in atilis iſtis
Deuouet & regnet, deuorat ignis ea.
Fabula ſpectat eum proprium qui ſpernere regnum
Suſtinet interius, exteriora petens.
Fiat velle tuum dices, conſentit & optat,
Congratulatur, amat, complacet atque fauet.
Flectiuus amor ſe conformare ſupremo
Velle tenetur ei, dum ſatis innotuit.
Sic iubet aut prohibet, ſed conſilij monitique,
Ac de permiſſis non eadem ratio.
Nemo Dei tenet fieri cum murmure iudex,
Cur mala permittit res aliáſque facit.
Dum peccata ſinit non vult ea, ſed vetat, odit,
Quamuis non remouet, punit at illa tamen.

FIat progreſſum deſignat, an omne creatum
Dicendo fiat, protulit ipſe Deus.
Corporei motus terram ſi reſpicis, hi ſunt
Rectus & obliquus, circulus eſt reliquus.
Spirituum motus ita triplex, orbicularis,
Rectus & obliquus, pro medio Deus eſt.
Circulus eſt ſimplex, rectus ſe duplat vt altum
Centrum quod Deus eſt proximat aut refugit.
Terminus obliquo quadruplex, modo namque ſiniſtris,
Nunc graditur dextris, ante retroue petit.
Dum reſoluta manet cauſæ mens vertice prima
Egrediens nuſquam gyrus ibi ſuus eſt.
Progrediens ratio motus ſe diuidit in ſex,
Quattuor obliquus, rectus habet biuios.
Conſtans prima ſuo mens centro prouida vis eſt
Da fatum aut caſus fortuitos reliquis.
Caſus vitabis te cælo vixeris alto,
Velle tuum terris ſit quaſi cælicolis.
In terra fiant prout in cælo tua ſanctæ
Iuſſa voluntatis, dicita, rectus eris.

PAnem dum petimus, petimus quicquid reficit nos;
Intus & exterius ſpiritus aut caro vult.
Dic quaſi pan panem, quia totum ſignificat pan,
Panis & ergo Deus ſolus & omne bonum
Noſtrum ſe fecit, dum nos formauit, & addit
Dans formam, pariter quæque ſequuntur eam.
Quotidie quia deficimus, ſic quotidianum
Quærere nos panem cogimur in precibus.
Da tu qui ſolus propriè das, reddere quicquam
Nemo poteſt, donum dicito tale datum
Nobis qui vita peregrini viuimus iſta,
Qui nondum fines attigimus patriæ,
A Nunc hodie tempus præſens, nunc dicimus æui,
Nunc eſt æterni, ſemper vtrunque notat.
Nunc modo, nunc æuo, nunc perpetuo petimus da,
Te panem ſuper ens & ſuo omne Deus.
Hoſtia tu ſacra nobis, tu quotidianus
Panis ſacraris, noſter & efficeris,
Panem ſi petimus, nunquam te teſte negabis,
Nec pro pane pater calice das lapidem.

ET dimitte pater nobis tot debita noſtra,
Creditor exclamat, ſuffocat & cruciat.
B Quod debes redde, multi ſunt, vim patior, ſed
Reſponde pro me quæſo benigne pater.
Debeo me, quia ſum factus, quia ſum reparatus,
Quod baptizatus filius efficior.
Hæres ſum, frater, ſocius, membrúmque miniſtrum
Se dedit, & toto ſe licet vltro frui.
Pauper homuncio tot tantis obnoxie donis,
Da de corde tuo quæ tibi debita ſunt.
Toti debitores orbi, pugnabit & orbis
Totus contra te, gratificus niſi ſis,
C Et ne nos inducas, hoc eſt non ſine pulſos
Tentatóſque graui pondere ſubruere.
Si tentas purges, doceas ſtimuléſque probéſque
Fac humiles, mites, noſſéque nos facito.
Æterna duc alme via, tentatio non nos
Dæmonis illaquet inficiátque caro.
Omne quod in mundo eſt ſuperemus, te duce, tolle
Tot laqueos, vel eos contere ſub pedibus.

NOctis non pauidos faciat timor atque diei,
Nulla ſagitta volans perforet aut noceat.
D Neſcio quid tenebris latet atque perambulat anceps;
Perplexum, dubium, ſit procul, aut pateat.
Crebrior incurſus nimis aut violentior abſit
Dæmonium cedat meridiem ſimulans.
Sis ſpes, confugium, tuus adſit & angelus, aſpis
Et draco ſub pede ſint, regulus atque leo.
Contere ſub pedibus ſathanam, tot retia rumpe,
Tot laqueos, funes, vincula, tendiculas.
Impius & ſtultus tentantem vincere iactans,
Quamuis omnis ei gratia defuerit.
E Sed nos libera ſors & verax liberet omni
Chriſte malo, populus dicat & omnis amen.
Nouimus eſſe malum contractum, flemus & actum;
Cernimus exactum, quod tollere grauat.
Trina mali peſtis tres vires deprimit angens
Debilitat, cæcat, vrit & igne malo.
Virgo ſalutata per aue Gabrielis ab ore,
Symbolicique patres, ferte leuamen amen.

SEptem ſeptenas ex ſcripturis numerabis
F Exercere quibus ingenium poteris.
Diſtorquent animam capitalia crimina ſeptem
Virtutes contra rectificant totidem.
Dona tot expediunt mentem, ſeptémque beatos
Perficiunt, ſeptem ſcito petenda tibi.
Purgat & exornat ſacri ſeptemplicis vſus,
Dotes tot patriæ totus homo recipit.
Addere multa tibi poteris ſeptena coaptans
Singula corde pio, quotidie meditans.
Talibus aſſuero tibi contemplatio tandem
Tædia depellens perfacilis veniet.
Summa breuiloquij Bonauenturæ tibi tradet.
Noſcere ſummatim ſingula dicta modo.

Ordine ſepteno ſanctos vt quódque dierum,
Peſcit opus, ſtudeas connumerare tibi.
Quale quid acta dies tulerit, nunc annua confer
Vt formes animum commemorando tuum.
Túque ſalutifer per partes diuide ſeptem.
Illud aue, Ieſus & Chriſtus amen, ſit ita.

Eſt in progenies pietas diuina timens ſe
Compatitur miſeris & miſeretur eis.
Pauper ſpiritus eſt timidus, reueretur, & in ſe
Maiorem inſpiciens, decidit & reſilit.
Ergo Dei ſumma ſub maieſtate timendum,
Deſperans de te decide, ſuſcipiet.
Te timor edoceat quæ ſit ſententia Chriſti,
Trado ſuaue iugum, do leuitatis onus.
Eſt pietas amor ex affinitate reſultans,
Primáque proximitas à patre progreditur,
Cæleſtis pater eſt omnis pietatis origo.
Cælis & terris finis & initium.
Ex bonitate Dei pietas excreuit in omnes
Progenies, regnat ve nimis impietas.
Hæc tria conueniunt, pietas, timor atque ſophia
Accipe Iob teſtem qui tria connumerat.
Suaue iugum Chriſti eſt, timor adſit iunctus amori
Laudem nam per ſe neuter habere poteſt.
Eſt puerilis amor niſi ſit reuerentia porrò
Seruilis timor eſt ſi ſit amore carens.

Quo pacto poterit inquit, vulgata querela
Dici vel fieri ſuaue iugum domini.
Lex quaſi ſit facilis legi contraria carnis
Léxque radices fixit amara ſuas.
Imbibitur totis ſerpitque maligna medullis
Fomes ad omne nefas éſtque tyrannus atrox
Sobrius eſto, vigil, mitis, caſtus moderatus,
Sperne voluptates, lex tua Chriſte iubet.
Eſto vorax, dormi, ventríſque libidine feruens,
Da cor ad illecebras, clamat amica caro.
Nonne grauem Paulus carnis ſathanæque ſagittam
Senſerat, exclamans crebrius heu miſerum.
Eripiet quis me miſerum de corpore mortis
Huius, vbi pugna deprimit aſsidua.
Audi quid ſacro reſpondet numine plenus
Gratia me domini te miſerante Ieſu.
Gratia namque poteſt hominem pietáſque repente,
Vt per baptiſmum ſaluificare hominem.
Quotqualéſque legis quos vno mortis in ictu
Gratia ſuaue iugum, vexit ad æthera.

Non vllum dici vult philoſophia beatum
Qui non ex habitu depulerit vitia.
Inde fit vt paucos vel nullos inueniemus,
Felices, quales ponitis ô Stoici.
Gratia ſuaue iugum momento tradit in vno
Quo fias felix, ſcriptus & ad patriam.
In mediis igitur rixis, pugnis quoque carnis,
Gratia donatur, gloria quam ſequitur.
Inſipiens ſi ſis, iniuſtus, ſordidus, omnis
Seruus peccati villéque mancipium.
Protinus ipſe Ieſus Chriſtus, ſapientia iuſtus
Sanctificans, virtus, atque redemptio fit.
Forſitan eſt aliquis multo grandíque grauatus
Pondere peccati, flagitij, ſceleris.
Conſtituit dignum mox gratia ſpéque beatum,
Vitat & infernum, cælica porta patet
Saulus erat ſpirans cædem, plenúſque minarum
Concidit, & Paulum gratia mox ſtatuit.
A Suauius & leuius quid erit? nam tollitur à te.
Criminis omne iugum, ſponte niſi ſubeas.

Si pecces rurſus, conuertere, mox veniam dat,
Vires & Chriſtus adiuuat arbitrij.
Hæc dulcedo iugi remanens abſcondita prauis
Eſt, quam deuotis experientia dat.
Gratia martyribus leuis & fortis data monſtrat
Carnis vt arcta iuga ſuaue iugum ſuperat.
Impietas timida venia caret omne iugale,
Fit ſibi difficile, murmurat impatiens.
B Cur te diſtendis ventoſa ſuperbia? quid te
Sufflas & iactas? dum tibi vana places.
Vidi ego viſicam mòdico turgeſcere flatu,
Quæ piſis ſonuit quatuor impoſitis.
Hanc puer vnus acu pupugit diſploſa repente.
Vilis & abſque ſono flaccida detumuit.
Quiſquis adulantum turgeſcis voce, ſub iſto
Diſce tropo tibi quid mortis acumen aget.
Te prius ergo humilem proprij compunctio cordis
Spinave configens ſi ſapis efficiet.
C Nullus adulator peior tibi quam tibi fies,
Si tibi blandiris, téque colendo tumes.

Lucifer hinc cecidi, nec mirum dum videas nos,
Turpes & viles, peſte ſub hac ruere.
Pulcher quid faceres, quid in omni parte decorus,
Omni cum plenus ſorde ſuperbis homo?
Dicis diues ſum nec egens, neſcis quia pauper,
Nudus, cæcatus, vilis es, atque miſer.
Proſpera ſors nutrix eſt huius ſubdola peſtis,
D Aſpera ſanat eam proſperiore manu.
Vnus vt è patribus ventoſo corde careret.
Dæmone vexari quæſijt, obtinuit.
Ergo quid aduerſas tanto fugimus ſtudio res,
Conſulimus ſortes, fidimus aſtrologis.
Sed nolo tentare Deum dices, agis aptè,
Si tamen anteferes præſidium domini,
Angelicum ſi ſubſidium, ſi ſpémque fidémque,
Cura nec humanis ſit nimis auxilijs.
Cura ſuperflua ſit, ſi plus, ſi non vt oportet,
Nec pro perſonæ conditione, ſtatu.
E Tu corpus refoue, tu cura ſedulo carnem,
Quid niſi confeſtim putre cadauer erit?

Ex bonitate patris pietas eſt intus oborta
Vnius & trini, ſumitur hinc ratio.
Diffuſiua ſui bonitas eſt, ſummáque ſumma
Qualis perfectè de foris eſſe nequit.
Hæc tenuis vix vmbra boni, diuina neceſſe eſt
Seſe diffundat interius bonitas.
F Eſt naturalis communio, dic & amoris,
Suppoſitis trina eſt, licet eſt eſſentia ſimplex,
Summa palam bonitas hinc reſerata patet,
Omnia dic eadem, niſi ſola relatio cogat.
Ponere perſonas nominibus proprijs,
Eſt pater, eſt genitus, & ſanctuſſpiritus vnus.
Optimus omnipotens, omniſciens dominus,
Qualibet in re ſunt huius veſtigia cauſæ.
Plus hominis mente claret imago Dei,
Mens etenim ſe cognoſcens, ſe diligit inde
Mens verbum gignit, hinc amor exoritur,
Mens pater eſt, verbum genitus, dilectio nexus
Ac eſſentia ſunt hæc tria non eadem.

Plena

Digitized by Google

PLena eſt ſimpliciter ideo deitatis imago,
Nec lux in ſole lumen & ipſe calor.
Vis verum liber cognoſcere, ſimplificetur
Cor ſurſum remeans, infima deſpiciat.
Materiæ trahit imperfectas conditiones,
Quo magis à ſummo diſtat origo ſua.
Hoc in ſole notes, & lumine ſed viceuerſa,
Dum redit ad primum ſpirituale ſapit.
Mens hominis mundum ſua per ſimulacra receptum
Senſibus effigiat ſpiritui ſimilem.
Spiritus eſt nempe quod gignit ſpiritus iſta,
Mentis conditio libera primo fuit.
Principium rebus primum ſpeculando creatis
Obijce cum nullo crimine læſa iacet.
Inficitur carnis oculus, ſed hebet rationis,
Contemplatiuus lumine pene caret.
Par fit iumentis, mens corpore merſa grauatur,
Decliuis ſtolidam vix bene viſit humum.
Eſt domini pietas in progenies timoratas,
Contritis grauibus, dat leue ſuaue iugum.

FRancia progeniem pietas germana coarctat
Flere tuam, quod eam dura manus cruciat.
Permittente Deo Francorum nobile regnum,
Cur tot ab ærumnis hactenus atteritur.
Scire volens, vt cura ſolet diſtendere mentes
Humanas, noſſe conſilium domini.
Scripturas ſcrutare ſacras, ſcrutare prophetas,
His velut in ſpeculo quod petis inuenies.
Effectus ſimiles cauſæ ſimiles operantur,
Ergo Hieroſolymam cernito cur perijt.
Mittitur hanc contra diuini virga furoris
Aſſur qui plenam flagitijs adimat.
Nonne pares pudet heu, cauſas in Pariſienſi
Vrbe fuiſſe diu vidimus excidij.
Errores cæcos populo, pſeudóque prophetis,
Pompoſóſque ſtatus, vnde rapina venit.
Indéque ſeditio, paupertas, publica ſedes
Membris in proprijs hoſtibus inualida.
O nimis erratum eſt, tandem vexatio nobis
Intellectum det, præteriti pigeat.

CErtet pro patria, pro iuſtis legibus omnis
Verus Francus, erit laus ſibi cum merito.
Prodigus atque rapax luxus piger exultet omnis,
Priſci cauſa mali ſeditione potens.
Fæda libido procul, qualem vel dicere turpe
Arſit quæ quondam ſulphure pentapolim.
A populo domini moderata ſtipendia quærant,
Finis & hic ſit ne publicares pereat.
Vt corpus nerui ſic veſtigalia regnum
Suſtentant, aptè diſtribuenda tamen.
Expedit & populo præſumere non dominari,
Experti ſumus, & tradit Ariſtoteles.
Curia cum paſtore tuo Romana memento
De te quid totiens Francia promeruit.
Redde vices, fer opem, lætalia dogmata damnes,
Quæ vitas hominum fædus & omne necant.
Nulla fides detur mendoſis aure ſuſurris,
Scire cur nollunt, nil ratione habent.
Regnet iuſtitia, vigeat prudentia ſacrum,
Prole noua creſcat Pariſij ſtudium.

SOrs miſeranda nimis te Francia diua fatigat.
Plus quam cuiuſuis vox reſonare queat.
Olim proſcriptos pro libertate tuenda,
Próque fide paſſos, mors releuare tuus.
A Senſit Thoma proprijs dum truſit ab oris,
Anglia te, crebro ſenſit & eccleſia.
Heu pietas, heu priſca fides, coguntur alumni
Francigenæ, mortes exiliumue pati.
Summe Deus, pro lege tua, quam ſub decachordo
Mentibus impreſſam ſcribis, & in tabulis.
O quot theologi, quot pontifices periere.
Carcere quos clauſos dira necat rabies.
Effugit altera pars alienis incola terris,
Tutior exilio, ſed ſpoliata bonis.
Auſtria tu felix, felix ſtudioſa Vienna,
B Dux quibus eſt talis traditus in regimen.
Zelo qui fidei feruens, ob eam fugitiuo
Offert doctori ſponte refrigerium.
Sis ſua magna Ieſu merces, pro cuius honore
Doctorem recipit diſcipulúmque tuum.

DIſperſit dominus vana de ſede ſuperbos
Mente ſui cordis, vita nec apta manet.
Turbis curarum lacerata notatur, & eſt par
Pulueribus turbo quos violentus agit.
C Sede ſedet nulla ſtabili, nec conuenit vlli,
Diſsidet & ſecum turbida mens hominis.
Nuſquam vita malis eſt ſolitaria, quamuis
Deſertis eremi ſit relegata locis.
Millibus hæc ſi ſit hominum circundata turbis,
Nuſquam ciuilis nec ſocialis erit.
Mens humilis, ſimplex & ſolitaria ſecum
Petræ nixa manet, concomitata Deo.
Sola ſimul ſocialis, & eſt vbicunque locetur.
Diſsidet hæc nulli, conuenit ipſa ſibi.
D Sola quidem minimè cui virtus ſit comes omnis,
Sit licet extremis finibus acta maris.
Sola tamen ſecum nunquam ſe deſerit, & ſi
Multus ei populus cingat vtrunque latus.
Eſt vicina Deo quem iugiter aſpicit, eſt ſpes
Anchora ne fluitet, perſtet, amatur, amat.

IMperat vnitur ſecura, ſerena, ſuauis,
Pulchra videns, fini conſociata ſuo
Conſcia ſecreti diuini, ſicut amica,
Sicut dilecti ſponſa, columba, ſoror.
E Has dat theoricæ laudes ſapientia vitæ,
Solitarius eſt ſolus amicus ei.
Nec ſolus tamen eſt, quamuis locus & manus & ſpes,
Oſque vacent, animus omnibus obſequitur.
Proficit hic & nunc verum ſcrutando, ſalubre,
Scribit quæ ſenior poſteritas relegat.
Nulla licet ſcribat, nil prædicet ore, perorat
Moribus, exemplis, voce loquens operum.
Eſt ſolitudo praecioſum crede talentum,
Terrenis caueas dum datur infodere.
F Poſſe vacare ſibi non gratia parua, videre,
Quam ſuauis dominus gratus ea fruere.
Martha ſit intendens multis, ſignat ipſa ſororem,
Vti parte ſua, vult Ieſus hoc fieri.
Sciſma nec interſit membris, oculuſue tenellus
Non culpetur, agat ſi manuale nihil.

MAgna domus vaſis nec ſeruis vtitur iſdem
Non par officium, ſors ſua cuique ſat eſt.
Sunt tot in actiuam pede qui ſe præcipiti dant,
Theoricæ paucos quæſo vocare velint.
Sint fortes gladios teneant, Salomonis ab intra eſt
Lectulus ob ſponſam, ſponſa quieſcat ibi.

Digitized by Google

Filia clauſa domi maneat, matri famuletur,
At vir in arma ruat, ditior ex ſpolijs.
Solus non pugnat, ſed pro pugnantibus orat,
Hos non dedignans actio quos tribulat.
Otia non laudi tribuit, nec obinde ſuperbit,
Se catulo ſegni iudicat eſſe parem.
Et tamen impetrare poteſt dilectio, quod non
Vel labor aut meritum ſe cruciantis habet.
Sueuit amicitia ius, regula, ius dare, quod non
Concedit meritum iuſtitiaque rigor,
Ambo parem referunt prædam, tentoria ſeruans
Miles, & hoſtiles exuperans acies.
Eſt equidem felix, eſt ſolitudo beata,
Si ſimplex nec iners fructificet, vigeat.

SI ratio trahit affectum, ſi ſenſus & actus
Non diſcordent, ſit gloria vana procul.
Rumores fugiat dicens ſibi clauſe, quid ad te
Factorum ratio ſit tibi velle Dei.
Solitudo nocet nil deſit ſollicitudo
Curarum interior cor lacerans miſerum.
Cor grauat ebrietas, cor crapula, curáque vitæ.
Sole ſub hac triplici peſte perire caue.
Sunt qui delicias reputant ſub ſenſibus eſſe,
Sub curis quibus eſt irrequieta quies.
Parcit eis dominus ſibi ſe committere ſolos,
Atque miniſterio collocat ipſe ſuo.
Aſt alios quos ſcit pro vita qualibet aptos,
Nunc has nunc illas vult variare vices.
Optima pars hæc eſt, hæc robuſtiſſima felix,
Gaude qui dominus præſtat vtraque frui.
Alterius vti gaudet natura, nec vno
Corpus iners ſtudio iugiter eſſe ſinit.
Vita beata venit cui ſolum ſufficit vnum,
Sola vacat ſoli, ſed ſocialis ouat.

LIbertas onagrum delectat libera colla,
Liber & à turbis montis aprica colit.
Pellicanus macer eſt, deſertis incola ſolus
Serpentes perimit pulliculóſque fouet.
Nicticorax tenebris latitat, quia lumen ab extra
Interioris vim diſgregat intuitus.
Paſſer vt in tecto ſta ſolitarius alto,
Te neque conturbet turbida cura domus.
Vnus ait culpatus eo quod non loqueretur,
Ni tacitus proſim, ſermo nec ædificat.
Prima Dei requies ſopor Adæ tres Abrahámque
Cernens, ac Eſaii ſacrificare volens.
Scala Iacob ſua lucta Rachelis amor decoris,
Ignis Oreb, Moyſes monte loquens domino.
Cantica cum pſalmis montana Maria petendo
Simeon iubilans, quique colunt eremum.
Beniamin, & Paulus, aquilæ ſimiliſque Ioannes,
Extaſis & Petri, celſa videns Stephanus.
Turtur ſoliuaga volitans & alauda canendo
Vitam ſymbolicè theoricam tibi dant.

QVam multos homines præueniens gratia mæſtos
Ex improuiſo viſitat & reficit.
Nunc ſapit hic pſalmus, nunc verſus in intima cordis
Labitur, apparuit aridus ante nimis.
Ergo nec introitus ſcitur, non exitus eius,
Felix qui ſemper peruigil optat eam.
Expectat tamen in tempus placiti tribuentis,
Si locus atque modus, eligat ipſe ſuus.
A ſeruo nunquam dominus declinet in ira,
Sed nec in ira ſit ſuus introitus.

A *Hoſtes heu legimus, dominus quos ipſe cibauit*
Frumenti ex adipe, melle repleuit eos.
Cur? vt iuſtior hinc pateat damnatio donis
Dum ſunt ingrati muneribúſque patris.
Tolle pater, tolle tua munera, ſi tuus hic ſit
Seruus abuſurus, verbera da potius.
Aſt heu verberibus potero fortaſſis abuti,
Quicquid vis igitur fac, modò ne peream.
Gratia præueniat, comitetur & vſque ſequatur,
Securus donum poſtulo tale mihi.

B *MEns purè coniuncta Deo ſecreta niteſcit,*
Fit regio pacis, lucis, & aula placens.
Fulgida caligo eſt nebulæ tenebræque coruſcant,
Montibus æternis lumina crebra micant.
Inque ſinu mentis numeroſæ ſpirituales
Anguſtat rerum ſe nihilum ſpecies.
Ordine quinetiam reſident phantaſmata pulchro,
Immotis vt aquis ſol radiare ſolet.
Interea mundi fugiunt per inania curæ,
Illecebræ carnis, & ſathan inſidiæ.
C *Sed redeunt heu ſæpe nimis velut agmine facto*
Obice cor firmo ſe niſi munierit.
Corporis occultat ſenſus, aditúſque doloſos
Peruigil exploret, vim quoque vi ſuperet.
Garrula vitetur cum fictis fama ſuſurris,
Nil aliud lædat, tempora depereunt.
Tempora res precioſa nimis ſtimulos ſed & acres
Infigunt mage vix & abire valent.
Inuitus patiere iugum quod ſponte ſubiſti
Frena ferentis equi fabula te doceat.

D *DEcipitur qui vult nimium ſociabilis eſſe,*
Dum putat agreſtis nomen habere viri.
Elongans fugito, perſtat, claudentur & ora
Sic viuat dicent, ſit ſuus iſte modus.
Cælis interea tacitum miſcere licebit
Alloquiúmque, fiet mentis in arce locus.
Stillabunt lachrymas cordis liquefacta ſuaues
Intima, non quales cogit acerba lues.
Spiritui ſimul & carni cibus iſte placebit,
Omnia fæcundans rore ſalutifero.
E *Sed caueas laqueum, caueas ſub melle venenum,*
Si tibi plus placeat quam Deus iſte ſapor.
Explorabis ita, domini ſi iuſſa retrorſum
Proijcis, vt vitam delicioſus agas.
Præmia ſi petis hic operum, dicetur amice,
Quæ tua ſunt, tibi ſint, accipe, vade, ſile.
Heu mea qualia ſunt niſi peſſima præmia tollens,
Quid niſi prauus ero perpetuóque miſer?
Argue, caſtiga pater, vre, ſeca, neque parce,
Dummodo permaneam complacedmque tibi.

F *INtellectus agens habitus & ſpirituales*
Illuſtrat ſpecies, nec locus eſt tenebris.
Gratia dum comes effulget, ſi vita ſerena
Sit, neque conturbat paſſio turbida cor.
Acre ſicut ſol atomos radians manifeſtat,
Omnia ſic cordis intima clauſa patent.
Pænitet ob vitia tantis horrentia næuis,
Euitet inde boni gratior intuitus.
Eſt regio lucis & pacis gratia menti,
Lumen ab æternis montibus accipiens.
Gratia namque Dei paradiſus delitiarum,
Cum natis hominum deliciæ tibi ſunt.

Digitized by Google

Nonne fit abſque fide, dices cui cura ſuorum.
Nulla ſubeſt hominum proximitáſque perit.
Fit fateor, tamen & curas cognoſcere debes,
Atque modos varios, pro gradibus ſtatuum.
Incola deſerti vel vita monaſtica curant
Abſentes populos, non ope, ſed meritis.
Non ita paſtores aliqui regéſque ducéſque,
Aut qui quotidie clamitat ad populum.

IRrationalis, amens & ſtulta vocatur,
Myſtica cui nomen theologia dedit.
Priuatur ratio, mens, ſenſus, pax quia Chriſti
Exuperat ſenſum cum ratione ſimul.
Cauſa tamen mentis & ſenſus & rationis
Lux tenebroſa, ſilens vox ſcia neſcia ſit.
Eſſe ſui generis ratio, mens, ſenſus, habent, ſed
Noſcendo nequeunt æquiparare Deum.
Solus in immenſum ſe nouit, amat, fruitúrque
Quiſque gradu menſo ſanctus amare poteſt.
Unio ſimplifica ſatians & pura, quietam
Mentem perficit, & perficiendo rapit.
Vnio deifica mentem quaſi ſorbet abyſſo,
Fitque petens, noſcens, ſancta, Deum patiens.
Unio pacifica modus abſque modo reputatur,
Et gradus abſque gradu, lux ſine luce ſimul.
Theologiam poteſt propriam quam dicimus iſta
Concordare ſimul, myſtica guſtat eam.
Mentes in exceſſu, ſapiens ſapit, inſipientis
Cor conturbatur, poſſe negat fieri.

EXaltauit ais humiles ô virgo beata,
Mundi quam dominam magna potens ſtatuit.
Cur? quia reſpexit humilem Deus, vt tuus eſſet
Filius, & matris ſubditus imperio.
Gloria ſuſcepit humilem ſublimior, ex hoc
Ipſa nouiſſima ſis, proximiórque Deo.
Namque nouiſſimus & abiectior eſſe virorum
In cruce ſuſpenſus, eſſe Ieſus voluit.
Propter quod Deus exaltauit eum, ſibi nomen
Tale dedit, nomen omne quod exuperat.
Sta modo collige te mea mens hinc corrue toto
Prona ſinu ſignum ſtringe ſalutiferum.
Tolle iugum crucis hoc, à quo diuellere nullus
Præualeat caſus, dic crucifixe Ieſu.
Faſciculus myrrhæ mihi dilectus meus, inter
Ubera conſtringet ſe mea, ſuauis amor.
Oſcula det labijs, vngat, trahat, afflet, odorem
Intus, & in cellas ducat aromaticas.
Amens quo raperis mea mens quæ digna flagellis
Oſcula vis, cuius terra tremit intuitu.

PArce precor rapit en pietas inſpecta ſupremam,
Quæ maieſtatem non ſinit, vt verear.
Brachia diſtendit, vultum declinat, apertum
Per latus oſtendit ſe cor amore Dei.
Frigidus ingratus meus eſſet amor, per amorem
Si talem minimè flexus amaret eum.
Maieſtas fateor retrahit ſi conſpiciatur,
Carne tegit ſeſe, ſola patet pietas.
O pietas quæ nec colaphos, nec ſputa, flagella
Clauos, nec mortem reſpuit ecce crucis.
Iam nec amore mei languet, neque vulnera ſentis
Mortuus in dura ſed cruce pendet adhuc.
Mortuus amplexu ſe quomodo ſubtrahet, aude
Mens pia, coniungi cum pietate ſua.
Os dare quid refugis? cur non in amore liqueſcens
Tota fluis? cur non crux madet ex lachrymis?
A *Ipſum forte tenet flentis gremium genitricis*
De cruce depoſitum flens ſibi compatere.
Saxea mens nimis eſt adamantéque durior atro,
Talia quæ ſpectans mollior eſſe nequit.

TAnge Ieſu virga totiens crucis vt lachrymarum
De cordis ſilice largior vnda fluat,
Marmore frigidius ô cor quod tantus amoris
Non rogus accendit, ſtáſque gelu rigidum.
Flammiuolis ſaltem ſcintillis intege te cor,
Quæ crucis ex omni parte vides ſaliunt.
B *Incipe, percurre, primiſque nouiſſima iunge,*
Singula quæ patitur virgo Ieſúſque nota.
Vna tibi poterit ſcintilla, niſi reprobus ſis,
Ignem de lignis, crede crucis parere,
Adijce ſarmenta vitiorum, quæ reſecabis
Iunge, quaſi ligna plurima dona Dei.
Lucam cuius adeſt celebris lux, perlege, Lucas
Trinis cum ſocijs geſta crucis reſerat.
O Luca felix qui viuendo ſtuduiſti
Morte crucis corpus mortificare tuum.
C *Crux Petrum reuehit ad cælos & cruce frater,*
Tu ſuus Andrea lætus alacris obis.
Stigmate Franciſco Seraphin ſub imagine fixit,
Vt mors fortis amor, flameus ac penetrans.
TU Bonauentura crucis hoc ſuccenſus amore
Quod fueris nomen, & tua ſcripta docent.
Indicat hoc picta tumulo propria crucis arbor
Lugduni qualem plurimus orbis habet.
Eius ad exemplum ſtrictum crucis acta repone:
Qui videas oculis, corde vel ore legas.
D *Nidulus eſto tuus crux tutus, pulcher, amænus*
Intra quem foueas pulliculos operum.
Chriſtus obumbrabit ſub pennis bruma nec ardet,
Nec poterit miluus eſſe ſathan nocuus.
Adde quod ex omni regionis parte ſubibit,
Flans pius affectus flamine, carmen agens.
Carmen ab interno cordis reſonare docebit
Gamma nouum punctis quod crucis inſeritur.
Cantica delectant ſi talia lector abundè
Sub duplici lingua comperies alibi.
E *Crux eſt actiuis, crux theoricis ſpeculanda*
Sorte nec æquali, non oculis paribus.
Martham ſollicitam pars circa plurima turbat:
Dum pro parte ſua ſola Maria ſedet.
LIppi ſunt oculi Lyæ, claro ſed ocello
Rachel amicitior cernere diua poteſt.
Viuat parte ſua quæuis contenta ſororum,
Alternare vices gratia ni dederit.
Gratia quod non dat: nemo feliciter audet.
Gratia rara nimis mente vacare Deo.
Corpore veſtiuit ideo ſe Chriſtus vt eſſet,
F *Ad diuina tibi dux, via, ſcala, ſtatus.*
Corde tenens Chriſtum per ſenſus carnis habere
Tecum crede Deum, quod ſatis ad meritum.
Theoricos, humilis quos non datur hic imitari
Collaudes, & erunt præmia certa tibi.
Stringe crucis malum ſi non potes alta tueri,
Ad patriam ducet te ratis eccleſiæ.
Sit tua theoria crucis inſpectio crebra
Sufficit en ſanguis pulliculis aquilæ.
Dum crucis accubitu rex eſt, tua nardus odorem
Spirat, ſi fueris plantula, parua calens:
Impoſitas laudes prius & deuotius imple,
Præcipuum ratio vult opus eſſe Dei.

Digitized by Google

Sicut es ad patres noſtros mirabilis alme
Sint ipſi nobis deprecor auxilio.
Chriſte calendarium volat ad patres memorandos
Eccleſiæ, quorum vita preceſque iuuant.
Primò reconcilians ſeries iocunda dierum
Aduentus domini percelebris colitur.
Aduentus duo ſunt Chriſti, primus cruce vilis,
In maieſtate crede, ſed alter erit.
Hos Iudæa rudis quia non intelligit errat
Meſſiæ regnum corporeum reputans.
Chriſticolas dic conſimiles, qui temporis huius
Quicquid in ore ſonent, proſpera corde petunt.
Diuitias, ſi delicias, ſi præſtet honores,
Chriſtus honoratur conditione fori:
Deſeritur finis igitur, quia ſpiritualis.
In Chriſti cultu murmura crebra tonant.
Ecce tot annis iam colo Chriſtum, langueo pauper
Mæſtus, inops, gaudet perfida gens opibus.
Surgere de tenebris hortatur epiſtola Pauli,
Hæc Auguſtino verſio mira fuit.

Aduenis Andrea decor & vir plenus amore,
Cui crucifixus amor, cui cruce vita venit.
Fortis amor crucis eſt, ſuperans mortem quia viuum
De cruce deponi fortis amor vetuit.
Teſtis ad extremum lux emicat & tua vox eſt
Iam dominum video qui vocat ad patriam.
Primus vt inſtituit animam, corpus dedit aptum
Corpus peccati ſit modo carcer ei.
Rem, ſed non cauſam vidit Plato, ſiue poëtæ,
Emendanda tamen corpora non capiunt.
Accipiunt ſancti velut Andreas, cupiunt ſe
Corporibus ſolui, reſtituenda ſciunt.
Eligit electum gratis Deus, attamen ipſi
Traditur electo gloria pro meritis.
Electis igitur non eſt operatio fruſtra,
Par vice conuerſa dicito de reprobis.
Mirandas hominum facies, ſuper aſtráque terram,
Dæmon ait Chriſtum, corruit ad reliquum
Orat vt Andreas, Nicolaus luxurioſus,
Sobrius & caſtus, ſaluus & efficitur.

Omnia ſunt ſcripta ſpem conſolantia noſtram,
Eſt ſolamen in hoc themate theologum.
Spem facit ſummam tua deſperatio ſumma,
In ſe qui ſperat eſt maledictus homo.
Coniungenda tamen operatio mira videtur,
Hæc ſententia, ſed gratia firmat opus.
Actu peccati coagit Deus, & ſinit eſſe
Culpam, mox ora tollat vtrumque Deus.
Tollat, ſi deſit actus, ſi non ſinet eſſe
Culpam, téque ſtatim gratia ſanctificet.
Ceſſat murmur ita, neque mens contraria fiet
Velle Dei, dic fac quomodo vis domine.
Vult bona nos facere bene talia taliter orans
Sic facit, & quod fit tunc tamen eſſe nequit.
Proijcit vt ficus groſſos, ita plurima cælo,
Stella cadet terris, gloſſa modos aperit:
Gloſſula ſi deſit hic textus ridiculus fit,
Philoſophis ſciolis, ac rudibus timidis.
Depereant igitur laici qui ſimplici textu
Vtendum dicunt, clerus & eijcitur,
Vult intelligere prius, & poſt credere quiſquis,
Huic ſacra ſcriptura nil niſi ſcandala dat.

A *Tempus iudicij quorumdam calculus auſus*
Dinumerare fuit falſidicus nimium.
Calculus à Chriſto dum ſcanderet aſtra reciſus,
Tempora namque pater vt voluit poſuit.
Scire diem finis mundi quid ſollicitaris?
Hora tui cum ſit tam prope iudicij.
Quin & principia de multis rebus iniquè
Quærere vel nocuum, teſtis apoſtolus eſt.
Diſcors in numeris interpres lingua videtur
A numeris, quales textus Hebræus habet.
Concordare tamen ſcit ſpiritus omnia ſanctus,
Si non ſcire datur, credere ſat tibi ſit.
B *Ritibus in numeros fallacis dæmonis annos*
Plus centum mille millibus annumerant.
Sunt qui ſaluare nituntur menſibus annos
Nomina potentes, nec tamen iſta valent.
Omittit geneſis de multis progeniebus,
Quas dicit primum conglomeraſſe Cain.
Non ego, ſed noſter iſtud ſcit ſoluere doctor
Dicit Iudæus, tu quoque dic ſimile.

C *Nil impoſſibile fuit, eſt, erit omnipotenti,*
Tam noua quam vetera geſtat in arbitrio.
Finis & eſt legis Chriſtus, myſteria cuius
Edocuit duplici dans in amore ſtatum.
Captiuare iubet intellectum ſimul omnem
Obſequio Chriſti doctor apoſtolicus.
Diſcipulos monuit exercerent pietatem,
Non intendentes Iudaicis fabulis.
Credo magis Moyſi modo propter teſtificantem
Chriſtum, conuerſa quem vice credo Ieſum.
Immortales lex animas ſi tradit apertè,
D *Cur viget inter eos ſecta ſaducaica?*
Lex vero Chriſti manifeſta traditione,
Spémque fidem vitæ perpetuæ tribuit.
Huic intende ſagax ſcrupulos phantaſmata ſi dant
Deſpice, ſit velle credere, pro merito.
Orando potius fidei tu pace frueris
Quam perſcrutando viue pius domino.
Qui potuit mundum fidei mox lege tenere,
Hic potuit mundum multiplicare cito.
Explicuítque modos quantum ſatis eſſe beatam
Quærenti vitam nouerat & voluit.
E *Scandala tradiderit euangelium tibi nulla,*
Chriſto qui docuit teſte, beatus eris.

Spiritus & ſua mens puerum perdunt aliquando,
Et ſanctum domini crimine mortifero,
Quærant per triduum, quod agunt, ſi pænitet ipſos
Contritos, faſſos, atque ſatisfaciunt.
Perditur aut potius quaſi per milliaria diſtat,
Per triduum voti comperiunt triplicis.
Spiritus & ſua mens dum contemplantur idipſum,
F *Templo cæleſti comperiunt dominum.*
Sit triduum cuius eſt prima dies alienis,
Nullis in curis ſollicitos fieri.
Altera multiuago phantaſmate poſſe carere,
Tertia lætitiæ ſpiritualis amor.
Nos etenim templum domini ſumus, ac ibi Chriſtum
Per triduum triplex fas reperire Ieſum.
Hoc triduum triplex ſignatur in ordine trino,
Mortalis vitæ triplificante gradu.
Nazareth adueniunt Ioſeph & mater comes almus
Subditur ambobus obſequioſus eis.
Subditur, ô qualis dignatio, quanta decoris
Gloria, ſunt annis octodecim pariter.

Ex obitu

EX obitu Ioſeph atque Ieſu viduata Maria eſt,
Vna ſibi cuſtos gratia diſponitur.
Mentem tranſcenſo carnis phantaſmate ſurſum
Sola Deo ſociat gratia gloria ve.
Etſi cognitus eſt quaſi per carnem Ieſus ante,
Non iam per carnem notus ei Deus eſt.
Obſequitur tamen in ſenio Ieſus atque miniſtrat,
Cæleſtis menſæ delicias patrias.
Accipito menſam non carnis, ſed fruitiuas
Vnius & trini delicias animæ.
Tranſit enim Chriſtus, quia ſe mediante venitur
Ad patris menſam, quia cibat vt Deus eſt,
Corporis & carnis perceptio ſacra figurat,
Speratas patris perpetuas epulas.
Inuentum retine puerum ne perdat Herodes
Glorius, aut mundus, aut vitioſa caro.
Arca Dei typice mens ſacrificantis habetur,
Idolicus dagon non ſocietur ei.
Ignis in altari ſacer eſt, caueas alienum
Mittere, ne pereas percutiente Deo.

TVrbis in medijs eremus fuit in Genoueſa.
Octo per decades virgine vita fuit.
Cantica mos habuit ſuus æſtimo dulcius illa
Quæ Salomon cecinit corde ſonare pio.
Nigra prout caſulæ cedat extra ſeruo decorem,
Interius pelles vt Salomonis habens.
Pugnarunt in me geniti propriæ genitricis,
Viribus addentes deſerui propriam.
Tu mihi dic anima mea quem dilexit amicè
Paſcis vbi, vel vbi meridie recubes.
Nolo vagari poſt pecudes quaſcunque ſodales,
Chare tui paſcunt, dux mihi ſolus eris.
Vbera ſugentem matris, quis det mihi fratrem
Te foris inueniam ſolus vt oſcula des.
Apprehendam te ducámque domum genitricis
Intro cubile mea, méque docebis ibi.
Pocula de vino tribuam, conditáque muſtum
Malogranata, quod mea preſſa fluunt.
Eius leua meo capiti ſupponitur, atque
Stringet in amplexus ſe ſua dextera meos.

NAtio Franca ſui Guillelmi feſta decorat,
Cui & hoc ideo geſta fuiſſe ferunt.
Febricitans tremit, in culpas cur vrgeor inquit,
Febris & interior in maledicta fremit?
Paule prior ſolus deſerti cultor haberis
Dira fuge cauſa fauſtula facta fuit.
Fonticulus potius ſit, palmáque veſtis & eſca
Coruus fert panem quotidie medium.
Paule genu flexo moreris, tuus aſtra penetrat
Spiritus, Antoni talia viſa refers,
Effodiunt tumulum fremitu quaſi flente leones,
Frugalis vitæ dona tuis tribue.
Illuſtris doctor Hilari myſteria libris
Vnius à triniſcis reſerare Dei.
Vultu fac hilari mea mens ſit doctor Hilari,
Vincit luciferum mens hilarata ferum.
Cælitus immiſſo regem dum chriſmate ſacrat,
Remigius viguit multiplicata fides.
Dulcis Remigi freta remigrat effera remis
Spiritus inualidis ſis ſibi remigium.

ANtoni patres Auguſtini tua vita
Lecta dedit Chriſtum totus vt eſſet amans.
Dæmonis inſultus miros perpeſſe rogamus
Fac prece nos eius vincere vimque dolos.
A Annonam tibi cum Paulo coruus duplicauit,
Poſt animam Pauli ſcandere celſa vides.
Horrendum curare ſacrum tibi dat Deus ignem,
Totáque laude tua terra repleta ſonat.
Palpitat extractus ab aquis piſcis malè viuit,
Interius monachus exiliens ab aquis.

AGnes zelotes Chriſti, lepræque fugatrix
Vita leproſa tuo ſana ſic auxilio.
Ecce quos video validi quos vrit amoris
Vis nimium, ſæuus hic amor, ille pius.
B Viſio ſolamen charis præclara miniſtrat,
Flentibus & ſua ſe gaudia flere vetat.
Dilectrix Agnes agni mitis per amorem,
Quæ Salomon cecinit cantica ſæpe refers.
Vulneror & languet flammanti mens ab amore,
Flores cum malis mox adhibere mihi.
Eſſet in accubitu dum rex afflauit odorem
Nardus grata ſuum plantula parua calens.
Alloquitur dilectus eam, laudátque viciſſim,
Ter pulchram dicit, quod latet intra ſilet.
C Aſſimilaui te quaſi ſis æquitatus amica,
Inter currus, quos ſæuus habet Pharao.
Pulchritudo genas vt turturis ornat vtráſque,
Sponſa tuum collum pulchra monilia ſunt.
Murænas auri faciemus vermiculatas
Argento, quæ ſunt ſenſus & eloquium.

NOua luce ſuum dum februus exit in orbem
Trans mare dicuntur feſtâ Ioſeph colera.
Signat & hac noſtra pia, ſed rudibus Ioſephina
D Exametris texta, myſtica multa canens.
Sis Ioſephina ſoror mea, dux mea, lux & amoris
Arra Ieſu, matris virginis alme Ioſeph.
Quomodo tres olim fuerint domus, vna peregre,
Nunc domus æthereæ tu Ioſephina canis.
Poſce vices referant, pete cælis me peregrinum
Suſcipiant patris conſociéntque domo.
Manſio ſat fuerit quæcunque nouiſſima patris
Altis æquari qui nequeo meritis.
Tu mihi iure locum retines Ioſephina ſophiæ
Eſt tibi fas laudes appropriate ſuas.
E Tu mulier fortis Salomon quam carmine ſcripſit
Alphabetizans, cantica quam reſonant.
Eſt carmen totum ſapientia, nam ſapiens eſt
Vir Ioſeph atque puer, mater, & eſt ſapiens.
Spiritus vnus eos coniunxit, viuificauit:
Spiritus iſtorum ſit Ioſephina tuus.

QVam bònus & ſuauis Ioſephina ſpiritus idem,
Multus & eſt vnus, cor Ioſephina reple.
Subtilis penetrans, renouans, ſtabilis tamen omni
F Mobilior motu, cor Ioſephina reple.
Rore ſalutifero ſiccatas complue mentes,
Germine fæcundo, cor Ioſephina reple.
Quiſquis adhærere tibi vult ſpiritus vnus,
Viuit in Chriſto, cor Ioſephina reple:
Pulchra columbinis oculis formoſa venuſto,
Simplex aſpectu, cor Ioſephina reple.
Te puer & iuuenis, te nunc ætate ſenili
Quæſiui ſponſam, cor Ioſephina reple.
Delicioſus amor & ſoror & dilecta ſophia,
Amplexu caſto, cor Ioſephina reple.
Simplificans animam conuertis ad interiora,
Dilatáſque ſimul, cor Ioſephina reple.

Immaculata manes, in te fœdum nihil intrat,
Eijciens ſordes, cor Ioſephina reple.
Aſsimilas vni trinóque Deo facis vnam,
Quouſque tuos animam cor Ioſephina reple.

Teſtibus ornanda fueras Ioſephina decoris,
Pro modulo noſtro panniculos dedimus.
Permanes internus decor, integer, inuiolatus,
Reſpicit hunc ſolum ſpiritualis homo.
Symbolicis uti ſi nominibus placet amplam
Materiam laudis quolibet inuenies.
Colla, ſupercilia, frontem, crines, oculos, os,
Dentes cum labijs, naribus, adde genas.
Brachia cum manibus, mammas & pectus amoris,
Venter, crura, pedes, omnia labe carent.
Vitis, oliua, roſa, thus, balſama, myrrha, cypreſſus,
Palma virens libani, cedrus odora decens,
Hortus concluſus, fons ſignatus, puteúſque
Plenus aquarum, quas fundit ei Libanus.
Punica mala ſtruunt paradiſum deliciarum,
Libia fert vallis, fert & ager nitida.
Filia, ſponſa, ſoror, regis dilecta ſupremi,
Currus, quadriga, nardus odorifera.
Quid multis moror? es lignum vitæ quod in æuum
Viuere dat, quaſo cor Ioſephina reple.

Feſta Ioſeph Ioſephina trahit triginta per annos,
Vel prope cum ſponſa dum peregrinus erat.
Myſterium loquitur incarnati quoque verbi,
Vſque Ioſeph mortem ſine quieſcit eo.
Pertrahit hanc animus ſpeculantis longius vſque
Secula quæ cælis perpetuata manent.
Vna domus terris Ioſeph & Ieſus atque Maria
Nunc patris æterni cælica regna tenent.
Vna manet Ioſephina, licet varientur in ipſa
Tempus & ætates & ſtatus atque loca.
Cor ſpeculantis eam deducit iugiter aptè
Ad meditanda nouis aſsiduè ſtudijs.
Ingenium ſolers exercet, tædia tollit,
Hæc faſtiditis eſt requies animus.
Colloquio ſuauis, reuelat ſermone viantis,
Cordéque ſyncero, flammat amore Dei.
Scripturas aperit, ſenſus exponit earum,
Intellectus agens clarior efficitur.
Influit allapſu ſecreto faucibus imis,
Manna, fauos, lac, mel, cor Ioſephina replet.

De tribus hoc noſtrum modulatur carmen amicum
Appropriat nomen cur Ioſephina ſibi.
Nonne Marianam poteramus vel Ieſuinam
Appellare ſacram, nomine præcipuo.
Et poteramus ita, ſed vir caput eſt mulieris,
Et Ieſus ambobus ſubditus vltro fuit,
Adde quod vna domus fuerat curanda per vnum
Patris æconomici ſollicitum ſtudium.
Amplius vnus erat ipſis animus, caro, mens, cor
Sponſo cum ſponſa natus erat medius.
Nazareth oppidulo viginti quinque ſub annis
Noſtra parum motis ſit Ioſephina comes,
Conſcia ſecreti magni, quod virgo retractans
Corde pio confert cum Ioſeph atque Ieſu.
Quicquid ibi reſonat Ieſus eſt Ioſeph atque Maria,
Solus & afferret an Ieſus omne bonum?
Iunge quod augmentum ſignat Ioſeph & peregrinus,
Se bonus extendit anteriora petens.
Omne bonum ſatiare poteſt, aliud ſatiaret,
Particulare nihil, cor Ioſephina replet.

A Quis dederit tales affatus noſcere quales
Coniecturali das Ioſephina nota.
Fas ſpirare tibi diuino pneumate plene,
Nunc hoc nunc illud myſteriale ſacrum.
Nunc agis à claris in clara cor aſpicientum
Per ſpeculum clarum, vel per ænigma latens.
Roras nunc etiam de cælis, & pluis hos tres,
Mentibus inſpirans quæ coluere colant.
Amplectens ſtringis, refouéſque ſinu benedicto,
Et deſiderium ſponte ſuum ſatias.
Sic Abiſac patris incenſum gelidos patris artus,
Grata miniſtratrix caſta puella fouet.
B O mihi ſi talis dignaberis eſſe miniſtra.
Blanda ſenem recreans ô Ioſephina tuum.
Diuitiis, opibus, alius quærit ſatiari,
Seque replere putat: diues inanis eget
Gloria multorum cor, gloria vexat & angit:
Vanáque, quid mirum? nulla replere queunt.
Ex qua parte voles & quantum volue, reuolue,
Nulla quies, ſi non cor Ioſephina replet.

C VEL CORDA SOPHIA REPLET, ſicut poterat poni in omnibus præcedentibus loco iſtius, cor Ioſephina replet.

Deſponſata Ieſu mater Ioſeph alma Maria
Sponſi feſta tui fac colat eccleſia.
Dicitur octauis hypapanti concelebrari
Trans mare condignis mors Ioſeph obſequijs.
Cis mare dignus erat recoli feſto ſpeciali,
Virgo tuus ſponſus Ieſus.
Aſt alibi colitur quarto denóque calendas,
D Iam vel totidem ſicut aprilis habet.
Francia quæ polles ſuperanti nomine Chriſti,
Cur deuotio ſit hic tua poſterior?
Saltem quiſque ſuo templum ſibi corde ſacratum
Dedicet, hoc fas eſt cuilibet & facile.
Vir Ioſeph illuſtris virgo iuſtúſque propheta,
Sponſus, dux, teſtis virginis atque caput.
Tu pater eſt Chriſti, nutritor, conſcius, hæres.
Eſto peregrinis dux, via, vita, ſalus:
Digna tuis meritis tibi nos præconia dignas
Virgineo laudes fac dare coniugio.

E

Conſcia ſecreti ſapiens Ioſephina ſuperni
Quæſtio me pulſat plurima, ſolue precor.
Quæſtio præcipua, terris ſi virgo viatrix
Vndique perfecta plus Gabriele fuit.
Affirmatiuam pietas materna videtur
Ponere, namque Deus ſolus eam ſuperat.
Oppoſitum probat ignorantia paſsibilitáſque
Matris, cui nec erat viſio clara Dei.
F Et docet hanc Gabriel trepidam, ſolatur & ipſam,
Perdidit ignara per triduum puerum.
Quid quod & ipſius animam pertranſijt aſper
Morte Ieſu gladius, vaticinante ſene.
Scire tuum non eſt reſpondit ſacra ſophia,
Omnia myſteria, qualicunque dabo.
Virgine matre fuit virtus, habitus ſtatus ipſi
Tunc ſtatus in terris quam Gabriele minor.
Virtus ac habitus quos gratia deſtinat illi,
Gratificans matrem celſius arce locans.
Attamen includunt ſcrupulos prædicta fatemur
Difficiles, tibi ſunt iſta notanda prius.
Eſt naturalis, eſt carnaliſque voluntas,
Tertia ſit duplex, quæ ratione viget.

Hanc

Digitized by Google

Hanc abſolutam dic & ſub conditione,
Seu deſiderio format eam pietas.
Prima duplex ex ſe nunquam peccare valebit,
Cui tamen interpres eſſe ſolet ratio.
Abſoluta Deo ſemper conformis oportet
Sit ratio, pietas nulla repugnat ei.
Conditio ſaluat ſe ſupponens rationi,
velléque diuino ſic Ieſus edocuit.
Porrò qui neſcit non eſt ideo vitioſus,
Si non ignoti debeat eſſe ſcius.
Omnia quæ nouit dominus res nulla creata
Scire valet, multis pæna nec eſt vitium.
Purgant, illuſtrant modo perficiúntque hierarchæ
Maiores imos, nulla tamen macula eſt.
Miſſus ab excelſis actus afferre hierarchos,
Sic fuerit cordi virgineo Gabriel.
Rurſus multorum virgo ſi neſcia mærens,
Quid mirum? triſtis filius eius erat.

Triſticiam dat ars; res aduerſata volenti
Qualiter hoc potuit eſſe volente Deo
Hoc pietas potuit ſe ſaluans conditione
Appoſita, de qua multa loquenda forent.
Eſt de noticijs diſtinctio plurima, quandam
Experimentalem iungimus ad reliquas.
Proficiens in ea Chriſtus.

Tantumdem repertum eſt de Carminibus his Lugduni in conuentu Cæleſtinorum.

CENTILOGIVM EIVS DE MEDITATIONE CRUCIS, cuius pars magna habetur inter carmina ſuper Magnificat.

Exaltauit ais humiles ô virgo beata
Mundi quam dominam magna potens ſtatuit.
Cur? quia reſpexit humilem Deus vt tuus eſſet
Filius, & matris ſubditus imperio.
Gloria ſuſcepit humilem ſublimior ex hoc
Ipſa nouiſsima ſis, proximiórque Deo.
Namque nouiſsimus & abiectior eſſe virorum,
In cruce ſuſpenſus eſſe Ieſus voluit.
Propter quod Deus exaltauit eum, ſibi nomen
Tale dedit, nomen omne quod exuperat.
Sta modo collige te mea mens hinc corrue toto
Prona ſinu, ſignum ſtringe ſalutiferum.
Tolle iugum crucis hoc, à quo diuellere nullus
Præualeat caſus, dic crucifixe Ieſu.
Faſciculus myrrhæ mihi dilectus meus, inter
Vbera conſtringet ſe mea, ſuauis amor.
Oſcula det labijs, vngat, trahat, afflet odorem
Intus, & in cellas ducat aromaticas.
Amens quò raperis mea mens quæ digna flagellis
Oſcula vis, cuius terra tremit tuitu.

Parte precor rapit en pietas inſpecta ſupremam
Quæ maieſtatem non ſinit, vt verear.
Brachia diſtendit, vultum declinat, apertum
Per latus oſtendit ſe cor amore mei:
Frigidus, ingratus meus eſſet amor, per amorem
Si talem minimè flexus amaret eum.
Maieſtas fateor retrahit ſi conſpiciatur,
Carne tegit ſeſe, ſola patet pietas.
O pietas quæ nec colaphos, nec ſputa, flagella,
Clauos, nec mortem reſpuit ecce crucis.
Jam nec amore mei languet, neque vulnera ſentit,
Mortuus in dura ſed cruce pendet adhuc.
A *Mortuus amplexu ſe quomodo ſubtrahet, aude*
Mens pia, coniungi cum pietate ſua.
Os dare quid refugis? cur non in amore liqueſcens
Tota fluis? cur non crux madet ex lachrymis?
Ipſum forte tenet flentis gremium genitricis,
De cruce depoſitum flens ſibi compatere.
Saxea mens nimis eſt adammatéque durior atro
Talia quæ ſpectans mollior eſſe neque.

Tange Ieſu virga totiens crucis vt lachrymarum
De cordis ſilice largior vnda fluat.
B *Marmore frigidius ô cor quod tantus amoris*
Non rogus accendit, ſtáſque gelu rigidum:
Flammiuolis ſaltem ſcintillis te ingerere cor.
Quæ crucis ex omni parte vides ſaliunt.
Incipe percutere primiſque nouiſsima iunge
Singula quæ patitur virgo Ieſúſque nota.
Vna tibi poterit ſcintilla, niſi reprobus ſis
Ignem de lignis, crede crucis parere.
Adijce ſarmenta vitiorum, quæ reſecabis,
Iunge, quaſi ligna plurima dona Dei.
Lucam cuius adeſt celebris lux, perlege, Lucas
C *Trinis cum ſocijs geſta crucis reſerat.*
O Luca felix qui viuendo ſtuduiſti.
Morte crucis corpus mortificare tuum.
Crux Petrum reuehit ad cælos & cruce frater
Tu ſuus Andrea latus alacris obis.
Stigmata Franciſci Seraphin ſub imagine fixit
Ut mors fortis amor, flammens ac penetrans.

Tu Bonauentura crucis hoc ſuccenſus amore
Quod fueris nomen, & tua ſcripta docent.
Indicat hoc picta tumulo propria crucis arbor
D *Lugduni qualem plurimum orbis habet.*
Eius ad exemplum ſtrictim crucis acta repone,
Qui videas oculis, corde vel ore legas.
Nidulus eſto tuus crux tutus, pulcher, amænus
Intra quem foueas pulliculos operum.
Chriſtus obumbrabit ſub pennis, bruma nec ardor,
Nec poterit miluus eſſe ſathan nocuus.
Adde quod ex omni regionis parte ſubibit,
Flans pius affectus flamine carmen agens.
Carmen ab interno cordis reſonare docebit
E *Gamma nouum, punctis quod crucis inſeritur.*
Cantica delectant ſi talia lector abundè
Sub duplici lingua comperiês alibi.
Crux eſt actiuis, crux theoricis ſpeculanda,
Sorte non æquali, nec oculis paribus.
Martham ſollicitans pars circa plurima turbat.
Dum pro parte ſua ſola Maria ſedet.

Lippi ſunt oculi Lyæ, claro ſed ocello
Rachel amicitior cernere diua poteſt
F *Viuat parte ſua quæuis contenta ſororum*
Alternare vices, gratia ni dederit.
Gratia quod non dat nemo feliciter audet,
Gratia rara nimis mente vocare Deo.
Corpore veſtiuit ideo ſe Chriſtus, vt eſſet
Ad diuina tibi dux, via, ſcala, ſtatus.
Corde tenens Chriſtum per ſenſus carnis habere
Tecum crede Deum, quod ſatis ad meritum.
Theoricos humilis, quos non datur hic imitari
Collaudes, & erunt præmia certa tibi.
Stringe crucis malum, ſi non potes alta tueri,
Ad patriam ducet te raris eccleſiæ.
Sit theoria crucis inſpectio crebra,

Digitized by Google

Sufficit en ſanguis pullicul is aquilæ.
Dum crucis accubitu rex eſt, tua nardus odorem
Spirat, ſi fuerit plantula parua calens.
Impoſitas laudes prius & deuotius imple,
Præcipuum ratio vult opus eſſe Dei.

Eccleſiæ vocem loqueris quæ fortior eſt, vim
Neſcio quam dat ei qui regit eccleſiam.
Pſallas attente, ſapienter pſallere iuſſus,
Poſt intende tuis, vel meditando ſile.
Affectus ſi quando pios deuotio guſtat,
Ruminet, vt dum vult mandet eos notulis.
Nobiliora nimis ſacræ ſunt vaſcula menſæ,
Sed guſtata fauis mella placent proprijs.
Suſpectus ſapor eſt, quem non profert crucis arbor,
Hortus & ille ſacer à phreneſi riguus.
Gratia certa crucis eſt, quando repente cor vno
Mutatur viſu, móxque nouus fit homo.
Anxius eſt aliquis curis ſtimulatus amaris,
Crux animum ſubeat, ſoluitur omne malum.
Erigit ad ſpem, lugentem ſolatur & atræ
Diſparent tenebræ, vis inimica fugit.
Effugat à ſe triſticiam mens læta malorum,
Iam meminit, quæ ſe præteriſſe videt.
Peccatis Deus indulſit quia pœnitet, ergo
Sobria lætatur iure dolore ſuo.

Mos habet vt fœdis in amoribus illaqueati,
Crebrò voluptates præteritas recolunt,
Hic locus eſt, hoc tempus adeſt, modus ille iocoſis
Dum deſiderijs perfruor ipſe meis.
Dona crucis plus verus amor ſuſcepta recenſet
Gratus amatus ſe quo magis afficiat.
Hic locus, iſta dies, fuit hæc oratio talis
Gratia quando modis ſe dedit in varijs.
Ergo præcipuè ſatagas ſemper memorari
Suaues affectus quos tibi crux peperit.
Aſpice magnete ferrum ſpectare videbis
Vſque polum, tua ſit mens ita fixa cruci.
Mens affecta fide Chriſto ſe dirigit, & ſpes
Erigit, amplexum porrigit verus amor.
Tunc phreneſis reficit, pax dicit ſufficit, vnit
Gloria, perficiens perficiendo cadens.
Caſus & occaſus felix, quia ſemper in ortu
Permanet, & mira fit nouitate placens.
Viſio non tædet, recreátque fruitio viſi,
Eſurit & ſatur eſt ſemper edens quod habet.

Dilige tota mente Deum pro te patientem,
Atque redemptoris immemor eſſe caue
Dilige toto corde pio puróque, nec vllis
Errorem nebulis obtenebrare ſine.
Dilige tota ſic anima, ſpontaneus vltro
Quod facias hilaris, quæ iubet ipſe Deus.
Fortiter ergo Deum ſapienter ſuauitérque omni
Dilige virtute, viribus omnimodis.
Sit timor vt domino ſit honórque Deo, ſit amatus,
Vt tuus eſt totiens ſe vocat eſſe tuum.
Ditius eſſe nihil poterit, quis ditior hæres:
Quam cui de ſummo dicere fas meus eſt.
Interiores ſe iungunt ſenſus deitati,
Obiectum deitas cuique fit vt proprium.
Lux oculis ſplendet, quam non locus accipit vſquam,
Attamen in nullo deficit ipſa loco.
Dulciſonè reſonat ſine tempore, ſpirat odorem,
Aëre qui nullo flabilis inſeritur.

Ac propriè cibus hic reficit qui veſcitur illo,
A *Eſuriet nunquam, non iterum ſitiet.*

Hæret in amplexu caſto præbétque frui ſe
A quo diuellunt tædia nulla ſui.
Interpres clauſos aperit ſenſus vice linguæ
Expedit vt vires iuſſa paterna ſequi.
Suaue iugum mitis humiliſque Ieſus tibi fecit
Eſſe crucem, poſt ſe quotidie fer eam.
Morſibus horreſcis perimi ſerpentis iniqui,
Hunc ligno fixum reſpice, tutus eris.
Deuius eſſe times variarum ambage viarum,
B *Crux iter oſtendit, ducit & ad patriam.*
Pinge tau frontem, nec te gladius iugulabit
Huc cruce ſignatus ciuis erit ſuperum.
Bella fremunt, profer certi vexilla triumphi,
Viſis hoſtis eis protinus effugiat.
Dæmonis ars & mille modis verſutia tentat,
Pinge crucem veluti fumus inanis abit,
Cælica lux veluti iocunda ſerena micarent,
Mentem tranquilla pace frui tribuit:
Antonium talis Auguſtinúmque beauit,
Lux, & quamplures deſuper irradians.

C *Fructus honore fuit Adam tali quod ab arce*
Mentis in æterna primitus reſpiceret.
Mole modo premitur, & carcere carnis oportet,
Corporis aſſenſu quærere vera prius.
Sacra repræſentat ſuper omnia hoſtia ſenſus,
Signa vel obiecta myſtica dona crucis.
Eſt foris, eſt intus virtutum regula, libro
Chriſti pendentis ſanguine ſcripta ſuo.
Eſt modus hic omnis diuinus ſcriptus amoris,
D *Chartam non aliam quærere neceſſariam.*
Ceſſes iam petere ſponſo pia mens ab amico.
Paſcit vbi vel vbi meridie recubet.
Ecce crucem cerne, neque ſic vaga poſt alienos
Cuſtodes pecorum, nec malus error agat.
Hædos deſpiciat fœdos, fictóſque ſodales,
Dic Chriſto paſtor, tu mihi ſolus eris.
Finis legis amor Chriſti de corde ſereno,
Dum bene conſcia mens, dum neque ficta fides.
Chriſtus homo Deus eſt, hunc ergo time ſua ſeruans
Iuſſa pio corde, fac ita ſaluus eris.

E

FINIT EDITVM PER CANCELlarium in die beati Lucæ, Anno domini M. cccc. xxviij. Lugduni.

CARMINVM SVORVM HONESta defenſio decantata Lugduni vix. xij. dies ante vitæ conſummationem.

F *Vidit liuor edax vt mea carmina*
Deſpexit, nitida veſte carent, ait.
Nec pulchris facies picta coloribus,
Vox eſt rauca ſonans parum.
Ornatus varios ſi meretricula (∴)
Nil virtutis habens, nec ſolidum bonum
Quærit, quis ſtupor eſt? ſat ſibi ſi placet
Fallax, alliciens procos,
Fucatos oculos hæc ſtibio gerit,
Comit Cæſariem, lubrica conſpici
Aſſueſcit placidis blanda, procax, vaga.
Quos proſtituit enecat.
Aſt matrona grauis, caſta, pudicáque,
Cui natiuus adeſt color, & decus,

vt

Vt proſit ſatagit ſeria moribus,
Sponſo quod placeat ſtudet.
Totam compoſuit cincta modeſtia.
Cultum net proprium, nent famulæ ſimul.
Linum lanaſve non petit extra,
Solers artifica manu,
Non nequam, petulans, ſubdola, fractáque
Vox, ſed ſuaue ſonat cui rigidus tonus,
Viuax ex oculis cælica lux micat,
Sancta prole beatior.
Frugi menſa ſibi, ſplendida, ſobria,
In qua pſalterio rex Dauid inſonat,
Hymnos imparibus quos numeris ligat
Metris carmen amicius.
Carmen tale cano ſit procul ethnica,
Mendax muſa ſtrepat his quibus eſt Venus,
Aut Mars deliciæ, vanáque numina,
Noſter ſolus amor Ieſus: Ieſus.

ANAGOGICVM DE VERBO ET HYMNO GLORIÆ DOCTORIS *conſolatorij magiſtri Ioannis de Gerſon, Cancellarij Pariſienſis Lugduni editum.*

GLORIA in excelſis Deo patri & filio & ſpiritui ſancto. Nihil enim poteſt aptius præferri volentibus nobis de verbo & hymno gloriæ ſermonem myſticum vel anagogicum facere in nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Et quia ſapientia mittit ancillas ſuas vocare ad arcem quam diuinus Dionyſius vocat myſticorum eloquiorum ſuperincognitum, ſuperſplendentem & ſubtiliſſimum verticem. Incipiamus velut ab infima ſapientiæ ancilla quæ eſt grammatica, præſupponentes ex ea, quod ſecũdum nominis interpretationem gloria eſt quaſi clara. ſ. cum laude vel honore noticia. Eſt autem honor exhibitio reuerentiæ in ſignum virtutis, ſoli autē Deo honor & virtus. Præſupponamus inſuper ab eadem ancilla ſapientiæ vocantis ad arcem, quod tres ſunt gradus noticiæ glorioſi Dei, videlicet poſitiuus, comparatiuus, & ſuperlatiuus. Et hoc aliter & aliter ſecundum duplicem ſtatum, quorum vnus eſt viatorum, alius comprehenſorum, prout infra patebit deducẽdo, prout inſuper ſecundum hos gradus, poſitiuum, comparatiuum, ſuperlatiuum, clare patet verbum gloriæ. Primò ſecundum myſterium regni Dei. Deinde ſecundum myſterium fidei. Rurſus ſecũdum gloriam Dei æterni. Vlterius denique multipliciter ſecundum tempus & locum & modum beneplaciti tui Deus, laxando in verbo tuo rete verborum noſtrorum. Gloria patri cum filio & ſpiritusſancto, tanquam clara noticia, & lux lucet in tenebris, & tenebrę eam non comprehenderunt. Eſt autem triplex tenebra. Vna culpæ. Alia pœnæ ſeu miſeriæ. Tertia defectibilitatis naturæ. Prima in peccatoribus. Altera in viatoribus poſt peccatum. Tertia in omnibus etiam beatis citra Deum. Gloria autem Deo de ſuperlatiuo gradu & verticæ ſubliſſima & ſuperincognita qui eſt pelagus entis infinitum, qui inhabitat lucem inacceſſibilem, cui ſoli honor & gloria: Cui ſoli debetur exhibitio ſuprema reuerentiæ in ſignum virtutis infinitæ. Sufficiunt intellectuali creaturæ duo gradus cognitionis diuinæ, qui ſunt poſitiuus &
A comparatiuus. Tertius verò ſuperlatiuus in quadam caligine & ſilentio veneretur. Sciatur denique quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ comprehẽderunt, quemadmodum triplices ſunt modi tenebrarum. Vnus culpæ. Alius pœnæ ſeu miſeriæ. Tertius defectibilitatis naturæ. In peccatoribus primæ. In viatoribus ſecundæ. In omnibus creaturis etiam beatis tertiæ. Quamobrem concludimus cum ſapiente, quod omnis perſcrutator maieſtatis, alius à ſpiritusſancto, qui etiam
B perſcrutatur profunda Dei, opprimetur à gloria, peccator infeliciter, viator bonus ſalubriter, comprehenſor vel apprehenſor in patria feliciter. Gloria patri cum filio & ſpiritusſancto ſecundum myſterium regni Dei deſcribi poteſt quod eſt noticia per ignorantiam habita ſecundum vnionem ſupra mentē, hoc eſt expreſſe Dionyſij, quam poſſumus ſub alijs verbis tradere, quod eſt vnio defectiua vel defectio vnitiua in cognitione & amore Dei, ſic eſt enim defectio vnitiua in voluntate ſicut in intellectu. Circa quod attendendum iuxta tripli-
C cem gradum comparationis grammaticalis in metaphora fundatam, quod defectio ſeu priuatio vel tales termini dicentes negationem in hac materia non accipiuntur niſi prout negant vel priuāt gradum ſuperlatiuum, vel ſimpliciter ſicut in beatis, vel reſpectu cognitionis vel fruitionis gloriæ pro ſtatu viæ. Alioquin manifeſta eſſet contradictio, neque diceretur plus anima cognoſcere per eam quam lapis aut aſinus, propterea non dicimus quod ſit defectio ſolum, ſed quod eſt vni-
D tiua defectio vel vnio defectiua. Gloria patri cum filio & ſpiritusſancto, præexigit hominem eſſe fidelem Chriſtianum. Huius ſignum eſt quod diuinus Dionyſius incipit hanc noticiam per orationem ad beatiſſimam Trinitatem. Trinitas inquit, ſupereſſentialis & ſuper Deus & ſuperoptime chriſtianorum inſpector theoſophiæ dirige nos &c. Notetur in primis inuocatio Trinitatis, cuius non habetur in via cognitio niſi per fidem ſaltem, non per gloriam. Eſt igitur hæc noticia & inuocatio non ad ſenſum ſicut conſtat, non ad
E imaginationem, non ad intellectum viatoris. Eſt igitur per fidei myſterium. Gloria patri cum filio & ſpiritusſancto, ſecundum myſterium iure vocatur theoſophia chriſtianorum, accommodatius quam theologia. Theoſophia ſiquidem dicitur magis à ſapore Dei quam à logos quod eſt ſermo, vnde theoſophia nominatur quaſi ſapor Dei, hoc vidit qui dixit ſapientiam eſſe ſecundum nomen ſuum quaſi ſapidam ſcientiam. Tribuit igitur diuinus Dionyſius magiſterium huius theoſophię
F ipſi beatiſſimæ Trinitati, vocans eam inſpectorem theoſophæ chriſtianorum. Vbi enim amor, ibi oculus, & inſpectio. Prouenit autem ex amore Dei benigniter inſpiciente chriſtianos cognitio ſecundum myſterium, quæ eſt vnitiua defectio, propterea primo capitulo in litera poſt orationem ad Deum, & exhortationem ad Timotheum ſic ait: Hic autem vide quomodo nemo indoctorum auſcultat &c. vocat indoctos, paganos, idolatras & philoſophos imaginantes ſua ſcientia Deum poſſe comprehendi, qui tamen poſuit tenebras latibulum eius.

Gloria patri cum filio & ſpiritusſancto, ſecundum

Digitized by Google

myſterium fidei in viatoribus poteſt dicere negationem ſeu priuationem cognitionis Dei ſecundum duplicem gradum ſuperlatiuum, & hoc vel ſimpliciter ſicut in beatis, vel ſecundum quid & comparatiuè reſpectu tantummodo theoſophiæ beatorum, qui per myſteriū fidei non cognoſcunt. Notatur autem iſta negatio ſeu priuatio vel defectio per hanc præpoſitionem ſuper exemplum ſtatim in primis tribus adiectiuis additis ad hoc ſubſtantiuum Trinitas quæ ſunt ſuper eſſentialis, ſuper Deus, ſuper optime, ſecundum tria quæ appropriantur Trinitati. Eſſentia vel vnitas quoad patrem, prouida deitas quoad filium, & optima deitas quoad ſpiritumſanctum. Conſtat itaque quod ſi eſſentia, deitas & bonitas accipiantur ſecundum gradus cognitionis Dei primos, poſitiuum. ſ. & comparatiuum cōpetit viatoribus talis cognitio, ſed non in ſuperlatiuo gradu qui eſt poſitiuus & comparatiuus in beatis quanto minus ſuperlatiuum Dei gradum ſimpliciter comprehēdit. Gloria patri cum filio & ſpiritusancto, ſecundum myſterium regni Dei, vbi videtur nudè & clariſſimè Deus. Hæc tria vocabula, ſupereſſentialis, ſuper Deus, & ſuper optime nequeunt negare ſeu priuare ſuperlatiuum gradum cognitionis viæ, ſed ſuperlatiuum gradum cognitionis patriæ. Quis autem ſit iſte gradus patet ex iam dictis. Patet inſuper verus intellectus & cōcordia Græcorum & Latinorum, ſi cum veritate prædictorum iudicentur, Latini ſana tradentes & definiētes quod Deus in patria clarè videtur & nudè, non in theophanijs ſolis vel ſacris ſymbolis, intelliguntur quoad gradus poſitiuum & comparatiuum gloriæ. Græci verò ponunt dum aiunt Deū non videri cum beato Dionyſio in theologia myſtica primo capitulo litera. f. referēdo ad gradum ſuperlatiuum ſimpliciter vt in patria, vel ſecūdum quid vt in via. In qua de cōmuni lege impoſſibile eſt videre diuinum radium, niſi ſacris ſymbolis circumuolutum vel circumuelatum vel circumtectum, ſicut in exemplo ſenſibili. Lumen cæli videri non poteſt ab oculo corporali, ſi non ſit admixtum coloribus vel colorum ſpeciebus. Gloria patri cum filio & ſpiritusancto, ſecundum myſterium tam fidei in via quam regni Dei, non parum elucidatur per traditionem hanc ſcholaſticam, quamuis efficere nequeat vnionem defectiuā ſeu myſticam. Ratio potiſſima eſt vitatio erroris & confuſionis, immo & irriſionis apud impios & aridos in lege Dei. Signum huius eſt quod homines deuotioni traditi & vnientes ſe vel vnire putantes cum Deo, pluries explicauerunt ſuas deuotiones veras aut fictas per errores hæreticales & inſanos. Confeſſi alij magis ſobriè cognitionem hanc iuſtitiam doceri non poſſe per ſcholaſticam quoad explicationem doctrinalem. Prohibuit idcirco eos à conatu vel ſtudio impoſſibilitas æſtimata cognoſcendi. Nunc verò doctrinalis ſecundum terminos clariſſimos & vſitatos, palam facta eſt traditio ſine verborum inuolucro, adeò quod nec apud Chriſtianos idiotas relinquitur vlla cōtradictionis ſeu repugnantiæ nebula. Itaque ſi quæratur à fideli chriſtiano, nunquid poteſt aliquis vel in via vel in patria cognoſcere vel amare Deum in tanto & excellenti gradu ſicut ipſe cognoſcit & amat ſeipſum? Nonne protinus reſ-

pondebit quod nihil poteſt æquari Deo in cognitione vel amore? Si rurſus inquiritur, poſſunt ne
A homines tam viatores quam beati cognoſcere Deum & amare multis modis? Fidei huiuſmodi non cunctabitur affirmatiuum dare reſponſum de vtroque ſtatu ſuo modo. Gloria patri cum filio & ſpiritu ſancto, cognoſcitur hic in via quatuor modis, ſecundum quod dicit Dionyſius ca. iij. de myſtica theologia, theologiam ſe quadruplicem dediſſe. Vnam propriam de diuinis characteribus. i. perſonis affirmatiuè, vt de incarnatione verbi, & hanc non habemus. Alteram de
B diuinis ſcripſit nominibus ſecundum eſſentiam diuinitatis. Et hæc apud nos dicta eſt de diuinis nominibus. Sub hac theologia propria continetur tertia pars de ſubſtantijs ſpiritualibus, ſicut de cæleſti hierarchia & eccleſiaſtica. Tertiam theologiam nominat ſymbolicam, qua caremus niſi quia in locis plurimis tangit multa de ſymbolis, hoc eſt de ſimilitudinibus tranſlatis ad Deum. Quartò nominat myſticam, circa quam nunc inſiſtimus. Denique notat. c. eodem iij. & conſe-
C quenter in iiij. & v. & in epiſtolis ad Gaium. & c. vij. de diuinis nominibus conſiderationes aliquas huic theologiæ myſticæ competentes. Vna eſt quod oportet eam eſſe breuiſſimam, immo non ſecundum breuem ſermonem, ſed ſermonis defectum, ſicut in ſilentio & caligine & otio, & in hoc caſu ſuper intellectu per defectum nominationis, hoc ibi. Ponit conſiderationem alteram, quod procedendum eſt in ablationibus ſeu negationibus ab inferioribus ad ſumma, quamuis fiat
D proceſſus oppoſito modo per theologias alteras poſitiuè procedendum. Cauſam reddit in textu manifeſtè, quoniam magis eſt vita & bonitas quam aër & lapis, & magis non crapulæ & maniæ non dici & intelligi. Tertia conſideratio eſt ad intelligendum difficillima ſecundum formam verborum, ſed facillima ſi præmiſſi gradus comparationis notentur. Dicit enim in fine capitis vltimi, quod neque eſt eius vniuerſaliter poſitio neque ablatio, ſed eorum qui poſt eam ſunt poſitiones & ablationes facientes ipſam, neque aufe-
E rimus neque ponimus. Vocat præterea cognitionem iſtam eſſe ſuperlucentem caliginem in obſcuriſſimo, quod eſt ſupermanifeſtiſſimum. Conſonat hæc ſententia verbis philoſophi dicentis, quod manifeſtiſſima naturæ ſunt occultiſſima nobis. Si verò fiat comparatio ad noſtram cognitionem, tantummodo concordabis per diſtinctionem triplicis gradus comparationis. Denique non eſt hic contradictio, quia cum dicitur, Deus eſt ſuper omne ens & non ens, ly non ens non re-
F fertur ad purum ens quod eſt Deus, quia tūc eſſet aperta cōtradictio, ſed refertur ad modum cognitionis quo creatura poteſt cognoſcere ens quodcunque, quia non niſi finito gradu pro quo ſit verbum ſequens. Gloria patri cum filio & ſpiritusancto, ſecundum myſterium fidei in via, immo & regni Dei in patria, cognoſcitur per ablationem ſeu negationem vel priuationem, aut defectionem ab omni eo quod eſt ens vel non ens ad gradum ſuperlatiuum referendo. Ratio, quia ſicut Deus ſibi ſoli ſecundum hunc gradum cognoſcitur eſſe, ita ſibi ſoli conuenit ſecundum hunc gradum perfectè cognoſcere quid eſt non

eſſe.

Digitized by Google

eſſe. Quoniam oppoſitorum eadem eſt diſciplina ſecundum philoſophum, propterea nemo perfectè cognoſcit non ens ſimpliciter niſi concipiat perfectè quid eſt ens ſimpliciter; hoc autem ſolus Deus ipſe de ſeipſo nouit. Dicitur ergo ſua cognitio myſtica eſſe ſuper omne ens & non ens; vnde & in prima epiſtola ad Gaium: Si quis &c. inquit. Videns Deum intellexit quod vidit, non ipſum contemplatus eſt, ſed quiddam eorum ab ipſo exiſtentium & cognitorum. Ipſe autem ſuper animum & eſſentiam ſupercollocatur vniuerſaliter non cognoſcendo neque videndo, cognoſcitur & ipſa ſecundum quod melius perfectiſſima ignorantia ſcientia eſt eius ſuper omnia cognita. Hæc ille. Conſtat itaque quod iſta manifeſtam includunt & non intelligibilem cõtradictionem, ſi non ſit adaptatio concors ſecũdum tres gradus comparationis, quas ancilla theologiæ grammatica nobis tradit dictis modis.

Secunda partitio.

VErbum gloriæ ſecundum myſterium fidei ſæpius aperitur & efficacius per dignam Euchariſtiæ perceptionem ſpiritualem; quam per humanam induſtriam. Itaque dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius ſpiritus reuelat myſteria dixit inter cætera (ſed euangelia non explicent) poſt quam præmiſit: Hic eſt calix ſanguinis mei, myſterium inquit fidei, quod pro vobis effundetur. Expertus hanc efficaciam fuerat credo ſæpe beatiſſimus Dionyſius qui poſt nimiá tormenta poſitus in carcere, ſacrum iſtum myſterium celebrauit, cui viſibiliter aſtitit dominus noſter Ieſus Chriſtus cum multitudine angelorum, & ſeipſum tradidit ſacramentaliter eidem beatò Dionyſio dicens: Accipe hoc care meus, quod mox complebo tibi vna cum patre meo, mecum enim eſt maxima merces tua & his qui audierint ſalus in regno meo. Subiunxit & pro quibuſcũque petieris impetrabis. Obſecramus igitur te Dionyſi benigniſſime vt nobis impetres reſerationem myſticæ theologiæ tuæ quantum expedit ſaluti noſtræ. Si enim voluntate humana non allata eſt aliquando prophetia dicente Petro, quanto minus hæc myſtica theologia ſeu potius theoſophia quam à cõſcio ſecretorum Paulo didiciſſe putaris ô Dionyſi cooperante ſpiritu ſancto in verbo gloriæ.

Verbum gloriæ quod eſt magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtum eſt in carne, viuificatum eſt in ſpiritu, & aſſumptum eſt in gloria, quotidie præſentialiter exhibetur in ſacramento corporis & ſanguinis, quod eſt myſterium fidei. Fides igitur dirigit nos ad myſticas viſiones. Spes erigit. Charitas porrigit & attingit. Deinde ſapientia reficit, pax ſufficit, gloria perficit, ſecundum inferius deducenda. Verbum gloriæ ſecundum myſterium fidei in Euchariſtiæ ſacramento nos inducit ad gloriam myſterium Dei, quoniam manifeſtatur nobis in carne noſtra per ſenſus corporales exterius, & interius dum ſub ſanctis ſymbolis dat ſe Chriſtus palpabilem, oſculabilem, manducabilem, imaginabilem. Iuſtificabitur autem in ſpiritu noſtro per illapſum ſpiritusſancti quæ diffunditur in cor noſtrum. Et ſicut vnum eſt corpus verum quod eſt res huius ſacramenti & ſignum corporis myſtici, quod eſt vnum in eodem corpore (A) & eodem ſpiritu Chriſtus, ſupereſt tandem quod aſſumatur in gloria ſpiritus noſter, quamuis interim vita noſtra abſcondita ſit cum Chriſto in Deo. Sed cum apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria.

Verbum gloriæ dum in hoc ſacramento nobis manifeſtatur in carne, dum iuſtificatur in ſpiritu, nunc etiam & hic præſentialiter aſſumitur in gloria. Omittamus interea de Deo glorioſas cognitiones, quæ per affirmationes fiunt, de quibus eſt triplex theologia, ſicut notatum eſt ex Dionyſio (B) vna conſideratione præcedẽte veniamus ad quartam quæ fit per omnium ablationem, & oſtendamus quemadmodum fides erigit ad illam. Dimiſſis itaque duobus gradibus cognitionis Dei poſitiuo & comparatiuo, fides relinquatur in pura caligine quoad gradum ſuperlatiuum reſpectu patriæ. Quod ſi quæratur à fide. Ad quid dirigit ſpiritum noſtrum? Reſpondebit, ad caliginem. Similiter dum quæritur à ſpe ad quid erigit? reſpondebit, ad caliginem. Porrò ſi quæratur à charitate, (C) cui ſe porrigit quid attingit? cui ſe vnit? reſpondebit ad caliginem. Denique proſequendo ſi fiat inquiſitio, quid eſt illa caligo? Quid quæſo habent reſpondere, niſi quod eſt cognitionis priuatio & amoris defectio. Vrgeat aliquis vlterius perquirens. Quomodo poſſunt hæc fieri? Num caligo eſt Deus noſter? nunquid negatio poteſt eſſe affirmatio? nunquid ignorantia poteſt eſſe ſcientia? nunquid vnio fit ad nihilum? quia caligo quid eſt niſi priuatio? Profectò reſpondere potuerunt fides, ſpes, & charitas, quod non tam (D) agunt quam aguntur? Et à quo aguntur? Certè ab ipſo Deo qui caliginem inhabitat & lucem inacceſſibilem, non vtique ſimpliciter, ſed in ſuo gradu ſupremo, qui eſt ſuper incognitus & ſuperlucẽs & ſublimiſſimus vertex, ad quam nos dirigi orat Dionyſius inuocans Trinitatem ſupereſſentialem, ſuperdeum & ſuperoptimum Chriſtianorum inſpectorem & theoſophiæ, cum reliquis ſequentibus in textu, hunc textum expedit repetendo ruminare, propterea iungetur poſterius ad a- (E) nagogicum noſtrum hoc de hymno gloriæ.

Verbum gloriæ ſecundum myſterium fidei; quia ſupergreditur duplicem gradum cognitionis gloriæ, poſitiuum & comparatiuum, in quo ſe meditantes & contemplantes exercent tam cognitiuè quam dilectiuè, deficit totaliter in ſe: & recidit ſuper eum qui per ſimplicitatem & in infinitum eſt ſub ſe, & per maieſtatem in infinitũ ſupra ſe. Conſtat autem huiuſmodi caſum vel exceſſum cauſari non poſſe niſi ab infinita virtute. (F) Eſt igitur ſumma defectio ſumma refectio, de qua Chriſtus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Qualiter autem poteſt ſpiritus rationalis & laborans & oneratus plus venire ad Deum Chriſtum, quam abijciendo nedum laborem ſuum, nedum opus proprium vel alienum, ſed deſerendo ſemetipſum? Quid ſtas inquit Auguſtinus & quid non ſtas dum in te ſtas? Proijce te in Deum & ſuſpiciet te. Et Gregorius. Niſi quis à ſeipſo deficiat, ad eum qui ſuper ipſum eſt non appropinquat. Nec valet apprehẽdere quod ſupra ipſum eſt, niſi ſciat mactare quod eſt. Faciliter autem iſta dicuntur, faciliter & cre-

Digitized by Google

duntur à fidelibus, ſed per intelligentiam experiri hoc opus hic labor eſt, immo planè nec iam opus nec labor, ſed actio ſpiritusſancti ſecundum tempus & locum & modum beneplaciti ſui in multitudine miſericordiæ tuæ. Verbum gloriæ ſecundũ fidei myſterium dum agit vt rationalis anima deſerat ſe & omnia ſua, contingit vt eadem etiam ſe per negationes gradatim exerceat. Exempli gratia, in Euchariſtia ſacramento quod eſt myſterium fidei, recogitat fidelis anima, dum videt accidentia panis & vini. Eſt hic Deus tuus? non inquit, ſed continet præſentialiter corpus verum & ſanguinem Dei mei. Deinde ſubiungit. Corpus hoc verum & ſanguis domini Dei mei, nunquid eſt Deus tuus? non inquit, ſed vniuntur domino Deo tuo. Significant etiam corpus eccleſiæ myſticum, quod viuificatur ab vno ſpiritu domini Dei mei, vnum corpus & vnus ſpiritus ait Apoſtolus. Subinfert, ſi corpus hoc myſticum cum corpore vero ſit dominꝰ Deus tuus? Altior inquit, eſt dominus Deus meus, quia nec materialis eſt nec finitus nec temporalis neque ſecundum carnem neque ſecundum ſpiritum cognoſcibilis eſt hic in maieſtate ſua. Sic fit tandem vt deficiat à ſeipſa per cognitionis defectum, & ſuſcipiatur à ſpiritu Chriſti per dilectionis illapſum. Remanent autem quæſtiones difficiles, an. ſ. rationalis omnia ſub tali gradu ſuperlatiuo cõſtituto ſentit aliquid? Si agit aliquid? ſi meretur aliquid? ſi diligit aliquid? ſi nouum ſemper fiat & ſupernaturale miraculum? Rurſus qualis eſt differẽtia talis defectionis vel abnegationis in via vel in patria, quia blaſphemum videtur dicere ignorantiam eſſe in patria, quia nec anima Chriſti illam habuit in via. Reſpondeamus ad ſingula, coniungentes alpha cum ω, initium ſcilicet creationis cum fine glorificationis. Verbum gloriæ ſecundum myſterium fidei noſtræ tradit hominem formatum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Vnde & Apoſtolus dicit, quod vir eſt imago & gloria Dei, in hoc autem non eſt diſtinctio viri & mulieris. Cõſideremus hanc imaginem, ſimilitudinem & gloriam Dei in prima creatione ſua. Conſideremus in ea eſſentiam ſuam ſecundam, quæ per memoriam capax eſt Dei, & per intelligentiam & voluntatẽ particeps eius eſſe poteſt. Quid autem eſt aliud iſta capacitas & iſta perceptibilitas niſi quædam impreſſio primæ & æternæ vnitatis, veritatis & bonitatis, prout anima naturaliter ex impreſſione prima configuratur & coaptatur beatiſſimæ Trinitati in memorando, cognoſcendo & amando, ſuum principium efficiens exemplans & finiens. Dicitur autem anima rationalis ſecũdum hæc tria naturaliter agi, vt meminerit Dei ſecundum impreſſionem primam vt inſuper cognoſcat eum & diligat indelibili configuratione ad ſuum principium effectiuum exemplatiuum. Quocirca vocabitur hæc vitalis operatio vel actio aptitudinalis reſpectu Dei naturaliter deiformis ſimplex & quieta, quæ deleri non poteſt etiam in damnatis vt naturalis eſt, quia naturalia in eis, dicente Dionyſio remanent ſplendida, quamuis in malum finem ſicut & in abuſum reſplendeant. Verbum gloriæ ſecundum myſterium fidei noſtræ tradit hominem reformatum eſſe in baptiſmo per gratiam infuſionémque virtutum habitualium, & eſt

hæc reformatio veluti quædam ſuperinductio colorum deiformium ad lineamenta naturalis imaginis & ſimilitudinis. Eſt inſuper tantæ pulchritudinis & decoris vt reddãt animam Deo placitam, gratam & acceptabilem, adeò quod ſi migret ſtatim à corpore, ſpiritus mox ſtola gloriæ decoratur. Eſt autem hæc vita gratiæ ſpiritualis & habitualis operatio ſupernaturaliter deiformis & ſimplex & quieta, perficiens & ornans ſimilitudinem & gloriam creatæ rationalis animæ. Tranſeamus mediam vitam peregrinationis iſtius, quæ eſt vtique diſcontinua, multiplex & inquieta, & veniamus ad vitam gloriæ, quæ perficiendo vitam naturæ & gratiæ, conformiter ad illas eſt continua, ſimpliciſſima quietiſſima & æterna. Concludamus igitur quod quantum vita peregrinationis gratiæ conformatur initio creationis & recreationis ſuę, necnon fini glorificationis ſuę in patria tantum dẽ perficitur, ſimplificatur & quieſcit hic in via iuxta pſalmiſtæ quæſtionem: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? De Beniamin quoque eſt, habitat cõfidenter in eo ſicut in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet. Requiem hanc optabat Petrus in mõte factus in extaſi, dum poſt vocem allatam à magnifica gloria dixit, neſciẽs quid diceret, quia magis agebatur quam agebat. Domine bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus hic tria tabernacula &c. Verbum gloriæ ſecundũ myſterium fidei, dum ſubintrat per abnegationes latibulum nubis tenebrarum & caliginis, anima rationalis acta per ſpiritumſanctum, reagit ſecundum eundem ſpiritum, iuxta illud: Dilectus meus mihi & ego illi. Et ita meretur atque reficitur, quoniam de latibulo caliginis venit ad tabernaculum quod eſt in circumitu eius iuxta illud Dauidicum poſtquam de Deo dixerat: Inclinauit cælos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius. Dehinc aſcendit ſuper cherubin & volauit, volauit ſuper pennas ventorum. Concluſit, & poſuit tenebras latibulum ſuum cui conſonat poëtica fictio: In ſublime volans, nũbe ſe immiſcuit atræ. Superadditur: Et in circumitu eius tabernaculum eius. Conſideremus igitur Deum velut in latibulo tenebrarum ſecundum theologiam myſticam, quæ fit per abnegationem in gradu ſuperlatiuo, vbi eſt veluti in monte condenſo & vmbroſo, & in deſertis ſeculorum & in montibus æternis. Et verè Deus abſconditus ſaluator ſanctus Iſrael. Attamen in circumitu eius tabernaculum eius. Iuxta canticum eccleſiæ: In circumitu tuo domine lumen eſt quod nunquam deficiet, vbi conſtituiſti lucidiſſimas manſiones. Et pſalmus: In circumitu eius veritas eius. Spectant ad hæc omnia quæ ſeraphicus doctor Bonauentura tradidit in itinerario mentis in Deum, ſub capitalis & gradibus ad hoc tabernaculum continens duplicem gradum cognitionis Dei, poſitiuum & comparatiuum. Spectat verò ſeptimum capitulum ad latibulum caliginis & tenebrarum, quod explicat ſuo modo non contrariè ad noſtrum hymnum gloriæ. Verbum ſecundum myſterium fidei ſicut non eſt in patria, ſed clara viſio & fruitio, ſic non ibi propriè loquendo eſt ponere theologiam myſticam, quamuis Deus gloriæ nequaquam in ſuperlatiuo gradu qui prorſus infinitus eſt, videatur aut ametur.

Digitized by Google

tur. Pro cuius elucidatione & totius materiæ, cõſideremus conſequenter ad prędicta quatuor modos ſpirituales, quibus inſpicitur Deus per abnegationem. Vnus eſt per ſimplicem fidem, ſpem & charitatem. Alter eſt per inueſtigationem philoſophicam tantummodo. Tertius per inueſtigationem theologicam, quæ cõplectitur duos præcedentes. Quartus per apertam & claram Dei viſionem, de quo dicamus ad præſens, quod anima beatiſſimæ virginis (exempli gratia) clariſſimæ videt Deum poſt animam filij ſui, quoad gradum cognitionis poſitiuum & comparatiuum. Nihilominus dum extendit ſe ad ſuperlatiuum, qui ſoli Deo conuenit, illic deficit, videns quod inattingibilis eſt, ſed non reflectitur, aut non cadit in caliginem cognitionis, quemadmodum fit in via, ſed ſemper in apertam viſionem. Quamobrem ſua defectio non dicitur ænigmatica ſeu caliginoſa vel tenebræ. Vnde cum dicitur de Ioanne Baptiſta, quod fuit plus quam propheta, non tollitur ab eo gradus prophetiæ, ſed augetur. Proportionabiliter in propoſito ſi Maria nõ cognoſcit Deum quantum Deus ſeipſum, nõ ponitur in ſua cognitione tenebroſitas. Si enim ſol clarior eſt quam heſperus aut lucifer, non ponitur in ipſis heſpero vel lucifero caligo tenebrarum, ſed claritas ſolis ſuperior prædicatur. Semper autem dum ambulamus per ſpem & fidem, quantumcunque profecerit cognitio noſtra de communi lege, cadit in incognitionem per ſpeculum & ænigma.

Tertia partitio de verbo gloriæ.

EXcelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis vel intellectualis, dum ambulat ad Dei cognitionem actualem, nunc per inueſtigationem naturalem, nunc per ſimplicem fidem, nunc per vtrunque, ſi plena fiat reſolutio, ſemper fit occaſus vel defectio ad ſuperlatiuum gradum, quo Deus in ſe cognoſcit ſe, ſicut in inferiori fit, vel occubitus cognitionis & motus & potentias vita carentes. Quocirca dicimus vlterius, quod actu finito cognitiuo & affectiuo (quia vterque pariter incidit) poteſt attingi obiectum infinitũ. Et ita infinitum quale eſt Deus à finita potentia & actu finito memorabitur, intelligetur & diligetur in patria. Poterit igitur dici talis actus infinitus terminatiuè vel obiectiuè, quamuis in ſe ſit finitus quantitatiuè, quemadmodum viceuerſa Deus infinito actu cognoſcit omnem creaturam eſſe finitam. Quocirca poteſt quælibet creatura quantumcunque finita dici infinita cognoſcibiliter, quia. ſ. infinito actu qui Deus eſt cognoſcitur. Neque comprehendi poteſt totaliter ab alio quam à Deo, quamuis ab anima beata cognoſcatur quantum habet de perfectione ſecundum principia intrinſeca ſua quæ in eſſentia creaturæ finita ſunt & perfectionis limitatæ. De tali ſcire loquebatur philoſophus deſcribens ſcire eſſe rem per cauſam cognoſcere. Intellige de proximis & creatis cauſis, quia prima cauſa & ſi poteſt cognoſci per demonſtrationem vel aliter comprehendi, tamen plenè nequit.

Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis procedendo ad cognitionem Dei, tandem deficit & cadit in occaſum ſecundum poſitionem philoſophorum, maximè Platonicorum, quam recitat & reprobat Auguſtinus in ſuo de ciuitate Dei, A quam inſuper Albertus magnus explicat in ſuo de intellectu & intelligibili ex dictis philoſophorum, dimittendo pietatem fidei. Legatur in ſpirituali caput vltimum, vbi concludẽdo dicit, quod ſpiritus debet procedere de cognitione in cognitionem, quouſque fiat aſſimilatio ad cauſam primam, in qua ſic ſubſtãtificetur & formetur quod iam non indigebit organis in ſua contemplatione. Et hoc eſt inquit, caducum alijs vitæ immortalis. Quamuis iſta & ſimilia videantur altè & ſpecioſè dicta per philoſophos & idololatras, ſunt B tamen impoſſibilia, & per multos articulos Pariſienſes prohibita & excommunicata, propterea dimiſſis infidelibus tranſeamus ad fideles etiam ſimplices, dummodo fundati ſint & radicati in fide, ſpe & charitate, quales inuenimus fuiſſe martyres & anachoretas patres. Placeat autem ſub compendio protinus inſinuare modum ſecundum perueniendi ad ſuperincognitum & ſuperſplendentem & ſublimiſſimum verticem huius ſapientiæ quæ per ignorantiam cognoſcitur tan- C quam à domini ſpiritu. Itaque ſpiritusſanctus dirigit animam per fidem vſque ad ſuperlatiuum gradũ diuinæ cognitionis excluſiuè, & per ſpem erigit eam vſque ad interiora velaminis ſecundum apoſtolum, & per charitatem illic figit & vnit. Quælibet enim iſtarum trium virtutum theologicarum habet pro immediato obiecto & termino ſuo Deum. Ac proinde ſecundum theologos differunt à virtutibus moralibus & alijs, quæ circa alia verſantur obiecta.

D Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis ſic eleuatus & actus à ſpiritusſancto per fidem, ſpem & charitatem, ſecundum memoriam, intelligentiam & voluntatem radicatas in eſſentia ſua, & in ſuperiori facie quæ formata eſt à ſolo Deo immediatè, & capax eſt eius, ſecundum triplicem hanc potentiam terminat immediatè ſuam actionem ad ſolum Deum, & attingit ipſum terminatiuè vel obiectiuè, & cum hoc non ſit per apertam viſionem, neceſſe eſt quod fiat per caliginem. Eſt autem caligo priuatio luminis ſeu cognitio- E nis ſicut & tenebra prout etiam ſilentium dicit ſoni defectum. Mirum verò videtur quomodo poſſit cognitio vel amor cognoſci vel agi per priuationem cognitionis & amoris. Sed in prioribus euacuata eſt hęc difficultas, quia priuatio vel defectio ſeu tenebra ſeu ſilentium non dicuntur ſimpliciter ſeu vniformiter, ſed tantummodo reſpectiuè ad ſuperlatiuum cognitionis vel amoris gradum. Priuatio prætcrea non dicit hic negationem habitus cum debito exiſtentiæ eius, F quemadmodum cæcitas non dicitur ſimpliciter priuatio viſus, niſi ſit circa ſubiectum quod debet habere viſum, non enim lapis propriè dicitur cæcus. Nos autem in propoſito accipimus priuationem pro negatione ſimplici, dum ponimus quod ſancti priuatiuè cognoſcant Deum ſub gradu ſupremo. Non enim apti ſunt vel debitores ita poſitiuè cognoſcere, quamuis iſtud notet imperfectionem. Et certè quælibet res creata reſpectu Dei dici debet imperfecta. Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis per huiuſmodi defectionem ſuperadmirabiliter reficitur, quoniam plus vnitur Deo ſyncerius atque ſublimius ſine quauis

Digitized by Google

admixtione phantaſmatum vel ſordium & imperfectionum cuiuſuis creaturæ quam per poſitiuum. Quo pacto ſic? quia nimirum nullum eſt ibi medium inter Deum & ſpiritum. Priuatur enim cognitio & amor cuiuſlibet alterius rei præter Deum. Si verò quæritur, nunquid terminus cognitionis & amoris ſtat & finitur in caligine ſola, prout eſt priuatio quædam? Reſpondendum eſt quod negationes & priuationes terminare non poſſunt niſi per affirmationes, vnde nec Deus cognoſcit mala & imperfecta, niſi per ideā boni & perfecti. Quid fit igitur? Reſpondet beatus Dionyſius quod in occaſu & occubitu & defectione ineffabili coniungitur anima ineffabiliter & ignotè ineffabilibus & ignotis. Et iterum ait, partitis alteritatibus & concupiſcentijs curiſque incluſis & ſupermundanè explicitis nos in diuinam monadem congregamur, propterea vocat hanc defectionem vnionem ſuper mentem. Rurſus viuifica inquit, virtus diuinarum illuminationum, quæ ſcilicet fuit ſecundum poſitiuum gradum, abundè nos replet & reſtituit ac conuertit ad congregantis patris vnitatem & ſimplificam deitatem. Attende quod ideo nominat patrem, quoniam in ipſo eſt fontalis deitas ſecūdum eundem Dionyſium. Filius inſuper & ſpiritusſanctus omnem gloriam ſuam referunt in gloriam Dei patris. Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis per vehemens exercitium theologicum ſimul & philoſophicum poteſt eleuari ad apicem ſeu verticem theologię myſticę cum auxilio fidei, ſpei & charitatis ſublimius quam rudis & ſimplex chriſtianus, & hoc de communi lege, ſupra quam tamen eſt ſpiritusſanctus. Patuit hoc vltimum in apoſtolis idiotis ac alijs quam plurimis. Patet verò præſens conſideratio de doctoribus catholicis Græcis & Latinis ex libris & traditionibus ſuis, ex quibus aliqua fortaſſis excerpta iungentur inferius ad textum myſticæ theologiæ Dionyſij confirmandum. Fuit aliquibus bonis & magnis viris hæc doctrina propter ſui profunditatem in ſcandalum, quia non ſatis aduertebant aut aduertere poterant modos locutionum de eminentia Dei ſuper omnem creaturam, & quod tamen omnibus eſſet eſſe & bene eſſe. Concluſerunt itaque ex iſto ſequi, quod omnis creatura eſſet Deus, quia Deus & ſuum eſſe ſunt omnino idem. Sic aliqui iuriſtæ impoſuerunt Ioanni Scoto tranſlatori librorum beati Dionyſij poſuiſſe, & ſummè in hoc hæreticaſſe, quod omnis creatura eſſet Deus. Reducunt aliqui poſitionem de vniuocatione entis creati & increati ſecundum rem vel ex natura rei, aut ſecundum realia vniuerſalia ad errorem iſtum, quamuis hoc non intendant illi.

Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis circa cognitionem myſteriorum eloquiorum, non principaliter innititur humanæ induſtriæ, illam tamen nō abijcit ſed exercet. Dudum poſtquam ſcholaſticis lectionibus tractaueramus de theologia myſtica ſpeculatiuè per quadraginta quatuor conſiderationes & octo partitiones, ſecundum totidem materias principales. Notauimus poſtmodum duodecim induſtrias pro practica, & pridem in vulgari ad ſorores ſcripſeramus de monte contemplationis certos gradus & modos. Prima induſtria Dei vocationi intendere. Secunda propriam complexionem agnoſcere. Tertia, officium vel proprium ſtatum aſpicere. Quarta, ſemet ad perfectionem extendere. Quinta, occupationes effugere. Sexta, curioſitatem deponere. Septima, longanimitatem aſſumere. Octaua, paſſionum vel affectionum origines animaduertere. Nona, tempus idoneum & locum inquirere. Decima, ſomno & cibo moderanter indulgere. Vndecima, meditationibus pijs generatiuis affectuum inſiſtere. Duodecima, ſpiritum à phantaſmatibus auertere. Porrò dum interrogaretur à me germanus Nicolaus cæleſtinus poſt inſpectionem induſtriarum iſtarum. Quænam eſſet difficilior in practica? Reſpondit, quod ſpiritum à phantaſmatibus auertere. Senſit hoc veriſſimè, neque poteſt hoc induſtria practicari quam per theologiam myſticam hic in via, dum intellectus noſter coniunctus eſt continuo tempori. Ponit dominus Albertus vt prius lib. de intellectu & intelligibili penultimum aſcenſum in reditu animæ ad Deum, quod efferatur ſuper hoc & nunc, hoc eſt, ſuper continuum & tempus. Deinde ponit aſſimilationem in vnionem cum Deo, vocat occaſum alterius vitæ, conſonans in hoc beato Dionyſio ſi diuinæ gratiæ munus tale tribuiſſet in Chriſto Ieſu domino noſtro, quia adhuc occaſum Chriſtus eſt oſtium, via, ductor vehiculum, quemadmodum de Deo canit apud Boëtium philoſophia. Principium, rector, dux, ſemita, terminus idem. Conſonarent inſuper multa quæ præmittit Albertus de intellectu agente cum luminibus intelligentiarum ſe coniungente. Vnde inquit: Multi vocati prophetæ ordinauerunt multas ſuppoſitiones & ordinationes. Iſti certè fuerunt magici & idololatræ, qui per theletas execrabiles & dæmoniacas arbitrantur animas purgari ad prophetias & miracula facienda, de quibus habetur apud Auguſtinum de ciuitate Dei, à ſeptimo vſque ad decimum, & conſequenter in alijs quibuſdam capitulis. Ipſe enim ſathanas qui coli vult vt Deus, imitatur ſæpe vel imitari fingit veros ritus & modos ſacrificandi Deo per orationes, per ieiunia, per caſtitatem & purificationes. Nos autem ſoli Deo ſacrificium laudis offerimus, & ad ſanctos angelos ſuos hominéſque beatos tanquam interceſſores & adminiſtratores ſpiritus propter electos ſupplicamus.

Excelſus in verbo ſpiritus rationalis non euehitur ad theologiam myſticam per raptus inſanos, quales fuerunt in Sibyllis & vatibus de quibus hyſtoriæ & poëtæ faciunt mentionem. Similiter & ſcriptura ſacra, ſicut de pythonicis & de Balaam qui cadebat & aperiebat eius oculos. Sicut & epileptici nonnulli, qualis fuiſſe creditur Mahometus quemadmodum prætera ponunt medici infinitas melancholiarum ſpecies & alienationes animarum, vnde credunt ſimplices quod tales rapiantur in cælum, & cadunt in cænum, aut in eodem ſtatu perſtant immobiles quo morbus inuenit eos, & velut gelu conſtringit, vnde congelatio appellatur in mente, ſicut tempore noſtro plures tales qui prophetias & viſiones ſe diuinitus habere iactabant vidimus & fallebant ſicut & aliquando fallebantur.

Excelſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis in theologia

theologia myſtica ſe exercens non habet neceſſitatem vt in eo ſit corporalis defectio qualis legitur de bonis etiam prophetis, vt Daniele, Ezechiele & ſimilibus. Dionyſius enim nihil tale ponit exigi, frequens inſuper experientia contradicit. Sed nec oportet ad ſupermentales exceſſus theologię myſticæ intelligentiam purè concurrere, qualis fuit in multis philoſophis, qui ſecundum Auguſtinum potuerunt omnia mundana tranſire & attingere primam cauſam, irridentes idcirco ſimplices chriſtianos non potentes ad intelligentiam talem euehi, quibus reſpondet Auguſtinus quod ſimplici fide tenent certius & ſalubrius malum ſeu velum in eccleſiaſtica nauicula quæ perducit ad cælum. Non oportet præterea ſupermentales exceſſus theologiæ myſticæ fieri per tale miraculum, quomodo protomartyr Stephanus dum lapidaretur intendens in cælum vidit gloriam Dei, ſicut Vincentius ſicut Laurentius, ſicut beatus Andreas, ſicut Felicula, ſicut de aliorum ſanctorum plurimis in raptibus & reuelationibus, quales leguntur in Apocalipſi Ioannis, de quorum differentijs & proprietatibus præſens breuitas non inquirit.

Exceſſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis dum per anagogiam conſcendit in Deum, deſerit omnes operationes vt ſic nedum intellectuales & amiciabiles & delectiuas immo oportet prorſus actum proprium & liberum circa Deum in ſupremo gradu obiectaliter poſitiuè eſſe terminatum. Et quoniam videtur iſtud verbum durum eſſe, & repugnare dictis & ſcripturis expoſitorum beati Dionyſij immo & noſtris hactenus de theologia myſtica traditis, quam in amore poſuimus. Ponemus in forma pro teſtimonio & intellectu tam huius quam præcedentium textum domini Bonauenturæ ſuper diſtinc. xiiij. quæſt. ij. in fine. At illud inquit quod vltimo obijcitur de comprehẽſione dicendum, quod comprehendere dicitur tripliciter. Vno modo comprehendere eſt idem quod charitati adhærere, & ſic accipit Bernardus ad Eugenium. Si ſanctus inquit, es comprehendiſti. Alio modo eſt idem quod clarè videre & perfectè amare, ſicut ad Philippẽſes. iij. Si quo modo comprehendam in quo comprehenſus ſum. Tertiò comprehẽdere idem eſt quod claudere terminos rei, ſic eſt Deus incomprehenſibilis. Cum ergo dicitur quod ſancti ſunt comprehenſores in patria, & quod Chriſtus fuit comprehenſor. Dicendum quod medio modo accipitur & ſic habet veritatem. Nam Chriſtus videt Dei immenſitatem, nec tenet hoc fide, ſed certiſſima cognitione hoc eſt, nouit Deum immenſum. Ecce per hæc dicta tres gradus cognitionis ſeu comprehenſionis Dei lucidiſſima diſtinctione notatos conformiter ad prædicta. Si ſubiungamus illud quod protinus idem doctor dicit pro verbo præſenti. Et ſi tu quæras inquit, an poſitiuè vel priuatiuè Chriſtus nouit Deum immenſum? Dicendum quodammodo poſitiuè quodammodo priuatiuè. Poſitiuè quantum extendit ſe capacitas ſeu intelligentia. Priuatiuè deinceps admiratur etiam illam profundam & ſummam profunditatem diuinæ immenſitatis, ſicut dicit pſalmus: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. Hæc ille. Ecce quod ponit priuatiuam cognitionem in anima Chriſti, quanto magis in alijs. Hæc eſt autem cognitio quam vocamus myſticam, per abnegationem ſcilicet defectionem & occaſum. Conſtat autem quod non minus deficit dilectio ſeu beatifica fruitio ab illo gradu ſupremo fruitionis, quo Deus fruitur de ſolo actu infinito quam ipſa cognitio. In ſignũ cuius non inueni poſitum à beato Dionyſio tradente myſticam theologiam quod dixerit ipſam terminari poſitiuè obiectaliter in Deo ſed vel nihil expreſſit de dilectione, vel ipſam dixit fieri per caliginem & defectiuè. Hinc eſt illud iam inductum, immo mirantur & deficiunt. Rurſus in altero ex verbis ſapientis: Quantum potes tãtum aude quia maior omni laude, nec laudare ſufficis. Poterit dici, & laudando deficis, quæ defectio ſumma eſt refectio, ſummúſque profectus. Exceſſus in verbo gloriæ ſpiritus rationalis, intrando diuinam caliginem per defectionem ſublimius habet dicere: Omnis conſummationis vidi finem. Tradit ſententialiter beatus Hilarius, quod nec angeli, nec archangeli ſciunt aut penetrare præſumunt diuinæ generationis arcanum. Conſtat quod hoc non poteſt intelligi de viſione beata in poſitiuo vel comparatiuo gradu. Accipitur igitur de ſuperlatiuo, quo per ignorantiam tantum cognoſcendo proficit ſpiritus in via, immo & in patria, quantum per gratiam aut per gloriam magis exercitatus & eleuatus fuerit per memoriam & intelligentiam & voluntatem in gradu cognitionis poſitiuo vel comparatiuo, quia plus accedit deficiendo ad vnionem refectiuam. Cuius hæ ſunt conditiones, quod infallibilis etiam in via qua nihil poteſt habere erroris admixtum vel phantaſmatis nihil creaturæ defectibilitatis, nihil inſidiarum diaboli, vbi eſt altiſſimum refugium, vbi ſolus vnitur Deo, & vnicus ſoli & vnico ſpiritui. Si quæras, quomodo fiet iſtud? Audi non me ſed diuinum Dionyſium: Ineffabilibus inquit, & ignotis mens ineffabiliter & ignotè cõiungitur. Quis poſt hæc verba præſumeret ineffabilia fari, & in cognitionem ignota proferre? Poſſumus itaque doctrinaliter & ſpeculatiuè per quid nominis veritatem eloqui myſterij, ſola verò Trinitas per experimentum rei.

Superſunt alia de verbo & hymno gloriæ nominatim ſuper hoc verſiculo. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum amen. Differatur in partitionem alteram. Et pro confirmatione dictorum ſimul & refectione animorum iungantur vltima verba Hugonis in ſuo de arra animæ. Vbi ſic anima conqueritur aſſerens ſe in cognoſcendo deficere: *Anima*. Quid eſt illud dilecte quod in eius recordatione aliquando me tangere ſolet, & tam vehementer atque ſuauiter afficere, vt iam tota quodammodo à memet ipſa abalienari, & neſcio quo abſtrahi incipiam, exhilaratur conſcientia, in obliuionem venit omnis præteritorum malorum memoria, cor illuminatur, deſideria iocundantur. Iámque alibi neſcio vbi me eſſe video, & quaſi quibuſdam amplexibus amoris intus teneo. Et neſcio quid illud ſit. Et tamen illud ſemper retinere, & nunquam perdere toto animo meo laboro. Luctatur quodammodo debiliter animus ne recedat, quod ſemper amplecti deſiderat, & quaſi in illo omnium deſideriorum finem inuenerit, ſummè

& ineffabiliter exultat, nihil amplius quærens, ſemper ſic eſſe volens. Nunquid ille eſt dilectus A meus? quæſo dic mihi, vt ſciam ſi ille ſit, vt ſi denuo ad me venerit, obſecrem eum ne recedat, ſed ſemper permaneat. *Homo.* Verè ille eſt dilectus tuus qui viſitat te, venit inuiſibilis, venit occultus vt tangat te, ideo vt videatur à te. Venit non vt totum infundat ſe, ſed vt trahat affectum. Primitias quaſdam porrigit ſuæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ ſocietatis. Et hoc eſt quod maximè ad arram deſponſationis tuæ pertineat, quod ille in futuro ſe tibi videndum, B & perpetuò poſſidendum dabit. Nunc aliquando vt quam dulcis ſit agnoſcas, ſe tibi ad guſtandum præbet. Simul etiam vt interim de abſentia eius conſoleris quando eius viſitatione ne deficias, inceſſanter reficeris.

Quarta partitio de verbo gloriæ.

GLorificatio mutua patris & filij & ſpiritusſancti poſtulabatur fieri cum Chriſtus ait: Pater venit hora, clarifica filium tuum vt filius C tuus clarificet te. Potuerat quoque rex gloriæ Chriſtus ſecundum hoc verbum gloriæ ad patrem Deum gloriæ dicere, ſed exprimẽs exterius oculis ſubleuatis in cælum, fecit de verbo glorificationis hymnum gloriæ, dum harmoniam addit vocis: Hymnum quippe dicimus laudem Dei cum cantico. Hunc eſſe hymnum conijciunt doctores, de quo Matthæus & Marcus. Et hymno inquit, dicto exierunt in montem oliuarum. Non dubium quia poſt inſtitutionem & refectionem ſacramentalem ſtatim quando receſſerat Iudas, D Chriſtus dixit teſte Ioanne. Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo & Deus clarificauit eum in ſemetipſo. Deinde poſtquam docuit diſcipulos multa, ſequitur de hymno glorificationis ſeu gloriæ. Vtrunque enim traditur ex verbo græco, vnde gloria quaſi clarea ſeu clara. Pater venit hora clarifica filium tuum vt filius tuus clarificet te. Proinde ſubiungens, claritate inquam quam habui priuſquam mundus fieret apud te, dedit palam intelligi quod E de glorificatione quam habet in æternitate ſolus cum ſpiritu ſancto in gloria Dei patris loquebatur. Hoc ipſum imitatur eccleſia dum frequentat hunc hymnum gloriæ. Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, mox ſubiungitur: Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum amen.

Glorificatio patris & filij cum ſpiritusſancto, deſignatur fieri multipliciter ſub his & alijs verbis. Vno modo complacenter congaudenter & F congratulatiuè, quia ſcilicet complacet in gloria Dei. Alio modo deſideranter & exhortatiuè, quia hæc gloria manifeſtatur per omnes creaturas præſertim rationales. Tertiò modo repræſentatiuè & expreſſiuè, ſic opus ſapientis dicitur ſapientia eius & gloria eius. Dicitur autem gloria Dei fieri vel augeri, non in ſe, ſed dum manifeſtatur. Fit autem manifeſtior in effectibus ſuis. Oramus ſub hoc tropo, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, quemadmodum loquitur & hic Chriſtus per totum hymnum. Quomodo ſimiliter dicit Apoſtolus. Deinde finis ait, Cum tradiderit regnum Deo & patri. Sequitur. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc ipſe filius ſubiectus erit illi qui ſibi ſubiecit omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Intelliguntur hæc per patefactionem generalem perfectam, non per nouæ gloriæ collationem in æternitate, quam dicimus ſuperlatiuum glorificationis diuinæ gradum, ad quem omnia conſummabuntur, præſertim electi, ſub gradu eccleſiæ comparatiuo ſeu ſecundo conſtituti, & erunt ſicut hic orat Chriſtus, conſummati in vnum.

Glorificatio patris & filij cum ſpiritusſancto in beatis dici poteſt habere gradum, vel, vt Bernardus loquitur, modum ſine modo, hoc eſt myſterium & arcanum quod loquimur & inquirimus. Apertum verò eſt ſcholaſticè per præcedentia, ſi maneat clara & certa diſtinctio de triplici gradu ſeu modo, quod idem eſt in propoſito. Vnum poſuimus gradum glorificationis poſitiuum, alterum comparatiuum, tertium ſuperlatiuum. Et licet comparatiuus gradus & ſuperlatiuus præſupponant poſitiuum, veruntamen appropriamus poſitiuum in gloria viæ, comparatiuum in gloria patriæ, ſuperlatiuum in gloria æternitatis diuinæ. Quod ſi voluerimus attendere qualiter hic gradus gloriæ ſit ſine gradu, & modus gloriæ ſine modo, patebit primò ex ipſa definitione & interpretatione nominis huius æternitas, quaſi extra terminos entitas, nunquid infinitatem illam exprimit Dauidici hymni. Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis quoad comparatiuum patris. Et ſapientiæ eius non eſt numerus, quoad appropriatum filij. Et miſericordia eius ſuper omnia opera eius, quoad clementiam & bonitatem ſpiritusſancti. Siquidem in omni re creata vel creabili ponitur modus, menſura, terminus, numerus & ſpecies, finis & ordo. Solus Deus eſt ſine numero, modo, menſura vel termino pro quo ſit ſequens verbum.

Glorificatio patris & filij cum ſpiritusſancto, in ſeipſis rectè dicitur infinita & immenſa, nedum priuatiuè ſed poſitiuè, ſicut quælibet gloria creaturæ viceuerſa dicitur finita, nedum poſitiuè ſed priuatiuè, vtendo largè nomine priuationis pro negatione. Proficit hæc conſideratio ad intelligendum proprias voces ſcripturarum. Vnde finitum dicimus illud quod habet terminos poſitionis ſeu poſitiuos, ſed intelligitur vna negatio ſeu priuatio, quod vltra terminos illos vel finitum illud progredi non valeat vel extendi. Infinitum viceuerſa dicitur negatiuè, quia non habet terminos quibus circunſcribatur, finiatur, definiatur aut terminetur. Et hoc dicitur infinitum extra genus. Porrò dicitur infinitum aliquid affirmatiuè, dum negat negationem in nomine finiti clauſam. Æquipollent enim duæ negationes vni affirmationi. Conſideretur acriter nominum iſtorum & ſimilium talis ſignificatio, tunc non erit abſona vel diſcors iſta locutio. Gloria Dei eſt gradus ſine gradu, modus ſine modo. Similiter de cognitione, fruitione, delectatione, quamuis aliç delectationes addi poſſunt. Sed nunquid æternitas vel æternus Deus, ſeu Trinitas claudit ſe ſuis terminis & comprehendit? Profectò ſic aſſentire poſſumus & conſequentiam negare

qua

Digitized by Google

qua ſubinfertur, ergo Deus habet terminos. Non enim ſequitur, Deus eſt infinitus terminus ergo eſt terminus vel terminum habens. Sed nunquid præterea anima Chriſti vel Mariæ videt clariſſimę terminos æternitatis infinitos, quibus æternitas ſeipſam circumſcribit & definit? Sic, ſicut hoc ſequens verbum declarabit, in cuius explicatione totum ſtat quod inquiritur myſterium regni Dei. Glorificatio patris & filij cum ſpirituſancto conſpicitur & diligitur fruitiuè & obiectabiliter in ſupremo cōparatiui gradus patriæ ab anima Chriſti & Mariæ, non tamen in ſuperlatiuo formaliter & intrinſecè, quo beata Trinitas ſe cognoſcit & diligit tam obiectaliter quod intrinſecè. Attendenda eſt hæc determinatio eccleſiæ cum approbatione doctorum modernorum, quod duplex eſt beatitudo. Vna obiectalis & determinatiua, & illa eſt ſolus Deus, ſicut ſolo Deo fruendum eſt. Altera eſt beatitudo formalis & intrinſeca, conſiſtens in duobus actibus, qui ſunt viſio & fruitio cum tentione ſeu poſſeſſione ſecura. Sunt etiam apud Deum penitus idem beatitudo formalis & obiectalis. At verò diſtinctio maxima eſt in creaturis beatis, inter beatitudinem ipſorum obiectalem quæ non niſi Deus & formalem, quam vtiq; conſtat eſſe finitā intrinſecè, & ab infinita extrinſeca beatitudine Dei differre vel diſtingui. Etiam vbi poneretur quod Deus per ſeipſum ſine creatis habitibus aut ſpeciebus alijs illabendo, formalem hanc beatitudinem in anima beata cauſaret. Concedunt hoc illi qui etiam contrariantur eccleſiaſticæ determinationi: quod forte nondum viderant eam. Concedunt inquam quod de facto vel de potētia Dei abſoluta non poteſt eſſe Deus animæ creatæ niſi finita beatitudo formalis, quia nec creatura eſt capacitatis perceptiuæ, cognitiuæ & dilectiuæ Dei, niſi finitæ & limitatæ. Quaobrē neceſſe eſt vt beatitudo creaturæ formalis ſemper ſit finita quicquid ſit illa formalis beatitudo quæ vtiq; eſt motus animæ à Deo diſtinctus. Etiāſi poneretur quod anima eſſet ſuus motus. Nec magiſter hoc negat, ſed expreſſit. Glorificatio patris & filij cū ſanctoſpiritu, tota videtur à beatis: & non totaliter ſub hoc intellectu quod gloria beatorū finita eſt formaliter, quāuis obiectaliter infinita, vel vt Gregorius loquitur de Domino gloriæ, totus eſt intra non incluſus, totus extra nō excluſus, totus ſubtus non proſtratus, totus ſupra non eleuatus, totus circa non circumſcriptus. Veritas iſta, facilius inueſtigatur non ratiocinando, ſed exemplificando per ſimilia in creaturis, vt de oculo lippo qui videt totam rotam ſolis, ſed non totaliter vel totam albedinem, aut aliud ſimile, vt de lineis circuli, ſi intelligeret centrum ſuum. Exemplum animæ rationalis approximat, quę ſic tota in corde eſt quod tota eſt extra cor. Sic eſt in cētro cordis, quod ad eius ſimplicitatem indiuiſibilitas centri non ęquatur. Sicut nec ad magnitudinem non molis, ſed virtutis animæ quæ circundat cor totaliter non parificatur. Continet igitur cor ipſam animam totam, ſed non totaliter ſub alio verbo circumſcribiliter. Ipſa verò totam ſe continet & totaliter infra terminos ſuę capacitatis qui finiti ſūt, & in hoc deficit ſimilitudo quoad Deū, qui ſimpliciter infinitus eſt & incircūſcriptus. Cuius perfectio nec accreſcit ex creaturis ſi ſint, nec decre-

ſcit ſi non ſint. Qui ſemper in æternitatis ſuæ ſolio
A & Trinitatis triclinio ſedet fixus, ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum amen. Multa de codditionibus Trinitatis & æternitatis poſſent induci quę latiſſimè tractantur per doctores, & aliqua ſub metris notauimus. Deniq; pro verbo noſtro facit illud Iob: Tonitrū inquit, magnitudinis eius quis poterit intueri? Dat primò intelligi quod nullus dat inſuper intelligi quod intuitus vel intueri vel viſus extēditur ad omnes ſenſus tam corporales quam ſpirituales. Tonitruū inquit, eius (quod vtiq; eſt obiectū auditus) quis
B poterit intueri. Simile in Exodo quod populus videbat voces. Porrò colligitur ex iſto, quod Dominus habitat in ſilentio & caligine reſpectu cuiuſlibet creaturæ quoad cognitionem & viſionē ſuam ſibi ſoli propriam modo prætacto. Glorificatio patris & filij cum ſanctoſpiritu manifeſtatur in damnatis per ordinem iuſtitiæ, quorum damnatio obiectaliter & terminatiuè infinita eſt, ſed formaliter & intrinſecè finita proportionaliter ad ea quæ dicta ſunt de beatis conuerſiuè ad Deū,
C & auerſiuè à Deo. Certè ſicut ens primum in ſuo gradu ſuperlatiuo comprehenditur à ſe ſolo, ſic & eius priuatio non eſſendi à ſe ſolo valebit totaliter comprehendi. Inde fit vt neque dæmones neque creatura aliqua plenè intelligat peccati mortalis ignominiam ſicut nec gloriam actus meritorij vel beati. Taliter enim iam diximus Dei ignorantia vel non cognitione cuiuſuis creaturæ, cuius cauſa principalis eſt, quod Deus cognoſci &c. nequit in ſummo. Supereſt igitur vt ſuperbia dæmonum deſcendat ſemper vel aſcendat ad nihilum. Gloria
D verò beatorum ſemper deſcendit in bonum, deficiendo vel proficiendo conſcendit in modis dictis. Iuxta quod ſumeretur intellectus myſtici verbi quod B. Dionyſius appropriat ipſi ſeraphin, quod in eis ſemper eſt mobile, inceſſabile, calidū, acutum, ſuperferuiduum, & holocauſti purgatiuū. Sumitur autem hic motus vel motio largiſſimè, videlicet pro operatione quæ contrariatur otio, de qua dicit Damaſcenus, quod nulla res deſtituitur propria operatione. Sic enim & velle Dei &
E intelligere dicitur operatio quædam & motio & in angelis magis propriè. Terra ſiquidem eſt inertiſſima omnium, habet nihilominus ſuam operationem qua ſe tenet & figit in loco ſuo, reſtringēs remouere volenti. Dicitur ergo ſeraphin ſemper mobile ſine interruptione amoris in Deum. Inceſſabile ſine definitione. Semper calidum, ſine diminutione ſeu minoratione ſeu tepefactione. Acutum, quia penetrat ad ſimplicitatem Dei velut ad centrum.

F Superferuidum quoniam eleuat ſe ad immenſitatem eius velut ad circumferentiam. Holocauſti purgatiuum & reliqua quæ ſequuntur, ſpectant ad tres actus hierarchicos reſpectu inferiorum, qui ſunt purgare, illuminare, perficere. Operatio igitur generale nomen eſt ad alias quinque ſpecies, ſonantes in motu qui ſunt. Motio & hæc ſucceſſiua. Mutatio & hæc ſubita in ſubiecto. Factio, & hæc ſubita.

Denihilatio, quæ aliter dicitur creatio. Quarta eſt productio in diuinis, vbi eſt immutatio, quamuis ſit ibi generatio & ſpiratio. Quinta eſt actio qualiter forma influit in materiam, dans eſſe for-

Digitized by Google

male & intrinſecum, dicitur ideo talis forma relatiuè ad materiam, qualiter forma quæ eſt Deus, nullo modo poteſt dici.

Glorificatio patris & filij cum ſancto ſpiritu, quadrupliciter cognoſcitur & amatur ab intellectuali creatura tam in via quam in patria. In via quidem per gratiam vnam in ſe, & trinam in fide, ſpe, & charitate, cum adiutorio diſciplinæ Chriſtianæ. Exemplum dum quis videt aut ſumit euchariſtiam, hic eſt cognitio ſenſibilis exterior. Eſt & cognitio ſenſualis interior tam imaginatiua quam æſtimatiua reſpectu corporis Chriſti tam veri quam myſtici. Hic præterea cognitio rationalis ſecundum vtramque rationis portionem ſuperiorem & inferiorem qua credimus, ſperamus & amamus ſpirituales ſubſtātias & ſub Deo, vt animam Chriſti, vt angelos & ſpiritus electorum. Hic eſt denique cognitio ſupermentalis, myſtica & anagogica ipſius ſimpliciſſimæ deitatis in vnitate Trinitatis. Concordantiæ ſunt plurimæ, nominatim illa iam commemorata ab apoſtolo. Manifeſtè inquit. Magnum eſt pietatis ſacramentum quod manifeſtatum eſt in carne, & hoc quo ad duplicem primum cognitionis modum. Iuſtificatum eſt in ſpiritu quoad tertium. Aſſumptum eſt in gloria quo ad quartum. Teneatur ergo pro regula, quod qualis eſt in cognoſcendo & amando Deum chriſtianus, talis eſt ſibi in retribuendo Deus. Ego dilecto meo inquit, ſponſa. Et ad me conuerſio eius.

Glorificatio patris & filij cum ſpirituſancto facta in beatis reperitur aliquando dici formalis, eò quod immediatè fit per eſſentiam ſine ſpecie media quæ ſit ratio cognoſcendi diuinam eſſentiam, immo per eādem ſpeciem aut formam qua Deus cognoſcit ſeipſum, anima beata cognoſcit Deum. Addunt aliqui quod etiam actus beatificus characterizetur ſeu formetur, non niſi à diuina ſapientia & eius eſſentia dum obiectiuè videtur. Vnde & ſi diuina eſſentia ſubtraheret ſe in ratione talis characterizationis ſeu formalis cōfigurationis ſecundum imaginem beatiſſimæ Trinitatis, creatura nullo modo poſſet dici beata, neque intuitiuè videns Deum, immo eſſet implicatio, quemadmodum implicat creaturam eſſe & Deum ſe ſubtrahere in ratione efficientis. Notandum eſt igitur pro concordia doctorum, quod Deus propriè dicitur forma ſecundum tres cōditiones formæ conueniētes. Forma enim dicitur quia eſt in ſe formaliter, ſiue ſit ab alio, ſiue non originaliter, ſecundò quia dat eſſe formale, tertiò quia denominat aliud eſſe. Conſtat autem quod Deus habet eſſe in ſe, & quod dat eſſe omni creaturæ, & quod omnem creaturam denominat eſſe tanquam præcipua ſua exiſtentiæ cauſa. Sic enim dicit Boetius, in qualibet creatura eſſe aliud quo eſt, & aliud quod eſt. Quod intelligi aliter nequit niſi de Deo quo denominatur exiſtere creatura. Doctores igitur ponentes Deum eſſe beatitudinem formalem accipiunt formalis beatitudo inhærens vel conſtituens, ſicut formæ accidentales vel ſubſtantiales inhærent & conſtituunt quamuis illapſus formæ diuinæ ſit perfectior & intimior rei cuilibet quam poſſit eſſe forma ſuæ materiæ, vel accidens ſubſtantiæ. Itaque res quælibet plus dependet à cauſis extrinſecis quod ab intrinſecis ſuis, quæ ſunt forma & materia, quæ vtique nequeunt eſſe ſine cauſa extrinſeca efficiente, exemplante ſeu formante & finiente. Porrò ſi doctores taliter ſe reſoluunt, non ſunt contrarij articulis Pariſienſibus, quod Deus non poſſit eſſe forma vel formalis beatitudo creaturæ. Quod vtique verum de forma inhærente vel intrinſecè conſtituunt. Sunt qui neceſſariò dicunt eſſe formam mediam vel ſpeciem in beatis, quam nominant lumen gloriæ, iuxta determinationem eccleſiæ requiſitam. Dicunt alij ſufficere, præſertim de potentia Dei abſoluta, Deum & animam ſine tali lumine ad beatificandū per formalē illapſum. Quicquid enim dicatur hinc & inde neceſſariò ponendus eſt motus intellectus & voluntatis, qui vtique formoſus eſt illuminoſus & ſpecioſus. Et hunc vocamus formalē beatitudinem, ſine quo impoſſibile eſt creaturam eſſe beatam etiam de patientia Dei abſoluta. Implicaret enim ſicut patet intuenti, quicquid dictum fuerit de neceſſitate habituum diſtinctorum ab actibus iſtis.

Glorificatio patris & filij cum ſpirituſancto fit præcipuè & principaliter in mente, quæ ſola propriè eſt imago & gloria beatiſſimæ Trinitatis. Eſſent hic rememorandæ diſtinctiones plurimæ de diuerſis animæ potentijs & earum officijs, maximè quomodo diuiditur anima à ſpiritu, & ſpiritus à mente, & quales ſunt actus ſpiritus & mentis. Quemadmodum inſuper ſola mens ponitur in ſupremo vertice vel culmine vel arce totius animę & potentiarū eius, quæ reſpicit pro obiecto & fine proprio ſolum Deum memorando, intelligēdo & volēdo purè liberaliter, quāuis immobiliter. Spiritus autem & mouetur liberaliter & arbitrariè & contingenter. Mirabilis prorſus eſt diuiſio animæ & ſpiritus, quam facit ſecundum apoſtolum ſermo Dei viuus & efficax. Sed eſt ſuperadmirabilior diuiſio ſpiritus & mentis, qualem dat intelligi Paulus cum dicit de ſermone Dei, quod eſt diſcretor intentionum & cogitationum cordis prout in quodam metro deduximus. Arbitror inſuper quod hæc mens in canticis nominatur anima, vt ibi: Dic mihi quem diligit anima mea &c. Et in cantico Mariæ: Magnificat anima Dominum. Nec enim conuenienter intelligi poteſt de anima ſenſuali, nec de præciſè rationali. Anima igitur eſt mens quæ manens ſemper in arce dirigit amorem ſuum vnica in vnicum Deū, ſola ad ſolum, diligens ad dilectum, exemplo ſolſequij reſpectu ſolis, vel ferri reſpectu magnetis aut poli. Dicuntur iſta ſpecioſè, faciliter & ſcholaſticè. Creduntur præterea ſimplici fide, ſed rara eſt felicitas experiri. Experiuntur tamen aliqui hic in omnia fortaſſis etiam finaliter reprobandi, vt qui gloriatur in Domino, glorietur vt timeat. Æſtimo enim quod dęmones ipſi, iuxta dictum Iacobi, credunt, immo & aliquo modo intelligunt per naturalia ſplendidā, & contremiſcunt, ſecundum malum ſuū quia ſeruili timore trahūtur quo refugiunt & odiunt flagellantem. Contrariè ad homines qui timentes & trementes & in ſe deficientis, ſub reuerentia maieſtatis laudant, diligūt, glorificāt, hymnum glorię vna & inceſſabili voce dicētes: Sāctus, Sāctus, ſāctus Dominus Deus ſabaoth, pleni ſūt cœli & terra gloria tua. Cōformiter ad quos frequētat eccleſia, dicens: Gloria patri & filio & ſpirituiſancto, Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum amen.

Deo

Digitized by Google

Deo gloria qui finem appoſuit ad canticum Mariæ iuxta propoſitum noſtrum. Vtinam Deo beneplacitum, & eidem glorioſiſſimæ virgini matri & filiæ. Cum qua ſemper magnificat anima mea Dominum. Amen.

Finit anagogicum de verbo & hymno gloriæ à Ioanne cancellario Pariſienſi Lugduni, anno 1428. Et continet quatuor partitiones principales in quarum qualibet ſunt decem verba ſeu conſiderationes, & in verſu quolibet multę notulę ſeu verba per literas alphabeti vſque ad numerum. 124. & 10. præſulatum tunc agēte reuerendiſſimo patre Domino archipræſule & comite Lugdunenſi primate Galliarum, noſtræ peregrinationis beneuoliſſimo præceptore.

EPITHALAMIUM MYSTICUM THEOLOGI ET THEOLOGIÆ *ſub typo Iacob & Rachel.*

Rachel loquitur.

ORo per ceruos capreaſque campi,
Oro ſacratos per amoris ignes,
Per fidem ſanctam, decus & honorem:
Iacob amas me?
Iacob reſpondit.

PEr greges noſtras ouium per agnos,
Perque formoſum viridens ſalictum,
Et per illimes nitidoſque fontes,
Rachel amo te.
Ruſticum ſi me genuit Dei ſors,
Rector & ſi ſim poſitus bidentum
Nobilem claris titulis adauctam,
Rachel amo te.
Lucis æternæ ſpeculum decorum,
Fœminam fortem, decus omne ſponſi
Cuius effulget ſpecies honora,
Rachel amo te.
Ibo fiſus te gelidos per Alpes
Africæ ſirtes peragrabo tutus,
Scylla nil terret, nihil & charybdis,
Rachel amo te.
Si tonet cœlum crepitu fragroſo,
Totus & caſum minitetur orbis,
Inter hæc tanta poſitus pericla,
Rachel amo te.
Nil ab amplexu placido reuellet,
Quicquid occurret nihil hinc timebo,
Nullius vincar ſub amore, quippe
Rachel amo te.
Ventre fœcundo Lya ſit licebit,
Et ſit ancillis numeroſa proles,
Neſcio quid plus nitet & placet, cur
Rachel amo te.
Suauis à te pax requieſque cordis,
Triſte nil affers, reboas camœnis
Ducibus prorſus, bene concinentem.
Rachel amo te.
Rector Ægypti ſapiens, pudicus
Naſcitur Ioſeph tibi, Beniaminque.
Beniamin quanquam moriaris ortu,

Rachel amo te.
A *Oſculeris me labijs pudicis.*
Brachijs ſacris mea colla ſtringe,
Iſtud vt fiat tibi ſemper hærens.
Rachel amo te.
Spiritusſanctus tibi multus vnus
Dona virtutum retines beata,
Diligentes te ſatias in æuum.
Rachel amo te.

B

TRACTATUS MAGISTRI IOANNIS GERSONIS, CANCELLARII *Pariſienſis ſuper cantica canticorum, ad fratres ordinis Carthuſieſis editus apud Lugdunenſes anno Domini 1429.*

AMo te ſacer ordo Carthuſienſis, quoniam amas me proximum tuum, & ideo proximum argumento Chriſti, quia feciſti in me miſericordiam, a-
C moris quoque tui probatio, operis eſt exhibitio. Tricenarium namque poſt mortem meam indultum, prius fieri placuit præuenire me viuente.

Meditatus ſum mecum ſi quam operis viciſſitudinē vacua ſenectus mea poſſet afferre. Subijt mox animum petitio veſtræ deuotionis modo facta per nonnullos ex vobis, quaſi vice omnium, quatenus ſuper cantica canticorum ſcriberet aliqua qualiſcunque ſtudioſitas mea. Inclinaui protinus cor meum aſſentire, quia amo
D te. Etenim amicorum vota ſunt ſimilia.

Verum poſt tot à ſummis ingenijs dictata ſuper eiſdem canticis quid aut quale poſſet addere paupertacula nullius vel tepidæ deuotionis meæ diu ſatis in dubio fuit animus, tandem confiſus in auxilio precum veſtrarum decreui nouum aliquid aut ſaltem nouo modo ſcribere ſub præmiſſo themate. Amo te.

AMo te. Vox iſta Petri eſt ad Dominum ter interrogantem tertiò repetita: Domine
E tu ſcis quia amo te. Iuxta quod verbum triplicatum poſſumus allegoricè, moraliter & anagogicè triplicem in creatura rationali amorem intelligere, liberum, arbitrarium, gratuitum, liberum concreatum arbitrarium deliberatiuum, gratuitum ſuperinfuſiuum. Dimiſſo iterum ſermone de amore purè naturali vegetatiuo & animali, & habito tantummodo reſpectu ad amorem Dei, ſicut habuit Petrus, dicens: Amo te. Eſt autem amor noſter ad Deum triplex in genere prout ſtatim dictum eſt. Et huius verbi a-
F mo tres literæ ſignant in ænigmate. A, principium. M, medium. O, finis. Ex quo triplici amore habituali tanquam triplici vita prima, reſultat actus amoris perfectus & meritorius fruitiuus Dei, de quo ſolo principaliter cantica canticorum ſunt per anagogiam .i. ſurſum actionē qualiter aguntur à ſpirituſancto, (quem hodierna die in filios adoptionis Chriſtus effudit) ipſi filij Dei ſimiles apoſtolis.

At verò proceſſus noſter vt ordinetur ex notis, præmittet aliquas conſiderationes de quid-

Digitized by Google

ditate amoris in ſpeciebus ſuis, & hoc pro prima partitione. Proinde ſecunda partitio continebit conſiderationes quinquaginta ſecundum totidẽ dies iubilei Pentecoſtes, quando ſpirituſſanctus his diebus in linguis igneis apparens, mentes carnalium in ſui amorem, ait Gregorius immutauit. Amor ſiquidem ignis eſt vnde nominatur ſeraphicus, quod ardorem ſignificat, & quinquaginta proprietates ſuas quaſi totidem linguas igneas, quibus ſe loquitur & aperit, diſpertitas oſtendemus, tandem partitio tertia conſummabit velut in cuſpide pyramidis flammeæ vniuerſum amoris ſermonem ad primam & vnicam proprietatem ſuper illud: Oſculetur me oſculo oris ſui, ſe reflectens.

Prima conſideratio de primo amore libero nobis concreato.

Amor liber reſpectu Dei, naturaliter & indebiliter inſitus eſt, concreatus & inſertus dum conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quæ conſiſtit in mente notitia & amore. Sed quæret protinus aliquis quo pacto ſi naturalis amor iſte liber dici poteſt, & ſi liber quomodo naturalis? Eſt hic alta & grata doctorum perſcrutatio, quorum præcipui inuenerunt, quod ſicut in Deo amor productiuus ſpirituſſancti liberrimus eſt, qui tamẽ immutabiliter agit & neceſſariò, ſic in creatura rationali vel intellectuali amor primò inſitus reſpectu Dei, quem aliqui ſyndereſim vocant, licet quodammodo ſit altior & ſpecialior, qui conſtituit tertiam partem imaginis, nec alius reſpicit bonum quam Deum pro obiecto & fine vltimo. Iſte inquam amor licet inuariabilis ſit & indelibilis nihilominus ſpontaneus eſt & vltroneus, aliter quam ſit amor lapidis grauis ad ſuum centrum, & hoc ratione cognitionis intellectiuæ cõiunctę ſibi, prout eſt ſecunda pars imaginis oriens ex prima quæ eſt memoria, non quidem ſenſualis reſpiciens præteritum, ſed mentalis complectens omnem temporis differentiam immo ſupergrediens. Eſt ergo amor iſte ex natura ſua ſpontaneus atque liber, quamuis in oppoſitam partem verti non poſſet.

Secunda conſideratio.

Amor iſte Dei liber, fundamentalis eſt ad omnẽ affectionem alteram intellectualem, quæ propriè non dicitur paſſio, ſed operatio proportionabiliter, ſicut Deus vnica operatione delectatur & nullatenus paſſione. Itaque neceſſe eſt omnia reduci ad vnum, & mutabilia ad immutabile & fixum, oportuit ergo omnes affectiones (quarum multas conſtat eſſe) variabiles reduci ad vnam quietam & ſimplicem. Talis eſt amor naturalis Dei inſitus animæ in conſtitutione imaginis ſuę, quem dicimus eſſe conuenientiam & coaptationem ad Deum tanquam ad finem ſuum vltimum, & quodammodo intelligibile centrum in quo iugiter manet, innititur & quieſcit. Ex quo præterea omnes aliæ affectiones quæ dicunt motum vel mutationem, ſiue in bono ſiue in malo ſiue in arduo, vt deſiderium, fuga, ſpes, timor, audacia, ira, ſegnities oriuntur.

Tertia conſideratio.

Amor Dei iſte liber non habet actum ſecundũ, qui ſequitur cogitationem & conſilium pro ſtatu A viæ niſi præuia ſenſatione, quamuis ſemper ſit in actu primo, qui eſt (vt diximus) continuus, ſimplex & quietus. Poſſet hic introduci tota materia de conceptibus & intentionibus cognitiuis & affectiuis, & ſpecialiter de ſex modis ſpecierum, quæ ſunt initium cognoſcendi ſupra ſenſum intellectualiter. Nam quædam ſunt abſtractè per phantaſmata, quædam naturaliter inſitæ ex prima creatione ſicut ſpecies innata cognoſcendi Deũ & amandi quædam ſunt impreſſæ per ſubſtantias ſpirituales, quædam relictæ, quædam per collatio- B nem acquiſitæ, aliæ per experientiam habitæ, ſed de his non eſt hic dicendum per ſingula, qualia tamen cognoſcerer multum iuuat ad amorem Dei peculiariter exercendum.

Quarta conſideratio.

Amor iſte Dei liber & impreſſus, non cauſatur in voluntate rationali vel intellectiua ex amicabilibus quę ſunt ad ſe, ſicut videtur dicere Ariſtoteles & autor de cauſis. Sed è contra amicabilia ad ſe oriuntur ex iſto amore ad Deum. Hæc eſt con- C ſideratio theologica, pulcherrima atque ſanctiſſima conuincens omnes peccatores eſſe præuaricatores inſtituti primitus ordinis, dum ab amore Dei deflectuntur arbitrio malo ad amorem proprium vel alienum aduerſus Deum, habentes cor diſtortum & iniuſtum, nec conueniens & coniunctum cum prima & rectiſſima regula & amoris ſui liberaliter & naturaliter impreſſi. Sufficiat interim pro certificatione huius conſiderationis theologorum autoritas in hoc fundata, quod Deus eſt ſuper omnia propter ſe diligendus dile- D ctione arbitraria, quanto magis dilectione naturali & libera, quæ neque fallere vel errare poteſt, neque falli cum regatur, ſicut impreſſa eſt ab agente infallibili.

Quinta conſideratio.

Amor iſte liber Dei habebit actum ſecundum in patria pleniſſimum, continuum, ſimplicem & iucundum, qui dicitur fruitiuus, ſiue fruitio vel oſculatio, ſicut oſtendet tertia partitio. Sed in hac valle miſeriæ vix haberet iſte actus ſecundus E niſi valde interruptus, & per interualla propter curuitatem amoris libidinoſi deprimentis. Docet hoc prohdolor valde nimis experientia. Vtrum verò amor iſte liberalis ad Deum habuiſſet continuè actum ſecundum qui conſiſtit in operatione, & hoc pro ſtatu innocentiæ immo etiam in angelis prima ſui conditione, vel etiam in purgatorio nunc habeant animæ finaliter ſaluandæ talem actum ſecundum continuum, immo & de damnatis quæri poſſet, cum habeant remorſum conſcientiæ vehementem, non ſolum in habitu F ſed in actu, qui cauſatur ſecundum doctores ex repugnantia amoris proprij arbitrarij ad amorem naturalem & inſitum Dei, lector aduertat.

Prima conſideratio de ſecundo amore.

Amor arbitrarius reſpectu Dei nõ habetur niſi præuia, vel ſimul concurrente prædicto naturali & libero amore. Perſpicuum eſt quia radix huiuſmodi amor omnium aliorum effectuum. Rurſus voluntas non fertur liberè, niſi præmoneatur obiectaliter & cognitiuè per intellectum ſub ratione boni vel mali, conuenientis vel diſconueniẽtis, ex qua monitione protinus oritur in voluntate

Digitized by Google

luntate actuali quædam complacentia vel diſplicentia naturalis, iuxta ſententiam Damaſceni & verbum beati Auguſtini quod non eſt in poteſtate noſtra quibus viſis tangamur. Cæterum poſt apprehenſionem huiuſmodi obiectalem, voluntas ſe mouet liberè acceptando vel refutando vel ſuſpenſam ſe tenendo.

Secunda conſideratio.

Amor arbitrarius reſpectu Dei diſtinguitur à libero naturali, propter conſiderationem duplicem animæ rationalis & ſuæ libertatis. Conſideratur itaque anima rationalis vel in ſe eſſentialiter libera, vel vt actualiter deliberans. Si primo modo, ſic ſua libertas ſemper eſt æqualis & inuariabilis & inauferibilis ipſa permanente in eſſe, & ſic accipitur à doctoribus Bernardo & Anſelmo qui dicunt eam eſſe æqualem in omnibus tam angelis quam hominibus, & potiſſimam ſub Deo, immo quaſi ſimilem quæ neque cogi poteſt neque minui, ipſa ſtante natura animæ. Si verò conſideratur vt actualiter arbitrans, & ſe ſuper ſe reflectens, tunc libertas huiuſmodi variabilis eſt & impedibilis, neque æqualis in omnibus tam angelis quam hominibus, ſed patitur ſeruitutẽ tunc culpæ, nunc pœnæ & multæ miſeriæ, immo vt turbato iudicio rationis, tunc omnino tollitur & impeditur in actu ſuo deliberet. Fundatur autem ſuper hac diſtinctione diuiſio ſpiritus & animæ ex vna parte, diuiſio præterea ſpiritus & mentis ex altera, de quibus in metrico opere ſuper Magnificat diſt. 2. latius tractatum eſt.

Tertia conſideratio.

Amor arbitrarius reſpectu Dei non habetur hic in via, ſicut nec intellectualis cognitio actualis ſine præuia cognitione ſenſuali. Tradit hoc philoſophus experientiæ vocem loquens, quamuis ignoraret huius ſeruilis colligationis & ordinis rationem, ſicut nec peccati originalis tranſgreſſionem. Vnde factum eſt vt intellectus non poſſet actualiter ferri in Deum, niſi prius doceretur per ſenſum dicta perinde ſenſualitas & vetus homo, quaſi mater & pater interioris & noui.

Quarta conſideratio.

Amor arbitrarius reſpectu Dei determinatur & figitur ad vnam partem. ſ. dilectiuam in beatis, ſicut è contra neceſſariò declinat in odium Dei & inuidiam in damnatis. Iſta eſt communis traditio doctorum, quamuis in aſſignando cauſas videatur aliqua varietas ſuper huiuſmodi confirmatione in beatis vel obduratione in damnatis. Sed reſolutio finaliter cadit ad ordinationem Dei, & quia poſiti ſunt in termino, neque eſt amplius locus meriti vel demeriti vllus, proinde non tolluntur ab hoc duplici ſtatu multæ actiones arbitrariæ reſpectu obiectorum aliorum à Deo, ſicut dæmones arbitrariè tentant homines quibus arbitrariè angeli ſubminiſtrant.

Quinta conſideratio.

Amor arbitrarius reſpectu Dei ferri poteſt ad vtramque partem dilectiuè vel omiſſiuè hic in via, immo non videtur repugnantiam includere de potentia Dei abſoluta vel ſuſpenſa de lege cõmuni, quin voluntas arbitraria ferri poſſit oditiuè in Deum clarè viſum. Poſſet enim apprehendi ſub rationib. odibilibus, ſ. punitiui vel damnatiui. Ex qua conſideratione moti ſunt aliqui dicere, quod damnati forſitan in extremo iudicio videbunt pro morula intuitiuè Deum non ſolum in humanitate de qua conſtat; ſed etiam in diuinitate; ad augendum odium, & conſequenter ſupplicium ſuum magis. Sed non habet hoc communis doctrina, quæ potius vt ſemper ſequenda eſt, quoniam curioſitas eſt non doctrinæ pietatis opinionibus extraneis delectari.

Prima conſideratio de amore gratuito.

Amor gratuitus Dei actualis dicit influentiam diuinam gratis datam in anima, quæ formaliter reddit hominem gratum Deo & acceptum ad vitam æternam. Conſiderationis huius materia latiſſima tradita eſt per doctores, ſed à multis experimentaliter non intellecta, ſupra quam ponatur ad præſens iſta diſtinctio. Quod amor gratuitus quadrupliciter habet conſiderari. Vno modo prout eſt forma quædam abſoluta vel influentia effectualiter à diuina bonitate proueniens. Alio modo prout reſpicit ipſum ſubiectum quod informat proportionabiliter, ſicut albedo informãs ſubiectum reddit album. Tertio modo poteſt attendi in ordine ad Deum acceptantem illum qui habet gratiam ad vitam æternam. Quarto modo prout ille amor gratuitus qui dicitur charitas eſt vniuerſalis motor & principalis inter omnes & ſuper omnes habitus in anima per reſpectum ad finem vltimum, ad quem ipſe dirigit, inclinat & mouet tanquam ad vltimum finem ſuum. Amor primo modo eſt quædam res abſoluta per ſe diſtincta ab alijs, quæ poſſet remanere per potentiã Dei, & nihil gratum reddere, vt ſi poneretur extra ſubiectum. Amor ſecundo modo reſpectiuè conſideratus ad ſubiectum & ad influententem Deũ, non videtur poſſe ſtare quin reddat ſubiectum formaliter gratum intrinſecè, quoniam iſte eſt actus ſuus primus & formalis ſicut in alijs accidentibus abſolutus. Amor tertio modo reddit de lege communi ſubiectum ſuum acceptum ad vitam æternã, ſed abſolutè nõ repugnat quin aliquis ſit acceptus ad vitã æternã abſq; amore huiuſmodi, vel etiam acceptus cum amore tali. Amor quarto modo cõſideratus eſt omnium habituũ & actuũ laudabiliũ, meritoriorũ & acceptabilium ad vitam æternam radix, forma & finis, ſine quo finis vltimus non habetur, cui coniunctus eſt diuinus amor increatus illabens animæ, purificans eam, illuminans, perficiens & acceptans.

Secunda conſideratio.

Amor gratuitus cognoſci non poteſt ineſſe homini abſque ſpeciali reuelatione, iuxta illud Chriſti. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat, ſic eſt omnis qui natus eſt ex Deo. Cauſæ multiplices huius ignorantiæ notantur à doctoribus, ſed præcipua eſt, quoniam interiores habitus non cognoſcimus niſi ex actibus. Sunt autem actus habituum acquiſitorum & infuſorum ſimiles, quod diſtinguere non ſufficimus ſicut videmus colorem artificialem in facie diſtingui faciliter à naturali, neque lumen à ſpeciebus coloris.

Vnde prouenit ex actibus virtuoſis gratia informatis duplex argumentatio, vna moralis ſeu naturalis, altera gratuita vel ſupernaturalis dum gratia. ſ. augmẽtatur. Gratia verò magis mo-

uet influxiuè generaliter ſecundum legem æter-
A nam, quam particulariter & inhæſiuè ſecundum particularem inhæſionem, qualiter inclinant habitus acquiſiti,& inde magis percipiuntur. Sed an ſint gratuiti vel infuſi,neſcitur, propterea beatus vir deniq; qui ſemper eſt pauidus. Quoniam &ſi cognoſceretur creatæ gratiæ præſentia tamen de perſeuerantia & de amore prædeſtinationis increato & æterno neſcimus,ſed ſperamus.

Tertia conſideratio.

Amor gratuitus Dei quamuis à prima origine non fuit in Adam,erat tamē tunc in eo amor Dei
B ſuper omnia laudabilis, ſed non meritorius vitæ æternæ.Sed pro tempore legis currentis tale medium non occurrit, quoniam homo eſt in ſtatu vel gratiæ vel culpæ. Similiter de angelis in ſua conditione primaria diceretur.

Quarta conſideratio.

Amor Dei habitualis gratuitus ſecundum eccleſiæ determinationem infunditur in baptiſmo, qui reddit baptizatos dignos & acceptos vita æterna.Colligitur inde, qualiter omnis baptizatus
C in Chriſto, cum exultatione debet dicere illud Eſaiæ: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis, diuerſis habitibus virtuoſis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me Chriſto. ſ. ſole iuſtitiæ.Quotquot, inquit Paulus,baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.Sequitur: tanquam ſponſum decoratum corona quoad ſpiritum, & tanquam ſponſam ornatam monilibus ſuis, quoad mentem vel animam ſuperiorem, tunc enim aperuit ſignum magnum in cœlo rationalis animæ,mu-
D lier amicta ſole & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. Colligitur inde poſitionis magiſtri inſufficientia, qui gratiā habitualem non poſuit, ſed increatam cum actuali creata.Pueri enim baptizati & dormientes quomodo formaliter grati eſſent, quos conſtat actualem gratiæ motum non habere.

Quinta conſideratio.

Amor gratuitus habitualis infuſus pueris baptizatis, reddit eos acceptabiles Deo, amabiles &
E gratos, necnon hominibus ita reddere debet tanquam angelos quoſdam Dei. Colligerentur inde plurima documenta moralia,tam in laudem conſeruantium innocentiam baptiſmalem in ſe & in alijs, quam in horrendum vituperium & damnabilitatem eorum qui innocentiam huiuſmodi proſtituunt in ſe vel in alijs, rurſus crucifigentes Chriſtum, & oſtentui habentes. Vtrum verò baptizati qui nondum peruenerunt ad vſum rationis, facere poſſint opera grata Deo & bene-
F placita? Puto quod ſic, quamuis nondum meritoria, ſed neque tunc demerentur, bene tamen peccant, quia peccare minus dicit quam demereri, ſicut dicimus monſtrum peccatum eſſe in natura, non tamen eſſe culpam aut detrimentum.

Prima conſideratio quarti de amore collecto.

Amor Dei reſultans ex amore triplici, ſcilicet libero, arbitrio & gratuito, de quo deinceps habendus erit ſermo, conſiderari poteſt ſub multiplici triplicitate iuxta verbum Petri de amore ter repetitum: Amo te amo te, amo te. Diſcurramus velut in ſuperficie,quia materia latè patet.Primus eſt amor itaque incipientium, proficientium & perfectorum. Secundus eſt amor ſecundum veniam & gloriam etiam hic inchoatam.Tertius eſt amor ſecundum hominem animalem, rationalem & intellectualem. Quartus eſt amor ſecundum veſtigium, ſecundum imaginem, & ſecundum ſimilitudinem deiformem. Quintus eſt amor ſecundum purgationem,illuminationem & perfectionem.Sextus eſt amor ſecundum tropologiam, allegoriam & anagogiam. Septimus eſt amor ſecūdum deſponſationē ſpiritus cū ancilla, cum libera & cum domina. Octauus eſt amor ſecundum triclinium animæ, inferius, medium & ſuperius. Nonus eſt amor ſecundum adoleſcentulas & concubinas ſecundum reginas & ad vnicā columbam. Decimus eſt amor ſecundum triplex cœlum, infimum, medium & tertium. Vndecimus eſt amor ſecundum triplicem hierarchiam, infimam, mediam & ſupremam. Duodecimus eſt amor angelicus,cherubicus & ſeraphicus. Et ita de triplicitatibus talibus multis refluentibus in eandem ſententiam.

Secunda conſideratio quarti.

Amor Dei reſultans ex amore triplici. ſ. libero, arbtrario & gratuito, & concurrens in actū ſecundum, laudabilior eſt quam ſi quilibet ſtet in actu primo vel habitu tantummodo. Perſpicuum eſt quia potentia quælibet iuncta ſuo actui laudabili & bono, perfectior eſt, & fini ſuo coniunctior, quam in habitu ſolo manēs, quaſi ſopita vel ſomnians. De quo triplici actu amoris ſimul cōiuncti reſpectu Dei, compoſita ſunt anagogicè per patrem, pulcherrimæ & amoroſiſſimæ fœminarum Mariæ Salomonem cantica canticorum. Similiter & alia plurima quæ contemplata eſt mens ſua ſapienter, nominatim de duplici modo deſponſationis, anagogicæ & moralis ſeu tropologicæ. Prima deſponſatio cantatur per epithalamiū cantici canticorum. Altera per epithalamium capituli vltimæ prouerbiorum, cuius initium eſt: Mulierem fortem quis inueniet? Cōſtituuntur in prima Deus & anima, tanquam ſponſus & ſponſa ſe mutuo zelantes, vnicus ad vnicam, & vnica ad vnicum, de quo gloriatur ſponſus. Vna eſt inquit columba mea, perfecta mea, vna matris meæ electa genitricis ſuæ. Conſtituuntur in alia deſponſatione ſpiritus deiformis & ſapientia, tanquam ſponſus & ſponſa, magis per tropologiam & allegoriam tanquam in vita actiua, quam per anagogiam in contemplatiua. Diſcernitur ex hoc præcipuè varietas huius duplicis deſponſationis & epithalamij correſpondentis, quoniam vna ſpectat ad incipientes & proficientes generaliter. Altera propria non niſi perfectorum, & in anagogicos exceſſus ſeſe rapientium de claritate in claritatem tanquā à Domini ſpiritu, prout in ſecunda partitione dicetur.

Tertia conſideratio.

Amor expoſitus in canticis canticorum, fruitio Dei vel oſculatio oris nominatur aptiſſimè, non ſolum habitualis & tepida, ſed actualis, feruens & extatica, & præcipuè ſeraphica, cuius eſt immediatè ferri in Deum, quamuis ex parte animæ concurrat multitudo habituū & influentiarū. Omne præterea datū optimum & donū perfectū deſcendens à patre luminum &c. Qui omnia tanquam virtus

Digitized by Google

virtus vniuoca (tradente Dionyſio) replent & reſtituunt & conuertunt ad congregantis patris vnitatem & deificam ſimplicitatem, vbi tunc apex vel ſeraph mentis ineffabili & ignoto Deo ineffabiliter & ignotè coniungitur ignotè quidem, quia infinitè & immensè: cum virtus cognoſcentis & actus prout & natura ſint finiti. Sed de hoc poſterius tangamus. Interim per rememorationem paucula de ſponſatione morali ſeu tropolica ſpiritus deiformis cum diuina ſapientia dicimus quorum conſideratio præcedere debet tanquam via ad deſponſationem anagogicam neceſſaria. Oſculum ſponſi vel oſculatio eſt digniſſima impreſſio cuiuſdam ſuauitatis & intimæ conſolationis per illapſum ſecretum in animam. Petitur autem atque conceditur ad facilius tolerandum præſens exilium, dum ſponſa peregrinatur à ſponſo. Oſculũ autem eſt illa ſuauitas & intima cõſolatio, iocũditas & exultatio quomodocunq; fiat aut ſentiatur in anima ſecundum portionem virginalem & ſupremam, quæ mens diciturvel apex mentis condiuiſa ad ſpiritum, prout ad alia cognoſcenda vel diligenda vel ordinanda ſub Deo deflectitur, quoniam ſoli Deo cohæret & intendit tanquam obiecto & fini vltimo & ſoli ſponſo, qui ſolus ſibi & totus eſt deſiderabilis & amicus. Talis eſt inquit dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem. Dicitur autem amicus tanquam amoris cuſtos, & addit ſuper amorem ſimplicem communicationem ſecretorum & mutuam readamationem, cuius eſt proprium omnia eſſe communia. Et in ſtatu præſenti Deus gerit amicitiam erga animam ſanctam, quia communicat ſibi ſeipſum & amorem ſuum, & dona ſua ad fruendum & vtendum & vniuerſaliter pertractandum, quantũ ipſa rationabiliter voluerit & potuerit accipere plus vel minus pro varietate ſtatuum in quibus eſt conſtituta, ſuper hoc erit tertia partitio.

Quarta conſideratio.

Amor Dei reſultans ex amore triplici ſcilicet libero, arbitrario & gratuito, ſufficiens eſt ad ſalutem, & fruitio dici debet in quocunque fuerit, idiota vel ſimplici, ſecundum quem amorem licet vnicuique habenti decantare illud epithalamium quaſi morale & practicum: Mulierem fortem quis inueniet? ſed non ita de altero. Vnde hic ipſe Salomon qui deſcripſit prius deſponſationem viri deiformem cum ſapientia, quam animæ per anagogiam cum Deo, ſciuit enim quod nec philoſophos quoſdam latuit, quoniam ad beatam vitam tria præparabant ſtudium ſapientiæ, faſtidium præſentis vitæ, & deſiderium alterius vitæ.

Primum docetur in parabolis, in quibus inſeritur hoc epithalamium. Mulierem fortem quis inueniet? Traditur alterum in Eccleſiaſte de varietate rerum. Subiungitur tertium in Canticis canticorum. Cæterum ad tria hæc, maximè ad duo prima ſubſeruit vniuerſitas ſcripturarum & creaturarum, quaſi libris & doctrinis innumeris.

Notatæ ſunt plures & à pluribus ſpeciales quædam induſtriæ, quædam communes, quædam magis appropriatæ pro vtraque deſponſatione, ſicut ſcripturas primò inſpicere, & earum ſaltem quid nominis intelligere, intellectas ad breuia quædam reducere, breuiatas ex ſe vel alijs memoriter recondere, reconditas memoriter meditando ruminare, ruminatas tandem dirigere & vnire. Præterea notatæ ſunt ſecundum exiguitatem noſtram duodecim pridem induſtriæ ad theologiam myſticam adaptandæ. Quibus omiſſis omnibus aut præſuppoſitis (latius enim patent) proximemus ad cantica canticorum, & de neceſſitate vel commoditate expoſitionis eorum vltra cæteras ſcripturas diuinitus inſpitatas, iſtud vnum præmittamus.

Quinta conſideratio.

Amor Dei reſultans ex amore triplici, ſcilicet libero, arbitrario & gratuito, ſicut in genere multiplices habet gradus & differentias, prout in cõſideratione tertia tangebatur, ſic in ſpeciali amor ſeraphicus multiplicatur in diuerſis, nedum pro ſtatu patriæ ſed viæ, pro gratiarum & exercitationum varietate. Quidam fuerunt ex gratia ſingulari (vt Paulus & æſtimo quod Maria) qui rapti ſunt aliquando ad nudam diuinæ eſſentiæ viſionem, vbi tunc non indigebant theophanijs ſcripturarum, canticorum vel verborum, de quibus nihil ad præſens. Alij fuerunt (ſi tamen adhuc ſunt nouit Deus) qui & ſi non viderint aut videant Deum per eſſentiam, nihilominus ad intelligentiam puram & perſpicuam perducti ſunt quaſi ſimiliter ab Adam pro ſtatu innocentiæ, qui vidit Deum in ſpeculo claro & lucido diuinitus inſpirata in imagine ſua, ſimilitudine & gloria, quiliter & lucidius viderunt angeli pro ſtatu viæ ſuæ. Quod ſi Adam viderit etiam Deum in ænigmate per veſtigia creaturæ & in veſtigijs hoc fuit propter neceſſitatem directiuam ſenſualitatis ſuæ. Tales qui ſunt huiuſmodi iam in ſuis contemplationibus & amoribus ſeraphicis, non indigent exercitio quocunq; pro illo tunc ad fruendum Deo per oſculationem eius, immo faſtidium eis eſſet omnis creatura ſicut in perſona Magdalenæ quærentis Deum dicit Origenes. Quæro creatorem, faſtidio eſt mihi omnis creatura.

Tales videbatur philoſophus commendare in principio Metaphyſicæ, dicens eos non egere apologis, quales expetunt homines groſſioris intellectus, in quibus perſpicuitas & luciditas ſuorum intellectuum, immixta eſt cum materiali groſſicie plus minus, vt in prophetis minus, plus in naturaliter hebetibus, aut morionibus & ſtultis. Mediocriter autem ſicut in hominibus pluribus laicis & literatis, quoniã certè pauciſſimorum eſt & fuit, dicente Platone, & cæteris, perſpicuitas intellectus atque mentis per quam coniungitur tanquam in ſupremo ſuo angelis & intelligentijs, quæ portio quamuis ſit ſuperior in homine, tamen potius denominatur homo à ratione rationale, quia ſibi propria eſt, quam ab intellectu intellectualis, ſed nec à ſenſu propter imperfectionem nominatur ſenſualis. Alij ſunt qui & videant intelligentiam, habent nihilominus impeditam nec ſolidam contuitionem veritatis irreuerberatam. Indigent præterea fulcimento quodam ſymbolicarum ſimilitudinum vigorantium ad perſiſtentiam & cõtinuationem, propter tales maximè compoſita ſunt cantica canticorum cum ſimilibus anagogicis manuductionibus. Tradita eſt inſuper theologia myſtica Dion. quæ

per abnegationes omnium magis quam affirmationes incedit. Coniunxit autem Vercellenſis velut in vnum tres iſtos ſtatus hominum in expoſitione ſua Cantici canticorum breuiter & accõmodè apud cõditos in libris & doctrina Dionyſij non ita pro cæteris neq; pro ignorantibus ſuas tot præciſas allegationes more iuriſtarum, quæ vix correctè ſcribuntur aut notantur. Siſtit inſuper in ſolo ſenſu anagogico Dei & animæ, nihil immiſcendo de allegorica deſponſatione Chriſti & eccleſiæ, quamuis vnum proficiat ad alterum, dũ ſe mutuo non confundant. Intereſt enim tam eccleſiæ vniuerſalis quam animæ ſingularis cantare iugiter Deo tanquam ſponſo, corde verbis & opere. Amo te, amo te, amo te.

Finit prima partitio quaſi proœmialis in Cantica canticorum.

SECVNDA PARTITIO.

AMo te. Quid obſecro reſonant aliud cantica canticorum, quam iſtam ex intimo & toto corde vocem: Amo te? Quare in re præmittendum eſt quod amor fruitiuus Dei maximè ſeraphicus, quia non poteſt pro ſtatu viæ ſæpe, diu & multum conſiſtere in illa puritate actuali, indiget ad exercitium ſuum ſimilitudinibus & ſymbolis vti creaturarum, maximè cum dicat Dionyſius, Impoſſibile nobis relucere diuinũ radium, niſi ſacris & architypicis exemplaribus vel ſymbolis circunuelatum, quemadmodum pura lux materialis ſine coloris admixtione non videtur. Propterea compoſitus eſt liber canticorũ ſub tropis & ſimilitudinibus ad huius fruitiui amoris exercitium ſub typo nuptiarum. Studuerunt in his exponendis ſumma & diuina ingenia nunc per partes, prout materia quam tractabant exigebat, nunc integraliter per homelias, per ſermones, per poſtillas, per diſtinctiones, per gloſſas ordinarias, ſecundum quadruplicem ſenſum viciſſim permixtum. Poſterior vnus abbas Vercellenſis ſtatuit inſiſtere circa ſenſum anagogicum per ſimilitudinem ad ſupremum amorem creatum qui eſt in ſeraphin, coarctans ſe ad animam rationalem ad Deum ſecundum ſupremam (quãtum poteſt eleuari) animæ portionem, quam appellat ſeraph vel ſeraphin id eſt, hierarchijs animæ, exemplariter ad cœleſtes ordinatis fundamentum capiens ex decimo capite Dionyſij cum expoſitionibus ſuis, qualiter ipſe Bonauentura pauciſſimis verbis complexus eſt in itinerario ſuo cap. 4. Porrò amor fruitiuus & extaticus, vel anagogicus & ſeraphicus, quia conſiſtit in experimentali perceptione coniũctionis animæ cum ſupremo obiecto ſuo & fine Deo, nullatenus tradi poteſt per doctrinam, maximè cum à ſolo Deo purè gratis, & ſuper omnem induſtriam infundatur. Videtur potius inſiſtendũ in expoſitione canticorum & ſimilium, doctrinaliter & ſcholaſticè tradendo quid nominis terminorum, & exponendo ſymbolicas ſignificationes eorum, quam in declamationibus & exhortationibus moralibus ſine fine, quæ nequeunt vt diximus amorem fruitiuum infundere. Sed habito vel cognito quid nominis terminorum ex theologia ſcholaſtica,

debet exercitium intrinſecum remitti ad interio-
A rem mentis perſcrutationem, cooperante gratia Dei, quæ non datur communiter ſe non exercentibus & ingratis, in Dei gratia vel nulla eſt vel in vacuum accepta, ſed tam vtique nulla eſt ſi in vacuum recepitur, quia non minus horret vacuum gratia quam natura. Dicuntur verò cantica canticorum per excellentiam vel antonomaticè, quia ſola in eis ratio cantandi eſt amor purè gratuitus, non deliberatio ab hoſtibus vt primum illud cãticum: Cantemus domino glorioſè. Non à viſitatione & redemptione Dei ſicut illud: Benedi-
B ctus Dominus Deus Iſraël. Et ita de reliquis ſuo modo, ſed in his canticis ſola cantandi ratio, eſt ipſa cantatio ſe exercens in amore, non qualiſcunque, ſed diuino & ſupremo qui ſeraphicus iure dicitur, eò quod ad eius ſimilitudinem ſit exẽplatus. Dicitur nihilominus amor ſponſæ quoniã talis amor caſtus & zelotes & ſummus eſſe debet, quaſi ipſum nomine pro qualitate materiæ duximus in ſequentibus appellandum. Placuit igitur duce ſpiritu ſancto, verarum ope precum coarcta-
C re ſermonem, & aptare principaliter ad ſenſum anagogicum de amore ſponſæ, quod vt ſyncerius fiat, & abſq; inuolucris ſimilitudinum expediens eſſe cenſui conditiones vel effectus & ſigna vel proprietates huius amoris ſub quinquaginta conſiderationibus quaſi totidem ſcintillis aut linguis igneis annotare.

Veruntamen ne videamur nimis à litera exorbitare, ſtuduimus iſtas amoris proprietates ab inuolucris & fumis literæ quadam exagitatiua de-
D puratione in emicationem deducere. Hic enim modus tractandi proximior eſt ſcholaſtico quam rhetorico ſtilo quali hactenus vtique ſtuduimus permixtione quidem facta quam accommodè vel vtiliter iudicet lector, ſed benignus. Gratus inſuper accipiat pro ſuccincto quaſi proœmio in auxilium memoriæ de eadem verſuum elegiacorum, in qualibus nunc oblectat ſe otijs ſenectus mea ſtudij memor puerilis.

E

ISTI VERSVS RESPICIVNT ſenſum anagogicum, videlicet animę & Dei, & nihil aliud reſonant niſi amo te, quæ ex fiducia amici cauſari ſolet vt reametur: vt patet.

oſculetur me *quia melior* *oleum trahe me*
Oſcula poſcit amor, delectat, lenit & ardet,
in cellaria *nigra ſum ſed formoſa.*
Ingreditur cellas, pulcher & ipſe niger.
pugnauerunt *in meridie,*
Oppugnatur amor, deſiderat alta tenere.
F *ſi pro non*
ne vagari *ſi ignoras.* *equitatui.*
Eſſe vagus refugit, doctus equeſque Dei eſt.
cũ eſſet rex *faſciculus* *ſicut colũbarũ* *en lectul⁹ noſter flo.*
Gratus amor, cor habet ſimplex, cui lectul⁹ extat
Secundo capitulo.
Floridus, eſt fructus dulcis in ore ſuo.
vinariam *amplexabitur me.*
Potat amor, languet, complexibus hæret amici,
ecce iſte venit *en dilectus* *dilectus meus mihi.*
Quo ſe cumque rapit, hunc videt, audit, habet,
Tertio capitulo *tenui eũ* *ſicut virgula.*

Quærit

Querit amor quod amat, tenet in ſublima, ſurgit,

en lectulũ. ferculũ facit in diademate.

Aut cubat aut fertur, aut diadema gerit.

tota pulchra Quartũ capitulũ. in vno oculorum.

Pulcher amor totus, per ſingula mẽbra vidẽdo.

per totum reſiduum quarti capituli.

Vulnerat, & miris delicijs redolet.

ſurrexit. Quinto capitulo.

Dormit, ego dormio.

Surgit amor, liquefit, paſſus quoq; vulnera lãguet

& ipſe eſt amicus meus.

Dilectum laudat, iactat amicitiam.

vna eſt columba. Sexto capitulo

Vni iungit amor ſoli perfectus, eſt & par

vt ſol & luna. vt caſtrorum acies ordinata.

Auroræ nitidus, ordine terribilis.

neſciui. per quadrigas Chriſti ſpõtanei per admirationẽ.

reuertere quater dicitur.

Neſcit amor, vehitur, cubatur, crebro vocatur,

Septimo capitulo per totum, prope finem.

Pareat vt veniens, laus ſibi multa datur.

Viſit amor vineas, hortos & poma reſeruat.

Octauo capitulo. Quis mihi det.

Oſcula vult pueri, fortis amor quaſi mors.

Cæterum fiet reductio in hac partitione ſecunda ad ſympſalmatis decachordum, cum diapſalmate totiens interpoſito iuxta decadem verſuum & pro numero dragmatum totidem ab expoſitoribus notatorum, quatenus Cantica canticorum reſonent ſecundum pſalterium decachordũ Dauid regis & iuxta canticum filiæ Mariȩ pulcherrimæ fœminarum. Denique tertia partitio colliget omnia ſub amoris oſculo ſancto quatenus O reuoluet ad A, intelligibili quodam gyro?

PRIMVM SYMPSALMA, HOC EST CONCORDIA PSALLENTIVM *in canticis. Prima proprietas.*

OSCVLA *poſcit amor.* Exilit hæc amoris ignei proprietas ab hac particula. [*Oſculetur me oſculo oris ſui.*] Oportet (vt iam notauimus) nos hoc loco ſcholaſticis theologiæ & philoſophiæ regulis vti maximè dum quærimus ad intelligentiam communem Cantica canticorum traducere, aut ſaltem quod credulitatem ſecretiſſimorum ſenſuum & caſtiſſimorum, quos includit fumus literalis & quaſi carnalis, nullus abhorreat, neq; ſcandalum fœdȩ carnalitatis quis incurrat. Puderet referre quid expertus audiui, offenderet enim pias aures. Oportet præterea ſupponere tradita per alios & alibi & à nobis pluribus locis repetita & expoſita nominatim in opere ſuo magnificat, cum adiuncto collectorio quaſi ſeptem ſportarum ad duodecim priores, de viribus animæ de conceptibus eius, & ſuper omnia de hymno & verbo gloriæ conformiter ad diuinum Dionyſium. Quicquid enim principaliter allaturi ſumus hoc vnum penè reſonat aut explanat myſterium. Si qua denique vt fit coniungantur alia, ſpectant potius ad amorem incipientium vel proficientium, quam duntaxat perfectorum, niſi pro quanto cognoſcere debet & expedit fortis mulieris exemplo ſemitas domus ſuæ quas perfectus amor conſiderauit vt perueniret ad artem, quoniam mens amat arte manens. Oportet rurſus inter doctrinas de paſſionibus animæ hoc ſpiritualiter attendere, quod apud theologos amplior eſt acceptio paſſionum, ſicut amoris vel amationis & conſequentium inde quam apud Ariſtotelem naturalis habeat traditio. Ipſe enim nullas niſi in iraſcibili & concupiſcibili ſenſuali cenſuit propriè reponendas paſſiones ſicut nec in Deo vel angelis. Nos autem ſequentes Auguſtinum cum cæteris theologis, ponimus omnia nomina paſſionum, nedum in ratione humana, nedum in eius mente & ſpiritu, nedum in angelis & beatis ſed in ipſo etiam Deo glorioſo, omni tamen imperfectione ſecluſa. Dicimus enim Deum delectari & gaudere, ſicut & beatum eſſe. Quemadmodum igitur amor ſeraphicus (cuius aſſignare nitimur proprietates ſigna vel effectus, ponitur in apice ſeu vertice mentis intellectualis, ſic audacia quam amor parturit in oſculi petitione, cum ſpe & cæteris illic collocatur, & hoc ſtabilium ſit ad omnia ſequentia. Conſtat igitur quod amor non qualiſcunque, ſed feruidus & familiaris cauſat de amico vel amato fiduciam. Experimur etiam hoc in brutis, nedum faciliter, ſed cum difficultate domeſticabilibus ex ferocitate vt leo, vel ex timiditate vt lepus. Contrahunt enim ex longa conuerſatione beneuola eis audaciam conuerſandi cum proprijs dominis & domeſticis ſuis, immo & cum brutis alterius ſpeciei quos natura creauit aduerſas, ſicut ſunt canis & cattus & vulpes & lepus. Nunc ad propoſitum puto iam lector intelligat, ex quanta fiducia oſcula poſcit amor. [Oſculetur ait me oſculo oris ſui.] Pulchra eſt hoc loco & prolixa deuoti Bernardi deductio apologizantis ad animam, quæ petit oſculum oris ab illo tali & tanto qui reſpicit terram & facit eam tremere. De quo Iob: Semper inquit tanquam tumentes fluctus ſuper me Deum timui, & pondus eius ferre non potui. Talia ſunt plurima ad repreſſionem audaciæ, de qua vnus patrum iubebat: Nunquam in omni vita tua aſſumpſeris fiduciam. At verò diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, tota libertate audet dicere. Timor non eſt in charitate, quoniam perfecta charitas foris mittit timorem. Sed nonne ſeraphica charitas ſponſæ noſtræ perfecta eſt? Nonne iam per experimenta plurima facta eſt tota domeſtica? Nonne numeranda eſt inter ciues ſanctorum & domeſticos Dei, cuius exemplo Pauli, conuerſatio eſt in cœlis, quæ totiens admiſſa eſt, nec repulſa ad oſcula pedum dilectorum. Deinde gradatim familiarius ad oſcula manuum, quidni tandem aliquando ſumat audaciam in feruore ſpiritus ſui dicere: Oſculetur me oſculo oris ſui. Sic amoroſa Chriſti illa Magdalena poſt vnctionem pedum, poſt remiſſionem peccatorum, præſumpſit effundere vnguentum precioſioris liquoris ſub typo fragrantiſſimi deuotionis, ſuper caput ipſius diſcumbentis. Caput autem Chriſti Deus qui per deuotionem ſingularem oſculari dicitur ore ad os, quia nullum interponitur medium creaturæ ſeparatiuè vt dicetur.

Cantat vnus ex ſeculi hominibus: Audacem faciebat amor. Si bonitas caduca & aliquando peſſimè æſtimata, rapit ad ſe amorem alienum;

Digitized by Google

vt audeat & præſumat, quid de illa fornace immenſa bonitatis & beneuolentiæ æſtimandum eſſe putabimus ? Quid inquam niſi illud Dionyſij à Paulo diuinitus edocti : benignus Ieſus venientis ad ſe, totus totos deoſculatur. Tractum eſt hoc ex euangelica adoleſcentioris filij parabola reuerentis. Audemus (inquit Apoſtolus) & bonam fiduciam habemus magis peregrinari à corpore & eſſe præſentes ad Deum, quæ præſentia Dei quid aliud eſt quam oſculatio oris ſui ? Semper ex aduerſo præſumit ſæua turbata conſcientia, nec audet oculos ſurſum attollere, quanto minus oſculum oris poſtulare. Multum dilexit Petrus ideo multum præſumpſit. Domine inquit, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas.

Sentio me latius effluere quam propoſita breuitas flagitabat. Sed neque finis fuerit ſi voluero cuncta proſequi quæ dictantis animo vel occurrunt, vel materiæ proxima ſunt, vel fortaſſis à lectore quærenda ſunt. Ecce dilatationis materia magna nimis. Quærerent enim confeſtim nonnulli nec ab expectatione ſua confundi putabunt. Ediſſere nobis ſi expoſitores plenarius, quid oſculum, quid os, quid oſculans, quis oſculatus, qualis oſculatio ? Dic quæ ſunt oris duo labia, in oſculante ſimul & oſculato ? Sed neque terminus hic erit inquiſitionis fiet proceſſus ad omnes ſymbolicas ſignificationes, quas textus canticorum decurrit vniuerſus de vberibus, de vnguentis, de cellarijs de tabernaculis cedat, de pellibus Salomonis, & cæteris in hunc modum. Sed iam prætacta eſt noſtri ſuper his cauſa ſilentij, plus itaque ſuſcepimus vmbras & fumos excutere quam diſcutere. Sanè diſtinctiones & magiſtrales ſermones, homeliæ præterea ſanctorum copioſiſſimè pro incipientibus & proficientibus hæc docebunt. Sed nunc perfectis (quamuis imperfectus) debitor ſum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus. Venient vltima duo ſympſalmata pro minus expertis.

Ponit Hugo tres in contemplatione proceſſus inſtar ignis, qui cum accendi quæritur, primo fumoſus eſt ſine flamma, deinde cum fumo flamma miſcetur, tandem purus & quietus ignis eſt in carbone. Gradum hunc tertium tenet igneus amor ſponſæ, qui foris exilit, ſcintillat & emicat nec inter fumos latere groſſos & inquietos voluatur. Denique quia non de ſingulis omnia ſimul dici poſſunt etiam quæ ſunt accommoda, tranſeat ſermo noſter gradatim ad reliqua. Vnus itaque ſolet paſſus in ſcripturis mutuo cæteros exponere, immo quodlibet verbum poteſt intelligibiliter loqui cum altero, quoniam eſt ignea lex ſcientiam habens vocis, & omnium linguis loquens. Dum enim ſpirituſſanctus afflat, ſic fugiunt phantaſmata, dantur chariſmata, ſpirant aromata, ſic reſonant idiomata.

Secunda proprietas.

Amor delectat, exilit hæc ignea linguæ particula ex ſequentibus verborum ſymbolis. [*Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragantia vnguentis optimis*] ſiquidem iſta delectant vtentes. Inuenitur enim dictum apud ſapientem per inſipientem mulierem. Veni inebriemur vberibus. Vinum quoque lætificat cor hominis & odoribus atque vnguentis cor delectatur. Præterea delectatio ſortitur
A hoc nomen à ſimilitudine lactentium puerorũ, quaſi dulcis lactatio. Cauſatur autem ab amore, immo non niſi ab amore vel amatione delectatio. Hinc illud populare : *Iamais homme n'en aura ioye ſi d'amour ne vient*. Gaudium niſi de amore nullum eſſe poteſt. Eſt itaque delectatio perceptio conuenientis coniuncti. Amor autem non eſt niſi conuenientia & adaptatio rei ad ſuum conueniens. Porrò nullum eſt obiectum conuenientius ſponſæ quam ipſe Deus ſummum bonum, ad quod capiendum & poſſidendum facta eſt. Quare ſupereſt dum ſibi coniungitur, inhæret & vnitur tanta propinquitate quanta ſunt os & os oſculantia ſe mutuo, quod cauſatur ex hac vnitionis perceptione delectatio, non qualiſcunque ſed in ſuo genere ſuprema, quia ſuperius eſſe bonum non poteſt, propterea quietatur, gaudet & lætatur in hac vnica operatione nullum aliud obiectum petens, quamuis ipſius continuationem poſſeſſionémque ſecuram amare non ceſſet. Neque tamen eſt motus propriè dictus, qui eſt actus entis in potentia, cum habeat amor id quod actualiter requirit, ſicut eſuriens id edens, quod habet ſemper in præſentia, caret motũ faſtidij, conſequitur amor ex hac delectatione illud de Pſal. Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Et rurſus : Renuit conſolari anima mea, memor fuit Dei & delectatus ſum & exercitatus ſum. Alia litera garriuit : Et deficit ſpiritus meus, bona ſiquidem defectione in ſalutare Dei. Et hæc delectatio ſpiritualis, ſi Antonio credimus, ſola eſt ratio vincendi inimicum. Cæterum fit per amorem animæ coniunctio ad Deum perceptione multis modis, ſicut contingit Deum multipliciter contemplari. Sed loquimur hic de coniunctione per pondus charitatis quæ mota ab infinito amore, facit ſupermundanum & immenſurabilem & abſolutũ puræ mentis exceſſum, ſicut ait Dionyſius. Tunc cognitio per ſpeculum & ænigma quodammodo deſeritur foris, & ſubintrat amor vſq; ad interiora velaminis, vbi poſuit Deus tenebras latibulum ſuum. At verò nunquam remanet abſq; cognitione. Quod ſi foret ita, ipſe nihil perciperet. Et cum nequeat oriri delectatio ſine perceptione conuenientis coniuncti, vbi tunc [illegible] delectatio eſſet. Reſponderent aliqui, quod amor eſt formaliter ſua cognitio. Adderent aliqui quod eſt formaliter ſua delectatio. Videtur Vercellenſis conſona loqui ſuper Cantica ad hãc poſitionem. Sed conſonantius ad philoſophiam & doctores dicimus, quod ſicut intellectus & voluntas ſunt diſtinctæ potentiæ ſic cognitio & volitio vel amor diſtinguuntur, disiungitur dico non ita tamen, quin circunincidant ſe mutuo & hoc ſolerter aduertere eſt & vtile. Proficit in hac parte ſpeculatio de modo connexionis virtutum cardinalium cum prudentia & theologicarum cum gratia, & donorum omnium generaliter & beatitudinum cum charitate, ſi non informes & imperfectę, nec veræ virtutes debeant reputari : Itaq; circunincidunt ſe mutuo, vt quælibet virtus alterius denominationem ſortiatur. Dicimus enim cum Apoſtolo, quod charitas eſt patiens & benigna &c. quod temperantia eſt prudens, iuſta, fortis & è

contra

Digitized by Google

contra. Similiter quod fides ſperat & diligit & è contra. Non aliter in re noſtra dicit Ariſtoteles de A voluntate quod ipſa eſt appetitus intellectiuus vel intellectus appetitiuus. Sic de actibus ipſarum potentiarum licet dicere, quod amor eſt cognitiuus & cognitio amoroſa, dum ordinat ad amorem nō ſiſtens in nuda ſpeculatione veritatis. Exemplum materiale, manus & oculus concurrunt ad ſcribendum, oculus videt manum & manus mouet calamum. Non tamen virtus viſiua eſt virtus motiua calami nec manus eſt oculus, ſed quodammodo circunincidunt ſe propter connexionem in vna actione ſcribendi. Soluitur ex his facta dubitatio, quoniam amor dirigitur à cognitione in prima ſui generatione. Certiſſimum quippe eſt, quod voluntas non fertur in prorſus incognitum cum obiectum ſuum ſit conueniens vel apparenter oſtenſum. Non autem fertur aliqua potentia in non ſuum obiectum, vt olfactus in ſonum. Veritas eſt ſatis annotanda pro vniuerſitate dictorū & dicendorum, præcipuè de amore ſponſæ, quod voluntas quæ ſolum habet pro obiecto ſuo vltimo bonum ſummum & optimum, quæ ſola inſuper eſt vniuerſalis motor in regno animæ ſeu toto microcoſmo, dum fuerit per dilectionem & ductionem intellectus applicata ad obiectum ſuum, tunc ſufficit ſeipſam mouere liberè per actū amoris elicitum. Sufficit præterea mouere vires alias per habitus earum imperatiuè, quo fit vt vis cognitiua quæ prius mouebat obiectaliter voluntatem præſentando obiectum, nunc ordine quaſi conuerſo mouetur liberè imperatiuè & arbitrariè ab ipſa voluntate. Exēpli gratia in propoſito: Memoria animæ intellectiuæ fœcunda ſpeciebus intelligibilibus acquiſitis & abſtractis ex phantaſmatibus ſenſibilibus ęſtimatiuè, quam Commen. nominat intellectum paſſiuum, memoria inquā, ponit in acie intellectus ſpeciem repręſentātem Deum, non quidem nudè ſed quaſi ſpeculū & in ænigmate. Intellectiua virtus formabit ſimile verbum de Deo, & illud naturaliter objiciet potentiæ volitiuæ. Quo proceſſu habito, nouus poterit liberè & arbitrariè inchoari, quia mouebit ſe voluntas dilectiuè, non in cognitione præſentatam intus per intellectū ſed in rem extra vel quaſi extra exiſtentem ſcilicet Deum. Non enim amat voluntas cognitionem huiuſmodi Dei tanquam vltimū finem, ſicut neq; poteſt eſſe finis eius. Amat enim Deum ipſum immediatè, & ſe fert in ipſum & amplectitur & oſculatur, & vberibus ſuis hæret, & in eius fragrantia delectatur, licet non videat oculo ad oculum vel facie ad faciem Deum. Deinde voluntas coniuncta fini ſuo vltimo Deo, præcipit arbitrio proprio & imperio intellectui, quaſi dicendo: Veni, vide, guſta & ſenti quam dulcis eſt Dominus. Ad cuius elucidationem ampliorem accedit amoris ignei lingua tertia.

Tertia proprietas.

Amor lenit. Colligitur iſta proprietas amoris ex his verbis: *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Conſtat per oleum deſignari conditionem lenitiuam quam attribuit amori increato, non ſine creato, canens in eccleſia, quādo venis corda lenis. Eſt inſuper oleum incondimentum dulcedinis & ſuauitatis, & mitigatiuum doloris. Vnde Petrus: Si tamen guſtaſtis quoniam ſuauis eſt dominus. Et Apoſtolus concordat: Guſtauerunt inquit, bonum Dei verbum. Et Dauid clamat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine. Et rurſum: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt. Samaritanus quoque ad curam vulnerati oleum appoſuit. Proſequamur inchoata declarantes, quæ & qualis ſit cognitio percipiens Deum, vt optimum, conueniens & coniunctum, ex quo amor non eſt formaliter perceptiuus cognitionis, quaſi in eo vel cum eo ſit formaliter perceptio ſicut B & delectatio. Alioquin neque delectaretur ſi non perciperet, neque quieſceret aut frueretur Deo, ſi non delectaretur in eo. Iſtud eſt conſideratione digniſſimum, cuius ignorantia multos in amore Dei figere ſe volentes ſolet conturbare, Loquor expertus per tot annos.

Quamuis autem multa dixerimus ſuper Magnificat, nihilominus faciens Deus gratiam pro gratia, & paulatim ſecundum tempus & locum & modum beneplaciti ſui dona ſua multiplicans, C dat indies ferri magis à claritate in claritatem tanquam à domini ſpiritu, qui amor eſt dans experiri illud Dauidicum: Declaratio ſermonum tuorum illuminat. Familiaris itaque conuictus oſtenſor eſt ſecretorum amicitiæ, quia & Chriſtus verbum & ſapientia patris, medius accedit loquens linguis, nedum hominum, nedum angelorum, ſed arcanorum patris, quæ non licet homini loqui. Fortaſſis illa ſunt arcana quæ diuinus Dionyſius à Paulo dicere non potuit, nec D ipſe ſcribere vel docere niſi per ſilentium, ſed eis reuelauit Deus per ſpiritum ſanctum ea quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Stultus eſſet lector ſi quæreret, & ego præſumptor inſanus ſi conarer altiora vel altius quam ipſi exponere ſecreta cœleſtia. Planè dum etiam atque etiam rumino verba Pauli verba ſubinde Dionyſij ſuper hac ſapientia quæ in myſterio abſcondita eſt, miranda & miſeranda apparet hebetudo intellectus noſtri, non intus ſed foris hærentis ad eorum doctrinā, E ipſorum quippe verba, ſi velamen & obſcuritas auferatur à corde, cognoſcuntur apertiſſima eſſe, de quibus ambigere minus eſt fas quam de ipſo materiali ſole, vt iure dixerit Boëtius: Hanc quiſq; poterit notare lucem. Candidos Phębi radios negabit. Oritur æſtas hodie, Vrbani feſto, quando ſol viridior eſt, & plus fulgidus & feruidus. Venit in memoriam baptiſma Valeriani in ſignis Ceciliæ virginis ſponſi. Libenter enim diei cuiuſlibet occurrentia ſpeculari ſoleo myſteria. Vidit ipſe Valerianus ſenem candidis indutum cum libro F aureis literis ſcripto, in quo legit iſta Pauli verba. Vnus dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omniū qui ſuper omnes & per omnia & in omnibus nobis. Valerianus interrogatus à ſene ſi crederet, ilico reſpondit, nihil verius dici poſſe. In quibus tamen vniuerſa Dion. theologia notata eſt. Nam in hoc quod vnus eſt Deus & pater omnium, notatur theologia de Trinitate & vnitate diuina. Non enim eſſet paternitas in diuinis ſi non eſſet Trinitas, cuius fontale principium eſt pater, à quo omnis paternitas in cœlo &

Digitized by Google

in terra nominatur. Cæterum cum additur, qui ſuper omnes eſt, datur intelligi theologia myſtica qui per exceſſum infinitum ſuper omnes habet ſciri. Porrò cũ Deus eſſet dicitur per omnia, ſymbolicam ex omnibus & in omnibus concipimus theologiam. Denique cum ſubiunctum eſt, & in omnibus nobis, theologia ſignatur procedens ex proprijs & intelligibilibus poſitiuè, qualiter fit in diuinis nominibus tam per cauſam quam per excellentiam, non attendẽdo ſi fuerit infinita, quoniam in hac excellentia per infinitatem myſteriũ theologiæ per abnegationem collocatur. Additur præterea triplex habitudo quam habet Deus ad nos vltra cæteras irrationales creaturas ſcilicet per imaginem naturalem, per gratiam & per gloriam. Prima ſiquidem habitudo eſt ad Deum, nedum vt principium cauſatiuum, ſicut in omnibus eſt per eſſentiam, potentiam & pręſentiam, ſed etiam ſicut ad principium obiectiuum ratione imaginis quæ Dei capax eſt facta. Deinde ſicut ad principium inhabitatiuum, ratione ſimilitudinis & reformationis per gratiã. Tertiò ſicut ad principium glorificatiuum, ſub quo comprehendi poteſt habitudo hypoſtaticæ vnionis in Chriſto, & maternæ dignitatis in Maria. Poteſt æſtimo ſecundum triplicem hãc ſimilitudinem reddi ratio vna, cur totiens in ſcripturis coniunguntur hæc tria: dominus Deus noſter. His ex incidenti tranſcurſis, redeamus ad cauſam lenitatis amoris, qualem habuit apoſtolus noſter Remigius, de quo legitur quod bonitatem & benignitatem manſuetiſſimi cordis oſtẽdebat in lenitate ſermonis, quoniam Deus in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum. Habemus certè in amore ſponſæ obiectum conuenientiſſimum Deum, habemus coniunctionem ipſius ad ſponſum per oſculum intimũ, & per inhæſionem adſedem amoris pectus ſuũ, quod notatur in vberibus, & per legitimam olei lætitiam, iuxta illud: Vnxit te Deus oleo lætitiæ. Supereſt aſſignare cognitionem perceptiuam, quoniam delectatio & lenitas eſt perceptio conuenientis coniuncti. Difficultatem auget verbum Hugonis: Amor inquit, intrat vbi cognitio foris ſtat. Illud inſuper de quadam homilia: Poſſumus figere deſideriũ, vbi non eſt fas inferre obtutum. Item quod magis cognoſcimus de Deo quid nõ eſt quam quid eſt. Ac verò loquatur iam quarta ignei amoris lingua, eius proprietas eſt.

Quarta proprietas.

Amor ardet. Colligitur hoc ex feruore deſiderij ſpõſæ ad ſpõſum: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Mirus vero ardor & inextinguibilis fragrãtia. Certè ſponſa conceſſo iam oris oſculo fidenter poſtulato, venit ab abſente, ſuſcepta fuerat ad vbera ſponſi, quoniam meliora dixit ea vino, fragrantia vnguentis optimis, experta loquitur & delectata. Nam & ſubiungit, oleum effuſum nomen tuum. Nunc ex ſatietate & vberum plenitudine, velut inſatiabilius æſtuans clamat: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorũ, iure dixit de amore ſeraphico Dio., quod eſt ſuperferuidus & holocauſtè purgatiuus, quoniam & ſeraphin interpretatur ardens. Eſt quidem in angelis ardor iſte, eſt in ſingulis etiam beatis, quibus, eſt vna vox lætantium, & vnus ardor cordiũ, propterea dicuntur lapides igniti pręcipuè tamen & in excellẽtia ſeraphicus ordo poſ- A ſidet hunc ardorem. Propterea nec ipſe à ſcientia ſicut cherubin, nec cherubin ab ardore nominatur, quamuis abſque vlla dubitatione & ſeraphin cognõſcat, & cherubin ardeat, ſic & voluntas cognoſcit per intellectum & ardet per voluntatem intellectus.

Dicamus idcirco de ardore ſponſæ, quod non abſq; cognitione. Alioquin delectabilis eſſe non poſſet & lenis ei ſponſus ſuus Deus vt opponebatur. Omnis vtique delectatio fit ex perceptio- B ne, & omnis perceptio ſine dubitatione eſt cognitio, non qualiſcunque, ſed experimentalis & practica, eſt præſens quaſi per ſenſum ens vel exiſtens, quæ differt dupliciter à cognitione ſolum ſpeculatiua & diſiunctiua ſeu declaratiua.

Primò quia reſpicit principaliter bonum, ſed ſpeculatiuè verum, aut ſi magis philoſophicè dixerimus reſpicit planè verum, quia verum eſt obiectum intellectus, ſed non ſiſtit in ſola ratione veri, immo prout conſonè vel conformiter aut C confeſſè ſe habet ad appetitum boni protenditur. Ex qua diſtinctione ſumitur illa altera de intellectu practico & ſpeculatiuo.

Differt ſecundò perceptio experimentalis & practica à ſpeculatiua in ordine & origine, quia neceſſe eſt perceptionem ſequi comparationem appetitus, præſertim volitiui & ab eodem cauſari, propterea rectè vocatur huiuſmodi perceptio oculus voluntatis vel amoris ſui maximè eliciti, quoniam inde cauſatur nec aliter oriretur. De eius efficacia dicendum erit inferius D ſuper illo: Vulneraſti cor meum ſponſa in vno oculorum tuorum. Eliciamus exinde pulcherrimam de cognitione experimentali ſcintillam veritatis reſpectu amoris ſponſæ ad Deum ſponſum. Violentior & vehementior eſt iſta perceptio ad trahendum poſt ſponſum quam ſpeculatiua. Ratio iam tacta eſt ex ordine literæ, & patet exemplo iam inducto de ſcriptura, quam ſcribit manus ad directionem oculi. Si enim oſtẽderet oculus voluntati ſcribentis tantummodo E ſpeculatiuè quædam exemplaria literarũ ſub quadam obſcura generalitate, voluntas non ita traheretur & alliceretur ad ſcribẽdum, ſicut fiet ex pulcherrima ſcriptura ſua quam producet, quam protinus inſuper oſtendet percipiens oculus, quoniã oculus videt voluntatem ſcribentis, ſicut voluntas mouet oculum ad videndum literas quas format mediante manũ ſed ex imperio ſuo. Sentiens igitur vis affectiua ſeu motiua pulchritudinẽ egregiam in literis ſeu picturis quales alibi non viderat quia non ſcripſerat, trahetur amplius ad continuã- F dum ſcripturam, præcipiens tunc oculos permanere in hac ſua operatione directiua, vt permaneat & delectetur in vi motiua ſua, quoniam ex dictis duobus conſurgit & oritur vehementior delectatio, quæ ſecundum Ariſtotelem & experiẽtiam tenet operantem in operatione. Facile erit ex hac vna ſimilitudine conſiderare ſenſibiles alias innumerabiles & ex illis aſcendere non habentes exercitatos ſenſus ſpirituales non aduertunt, niſi fortaſſis in formis & inuolucris phantaſmatum, ſicut ex ſola & ſimplici fide & ſpe de Deo in ſolo ænigmate, propter quales forte putant aliqui dictum illud

Digitized by Google

illud quod inductum eſt de cognitione Dei, quod magis cognoſcitur quid non eſt quam quid eſt. A

Quinta proprietas.

Amor ingreditur cellas. Introduxit (inquit ſponſa) *me rex in cellaria ſua.* Cui congaudent & applaudunt ille de quibus iam bis dixerat, adoleſcentulæ. Adoleſcentulæ inquit, dilexerunt te. Et ſe rurſus connumerans eis: Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Lætabimur inquiunt, & exultabimus in te, memôres vberum tuorum ſuper vinum. Recti diligunt te Recti dicunt. Amo. Conſonè loquitur diſcipulus ille quem diligebat Ieſus: Odor tuus Chriſte in me excitauit concupiſcentias æternas. Ipſe quidem Chriſtus rex eſt, de quo pulcherrima mulierum mater ſua fas habet dicere: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni cui benedixit dominus, ſine cuius odore non curritur, quia nemo venit ad patrem niſi tractus à filio, ſicut nec ad filium nemo venire poteſt niſi pater ſuus traxerit eum. Sunt aliqui ſortiti animam bonam, quos etiam à puero notauimus anhelare ad diuinos odores & ad cœleſtia deſideria naturali quodam inſtinctu ſuſpendi nondum habentes rationis vſum plenum. Habent alij curuas in terris animas & cœleſtium inanes inſtar pecorum.

Diſcipulus patris vnius in eremo conqueſtus eſt eidem cum admiratione, quod vnus ex fratribus apoſtatauerat. Mirare inquit, potius fili quo pacto remanet aliquis, cum nullus hic remanere poſſit, ſi non venerit ſpecialiter à Deo, non humano ſolum conſilio tractus. Exemplum addidit de vario genere catulorum, quorum aliqui per odorem beſtiæ proſequuntur eam infatigabiliter dum alij quamuis exercitati per clamorem ſtatim deſiſtant, nec alios comitantur, quia odorem venaticum non hauriunt naribus. Chriſti bonus odor ſumus, dicebat Apoſtolus, ſed non omnibus ad vitam, quemadmodum Iudas, quando domus repleta eſt ex odore vnguenti, non cucurrit, ſed lapſus eſt. Tales notati ſunt, ab adoleſcentulis dicentibus ad ſponſam: Recti diligunt te. Nouerat eſſe nonnullos qui rectis eam oculis aſpicere non poterant, nec odorem optimum eius ferre, nigram quoque ſpernebant & fuſcam. Porrò quid egerit ſponſa quam introduxit rex in cellaria ſua, ſatis colligitur ex lætitia & exultatione adoleſcentularum tuarum in vberibus ſuis ſuper vinum carnalis lætitiæ, aut ſapientiæ per induſtriam acquiſitæ. Collegit itaque ex diuini ſaporis theſauris atque cellarijs doctrinas vberes pietatis. Eſt enim infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes effecti ſunt amicitiæ Dei. Quæ verò ſint huiuſmodi doctrinæ pietatis, prout nominat Apoſtolus, poſt dicemus, ſi prius aliqua de ſexta amoris proprietate tetigerimus adaptauerimus & cantichordum, hoc eſt ad canticum cordis omnia quæ dicta ſunt & dicentur ſuper huiuſmodi canticis canticorum.

Sexta proprietas.

Amor pulcher & ipſe niger. Nigra inquit, *ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem.* Abſtractum pro concreto & fœmineum pro maſculino frequenter accipimus, quoniam ſicut ſponſi & ſponſæ vnus eſt ſpiritus, ita vox communis eſt. Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol. Quid pulchritudo ſponſæ niſi ſua ad Deum ſyncera dilectio? quid nigredo ſua vel fuſcedo, niſi timorata & reuerens humiliatio? Sua quippe pulchritudo, ſua quoque quantumcumque pura & feruida dilectio, nec non cognitionis claritudo, quid eſt in æſtimatione ſua dum comparatur ad illum ſolem iuſtitiæ de quo ſubiungit reddens cauſam ſui timoris in nigredine vel fuſcedine vel palore notati, quia inquit, decolorauit me ſol. Et ita decolorauit vt in caliginem & tenebras tota ruat. Nunc in tranſcurſu ſolo, quoniam alibi latiſſimè & pluries in vtraque lingua tractauimus, fiat applicatio cantichordi noui ad hoc Epithalamium ſecundum propretates ſex in hoc duplici primo notatos conformiter ad notulas & vocem eiuſdem cantichordi, quæ ſunt hæ ſecundum quas omnis doctrina pietatis quæ hauritur in cellarijs ſuis, cantari poteſt in harmonia cordis, gaudium mœror, ſpes, timor & pietas. Eſt autem pietas, prout hic accipitur, amor conſurgens ex affinitate, omnis autem affinitas procedit ab ipſo patre luminum, ex quo omnis paternitas ſecundum Apoſtolum in cœlo & in terra nominatur. Repetitio. Oſcula poſcit amor, delectat: ecce gaudium, lenit, ecce dolorem per indirectum qui lenitur. Et ardet, id eſt, deſiderat vehementer, ecce ſpem. Ingreditur cellas pulcher, & ipſe niger, ecce timorem in nigredine ſeu pallore, qui eſt timenti color aptus. Effectus enim timoris eſt pallor, propter ſpiritus confluentes ad cor. Fiat hic diapſalma, hoc eſt pauſatio pſallentium in canticis pro recreatione cantantium, quatenus etiam poſſit ipſa doctrina pietatis diligentius inſpici, quoniam pietas ad omnia valet, quæ canticorum omnium in cordibus noſtris radix eſt, exemplar & finis, prout vberrimè vtinam fructuosè tractata per nos de canticis manifeſtant. A gaudium. E ſpes. I pietas. O timor. V dolor.

FINITO DIAPSALMATE PRIMO SEQVITVR SYMPſalma ſecundum.

Proprietas ſeptima in ordine.

OPpugnatur amor. *Filij* inquit, *matris meæ, pugnauerunt contra me.* Pendet hæc ſententia iuxta ſenſum vnum ex immediatè præcedenti, vbi cauſam reddit ſponſa ſuæ nigredinis dicens: quia decolloraui tme ſol, ſol videlicet iuſtitiæ, permittens me tribulationis & tentationis ardoribus exponi. Contra quod dicitur in Pſalm. Per diem ſol non vret te. Iuxta quem intellectum filij matris ſuæ pugnantes contra eam acciperentur in ſiniſtram partem, vel de peruerſis Eccleſiæ filijs vel de dæmonibus qui per creationem ſunt deitatis matris omnium filij. Vel certè de Adam & Eua, quorum filij nequam ſunt tyrannici motus concupiſcentiæ originalis, quorum lex repugnat legi mentis qui diuertunt animam verbigenam ad infimas ad infames vineas tot deſideriorum, quibus obniti non ſemper poteſt. Sicut enim totiens conqueritur Apoſtolus: Amor ſpõſæ vineã propriam cœleſtis deſiderij aſſiduo feruore cuſtodire non præualet. Inde pallor ille timoris, & fuſcæ nigræq;

de colorationis, quia velle bonum ſibi adiacet, poſſe autem non inuenit iuxta votum.

Sunt alij ſenſus per anagogiam, & in bonam partem de filijs Eccleſiæ cœleſtis quos Angelos intelligit, amor ſponſæ qualis fuit ille Angelus qui pugnauit in luctu contra Iacob. Aut certè per allegoriam de Eccleſia gentiũ ſi coarctetur, vt cœpimus canticum noſtrum ad amorem ſponſæ. Et quid ſecundum doctrinam pietatis reſonent hæc & ſequẽtia perſcrutemur. Non enim fruſtra dixit amor ſponſæ prius: Introduxit me rex in cellaria ſua, ſed illic edocta, eructauit verbum bonũ dicens opera ſua & vota eidem regi, quoniam facta eſt lingua ſua calamus ſcribæ velociter ſcribentis.

Octaua proprietas.

Amor igitur *deſiderat alta tenere: Indica mihi* (inquit ſponſa) *quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Attendat pietas quemadmodum citò nomen regis, quod eſt excellentiæ & dignitatis, deflexit ſenſim in nomen paſtoris. Vbi paſcas inquit. Scimus attribui paſtoribus amatoria carmina vbi ſimplicitas libera & campeſtris ſine dodolo verſatur, vbi nec arrogantia dominatur. Et quoniam ex hac proprietate pendent non modicum præcedentes & ſequentes, conſideremus quid ſibi velit amor, quid deſiderat alta tenere, & tam alta, vt notitiam de ſponſo ſuo Deo meridianam audeat poſtulare. Conſtat ex doctrina pietatis hauſta in ſapientiæ cellarijs, quadruplicem in genere notitiam eſſe amoris diuini. Meridianam de ſe & apud ſe vbi eſt qui eſt ens purum ſuper ſe reflexum. Meridianam ſecundò notitiam dicimus de Deo, ſed extra ſe in creatura beata, tertiò matutinam in ipſo de creaturis, quartò veſpertinam in proprio genere videndo creaturas per ſpeculum & in ænigmate, maximè pro ſtatu viæ, vel in ſpeculo, & fortaſſis in ænigmate quodam veſtigiorum etiam in patria. Vult amor ſponſæ ſoli intendere quem ex toto corde non diuiſo, non diſperſo diligit. Petit idcirco præſentiam ſponſi iugiter agnoſcere, cuius gregi vni cauſa ſubditur in ſequenti proprietate.

Nona proprietas.

Amor eſſe vagus refugit, dicens: *Ne vagari* hoc eſt vanè agi, *incipiam poſt greges ſodalium tuorum*, quicquid enim diuiſionem ab vnitate ſeparante recipit aut nutrit, horret & amor tanquam vnicè dilectæ contrarium. Præterea ſodales hoc loco & greges ſimiliter & tabernacula paſtorum in partem intelligimus vni ouili, vni paſtori contrarium accipi.

Decima proprietas.

Doctus eſt amor ſponſæ, vt altera denotat amoris proprietas, & hoc ſciens ſponſus, ſed ne ſuperbiat ſponſa, immo cognoſcat qualiter & vnde donum iſtud acceperit, dicit in altera proprietate. *Si ignoras te, &c.* Et iungit pro quinta proprietate.

Vndecima proprietas.

Amorem eques Dei, qui vehit, ſcilicet & vehitur. *Equitatui meo, &c.* Blandiens ergo ſponſus neque cum auſteritate indignabundus abijciens. Si igno- A ras te ait ô pulcherrima mulierum, ſi pro non intelligens, Egredere & abi, hoc eſt, egredieris & abibis vagabunda poſt veſtigia gregum, in diſperſione, hac illácque diſcorditer errantium, & illic paſces hœdos ſenſuum tuorum qui ponendi ſunt à ſiniſtris ſub varietate paſtorum tabernacula ſibi multiplicantium in falſitate & vanitate. Quod ne feceris aut factura ſis equitatui meo in curribus Pharaonis, aſſimulaui te amica mea, quia gratiam contemplationis quæ te de curribus Pharaonis B eripiat, quæ perſecutrices curas perderes te volentes perdat, largitus ſum. Dedi præterea vt eſſent pulchræ genæ tuæ ſicut turturis, in honeſtate conuerſationis, & collum tuum quod mihi te coniungit, ſit ſicut monilia. Nos quoque murænulas aureas, quæ ſunt ſententiæ pietatis aureæ, faciemus tibi vermiculatas argento, eloquentiæ, quoniam eloquia mea eloquia caſta ſunt, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptuplum. Sint hæc interim pro concordia & ſympſalmate ſecundo contexta abſque præiudi- C cio ſententiarũ, quas eſſe multiplices alias non me latet, fiat recurſus ad petitionem & deſiderium ſponſæ ex amoris fiducia loquentis, amo te: Indica mihi, per amorem tuum quo amas me, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Accipiantur ſequentia pro quaſi diapſalmate ad illuſtrationem canticorum. Dicamus hic cum Petro, de cuius filia chariſſima Petronella hodie meminit Eccleſia. Bonum eſt nos hic eſſe, non vt faciamus tria tabernacula: Neſciebat enim quid diceret, ſed D vt leuantes oculos noſtræ conſiderationis neminem videamus niſi ſolum Ieſum qui per effectus varios & inſtinctus quærit à ſponſa, amas me? Cui quæſtioni ſemper bene conſcia ſponſa reſpondet: Domine tu ſcis quia amo te. Cui dominus reſpondet: Paſce agnos meos. Et per agnos hic fortaſſis intelligimus non incongruè idem quod adoleſcentulas, de quibus ſupra in alio ſympſalmate quæ ſtatum incipientium vel ánimalium & imperfectorum ſignificanr & tenent: ſicut per filias Hieruſalem nos in gloria conſummatas ani- E mas vel Angelos intelligimus, à quibus ſponſa conſolationem petit & accipit mutua & varia collocutione frequenter exhibita. Itaque cognoſcentes adoleſcentulæ quoniam introduxit rex ſponſam in cellaria ſua. Ita enim reuelauit eis congaudent mox & dicunt, exultabimus & lætabimur in te, memores verborum tuorum ſuper vinum. Plus enim delectat ancillas ſponſæ adoleſcentulas lac doctrinalis pietatis ſtillantis ex vberibus ſuis, quam vinum ſcientiæ cuiuſlibet ſe- F cularis vel humano ſtudio torculatum. Conſtituamus igitur ante conſiderationis oculos adoleſcentulas nunc has, nunc illas pro deſiderio paulatim ad notitiam ſponſi peruenire ſatagentes, & ſe monilibus aureis vermiculatis argẽto quantum fas eſt ornare cupientes poſtulare per amorem mutuum ſponſi & ſponſæ multiplices ſibi quæſtiunculas indicari.

Prima quæſtio amor ſponſi ſumus, nunquid poteſt totus totaliter diligi & à diligente haberi? Reſponſio per diſtinctionem. Concurrunt enim ad dilectionem tria, dilectus & diligens & habitudo diligẽtis ad dilectum. Itaq; Deus ſi eſt totus deſi-

Digitized by Google

deſiderabilis, quia totus bonus, ita eſt de ſe totus & totaliter diligibilis, quia finis vltimus eſt. A Diligẽs verò anima poteſt tota & totaliter diligere, videlicet ex tota ſe, ex toto corde, ex tota anima ex tota mente, & ex toto intellectu & ex omnibus viribus ſuis. Alioquin non perciperetur ſi nõ poſſet impleri, quod fiet maximè dum venerit quod perfectum eſt in patria, vbi dicũtur comprehenſiones eſſe, quoniam apprehẽdunt ſecundum totum poſſe ſuum, totum noſſe totum velle. Proinde tertiò ſi fiat collatio diligẽtis ad dilectum, ſic dilectus Deus ſolus à ſe totaliter diligitur & comprehenditur, B ſicut ſolus habet æternalitatem, ſolus lucem immenſam & inacceſſibilem inhabitat, ſolus nulla cognitionis finitate circunſcribi poteſt, ſolus in æterna Trinitate ſua pleno & infinito tonitruo magnitudinis reſonat in ſecula ſeculorum, loquente qualibet perſona ad alteram, amo te, amo te, amo te. Amor quid amat cum Deũ amat? Reſponſio conformiter ad Auguſtinum quærentem, Quid amo dum Deum amo? Amo quandam lucem quam non capit locus, quemdam ſonum quem non capit tempus, quendam odorem quem C non ſpargit flatus, quendam ſaporem quem non minuit edacitas, quendam amplexum quem non diuellit ſocietas. Amor nunquid cognoſcit diligendo Deum quid eſt Deus? Reſpõſio per diſtinctionem cuius ignorãtia multos turbat: Aut enim quæritur de cognitione quidditatiua Dei perfecta ſingulari & aſpectiua ſeu definitiua, & hoc quodammodo verum eſt quod neſcit viator quid eſt Deus, immo nec comprehẽſor, niſi cognitione & dilectione actuali finita formaliter, ſicut eſſentia, D virtus & operatio finitæ ſunt. Si verò quæritur de cognitione & dilectione quidditatis Dei ſub generalibus attributis appropriatis ſibi per quid nominis deſcriptiuè & per excellentiam ſuperabundantis affirmationis, qualia ſignificant omnia nomina immenſitatem dicentia explicitè vel implicitè, cõſtat quod nedum cœlo intuitiuè, ſed etiam in via abſtractiuè cognoſcitur quid Deus eſt, immo pro regula. Quantum quiſque cognoſcit de Deo quod eſt, tantumdem ipſe nouit quid eſt, ſi perfectè, perfectè, ſi imperfectè, imperfectè. Neq; E enim ſunt audiendi qui dicunt, nihil de Deo cognoſci, ſi non cognoſcatur omnis eius proprietas, hoc ſaltem in negationibus habet inſtantiam. Veriſſimum quippe eſt quod Deus non eſt lapis vel aſinus. Quantum verò ſcitur de Deo quid non eſt (cum priuatio cognoſcatur per habitum) ſcitur tantũdem de Deo quid ipſe eſt. Amor nunquid immediatè diligit Deum dicendo ſibi veraciter, amo te toto corde, amo te tota anima, amo te tota mente, amo te toto intellectu ſine deceptione, F tota voluntate ſine contradictione, tota memoria ſine obliuione, tota virtute ſine defectione, ex omnibus viribus ſine diſcrepatione, Deniq; propter te ſynceriter & vnicè? Reſponſio per conſiderationes efficacem excellentiã huius orationis, amo te, amo te, amo te deſignantes. Amo te verbum eſt & canticũ propriiſſimè conueniens & æternaliter Trinitati: Vnde verbo hoc domini cœli firmati ſunt, & hoc ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipſe enim dixit de qualibet creatura in eſſe producta: Amo te, & facta eſt. Suum enim amare creaturam eſt ſuum facere. Itaque quantum vult creturæ eſſe & bene eſſe, tantum dicit eidẽ & per effectum, amo te. Amo te, vox eſt vel oratio in qua & per quam ſicut in ænigmate cognoſcitur Deus vnus in Trinitate, & trinus in vnitate, dixit amor noſter Ieſus, ꝙ iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege. Fuerunt qui pręterea ex litteris ſcripturæ tanquam ſeminarijs & elementis veritatũ conati ſunt vt Ioachim intelligere, id eſt, intus legere, multa etiam vſq; ad prophetias de occultis & futuris, ſed in multis fefellit iſtum audacior curioſitas quam ſatis erat ad doctrinã pietatis. Dicamus ergo cum ſobrietate, ꝙ in hac dictione amo, ſignatur principium, medium & finis ſecundum tres eius literas. Eſt enim prçcipuũ in creaturis veſtigium ſecundũ Pythagoricos, principium, medium & finis, quod Peripatetici plus ſpecificauerũt dicẽtes in re qualibet eſſe tria, quæ ſunt natura virtus & operatio. Theologi verò particularius & diffuſius aſſignant in veſtigijs beatiſſimã Trinitatem. Reperitur namque in omni re vnitas, veritas & bonitas. Reperitur modus, ſpecies & ordo. Reperitur mẽſura, numerus & pondus, reperitur in magnitudine longum, latum & profundum. Et ita per ſingulas rerũ conditiones nominatim in re noſtra. Itaq; dixit Chriſtus referẽte Ioãne in Apocalypſi: Ego ſum alpha & ω principium & finis. Iungitur apte M. pro medio, Ego inquit in medio ſum, &c. & Ioannes medius veſtrum ſtetit, &c. Rurſus hæc litera duplicata, iuxta morem antiquum ſcribendi complectitur apices quatuor lineales, per quos in ænigmate cognoſci poteſt veſtigiũ Trinitatis ſimul cum myſterio vnitatis ſic ſcripſerunt. Inde quidem quod huiuſmodi dictio nõ ſine ſancti Spiritus inſtinctu præpoſita eſt in canone Miſſæ & ſubiũctum. Clementiſſime pater, quod eſt nomen omnis amoris originale fundamentum, à quo ſumit oratio dominica exauditionis ſuæ auſum. Amo te vox eſt vniuerſaliter cuiuſlibet creaturæ. Sua laus inſuper, ſuum canticum, ſua iubilatio virtus, honor, & exultatio pſalmus, organum & adoratio. Fœlix es ô creatura rationalis, quę capax facta es audire ſimul & intelligere per omnia generaliter in Deo & in creatura, iſtam iocunditatis vocem: Amo te. Infœlix ex aduerſo creatura rationalis, quę diſcordat à tali cantico peruerſa voluntate, cui non placet ideo canticum amoris & pacis, quia nec dat gloriam Deo in excelſis, nec in terris habet pacem bonæ voluntatis. Præterea iure feciſti. O adoleſcentulæ recti diligunt te, non iniqui, non diſtorti & reprobi, hoc cognoui dicit Eccleſiaſtes, quod fecerit Deus hominem rectum & ipſe miſcuit ſe infinitis quæſtionibus per curioſitatem inſtabilitatem & cupiditatem. Primum in rationali, ſecundum in iraſcibili, tertium in concupiſcibili. Amo te. Vox eſt erumpens ab ore pietatis paternalis in omnes vniuerſaliter generationes. Præſupponitur hic ex alijs quod pietas eſt amor conſurgens ex affinitate. Vnde iuxta diuerſos gradus affinitatis diuerſificatur amor pietatis, vt patris ad filium & è contra, viri ad vxorem & è contra ciuium ad ciuitatem aut patriam propinquorum, domeſticorum & conſanguineorum ad inuicem. Conſtat autem ex Apoſtolica ſententia quod ex Deo patre omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, & ex cõſequenti quælibet proximitas aut affinitas in omnibus generationibus cœli & terræ nedũ in homi-

Digitized by Google

nibus de quibus dixerunt quidam poëtarum ipſius etenim genus ſumus, quod verbum fecit Apoſtolus confirmando Catholicum. Confirmat Petrus Chriſtianis loquens: Vos eſtis genus electum.

Amo te, vox eſt tam efficax, viuax & ſonora, vt ad aures Dei, quæ ſunt eius immenſa virtus cognoſcitiua, generaliter & immediatè pertingat. Sciebat amor noſter Ieſus, quod omnia dedit ei pater in manus. Dicebat alibi: Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Ad locum quoque ſuum vnde exeunt flumina, reuertuntur dicente Salomone, & phyſicam ſententiam confirmante commemoratam à Boëtio: Repetunt proprios quæq; recurſus, redituque ſuo ſingula gaudent, nec manet ibi vlli traditus ordo, niſi quod fini iunxerit ortum, ſtabilémque ſui fecerit orbem. Et rurſum altero metro: Quia non aliter durare queant, niſi conuerſo rurſus amore refluant cauſæ quæ dedit eſſe. Conſtat quod reditus iſte fit per amorem, ſicut altero metro dicit: Deformis quas lege benigna ad te conuerſas reduci facis igne reuerti: Quis autem ignis ſit iſte, conſtat ex Dionyſio de Angelica hierarchia in fine. Et eodem Boëtio, quod eſt amor communis inſitus naturæ, de quo ſic exclamat: O fœlix hominum genus ſi veſtros animos amor quo cœlum rigitur regat. Conſtat ex iſtis veritas conſiderationis reſpondens inquiſitioni, ſi Deus immediatè amatur. Perſpicuum eſt ita eſſe. Nihil quippe mediũ inter Deum & creaturam. Sed fortè particularior erat intentio de amore libero creaturæ rationalis. Dicemus conſequenter, ſi prius addiderimus ad præmiſſa de viuacitate huius vocis, amo te. Amo te, tantæ viuacitatis vox eſt & efficaciæ, quia neque mors neque infernus illã opprimere valeat aut tollere. Habet infernus horrẽdos gemitus pœnarum ex horribilioribus clamoribus vitiorũ, nihilominus inſultat ex illis cum iuſtitia & natura ſimul cum miſericordia, carmẽ pulcherrimũ & ſummè harmonia cum auribus pijs & bonæ voluntatis. Habet locum tenoris ſeueritas iuſtitiæ. Habet locũ contra tenoris bonitas naturæ, habet locum diſcãtus ſuauitas miſericordiæ. Fortis igitur vt mors dilectio & dura ſicut inferus æmulatio. Aquæ multæ non poterũt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam.

Amo te, ſi profertur à creatura rationali Deo ſuo toto corde, tota anima & tota mente per pietatem fidei, ſpei & charitatis, ipſa coniungitur immediatè Deo ſuo, quo dicente, amo te ipſa facta eſt, quo patiente, iſta amoroſius reparata. Coarctatur hæc propoſitio ad amorẽ liberum & pium. Et poſſumus ipſum per tres gradus diſtinguere iuxta multiplex ternariũ, quod prius notatum eſt. De quibus ſufficit ille communis ternarius, incipientium, proficientium & perfectorum, prout aliqui ſunt animales, aliqui rationales, aliqui ſpirituales, ſecundũ quos loquitur Hugo, dicens nonnullos in Eccleſia contẽtari ſimplici fide Chriſtiana, non inueſtigantes rationem, quærunt alij cum fide rationem ad ſolamen ſuum & aliorum ædificationem, tranſcẽdunt alij ad ſimplicitatem intelligentiam creditorum & eorumque per rationem didicerunt. Et ſi probauerimus de primis quod poſſunt immediatè Deum diligere, perſpicuũ ſatis de reliquis. Et in primis ſi volumus vti conſuetudine generali de cauſalitate Dei, quod in omni actione concurrit ſua immediatè ad omnem A effectum, ſecũdum triplex genus cauſæ, proceſſus non erit ambiguus de amore pio & libero. Dicit autem Pariſiẽſis articulus, quod prima cauſa ſic eſt remotiſſima quod etiã propinquiſſima, ſic generaliſſima quod etiam ſingulariſſima. Damnátq; poſitiones oppoſitas, quæ ſi forſan aliquando viſæ fuerint diſputabiles, tamẽ veritas iſta per poſteriores certiſſimis demonſtrationibus comperta eſt nullatenus eſſe dubitabilis. Vnde vermiculus æquè particulariter & immediatè producitur à Deo ſicut Angelus, B quamuis in hoc ſit differentia quod ad productionem vermiculi concurrũt aliæ cauſæ particulares cum Deo, non ſic cum Angelo dum creatur: Vno ſiquidẽ amore penitꝰ inuariabili producitur vermiculus quo & quali productus eſt Angelus, ſicut eodem verbo de omnibus ipſe dixit & facta ſunt. Erat autẽ iſtud dicere Dei, idẽ penitus quod amare dicere videlicet practicũ appropriatũ Spiritui ſancto non ſpeculatiuũ tantummodo, quod interius proprium eſt verbi Dei. Accipimus ergo C amorẽ Dei pro feruore actuali, & ſimiliter amorẽ ſponſæ ad ſponſum pro feruore ſe actualiter exercente. Conſtat nãq; animã quãdiu eſt in charitate, coniungi habitualiter & immediatè Deo, ſcilicet actu primo. Poſſumꝰ cõſimiliter ratione ita ſentire de feruore quem dicimus actum ſecundũ & productum à feruore Dei, qui per Spiritũ ſanctũ agit in filios Dei. Amo te, vel oſculor te, dictum veraciter à ſponſa ſponſo ſuo Deo. Iungit eam immediatè ſibi ſuauiter & quietè, vt dicat: Dilectꝰ meus mihi, & ego illi, inter vbera mea cõmorabitur, & D dextera illius amplexabitur me. Conſonè ad illud de Benjamin adoleſcentulo in mentis exceſſu, quę mens Pauli quem nunc recolimus amantiſſimum domini, habitabit confidenter in eo tanquam in thalamo tota die meditabitur, & inter humeros illius requieſcet brachijs, ſcilicet ſuſpẽſis & innexis ad collum. Qua in re notandus eſt proceſſus redeundi in Deum, vt innoteſcat qualiter tãdem & vbi fiat quies. Conſtat in primis non eſſe quietem in viribus vegetatiuis propter neceſſarios & aſſiduos in nutriendo, vegetando, & augendo motus E & alterationes. Conſtat inſuper quod nec in viribus animalibus ſenſuum exteriorum, ſed nec interiorum propter varias obiectorũ & neceſſarias immutationes. Conſtat amplius quod nec in viribus rationalibus, & quæ obedibiles rationi, quæ ſunt rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis propter diſcurſus vagos & varios quibus agitantur.

Conſtat amplius quod nec in portione vel vi intellectiua quę naturaliter mouetur ab obiectis, quę ſunt phantaſmata aut ſpecies intelligibiles, etiam ſi F negotietur intellectus circa prima principia, quæ ſunt infallibilis & inuariabilis veritatis. Supereſt igitur ſi debeat eſſe quies & finis motus in ſponſa, quod quæratur in voluntate ſua cuius eſt ſolius principaliter dicere Deo ſicut obiecto & fini ſuo vltimo, amo te, maneo in te & tu in me, ſicut promittit Chriſtus fruẽti ſe ſacramentali mãducatione. Dicit autem manſio finem motus & quietem.

Tali modo redit vltimus amor charitate formatus ad primum quietem naturaliter, quamuis liberaliter inſitum circulo quodã vbi eſt principium, medium & finis, quaſi triplicatio verbo, amo te.

Denique conſtat iſtic eſſe quietem in amando, in co-

Digitized by Google

in cognoſcendo, in memoriter retinendo, ſecundum habitum etiam in via, niſi ſponſæ voluntas auerterit faciem ab oculo ſponſi & ab amplexu peccando ſe ſubtraxerit. Porrò de feruore actuali dilectionis pro tempore viæ non poteſt ita dici, obſtante mortalitatis neceſſitate multiplici. Vnde oppugnatur amor interius & exterius ponitur in vineis ſenſuum, & vineā propriam actualiter non cuſtodit. Hinc gemebūdus & anhelus ad patriam exclamat: Indica mihi quem diligit anima mea vbi paſcas, vbi cubes in meridie, nequando tam miſerabiliter & iugiter vagari incipiam, & cætera quæ ſuperficialiter prætacta ſunt.

TERTIVM SYMPSALMA CONTINENS QVATVOR AMORIS PROPRIETATES, ſcilicet. 12. 13. 14. & 15.

Gratus amor cor habet ſimplex, cui lectulus extat
Floridus, eſt fructus dulcis in ore ſuo.

Gratus inquam, quia cum eſſet rex in accubitu ſuo, dicit amor ſponſæ: nardus mea dedit odorem ſuum, vbi ſecundum diuidentes cantica per dragmata decem inchoat ſecūdum dragma, paulopoſt tertium, ecce tu pulcher. Deinde quartum, ſicut malus. Quintum, vox dilecti. Sextum, dilectus meus mihi. Septimum, egredimini. Octauum, veniat dilectus. Nonum, vox dilecti pulſantis. Decimum, quis mihi det? Eſt autem ratio diuiſionis inchoatio locutionis ſponſæ ad ſponſum cum reſponſione ſponſi. Sed ordinem cœptum tenentes per Sympſalmata decem ſecūdum totidem metra noſtra per amoris proprietates, cū murænulis aureis doctrinæ pietatis. Rememoremur in primis quęadmodum ſponſa quęſierit: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Et intelligamus petitionem ſponſæ benigniter quoad aliud exauditam. Indicauit enim Chriſtus quem diligit, quemadmodum paſcit & cubat in meridie ardentiſſimæ paſſionis ſuæ rememoratæ per Euchariſtiam. In quo accubitu cum eſſet pacificus, gloriatur ſponſa quod nardus ſuæ deuotionis dederit odorem ſuauitatis per deſiderij feruorem ad hoc ſacrificiū, quod eſt in odorem ſuauiſſimum domino, ipſe enim idem eſt ſacrificans ſacrificium, & cui ſacrificatur. In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc eſt perfectè & ſecundum omnem virtutis dimenſionem integraliter, ſicut Apoſtolus intellexit, & Martinus vocans Deū corpus. Amor ſubinde poſt experientiam ſuauitatis ſentit validam fuiſſe vocationem ſponſi dicentis: Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & cætera quę ſequuntur, qualia notantur ſingillatim in amoroſiſſimo hoc verbo ſequenti ſponſæ: Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter verba mea commorabitur. Attende in faſciculo lenitatem, in myrrha ſuauitatem. In eo quod eſt dilectus, mitis eſt, in eo quod dignatur eſſe ſuus, humilis corde. Porrò datur ſibi, id eſt, pro ſe ad refectionem, & inter vbera ponitur vt iugum cōnectens & commoratur vt quietans. Eſt igitur Chriſtus veniēti ad ſe dilectæ poſt tot labores & onera tentationum & tribulationum iugum ſuaue & onus leue, mitis quoq; & humilis corde, reficiens denique & quietans. Ad quod ſpectat quod addit ſponſa: Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Siquidem in botro cypri & vineis Engaddi A refectio ſuauis accipitur, ſimplicitas proinde laudatur in ſponſa per oculos columbinos, quos dirigit ad ſponſum, quoniam vbi amor, ibi oculus. Pulchritudo quoque duplex exprimitur in amica, quæ reciproca viciſſitudine laudat in dilecto quod pulcher eſt & decorus. Subinfert denique quaſi verecunda in ſimilitudine petens oſculum. Lectulus noſter floridus laudans domum totam ex tignis & laquearibus virium fortium eſſe compoſitam, quatenus appareat inde lectuli floB ridi, id eſt, conſcientiæ requies ſecurior. Dilectus adiungit non aduerſatiuè, ſed confirmatiuè, ad verba ſponſæ dicentis lectulus noſter floridus, nimirum quia ego flos campi & lilium conuallium, tu verò amica mea ſicut lilium floriferum, omnes filias excedens ſicut lilium ſpinas exuperat in decore. Subiungit proinde amor ſponſę, ſicut malus inter ligna ſyluarū, fertilis ſcilicet inter fructuoſa, ſic amicus meus inter filias, quod per experientiam ſe cognouiſſe demōſtrat dicens: Sub vmbra illius quem deſiderabam ſedi, & fructus eius dulcis gutC turi meo. Curſim iſta pro textu literali de proprietatibus amoris dicta ſint, latior aliquanto de amore fruitiuo fiat ſermo. Amor fruitiuus vel amoroſa fruitio ſi propriè ſumatur includit tria principaliter, præſupponens cognitionem Dei ſaltem ex ſimplici fide. Primum eſt libera motio voluntatis in Deum tanquam finem vltimum, & hoc ex pondere charitatis creatæ ſimul & increatæ. Alterum eſt perceptio talis vnionis cum Deo. Tertium eſt conſequens ad hæc duo & ipſa perfiD ciēs, quod eſt delectatio, quę deſcribitur perceptio conuenientis coniuncti, ſicut iſta plures expoſuimus, ſed repetimus ad eliciendam deſcriptionem ſuccinctam amoris fruitiui, quod eſt pertractatio libera finis vltimi ſatians & quietans. Pertractio ponitur quaſi pro genere, quoniam vſus & fruitio habent actionē circa obiectum ſuū, & ſuo modo tenent & pertractant ipſum. Et hęc ſub alijs verbis ſignificat Auguſtinus dicens, de frui & vti, quod eſt ſumere aliquid in facultatem volūtatis. Et quia propriè ſola voluntas vtitur aut fruitur, propterea E iungitur libera ad hoc quaſi genus pertractatio. Deinde pro differentia fruitionis ad vſum ſubditur finis vltimi. Rurſus quia finis vltimus continet omne bonum, ſubiungitur ſatians & quietans.

Amor fruitiuus ſic deſcriptus conuenit omni & ſoli, qui fruitur etiam ipſi Deo, quoniā pertractat liberè ſe circa finem vltimum delectabiliter & quietè. Conſonat Auguſtini deſcriptio. Fruimur rebus cognitis, quibus mens propter ſe delectata quieſcit. Accipitur autem fruitio latius aliquando F prout extenditur ad vſum liberum, immo & magis impropriè prout brutis conueniret. Sed ſtet iſta proprietas & attendamus quale quantumque ſit habere Deum in libera facultate volūtatis, vt pertractet eum faciens de eo ſicut voluerit. Quis in hac parte vim amoris dignè laudauerit? quis dignationem diuinæ pietatis in miniſterio nobis datam ſatis admiratus fuerit. Qua in re dicebat fructus vitæ: Ego in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat. Et rurſum pollicetur, quod præcingit ſe, & ſeruos quos inuenerit vigilantes, faciet diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis dicens: Comedite amici & bibite.

Digitized by Google

Amor fruitiuus habet immediatè Deum nedum pro obiecto circa quod verſatur, ſed etiam pro proprio & immediato fine vltimo ad quod inclinat & inclinatur. Singularis hæc proprietas eſt ipſius charitatis ex qua ſumitur excellentia voluntatis. Sunt aliæ duæ virtutes theologicæ, fides & ſpes circa Deum tanquam proprium & immediatum obiectum, ſed non ſub ratione finis vltimi, quod eſt ſummum bonum, quoniam fides reſpicit Deum ſub ratione veri primi, & ſpes ſub ratione ſummi ardui, quæ duo non habent finis vltimi rationem. Porrò virtutes Cardinales, dona & beatitudines, vel habẽt pro obiecta immediatores alias à Deo, ſicut temperantia moderatur paſſiones concupiſcibiles, & fortitudo paſſiones iraſcibiles, & pœnitentia reſpicit peccatum. Similiter & luctus, & iuſtitia humanos actus. Aut ſi tendant in Deum, inclinatiuè, non tamen immediatè & per ſe motiuè, ſed ſolum mediante charitate, quæ dat eis vitam pondus & decorem. Amor fruitiuus omnem vſum licitum terminat & mouet ad finem vltimum. Præterea connectuntur omnes actus meritorij cum habitibus ſuis ad amorẽ fruitiuum. Vnde tam vtentes quam fruentes habent ex ſententia dicere: Fructus eius dulcis gutturi meo. Quocirca patet laus & præcellentia charitatis, quia propter quod vnumquodque tale & illud magis, potior quoque bonitas eſt per eſſentiam, quam per participationẽ. Amor fruitiuus dicens Deo amo te, & ab eodem audiens: paſce agnos meos. Plus obſequitur & obedit quam aliqua virtutum, quoniam per ipſum omnia referuntur in Deum & ſeruiunt ei, dum aſſumuntur in facultatem voluntatis aut operantis, vt bona noſtra, aut approbantis, vt bona aliena, aut tolerantis, vt propriæ pœnæ & alienę culpæ, aut deteſtantis culpam propriam. Poteſt igitur omnium eſſe bonus vſus obiectiuè, vel per ſe ſi bona ſunt approbanda, vel per accidens mala deteſtando perpetrata, reſpuendo oblata, tolerando illata. Neque tamen ideo bona ſunt, quia finis vſus bonus eſt. Intelligitur quippe maxima talis de vſu bono per ſe, non ſolum per accidens. Amor fruitiuus totus liberalis eſt atque gratuitus, quamuis poſſit habere oculos ad mercedem, ſed non intentione principali & vltimata motione. Motio ſiquidem charitatis duplex eſt. Vna complacentiæ & beneuolentiæ, altera deſiderij & concupiſcentiæ. Et hoc ſecundò modo dupliciter. Aut ſiſtendo circa finem vltimum, aut referendo ad ipſum actu vel habitu, mediatè vel immediatè, & hoc ſecundo modo motus charitatis qui eſt concupiſcentiæ, licitus eſt quemadmodum volo mihi Deum, & amorẽ ſuum opto. Præterea proximius mihi Deum dari ſimul mihi deſiderio fieri. Porrò totum hoc finaliter propter amorem amicitiæ & complacentiæ circa Deum. Saluatur ex hoc quemadmodũ ſpes pecuniæ non eſt culpabiliter vel ſimoniacè mercenario, neque timor ſanctus eſt ſeruilis, neque generaliter quiuis actus virtutum imperati & formati ab ipſa charitate. Sed hoc perfectè & purè facere difficile eſt, ſimiliter & diſcernere. Amor fruitiuus fructuoſior eſt cæteris paribus, quam virtutum quarumlibet vſus. Ratio, quia propter quod vnumquodq; tale & illud magis, ſed fructus eſſẽtialis præmij de quo loquimur non venit alijs virtutibus niſi per charitatem. Purior eſt inſuper & fini ſuo proximior. A Additum eſt cæteris paribus, quia non omnibus fas eſt intendere ſolum amori fruitiuo, elicito immediatè & duntaxat circa Deũ, immo neceſſe eſt alias virtutes, dona & beatitudines aſſumere propter actus hierarchicos duos, qui ſunt purgare & illuminare, propter ignorantias & peccata circa ſe ſi fuerit infectus, & circa alios quibus ex officio debitor eſt. Non enim licet talibus nec expedit ſoli vacare contemplationis quieti, ſed neque poſſibile eſt faciliter & fœliciter à talibus iſtud agi. B Oportet vacare volentem Deo prius experiri illud quod præmittitur: Arcum conteret & confringet arma, ſcilicet vitiorum, & aduerſantium ſcuta cõburet igni charitatis. Si quis autem fuerit liber à iugo vitiorum & hominum ſeruitute, quales erant eremitæ, fructuoſior eſt exercitatio ſua circa Deum vt ſic, quam circa proximũ, quamuis idem actus amoris elicitus immediatè circa Deum, ſit ratio ſufficiens boni vſus, nedum circa proximum, ſed circa quodcumque creatum, ita enim beatus vno actu ſimplici fruitiuo Dei ſimul vtitur C bene toto mundo, vt ſit idem actus diuerſimodè conſideratus, vſus & fruitio, rectus & reflexus. Vnus eſt omnimodus, non tamen eſſentialiter infinitus. Amor fruitiuus crebrius in exercitio debet accipi reſpectu boni, quam intellectus ſpeculatiuus reſpectu veri. Eſſet hic perſcrutatio grandis ſuper eminentia duplicis huius potentiæ rationalis, quoniam Ariſtoteles & ſequaces etiam theologi ſicut ſanctus Thomas, videntur intellectus præferre dignitatem. Alij verò magis ſequentes D Auguſtinum & Chriſtianam pietatem certiſſimis rationibus voluntatem anteponunt, ſicut dominus Bonauentura, qui propterea ex doctrina & vita pietatis circa charitatem cognominatus eſt ſeraphicus: Solius itaque cultura intellectus ſpeculatiui quantumcumque ſubtilis cadit in illud Apoſtolicum. Scientia inflat, cultus verò voluntatis in amore meretur illud quod additur & charitas ædificat, quæ ſedens ſub vmbra illius quem deſiderat, fructum guſtat, immo fructus ſpirituales duodecim dulces gutturi ſuo.

E

SYMPSALMA QVARTVM CONTINENS SEX PROPHETATES AMORIS, ſcilicet, 16.17.18.19.20. & 21.

Potat amor, languet, amplexibus hæret amici.
Quo ſe cumque rapit huc videt, audit, habet.

Introduxit, inquit, *me rex in cellam vinariam, &c.* vſq; in finem capituli ſecundi. Potat amor introductus in cellam vinariam, potat fructum dulcem F gutturi ſuo, potat ſobriam, ſicut hymnizat Eccleſia ebrietatem ſpiritus, & hoc de calice illo pſalmiſtæ gloriantis. Et calix meus inebrians quam præclarus eſt: vnde iterum. Inebiabuntur ab vbertate domus tuæ. Et in canticis iſtis: Comedite amici & bibite & inebriamini chariſſimi. At verò quia dixit Apoſtolus: Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria, ad quod refertur illud eiuſdem: Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, ſubiungit amor ſponſæ, ſuam ſignificans ſobrietatem in ebrietate? Et ordinauit in me charitatem. Amor ſiquidem etiam Dei ſi non fuerit ordinatus, ſi fuerit

Digitized by Google

fuerit zelus Dei feruidus, ſed non ſecundum ſciētiam multiplicem ſæpius perniciem operatur, vbi tamen arbitratur obſequium ſe præſtare Deo, ſicut alibi deductum eſt de impulſibus & tentationibus.

Et iterum poterit hoc aliquid curſim tangi. Eſt autem ordinatus amor ſeu Charitas vt diligatur Deus ſuper omnia ex toto corde, &c. Qua in re mirum videtur ſi amor Dei poſſit eſſe nimius, cū modus eius ſit eſſe ſine modo, prout notat nomē ebrietatis, quaſi extra briam ſeu menſuram, quoniam ex verbis Dionyſij myſticus amator per immenſurabilem & abſolutum puræ mentis exceſſum ad ſupereſſentialem diuinarum tenebrarum radium omnia deſerens, & ab omnibus deſtitutus aſcendit. Vtique ſi mentis exceſſus eſt immenſurabilis, ipſe eſt immenſus & ſine menſura vel bria, & ita verè ebrius. Et hoc planè confitemur, ſed non æquè poſſumus loqui qualiter in hac ipſa ebrietate ſpiritus. Idem ſpiritus ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignotè coniungitur & vnitur. Quo ſuper myſterio multa balbutiendo garriuit inſipientia noſtra, in de verbo & hymno gloriæ, & ſuper illo Chriſti. Qui manducat meā carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Tractatu nono ſuper Magnificat. Verum quanto plus bibitur hæc ebrietas ſpiritus cum ſobrietate piæ meditationis, tanto creſcit ſua manifeſtatio & de manifeſtatione ſua ſuperadmirabilis infinitatio, miro quodam & vix intelligibili myſterio, quod ex manifeſtatione naſcitur ebrietas, & ex obſcuritate percepta clarificatio maior venit. Ad quod ſpectat totus ille ſermo diuiniſſimus hora cœnæ per quatuor capitula Ioannis, qui tunc ſupra pectus Domini recūbens introductus eſt in cellam vinariam, vbi cum ordinata charitate hauſit ebrietatem ſpiritus ad intelligendum iſtius vim ſermonis. In quo videtur quaſi nugatoriè nobis ignaris totiens repetere Chriſtus de circumінceſſione trium perſonarum ad inuicem in identitate eſſentiæ. De circuminceſſione præterea per quandam participationem analogiam trium perſonarum in electis & electorum ad inuicem, & in eis vt & Deus ſit omnia in omnibus, & ipſi electi ſint conſummati in vnum.

Et quoniam noſtrum hactenus ſtudium fuit concordare theologiam hanc myſticam cum noſtra ſcholaſtica, tentemus hic pauca dicere ſaltem vt non lateat penitus quid nominis terminorum. Sanè tota vel præcipua cauſa difficultatis ad intelligentiam ſcholaſticam in hac parte videtur eſſe propter omnimodam finiti ad infinitum, creaturæ ſcilicet ad creatorem improportionem & æquiuocationem, qualem elucidare volentes diuerſi doctores diuerſos ſibi terminos inuenerūt. Poſſumus ſine præiudicio ad duos & vſitatiſſimos terminos totum reſoluere, vt dicamus quod omnis comparatio actualis Dei ad creaturam eſt dūtaxat ſicut comparatio cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam, ſumpta cauſa in illa amplitudine de qua in centilogio de cauſa finali tractatum eſt, vt videlicet creatio & conſeruatio & tranſſubſtātiatio & vitalis immutatio obiectalis, referantur ad cauſam efficientem maximè vel formalem aliter quam Ariſtoteles explicauerit, quoniam efficientiam Dei qualem tradit veritas fidei, ponens creationem de nihilo & rerum creaturarum potentiam totaliter obedientialem ad potentiā Dei actiuam, ſicut in miraculis ſupra naturam, præſertim in admirabili Euchariſtiæ ſacramento conſtat fieri. Proſequentes igitur ſubiungamus cōformiter ad philoſophos quod vniuerſaliter proportio eſt cauſæ ad effectum & è contra, alioquin vnum non dependeret ab altero nec fieret, ſicut nec effectus gereret ſimilitudinem ſuæ cauſæ, ſicut gerere tradunt philoſophi, qui inſuper multum ponunt ad rem noſtram, modum vnum eſſendi in principalem cauſæ in effectu & è contra. Si igitur Deus, immò quia verè Deus eſt cauſa vniuerſalis & ſimul immediata omnium viſibilium & inuiſibilium effectuum, conſequens eſt ipſum eſſe in quolibet effectu ſuo, & viceuerſa quilibet effectus eius in ipſo eſt, ſed tamen in diuerſis & ſub diuerſis gradibus. Vidit hoc Ariſtoteles, quamuis obſcurè & imperfectè, dicens: A prima cauſa omnibus datum eſſe & viuere, his quidem clarius, his vero obſcurius. Sed diuinus ipſe Ioannes de verbo Dei: Quod factum eſt inquit, in ipſo vita erat, cuius verbi pertractatiò vniuerſalis latior eſſet quā hæc breuitas expoſcit. Sufficiat explicatio pro re noſtra de amore Dei, præſertim extatico per gratiam & gloriam, vt intelligamus quomodo per amorem fiat circuminceſſio Dei cum creatura amante, & è contra, quamuis Deus ſit infinitus & creatura finita. Quomodo propterea fiat hæc cauſalis circuminceſſio vel intimatio valde ſublimius in creaturis diligentibus Deum quam in cęteris, ſicut nihil in rebus creatis ſublimius & perfectius eſt quam amator Dei, nec actio diuinior quam amare Deum. Perſpicuum eſt per deducta, quod in omni amore creato Deus eſt ſicut cauſa in effectu, verum tamen quia amor Dei conuenit perfectiori creaturę, Deus idcirco dicitur eſſe perfectus in actu amoris, quam in alijs effectibus. Anima verò producens & eliciens actum amoris, eſt in amore ſuo ſicut cauſa in effectu, & è cōuerſo, quamuis Deus ſupernaturaliter operetur. Ecce igitur amorem quaſi nexum mutuum Dei cum anima diligente tanquam opus ab vtroque productum totaliter non pars ab vno, pars ab altero, neque prius aut poſterius in ordine productionis, quamuis Deus prior ſit ordine perfectionis.

Rurſus ex iſtis elicitur veritas à Dionyſio poſita de amore Dei tam actiuè quam paſſiuè, quod videlicet extaſim quandam facit. Recipit enim Deus nomen amoris ſicut probat idem Dionyſius per Ignatium totum ignitum dicētem: Amor meus crucifixus eſt. Cui conſonè theologizans glorioſa martyr. Felicula coætanea beatæ Petronellæ, dum tortores dicerent: Nega te Chriſtianam, & dimitteris. Non negabo ait. Nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus eſt. Sed & philoſophi dixerunt amorem deorum eos feciſſe fœcundos in productione rerū. Deus ſiquidem infinitus dum ex amore producit finitā creaturam, exit quodammodo ſuam infinitatem diligendo rem finitam quamuis actu infinito. Cæterum viceuerſa rationalis creatura finito actu diligendo Deum obiectaliter infinitum ponitur extra terminos omnis creaturæ, cum nulla ſit infinita. Ecce ſuper admirabilem extaſim in vtroque amore, Dei ſcilicet & creaturæ, cuius intelligentia

requiritur penè in ſingulis verbis huius libri Canticorum & Euangelij Ioānis cum theologia Dionyſij & epiſtolis Pauli & hymnis. Propterea nimis vnquam nequit vel exerceri meditando, vel repeti perdocendo hic illapſus, hæc circumincesſio, hæc ebrietas ſpiritus. Vnde conſurgit ſequens conditio: Languet amor. Intelligimus ſponſam in exitu cellæ vinariæ quaſi temulentam neſcire cum Petro quid diceret, nec exprimere cum quibus & ad quos vel quas loqueretur. Fulcite me floribus, ſtipate malis, quia amore langueo, vel vt alia litera habet, quia vulnerata charitate ego ſum. Habet itaque amor ſpiritualis & ſanctus ſua vulnera, ſuum languorem, ſuam mortem, ſuam vitã pro varietate ſtatuum & viciſſitudinum, & pro ſimilitudine quadam ad amorem carnalem, quo laborant philocapti, quamuis longè diſſimiliter. Vbi notandum eſt, quod dum ſumus in corpore quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantẽ. Vnde conſurgit pro diſſolutione quæſtionis motæ, quod amor Dei poteſt hic in via nimius eſſe: modum quoque recipit & menſuram.

Habet certè amor Dei conſiderari dupliciter. Primò modo ſecundum ſe, alio modo ſecundum circunſtantias diligentis in ordine ad obiectum. Si primo modo, conſtat quod amor in ſe finitus eſt, menſuram habens numerum & pondus, ſicut & condita quælibet creatura. Si ſecundo modo, ſic debet amans circunſtantias apponere, quẽadmodum in actibus aliarum virtutum vt exerceatur quando oportet, vbi oportet, quantum & qualiter oportet, propter alligationem cum corpore, quod per exceſſum periclitari contingeret, aut notabiliter lædi.

Porrò iuxta tertium modum qui reſpicit obiectum Deum ſcilicet qui eſt totus & infinitè diligibilis, exceſſus & nimietas in diligendo nequit fieri, neque modũ oportet apponi, ſicut nec in laude eius, quia iuxta verbum Eccleſiæ ſumptum ab Eccleſiaſtico: Maior eſt omni laude nec laudare ſufficis. Conſurgit igitur languor amoris vel ex parte corporis quod affligitur, vel ex parte mentis cuius deſiderium non impletur. Qua ſuper re rurſus attendenda eſt diſtinctio circa diligentes Deum. Quorumdam enim dilectio & ſi terminetur ad Deum ſicut ad finem & obiectum, verumtamen exercetur quaſi per ſolum ſenſum ex cognitione ſenſibilium, quemadmodum circa myſteriũ incarnationis, natiuitatis, paſſionis & crucis, circa vitas, imagineſque ſanctorum, ex quibus pie recogitatis, inſpectis vel imaginatis & auditis tales recipiunt veras & proprias paſſiones ſenſuales cum motu reali cordis & corporis, ſicut pateret enumerando per ſingulas paſſiones ex amore ſenſuali trahentes originem. Tales ſunt vt plurimũ ſimplices & deuoti in religionibus vel ſeculo de ſtatu incipientium quos animales dicimus. Colliguntur ſigna dilectionis talium per comparationem ad amorem carnalium vehementem. Ex cuius cõſideratione nonnulli totum decurſum textualem canticorum exponere voluerunt.

Sunt alij multo rariores quos propriè ſpirituales & perfectos nominamus, dicentes cum Apoſtolo: Et ſi Chriſtum ſecundum carnem cognouimus, non iam tamen eum ſecundum carnem cognoſcimus. Iſti tranſcendentes omnia ſenſibi- A lia & intelligibilia creata, in ſola Dei ſimpliciſſima bonitate, veritate & æternitate defigunt mentis amorem vel affectum, pro quibus & ad quos ſermo totus de myſtica theologia cognoſcitur inſtitutus, immò tales proprium etiam deſerunt mentis affectum vel amorem deſertione prorſus ineffabili, qui fieri non poteſt ſi non ſupernaturaliter attraxerit & eleuauerit Deus, & omnia ſuper mũdanę quæ mundana ſunt explicauerit. Partitis inquit Dionyſius alteritatibus & concupiſcẽtijs, B curiſque concluſis & ſuper mundanæ explicatis, in diuinam monadem congregamur. Contingit nihilominus regreſſum vel deſcenſum ſeu redundantiam fieri ad ſenſualem portionem, vbi propriè dictæ cauſantur paſſiones ex dilatatione vel conſtrictione cordis, non interrupta totaliter anagogica mentis ad Deum vnione per quandam gloriam & iocunditatem in apice mentis effecta, vbi aliquando poſt languorem amoris ſequitur mors quædam ſpiritualis, quæ potius vitalis dicẽda eſt, quoniam labitur in amplexum ſponſi, totã C ſe deſerens ipſa ſponſa, ſicut ex ſequenti proprietate datur intelligi: Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.

Accipiamus hic ad leuam pertinere quodcunque creatum vel finitum, dextera verò ſit æternitas ipſa, quo conuenienter præſuppoſito mox intelligemus doctrinaliter totum amplexionis huius myſterium, de quo per ſapientem amplexu dictum eſt: Glorificaberis ab ea(ſapientia videlicet increata) cum eam fueris amplexatus. Separatur D hic quaſi precioſum à vili, æternum à temporali, immenſum à finito, tanquam ſi cõſideretur Deus abſque vllius creaturæ ſocietate eſſe ſolus, nõ quidem in aliquo phantaſiabili loco, ſed in æternitate ſua ſicut ante mundi creationem, neque præceſſit tempore ſed æternitate, neque nunc eſt extra cœlum localiter, ſed æternaliter. Cum igitur quicquid eſt cognitionis in ſponſa, quicquid amoris formalis, totum ſit finitum, totum ſpectabit ad leuam & dextra ſola ſponſi amplexabitur ſpõſam, quæ tamen pertinet ad leuam. Propterea ne- E ceſſe eſt quod nihil ſit medium inter eos, ſed manebunt duo extrema Deus ſuperior non loco ſed æternitate, & ſponſa inferior cum omni quod in ea vel circa eam finitè poſitum eſt. Ecce quod amor ſponſæ formalis vnitus eſt actualiter ideali amore ſponſi, cui fuerat ab æterno ſolum potentialiter vel aptitudinaliter ordinatus, nulla facta penitus mutatione in amore æterno ſponſi, ſed in ſponſa propter relationem actualem ad ſponſum nihil ponentem in eo, ſed in ſponſa. Sicut creatio F actualis non in Deo, ſed in creatura ſeſe tenet vt nouiter aduenienſ. Denique Deus modo nouiter diligit & amplexatur ſponſam non mutatus in aliquo vel innouatus, ſed in amore actuali ſponſa nouitatem accipit, quæ Deum facit formaliter amando ſuum eſſe amorem obiectaliter, volente ita Deo cauſaliter, & anima effectualiter recipiẽte, immò & coagente cum Deo, verum equidem eſt quod amans alterum, facit illum eſſe ſuum, maximè dum ſit amor reciprocus, qualis eſt in Deo dicente: Ego diligentes me diligo. Et iterum: Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Conſurgit exinde ra-

Digitized by Google

de ratio vera amicitiæ inter Deum & hominem ſanctum, qualis eſſe non poteſt in irrationalibus creaturis, qualis amicitia tanto delectabilior eſt quanto magis percipitur eius exercitatio, qualem non curauerunt philoſophi qui cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, neque gratias egerunt, &c. De quorum numero ſegregarentur vtinam theologizantes aliqui qui confidenter ſe noſſe Deum, factis negant & in exercitatione ſpeculatiua tantummodo vani, inſipientes & aridi conuerſantur, quos in cella vinaria poſitos, neque charitas ordinat, neque dextera complexatur, neque poſtremò dormiunt ſpiritualiter aut quieſcunt, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Quo contra ſequitur de ſponſa: Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas ceruóſque camporũ, ne ſuſcitetis nec euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Felix ſapor qui ſub adiuratione tali, per talem fit & ad tales, hæc eſt optima pars Mariæ, quæ præfertur ſolicitudini Marthæ quamdiu permiſerit ſponſus qui potentior eſt impetrare vacando quam alia laborando, proinde ſolet adiuratio fieri per res valde diligibiles, quales ſunt in figura capreæ ceruique camporum filiabus Hieruſalem. Qui enim plus amabile ciuibus cœleſtibꝰ (qui per filias Hieruſalem hic & prius accipiuntur) quam acutiſſimo intuitu & ſaltu perpeti per latitudinem camporum cœleſtium liberrimè conuerſari. Sentiens ſponſa tali ſe libertati dimiſſam laudat efficaciam vocis ſponſi. Vox inquit, eſt dilecti mei, Deinde quia ſomnus ſponſæ non eſt iners & oppreſſus, ſed in eo cor maximè tunc vigilat, prout infra notatur, quocunque ſe diuerterit ſponſus, videt, audit, & habet vigilantiſſimus amor ſponſæ ſecundũ hoc tres amoris huius proprietates hic poſitas prima ibi, ecce iſte venit ſaliens in montibus, &c. ſecunda: En dilectus loquitur &c. tertia, dilectus meus mihi. Videt ſponſi alacritatem, audit eius allocutionem, habet cum eo intimitatem, tripudiat & inſpicit alacritatem, alloquitur & inuitat amicabiliter, intimatur ſibi ſe dans totaliter.

Sunt in hoc loco ſicut & in ſcripturæ totius expoſitione memoriter habendi figurales & tropici locutionum modi à rethoricis & grãmaticis traditi, quos inſequitur Tytonius in ſuis ſeptem regulis, quoniam hic frequenter illud quod eſt ſpõſi attribuitur ſponſæ & è contra propter vnitatem ſpiritus. Neque præterea ſexus attenditur, quia ſanctus amor ſine genere eſt, ſicut apud Eſaiam Chriſtus gloriatur, dicens: Tanquam ſponſum ſe decoratum corona, & tanquam ſponſam ornatã monilibus ſuis. Sic & illud quod eſt cauſæ attribuitur effectui quem fecit. Sicut dies vel Deus ipſe dicitur lætus quia lætificat, vel triſtis, quia contriſtat. Qua in re dum viciſſitudines actionum ſponſa tribuit ſponſo, vt quod venit ſaliens in mõtibus & tranſiliens collens cũ ſimilibus, accipiendum eſt per efficientiam, non per inhærentiam vel proprietatem. Sic reſpicere dicitur ſponſus per feneſtras & cancellos, id eſt feneſtras reticulatas, gallicè *trelis*, quia reſpicere facit. Sic præterea loqui, quia facit audire ſeu cognoſcere per effectum ea quæ ſunt ſponſi. Poſſumus autem ſub compẽdio colligere moraliter quædã ſigna quibus oſtendit ſponſa quietem ſuam placere ſponſo potius quam turbari eam circa plurima, quãuis accipiant A nonnulli ſponſam hoc loco vocari ad actionem pro regimine ſubditorum. Nos abſque præiudicio proſequamur adiurationem ſponſi pro gratiſſimo otio quod ſponſa tribuit beneplacito ſuo. Ex hoc primo, quia videt in ſe agilitatem alacrem ad currendum viam mandatorum Dei, per ſublimia & lata meritorum exercitia tãquam vires ſuæ ſimiles ſint capreæ, hinnulo ceruorum tranſilientium, nunc montes, nunc colles, nunc camporũ planicies perſpicaciter & liberè.

Eſt enim contemplatio liber & perſpicax mentis B intuitus in res perſpiciendas circumquaq; diffuſus. Iungitur idcirco ſignum ſecundum quod dilectus ſtat poſt parietem reſpiciẽs per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Parietem hic intelligimus vitæ præſentis incolatum & obſtaculum, ne dilectus patenter & clarè facie ad faciem videatur. Tot quoque ſunt parietes quot obſtacula prohibentia viſionem, tot verò feneſtræ & cancelli per quos reſpicit ſponſus effectualiter, quia reſpicere facit, quot fuerint ſpecies illuminationũ C deſuper à patre luminum, ad quarum ſuſceptionẽ diſponit otium ſanctum. Additur tertium ſignũ in excitatione blanda ſub appellatione amicæ columbæ & formoſæ. Surge inquit, propera amica mea, quia ſecretorum meorum conſcia formoſa mea, quoniam in te eſt proportio numeroſa donorum cum gratiæ colorantis vel illuminãtis ſuauitate, columba mea, quia per ſpiritum ſanctum meum ſimplex effecta. Sequitur ſeptuplex commoditas ex tempore & loco vnde poſſit & debeat amor ſponſæ properare poſt dilectum, oſtendendo D ſibi pulchritudinem faciei cum vocis ſonora dulcedine per acceſſum in foraminibus petræ & cauerna macerie tanquam in abditis & ſolitarijs habitaculis, in quibus ſola cum ſola, vnica cum vnico delicioſè quieſcat. Incedendo prius per ſeptem itinera quæ ſunt, intentio, meditatio, cõtemplatio, dilectio, reuelatio, guſtatio, operatio. Qualiter aptè proſequitur liber cuius initium eſt: Eum qui venit ad me, non eijciam foras. Sumuntur exiſtis alia ſeptem ſigna beneplacitæ vocatio- E nis. Et quartum in ordine eſt emollitio cordis prius gelidi quod amori nequibat intendere, neque ſe ſurſum ferre: Iam hyems tranſijt. Deinde pro quinto ſigno imber abijt & receſſit, quia per meditationem fortem prohibitæ ſunt ſtillare tot graues & multiplices vagantium deſideriorum & fluctuantium curarum cum phantaſmatibus pluuioſis exundationes.

Rurſus pro ſexto ſigno flores gratiſſimi veritatum diuinitus apparentium, in terra, cordis emi- F care vernaréque cernuntur per contemplationẽ. Cæterum pro ſeptimo ſigno, tempus putationis, ſeu reſecationis aduenit, quatenus humor amoroſus à radice cordis egrediens non diſpergatur inutiliter per ſpuria germina, vel ſuperfluitatem ramuſculorum vnitatis curioſæ, non per ſollicitudines occupationum etiam aliundè tolerabilium, non per locutiones & operationes quæ nõ proſunt, aut ita proſunt ſicut anagogica dilectio. Si deſieris (inquit Dominus per Eſaiam) extendere digitum in opere & loqui quod nõ prodeſt, concluditur tandem, cibabo te hæreditate patris tui Iacob.

Digitized by Google

Vox turturis additur pro octauó ſigno, quia ſolitudinis amica, & gemitum dans pro cantu, vernum inſuper tempus adueniſſe denuncians, quale eſt tempus amantium, apta eſt ad ſupermentales exceſſus figurandos.

Ficus protuliſſe groſſos ſuos ad ſuauitatis iudicium, ponitur pro nono ſigno, quale manifeſtatur præcipuè in Euchariſtiæ libera, frequenti & deuota ſumptione ſemotis omnibus impedimentis alienis ex quibus ſpirituales ſenſus vel acetantur, vel multipliciter à ſpiritali deguſtatione deſipiunt. Habetur tractatus in re nonus ſuper magnificat. Denique florentes vineæ dant odorem bonæ conuerſationis per exercitia ſpiritalia meritoriæ actionis in ſecreto cordis vbi poſſunt eleuatiuè ſpiritales, immò & corporales ſpiritaliter ad proximos exerceri fructuoſius reuera plerúmque quam per actiones illorum qui ſoliciti ſunt, & turbantur erga plurima, fiant.

Porrò quid ſibi velit hæc iuſſio, capite nobis vulpeculas paruulas quæ demoliuntur vineas, vinea noſtra floruit. Grandis eſſet ad exponendum materia quæ ſub paucis dat intelligi quamlibet occultam profectuum ſpiritualium demolitionem viris ſpiritualibus quantumcunque profecerint inſidiantem, quales ſunt blaſphemiæ ſordidiſſimę vix credibiles à malignis vulpeculis immiſſæ tam carnis quam ſpiritus. Qua ſuper re tractatus pridem editus eſt in vulgari, & apud patres & doctores remedia tradita ſunt.

Decipiunt aliunde fallaces vulpeculæ tentationum dum fingunt ſe mortuas ſed proximantes incautas arripiunt auiculas, quæ tunc (ſed tardè) ſentiunt vulpeculas carnales & ſimiles in ſeipſis adhuc malè viuere vſque ad demolitionem quandoque totalem & virtuoſi cuiuſlibet germinis mortificationem. De qualibus accipitur maximè illud Apoſtoli: Impoſſibile eſt eos, id eſt, difficillimum qui guſtauerunt bonum Dei verbum & prolapſi ſunt &c. Vix enim tales ad ſpiritualia reuertuntur effecti fœtentes abominabiliter ſicut ouum ſemi fotum dum frigeſcit. Amor poſtremò dilectè non reſpondit dilecto, illuminanti, vocanti, blandienti, circunſtantias inſuper accommodás enumeranti, quouſque ſenſit, iubente ſponſo, vulpeculas paruulas captas eſſe. Tunc in ſpe ſecura iubilans, neque vocem integrare ſufficiens protulit interruptè: Dilectus meus mihi & ego illi. Mille, immò infinitæ poſſunt fieri ſuppletiones, ſufficiat hic vna. Dilectus meus mihi, loquitur in aure mentis. Amas me, & ego, reſpondeo illi amo te ſubdit, paſce oues meas, paſce agnos meos, quorum mihi grandis eſt numerus cũ familia multa nimis, ſicut moraliter in Iob oſtendit Gregorius. Inter quos ſimul paſcitur dilectus inter lilia, candida meritorum donec aſpiret dies æternitatis & inclinentur vmbræ caliginis ſtatus præſentis quod vt celeriter aduentat, cupio enim diſſolui, reuertere dilecte mi, ad diuinitatis gloriam, ſuper montes Bethel, in cœleſtibus trahens me tecum in alacritate pernici, ſimilis in hoc factus capreę hinnulóque ceruorum. Liceat illic ex ſententia dicere voto pereni: Oſculetur me oſculo oris ſui.

DIAPSALMA QVINTVM IN QVO PONVNTVR SEX PROPRIETATES, ſcilicet xxij. xxiij. xxiiij. xxv. xxvj. & xxvij.

Quærit amor quod amat, tenet in ſublimia ſurgit,
Aut cubat, aut fertur, aut diadema gerit.

Amor hortatur per Pſal. Lætetur cor quærens Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. Primum in oculo. Alterum in amplexu. Tertium in contemplando. Eſt itaque iuxta quod prætactum eſt, primus actus amoris tam naturalis liberi quam gratuiti ſuperinfuſi ſimplex & continuus. Actus verò ſecundi quos dicimus feruorem amoris ſunt quidem continui in patria. Sunt autem in via frequenter heu nimis interrupti compellente neceſſitate corporis, ſeu fragilitate aut impietate ſpiritus iſtud faciente. Præterea neceſſe crebrò repetere quod crebro deſeritur. Amor igitur ſeſe recolligens dicit: In lectulo meo per noctes. Lectulus hic accipitur ſæpius pro quieto cõſcientiæ, qui non admittit alterum quam Deum, coanguſtatum eſt enim ſtratum ita vt alter decidat. Noctes poſſunt ad literam intelligi, quia ſũt contemplantibus aptiores. Sunt inſuper noctes vmbræ creaturarum. Sunt quoque tribulationes intus aut exterius ex peccatis aut pœnis contribulantibus exurgentes. Dicebat vnus ex amatoribus: Factus ſum ſicut nicticorax in domicilio. Scãdala nicticorax ſi prodit mox tolerabit. Mox aliíſque dabit, ſcilicet auiculis diurnis, tutius ergo latet. Hæc ſimilitudo eſt ſolitarij poſita per Anſelmum pro ſeipſo dum ad Epiſcopatus prodiret actiones. A beato ſimiliter optata eſt & laudata Gregorio nobis autem ore ſimul & animo ſæpius recenſita. Amor idcirco dicit in nocte quæſiui quem diligit anima mea. Satis eſt ab amore notificatus ille qui quæritur ſub hoc epitheton quẽ diligit anima mea. Quæſiui illum & non inueni. Cur obſecro non inuenit, quia non erat tunc tempus aut locus beneplaciti ſui. Sciebat commoditates ampliores quas ex dilatione ſponſa ſuſciperet quarum multas tractatu ſecundo de theologia myſtica pridem notauimus, & in vulgari de mendicitate, vbi formam inſecuti ſumus, de mendicãtibus per vicos & plateas ſatis amplè, quæ forma ſub paucis hic tangitur. Surgam ait, plus animi feruore quam corporis agitatione, & circumibo, non paſſibus corporis ſed ſpiritus, ciuitatem cuius participatio eius in idipſum, de qua glorioſa dicta ſunt, quæ libera mater noſtra per vicos quos dicimus eſſe ordines Angelorum, & plateas generaliter omnium manſionum cœli. Quæſiui & nõ inueni, Deo in melius diſponente.

Amor ſubiungit: Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiũt ciuitatem. Eſt ciuitas quæ occidit prophetas, in qua vidit Pſalmiſta contradictionem & iniquitatem, ſuper cuius muros ſunt iniquitas & dolus, vigiles habens & cuſtodes malignos ſpiritus, totum per antiphraſim, quia ibi nec eſt ciuiũ vnitas, neque malignorum cuſtodia, ſed ſubuerſio. Si forſitan vt aliquando res ſe habent feruor amoris offenderit in hanc ciuitatem quærendo dilectum, ſi ſe cum ſuis oſtenderit ſathanas in angelum lucis transformatum. Si præterea neſcius amor Chriſti ebrietate quæſierit: Nunquam diligit

Digitized by Google

ligit anima mea vidiſtis. Si denique nihil ſibi reſpondentibus pertranſierit, & paululum poſt dilectum inuenerit, ſiue potius in meliorem partem ciuitas accipitur de cœleſti vel ſupercœleſti Hieruſalem. Sunt pro vtroque doctorum ſententiæ, prout in quinto capite. Percuſſerunt me & vulnerauerunt me, &c.

Amor hic ſi pro bona ciuitate ſteterit & cuſtodibus eius, animaduertendum eſt quod ſi Deus ſolus det gratiam & gloriam cum primis actibus ſuis, nihilominus ſecundos actus quos exercitia dicimus & operationes actuales, cooperantur & adiuuãt in via ſimul & patria ciues cœleſtes, quos dicit Apoſtolus omnes adminiſtratorios ſpiritus, quibus attribuit Dionyſius tres actus Hierarchicos, purgare, illuminare, perficere. Nominãtur autem in his canticis filiæ Hieruſalem, quas alloquitur frequenter amor feruidus, aliquando ſub hoc nomine, aliquando ſub determinatione, vt ibi fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo, petens haud dubium ſolamen ab ipſis anxij amoris vulnerati charitate in cella vinaria pietatis.

Amor voti compos ſubdit. Tenui eum nec dimittam, det aliquid ſimile cum pſalm. in abundãtia ſua. Non mouebor in æternum. Et rurſus: Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ. Donec introducam illum, non prorſus introduceret niſi ſimul introduceretur. Domus autem matris ſuæ diuinæ ſcilicet ſapientiæ dicitur anima ipſa ſecundum latitudinem capacitatis ſuæ vniuerſam, cubiculum verò genetricis ſuæ eſt eadem anima ſecũdum apicem ſublimiſſimum & ſimpliciſſimũ mẽtis ſuæ, vbi genitrix ſua ſapiẽtia idealiter ſibi quodammodo propria quæ per creationem mater eſt omnium viuentium, ſola requieſcit, vbi mẽs amat arctè manens cum qua non communicet alienus ſolus cum ſola moratur zelotes ſponſus adiurans vt prius, & zelans pro quiete ſpõſæ: Adiuro vos, &c. Amor quo quietior in communi cubiculum tenet dilectum eo iugiter in ſublimiores theorias aſcendit, quod admirando filiæ Hieruſalem dicũt: Quæ eſt iſta, &c. Aut certè intelligamus ſponſum ab amplexibus experientia ſemotum ad tempus, vnde mens deuota compungitur ad pium & humilem affectum qui per virgulam fumi ex aromatibus deſignatur. Amor rurſus in lectulum pacifici Salomonis admittitur cum cuſtodia angelorum quam virtutum omnium, cardinalium & ſupernaturalium, quarum numerus per ſexaginta fortes deſignatur contra timores nocturnos inſidiantium vitiorum ex dæmone mundo & carne.

Amor iterum tanquam vehiculum & ferculum pacifici, Salomonis, defert ipſum per ſubleuatæ mentis actum, qui gradatim conſurgit à columnis infimis per aſcenſum purpureum in medijs charitate conſtratum vſque ad reclinatorium aureum ſublimis & quietiſſimæ charitatis.

Amor denique decoratur diademate per matrẽ ſapientiam, quale diadema ſibi dedit, & eo circũdedit in die deſponſationis & lætitiæ cordis ſui. Hanc diem rationabiliter intelligimus horá qua per baptiſmi gratiam factũ eſt illud de Eſaia: Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me Dominus veſtimẽtis ſalutis virtutũ omnium cœlitus infuſarum & indumento iuſtitiæ, Chriſto ſcilicet qui eſt ſol iu-
A ſtitiæ circundedit me, ſicut in Apocalypſi. Viſa eſt mulier amicta ſole, & in capite ei⁹ corona ſtellarum duodecim. Sequitur concorditer ad præmiſſa, tanquam ſponſum decoratum corona, & ſponſam ornatam monilibus ſuis. Eſt aliud in hac excitatiua voce: Egredimini filiæ Syon & videte, quod altius ſcrutandum eſt præſtãte eo qui dixit: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Ingredietur & egredietur & paſcua inueniet. Egreſſus iſte ponitur à doctoribus deſide-
B rabilis viſio pacifici, Salomonis Chriſti ſecundum humanitatem. Ingreſſus verò ſecundum diuinitatem, propter quæ duo dicitur liber ſcriptus intus & foris, & vtriuſque hominis corporalis & ſpiritualis refectio. Cæterum filiæ Sion & ſi poſſint intelligi ciues Angelici Hieruſalem qui deſiderãt aſpicere regem Salomonem Chriſtum totum deſiderabilem intus & foris, conuenienter etiã viatores homines & comprehenſores accipiuntur, quos exhortatio talis & ad meritum excitat & ad præmium inuitat, quoniam viſio eſt tota merces
C cum amore qui viſionem ad ſe trahit. Vbi amor, ibi oculus. Et quoniam amor vulnerat, ſubſequitur ipſa manus vis actiua, vbi vulnus, ibi digitus. Cor denique ſociatur, quoniam amor eſt infinitus theſaurus hominibus, ſicut & mater ſapientia, mater inquam pulchræ dilectionis. Vbi verò theſaurus, ibi & cor. Porrò quæ ſit mater regis Salomonis quæ coronauit eum, & quo diademate in die deſponſationis illius & in die lætitiæ cordis eius. Concordant Iudæi per regem Salomonem
D in canticis iſtis accipi Deum ſponſum ſynagogæ, ſed incarnationem eius negant, quam doctores Catholici concludunt ex hoc loco, oſtendentes oportere per matrem illius non aliam quam Mariam Dei genitricem denotari, & conſequenter ſynagogam de qua corporaliter natus eſt Chriſtus de ſemine Dauid ſecundum carnem. Deſponſatio proinde & coronatio Salomonis accipitur Dei incarnatio & vnio cum humanitate in vnitãte ſuppoſiti verbi quando verbum caro factum eſt, & circundedit mulier virum coronan-
E do ipſum diademate carnis cum vniuerſitate virtutum. Synagoga verò coronauit eum diademate ſpinarum, quando formauit & deſponſauit ſibi Eccleſiam, & dotauit de latere ipſius dormientis, quando exiuit ſanguis & aqua ad ſacramentorum conſtitutionem. Sed quomodo fuit iſta dies lætitiæ cordis eius, ſiue referatur ad matrem ſiue ad Salomonem deſponſatum? Fuit quidem dies illa amaritudinis & triſtitiæ ſecundum infirmitatem carnis, ſed ſummæ lætitiæ ſecundum promptitu-
F dinem ſpiritus, quando conſummatum eſt deſiderantiſſimæ Redemptionis noſtræ totum opus.

Amor igitur ad illum grandius, nullum admirabilius nullum amicabilius ſpectaculum poterit inuitare deuotas animas Sion ſpeculandum, videndum & amandum, dicente Apoſtolo manifeſtè: Magnum eſt pietatis ſacramentum quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt in gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria, quoniam videmus (vt alibi ait) Chriſtum propter paſſionem gloria & honore coronatum.

At verò grandis oritur hic inter doctores quæſtio. Vtrum ſine paſſione & morte crucis Chriſtus fuiſſet gloria & honore coronatus & per incarnationem Eccleſiæ deſponſatus, hoc eſt quærere terminis vſitatioribus: Nunquid Adam nõn peccante Dei filius fuiſſet deſponſatus cum humanitate? Sunt ad vtrámque partem gratæ ſimul & deuotæ rationes, quas ad compendium ponit Dominus Bonauentura in princ. 3. præmiſſa diſtinctione, quod de incarnatione eſt loqui dupliciter. Eſt enim incarnatio carnis aſſumptio. De carne autem aſſumpta eſt loqui vel quantum ad ſubſtantiam, vel quantum ad defectum paſſibilitatis. Si ſecundo modo conſtat quod homine non peccante carnem mortalem nõ ſumpſiſſet. Si primò modo probabile eſſe dicit & amplius conſonum rationi quod præcipua ratio incarnationis fuit perfectio multiplex ſurgens ex dignitate illius operis. Incarnatio enim facit ad perfectionem hominis, & per conſequens ad perfectionem totius vniuerſi in hoc quod complementum dat humano generi quoad naturam gratiam & gloriam. In incarnatione enim eſt conſummatio modorũ educendi homines in eſſe & ad perfectionem agẽtis in hoc quod homo qui eſt vltimus coniungitur ſuo principio vnione qua ſub Deo nulla eſt maior, & ſecundum gratiam omnia corporis myſtici membra ratione plenitudinis veritatis & gratiæ in capite Chriſti. Facit iterum ad perfectionẽ meriti & oblationem cõpletiſſimi ſacrificij. Nullum enim donum poteſt placabilius offerri Deo, quæ tamen oblatio non reſpicit ſtatum ſolius naturæ lapſæ, ſicut nec meritum pro ſtatu vitæ, nec præmium pro ſtatu gloriæ, ſi natura manſiſſet ſine culpa. Denique completus eſt totius naturæ appetitus dum per opus incarnationis nobiliſſima idoneitas quæ erat in natura humana ſecundum quam vnibilis erat diuinæ complementum accepit, & ex conſequenti quælibet creatura cum qua humana quodammodo participat.

Sed neq; videtur quin nobiliſſima anima Chriſti principalius fuerit intenta formari ad ſui glorificationem quam occaſionaliter ad lapſorum reparationem. Proportionaliter de anima Mariæ, immò de tota electorum Eccleſia quæ tale caput ſibi conforme in natura poſcebat habere. Amor pietatis & nimiæ charitatis diuinæ cum auctoritatibus ſanctorum, pijſſimum mouit animum huius doctoris Bonauenturæ declinare ad alteram partem quod ſi non fuiſſet exceſſus præuaricationis in humano genere, non fuiſſet exceſſus nimiæ dilectionis in incarnatione, verumtamen pace ſalua tam honorati dilecti doctoris, præmiſſa poſitio nihil derogat pietati fidei vel deuotioni fidelium, ſed accumulat quodammodo, accendit & firmat.

Conſideremus itaque iuxta modum intelligẽdi humanum de impartibili & ſumma non vnica, ſed vna diuinitate, ſigna quædam in hac materia, non vt quidam ſubtilizare volentes ſigna in ipſa re quæ Deus eſt ſignauere. Concipiamus igitur noſtro concipiendi modo groſſo, quales ſunt cogitationes hominum diſtantes in infinitum à cogitationibus Dei. Cogitemus Deum in æternitate ſua quæ nunc eadem eſt, quæ fuit ante mundi conſtitutionem. Propoſuit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & bonitatis communicare ſe creaturis A ad extra, maximè rationabilibus & intellectiuis. Propoſuit tunc velut in primo ſigno formare naturam angelicam, quod & fecit in creatione cœli & terræ. Sit ſecundum ſignum lapſus angelorum, quem vidit perpetuò deſerendũ, neque reparandum per eoſdem angelos. Sit tertium ſignũ formatio hominũ ad perfectionẽ vniuerſi, & velut occaſionaliter ad reparationẽ lapſus angelici. In quo ſigno videtur rationabiliter aſtruendum naturam humanã quæ nunc in Chriſto eſt, vt perfectiſſimam fuiſſe præuiſam & prædeſtinatam ad gloriam hypoſtaticæ vnionis cum B carne impaſſibili. Sit quartum ſignũ præuiſio lapſus humani cum præuiſione & propoſito reparãdi. Sit quintum ſignum modus reparationis qualem nunc credimus & videmus. Quibus ſic imaginabiliter phantaſiatis, potius quam intellectualiter in Deo poſitis. Videamus ſi pietas & nimia charitas Dei & benedictiſſimi filij ſui ſaluatur, dũ dicimus quod filius Dei prædeſtinatus ad gloriã ſuſcepta carne impaſſibili, iuxta tertium ſignum C ſuſcepit paſſibilem, iuxta quintum ſignum. Nonne fuit hic exceſſus nimiæ charitatis quia fuerat nimius exceſſus iniquitatis, vnde canit Eccleſia: Quæ te vicit clementia vt ferres noſtra crimina, crudelem mortem patiens vt nos à morte tolleres. Ipſa te cogat pietas vt mala noſtra ſuperes, &c. Dicit Euangelium quod in transfiguratione Chriſti apparuerunt Moyſes & Helias loquentes ei de exceſſu quem facturus erat in Hieruſalem, talis enim fuit exceſſus pietatis & miſericordiæ, vt iuſtitiam ipſam tanquam ream damnaret D ad mortem, mortem autem crucis conſentiente iuſtitia, quæ rurſus nunquam in exceſſu tali conſentiet, ſed dum acceperit tempus iuſtitias iudicabit.

Saluat iſta poſitio qua ratione dixerat Apoſtolus matrimonium Euæ & Adæ nõdum peccantiũ fuiſſe ſacramentum magnũ in Chriſto & Eccleſia, etiam ſi abſque peccato permanſiſſent. Fuiſſet ergo Chriſtus cum Eccleſia quamuis in habitudine altera & ſtatu immortalitatis ſine paſſione mortis, ſine mortuorum ſuſcitatione, ſine damnatione E iniquorum, qui facti ſunt quaſi pro nihilo vltra prædeſtinatos ad gloriam & ſaluandos.

Adam etiam non peccãte amor nimius increatæ charitatis ad homines per myſterium & deſpõſationem incarnationis filij Dei, cum humana natura fuiſſet oſtenſus ad grande ſpectaculum, & ſi non in precium redemptionis ex quo nullus peribat, tamen valuiſſet ad gratiſſimam oblationẽ Deo de filio proprio ad mutuam communicatio-F nem membrorum ſub vno capite connexorum. Rurſus ad ſurſum actionem per contemplationẽ & ad meritum denique perfectam fruitionem & completam ad præmium. Vtrum verò dies deſponſationis & coronationis filij Dei fuiſſet ab initio ſeculi, Adam ſtante vel in termino vel citra terminum, ſicut modò fuit in nouiſſima hora quamuis dicatur Agnus fuiſſet occiſus ab initio ſeculi ſcilicet in figura Abel & præſcientia Dei. Si præterea lucifer vidiſſet, verbum incarnandũ, & videns inuidiſſet, peccaſſet & odiſſet. Si proinde filius incarnatus conuerſationem habuiſſet corporalem cum hominibus, vel ſacramentalem,

Digitized by Google

lem, vel vtrámque. Si præterea carnem ſumpſiſſet ex virgine Maria vel per creationem humanitatis aut alio modo, videtur ſuper his & ſimilibus tranſeundum potius quam curioſè ſcrutandum cum ſuper his nihil tradiderit ſcriptura pietatis, niſi forte quantum pia mens ex traditis coniectura poteſt ad deuotionis augmentum. Sed neque audiendi ſunt qui myſterium incarnationis per rationes neceſſarias ſe putant vel conantur concludere. Tunc enim manifeſtius fuiſſet angelis ab initio demonſtratum propter perſpicuitatem ingenij, cum dicat Apoſtolus: Myſterium hoc à ſeculis abſconditum. Quoniam ex ſolo Dei præordinantis arbitrio, non ex connexione cauſalitatis neceſſariæ pro perfectione mundi vel aliter, omnia generaliter quæ extra fecit Deus purè contingenter effecta ſunt. Qua ſuper re paruulus effectus eſt dialogus pro intellectu ſanctorum quorundam in hac parte loquentium tanquam oportuerit Deum neceſſariò carnem aſſumpſiſſe. Poſtremò quam vtilis & admirabilis ſit egreſſus filiarum ſion deuotas animas ſignificantium, ad videndum per contemplationem regem Salomonem Chriſtum in diademate quo coronauit eum mater ſua Maria ſcilicet vel ſynagoga, hæc diademate carneo, iſta ſpineo, per multos moraliter & ſapienter vberrimè tractatum eſt.

SYMPSALMA SEXTVM IN QVO ponuntur quatuor proprietates, ſcilicet: 28. 29. 30. & 31.

Pulcher amor totus, per ſingula membra videndo.
Vulnerat & miris delicijs redolet.

Amor ſicut conſtat nullis dimenſionibus corporis, nullis quoque membris diſtinguitur ſicut nec anima rationalis quanto minus ipſe Deus? Nihilominus doctrina pietatis nobis infantibus quaſi balbutiendo condeſcendens vtitur ſimilitudinibus corporeis. Deus præterea quamuis ſit ſimpliciſſimus, accipit nomina ab omnibus rebus. Sic anima rationalis quæ quodammodo eſt anima tanquam imago illius qui creauit omnia. Sic inſuper amor eius liber aſſimilans eam Deo, ſortiuntur ab omnibus rebus nomina per ſymbolicā trāſumptionem, non per proprietatem. Amor idcirco cum amante deſcribuntur ſub multa varietate troporum, vt vel ſic habeatur manuductio ad inuiſibilia qualicumque modo & abſque faſtidio capienda. Cæterum ne fortaſſis hebes aliquis hæreret in ſimilitudinibus quaſi proprijs, prouidit doctrina pietatis dare ſimilitudines ſtatim aſpectu primo ſtultas ad literam neque vllatenus credibiles, vt quod capilli ſponſæ ſint ſicut greges caprarum, & dentes ſicut greges tonſarum &c. qualis improprietas mox inducit non hærere, ſed intelligere, hoc eſt intus legere ſenſum altiorem & proprium.

Amor rurſus commendatur hic à ſponſo de multiplici pulchritudine & efficacia & voluptate ſatis conuenienter ad finem præcedentis ſympſalmatis. Vnde ſeptimum inchoat dragma: Egredimini & videte &c. Eſt autem in ſpeciali quadruplex hoc loco per repetitionem inſinuata amoris pulchritudo cum quadam admiratione. Quam pulchra es amica mea? hoc eſt dicere: Amor meus repetit quam pulchra triplicat oculi tui columbarum. Concludit quartum nobis incomprehenſibile abſque eo quod intrinſecus latet.

Amor vt in prima partitione latius expoſitum eſt. Vnus eſt naturæ rationalis alius induſtriæ, tertius gratiæ, quartus gloriæ. Quam pulcher primus qui factus eſt ad imaginem Dei & ſimilitudinem. Quam pulcher ſecundus tanquam actus ex primo progrediens, dum vero ſuperinfunditur gratia, fit ſimplificatio longè pulchrior inſtar columbarum. Quantæ verò ſit pulchritudinis formoſitas amoris per gloriam expolita & perfecta intrinſecus, latet omnes præter Deum, quoniam ipſe pulchritudo eſt amoris obiectalis qui lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, modo quo ſe videt actu infinito.

Amor ſponſæ continet motum, ſenſum & delectationem, ſacietatem circa Deum ſponſum totum deſiderabilem. Quotquot igitur ſimilitudinibus ſymbolicis fiat in his canticis & alijs circumlocutio de ſuis conditionibus intrinſecis, omnia reſoluuntur ad iſtas ſpiritales & paucas, alioquin litera occideret non ſi viuificaret ſpiritus. Collaudatio ſiquidem ſenſuum carnalium ſponſæ refertur ad cognitionem intellectualem quæ non multiplicatur per organa viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus. Collaudatio præterea motionum & diſcurſuum ſponſæ refertur ad actionem liberam voluntatis, quæ nec pedes habet, neque linguam, neque manus. Collaudatio denique pulchritudinis & placibilitatis oculorum variorum quibus incitatur ad ſenſum & motum delectabiliter ipſa voluntas cum intellectu ſuo, refertur ad bonitatem finis vltimi Dei, circa quem mouetur, ſentit & delectatur, ſicut viceuerſa quicquid pulchritudinis & placibilitatis ſeu diligibilitatis miratur in ſponſa, totum refertur ad vnicam & radicalem pulchritudinem charitatis, cum ſuis virtutibus tanquam ramis, quæ requiritur & ſufficit vt placeat ſponſo & dicat: Dilectus meus mihi, ſupple ſufficit, & ego illi ſufficio, prout infra dicetur: Vna eſt columba mea &c.

Amor ſponſæ probatur delectabilis ex multis quæ ſponſus operatur & laudat in ipſa. In quibus dicit ſe delectari, iuxta illud: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, non formaliter, ſed cauſaliter quia facit effectualiter delectari, vt eſt illud: Lætabitur Dominus in operibus ſuis. Quæ conſideratio cum præcedente ſummè notanda eſt & iugiter retinenda ne litera nos decipiat. Ne præterea neceſſe ſit ſingillatim exponere ſignificationes ſymbolicas terminorum quæ per expoſitores alios diſcuſſæ ſunt, & in ſcintillas ſpirituales euolutæ.

Sunt autem plura quæ delicias amoris ſpiritualis reddunt commendabiles præ voluptate carnis. Dignitas, puritas, connaturalitas ſeu conformitas, intimitas præterea, continuitas, ſecuritas. Iterum mediocritas vel æquabilitas, ſtabilitas & ſanitas, poſtremò ſatietas. Amor ſponſæ delicioſus eſt, quia dignus & nobilis, purus & generalis,

Digitized by Google

ſeu conformis amori primo fontali, cuius imago eſt & gloria. Vnde pro regula: Laus amoris creati gratuiti maximè eſt laus increati gratiam hanc infundentis, ita quod vnus & idem amor eſt Dei & animæ, ſed Dei vt agentis, animæ verò vt recipientis & cooperãtis ad actum. Quemadmodum verecundus eodem rubore coloratur à verecundia cauſaliter, & ab ipſa rubedine formaliter. Nullus enim eſt qui neſciat delectationem in amore carnali non habere dignitatem neque nobilitatem neque connaturalitatem conformem menti quæ eſt altior facta quam vt in ſolis infimis delectetur. Nihilominus per ſimilitudinem notam mulieris pulchritudinem allicientem & delectãtem obiectaliter, accipitur formoſitas mentis inuiſibilis cum circunſtantijs delicias augentibus, ſicut laudatur hic amor ſponſæ, cuius eſſe cantat ſponſus oculos columbinos & ſimplices, capillos mundos, prolixos, ſubtiles, ex alto defluentes dentes candidos & mundos, nec infertiles, labia inſuper compreſſa, non tumida nec pallida, ſed ſicut vita coccinea apta crines comprimere & ornare. Eloquium præterea elegans, eloquium dulce, quia lex clementiæ in lingua eius. Genas quoque rubicundas ex intimo vigore. Collum forte rectum & ſtabile, vbera grata neque tumentia quaſi mons myrrhæ & collis thuris. Denique cõcludit: Tota pulchra es amica mea & macula nõ eſt in te. Inuitatur ſimul venire de cœleſti conuerſatione, quæ ſimilis eſt monti libani, cuius interpretatio notat candidationem, vt coronetur æterna plenæ felicitatis iocunditate, deuictis ex omni parte contradictionibus hoſtilibus quę notantur in Amana, Sanir & Hermon ſecundum interpretationes ſuas. In leonibus inſuper & pardis.

Amor proinde tantæ virtutis eſſe prædicatur, vt in vno oculorum ſuorum, & in vno crine colli ſui, vulnerauit cor omnipotentis, quod vtique cor vel nullum vel non vulnerabile conſtat eſſe. Sed hæc omnia per ſimilitudinem dicta ſunt, nõ proprietatem prout & cætera quæ repetuntur & adducũtur in delicijs ſpõſæ qualia ſunt pulchritudo mammarum & vberum cum odore vnguentorum ſuper omnia aromata. Labia inſuper quaſi fauus diſtillans. Sub lingua quoque mel & lac, & odor in veſtimentis ſicut odor thuris, quia veſtimenta conuerſationis honeſtæ, redolent ſacrificium cœleſte. Et quoniam plurimum confert ad delicias, ſpecioſitas, amœnitáſque locorum laudatur, ſoror & ſponſa ſicut hortus concluſus, ſecurus ab incurſibus vaſtantium beſtiarum. Et ſicut, fons ſignatus, non perturbatus, cuius horti cum fonte, ſunt emiſſiones tanquam paradiſus malorum punicorum cum pomorũ fructibus, & vniuerſaliter cum omnibus aromaticis arboribus & lignis libani, ex quibus fertilitas virtutum, donorum beatitudinum cum fructibus ſpiritus inſinuatur, concludendo continuã, indefectibileq; gratiarum mundiſſimam & inſuperabilem copiam ex alto cum impetu, cui nihil paluſtre poteſt obſtare venientem.

Amor inſuper mitas habet delicias ex intimitate obiecti, continuitate ſubiecti, ſecuritate ſpei. Itaque ſecura mens ſicut iuge conuiuium, quaſi ſecuritate gaudebat Apoſtolus. Certus inquit ſum
A quia neque mors neque vita &c. Continuitas præterea vel inuariabilitas ſubiecti intelligibilis plurimum confert ad ſtabilitatem delectationis quo contra ſubiectum delectationis libidinoſæ vel carnalis in continua mutatione iocunditatem eandem continuare non poteſt, quo fit vt variata diſpoſitione ſenſus organici varietur effectus vt cadat in faſtidium vel abominationem, quod modò cauſabat delectationem, ſicut in cibis & potibus & venerijs, in odoribus & cantilenis. Quod ſi delectationes ſpirituales recipiant tranſ-
B mutationem circa diuina & perpetua, hoc nõ eſt de per ſe ſubiecto animæ, ſed de per accidens ex connexione ad corpus pro tempore vitæ. Sed ponamus qualiter erit in gloria corpus plenè obſequens eſſe rationi nec paſſionabiliter diſcraſiabile, gaudium animæ de Deo etiam in ęnigmate viſo & amato eſſet perpetuum. Amor poſtremò ſerenitatem conciliat, ſanitatem confert, affert ſatietatem, contra ſunt in amore carnali, turbiditas, infirmitas, inſatiabilitas. Ratio diuerſitatis eſt
C conformitas boni amoris ad primam regulam charitatis ad Deum in bono amore, difformitas autem in malo. Quis autem reſtitit Deo & pacem habuit? Sed neque pax impijs ait Dominus, ſed hominibus bonæ voluntatis. Eſt autem bona voluntas tua dicens ex ſententia Deo: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Super qua conformitate maximè ad voluntatem permiſſionis quæ magis indignatio eſt & priuatio quam volitio vel poſitio, quædam alibi notata ſunt in vulgari.

D

SYMPSALMA SEPTIMVM IN quo ponuntur quinque proprietates, ſ. 32. 33. 34. 35. & 36.

Dormit amor, liqueſit, paſſus quoq; vulnera languet.
Laudat dilectum, iactat amicitiam.

Amor loquitur: Ego dormio & cor meum vigilat, ſed velut in diapſalmate recogitemus ordi-
E nem. Collaudata fuerat præcedenti ſympſalmate multipliciter ſponſa vſque in finem quarti capituli vbi concluſerat ſponſus optabundus immo imperioſus, ſurge, hoc eſt diſcede, aquilo, quaſi ligans aquas ventus gelidus delicijs contrarius amoroſis, & veni auſter, calentes ſpirans auras, perfla hortum meum, qui proculdubio ſimul eſt ortus animæ, de quo in Eſaia. Et eris ſicut hortus irriguus, & ſicut fons aquarum ſapientiæ ſalutaris, cuius non deficient aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam conſonè ad textum prius expoſi-
F tum: Et fluant aromata illius, quo perflante diſcedunt phantaſmata, dantur chariſmata, reſonant idiomata, voces diuerſas intonant &c.

Amor dehinc ſponſæ congratulans lætus & aſſentiens. Incepit octauum dragma dicens & optans: Veniat dilectus meus in hortum ſuum, efficienter, meum tamen effectualiter vel in effectu.

Porrò finis inuitationis eſt, vt comedat fructum pomorũ ſuorum, i. comedere faciat, nũc vt pluries ex-

Digitized by Google

expoſito. Reſpondet dilectus applaudens & blādiens: Veni in hortum meum, præueniens votum tuum, ſoror mea, & ex affinitate paterna ſecundum diuinitatem, & materna ſecundum humanitatem, ſponſa mea, in fide & charitate, in miſericordia & miſerationibus, in iudicio & iuſticia in ſempiternum, Meſſui, colligens, myrrham meam, bonæ operationis, quæ ſicut electa dat ſuauitatem odoris, quoniam ab omni fœtore vanæ gloriæ putreſcentiſque luxus aliena eſt, cum aromatibus meis, virtutum & donorum ſuauiſſimis. Comedi, quia comedere te feci, fauum cum melle meo, quoniam ex humanitate mea & diuinitate cibus procedit amoris, ſimiliter & potus vini deitatis cum lacte humanitatis. Sequitur proinde quaſi generalis nimiumq; liberalis inuitatio: Comedite amici & bibite, quia menſa ſapientiæ parata eſt, & inebriamini chariſſimi. Sic plus eſt eſſe chariſſimum quam duntaxat amicum, ita maius eſt inebriari quam ſolum bibere. Tunc intelligendum eſt ſponſam tanquam verè chariſſimam in delicijs prout infra laudatur obdormiſſe præ ebrietate ſpiritus & dixiſſe quod ſequitur in nono dragmate: Ego dormio & cor meum vigilat. Amor, incipit hic ſeptimum ſympſalma, dormire ſe dicens & cor ſuum vigilare. Felix ſoporatus cum tali vigilia. Quantum putas differat à ſomno veteris hominis & carnalis. Fumant ex corde & ſtomacho vſque ad cerebrum vbi eſt ſedes proxima ſenſus communis, qui vocatur ab Ariſtotele primum ſenſitiuum. Fumant inquam exhalationes quæ ex frigiditate cerebri repercuſſę fiunt graues, & groſſicie ſua opilant vias ſenſuum, quo fit vt ſpiritus animales ſenſituri, qui ſentiri dant inſtrumentaliter trāſire nō poſſunt. Fiet præterea quies & ceſſatio ſenſualium operationum fatigatarum ex vigilia. Neque iam res videntur, ſed vel nihil vel earum ſimulachra quandoque ſomniare contingit. Fit deniq; confortatio ſpirituum naturaliū & vitalium. Amor verò noui hominis ſomnium patitur & ſomnium ex illuminationibus deſuper aduenientibus, quando veræ res aſpiciuntur aut ſentiuntur, æternæ ſcilicet & phantaſiæ rerū mutabilium ceſſant illudere. Reuera nonne tēporalia ſi conferantur æternis illa potius ſimulachra rerū dicenda ſunt quā veræ res. Ceſſant autem huiuſmodi temporalia cogitari quando dormit amor per contemplationem. Sed cor mentis vigoratur vt vigilet ad inſpiciendum ſempiterna dilecti ſecreta, quibus alloquitur dilectam audire potentē, quia dormit à terrenis, & vigil eſt ad Domini cœleſtis aduentum. Vox inquit dilecti mei pulſantis, Sic in Apocalypſi proteſtatur: Ecce ſto ad oſtiū & pulſo. Aperi inquit, mihi, blādiens ex quadruplici nomine totaliter amoroſo ſatis expoſito vel exponendo. Soror mea amica mea, columba mea, immaculata mea, dehinc intelligendum eſt cur vocet & pulſet? Nimirum vt feruentior per exercitium ſuſcitetur amor qui notatur aliquantiſper ex otio tepeſcere. Propterea transfigurat in ſe teporem iſtum dilectus, dicens, quia caput meum plenum eſt rore, qui vtique frigidus eſt, & cincinni mei, capilli ſcilicet cogitationum intentionum criſpantes & in altum recurui pro deſiderio cœleſtium, guttis noctium, quæ tamen rore ſimiles

A ſunt, aut ros ipſe, conſonant hinc intelligentiæ noſtræ & ſi multiplex altera ſit reſponſio amore dormitantis & quaſi ſomniculosè pigreq; vigilātis. Expoliaui me tunica mea, curarum forentium, quomodo induar illa? Laui pedes meos, affectionum à luto & puluere phātaſmatum, quo inquinabo illos, ambulādo rurſus per vias terreſtrium? Amor, quia non ſatis excitatus à voce videtur, tāgitur à manu. Senſit hoc amor ipſe iam factus alacrior ex tremore diſplicendi cum ſollicitudine complacendi. Dilectus inquit, meus miſit manū

B ſuam, quæ eſt vis operatiua intima, per foramen, occultum animæ penetrans & illabens vſque ad ventrem qui inferius amoris ſedem habet. Surrexi, proximior in amādo, vt aperirem dilecto meo, nedū vocanti iā & pulſanti, ſed interius operanti. Manus meæ, quatenus eſſent puriores ad amplexum ſponſi, ſtillauerunt myrrham primam, coinquinationis expulſiuam & digiti mei, diſcretionis tenentes prolem ob ſimilem cauſam ne corrumperetur operatio, myrrha probatiſſima, probata ex induſtria virtuoſæ pœnitentiæ & veniæ, pro-

C batior ex conſecutione gratiæ, ſed probatiſſima ex certa ſpe gloriæ. Vel probata per fidem, probabilior per ſpem, probatiſſima per charitatem. Peſſulum oſtij mei, quod aliter nominatur vectis *verreul* gallicè, aperui dilecto meo, quia rigorē omnem oſtium mei conſenſus obcludentem amoui. At ille declinauerat atq; tranſierat, ita vulgo dicitur: Qui non vult dum poteſt non poterit cū volet. Nunquid non iuſta eſt talis ingratæ tarditatis mulctatio. Quę tamen conuertitur & cooperatur

D in bonum futuræ ſollicitudinis amplioris. Amor itaq; & ſi dicat peſſulo amoto, apertoque oſtio, quod dilectus declinauerat atque trāſierat, nihilominus multum confitetur vocem, pulſum & tactum dilecti valuiſſe. Anima mea inquit, liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt. Non excludit pulſū cum tactu, quorum vehementior virtus eſſe ſolet quam ſolius vocis. Quid autem ſit iſta animæ liquefactio coniecturamus ex materiali qualis ſit in niue, qualis in cera recenti ad ſolares radios, quoniam fit ſeparatio partium heterogeniarum ab

E homogeneis, & è contra & quod remanet non ſe continet iam ſub terminis proprijs, ſed alienis, vt in continente vaſe ſeu loco. Fit per contrarium in multis obduratio, quæ cedere neſcit agenti ſe penetrare conanti. Ideo cæcus amor igneus, maximè ſpiritalis & cœleſtis facit liqueſcere cor piū vt tenerum malè habebit in nouiſſimo. Porrò duricies iſta quomodo cauſetur & quid eſt illud Apoſtoli: Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, non mediocris eſt quæſtio. Siquidē

F Deus neminē deſerit, niſi prius deſeratur per auerſionem ab eo & peccatum, ſed deſertione facta cadit homo in profundum & contemnit. Cōtemnenti verò Deus non dat gratiam, ſed reſiſtit. Ac proinde non emollitur cor nec liquefit ad gratiæ ſuſceptionem, tandem pœna dānationis infligitur & obduratio confirmatur. Cauſa igitur obdurationis eſt voluntas auertens, & hæc incitat voluntas reſiſtens, & hæc continuat, culpa promerens, & hæc confirmat, Deus gratiam, non dans, & hæc non liberat, Deus iuſtè puniens, & hæc ordinat.

Digitized by Google

Amor patitur vulnera: Inuenerunt me cuſtoſtes, inquit, qui cirumeunt ciuitatem, ciuitas & ſi poſſit in bonum accipi cum cuſtodibus ſuis, angelis & prælatis, quorum bonæ ſunt percuſſiones & vulnera ſanctæ compunctionis amoto pallio vanitatis. Attamen cuſtodes iſti qui circumeunt intelligi poſſunt de peſtifera gente illius ſathan, qui circumit terram & perambulat ciuitatem peccatricem, in cuius medio ſunt iniquitas & dolus & babylonica confuſio. In quo ſenſu ſi textus pręſens accipitur, conſequenter ſponſa zelans amorem ſponſi incurrit vt ſit intercurrendum, in aſpectu confuſionis horribilis, quia videt iniquitatem & contradictionem in ciuitate, quid vulneretur ſentiens cum Apoſtolo: Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis ſcãdalizatur & ego non vror? Sic enim pentapolis peccatrix aſſligebat nequiſſimis operibus animam iuſti Loth, non flagellis corporalibus. Eſt autem apud Eſaiam pallium laudis quod dandum erat pro ſpiritu mœroris, nunc autem ex aduerſo concipit zelus amoris ſpiritu mœroris ſublato pallio laudis. Nã quomodo cantaret canticorum domini in terra babylonis aliena? Amor præterea quoad proprietatem alteram languet exclamans: Adiuro vos, fortis obſecratio, Filiæ Hieruſalem, ſupernæ ciuitatis, ſi inueneritis dilectum, immo quia vobiſcum eſt, vt annuncietis ei, qui nouit omnia, quia amore langueo. Sanè quia læditur amor & honor ipſius, nequeo non languere, quoniam multum valeo pręſtare remedium, zelus enim domus ſuæ comedit me. Et quia tot mala quæ video tollere non valeo, cum languore tolero & gemo. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, & habitaui cum habitantibus cedar tenebrarum harum, neque patet vobiſcum celer ingreſſus ad dilectum. Cupio enim diſſolui & eſſe cum Chriſto. Cupio ciuitatem turbidam deſerere corporis mei vt libera fiat mihi pertractatio ſummi boni ſatians & quietãs. Eſt igitur cauſa languoris mei ex vnico amore ſuo duplex, quoniam læditur à præuaricatoribus, neque mihi plenè poſſidendus citò datur. Fiat vtinam languor iſte mihi in mortem, qualis eſt illa iuſtorum. Amor ſponſæ quo ferueat amplius & feliciter langueat, perflatur interrogationibus filiarum Hieruſalem quaſi neſciarum, vt eſt illud. Adã vbi es? vel potius illud ad Mariam amore lãguentem. Mulier quid ploras? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? Amas enim per amorem O pulcherrima mulierum qualis eſt dilectus tuus quia ſic adiuraſti nos. Reſpondens protinus amor pro conditione ſua laudat dilectum ex viuaci colore: quia candidus & rubicundus, ex ſingulari decore, electus ex milibus, ex ornato vertice caput eius aurum optimum, cuius comæ ſunt ſicut elatę palmarum fortes. ſ. in altum dilatatæ cogitationes, ſicut exaltatur cœlum à terra, cogitationes autem hominum vanæ ſunt. Et quoniam abditiſſimę ſũt cogitationes Dei, neq; comprehendi poſſunt dicuntur, nigrę ſicut coruus. Cæterum commendãtur oculi ſapientiæ eius ex columbina, ſimplicitate mundiſſima & lactea. Et quoniam profunda fluuiorum ſcrutantur, habitant iuxta fluenta ſcripturarum pleniſſima. Genę illius ornamenta faciei formoſæ ac redolentes, ſicut aureolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs, labia eius quibus e-

A narrat ſcientiam labia ſunt diſtillantia, moderatè & abſq; vlla putrefactionis labe myrrham primã, vt eſt illud cum ſimilibus: Beati pauperes ſpiritu & mites, & qui lugent, & qui non habent hic cõſolationem ſuam, ſed flent & eſuriunt. Manus virtutis executiuæ ſunt tornalites, per agilem æquabilitatem, aureæ per ſapientiam, plenæ hyacinthis, cælicæ conuerſationis. Venter, qui vim vel memoratiuam vel generatiuã ſpiritualiter ſignificat, eburneus, eſt per candorem caſtitatis non vrentis, & per ſaphyrorum precioſorum diſtinctio-

B nem in cœlis donis. Crura illius, vſque ad pedum firmitatem ſignãt vias greſſum diuinorum ſecundum miſericordiã & veritatem ſub typo columnarum marmorearum, ſunt ſuper baſes aureas inflexibiliter ſtabilitæ. Species eius, candorem puritatis odoriferæ gerit, vt libanus, & electus eſt inter alios, ſicut cedri, proceritate ſunt imputribilitateq; laudabiles. Commendatur guttur illius ſuauiſſimum, in vi ſpiratiua, ſonatiua & diſtributiua ad inferiora corporis membra. Et quid per multa

C fieret moroſa dinumeratio, totus deſiderabilis. Amor ad extremum quia ſublimius aſcendere nõ poterat ſubiungit: Talis eſt dilectus meus & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem, dilecto dicit amationem ex electione, ſed amicitia addit reamationem & mutuam communicationem. Rurſus quia ſponſus ſumitur à ſponſa, nedum propter communicationem ſed ad filiorum generationẽ. Vbi fundatur communicatio naturæ ſecundum originem filij vel filiorum à patre. Præterea vxor

D in eodem gradu videtur eſſe ponenda quantum ad amorem beneuolentiæ cum filijs, ſecundum quam communicationem magis diligitur filius quam pater, quia filius eſt aliquid eius non autem pater, præſumit igitur ſancta fiducia multum de Deo dilecto, ipſa diligens ſponſa cum addit: Et ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem, quia diligit & diligitur & in ſecretis cõmunicat. Plus denique videtur dictura fuiſſe ſi iunxiſſet, & ipſe frater meus. Quid præterea ſi dixiſſet, & ipſe eſt ſpõſus meus? Quid demum ſi velut excedens audaci

E verbo concluſiſſet, ipſe eſt filius & puer & miniſter? nonne dixiſſet talia conformiter ad ſponſũ ſic loquentem & laudantem, nedum ſponſã pulcherrimam & immaculatam, ſed omnem generaliter qui fecerit voluntatem patris ſui qui eſt in cœlis. Sanè ſuffecit ei fortaſſis laudatio non proprij ſed alieni oris, ſponſi & ſuorum paſtorum & doctorum quaſi paranymphorum inter ſponſam & ſponſum, qui ſponſam vocant verbigenam ſeu deigenam & ita Dei matrem. Ambroſius Hieronymus Auguſtinus Bernardus cũ ſimilibus, quo-

F rum ſcripta patent & ratio certa conuincit ex digniſſima cohabitatione ſponſi cum ſponſa, & eiuſdem per gratiæ ſemen fœcundatione, non ab altero, nec de altero quam de ſeipſo, vt audeat dicere ſponſa inſuper aduentum ſpiritusſancti: Et in obumbratione virtutis altiſſimi, filius meus es tu, ego hodie genui te, in die deſpõſationis meæ, & lætitiæ cordis mei. Quid hoc mirabilius? Vel dicere Deo: Cibus meus tu, ego hodie comedi te.

SYMPSALMA OCTAVVM, IN quo ponuntur quinque proprietates ſcilicet 37. 38. 39. 40. & 41.

Capitulum 6.

IVngit amor ſoli ſolus, perfectus, & eſt par Auroræ, nitidus, ordine terribilis.

Amor vnus & vnicus, ſimplex, perfectus & electus inſinuatur cum dicitur circa medium ſexti capituli: Vna eſt columba mea, ſimplificata videlicet per ſpiritum ſanctum, perfecta mea, cui nihil deeſt eorum quorum eſſe particeps debet. Quæ præterea iuncta eſt mihi perfectè & fini ſuo. Tūc enim perfectum eſt vnumquodq; cum finem vltimum ſuum fuerit aſſecutum, ſicut ex oppoſito omne illud vanum eſt quod fine ſuo caret. Propterea vani ſunt omnes homines in quibus non eſt ſapientia quæ ipſorum finis ſtatuta eſt. Sequitur: [Vna eſt matri ſuę electa genitricis ſuæ.] Mater & genitrix ſponſæ rectè intelligitur eadem increata ſapientia, cuius filia eſt mens anagogicè ſurſum acta. Nam qui ſpiritu ſapientiæ aguntur, hi filij Dei ſunt. Viderunt illam filiæ & beatiſſimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerūt eam. Pendet hæc pars ab illa præcedenti ſexaginta ſunt reginæ, & ſeptuaginta concubinę & adoleſcentularum nō eſt numerus, quæ hic poſſunt intelligi filiæ nuncupari. Sequitur vox admirantium. Que eſt iſta quę progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Hæc pro textu præſentis octaui ſympſalmatis tranſcurſa ſic coniungamus ad præcedentia tanquam pro diapſalmate. Amor fidenter auſus eſt dicere poſt deſcriptas dilecti proprietates, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem. Subiungunt ad incendij fomentum crementumque petitionem. Quo abijt dilectus tuus ô pulcherrima mulierum, quo declinauit dilectus tuus & quæremus eum tecum. Non itaque petunt propter ſe quem liberè poſſident in Hieruſalem cœleſti, ſed ad ſponſam, ideo iungunt tecū. Reſpondet amor in principio ſexti capituli: Dilectus meus deſcendit in hortū ſuum, qui eſt ſubcœleſti Hieruſalem quoad vniuerſos & ſingulos quos gratia facit eſſe quaſi paradiſum in benedictionibus, vt ibi paſcatur in hortis & lilia colligat, ad aureola aromatum, quę omnia ſunt benedictiones meritorum, quibus paſcitur dilectus, & quæ colligit quando remunerat. Amor rurſus quaſi delectatus confabulatione prolixiori ad filias Hieruſalem narrat in ardore ſimplici cordis laudes ſuas ſibi prius attributas à ſponſa cum redditione multiplici. Et ita procedit huius totus capituli ſexti & ſeptimi contextus quaſi ſua ſit alternata narratio, vſque principium octaui, vel paulo ante vbi decimum & vltimum dragma incipit per collationem nominatim ad dilectum & ipſius reſponſionem. Nos autem ex ipſis tria partiti ſumus ſympſalmata ſub triplici verſu nouiſſimo.

Amor igitur colloquium habens cum filiabus Hieruſalem quæ vicem gerunt paranymphorum inter ſponſum & ſponſam, non vt inſtruat eos, ſed vt deſiderio ſuo ſatisfaciat & doceatur, continuat reſponſionem ad interrogationem A factam, immo diffuſa verboſitate ſæpius interrupta dilatat eam: Ego inquit dilecto meo, intendo, & dilectus meus, intendit mihi, qui paſcitur inter lilia, candidorum meritorum ab eo mihi magnificè collatorum, ex quibus me collaudat, dicens, pulchra es amica mea & decora ſicut Hieruſalem, ad cuius exemplar formata ſum atq; pacifica. Quod ſi fidenter dixerim prius, & iſte eſt amicus meus, nolite mirari, quoniam me dignatur totiens amicam nominare cuius iudicio & dono virtutum ſuarum dicor, terribilis B vt caſtrorum acies ordinata.

Amor iterum continuat narrare verba dilecti ad eam: Auerte inquit oculos tuos à me, quorum vnus eſt diſcretiuus ſeu ſpeculatiuus, alter experimentatiuus ſeu practicus, quia ipſi auolare me fecerunt, dicitur in Pſal.: Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus. Hoc verbum eſſe poteſt præſentis intelligentiæ de auolatione dilecti qui ſublimior ſemper apparet, quæ videri ſollicitudine quæritur amphori, ponit enim tenebras C latibulum ſuum. Sequitur laus capillorum, dentium & genarum, prout ſupra quarto capitulo.

Sequitur denique materia præſentis ſympſalmatis iam aperta: Sexaginta ſunt reginæ &c. vſque deſcendi in hortum &c. Fœcundus eſt iſte textus in ſententijs ſi deberent ſingula diſcurri quæ omnia reducuntur ad vnitatem amoris & multiplicitatem eius. Vnitas obiectalis multiplicitas formalis eſt, vnitatem expreſſit Apoſtolus cum totiens dixit: Vnum corpus, vnus ſpi- D ritus, vna ſpes vocationis, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium. Et iterum: Vnum corpus & vnus panis ſumus. Et vniuerſaliter in euangelio Ioannis per totum. Et quid poteſt compendioſius dici quam illud Apoſtoli: Qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt. Quinimmo illud Chriſti de manducante & bibente carnem & ſanguinem ſuum ſacramentaliter: In me manet & ego in eo. Cæterum notati ſunt ſtatus varij in adoleſcentulis, concubinis, reginis. Illuſtrationes inſuper va- E riæ in aurora, luna & ſole. Concluſa ſunt tandem omnia in ordine ſeu coordinatione charitatis, quoniam prius dictum erat: ordinauit in me charitatem. Nunc iterum repetitur, & poſtmodum quantum valeat ordo charitatis & amoris dicendo, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Amor ſi ordinatus ſit, nihil fortius & inimicis terribilius eſt. Conſiſtit autem ordo amoris ad Deum ad ſe, ad proximū. Deriuatur inſuper ordo iſte ab ordine tam ſupercœleſti beatiſſimæ Trinitatis, quam cœleſti angelicæ dignitatis. Et iſte F ordo ſubcœleſtis dicitur monaſticus in homine ſingulariter. Eccleſiaſticus in politia ſpirituali, politicus in regimine temporali, de quibus non eſt hic dicendum per ſingula, niſi quod generalis iſta poteſt regula dari, quod nihil abſq; ordine alicubi pulchrum eſt nihil placens nihil ſtabile. Sunt à beato Dionyſio traditę (ſicut creditur reuelante Paulo) cœleſtes ordinū angelicorū hierarchiæ, ſunt ad exemplar earum traditæ ſubcœleſtes hierarchię, tres monaſticę in eodē homine ſecūdum metaphorā, ſicut loquitur Ariſt. & per tropolo-

Digitized by Google

giam, ſicut loquitur theologus iuncta ſimul anagogia. Tradita eſt hierarchia ſubcœleſtis eccleſiaſtica per allegoriam, maximè iuncta tropologia. Tradita eſt etiam ſubcœleſtis hierarchia temporalis, maximè per tropologiam incedens. Porrò hierarchia ſubcœleſtis monaſtica & eccleſiaſtica, magis ſpectat ad ſympſalma præſens & duo ſequentia. Qua in re poſſet introduci tota traditio Dionyſij de angelica hierarchia cap. 10. cum expoſitionibus ſuis. Tradunt enim quod in homine quolibet nouem officia vel ordines cœleſtium angelorum reperiri debent. Infima hierarchia ſecundum naturam, media ſecundum induſtriam, tertia & ſuprema ſecundum gratiam. Multi ſuper hoc ordine & hierarchijs multa tradiderunt pro ſuo quilibet ſenſu & ingenio. Denique redeunt omnia in vnam de portionibus animæ humanæ ſententiam cum ſuis habitibus & actibus cum relatione. Præterea ad formalem obiectorum rationem, quoniam bonum eſt obiectalis ratio ſolius Dei, & finis vltimus eſt, & hæc in arce reponitur vbi mens amat arce manens vnica vnicum, ſola ſolum Deum. Proinde ratio ſuperior habet pro obiecto ſeipſam, & res ſpirituales abſtractas ſicut angelos, ſubſequitur inferior ratio, deducens ex ſuperioribus principijs concluſiones ſcibiles. Et ex inferiori ſenſualitate ſenſationes experimentales ſenſuum exteriorum & interiorum. Circa quas ſenſationes & ex quibus inferior hierarchia conſtituitur ſicut ex ratione inferiori media, & ex ſuperiori ſuprema.

Prima per naturam, ſecunda per induſtriam, tertia per gratiam iuncta induſtria. Super quas omnes collocatur mens in arce ſion tanquam imago & gloria & ſimilitudo quædam beatiſſimæ Trinitatis. Amor ordinatus habet in qualibet hierarchia quandam ſpeciem Trinitatis ſecundum maius & minus. Hierarchia ſiquidem mentis in arce ſion tanquam ſupercœleſtis imago, immo & deificatio purè gratuitè ſigillata, ſignata & tracta habet Deum, nedum pro cauſa vel principio efficiente, quemadmodum res omnes habent, nedum pro cauſa vel principio formante, vel obiectaliter & vitaliter immutante, quemadmodum capaces ſunt omnes creaturæ rationales ſecundum memoriam, intelligentiam & voluntatem, per diuerſas illuminationes & participationes gratiarum gratis datarum, quales ſunt prophetiæ, dona ſanitatum, dona linguarum, & abbreuiato verbo omnes gratiæ præter gratiam gratum facientem & acceptantem ad vitam æternam, verumetiam per eandem gratiam gratum facientem, ſanctificantem & inhabitantem, quæ reddit mentem ſponſam Dei, chariſſimam filiam, ſororem, cohæredem, amicam, & commenſalem, immo audaciſſimo cum pietate verbo matrem, vnde verbigena vel deigena nominatur. Poſt iſtam quaſi ſupercœleſtem hierarchiã, ſunt in homine ſicut in microcoſmo ſeu minori mundo reparibiles, aliæ omnes hierarchiæ figuraliter tam cœleſtes quam ſubcœleſtes, ſpirituales & temporales. Cuius rei conſideratio manifeſta eſſe poteſt perſcrutanti Trinitatem, inuenibilem eſſe in omnibus his hierarchijs antedictis. Nunquid non habet ſenſualis hierarchia memoriam, noticiam & amorem reſpectu obiectorum phi-
A loſophicè cognoſcibilium & amabilium? ſicut in logicis, moralibus, & phyſicis, per infallibiles leges & regulas in quibus velut theophanijs & ænigmate videtur Trinitas Deus. Nunquid non portio rationis ſuperior memoriam habet, noticiam & amorem reſpectu ſui? quoniam ſibi maximè præſens eſt. Comparatur etiam ſecundum memoriam, noticiam & amorem ſubſtantiarum ſpiritualium & immaterialium quæ ſub Deo ſunt æternitatis participes. Amor ſi conſideretur, pſallere cantica canticorum conformiter ad
B prædictas hierarchias ſe viciſſim coaptando, nunc ad illam quaſi ſupercœleſtem, nunc ſigillatim vel coniunctim ad alias velut cœleſtes vel ſubcœleſtes, ſpirituales vel temporales manifeſtum eſt quam latitiſſima ſit canticorum materia, vel exponendo vel exercendo.

Nonum ſympſalma, in quo tanguntur quinque proprietates. ſ. 42. 43. 44. 45. & 46.

Neſcit amor, vehitur, turbatur, crebrò vocatur.
C *Pareat vt veniens laus ſibi multa datur.*

Amor neſcire ſe dicit ſimiliter ad Pſal. pluries nominatim ibi. Quia inflammatum eſt cor meũ & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum & neſciui. Per ignorantiam autem cogitur incircumuelatè Dei ſecundum Dionyſium. Sic amor ſponſæ poſtquam confabulando narrauerat filiabus Hieruſalem ex perſona ſponſi; Deſcendi in hortum meum vt viderem poma conuallium, quæ ſunt merita humi-
D lium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, quæ per baptiſmum de Ægypto tranſlata eſt, & germinaſſent mala punica, ſanctarum intentionũ, ſubiunxit in perſona ſua neſciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab aptiſſimè quidem per Animadab (qui ſpontaneus interpretatur) accipitur Chriſtus, qui voluntariè genuit nos ſecundum Iacobi verbum: Cuius quadrigæ ſunt euangelicæ quatuor doctrinæ quibus euecti fideles conturbauerunt mundum bona conturbatione, quando conturbatæ ſunt gen-
E tes per pœnitentiam, & inclinata ſunt regna per fidei ſubiugationem vocantibus apoſtolis & ſucceſſoribus ſuis & piè clamantibus quater iuxta quatuor euangelia, reuertere reuertere Sunamitis id eſt captiua, reuertere reuertere vt intueamur te, hoc eſt, vt reuerſam & conuerſam diligamus te. Nam vbi amor, ibi oculus, & ita videre diligere eſt. Amor ſponſæ continuò conuertit alloquium cœptum cum filiabus Hieruſalem, non quidem verborum ſtrepitu, ſed ſolita medi-
F tatione. Conuertit inquam, ad laudem eccleſiæ de gentibus tam vniuerſalis quam ſingularis, quoniam vnitas nectit omnem, vt etiam remanet cuiuſlibet ſalua ſingularis proprietas. Nihilominus placet in hoc ſympſalmate ſermonem facere ſuper vniuerſali & per allegoriam quatenus ſolers lector animaduertat ita potuiſſe fieri per vniuerſum decurſum iam peractum principaliter ſecundum anagogiam cum illuminatione philoſophica, quemadmodum in ſequenti & vltimo ſympſalmate conuertetur oratio ad tropologiam, quaſi pro adoleſcentulis ſi-

cut

cur magis aptatur ad concubinas & reginas, & præcedentia texuntur de illa quæ vnicè perfecta eſt & electa, virgo, filia, ſoror, ſponſa quaſi mater honorificata & quodammodo deificata. Eſt autem ſenſus ille allegoricus dicendus in hoc libro propriè literalis tanquam ab autore Salomone principaliter intentus vbi voces aliud loquuntur, ſed res literam ſignificant, quemadmodum de lignis libani quæ conſtituerunt ſibi regem.

Amor nominari poteſt tripliciter conformiter ad actum triplicem hierarchicum. Nam eſt amor purgatiuus, cui ſeruit tropologia & moralis ſcientia. Eſt amor illuminatiuus cui ſeruit allegoria & ſpeculatiua theologia. Eſt amor perfectiuus, cui ſeruit anagogia & practica theologia. Dictum eſt hactenus principaliter de amore perfectiuo ſecundum anagogiam & practicam theologiam iungendo ſpeculatiuam aliquando. Dicendum eſt in hoc nono ſympſalmate præcipua intẽtione de amore illuminatiuo, per allegoriam aut per ſpeculatiuam. Decimum verò ſympſalma deſeruiet maximè amori purgatiuo ſecundum tropologiam & moralem ſcientiam. Sic enim debitum ſoluere conabimur, nedum perfectis & ſapientibus, ſed minus perfectis qui proficiunt aut proficere deſideranter incipiunt.

Amor illuminatiuus conatur per allegorias ex narratione ſponſæ ad filias Hieruſalem ſub perſona dilecti eccleſiam de gentibus commendare ſub nomine Sunamitis quæ captiuitatem ſonat, qui ſenſus per expoſitores copioſiſſimè & quaſi principaliter tractatus in hoc toto canticorum libro. Docet hoc gloſſa ordinaria ex eorum dictis particulariter excerpta. Vocatur quoque oſculatio oris, incarnatio Chriſti, ſimiliter deſponſatio & amplexio cum ſimilibus dicuntur, adoleſcentulæ, ſimplices de eccleſia, dicuntur, concubinæ & reginæ prælati minores & maiores bene fœcundantes & regentes eccleſiam. Dicitur. Vnica columba, perfecta tota vniuerſalis eccleſia ad vnum paſtorem Chriſtum, & eius vnicum in terris vicarium pontificem ſummum ſimplificata. Dehinc pluralitas paſtorum & ſodalium & tabernaculorum & oppugnationum refertur ad hæreticos.

Porrò lectulus floridus cum ſimilibus ſpectat ad contemplatiuos, ſicut egreſſio ſponſæ ad exteriores vineas & hortos trahitur ad actiuos, præſertim prælatos & rectores eccleſiæ maiores & minores & doctores, adeò quod tota fere connexio corporis myſtici eccleſię ſignificata per actus corporis veri traducitur ad iſtos. Nunc nomine oculorum quoniam illuminant, nunc per choros caſtrorum quia lætificant & defendunt in concordia quaſi chori, nunc laudatur ſub admiratione quaſi filia principis & pulchritudine greſſuum, quoniam ſunt calciati & præparati ad euangelizandum pacem prout loquitur Eſaias: Quam ſpecioſi pedes euangelizantium bonum: Rurſus ipſi eidem comparantur capillis, quoniam adhærent Chriſto capiti immediatius & ſunt ordinati, ſicut greges caprarum quæ apparuerunt de Galaad. i. de aceruo teſtimonij ſcripturarum de quibus Chriſtus. Teſtimonium inquit, perhibent de me. Comparantur denique dentibus conterentibus cibum ſpiritualis doctrinæ ſub vnitate ordinata

A prout eſt, grex ouium quæ aſcenderũt de lauacro baptiſmi vel pœnitentiæ non ſine multiplici fructũ, ſed gemellis fœtibus, propter geminam Dei & proximorum charitatem.

Comparatur inſuper ſua conuerſatio, qui per genas figuratur, cortici per humilitatem pallenti mali punici, continentis in ſe grana doctrinarum, rubicunda per charitatem ſub ordine mirabili ſententiarum, quæ dicuntur hic occulta genarum vel ipſius eccleſiæ.

B Comparatur iuncturis fœminum & monilibus, vmbilico & crateri tornatili, qui nunquam indiget poculis. Ventri quoque & aceruo tritici vallato lilijs & duobus vberibus duobus inſuper gemellis hinnulis capreæ propter vim genitiuam ſpiritaliter atque nutritiuam. Comparatur collo & turri eburneæ propter vim ſuſtentatiuam & caſtam. Oculis rurſus & piſcinis in eſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis, propter vim ſpiritaliter inſpectiuam, & aquis doctrinarum fœcundam inſtar piſcinarum. Dicuntur ſubinde, naſus, propter vim olfactiuam ſpiritaliter, vnde percipiunt inſidias hoſtium, ſicut à turre libani fit

C corporaliter, qua reſpicit contra Damaſcum. Dicuntur, caput, propter vniuerſalem vim regitiuam & influxiuam ſpiritalium ſenſuum & motuum, ſicut à carmelo monte nutrimenta corporaliter accipiuntur.

Porrò comæ capitis, huius ſpiritalis ſunt, ſicut purpura regis, rubicunda & præcipua propter charitatis nitorem quæ iuncta eſt canalibus à ſuperna Hieruſalem fluentibus. Denique laus totius eccleſiæ ab ipſis ſumitur, quoniam per eos,

D pulchra eſt & quam decora & chariſſima in delicijs, cuius altitudo aſſimilatur palmę, quoniam & ipſi prȩlati cum doctoribus ſunt ſimiles vberibus & botris propter vim nutritiuam, nunc in lacte ſimplicioris doctrinę, nunc in vino ſubtilioris.

Dicit propter iſtos ſponſus quod aſcendet in palmam, per gratiam, & apprehendet fructus eius, per remunerationem, & vbera tua, loquitur ad ſponſam, ſicut botri vineę, cauſa dicta modo, & odor oris tui, à quo ſonat prȩdicatio, erit, ſicut o-

E dor malorum. Odor inquam vitę in vitam bonis, & in mortem malis. Guttur tuum, ſignificans vim guſtiuam eſt ſicut vinum optimum ex efficacia. Subiungit poſtremò ſponſa quaſi ſecum reputans & loquẽs, vinum, non dubium, quoniam bonum, dilecto meo ad potandum, labijſque & dentibus illius ad ruminandum cauſaliter intellige, quia potare facit & ruminare.

Amor increatus abyſſus amoris, fons, fluuius & flumen, cuius deriuatio eſt ipſius vocatio, cur ab

F initio vocatio, cur ab initio vocatam & electam ſynagogam velut arentem deſeruit & repudiauit, ſuperinfuſa & deſponſata gentiũ eccleſia. Pendet iſta queſtio ab ordine diuinę prouidentię, quæ charitatem ordinauit in effectibus ſuis, quos vtiq; dicere poſſumus amores ſuos, quoniam ſui dicere amare eſt. Amauit & facta, vidit inſuper cuncta quę fecerat, quo oculo niſi amoris & erant valde bona, valde ergo amabilia quoniam bonum & amabile conuertuntur. Propterea res vnaquęque tantum habet de amabilitate quantum Deo amãti placitum eſt. Ceſſet ergo ſuperba curioſitas mortalium ſuper huiuſmodi quęſtiunculis. Cur? Re-

pondet propheta. Quæcunque voluit fecit. Reſpondet & pro ſeipſo. Miſerebor cui miſerebor, & clemens ero in quem mihi placuerit. Repudiata eſt ſynagoga prius electa. Demeruit prius ita fieri dicente propheta ad Deum. Quoniam qui elongant ſe à te, peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Elongata eſt, perijt, fornicata eſt, diſperſa eſt & repudiata, & eccleſia gentium gratis electa, ſub typo Vaſthi ſuperbæ & Heſter gratioſæ. Amor æternus qualem dicendus eſt plus diligere vel præſcitum, in gratia nunc exiſtẽtem, ſicut ſynagoga fuit, vel prædeſtinatum odioſum peccato actuali, qualis erat eccleſia gentium futura? Reſponſio fit per diſtinctionem, quoniam ſecundum præſentem iuſtitiam plus amauit ſynagogam reprobam tunc exiſtentem in gratia, ſed ſimpliciter plus eccleſiam gentium tunc exiſtentem in culpa, ne glorietur ſtulta præſumptio omnis carnis in conſpectu ſuo.

Amor increatus quos amaſſe plus exiſtimandus eſt vel angelos vel homines? Quos inſuper inter homines vel Chriſtum vel totam eccleſiam, quos rurſus in eccleſia, vel matrem ſuam vel Ioannem cui commiſſa eſt in cuſtodia, vel Petrum cui ſuæ commiſit regimen eccleſiæ, quem plus ſubinde dilexit vel Ioannem vel Petrum? Rurſus ſi Deus ab æterno dilexit mundum creandum cum omnibus quæ in eo ſunt vel ex tempore? Et quamlibet dicatur, ſi plus dilexit vnam creaturam quam aliam cum in actu dilectionis ſuæ infinito non videatur inueniri poſſe plus vel minus. Sed videtur è contra, ſi omnia dilexit æqualiter cum non fallatur in dilectione, ſunt omnia æqualiter bona. Amplius ſi diligit omnia, & nihil odit eorum quæ fecit, quo pacto creaturæ ſuæ quas fecit quotidie deficiunt, corrumpuntur, intereunt, moriuntur, nedum morte temporali ſed (quod horribilius eſt) etiam ſolo cogitatu moriuntur æterna.

Præterea ſi diligit omnia, cur non omnibus dat ſalutem cur non proſperitatem cur non delicias, cur malis proſpera, cur bonis aduerſa? Cur multa tolerat, immo laudat, in creaturis irrationabilibus? Superbiam in equo, inuidiam in cane, iram & ferocitatem in leone, auaritiam in cornicula, ſegnitiem in bubone, luxuriam in ſuè vel hirco, gulam voracem in lupo, & ita de ſimilibus, qualia tamen velut odiens reprobat in hominibus punit & damnat, tales ſunt quæſtiones ſuper prouido & ordinato amore Dei ſine numero. Pro quibus ſit hæc vnica concluſio, quod amor Dei in ſe vnicus eſt inuariabilis & immotus, ſiue comparetur ad homines ſaluandos ſiue ad damnandos ſiue coaptetur ad creaturas irrationales, attamen multiplex varius dicitur amor æternus relatus ad effectus, ſecundum quos dicitur recipere maius & minus in amando: prout creaturæ ſuę plus recipiunt vel minus de perfectione in eſſendo. Aliquibus contulit ſolum eſſe aliquibus viuere, quibuſdam ſentire, nonnullis ratiocinari & intelligere. Superaddit autem electis ſuis bene viuere & lætari cum beneplacito gratiæ ſuæ quis fecit capaces & participes imaginis & gloriæ ſuę, per memoriam ſui intelligentiam ęternorum, cum merito hic in via in oſculo ſancto oris ſui ſub ſpe beatificationis in gloria. Neque eſt qui dicere poſſit, cur ita facis?

A qui omnia quæcunque voluit fecit, facit & faciet in ſęcula ſęculorum.

SYMPSALMA DECIMVM, IN QVO TANGVNTVR QVATVOR *vltimæ proprietates amoris. ſc.* 47.48.49.& 50.

VIſit amor vineas hortos & poma reſeruat. Oſcula vult pueri, fortis amor quaſi mors. Amor viſitat hortos. Veni dilecte mi B egrediamur &c. reſeruat poma dilecto vult oſculari fratruelem ſuum infantem, quia ſugentem vbera matris. Quis mihi det te fratrem meum &c? Denique fortis vt mors dilectio. Et ſi quatuor iſtas amoris proprietates vltimas quaſi totidem linguas igneas vel ſcintillas aut ſub ſimilitudine fontis quaſi totidem riuulos, iuxta quos canitur decimum & poſtremum ſympſalma canticorum, poſſemus adaptare pręcedentibus ſecundum anagogiam & allegoriam, nihilominus C placet appropriare per tropologiam amori purgatiuo quaſi pro adoleſcentulis, quarum non eſt numerus. Plures ſiquidem ſunt imperfecti quam perfecti vel diu proficientes. Competit adoleſcẽtulis adhuc lac ſugere cum infante Ieſu, quem introduxit fratrem ſuum ſugentem vbera matris ſuæ, quę hic accommodè multum intelligitur virgo Maria. Iuuat intentionem noſtram quia deinceps per totum capitulum nulla fit mentio de dilecta ſub appellatione ſponſę, ſed ſoror appellatur & dilecta, de qua ſubiungitur ſoror noſtra par- D uula eſt & vbera non habet, quaſi nondum ſit apta viri connubio.

Amor purgatiuus & perfectiuus differentes habent conditiones, ſicut & perſonę quibus habent incipientes & perfectæ multum diſtant. Sicut pręterea diuerſificantur in triclinio cordis inferius & ſuperius habitaculum, aut potius ex ſubli- miſſima ſuper ipſum triclinium, de quo plurima ſupponuntur hic declarata ſuper cantica canticorum Marię, ſpecialiter tractatu ſecundo. Et exul- E tauit ſpiritus meus, & in opere metrico ſuper idẽ magnificat vicibus repetitis.

Amor purgatiuus in adoleſcentula Sunamite, dum inchoat tempus amantium adhuc paruula, nedum apta numero concubinarum vel reginarum donec adoleuerit ętas, & vberibus intumuerit, conuerti debet ad conſiderationes humanitatis Chriſti, maximè dum infantulus erat ſugens vbera ad literam matris Marię, vel per allegoriam matris eccleſię. Ita fatetur Bernardus ſe egiſſe in F nouiciatu ſuper illo: Faſciculus myrrhę dilectus meus mihi. Et aliorũ ſine numero ſunt exempla, altera (ꝙ ſequẽs ad iſta eſt) ꝙ paſſiones ſẽſuales veraciter ſiũt in concupiſcibili & iraſcibili, ſic amãtis & ſe afficiẽtis per pietatẽ & gaudium, ſpẽ, timorẽ, triſtitiam, deoſculatio pręterea non quęritur immediatè fieri ad caput Chriſti quod eſt Deus, vbi eſt os eius diuinũ, ſed ad pedes humanitatis quærendo veniam, vel ad manus ſpiritus in petendo & reddendo gratiam, vt per primum oſculum declinet à malo, per ſecundum faciat bonum, quouſque dignetur dilectus tenere manum dexteram eius,

Digitized by Google

eius, & deducere, hoc eſt delectabiliter ducere & cum gloria ſuſcipere, vt iã perfectus amor dicat: Deficit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Denique conuenit huic amori purgatiuo vita actiua conſiſtens principaliter in refrenatione vitiorum cum aſſuefactione virtutum moralium, quibus præſuppoſitis quaſi pro diapſalmate loquatur iam textus noſter, & ab eo ſumamus quæ requirit amor iſte.

Amor purgatiuus quem nouitium dicimus, qui protenditur ad omnes chriſtianos, literatos & idiotas, imperfectos, proficientes & perfectos, poteſt rememorationem ſuam ad pauciſſima reducere, magis per interiectiones ſuſpirando, quam per ſubtilia ſpeculando. Supponamus ex ancilla theologiæ grammatica, quod interiectio eſt pars orationis ſignificans mentis affectum voce incognita. Addi poterat geſtu incognito. Primũ propter aures diſciplinæ capaces. Alterum propter oculos geſtuum cognitores. Dixerimus iſta, quia nulla pars orationis efficacior eſt ad mouendos affectus quam interiectio, tradente Hugone & experientia teſte. Geſtus ſunt ad oculos, voces ad auditum, exempla ſunt in ſenſibilibus manifeſta qualia videmus transferri per deuotos ſimplices in orationibus ſuis ad Deum coram imaginibus crucifixi. Aut iacentis Chriſti in præſepio, vel adorati inter magos, vel præſentati in templo, vel fugientis in Ægyptum, vel reuertentis vel inuēti in templo, vel deſcendentis in Nazareth. Simplicium itaque fides & ſi non poteſt ad rememorationem altitudinis ſapientiæ Dei pertingere per ſubtiles intellectus meditationes, fiat quod dicit: Dionyſius ad congregantis patris vnitatem & deificam ſimplicitatem vnio vel vnitio. Ad quod faciendum ſimplex fides & erigens ſpes, & amplexans amor ſufficiunt magis affectualiter ſuſpirando quaſi per interiectiones, quales ſunt. O vtinam, quam per intelligibiles alias ſpeculationes quæ non ſunt in hominis arbitrio, ſicut interiectionis affectiones. Nihil enim magis in poteſtate noſtra eſt quam deſiderium vel voluntas. Cæterum practica patet in iſtis latiſſimè per omnem lectionem, meditationem & orationem, immo cogitationem vt confeſtim ſuſpiret amor nouitius ad Deum quocunque proponatur ſibi, vel in ſpeculo, vel in ænigmate interius vel exterius intelligibiliter vel ſenſibiliter, vt dicat cum pſalmiſta: Diligam te Domine fortitudo mea, vel adhuc ſuccinctiuus cum illo qui recogitans dictum apoſtoli: Quod quia ſumus filij Dei, miſit Deus in corda noſtra ſpiritum filij ſui clamantem: abba pater. Reflexit ſe ſuper ſe. Quid poſtulas dum dicis, abba pater? Reſpondit ſibijpſi ſuſpirabundus in alta: te. Adhæſit in iſto te, nihil vltra petens, quia neque quid peteret vltra patebat. Compoſuerunt ſibi multas pro multitudine diuinarum inſpirationum viſitationes, reſponſiones huiuſmodi breuiſſimas conformes affectui pietatis vt illud: Vbi Ieſus ibi Maria. Dilectus meus mihi, & ego illi. Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Et ita de qualibet petitione orationis dominicæ, ſicut dicendo cum ſuſpiratione interiectiua. O pater, ô noſter, ô qui es in cœlis, & cœlatis ineffabilibus & ignotis. O ſanctificetur nomen tuum ſanctificans & ſanctificandum: O adueniat regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, vt ſis omnia in omnibus, & regnes in me, quia regnare debes. O fiat voluntas tua, præceptiua, prohibitiua conſultiua, cohibitiua, & voluntas beneplaciti tui; ſicut in cœlo & in terra. Auertas autem faciem tuam à voluntate permiſſionis tuæ, quoniam indignatio eſt contra vitia, non eorum volitio, propterea rogamus. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & conuertendo nos auerte iram tuam, cadere non permittens nos à nobis.

Amor nouitius poteſt in rememoratione pro omni ſubtilitate & ſcientia fixos habere & hærentes oculos ſpectantes ad incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui per euangelia digeſti ſunt, & in pictis vel ſculptis imaginibus oſtenduntur ſatis conformiter ad apoſtolum. Nihil inquit iudicaui me ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum. Similis eſt ratio vel potior de rememoratione circa euchariſtiæ ſacramentum. At verò diceret forte aliquis quod in picturis & imaginibus repreſentatur Deus ſub formis ſenſibilibus, quæ occaſionem dant errori, ſicut in figuratione ſanctę Trinitatis. Reſpondemus cum illo qui dixit: Pictoribus atque poëtis quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. Quoniam vt pictores fingunt illa quæ ad rei veritatem aliter ſe habent vel habuerunt; ita ſcriptores nedum poëtici ſed prophetici & euangelici & morales multa dicunt ſub parabolis & figuris aliter quam res ſe habeat, niſi coaptemus ſigna rerum cum rebus. Sufficiet igitur amori nouitio pro omni ſubtilitate exercitium in deſiderio catholicæ vitæ præſentis cum ſuſpirio ad æternam, quaſi dicendo: Quis mihi det te fratrem &c. cum ſimilibus aſcenſiuis, protenſiuis & vnitiuis interiectionum affectibus: vt O abba pater ô diligam te, ô oſculer te, ô amem te.

Amor nouitius ſciens ab apoſtolo quod oportet accedentem ad Deum credere quod Deus eſt, & quod ſe quærentibus remunerator eſt, accipit fidem & ſpem per quas dirigitur & erigitur vt dicat: Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Vnde dotata charitate, quia diligentes ſe diligit, conuertitur ad orationem, ſciens illud: Sane me nihil poteſtis facere. Et quia nemo venit ad patrē niſi &c. adiungit fidei ſpei & charitati orationem, vt approximet Deo ſecundum doctrinam Dionyſij. Et quia oratio ſæpius arida eſt niſi lactetur & foueatur, adiungit lectionem ſecundum doctrinam pietatis quam continent vniuerſæ ſcripturæ canonicæ & ſanctæ deuotioni congruentes. Et hanc ſignificat ſub metaphoris varijs ad lectionem & meditationem aptis, vt per agrum in quo eſt theſaurus regni cælorum. In quo per allegoriam dicitur exiſſe Iacob & Iſaac ad meditandum. Comparat & libros villis & vineis & malis punicis, vnde ſuſcipit flores & fructus ſanctorum deſideriorum, vt incipiat doctrinæ lac in vberibus quæ dare poſſit dilecto. Coniungit ad extremum fidei, ſpei, charitati, orationi, lectioni & meditationi gratiarum actionem, quæ in odore mādragorarum ſpirantium in ſportis ſenſuum ſuauiter & ad fœcunditatem valentium deſignatur.

Amor nouitius ſubinde notat proprietatem alteram ante penultimam in ordine quinquaginta, & ſecundam in hoc ſympſalmate, ſine qua nullus

Digitized by Google

aut exiguus in doctrina pietatis profectus accreſcit. Et hæc eſt rememoratio ſeu non obliuioſa retentio perfectorum. Et hoc obſeruaſſe denotat vbi ſubſequitur. Omnia poma noua & vetera dilecte mi, ſeruaui tibi, ſuper bonitate & adiutorio memoriæ ſenſualis intrinſecè. Multi multa tradiderunt. Seneca in epiſtolis, Tullius in rethorica noua tradens artem quandam pro rethoribus, compoſuerunt alij certas abbreuiationes ſententiarum, vel ex alijs compoſitas tradiderunt memoriæ, figuras nonnulli protraxerunt quemadmodum fecimus, cantici chordis, & alibi de pennis columbæ de pſalterio & alijs muſicis. Tradūtur hac intentione in mathematicis figuræ theorematum non vt ibi maneat hærens imaginatio. Alioquin dicente Auguſtino. Facilius eſt in terra nauigare quam per huiuſmodi figuras ſcientiam acquirere, alioquin præterea reddetur homo faciliter phantaſticus & ineptus ad intelligibilia. Sint igitur figuræ paucæ & ordinatæ ad adiutorium phantaſiæ miniſtrare debentis intellectui phantaſmata clara, ſerena, ordinata tranquilla ad intelligibiles ſpecies abſtrahēdas, ſecundum quas intellectus & voluntas iam valeant dimiſſis vel quaſi ſopitis phantaſmatibus negotiari circa rationem intelligentiam & amorem diuinorum.

Conuenit hoc modo rememorari parabolicos ſermones ſcripturæ ſacræ particulares inſuper hiſtorias de rebus ſingularibus. Nam cum ſcientia ſecundum Ariſtotelem ſit de primis per ſe vniuerſalibus & neceſſarijs, nunquā habetur ſcientia de prædictis per reductionem ad intelligilia & vniuerſalia propter quæ ſenſibilia & particularia inducuntur tanquam pro exemplis manuducentibus à ſenſibus in intellectum. Sic enim omnia literaliter poſita de hiſtorijs, reducuntur ad vniuerſalem Dei prouidentiam, nec aliud nituntur oſtendere, aut ad moralem & diuinam inſtructionem ſub vniuerſalibus regulis, vt quod Lya ſignificat vitam actiuam, & Rachel vitam contemplatiuam, ſicut Martha & Maria, Petrus & Ioannes, & ita de ſimilibus ſuo modo, ſecundum quæ ſciētia concluditur vera & certa, quod fieri nequit innitendo imaginationi & memoriæ ſenſuali.

Amor nouitius concepto feruore ſpiritus ex doctrina pietatis & aſſidua ruminatione ipſius iam oſcula vult pueri Chriſti. Quis mihi det inquit, te fratrem meum, per conformitatem humanitatis, ſugentem vbera matris meæ, per dignationem nimiæ charitatis, vt inueniam te ſolum foris, ne turba pudoris turbationem inducat, Et deoſculer te, per ſyncerum & ſanctum deuotionis affectum in pignus dilectionis & arram ſperatæ deſponſationis, & iam me nemo deſpiciat, velut indignam te tanto amore. Apprehendam te, non proprijs viribus, ſed dignanter apprehenſa à te, & ducam, ducta à te, in domum matris meæ, quod eſt vniuerſalis eccleſia, fideles in te regenerans, & in cubiculum genitricis meæ, quod eſt aliqua ſpecialis & arctior religio quod ſola vniuerſalis ſub te abbate Chriſto, vbi obſeruer, orner & erudiar in nouitiatu meo placentior eſſe tanquam ſub Aggeo eunucho in triclinio fœminarum, ibi me docebis, quoniam tu Deus ſcientiarum Dominus es, & edocta & ſpiritualibus epulis referta de manu tua, dabo tibi poculum ex vino conditum & muſtum malorum granatorum meorum, non quo tu ve- A ſcaris vel inebrieris, ſed ego per te. Dicam quoq; ex ſententia in experientia ſpiritus & deuotione leua eius ſub capite meo, per ſpei ſuſtentationem, quatenus in pace in idipſum dormiam & requieſcam. Donec dum tu Domine ſingulariter conſtitueris me & dextera, charitatis tuæ amplexabitur me, te protegente & cuſtodiente in me tranquillum hunc deuotionis ſtatum à cōturbatione hominum & contradictione linguarum per miniſterium filiarum Hieruſalem, quibus digneris B ita mandare & dicere: Adiuro vos filiæ Hieruſalem nè ſuſcitetis neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Quinetiam dicant cum admiratione: Quæ eſt iſta quæ deſcendit de deſerto delitijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum, nimirum ego ſum monita per te per os Eſaiæ ſuadentis: Vt qui ambulauerit in tenebris & non eſt lumen ei, ſperet in Domino, & innitatur ſuper Dominum Deum ſuum. Cæterum gratias ago dilecte mi, quia dicis & ita feciſti: Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata C eſt genitrix tua. Arborem malum intelligo crucem tuam, ibi corrupta eſt & violata mater mea ſapientia tua, quæ bonorum omnium mater eſt & genitrix in virtute ex morte culpæ ſuſcitās me. Audio denique & obedio dum præcipis: Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Sed obſecro fiat in me experimentaliter cauſa quę ſubiungitur: Quia fortis eſt vt mors dilectio. Amor nouitius ſic dixiſſe ſeu optaſſe putetur ſub typo dilectæ Suna- D mitis adoleſcentulæ.

Nunc pertractetur vltima proprietas amoris quæ conueniens eſt in quocunque qui verè dilexerit: Fortis amor quaſi mors. Mortificatio ſiquidem fit carnalium deſideriorum in bonis, dum creſcente charitate minuitur & moritur cupiditas. Zelus inſuper vel æmulatio Chriſti dilecti quam dura fiat tam actiuè quam paſſiuè, ſicut infernus, docuit hoc ſua mors in cruce ex quo factum eſt illud. O mors ero mors tua, & morſus tuus ô inferne. Docuit hoc idem zelus & æmula- E tio tot martyrum pro dilectione Chriſti in quibus fuerunt lampades ignis, lampades ignis flammatum. In quibus præterea aquæ multæ populorum & tyrannorum, non potuerunt extinguere charitatem nec flumina ſuperirruentium tribulationum & exundantium ſupra modum, obruerunt illam. In quibus denique facto declamauerunt. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione quaſi nihil deſpicit eam, immo nec animam propriā dilectione facit cha- F riorem proclamantes cum apoſtolo: Siue viuimus ſiue morimur Domini ſumus. Amor proinde nouitius ne contemnendus ſed erudiendus videretur à Chriſto commendatur humilitas eius, ſagacitas & virtuoſitas vſque in finem capituli & libri, contra vanum timorem & noxium teporem.

Soror noſtra, loquitur Chriſtus velut ad filias cœleſtis Hieruſalem, paruula eſt, per ſui reputationē, & vbera non habet, excreſcentia per tumorem.

Quid faciemus ſorori noſtræ in die tentationis, quando alloquenda eſt varijs hæreticorum aſtutijs, aut hoſtium cæterorum in ſaltibus crebris. Reſpondent ad tuitionem paruulæ ſororis. Si

murus

murus, eſt cardinalium virtutum & donorum cōſtitutus ad cuſtodiam eius, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, per collationem doctrinarum eloquentia fulgentium. Si oſtium eſt, per quod ingredi poſſit hoſtis, compingamus illud tabulis cedrinis, hoc eſt imputribilibus reſponſionum ſententijs. Porrò gratus amor Sunamitis noſtræ Abyſac, cōfitetur ſe iam impletum eſſe quod proponitur faciendum. Ego inquit, murus clauſus. ſ. vndique ad defenſionem virtuoſam ne ſubintret hoſtilis inuaſio, & vbera mea ſicut turris, ad conſtantem & ſagacem eorundem hoſtium deſuper impugnationem. Ex quo virtutum ornatu reſiſtendo & agēdo, facta ſum corā dilecto meo, quaſi pacem reperiēs, quia cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quę poſſidet, neq; timori cedit mūdano, diabolico vel humano, non quidem propria virtute, ſed illius qui cuſtodit & cuſtodibus tradit. Propterea ſub typo vineæ ſubditur de noſtra Sunamite: vinea fuit pacifico in ea, ſubaudi, pace, de quo modo dictū eſt, ex quo facta ſum coram illo quaſi pacē reperiens, quæ vinea habet oculos, qui ſunt potentiæ & vires ipſius animę cum habitibus & actibus ſuis, tradidit pacificus Chriſtus eam cuſtodibus angelicis, & doctoribus ſeu prælatis, & hoc quidem nō ſine mercede, quoniam vir affert pro fructu eius mille argenteos, qui ſunt totidem actus boni vel meritorij in numeri perfectione deſignati. Confirmās rurſus ipſe Chriſtus cuſtodiam adoleſcentulæ ſuę ſub præmiſſæ vineæ typo dicit vinea mea coram me eſt, per complacentiam & cuſtodiam. Deinde protinus ſermonem conuertit ad eandem: Mille argentei, ſupple ſunt illius qui eſt tibi pacificus. Remunerationes perfectę reddentur eis qui ſunt, tui pacifici, rogantes quæ ad pacem tuam ſunt & efficaciter laborantes & ducenti argentei quaſi perfectioris numeri: his qui cuſtodiunt fructus eiuſdem vineæ, ne perdantur aut demoliantur. Sequitur vox dilecti Chriſti quæ habitas in hortis, doctrinalis pietatis & virtualis operationis, amici auſcultant te, qui ſunt omnes zelantes profectum ſalutis tuæ; fac me audire vocem tuam, non clamore verborum exteriorum, ſed piorum deſideriorum. Amor nouitius reſpondet, vel, vel ex humilitate verecūda indignam ſe reputans loqui dilecto ſub pręſentia amicorum. Fuge dilecte mi, ſicut Petrus. Exi à me Domine, vel ſi altiora ſentiamus de ea, dicemus hanc reſponſionem ex fiducia procedere, & per inſinuationem, oſculū & amplexū dilecti poſtulare in petitione ſecreti ad altiora ſecretioraq; loca, quā ſint horti cū amicis. Ita enim prius optauerat, quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris & deoſculer te, & nemo me deſpiciat vel reſpiciat, ſperans à dilecto fugiente ſuper montes aromatum poſſe ſe ſurſum trahi amoroſo quaſi ſuſpirio blanda ſuſurrauit in amicorum pręſentia: fuge dilecte mi aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum, per alacrem amoris & ſurſum agentis hilaritatem, ſuper montes aromatum, montes æternos, à quibus mirabiliter illuminas vbi eſt ſecretum ſolitudinis ſerenum, luminis, cubiculum pacis, latibulum caliginis, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, vbi ſunt deſerta ſeculorum & ſpecioſa deſerti, regio pacis & lucis & terra viuentium, deſerta, inuia, inaquoſa A carnalibus, vbi eſt deſiderium collium æternorum, vbi loqueris ad cor in multitudine magna dulcedinis amantibus te, abſcondens eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, & in abſcondito tabernaculi tui à contradictione linguarum, illuc ad extremum tracta & poſita ſola cum ſolo, vnica cum vnico, quid aliud expectem, quid orem, quid inſinuem à dignatione dilecti mei, niſi illud ab initio: Oſculetur me oſculo oris ſui?

B *Finit Ioannes de Gerſon ſuper cantica canticorum. Frater Ioannes prior cœleſtinorum Lugduni de completione huius operis & morte fratris ſui, adiunxit quod ſequitur.*

Compleuit iſte doctor eleuatus hoc opus egregium ſuper cantica canticorum apud Lugdunum Galliæ. Anno Domini 1429. die Sabbati 9. menſis Iulij 12. verò die eiuſdem menſis, anno ætatis ſuæ 66. inter verba oratio-
C nis ſpiritum Deo deuotè reddidit & dulcibus nunc (vt piè creditur) amplexibus & oſculis dilecti ſponſi perfruitur, de quibus in his vltimis ſuis canticis tanta & tam ſublimia mira ſubtilitate & affectus ſuauitate dulci gutture velut olor parata modulatus eſt. Vale mi Domine & frater, & vnici tui Germani cœleſtini quondam tibi chari in hoc cœno relicti, curam apud Dominum piam agere non deſiſte.

D

TRACTATVS DE ELEVATIONE MENTIS IN DEVM, CVI TITVLVS *eſt, alphebetum diuini amoris. Vnde & aptè tractatui de canticis canticorum ſubiungitur, in quo præcipue de amore ſponſi agitur, qui à nonnullis Ioanni Gerſon aſcribitur, quamuis eiuſdem non eſſe videatur.*

PROOEMIVM.

E AD honorem omnipotētis Dei aliquos modos & vias pro eleuatione mentis in Deum propono conſcribere. Et quamuis hoc non ſit currentis neque volentis, ſed Dei miſerentis, tamen cum Dei adiutorio habitis exercitijs & modis, multo facilius poteſt ſe quis eleuare. Vnde primo ſciendum quod diuerſi diuerſas ponunt diſpoſitiones. Beatus Anſelmus in ſuis meditationibus incipit per viam timoris. Et hæc eſt via inchoatiua. Beatus
F Dionyſius ponit tres vias. ſ. purgatiuā, qua primò homo mundat conſcientiam ſuam per pœnitentiam. Viam illuminatiuam. ſ. qua ſe homo accendit in amorem Dei, per memoriam & gratitudinē beneficiorum Dei, quia ſicut dicit Auguſtinus in meditationibus ſuis: Ad Deum diligendum nihil tantum valet ſicut beneficiorum eius frequēs meditatio. Tertia eſt vnitiua qua homo per amoroſam cognitionem & adhæſionem vnitur ſummo bono, congratulando perfectionibus ſuis, & totum ſe ei intimè ſubijciendo promptiſſima voluntate. Beatus Benedictus ponit viam inſtructi-

Digitized by Google

uam. A Beato Gregorio elicitur modus exemplatiuus. Bernardus & Caſſianus dicunt quod oportet primò meditari quæ inducunt timorem. Secundò quæ prouocant imitationem & vitam ſanctorum. Tertiò ea quæ inducunt ſpem futurorum,& gaudia ſanctorum. Item Ioannes Gerſon cancellarius Pariſienſis dicit,quod ad Dei timorem peruenitur per compunctionem, admirationem & exultationem. Bonauentura dicit, quod ad hoc valent tria. ſc.diuina reuerentia,orationum ſuffragia & beneuolentia, hoc eſt quod homo reputet ſe indignum, tot & tanta beneficia à ſummo bono percepiſſe,offerens bonam voluntatem ſuam ad gratitudinem omnium. Beato Hieronymo poteſt aſcribi via peregrinatiua, hoc eſt quomodo Dominus Ieſus in hoc mundo vitã duxerat tanquam peregrinus. Beato Ambroſio via, comparatiua.Franciſco via compaſſiua. Bernardo via affectiua. Auguſtino ſuperlatiua,Hugoni oratiua. Gregorio exultatiua.Eſt tamen verum quod quilibet eorum plures vias habuit. Sed hæ quaſi exemplariter eis aſcriptæ ſunt, & quia diuerſi amatores diuerſis mouentur modis, ideo diuerſæ hic ponuntur viæ.In generali tamen ſciẽdum eſt,quod volens videre dilectum ſuum Ieſũ primò mundet oculos ſi ſunt torpidi aut tepidi, & hæc via purgatiua. Deinde ſi ſunt tenebræ accendat lucernam, vt clarè ipſum videat. Et hæc eſt via illuminatiua.Deinde appropinquat,&pro reuerentia procidit ante pedes eius,deinceps eleuatur à dilecto porrecta ei manu. Deinde ſuſcipitur ad oſculum pacis, deinde affabiliter ei loquitur,cupit ſemper manere cum eo, liqueſcit in eius præſentiam, langueſcit in eius abſentia,quærit, vocat, ſuſpirat,inuentum denuo tenet,in eius amore ardet,alta faſtidit, ſoli illi adhærere volens. Et hæc via vnitiua; & poſt longum tempus in ea quietatur, ita vt in pace factus ſit locus eius. Ex his & alijs poſſunt elici quindecim viæ procedentes in amorem Dei,& ſecundum hoc erunt quindecim capitula de doctrinis vtilibus ad eleuationem mentis in Deum. Et hæc de proœmio.

TABVLA ILLAS VIAS OSTENDENS.

1	*Inchoatiua.*	9	*Comparatiua.*
2	*Purgatiua.*	10	*Compaſſiua.*
3	*Illuminatiua.*	11	*Affectiua.*
4	*Inſtructiua. Via.*	12	*Superlatiua. Via.*
5	*Imitatiua.*	13	*Oratiua.*
6	*Exemplatiua.*	14	*Vnitiua.*
7	*Admiratiua.*	15	*Exultatiua.*
8	*Peregrinatiua.*		

De via inchoatiua. Cap. 1.

A Timore ſeruili procedit filialis.Plures enim incipientes declinare à malo & facere bonum, incipiunt à timore, ideo hæc via dicitur inchoatiua. De hac via habetur in Hieronymo: Siue comedo, ſiue bibo, ſiue quid aliud facio, ſemper reſonat hæc vox in aure mea: Surgite mortui ad iudicium. Et in vitis patrum habetur de Helya monacho, qui ſemper timuit tria.ſcil.in hora mortis occurſum dæmonum, deductionem A ad iudicium, & ſententiam iudicis. De hac via dicit Anſelmus: O lignum aridum æternis ignibus dignum, quid reſpondebis in die illa quando exigetur à te ad ictum oculi omne tempus viuendi tibi conceſſum quomodo fuerit à te expenſum &c? Et quamuis multa incutiant timorem, tamen pro exemplo ponitur hæc tabula ſecundum ordinem alphabeti. Alteratio & inſtabilitas mundi quod homo nunquam in eodem ſtatu permanet, & neſcit an amore vel odio dignus eſt.Si enim relinqueret eum Dominus ad B ictum oculi, ſtatim diabolus eum ſubuerteret. Bellum propriè carnis, mundi & diaboli aduerſus ſpiritum hominis. Quotidiana fragilitas & negligentia reſiſtendi, pœnitendi & proficiendi. Diuina quæ apparuit in caſu Luciferi in periclitatione mundi per diluuium &c. Exitus dubius de hac vita quod nemo ſcit vbi quãdo & quomodo moritur, an bene vel malè. Futurum iudicium vbi erit iudex infallibilis, ineffugabilis, inflexibilis, nemo poteſt eum fallere aut effugere nec à C ſententia appellare. Grauitas pœnarum purgatorij quæ ſecundum Auguſtini excedunt omnem pœnam huius mundi. Horror dæmonum pœnarum inferni. Ignis inextinguibilis. Chariſſimorum ciuium cœli perpetua ſeparatio. Luctus & vlulatus ſine conſolatione. Maxima ſtrictitudo, iuxta pſalmum: Sicut oues in inferno poſiti ſunt. Notitia & confuſio ſuorum peccatorum. Odium ſui, & omnium quæ ſunt in toto mundo. Perpetuitas pœnarum inferni, quia in inferno nulla eſt redemptio. Quietis & ſpei perpetua abla- D tio. Rationis obſtinatio in malo quod non vult de cætero bonum. Stridor dentium præ anguſtia Tentio & captiuitas, quod nec poteſt de loco moueri quando vellet. Vermis conſcientiæ de omiſſis & ſcandalis. Chriſte redemptor pie qui ſumus cauſa tuæ paſſionis, ne perdas nos illa die.

De via purgatiua. Cap. 2.

E POſtquàm homo tot terroribus mortis iudicij & inferni perturbatus incipit timere, tunc arguit ſæpe ſic in ſeipſo. Quicunque peccauerit mortaliter aut oportet eum damnari, aut lamentis purgari, ſed ego peccaui mortaliter, ergo oportet me damnari aut lamentis pœnitentiæ purgari. Sed quia damnatio eſt perpetua & purgatio temporalis, volo igitur agere pœnitentiam interim quod tempus mihi vacat. Recogitabo igitur omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & quantum delectatus ſum delitijs, tantum me F affligam pœnitentiæ tormentis. Vnde ſecundum illam viam ponat homo decem puncta aut quot voluerit & dicat. O pater mitiſſime ego ſum ille prodigus qui hæc contra tuam pietatem commiſi, & ita ingratus fui quod me innocentem creaſti & ego me deturbaui. Tu pro me crucifixus & humiliatus, & ego me exaltaui, tu nudatus, & ego auarus, tu amaricatus, ego delicatus, tu felle potatus, ego crapula grauatus, tu totus laborioſus, ego omnino acedioſus, tu pro inimicis exoraſti, & ego inimicos odiui, ſed quid faciam? nunquid deſperabo? Vbi

Digitized by Google

Vbi eſt illud: Nolo mortem peccatoris? Ferrum, vitrum aut ſpeculum cum rubiginoſum eſt, purgatur, & ego per viam purgatiuam lima contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis me purgabo, ſicut me exaltaui, ita ero opprobrium hominum. & abiectio plebis. Contra auaritiam abrenunciabo proprietatibus meis, contra voluptates affligam me ieiunijs, vigilijs, fame & ſiti, purgabo me per tria ſcilicet per gemitum orationis, per ignem tuæ compaſſionis, per ardorem tuæ charitatis, vt latius hæc via purgatiua appareat, videatur hæc tabula ſecundum ordinem alphabeti.

Peccator debet dolere. De
- Amicitia Dei amiſſa.
- Bonitate Dei contempta.
- Conſenſu & culpabili vita.
- Dilapſu temporis & virium corporis & animæ.
- Exceſſu præceptorũ Dei Eccleſiæ, & ſuperiorum.
- Fragilitate reſiſtendi, pœnitendi & proficiendi.
- Graui negligentia laborandi, orandi, meditandi, legendi, &c.
- Habitu & conſuetudine ex frequenti intentione peccandi.
- Ingratitudine qua iterum & iterum ſibi dimiſſa renouauit.
- Charitatis extinctione per quæcunq; peccata.
- Laxatione timoris Dei quod contra tam magnũ Dominũ, tam magna & horribilia peccata committere præſumpſit.

Peccator non deſperet, ſed aſſumendo confidentiã purget ſe, per
- Miſericordiæ implorationem.
- Nouæ vitæ aſſumptionem.
- Orationum ſuffragia.
- Paſſionis Chriſti interpoſitionem.
- Quaſſationem.i.auſteritatem præſentiæ.
- Reiectionem honoris, voluptatum & delectationum.
- Sanctorum interceſſionem.
- Temporis vtilem expenſionem.
- Voluntatis propriæ abrenunciationem.
- Chriſti benignitatem qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat.

De via illuminatiua. Cap. 3.

PVRGATA conſcientia iam aptior eſt amori diuino. Vnde ſicut ſpeculum purgatum poteſt plus relucere. Sequitur ergo nunc via illuminatiua qua homo iam incipit videre & cognoſcere dilectum ſuum quem prius propter rubiginem peccatorum videre non poterat. Vnde quærit: Quis eſt dilectus meus? Reſpondet: Ipſe eſt qui mihi tot & tanta beneficia contulit, quod ſi poſſibile eſſet, ab eius laude & gratiarũ actione nunquam ceſſare deberem. Hanc viam illuminatiuam Dauid habuit, cum in Pſal. ait: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Conſiderandum tamen eſt, quod non principaliter debemus Deum diligere propter ſua beneficia, ſed propter immenſam
A ſuam bonitatem & propter ſeipſum. Sicut enim propter lumen non videtur res finaliter, ſed mediante lumine videtur clarius occaſionaliter, ſic illa via dicitur illuminatiua, quia accendit, prouocat & illuminat omnem hominem ad Deum diligendum. Vnde Bernardus. Tot beneficia cõtulit mihi Deus, quod ſi conſiderarem, & ſi vnus ruſticus mihi feciſſet, tenerer eum diligere. Quid igitur rependam ſummo amatori de ſuis beneficijs? Certè gratias agam & commemorabo quãtum potero. Vnde de hac gratitudine & via illu-
B minatiua videtur ſequens tabula ſecundum ordinem alphabeti.

Gratias tibi ago ſummè Deus de ardentiſſimo amore tuo, quod creaſti me nihil mei indigens. quia me carere poteras, quia nihil tibi ſum vtilis, ſed ex tua bonitate æterna participaſti mihi eſſe viuere & intelligere, & ad imaginem tuam me formaſti. Benigniſſima incarnatione tua & redemptione. Tu es enim ille rex regum, qui ſedes ſuper Cherubin & intueris abyſſos, qui propter
C noſtram ſalutẽ noſtros defectus aſſumpſiſti, paupertatem, famem, ſitim, triſtitiam & dolores, &c. In terris viſus es, & cum hominibus conuerſatus es, & delitiæ tuæ eſſe cum filijs hominum. Vnde hæc? Nõ ex noſtris meritis, ſed ex tua æterna bonitate. Quantas blaſphemias, irriſiones, tormenta pro nobis ſuſtinuiſti, non coactè, ſed libenter & voluntariè, & non ſolum libenter, ſed & ardẽter. Poteras nos propter peccata noſtra in nihilum redigere, aut certè alios homines innocentes creare, ſed bonitate tua nos habere voluiſti,
D immò pro nobis tanta ſuſtinuiſti quaſi te odires & nos diligeres exaltando, quid vtilius Deo? & quid vilius peccatore, qui cane peior eſt & illuditur pro peccatore?

Confidentia quam nos vis habere ad te, patrem enim te hortaris vocare lutum & cinerem, & petere mones vt habeas occaſionem dandi, delectaris enim in noſtra ſalute & das nobis plura quam ex pigritia petimus, & quanto plura das, tãto plus habes.

E Donis mihi præſtitis: dediſti enim mihi hoc corpus hanc animam & vires corporis & animæ, angelum pro cuſtode, diabolus enim me milleſies obruere potuiſſet, niſi ille me defendiſſet. Et breuiter omnia quæ habeo dediſti mihi, ipſe enim es Deus meus qui mercatus es me, in cuius poteſtate meus flatus exiſtit, quem cum aufers reuertor in puluerem. Educatione, dediſti enim mihi laborioſos parentes qui me ſuis laboribus educauerunt & nutrierunt, & non neglexerunt. Produ-
F xiſti partem meam in frumentis carnibus & piſcibus, ac alijs quibus educatus ſum vſque ad hoc tempus, &c. Fide & ſacramentis, quia dediſti me naſci inter Chriſtianos, non per patrem paganum aut Iudæum, ſed baptizari & alijs ſacramentis adiuuari, quibus tua amariſſima morte efficaciam meruiſti, & ſpecialiter de hoc ſacratiſſimo ſacramento corporis & ſanguinis tui, in quo manes nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi. Et tantum Eccleſiam diligis, vt perſecutiones nobis factas tibi fieri dicas, clamans de cœlo: Saule Saule quid me perſequeris?

Gratuita toleratione in peccatis & reuocatio-

Digitized by Google

ne, diſſimulaſti enim peccata mea nõ me demergendo ad inferos tradendo, ſed expectaſti, vocaſti per inſpirationem ad pœnitentiã per flagella, per infirmitates, per perſecutiones, per correptiones, per prædicationes, per horrorem mortis, iudicij, & inferni, & non ceſſaſti donec orationẽ orarem. Hilaritate paterna qua me ad pœnitentiam cum gaudio ſuſcepiſti ſicut filium prodigũ, & renouaſti, remiſiſti mihi delicta commiſſa, & de bonis omiſſis dediſti mihi diſplicentiam peccatorum, abſtuliſti occaſiones recidiuandi, dediſti gratiam promerendi & ſpem progrediendi.

Iteratione gratiæ, quia recidiuantem iterum ſuſcepiſti, & iterum ingratitudinem remiſiſti, nec poſuiſti gratiæ tuæ terminum. Chariſſimo dono Spiritus ſancti, quod mihi in ſacramentis immundo & indigno communicaſti, vt me purgaret illuminatè, & charitate inflammaret.

Liberatione à ſeculo, vt per introitum religionis fugerem occaſiones peccatorum, cum ſocij mei mortui ſunt fortè in peccatis ſuis, qui hanc gratiam non perceperunt. Heu quot ſunt damnati in inferno qui minora & pauciora peccata commiſerunt quam ego, & non ſurrexerunt. Et quot meliores me adhuc in ſeculo ſunt inuoluti diuerſis occaſionibus peccatorum, honoribus vanis, voluptatibus, diuitijs terrenis. Quid in me inueniſti, quod dediſti mihi pennas ſicut columbæ, vt volarem de ſeculo vbi ſordes & iniquitates? pro quibus tibi gratias ſpecialiter ago.

Miſericordia ſpeciali, quod cuſtodiſti me à multis peccatis, quæ circa me fuerunt attentata, adulteria, homicidia & alia, quæ non euaſiſſem niſi tu me retraxiſſes. Et quod de triſtitia ſæpè abſorptus, de tua miſericordia non deſperaui, ſæpè conſolatus es me diuerſis vocationibus ſupra poſitis. Notitia tua & notitia ſcripturarum, quod aperuiſti mihi intellectum earum. Quot ruſtici, quot ignari, qui nõ intelligunt quid agũt? qui ſi intelligerent, fortè multo plura bona facerent quam ego ingratus tot doctrinis & ſcripturis ſacris facio. Occurſione tua, quocunque enim me verti, mihi occurriſti, in creaturis, in ſcripturis, blandimentis, terroribus, beneficijs, ne aufugere te potui. Promptitudine voluntatis, quam dediſti mihi grandia faciendi, grauia tolerandi, regularia ſufferendi contraria. Quietatione cõſcientiæ, tot enim fui inuolutus peccatorum angulis & ſcrupulis, quod niſi me iuuiſſes nunquam fuiſſem quietatus. Remotione periculorum, in quot enim fui peſtilentijs, cum indiſpoſitus fueram ad moriendũ, propter magna & grauia peccata mea, & ſocij mei mortui fuerunt, & tu me cõſeruaſti. Inſuper fui vel potui eſſe in periculis tonitruorum, fulguris, fluuij, ignium, latronum, beſtiarum & diuerſorum caſuum, in quibus ſi mortuus fuiſſem, timeo quod indiſpoſitus & extra charitatem deceſſiſſem. Seruitio, ſuper cœleſtiũ, inferiorũ & omnium. Omnia enim mihi ſeruiũt, angeli cuſtodiendo, cœlum per motum ſuum, Sol, Luna, & ſydera per luminis miniſtrationẽ. Aër refouet ſpirantem, aqua ſatiat ſitientem, terra nutrit eſurientem. Animalia bruta aliqua deſeruiunt, vt equi, aliqua incitando ad laborem, vt formicæ, aliqua incitando ad timorem, vt leones, vrſi. Et breuiter ſi te dilexero, omnia cooperabuntur mihi in bonum. Totali tui diffuſione, vt omnia alia quæ dinumerare non poſſum, comprehendam, te totum mihi dediſti, dediſti mihi dona naturæ, gratiæ & ſuperabundantiæ. Te naſcens in ſocium, conueſcens in edulium, moriens in precium, & regnans in pręmium vis dare, dediſti te fratrem omnium, ſpõſum, patrem, amatorem, doctorem, nutritorem & cuſtodem. Vltima expectatione finaliter. Si te nõ dereliquero, non vis me perpetuò derelinquere, ſed vis eſſe finis meus, complementum omnium deſideriorum meorum, vis me tecum regnare, tecum gaudere, & inſeparabiliter ſemper tecum manere.

Chriſto hoc eſt de teipſo, tu es donum hoc. O donum ſuper omne donum, te nobis in perpetuũ dona, & ſufficit nobis, quia tu es lux vera bonitas, vita & gaudium mundi, pietas immenſa, qui nos à morte ſaluaſti roſeo ſanguine tuo, & per illuminatiuam viam duxiſti.

De via inſtructiua. *Cap.* 4.

IAM ſicut præmittitur homine purgato & illuminato vtile eſt habere puncta inſtructiua pro ipſius emendatione, vt ſciat effugere occaſiones peccatorum, de hac via videatur beatus Benedictus capitulo ſuo quarto in regula ſua, videlicet de inſtrumentis bonorum operum, cuius capituli pars notabilis habetur in tabula quæ ſequitur ſecundum ordinem alphabeti.

Abnegaretur ſeipſum, &c. & ſequi Chriſtum. Bonum in ſe viſum Deo aſcribere & nõ ſibi, &c. Corpus caſtigare. Deum præ omnibus diligere & proximum ſicut ſeipſum. Elationem fugere. Facere de ſecularibus actibus alienum. Guloſum non eſſe. Honorare omnes homines. In omni loco & tempore Deum reſpicere. Charitatem continuam habere. Lectiones ſtans libenter audire. Maledicentes benedicere. Non iurare ne fortè periuret. Orationi frequenter incumbere. Præceptis ſuperiorum obedire. Quæ dicunt prælati facere? Riſum multum non amare. Spem ſuam Deo committere. Timere diem iudicij. Vitam æternam omni concupiſcentiam ſpirituali deſiderare. Chriſto omnino nihil præponere. Zelum & inuidiam non habere. Facientibus autem hoc promittit ſanctus Benedictus præmium quod oculus non vidit, &c. ſi autem quæritur, vbi poſſunt hæc cuſtodiri? Reſpondetur quod difficulter in ſeculo. Ideo dicit in regula. Officium, &c.

De via imitatiua. *Cap.* 5.

VT vult Ioãnes Gerſon Cancellarius Pariſiẽſis. Ad inflammationem diuini amoris valet inſpectio præcedentiũ ſanctorum qui nobis proponuntur ad imitationem in actibus virtuoſis vt in obedientia, humilitate, patientia, quorum interceſſione & imitatione poteſt homo proficere. Et hæc vocatur via imitatiua: Vnde pro exemplo ponitur hoc alphabetum & per talem modum poſſet ſibi homo ex legendis ſanctorum modũ viuendi colligere, iuxta illud. 1. Corin. 2. Hic te doceat humilitatẽ, hic patiẽtiam, &c. Quilibet enim ſanctus eſt nobis exemplum alicuius virtutis.

Am-

Digitized by Google

Ambroſius eſt nobis exemplum magnæ confidentiæ, id eſt ſpei de bonitate Dei. Vnde ait: Non timeo mori, quia habemus bonum dominũ. Bernardus eſt nobis exemplum eximiæ humilitatis, qui vt fumum reputauit homines, & altæ contemplationis, qui eleuatus in Deum tota die penes lacum equitauit, & de ſero vbi lacus eſſet ignorauit. Clemens affabilitatis, qui omnibus ita affabilis fuit, vt etiam Iudæi & gentiles eum diligerent. Dominicus magnæ charitatis, qui orauit vt ſe totum impendere poſſet ſaluti proximorum qui & diſciplinas tres qualibet nocte accepit pro ſe & pro remiſſione purgandorum. Egydius voluntariæ perpeſſionis vulnerum. Sagittatus enim fuit, & petiuit dominum vt vulnus ſuũ interim quod viueret non ſanaretur. Franciſcus mẽtalis crucifixionis. Tantum enim ſtetit in meditatione paſſionis, quod vulneratus quinque vulneribus Domini per triennium ante mortem ſuã Chriſto Domino ſuo crucifixus apparuit. Germanus magnæ abſtinentiæ. Ne enim cibus delectaret eum cineres in ferculis poſuit. Henricus miræ caſtitatis. Cũ enim eſſet filius regis Hungariæ & genus regium matrimonio augere potuiſſet, tamen prælegit virginitatem, & quamdiu vixit virgo permanſit. Iob magnę patientiæ.

Omnibus enim bonis priuatus benedixit Dominum, & totus vulneratus dixit: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, &c. Carolus Imperialis iuſtitiæ, qui imperator exiſtens tantum mundũ contempſit, & ſine perſonarum acceptione leges condidit quod ſanctificari meruit. Laurentius vehementiſſimæ tolerantiæ in paſſione. Martinus ſecuritatis multæ confidentiæ requiſitus à latrone an timuiſſet, quando eum cum ſecuri interficere voluit, reſpondit, quod nũquam tam ſecurus fuit, quia ſcio quod Dominus in pẽticulo proximus eſt. Nicolaus miræ largitatis ac manſuetudinis. Oſualdus magnæ largitatis, qui ſcutellas argenteas ſibi ante poſitas in particulas comminuit, & pauperibus erogauit. Paulus magnæ laborioſitatis, plus enim omnibus prædicauit, magnum zelũ habuit animarum de regno in regnum cucurrit & non quieuit. Quiricus puer trium annorum præbet exemplum quia à præfecto renuit conſolari, præcipitatus fuit. Remigius magnæ maturitatis fuit, qui Senebaldum Epiſcopum pro peccato ſeptem annos incluſit & incarcerauit. Stephanus exemplum diligendi inimicos dedit, qui pro inimicis exorauit. Thomas obediẽtiæ & longinquæ peregrinationis, qui Domino obedire volens, ad Indiam peruenit. Vincentius exemplum perſeuerantiæ exhibuit, qui diuerſis tormentis non ceſſit, ſed in finem perſeuerauit. Chriſtus Ieſus Sanctusſanctorum, ſpeculum omnium virtutum, charitatis, humilitatis, fidei, ſpei. Eſt tamen ſciendum quod quilibet ſanctorũ eſt exemplar plurium virtutum, ſed hic ſolum pro exemplo poſita ſunt. Itẽ ſciendum quod aliqua fecerunt ſancti ex ſpeciali priuilegio, vt miracula & alia vltra humanam cõditionem ſe extendentia quem miranda ſunt potius quam imitanda.

De via exemplatiua. Capit. 6.

QVAMVIS ex præcedentibus hæc via aliqualiter patuit per commemorationem ſanctorum, tamen amplificanda eſt pro ædificatione multorum per commemorationem virtutũ ſecũdum ordinem alphabeti, & per commemorationem exemplorum vbi non ponam integra exẽpla propter breuitatem, ſed tangam ſenſum vt inde elici poterit intentio facti. Pro quo ſciendũ quod Gregorius in principio dialogi vult, quod multos ad deſiderium cœleſtis patrię plus accẽdunt exẽpla quam alta prædicamenta. Abſtinentia tenetur cum quis cum debitis circunſtantijs vtitur cibo & potu medio modo, non ſe aggrauando vt ſit tępidus adorandum, laborandũ, &c. & non ſe exhauriendo ad Dei nutum vt ſit inutilis. Remedium eius eſt feruenter ſe dare ad cibum ſpiritualem, ſicut ad ſacram ſcripturam. Exemplum. Conuenerunt duo fratres, qui orantes & legentes per duos dies & noctes, obliti ſunt cibum ſcilicet pulmentum quod comedere conſueuerant. Beneuolẽtia, id eſt patientia, cum quis in arduis & aduerſis ſuſtinẽdis dicit: Meritò hæc patior, quia Chriſtus qui innocens fuit quanta pro me paſſus eſt? Audiat Chriſtum dicentem ſibi: Si me penſatis nihil eſt quod vos toleratis. Exemplum de diſcipulo philoſophi, qui malè tractatus riſit dicens: Iniurias hic gratis recipio, pro quibus tribus annis munera dedi. Caſtitas tenetur ſi abſtinentia ſeruatur, & cor à cogitationibus, & ſenſus ab illicitis reſeruetur, & corpus caſtigatur. Exemplum. Beatus Benedictus tentatus libidine corpus ſuum vepribus lacerauit. Beatus Bernardus aquis frigidis refrenauit.

Diſcretio tenetur, cũ quis tenet medium in omnibus, ne ſit nimis feruidus aut nimis tepidus. Exemplum. Interrogantibus diſcipulis beatus Antonius concluſit diſcretionem eſſe matrẽ virtutum. Et idem vult beatus Benedictus. Valet autem ad hanc diuerſificare opera ſua verſus. Nunc lege, nunc ora nunc cum feruore labora. Sic erit hora breuis & labor ille leuis, ſcilicet in Deo. Eleuatio mentis in Deum, hoc eſt contemplatio, tenetur cum quis excludit ex corde ſuo vanitates, & amoroſè inhæret creatori ſuo. Exemplum de beato Benedicto, qui ſub vno ſolis radio vidit totum mundum. Fides tenetur cum quis adhæret ſanctæ matri Eccleſiæ. Remedium fidei eſt, quærere quæ non intelligit & credere. Exemplum. Diſcipulus qui tentabatur perfidia & ſpiritu blaſphemiæ, poſt tentationem ſuam manifeſtauit, liberatus eſt & quietatus. Gratitudo tenetur, cum quis cum gratiarum actione omnia bona ſua aſcribit Deo. Exemplũ. Propter ingratitudinem ſuam Saül depoſitus fuit & Ezechias infirmitati datus. Humilitas tenetur, cum quis cognoſcit ſe omnibus viliorem, & quod ſit cinis & puluis. Exemplũ. Cum quidam patrum ait: Populus te ſtultum reputat. Reſpondit: hoc ego volui.

Iuſtitia vnicuique tribuit quod ſuum eſt, Deo laudem, ſuperiori obedientiam, proximo concordiam. Exemplum de eo qui filium ſororis ſuæ ſuſpendi fecit, quia noluit acceptor eſſe perſonarum. Charitas ad Deum, eſt Deo pura & filiali dilectione adhærere, & congratulari Deo in profectione ſua, non quærendo commodũ proprium. Exemplum de eo quem Diabolus volens retrahere à bono, dixit damnandum, & ille

Digitized by Google

plus proinde ſeruiuit Deo dicendo: Ego non ſeruio ei propter regnum cœlorum ſed quia ſummè bonus eſt. Charitas ad proximum, eſt quemlibet proximum reputare ſicut ſeipſum, ita ei ſeruiendo eum iuuando, ſicut ſibi rationabiliter vellet fieri. Exemplum de ſanctulo, qui ſe pro diacono morti obtulit. Liberalitas & largitas, eſt bona ſua miſericorditer communicare, & ſi non habet temporalia, communicet ſpiritualia, vt orando pro omnibus, pro pauperibus, pro infirmis. Exemplum de Paulino Epiſcopo, qui omnia ſua bona pauperibus diſtribuit. Ad vltimum ſeipſum in captiuitatem pro filio cuiuſdam viduæ dedit, in dialogo. Maturitas eſt ſeipſum reſtringere à leuitate morum. Exemplum. Bernardus, Chriſtum quater fleuiſſe legimus riſiſſe nunquam. Item quidam ait: In tremendo iudicio ſtabimus, & tu rides. Negotiatio eſt vtiliter tempus expendere, & otium fugere. Vnde Hieronymus. Semper aliquid operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Exemplum in vitis patrum, qui laborare noluit, non fuit inuitatus ad menſam. Obediētia eſt obtemperare indifferenter præceptis ſuperiorum, ſiue ſint grauia ſiue leuia. Exemplum de eo qui ait: Ego & aſinus vnum ſumus, quicquid ei imponitur hoc portat, & ſine mora.

Perſeuerantia eſt ab incœpto bono vſque in finē non ceſſare. Valet ad conſeruandam perſeuerantiam apponere modicum laborum. Sicut enim ignis per appoſitionem lignorum conſeruatur, ſic perſeuerantia per appoſitionem laborum. Exēplum de eo qui quinquaginta annis rigidè vixit, & tandem cecidit. Quietudo eſt diſtractiones & ſollicitudines ſimul effugere, exemplo Ioannis Baptiſtæ qui fugit in deſertum. Et Angelus Arſenio dixit: Fuge, tace, quieſce.

Religio principaliter conſiſtit in tribus. Obedientia, caſtitate & paupertate. Exemplum beatus Gregorius fecit proprietarium ſepeliri in ſterquilinio. Et beatus Auguſtinus delet eos de tabula clericorum, vt patet in ſermone de communi vita. Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis ex meritis & gratia proueniens, vnde ſine meritis velle habere beatitudinem, eſt potius præſumptionis quam ſpei. Exemplum. Beatus Bernardus tentus in viſione ad iudicium, deſperare noluit, diabolo paſſionem Chriſti obijciendo. Remedium eſt videre Chriſtum crucifixum cum inclinato capite & extenſis brachijs ad miſerendum & ad ſuſcipiendum. Exemplum de prodigo filio in Euangelio.

Taciturnitas tenetur, id eſt ſilentium, cum quis ab otioſis, & interdum etiam à licitis linguam ſuā refrenat. Exemplum: Agathon per tres annos lapidem in ore ſuo portauit, vt ſilentium diſceret. Veritas eſt idem in ore & opere exhibere quod habetur in corde & poteſt vocari ſimplicitas. Chriſtianitas, vide ſupra fides. Zelus animarum, ſupra charitas proximi. Sic multæ virtutes aliæ poſſunt ſub illis comprehendi.

De via admiratiua. *Cap. 7.*

REFORMATVS iam in ſe per virtutum exempla animus, poterit iam ſe mundius & purius eleuare ad cognoſcendum creatorem ſuum. Primò per admirationem, quæ non debet eſſe incredulitatis, ſed venerationis, credulitatis, vnde quis attendendo ea quæ apprehendere non poteſt, proijciat ſe profunda reuerentia, ſtupendo ton magnum & excelſum ſuum creatorem. Vnde admiratam meditādo quærat à ſe, vnde habeat ortum tanta magnitudo vniuerſi. ſ. cœlū, terra, Sol & Luna, &c. Es ne tu Deus meus? Et reſpōdebunt omnes, non, ſed ipſe fecit nos, & non ipſi nos, ſecundū Pſal. Quo audito dicat: Quis eſt De⁹ meus? eſt ne potens? Et audit ſcripturā: Poteſtas eius à mari vſque ad mare, & ita ipſe eſt qui cœlorū continet thronum, & abyſſos intuetur, montes ponderat & terram palmo concludit &c. Quærat conſequenter, eſt ne pulcher? Et audit ſcripturā dicentem ſibi: Pulchritudinem eius Sol & Luna mirantur, ipſe enī eſt in quem deſiderant angeli proſpicere. Et iterū: ſpecioſus forma. Quærat cōſequenter, eſt ne ſapiens? Et audit: In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciētiæ reconditi. Eſt ne diues? Reſpondet: Dn̄i eſt terra & plenitudo ei⁹. Eſt ne benignus? Reſpōdet: Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera ei⁹. Admirando ergo magnitudinē eius potētiæ, profunditatem ſapientiæ, benignitatem clemētiæ, clamet: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. Illi mihi adhærere bonū eſt, & ponere in eo ſpem meam. Pro quo ſciendum, in hac materia debet eſſe admiratio. Et quicquid non potetit capere ratio, capiat fides. Pro exemplo vide infra. Hic ſingulis dictionibus ſequentis alphabeti præponatur. Mirare, vt Mirare. Amoroſiſſimam in Trinitate cōſubſtātialitatem, de qua profundiſſimè inter cætera dicit Bonauentura, quod bonum eſt ſui diffuſiuum, & ſummè bonum eſt ſui ſummè diffuſiuum, quæ diffuſio non eſſet ſumma, niſi eſſet conſubſtantialis & coæterna. Quia igitur pater eſt ſummè bonus, ſummè ſe communicat generando filium, communicādo ſummam conſubſtantialitatem ſuā & coæternitatem ac coæqualitatē, quā ſi non cōmunicaret, nō ſummè ſe diffudiſſet, quia adhuc amplius potuiſſet, qui poteſt capere capiat, qui nō poteſt capere credat. Mirare. Benedictā coæternitatē in Trinitate, de qua beatus Auguſtinus adducit aliqualem ſimilitudinē de igne, vnde quā citò eſt ignis, tā citò de eo procedit fulgor & calor. Ponatur ergo quod aliquis ignis fuerit ab æterno, tunc ſimul ab æterno fuit fulgor & calor, & tamē fulgor & calor procederent ab igne & nō ignis ab illis. Mirare. Coopertiſſimam & occultiſſimā & incōprehenſibilē, incircūſcriptibilitatem & immēſitatem deitatis. De hoc Gregorius in quarto dialo. Vide. i. contēplare vel mirare creantem & regentem, implentē & circūplectentem, tranſcendentē & ſuſtentantem, incircūſcriptum & inuiſibilē Deum. Mirare. Digniſſimam illam exiſtentiam aut eſſentiam deitatis qua ſolus fuit antequā creauit omnia, ſibijpſi ab æterno ſufficiens, nullius indigens, de qua quidam meditator dicit: Meditare cum Deus fuerit ſolus, vbi tunc vanagloria hominum, & demonum dolus. Sic verò omnia diſcas paruipendere. Mirare. Excellentiſſima eius omnipotētia, de qua dicitur. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Mirare vnde tanta multitudo creaturarū eſſet, niſi ille potentiſſimus eas condidiſſet. Mirare.

Famo-

Famoſiſſimam eius ſapientiam, qua totum vniuerſum ex nihilo creauit, vbi recepit tantam molem montium, tantam multitudinem lapidũ, vbi vidit prius exemplar cœli & terræ. Et quomodo artifex faciet illa quæ nunquam præceſſerunt in exemplari. Mirare quod tam ſapienter omnia gubernat, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter. Mirare. Gratiſſimam illam bonitatem, qua tot & tantis creaturis communicare voluit eſſe, viuere & intelligere, qui perfectiſſimus fuit nullius indigens. Vnde enim tantus decor creaturarum & vtilitas earum quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ, niſi ab illo fonte ſummo bono. Mirare.

Humanam ſublimationem, quod hominem de puluere factum in paradiſum conſtituit, & omnia ei ſubdidit, volucres cœli & piſces maris, & omnia quæ ſunt, proſunt ei aut ſeruiunt. Quod etiam admiratur Dauid dicendo: Quid eſt homo quod memor es eius: Mirare. Infectionem totius humanæ creaturæ, quod per peccatum Adæ in totum genus humanum per peccatum originale diffuſum eſt. Sed admiratio tollit, quia in ſimili paſta infecta omnes panes ex eadem farina decocti infecti ſunt. Mirare. Chariſſimam illam tolerationem qua primos parentes inobedientes Dominus non annihilauit, & alios loco ipſorum creauit, quod facillimum ei fuiſſet, ſed tolerando veſtiuit pelliculis, & ad locum pœnitentiæ in hanc terram dimiſit. Mirare.

Lætiſſimum conſilium Trinitatis ſuper incarnatione filij Dei, de quo Dauid dicit: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, &c. Beatus Auguſtinus in meditationibus ſuis dicit, quod non potuit ſatiari dulcedine animorum, admirando cõſilium incarnationis, quod tanta maieſtas tantam habuit charitatem ad hominem. Mirare. Mirandam vnionem deitatis & humanitatis, quomodo ſummum cum immò, æternum cum temporali, hoc eſt cum homine ſexto die formato, perfectiſſimam cum defectuoſo vniri voluit. Mirare.

Nobiliſſimam deitatis tantã humilitatem, quod defectus noſtros in ſe ſuſcepit. ſ. famem, ſitim, calorem, frigus, timorem, dolorem, paupertatem & infirmitatem, triſtitiam, & ſic de alijs. Et demum (quod plus eſt mirandum) mortem turpiſſimam. Quod admirans Eccleſia in hymno canit: Quæ te vicit clementia, &c. Et de ſacramento Euchariſtiæ canit Eccleſia: O res mirabilis, mãducat Dominum pauper ſeruus & humilis. In quo principaliter tria ſunt miranda, primò quod tanta maieſtas ſub tam ſpecie modica continetur, ſecundò quod idem corpus ſit in diuerſis locis, tertiò quod fracta hoſtia integer Chriſtus ſub qualibet particula perſeuerat. Mirare. Ordinem vniuerſorum quod tam citò & faciliter facta ſunt, & ita ordinata ſecundũ ſituationem ordinationis ſuperioritatis & inferioritatis, nobilitatis aëris, fœcunditatis terræ. De origine mundi qui cœpit creatione, & currit per tempora naturæ, legis & gratiæ, & conſummabitur iudicio. Mirare. Pulchritudinem vniuerſi ſecundum varietatẽ luminum, figurarum & colorum. Mirare. Quanta ſyderum multitudine decoratũ eſt cœlum, quanta varietate auiũ aër, quanta piſcium diuerſitate aquæ, quãta metallorũ ſcilicet auri & argenti & gemmarum diuerſitate montes, quãta varietate plantarum, arborum &
A herbarum ſyluæ & valles, quanta diuerſitate animaliũ ſecundum diuerſitatem generalem, ſpecialẽ & indiuidualẽ decorata eſt terra. Mirare. Quietem quam omnia appetunt, quomodo omnia ad locum ſuum tendũt, leue ſurſum, graue deorſum. Aues turbatæ fugiunt ſurſum, piſces fugiunt in profundum aquarũ, beſtiæ ad ſyluas reptilia, ſerpentes ac mures ad cauernas terræ. Mira res eſt, quomodo diuerſa loca pro ſui conuerſatione ex naturali inſtinctu petunt, & quomodo quælibet
B ſpecies ſibi adhæret. Grues ſimul volãt, lupi ſimul currunt, & etiam ſciunt tempora ſua pariendi & quieſcendi, & loca caloris & frigoris, ſicut hirundines quæ præueniunt tempus frigoris petendo regiones calidas, mirabilis Deus in creaturis ſuis. Vide formicã vix videri poteſt, & habet tot oculos & tot pedes, & caput & corpus ſicut equus, ſentit & laborat. Mirare. Reſolutionem animalium in terra de qua facta ſunt, iam homo mihi loquitur, ſentit & intelligit, mandat, regnat & terret alios, ſubitò reſoluitur in terram & puluerẽ,
C vbi non eſt vox neque ſenſus, & iterum de te ſurget homo viuus ſentiens & intelligens, &c. Mirum nobis, ſed quid mirum illi quæ omnia quæcũque voluit fecit. Quod admiratur Pſalmiſta dicens. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, &c. Mirare. Seminalem virtutem, cuius tanta & tam mirabilis eſt multitudo & abundantia formarum ſecundum rationes ſeminales in rebus. Terra enim tot herbas, tam diuerſas & vtiles & medicinales de ſe producit, miramur vnde habet
D illam potentiam. Item videmus minutiſſimum granum ſeminis, de quo producitur magna arbor vbi habuit granum tot ramos, tot folia, tot fructus. Certè mirabilis Deus in creaturis ſuis. Miremur. Trutinationem, librationem vniuerſorum, quod omne quod eſt: aut eſt ſubſtantia aut accidens, iuxta illud: Summus Ariſtoteles trutinabat cacumina mundi. In duo diuiſit quicquid in orbe fuit: Item omnia conſtituta ſunt ſub numero, pondere & menſura, vt dicit Salomon. Numero res diſtinguntur, pondere ſi-
E tuantur, menſura limitantur, & tamen multipliciter res diſtinguuntur. Prima differentia rerum, quædam habent eſſe, vt lapides quædam eſſe & viuere vt bruta, quædã habent eſſe, viuere & intelligere, vt angeli & homines. Secunda differentia, quędã ſunt mutabilia & corruptibilia, vt terreſtria quædam ſunt immutabilia & incorruptibilia, vt ſunt ſupercœleſtia, quædam corporalia, quædam ſpiritualia, quædã ſimul, &c. Ex his collige creatorem illorum potentiſſimũ, ſapientiſſimũ & optimũ, trinũ & vnum, & qui his conſideratis nõ ex-
F citatur ad cognoſcendũ ſuũ creatorem, cœcus eſt, ſurdus mutus & ſtultus. Cognouit enim bos poſſeſſorẽ ſuum & aſinus præſepe Domini ſui. Ille autẽ non vult intelligere creatorem ſuum. Mirare.

Vtilitatem, durabilitatem & firmitatem rerum. Nihil enim in rerum natura fruſtra, quia Deus & natura nihil faciunt fruſtra, vnde ſol & luna diſtingunt nobis tempora, inde ſcimus quando dies eſt, & quando eſt nox, & de durabilitate ſolis videmus iam, quod pluſquã per ſex millia annorũ volutus eſt & motus, & non deficit, vt vult Auguſtinus. Si fuiſſet rota artificis terreni, milleſies

Digitized by Google

fracta fuiſſet,& quomodo continuè lucet,& non indiget ſepo. Si fuiſſet lucerna artificis terreni,dudum extincta fuiſſet. Et ſi obieceris de vtilitate, an diabolus ſit vtilis? Reſpondetur quod ſic. Nõne tortor & lictor eſt vtilis in ciuitate propter malefactores, & in toto vniuerſo ille tortor eſt malefactor. Item lege quantum vtilis fuit Iob, cui coronam patientiæ augmentauit. Sic enim clementiſſimus Deus malo bene vtitur. Sed diceres? Pro quo ſunt damnati vtiles in inferno? Reſpondetur, ad oſtendendam diuinam iuſtitiam,& ad augmentandam gloriam ſanctorum. Sancti enim videntes tot tormenta damnatorum, glorificant Deum intimius qui eos eripuit à tot tormẽtis. Item obijcit de lupis & ſerpentibus, & ſic de alijs ſimiliter. Reſpondetur, ſi homo non peccaſſet, omnes creaturæ inferiores ſubditæ ei fuiſſent, & ſic lupi & ſerpentes obediuiſſent ei ad nutum. Sed quia frangenti fidem, fides frangatur eidem, quia homo non obediuit altiſſimo,abſolutè ſunt beſtiæ ad eius obedientia,valent tamen adhuc homini ad terrẽdum eum ne in peccato permaneat, ne fortè læſus à ſerpente in peccato moriatur. Et ad rememorandam tranſgreſſionem, propter quã ei illa rebellant, & nonne de venenoſis animalibus tyriaca medicinalis conficitur: Item dicit,ad quid valent pulices, qui nos inquietant? Reſpondetur, valent ad humiliandum hominem, homo enim tumet ſuperbia, inquietatus à pulice humiliat ſe dicendo? Quid te exaltas puluis & cinis, qui pulici non vales reſiſtere? Pro indubitato ergo tene ex paucis multa quod omnia ſunt vtilia, & derogaret eius honori, ipſum aliquid inutile creaſſe. Sed ſi tu non intelligis, dicit tibi Auguſtinus ſimile eſt ſicut ſi vadis ad officinam artificis fortè fabri aut alterius, vides ibi multa inſtrumenta, malleos, clauos &c. dicis ad quid tanta multitudo inſtrumentorum? Nouit artifex, qui nihil ibi retinet inutile. Sic artifex omniũ Deus glorioſus nouit in gubernatione ſua quid habeat in toto vniuerſo, ad quid condidit, ad quid valet. Huic te ſubijce, & admirando magnifica, lauda, glorifica, ſuperexalta & benedic Deum in operibus dicendo canticum: Benedicite omnia opera Domini Domino. Item: Laudate Dominum de cœlis, &c. Gloſſa prima date actionem laudis & admirationis, omni varietate & mirabili virtute.

Chriſto iudice tuo in fine ſeculi mirare quod iudicatus veniet iudicaturus. Et vnde ei tanta ſapientia, quod cuiuſlibet facta ita ſciet plenè quęcunque cogitauit, fecit & dixit, ac ſi ſibi ſoli intẽtus fuiſſet, ac ſi ſolum ad ipſum reſpectum habuiſſet? Et quam mirabilis erit iuſtitia, vbi nihil boni manebit irremuneratum, & nihil mali impunitũ, ô certè incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ illius. Et quamuis miranda ſunt eius iudicia, tamen hoc firmiter eſt tenendũ,quod omnia iuſtiſſimè fecit & faciet, quia ſummè bonus,& nulli facit iniuriam. Et quia damnatis non dabit regnum, nõ facit eis iniuriam, quia nihil iuris habent in regno. Modo regula eſt. Qui nihil habet iuris,non poteſt cauſare de iniuria,ſicut nec ego poſſem cauſare, quia me non fecit angelum, quia nec merui de iure eſſe vermis, nec poterit quis ſe excuſare per ignorantiam, quilibet enim habet ius naturale in corde ſuo, & cuilibet inſpirauit Dominus aliquod bonum, ſiue fuerit paganus ſiue Iudæus. Et quia negligentior fuit pro ſalute ſua quam pro bonis corporis pro quibus cucurriſſet ad diuerſas partes mũdi, ſi ſe neglexit, imputet ſibi. Nec cauſari poteſt de perpetuitate pœnarum, quia enim contra æternum peccauit, & perpetuũ contempſit & blaſphemauit Dominũ, perpetua pœna punietur. Quia ſi perpetuò blaſphemaret, & ſolum temporaliter puniretur, maneret aliquid impunitum. Etiam quia qui cõmittit crimen læſæ maieſtatis contra temporalẽ principem damnatur perpetuo exilio. Et ſi perpetuò hic viueret perpetuò ſtaret ſententia. Vna ergo gutta diuinæ offenſæ eſt maior omni offenſa contra tẽporalem principem, quia iſte momentaneus illæ verò princeps æternus. Bene ergo finaliter & iuſtè omnia bene fecit & faciet, quod ſi non faceret Deus non eſſet, qui poteſt capere capiat, qui non poteſt credat & admirando veneretur.

De via peregrinatiua. *Capit.* 8.

ELEVATA mente per admirationem in opificem omnium incidit illud memoriæ noſtrę in perſona Redemptoris noſtris dictum: Recordare paupertatis meæ, quia ergo redemptor propter nos homines & propter noſtram ſalutẽ deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt. Dignum eſt peregrinationem eius attenta mente in hac terra & cum gratitudine meditari. Omnia enim pro noſtro exemplo & modo nobis ſalutari hæc egit. De hoc dicit Bernardus in perſona Chriſti: In vita mea poteris cognoſcere viam tuam, vt ſicut ego paupertatis, charitatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, miſericordiæ indeclinabiles ſemitas tenui, ſic & tum eiſdem veſtigijs incedas. Item Hugo: Conare quantum potes Chriſtum ſequi in vita ſua quam humilis fuit inter homines quam moderatus in comedendo & bibendo, miſericors inter pauperes, nullum horruit leproſum, nec diuitibus adulabatur patiens ad contumelias, verecundus in viſu, mitis in reſponſis, ſollicitus de animarum ſalute, in medio diſcipulorum miniſtrator, & breuiter ſtans, ſedens & incedens, eius vitam habere debes præ oculis,& ſic familiaritatis eius gratiam conſequeris. Et erit tibi ſemper in memoria, & duces in conſuetudinem ſemper ad ipſius memoriam recurrere. Et hæc via poteſt aſcribi beato Hieronymo qui hiſtoriographus fuit ſicut dicitur.

Altiſſimus eſt ab angelo nunciatus. Beatiſſimus de virgine natus. Cœtu angelorum in excelſis manifeſtatus. Dominus & paſtor omniũ eſt à paſtoribus viſitatus. Æternus rex eſt à dominis temporalibus regibus veneratus. Facta circunciſione in templo præſentatus. Gracilis puer ad Ægyptum baiulatus. Humilis & obediens de templo reuocatus. In Iordane à Ioanne baptizatus. Chariſſimus eſt ab ipſo diabolo tentatus.

Lumina mundi poſt hoc in apoſtolos vocauit. Merum de aqua primò coram eis formauit.

Notitiam ſuam alijs multis miraculis declarauit.

Omnia fouens fame & ſiti laſſatur. Palmarum virgulis vt rex honoratur.

Qui

Qui poſtea reprobus refutatur. Ritu legis cęnat, lauat pedes, contriſtatur, ſudat, capitur, trahitur, A ſputis deformatur. Torquetur, flagellatur, coronatur, vela tur, alapatur. Victima baiulat crucem, cum iniquis deputatur. Chriſtus crucifigitur, moritur, ſepelitur, reſurgit ad aſtra leuatur. Zelo charitatis ſpiritu inflãmatus, Apoſtolos in vniuerſum mundum mittit & ad huc iudex expectatur.

De via comparatiua. *Cap.* 9.

VIA multum bona eſt pro contemplatione quæ dicitur comparatiua. Comparando enim ſimul Chriſti humanitatem ad maieſtatem B ſuæ diuinitatis magnus affectus deuotionis excitatur, tunc enim perpenditur quantum illa tremẽda maieſtas propter nos ſe humiliauit. Et aſcribitur beato Ambroſio quia hunc proceſſum habet in hymnis ſuis, vt patet in illo: Rex Chriſte factor omnium, in paſſione. Altiſſimus in abiecto loco naſcitur. Baiulator & ſuſtentator omniũ in præſepio ſuſtentatur. Conſolator omnium Angelorum in medio reperitur iumentorum. Ditiſſimus conditor omnium honoratur munere magorum. C Æternus nutritor omnium cibo paſcitur mortalium. Fons & origo omnium ſitit potum Angelorum. Gubernator ſupernorum ſe ſubijcit imperio terrenorum. Hoſpitator ſanctorum omnium fugit in Ægypti exilium. Informator ſapientiæ audit doctrinam ſtultorum. Charitatis ſpeculum traditur vt ouis in manus luporũ. Liberator vinculis vt fur aut latro ligatur. Maieſtas quam tremunt Angeli vt vilis conculcatur. Notiſſimus in cœli curia hic nõ noſcitur, ſed negatur. Optatus à patribus, à filijs hic ſeductor proclamatur. D Præclariſſimus inquem proſpiciunt Angeli, ſputis maculatur. Quietiſſimus qui eſt ſanctorũ requies crucem portando fatigatur. Rectiſſimus iudex omnium ſententia mortis damnatur. Speciosus forma præ filijs hominum à planta pedis vſque ad verticem vulneratur. Terribilis in conſilijs cruci applicatur. Vita & origo omniũ præ nimijs doloribus morte anxiatur. Chriſtus reſuſcitator mortuorum ad ſepulchrum portatur.

O {
Amor meus.
Eruditor meus.
Ignis me incendens.
Nutritor meus.
Refugium meum.
Chriſtus miſericordia mea.
Beatitudo mea.
Finis meus.
Charitas me inflammans.
Occurſor meus.
Spes mea.
Conſeruator meus.
Gaudium meum.
Lumẽ me illuminãs.
Pater meus.
Theſaurus meus.
Amabilis.
Benignus.
Compatiens.
Deſiderabilis.
Expectabilis. }

O {
Fidus.
Gratioſus.
Humilis.
Iocundus.
Charitatiuus.
Liberalis.
Director meus.
Honor meus.
Medicina mea.
Quies mea.
Vita mea.
Manſuetus.
Nobilis.
Obtemperabilis.
Placabilis.
Quietus.
Recreatiuus.
Syncerus.
Toleratiuus.
Verax.
Chriſt9 Ieſus dominus & rex meus.
Amen. }

De via compaßiua. *Cap.* 10.

IN via peregrinatiua & comparatiua facta eſt mentio de paſſione Chriſti, ſed dignum eſt vt adhuc de hac ſacratiſſima paſſione ſpecialis ponatur via, in qua homo ſtet ſuſpenſus per meditationem, attendens Chriſtum quaſi ante ſe pendẽtem in cruce & ei compatiatur, ſit crucifixus ei, & quaſi vulnera iſta non iam Chriſto, ſed quod ſibi actualiter infligantur in hac meditatione Franciſcus ſtans, vulnerum Chriſti quinque ſtigmata realiter in corpore ſuo diuino munere per meditationem impreſſit, vt dicit Bonauentura. Vnde pro præſenti occurrit triplex modus meditãdi paſſionem Chriſti. Primus per horas canonicas. Secundus modus eſt contemplãdo corpus Chriſti incipiendo à ſummitate vſque deorſum, ſic meditãdo quo caput coronatur. Require ſupra in meditatione paſſionis Chriſti, capite de diuerſis modorum cogitandi paſſionem Chriſti. Tertius modus contemplandi paſſionem Chriſti, vt ipſe ſtet quaſi ipſe ſit per ſe ſuſpenſus in cruce, meditando ea quæ habentur in tabula vbi ſupra. Sic enim Chriſtus ſtetit in cruce cum ardentiſſimo amore, beneuola patientia, vt ſupra.

De via affectiua. *Cap.* 11.

VIA affectiua quæ aſcribitur beato Bernardo per quam quis amoroſè adhæret Deo creatori ſuo. Via affectiua poteſt dici vnitiua, vocatur tamen affectiua, quia multum inflammat affectum ad Dei amorem & mentis eleuationem, & aſcribitur beato Bernardo, qui ita dulcis fuit in meditatione, vnde in quodam ſermone de cœna Domini alloquitur dominum ſub tali forma verborum, dicens: Tu es domine amor meus, honor meus, ſpes mea, refugium meum, vita mea, gloria mea & finis meus. Non aliud quæro, non aliud volo, non aliud mihi dicatur, non aliud mihi proponatur. Et meritò, quia tu es mihi ſufficientiſſimus, tu es pater meus, frater meus, nutritor meus, rector meus, cuſtos meus, qui es totus amabilis, totus deſiderabilis, totus fidelis. Non eſt tam liberalis qui ſeipſum tribuat, non eſt tam charitatiuus qui pro tam vili peccatore moriatur, non eſt humilis qui maieſtatem ſuam tantum humiliauit, qui nullum deſpicis, nullum horres, nullum quærentem te deſeris, ſed præuenis eum & occurris quærenti, delitiæ tuæ eſſe cum filijs hominum. Quid in nobis inueniſti niſi ſortes, & nobiſcum vis eſſe vſque in conſummationem ſeculi, nonne ſatis fuit te pro nobis mori? nonne ſatis fuit tot dediſſe ſacramenta, Angelos cuſtodes? & his ingrati ſemper ſumus, ſed & tu te vis eſſe nobiſcum, tam bonus es quod te negare non potes. Faciamus ergo cãbium ſimul tu intẽde mihi & ego tibi, & ſicut vis & ſcis fac mecum, quia tuus & non alterius eſſe volo. Da mihi vt ego tibi ſoli intendam, te ſolam diligam, tuo ſemper amore ferueam, nihil aliud cupiam niſi te, & me totum tibi offeram, & oblatum nec aliquatenus repetam. Si enim aliqua charitas illa eſt in te. De hac via ponantur hæ tabulæ, & ſemper præponitur O. in meditando.

De via ſuperlatiua. *Cap.* 12.

AVGVSTINVS profundas habet vias meditãdi vt per creaturas. Dicit eñ interrogaui

cœlum & terram. Es ne tu Deus meus? Et reſponderunt mihi, non, ſed ipſe fecit nos. Habet & alios modos vnde manuali ſuo inter cætera ſic dicit ad dominum: Si totum mundum libri repleant maieſtatem tuã exprimere non ſufficiunt. Tu enim es quo melius excogitari non poteſt, qui omnẽ creaturam ſine labore gubernas. Nihil eſt quod turbat ordinem imperij tui. Hæc via ſuperlatiua quæ in re eſt affectiua, aſcribitur ei ſpecialiter, quia illo modo vtitur in ſuis orationibus & meditationibus per ſuperlatiuos gradus alloquẽdo dominũ: O pater dulciſſime amantiſſime, benigniſſime & ſic de alijs. Item in libro de verbis domini dicitur, quod quicquid perfectionis & boni eſt in creaturis, hoc excellentiſſimè eſt in creatore, quia ab illo fluit. Vnde ſicut venator videns veſtigium ferè non eſt contẽtus eo, ſed quærit feram, alias ſtultus eſt venator ſi ſolo veſtigio contentus eſt, quod cum non poſſit ſatiare, ſic ſic prudens contemplator videns aliquod bonum in creatura, debet cor ſuum eleuare in creatorem, verbi gratia: Videat pulchritudinem ſiderum, florum arborum, &c. dicat intra ſe, ſi illa tam delectabilia ſunt ô quãtum delectabilis & deſiderabilis eſt creator taliũ, quia quicquid eſt perfectionis in cauſato, hoc excellentius eſt in cauſa, & eſt excellentiſſimè in excellentiſſima & vniuerſaliſſima cauſa ſic homo videns hominem virtuoſum, charitatiuum & pium, &c. dicat intra ſe: Si riuulus iſte eſt ita laudabilis, quãta laude dignus eſt fons & origo eius, & ſic exaltat dominum per excellentiam in ſuperlatiuo, dicens ſibi hanc tabulam ſemper præmittendo ô, pro eleuatione, & in fine, Deus pater, & domine pro reuerentia ſic dicendo.

O { Amantiſſime.
Benigniſſime.
Clementiſſime.
Dulciſſime.
Excellentiſſime.
Fideliſſime.
Glorioſiſſime.
Honorandiſſime.
Innocentiſſime.
Chariſſime.
Largiſsime. }

O { Mitiſsime.
Nobiliſsime.
Omnipotentiſſime.
Præclariſsime.
Quietiſsime.
Rectiſsime.
Sufficientiſsime.
Tutiſsime.
Vtiliſsime.
Chriſtianiſſime De⁹.
Pater & Domine. }

De via oratiua. *Cap.* 13.

POSTQVAM in meditationibus exardeſcit ignis deuotionis, tunc aſſurgit in allocutionẽ dilecti per viam oratiuam, & capio hic orationem non ſolum pro petitoria, ſed generaliter pro laudatoria hymnidica, & ſic de alijs. Vnde homo non eodem modo ſemper afficitur circa dilectum ſuum. Sed nunc petit aliquid ab eo, nunc laudat in Hymnis & Pſalmis & Canticis, nunc admiratur venerando, nunc adorando, nunc benedicit aut glorificat, nunc gratias agit, confitetur, exaltat & ſuperexaltat. Debet autem oratio eſſe (niſi ex affectu protendatur) breuis ſecundum verba, ſed longa ſecundũ affectum, vnde verſus: Sic cor non orat, lingua in vanum laborat. De breuitate orationis dicit ſanctus Bernardus, in regula, quod debet eſſe breuis niſi ex affectu protendatur. Et hoc in vitis Patrum habetur, quod quidam patrum docuit diſcipulum orare hæc verba: Qui creaſti me

ſicut ſcis & vis miſerere mei. Et de Thay ſi quę pe-
A tiuit à patre orationẽ. Cui ille ait: Dic: Qui creaſti
me miſerere mei. Vnde ponit tantum tales & conſimiles breues orationes. O pijſsime pater miſerere pauperculæ creaturę tuæ. Idem: O ſumma bonitas recordare quod pro me ſanguinẽ tuum effudiſti, non ſinas me perire. Primus modus attendendi eſt attendere ad ſenſum verborum, & inde elicere ſenſum ſpiritualem, verbi gratia: Per Dauid intelligendo Chriſtum, per Go[illegible] diabolũ, per Hieruſalem ſupercœleſtem ciuitatem. Secundus
B modus attendendi eſt, ſtatuendo ſe mentaliter ad
certum locum, ne mens inde euagetur & coaptet quantum valet ſenſum pſalmi ad id quod ibi geſtum eſt, verbi gratia. Vnde pſal. ad locum annunciationis, quaſi videat Angelum deſcendentem ad cubiculum beatæ virginis Mariæ & dicẽtem: Aue gratia plena dominus tecum, &c. & cum eo multitudinem Angelorum pſallentium, cum quibus & ipſe pſallat. Secundum pſalmum in Natiuitate quem pſallebant paſtores & tres Magi & Angeli canentes: Gloria in excelſis Deo, &c. Tertium
C tranſeuntes ad templum vbi videat, Simeonem ſe-
nem occurrentem. Quartũ eundo in Ægyptum, & ſic conſequenter de alijs Chriſti peregrinationibus. Specialiter tamen conſtituat mentem ſuam in locis paſsionis Chriſti. Vnum pſalmum cantando in monte Oliueti, aliũ in domo Annæ, tertium ante Pilatum, alium ante Herodem, quintum in flagellatione, ſextum in coronatione, ſeptimum in lymbo patrum, alium in cœnaculo, vbi apparuit dominus Ieſus diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem,
D alium in aſcenſione, &c. Fixa enim mente ad cer-
tum locum mundi facilius attendit quam quod mens iam ſit in cœlo, iam in refectorio, iam in ſeculo, iam in ſcholis, &c. illa enim diſtrahunt.

Tertius modus attẽdendi eſt, quod homo eleuet cor ſuum ad paternam patriam, vbi audiat laudes ſanctorum, & cum illis putet ſe reuerenter ſtare & Deum laudare, vnum pſalm. cum choris Angelorum ſecũdum cum cœtu Prophetarum, alium Patriarcharum, alium Apoſtolorum, &c. Deinde ſciendum quod non debet ſolum orare pro ſe, ſed
E etiam pro Eccleſia, &c. Et ſic poteſt dicere vnum
pſalmum in perſona Chriſti, aliũ in perſona benefactorum, alium in perſona peccatorum, alium in perſona pauperum, alium in perſona infirmorum, alium in perſona omnium fidelium defunctorum & ſic de alijs. Et adhuc etiam poteſt mentem ſuam ſtabilire in orando pro pauperibus, videndo Chriſtum pauperem iacentem in pręſepio, orando pro errantibus, ſequendo dominum in Ægyptum, pro tentatis, attendendo deſertũ vbi Chriſtus tentatus
F fuit à diabolo, pro captiuis in monte Oliueti, pro
infirmis videndo Chriſtum anxiatum in cruce. Conſequenter eſt notandum, quod Bonauentura dicit, quod orando debemus tria facere. Primò inuocare gratiam Spiritus ſancti, & ſic poſſemus dicere: Veni ſancte Spiritus. Secundò implorando & pro nobis interponendo Chriſtum crucifixum in omnibus orationibus, & ſic in omnibus orationibus interponimus, per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, id eſt, meritis ſuæ paſsionis, & non noſtris petimus. Tertiò pro interceſsione poſſumus inuocare beatã Virginem & omnes Sanctos, & ſic dicere poſſumus: Sancta Maria & omnes ſancti

Digitized by Google

ſancti intercedite pro nobis ad dominum. Item inter cęteros modos attendendum quoad ſenſum videtur ille aptior, vt quis oret in perſona Eccleſiæ, vbi proponat ſibi quãdam multitudinem populi ſtantis iuxta crucem domini & clamantis ad dominum, in qua multitudine ſunt aliqui infirmi, aliqui tentati, &c. Et quia multiplexus ſenſus in pſalmis, & multi ſunt ſtatus hominum, ſecundum hoc aptetur vnus vel plures verſus. Et poſsit homo intentè conſiderare etiam corpus Chriſti in cruce, aliquos verſus optando impreſſioni ſpineæ coronæ, aliquos vulneri dextræ manus, &c. Aliud remedium attentionis eſt, vt homo per vnum pſalmum, concipit ſibi vnum affectum deuotionis ex pater noſter, vel aliunde quam mẽtaliter proferat ad ſingulos verſus, inclinãdo ad hunc ſenſum verborum, verbi gratia: Dixit dominus domino meo, cogitet, ô amator ardentiſſime. Donec ponam inimicos tuos ad alium mutet affectum, aut eundem continuet ſi feruet, vt Laudate pueri. O hoſpes ſuauiſſime, & ſic continuando exclamationes quæ loco viæ illuminatiuæ ponuntur in tabula orationis dominicæ, videlicet Pater noſter. Et per ſingulos pſalmos poteſt affectũ ſuum alligare ne euagetur per diuerſa, & ſic continuè erit memor Dei, & habebit cor eleuatum. Et dictis colligitur præſens tabula pro attentione continens vigintiocto clauſulas in quatuor lineis, ſecundum quod in vna manu vigintiocto ſunt loca in quatuor digitis, in quibus verſus Ciſio ianuis computatur.

Affectus timoris cum indignitate ſui reſpectu tremendæ maieſtatis.	*Cum Maria.*	*Cum Diſcipulis.*	Pro fidelibus defunctis.
Affectus ſpei de miſericordia & bonitate ſummi.	*Cum Angelis.*	*Cum Martyribus.*	Pro viuis & ſancta matre Eccleſia.
Affect⁹ gratitudinis de beneficijs perceptis.	*Cum Patriarchis.*	*Cum Confeſſoribus.*	Pro ſe & parentibus.
Affectus dilectionis de paternali charitate.	*Cum Prophetis.*	*Cum Monachis.*	Pro ſe & lugentibus & pauperibus.
Affectus laudis de ratione potentiæ & ſapientiæ.	*Cum Innocentibus.*	*Cum Virginibus.*	Pro infirmis & tentatis.
Affectus exultationis de omni perfectione.	*Cum Apoſtolis.*	*Cum Viduis.*	Pro afflictis & captiuis.
Affectus doloris de paſſione domini Ieſu Chriſti.	*Cum Euangeliſtis.*	*Cum omnibus Sanctis & electis.*	Pro inimicis infidelibus & paganis.

PRo declaratione huius tabulæ eſt ſciendum, quod affectus illi excitantur per exclamationem & cordis eleuationem. Et adhoc valent illæ dictiones: O quando, ſi, & conſimiles. Exemplum de affectu timoris. Si tu es tremenda maieſtas, vbi timor meus? O ardentiſsime amator, quando te diligam dulcedo mea? Illas vigintiocto clauſulas loca in ſiniſtra manu in quatuor digitis pollice excepto, ab intra & ab extra. Et ſic in primo digito habebis ſeptem affectus quos excitare poteris in te, adaptando cuilibet affectui vnum pſalmum vel plures, vnum verſum vel plures, & cum pollice punge articulum illius digiti, vt illa punctio vel impreſsio digiti impediat diſtractionem. Verbi gratia: Domine dominus noſter, &c. pſallendo cogita indignationem humani generis in primo articulo indicis, & ſic conſequenter. In alijs duobus digitis loca quatuordecim diuerſitates Sanctorum, & comprime cum pollice articulos ſingulos per ſingulos pſalmos. Verbi gratia, cum beata virgine Maria pſallendo pſalmum: Benedicam domino in omni tempore. Cum Angelis: Cœli enarrant. In paruo digito loca hos pro quibus vis orare in perſona illorum, ac ſi ipſi hoc orarent, pſalle, vel dic Pater noſter aut alias orationes, verbi gratia, dic: De profundis, ac ſi animæ de purgatorio ad dominum clamarent hæc verba: Miſerere mei Deus, ac ſi ſancta mater Eccleſia hoc pro ſe & ſuis filijs exoraret. Et hæc locatio ac punctio digitorum multum valet pro attentione, quia ſic cor hominis multipliciter limitatur ad aliquod determinatum, ſcilicet ad certum affectum aut ad certum chorum Sanctorum, aut ad certum affectum compaſsionum proximorum, & non erit euagationis tanta occaſio, hunc modum communiter habent Carthuſienſes, quod totum pſalterium ſibi conſtituunt in manu, vt ſic corde tenus attentius pſallant articulos digitorum percurrendo quaſi inſtrumento muſico citharizarent. Ex illo tamen fundamento & præcipuè ex diuina clementia, quæ multipliciter diſtribuit dona gratiarum, poterit homo multa plura concipere, & in manu ſibi conſtituere in vno digito Pater noſter, in alio illas quandoque partes ſalutationis Angelicæ, ſcilicet puriſsima perfectiſſima, &c. Et ſic poterit ſe etiam in laude virginis feruenter exercere. In alio digito, ſeptem peccata mortalia, in alio ſeptem dona Spiritus ſancti, in omnibus decem præcepta, & ſic adiutorio manuum poterit in manu plangere, meditari, pſallere, & Deum & Sanctos eius magnificare, laudare & ſuperexaltare, & hæc de attentione ſufficiunt. Item pro hac via oratiua nota tres orationes breuiſsimas. Prima eſt. O artifex potentiſsime ne derelinquas opus tuum, &c. O mercator prudentiſsime, ne ſinas perire precium mercationis tuæ, &c. O hoſpes clementiſsime, purifica, ſalua, dirige, conſerua domum tuam & hoſpitium tuum quod tibi in baptiſmo dedicaſti. Item circa primam viam nota triplicem intellectum dominicæ orationis, ſcilicet Pater noſter. In prima clauſula ponitur defectus noſter ad correſpondentiam vię purgatiuæ. Secundò gratitudo noſtra qua cognoſcimus creatorem noſtrum vt amatorem, nutritorem, &c. per modum vię illuminatiuæ. In tertia affectus noſter ad correſpondentiam vię vnitiuæ, vt patet in tabula ſequenti.

Digitized by Google

Pater noſter.	*Nos pupilli ſine te,*	*O amator ardentiſſime.*	Quando te diligemꝰ feruẽter filiali amore perfectiſsimo.
Qui es in cœlis.	*Nos vacui & exules,*	*O hoſpes ſuauiſſime.*	Quando habitas in hoſpitio cordis noſtri vt in cœlis.
Sanctificetur nomen tuum.	*Nos terrena tibi præponentes,*	*O ſapor ſanctiſſime.*	Quando nomen tuum dulceſcet nobis vt omnia terrena contemnamus.
Adueniat regnum tuum.	*Nos errantes,*	*O rex præclariſſime.*	Quando nos ſubijciemur tuo regimini vt non regnet in nobis concupiſcentia.
Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.	*Nos rebelles,*	*O præceptor prudentiſſime.*	Quando conformabimur in omnibus voluntati tuæ.
Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.	*Nos mendici,*	*O nutritor ſufficientiſſime.*	Quãdo trãsformabimur in te, & plena ſatietate ſatiabimur.
Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.	*Nos peccatores,*	*O creditor largiſſime.*	Quando ſuſcipies nos prodigos filios remittendo nobis omnem exceſſum.
Et ne nos inducas in tentationem.	*Nos tentati,*	*O cuſtos diligentiſſime.*	Quãdo tutabimur tua cuſtodia vt non præualeat nobis ammodo vllus aduerſarius.
Sed libera nos à malo.	*Nos fragiles,*	*O liberator fortiſſime.*	Quando liberabimur à fragilitate huius corporis & ab omni diſconuenienti perpetua libertate.

PRo declaratione iſtius nota, quod cum dicis Pater noſter, attẽde amorem quẽ habet pater ad filium. Talem & ampliorẽ habet Deus ad nos, quando dicis, qui es in cœlis, cogita Deum inhabitatorem bonarum mentium quæ cœlorum nomine intelliguntur. Quando dicis: Sanctificetur nomen tuum, optamus vt diuinum nomen nobis ſapiat & dulceſcat plus quã terrena, quia ſanctum dicitur, id eſt, ſine terra. Cũ dicis: Adueniat regnũ tuum, optamus non ſolum æternum regnum, ſed etiam vt hic nos regat, & vt ſit rex noſter. Cum dicimus: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, optamus vt doceat nos, iuxta illud: Doce me facere volũtatem tuam, quia Deus meus es tu. Cum dicimus. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, optamus vt ſit nutritor noſter corporaliter & ſpiritualiter, iuxta illud: Oculi omniũ in te ſperant. Cum dicimus: Dimitte nobis, &c. optamus quod vt piꝰ creditor nobis relaxet quod tenemur. Cum dicimus: Et ne nos &c. optamus vt cuſtodiat nos. Cum dicimus: Sed libera nos &c. Optamus non ſolum à præſenti impugnatione, ſed etiam ab omni futura, & ab omni quod nouerit ſibi diſplicere liberari.

De via vnitiua. Cap. 14.

VIA vnitiua eſt qua quis bene purgatus & illuminatus amoroſè vnitur creatori ſuo exultando de perfectionibus ſuis illi ſoli placere deſiderans promptè & lætè, nunc ipſum magnificat, nunc laudat, nũc admiratur, totus languet amore eius vt poſſit dicere illud canticorum: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt mi. &c. Et poſt pauca ſubdit, quia amore langueo. Et pſalm. Quid enim mihi eſt in cœlo: & à te quid volui ſuper terram, id eſt, ego purè amo te, nõ propter dona cœlorum, aut propter dona ſuper terram. Et hæc via ſæpe ſuperiꝰ tacta eſt in via affectiua & ſuperlatiua. In re enim vnum ſunt via affectiua & vnitiua, ſed nomina habent diuerſa, vnde per viam vnitiuam eleuat quis mẽtem ſuam in Deum, excludens omnes vanitates, proponens ſibi illud: Vidi cuncta quæ erãt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas. Fac igitur ſicut auis quæ volat ſurſum, & ſi occurrunt muſcæ, id eſt, vanitates, non cures, ſed pertranſeas, dicendo: Ad ſolem tendo, nolo cor meum cum vanitatibus, quæ in terra ſunt occupare. Et acquiritur hæc via per recollectionem intimam ab exterioribus ad interiora, ab imis ad ſumma, à temporalibus ad æterna. Vnde ſol ille de quo facta eſt mentio, ille eſt de quo dicitur: Tu ſolus ſanctus, tu ſolus dominꝰ, tu ſolus altiſſimus es. Ad illam viam requiritur primò quod homo per virtuoſã aſſuefactionem & gratiam ſit radicatus in virtutibus, quod nullam delectationem habeat in appetitu vanæ gloriæ, in cupiditate diuitiarum, in concupiſcentia oculorum & gulæ. Secundò requiritur internum ſilentium, vt non occupet ſe circa exteriora, quid audierit vel viderit foris nihil curando tanquam in ſomno occurriſſent. Tertiò amoroſa adhæſio cum Deo, vt omnia eius iudicia, omnia facta omnes doctrinas cũ reuerentia amplectatur. Quartò quod nihil aliud quærat, ſed reputet ſibi illum dilectum ſufficientiſſimum, ſuperexcellens illũ in corde ſuo diligat ſuper omne quod poteſt videri, audiri vel cogitari immo ſuper omne quod imaginari poteſt, quia totus amibilis, totus deſiderabilis &c. vt ſupra patuit in vita beati Bernardi. Quintò quòd ſæpe reducat ad memoriam perfectiones Dei & illis intimè cõgratuletur. Et quamuis infinitæ ſint perfectiones Dei, tamen communiter tres occurrũt in quibus ſic affectum excitet. Primò congratulor tibi dilecte mi quod tu es potentiſſimus, non quod mihi in hoc bene ſit quaſi commodum meum quærens, ſed quia illa eſt perfectio tua quod nullũ times, nullius indiges, nemo te expugnare poteſt, nemo tibi poteſt reſiſtere, nullus dæmõ, nullus aduerſarius, & de hoc primò gaudemus. Secundò congratulor tibi, quia tu es ſapientiſſimus illud eſt perfectionis tuæ, quia ſic te nullus decipere poteſt quia nihil te latet. Tertiò congratulor tibi quia tu es ſummè bonus, hoc eſt ſummæ perfectionis, quia immutabiliter es bonus,

& ita

Digitized by Google

& ita bonus, quod te melius excogitari nō poſſit, immo nec dignius, nec nobilius. Sextò principaliter vtile eſt habere incipientem aliqua verba per quæ exprimat deſiderium ſuum affabiliter alloquendo dominum. De hoc Hugo de palma Carthuſienſis dat modum ſe eleuandi per viam vnitiuam, qui tactus eſt ſuperius in oratione dominica. Poteſt enim homo prouocare affectū ſuū per illas dictiones O, quando, ſi, & conſimiles. Vnde dicit quod incipiens vtatur talibus. Poſtquam autem gratia Dei adiuuante exercitatus fuerit, tunc ſine omni cogitatione præuia centies in die multum amoroſè mentem ſuam in Deum eleuare poteſt. Vnde ex intentione ipſius poteſt colligi talis eleuatio. O ſumma bonitas, ô altiſſima æternitas, ô incomprehenſibilis ſapientiæ profunditas, ô pater piiſſime, quando te diligam? quando brachijs amoris te conſtringam? quando tuis beneficijs tuę miſericordiæ quam mecum facis vices impēdam? quando tremendæ maieſtati tuæ timorem impendam? quando ſpeculum tuæ virtuoſæ vitæ, ſcilicet humilitatis, paupertatis, patiētiæ, obedientiæ, charitatis, & ſic de alijs, debitis veſtigijs proſequar? Quando feſta tua & ſanctorum tuorū, ſcilicet Natiuitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis &c. debita veneratione congratulabor? Si tu es tremēda maieſtas vbi timor meus? Si tu es amantiſſimus pater, vbi amor meꝰ? Si tu es dominꝰ & mercator meus, vbi eſt ſeruitium meum? Si tu es inhabitator & hoſpes meus, vbi eſt mūdicia digna tanto hoſpiti? Si tu es vita Sanctorum, decor Angelorum, vbi eſt congratulatio mea? Et ſic diu exercitatus, ſicut pro ædificio pontis apponentur quandoque ſuſtentacula, poſtea pons ſtat ſine illis, ſic poſtea Spiritus ſanctus eleuabit cor hominis ſine illis, vt ſemper tendat ſurſum aut frequēter, iuxta illud Canticum. Trahe me poſt te, in odore vnguentorum tuorum curremus, & ſic habetur aliquid de via vnitiua. Tamen hæc via & ſciētia non diſcitur ex libris, ſed de ſurſum eſt, & cui vult participat eā pater luminum, his quidem clarius, his verò obſcurius. Pro iſta via (ſicut dictū eſt) valet intima congratulatio perfectionis Dei, ſit homo in Hymnis & Canticis, iubilet in corde canendo & pertractet laudes Dei. De his perfectionibus ſiue laudibꝰ ponitur tabula infra ſcripta, & ſemper præmittitur clauſula: Congratulor tibi pater cœleſtis, quia tu es. Auctor eſſendi, hoc eſt alpha & ω, principium & origo omnium. Vnde de te ſic ſcribit quidam metriſta.

Huius in arbitrio pendent mortalia quæque,
Qui ſolus cunctis contulit eſſe ſuum.
Qui facit & reficit, creat atque creata gubernat:
Cuius idem poſſe quod velle nec minus habet.

Congratulor igitur tibi in perfectione tua eſſendi, quia tuum eſſe eſt perfectiſſimū. Primò quia non potes cogitari non eſſe, quia ſi tu non eſſes nihil eſſet. Secundò quia à nullo alio habes eſſe. Tertiò quia omne quod eſt à te habet eſſe. Bonitas ſumma. Primò quia nulla res eſt bonitatis ſuæ tam diffuſiua ſicut tu, ſed bonum quanto communius de tanto melius. Secundò nulla res eſt tam citò placabilis ſicut tu. Tertiò nulla res eſt tam deſiderabilis delectabilis & amabilis ſicut tu. Cauſa vniuerſaliſſima. Illa cauſa quam philoſophi ſic ex naturali ratione conuincebant eſſe, ſi non eſt proceſſus in infinitū in cauſis ſibi eſſentialiter ſubordinatis. Prima cauſa eſt, ſed non eſt proceſſus in talibus

A cauſis eſſentialiter ſubordinatis, igitur prima cauſa eſt. Tu es ille princeps de quo Ariſtoteles in fine duodecimi metaphyſicorum concludens librum ſuum ſic dicit: Mala eſt pluralitas principum, vnus ergo princeps. Decus vniuerſi qui cuncta decoraſti. Tu es cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Tu es in quem deſiderant Angeli proſpicere, à te habent decus pulchritudinis ſydera, roſę, lilia, &c. Et à te aues habent decus ſuauis melodiæ philomelæ, alaudæ & omnium auium genera & omnia organa, à te habent decus ſaporis mel, vi-

B num & omnium pigmentariorum genera. A te decoratum eſt cœlum ſyderibus, aër volucribus, terra animalibus, aqua piſcibus. Æquus ſuſtentator omnium, à quacumque enim re tuam ſubtraheres ſuſtentationem vel conſeruationem, illico reuertetur in nihilum. Fons ſapiētiæ à quo manant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, tu es æterna ſapientia attingens à fine vſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuauiter, qui cœlorum cōtinens thronum & abyſſos intueris, montes ponderas

C in ſtatera terram palmo concludis, & poſuiſti legem aquis ne tranſcendant fines ſuos. Gloria mundi, te enim adorant Angeli, laudant Archangeli. Summo te iure laudat omnis creatura, ſpes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter, gloria noſtra, finis & expectatio noſtra. Abundantiſſimus, tua eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in ea. Gloria & diuitiæ in domo tua, ſi honoratur & diues dicitur qui habet aurum quantum honorari deberes qui feciſti aurum &

D gemmas & omnia quæ ſunt in vniuerſo. Incomprehenſibilis es tu. De te enim dicitur: Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Tantæ enim es excellentiæ, quod tuam altiſſimam excellētiam nemo poteſt capere ad plenum nec homo nec Angelus, immo nulla creatura, quia omnis eſt finita, tu verò infinitus es, ſed infiniti ad finitum nulla eſt proportio. Charitas tu es, & qui in te manet, manet in charitate & tu in eo. Sicut natura ignis eſt ardere, incendere & calefacere, ſic proprietas tuæ charitatis eſt

E creare, te largiſſimè diffundere, & inflammare ad amorem, accendere, ſaluare, redimere, cuſtodire, liberare, illuminare. Vnde & tibi dicitur: Deus cui proprium eſt miſereri: Loco incircunſcriptibilis & tamen vbiq; es. Si aſcendero in cœlum tu illic es. De te dicit Bernardus, Deus vbique regnat, vbique imperat, vbique maieſtas eius omnia implet. Nam in inferno exerces actum iuſtitiæ tuæ, ſed dicere hoc fieri in abſentia tua, perfidia eſt. Sic etiam es in tempore incommenſurabilis.

F Res enim quæ ab æterno fuit, atque ante omne tempus fuit, quomodo ergo commēſuratur tempore quod fuit quando non fuit tempus. Merces ſanctorum, iubilus Angelorū, ſpeculum omnium electorum. Norma, id eſt, regula & exemplar omnium. Res enim de quanto tibi propinquior tanto nobilior. Aliqua habent eſſe tecum, aliqua eſſe & viuere, & ſunt nobiliora prioribus, aliqua viuere, eſſe & diſcernere, & ſunt ſecundum naturam nobiliora prioribus, aliqua vltra hæc habent purum eſſe & virtuoſum eſſe, & ſunt tibi plus cæteris propinqua. Per ſynceriſſimam enim tuam bonitatem eſt in te omnis exemplaritas, virtuo-

Digitized by Google

ſitas & communicabilitas. Ordo ſiue ordinator vniuerſorum, qui ſingula locas ſecundum ſuum A ſtatum, ſua merita, ſurſum aut deorſum ſic prudens pictor ponit colores, hic rubeum, hic nigrum, vt decoret opus ſuum. Perfectiſſimus ſine omni defectu, qui nullius indiges. Tibi ipſi es ſufficiens, quo melius aut dignius aut nobilius aut perfectius nec eſt, nec excogitari poteſt, quicquid eſt laudabile & perfectionis in creatura in poſitiuo, hoc eſt in te in ſuperlatiuo. Quietiſſimus vt dicit Boetius:

O qui perpetua mundum ratione gubernas.
Terrarum cœlique ſator, qui tempus ab æuo, B
Ire iubes ſtabiliſque manens das cuncta moueri.
Principium rector, dux, ſemita, terminus idem.
Tu requies tranquilla pijs te cernere finis.

Res etiam immobilis & immutabilis, quia vbique es, vt patet ex præmiſſis. Res autem dicitur moueri quæ tendit ad locum quo prius non fuit, immobilis autem quę vbique eſt, non habet quò tendat. Recreator omnium qui dixiſti: Venite ad me omnes qui laboratis. Anima enim quæ eſt in te radicata in centro ſuo & recreata & quietata eſt, C quæ verò in te non eſt, multis vanis phantaſmatibus fatigatur. Sufficientiſſimus, qui te habet totum habet mendicus eſt & pauper, quia quicquid præter te eſt non reficit, & non ſufficit, & ſi ad tempus ſufficit non tamen perpetuò ſatiat quin adhuc amplius quæratur, qui autem te habet ſatiatus eſt, finem ſuum habet non habet vltra quod quærat, quia tu es ſuper omne viſibile, audibile, adorabile, guſtabile, tangibile, ſenſibile. Item adhuc altior es ſuper omne figurabile, numerabile, D circumſcriptibile: Item altiſſimus es ſuper omne demonſtrabile, definibile, opinabile, inueſtigabile, æſtimabile, imaginabile, qui totus es amabilis, maximè laudabilis & ſummè deſiderabilis. Theſaurus fidelis. Vbi enim theſaurus noſter ibi & cor noſtrum. Quicquid enim nobis auferatur, ſi tu in nobis permanſeris ſufficit nobis, tu es illud vnum quod dixiſti Marthæ eſſe neceſſarium. In te ſumma complacentia noſtra. Et ſi nos horreat totus mundus, ſi tu nos approbas, ſufficit nobis. Deſiderium noſtrum tu es, vtinam tu placeres E toti mundo, & totus mundus faceret beneplacitum tuum, pro illo deberemus mori zelo charitatis. Vita à qua habent viuere omnia, in quo nos mouemur & ſumus. De te enim dicitur: Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia, tibi honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum. Chriſtus intelligitur vnctus. Tu ſimiliter es talis vnctio & ſalſa, quæ appoſita vnicuique rei mundi facit ipſam ſapidam. In electis enim es ſapor gratiæ, & in damnatis es ſapor iuſtitiæ & vindictæ iniquitatum. Tu es creator, tu es gubernator, tu es re- F demptor, iuſtificator, retributor & glorificator, & cæt. His profectionibus congratulando anima mea liquefacta eſt. Et quid agam niſi in pace in idipſum dormiam & requieſcam, & dicam. Nolite ſuſcitare dilectam donec ipſa velit. In laudes tuas prorumpam. Et ſi dignè laudare te nequeam, de te tamen nō ſileam, cum ſolum de te gaudeam. Tu enim es dulcis ſapor. Iſte qui te guſtat Ieſu Chriſte, tuo victus à ſapore mori poſſet præ amore. Tu ſolus amans vnice dilecte mi pulcherrime, vbi quæſo vis commorari, vbi vis vt quæraris qui ſapis & dulceſcis? O dulcis hoſpes animæ, eſto hoſpes in ſinque tibi tecum ſine fine.

De via exultatiua. Cap. 15.

VIA exultatiua eſt quæ aſcribitur beato Gregorio, quæ pertractat & meditatur gaudia cœlorum. Vnde in quadam homilia ſic ſcribit: Quæ lingua poteſt dicere, aut quis intellectus poteſt capere illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia Angelorum choris intereſſe, & cæt. Vocatur autem hæc via exultatiua vel congratulatiua, quia per eam homo congratulatur gloriæ Dei & Sanctorum, & per eam homo meditatur gaudia quæ ſunt in cœlo, quibus meditatis leuius portat omne quod grauat in hoc mundo. Vnde Gregorius. Minuit pondus laborum ſpes præmiorum. Sciendum quod volens mentem ſuam per hanc viam eleuare ad congratulandum ſupernis ciuibus. Primò videat quomodo inter ſe diſtincti ſunt ſecundum diuerſa eorum merita, quod haberi poterit ex aliquali eorum ſimilitudine regni cœleſtis & regni terreſtris. Vnde ſicut in regno terreſtri ſunt diuerſi ſtatus hominum, ſic poterit meditari de regno cœleſti. Et ſicut veniens ad palatium regis terreni ſalutaret omnes ſecundum ordinem, & congratularetur honori eorum. Sic & tu aſcende mentaliter regnum ſummi regis, & ſaluta, lauda & congratulare honori & gloriæ omnium. De hoc ponitur talis tabula ſimilitudinis. In palatio regis æterni ſunt primò, Rex in cœleſti curia eſt rex regum Deus. In hoc ordine ſaluta quemlibet ſuum ſtatum & dic: Salue rex regum, Saluator & gubernator omnium, congratulor maieſtati tuæ. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Tu præfulges in regno tuo ſicut Sol inter ſidera. Secundò ibidem regina Maria: Salue & gaude regina cœlorum, mater regis Angelorum, tu chariſſima, pulchra, puriſſima piiſſima domina. Poſt hac ſecretarij & nuncij, & ſunt Angeli aſſiſtentes & nuncij: Saluete & gaudete ſpiritus innocentiſſimi qui nunquam à beneplacito veſtri creatoris deuiaſtis. Poſt hos principes & comites & ſenes ſunt ibi, & ſunt Patriarchæ: Gaudete & ſaluete, quia ex genere veſtro natus eſt ſaluator mundi. Poſt hos conſiliarij, & ſunt Prophetæ. Saluete, & gaudete, quia vobis inſpirata ſunt conſilia ſecretorum Dei, & impleta ſunt quæ fideliter propheta ſtis. Item fideliter aſſiſtentes in exilio ſunt, & ſunt Apoſtoli: Saluete & gaudete qui fideliter permanſiſtis cum rege cœlorum in exilio mundi, qui vobiſcum eſuriuit, comedit, dormiuit & pedes lauit. Cancellarij ſunt & Euangeliſtæ: Saluete & gaudete notarij regis altiſſimi, qui vitam & geſta regis fideliter euangelizaſtis & ſcripſiſtis. Milites ſunt & martyres: Saluete & gaudete vos conſtantiſſimi milites, qui pro honore regis ſanguinem veſtrum fundiſtis. Theſaurarij, & ſunt Confeſſores & Doctores: Saluete & gaudete, qui talenta vobis tradita & theſaurum cum multiplici lucro repręſentaſtis, quorum doctrina fulget ſancta Eccleſia vt Sol & Luna. Vigiles, & ſunt Monachi & Eremitæ: Saluete & gaudete, qui alijs dormientibus contra inimicos regis veſtri orando & pſallendo vigilaſtis. Virgines: Saluete & gaudete qui ſponſos mortales & regnum mūdi contempſiſtis propter amorem

Digitized by Google

amorem ſponſi cœleſtis, ad cuius thalamum iam cum lampadibus intraſtis. Viduæ: O diſponſatrices: Saluete & gaudete quæ opera miſericordiæ Chriſto in pauperibus fideliter diſpẽſaſtis. Communis populus aut vulgus, & eſt turba omnium electorum: Saluete & gaudete omnes ſimul electi qui diuerſis meritis & virtutibus regnum introiſtis, congratulamur vobis omnibus, orate pro nobis. Item pro ampliori eleuatione mentis ad illa futura gaudia videatur de gaudijs cœlorum hæc tabula.

Amotio omnis aduerſitatis, ſibi non erit fames, ſitis, frigus nec æſtas. Beatiſſima præſentia omnis bonitatis. Conſortium angelorum dulciſſimæ amœnitatis. Dotes corporis, ſumma agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas, claritas. Excellentiſſima dona animæ, cognitio, comprehenſio, dilectio ſummæ maieſtatis. Fruitio ſpeculi ineffabilis iocunditatis. Gaudebit quilibet de bonis meritis ſingulorum. Honorabitur quilibet ſicut filius regis cœlorum. Iuuentus ſine ſenio. Charitas ſine odio. Lux iocundiſſima ſine obſcuritate. Maxima vocum iubilatio cum perpetua ſecuritate. Notitia omnium ſanctorum ſine dubietate. Ordo meritorum delectabilis cum multiplici varietate. Pax ineffabilis ſine timore inimici. Quanta ibi ſunt gaudia nec poteſt dici nec ſcribi nec imaginari. Requies ſine tædio tot milium annorum. Satietas omnium ſpiritualium deſideriorum. Triſtitia ibi non erit, neque luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor. Validiſſima poteſtas, perpetua ſecuritas & ſanitas & intimus amor. Chriſtus ibi ſponſus, pater & frater, rex donum & finaliſſimus amor.

Operis concluſio.

POſtquam omnes viæ taliter qualiter Chriſto adiuuante ſunt expeditæ, pro concluſione videantur aliquæ doctrinæ ſeruandæ circa præmiſſa, quæ (vt clauſulatim pateat, aut vt facilius corde retineri poſſint) ponantur ſecundum ordinem alphabeti, & ante initiũ cuiuſlibet clauſulæ præmittitur de Abſtractione. Volens feruenter meditari, debet ſe abſtrahere ab appetitu bonorum & concupiſcentiarum & diuitiarum, quia hæc phantaſmata diſtrahunt meditantem. Bona vita. Debet enim fructuoſe viuere, quia in maleuolam animam non introibit ſpiritus ſapientiæ, nec ſpiritus meditationis. Conſtanti fiducia ad dilectũ, & non faciliter deſiſtat ab amore dilecti propter incurſus tentationum. Nititur enim diabolus impedire meditantem per diuerſa. Tu autem dic: Ego confido in eum qui ait: Fili præpara cor tuũ mihi, quia non vult mortem peccatorum, qui peccatores vult ſaluos facere. Nihil ergo durum vel turbulentum de dilecto meditare, ſed dic illud Iob: Etiam ſi occiderit me, ſperabo in eum. Diſpoſitione corporali. Cum ſolus es, poteris vti diuerſis cerimonijs in diſpoſitionem membrorum, nunc eleuando manus vt Aaron, nunc genua flectendo vt Salomon, nunc proſternere vt Chriſtus in monte Oliueti, nunc ſedere vt Maria Magdalena ad pedes Domini noſtri Ieſu Chriſti, nunc brachia in modum crucis extẽdere vt Chriſtus in cruce, nunc oculos in terram deflectere vt publicanus, nunc in altum leuare vt apoſtoli in aſcenſione Domini, & ſic poterit illa diuerſitas exterior diuerſificare affectus interiores, in quãtum A tamen non ſis ſingularis, ſed inclina cum inclinãtibus, exhibendo reuerentiam filialem Domino vt patri, flecte cum flectentibus, exhibendo reuerentiam quam exhiberet ſeruus Domino, proſternere cum ſternẽtibus, recognoſcendo in hoc tuum iudicem & te reum & in puluerem redigẽdum. Item valet de congruo tempus nocturnum & locus ſolitudinis. In his tamen quilibet abundat in ſenſu ſuo. Exercitatione diuerſorum, & diuerſifices actus tuos, iuxta illud: Nunc lege, nunc ora, nũc cũ feruore labora. Sic erit hora breuis, & B labor ille leuis. Si enim velles continuè vni actui inſiſtere, minus proficeres & citò te deſtrueres. Fine meditationis. Finis meditationis non propter commodum tuum non propter euadere pœnas aut ſpe lucri aut præmij cœleſtis, aut propter dulcedinem meditationis, quia ille eſſet amor mercennarius, ſed meditare puro filiali amore, vt cor tuum præpares habitaculum Deo, vt des locũ gratiæ, vt facias beneplacitum eius cuius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum qui delectatur in C ſalute noſtra. Item quia adhuc finem creata eſt anima rationalis, vt creatori ſuo dulciſſimo cordialiter & amoroſè vniatur, hic in via per meditationem, & in futuro per perpetuam fruitionem & breuiter debes in hoc quærere gloriam Dei, poſtea honorem ſanctorum, vtilitatem eccleſiæ, ſalutem tuam ordinando tamen omnia in gloriã Dei, iuxta illud apoſtoli: Siue comedamus ſiue bibamus. Gratitudine gratiæ. Si aliquod bonum in te ſentis gratias age noli ſuperbire. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Noli D præſumere, gratia enim meditationis datur bonis & malis. Abundantia punctorum. Debes enim, (ſecundum intentionem cancellarij Pariſienſis) diuerſa habere puncta per quę te amoroſe inflammare poſſis cum incipis, de hoc vide ſuperius. Intimitate: Debes in te cõcipere ſemper quocunq; vadis, quaſi præ oculis tuis haberes dilectum tuũ nunc crucifixum, nunc fugientem in Ægyptum &c. & intimis iubilationibus ad eum ab intra laudans, dulciter & affabiliter loqui, neceſſitates proponere, E auxilia petere? Charitatis accenſione. Qualem tibi vis eſſe Deum, ſi benignum, talem te exhibe proximo tuo, nullum contemne, ſic eris amicus Dei. Ille enim nullum horruit, nullum contempſit, ſed amicorum idem eſt velle & nolle, vel ſi quia faciliter infrigidamur indigemus accenſione charitatis. Feruore per gemitum orationis. Igne pacis Chriſti per compaſſionẽ Chriſti, & per deſideria adhærendi vt ſupra. Quando te diligam &c. Labore oportet te apponere laborem. F Et meritò. Omnibus in factis grauis eſt inceptio prima. Poſtea tamen alleuiatur onus. Vides quantos labores ſuſtinent agricolæ pro fructu terræ, mercatores pertranſeunt mare, multis ſe ingerunt periculis, milites vulnera belli ſuſtinent pro tranſitorijs, & tu ſine labore eſſe non debes.

Moderatione operum per diſcretionem. Ne quid nimis, ne nimis volens eradere vas ipſum frangatur. Tene medium, non ſis nimis remiſſus nec nimis inquietus. Verſus: Omnibus adde modum modus eſt pulcherrima virtus. Naturali commixtione. Attende quid naturæ tuæ con-

Digitized by Google

gruat. Quibuſdam enim prodeſt multum inſiſtere orationi, quibuſdam meditari. Alij facilius trahuntur iudicio rationis, alij compaſſione, alij beneficiorum conſideratione, alij ſunt vtiliores ad vitam actiuam, alij ad contemplatiuam. Sic de cibo & potu debes naturam tuæ complexionis attendere, & de vtroque moderatè ſumere. Vni enim eſt medium quod alteri non ſufficit, ſed attende ne cor grauetur crapula.

Ordine, vt incipias à via purgatiua, vt prius abluaris & munderis, antequam per viam vnitiuam te dilecto coniungas. Non enim decet lutoſum & ſordidum antequam lotus ſit ad oſculum regis prorumpere. Non eas primò in tecto antequam diſcas ire in terram. Promptitudine, vt in vita tua habeas refectionem in ſomno &c. vt ſemper promptus ſis ad eleuandum cor tuum & verificetur in te illud: Surſum corda, habemus ad Dominum, vt promptè dicere poſſis. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sis igitur diſcretus vigilando & promptus, & ſemper bonæ voluntatis. Quietè, vt quicquid diſtractionem tibi ingerit, fugias, in pace in idipſum requieſcens, niſi ex officio aut obedientia aut obligatione tenearis inſiſtere occupationi. Fuge tamen iudicia & ſuſpiciones, quia multum inquietant cor. Et ſi erumpunt cogitationes ſuſpicandi, relinque eas, non determinando ſententiam, ſed dic: Qui nos iudicat Dominus eſt. Dubia interpretare in meliorem partem, & ſi alter ceciderit, compatere ei & dic: Si hæc tentatione me inueniſſet, forte profundius me deieciſſet. Recollectione ſæpe te recollige ab imis ad ſumma à temporalibus ad æterna, ab exterioribus ad intima, à vanis ad duratura. Noli videre vanitates, noli audire fabulas, dic: Vidi cuncta quæ erant ſub ſole & ecce vniuerſa vanitas, ſolus dilectus meus bonus, ſolus amabilis candidus & rubicundus mihi ſufficientiſſimus. Sic enim facit puer qui non vult aliquid reputari aut melior eſſe patre ſuo. Seruitio ſanctorum habes aliquos ſpirituales ſanctos quibus quotidiana impendas ſeruitia, & ſemper aſtent in conſpectu Dei pro re intercedendo, vt beatam virginem, angelum tuum, apoſtolum, martyrem, virginem aut confeſſorem, aut plures qui orent pro te. Totali ſubiectione vt totum te ſubijcias voluntati Dei, vt dicas ei: Pie Ieſu ſicut tu ſcis & vis, ita mecum age. Et ſi gratiam meditationis tibi dederit, cum timore ſuſcipe, ſi non dederit, cum patientia ſuſtine. Quicquid tecum egerit, ſic contentus ſine murmuratione, ita eſto quaſi vnus ſpiritus cum eo, vt nihil te putes ſcire niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum. Vlteriori tendentia pro quiete cõtemplationis. Si enim religioſus es, vt dicit cancellarius Pariſiẽſis, teneris tendere ad quietẽ cõtemplationis, etiam ſi vix in fine vitę tuæ comprehenderes, quia hoc exigit ſtatus tuus. Ad militem ſpectat miſeros defendere ad ruſticũ laborare, ad religioſũ cõtẽplationi inſiſtere &c. Vnde dicit Bonauentura vbi dimittis vna die, ibi altera incipe, vt facias ſicut volens aſcendere mõtem altũ, cum quieſcere vult, non ſemper reuertitur ad priſtinum locũ, ſed in eodem loco ſedet & quieſcit, & ibidem incipit poſt quietem: Nos autem ideo non proficimus in cõtemplatione, quia quod hodie cum difficultate & gratia Dei acquirimus, cras ingerendo nos leuitatibus aut fabulis aut voluptatibus perdimus & ſic de aſcenſu montis ad vallem prolabimur, & non continuamus. Chriſto, vt nihil præponas ei, ipſum deprecans vt ſit adiutor tuus, protector, director, & finis, amen. Tractatus de eleuatione mentis in Deum, qui & Alphabetum diuini amoris inſcribitur Finit.

DOCTRINALIS EXPOSITIO MAGISTRI IOANNIS GERSON *cancellarij Pariſienſis ſuper ſeptem pſalmos pœnitentiales. Præfatio.*

VEra pœnitentia velut ſcala quædam eſt qua homo peccator, qui ſecundum euangelicam parabolam, deſcendit de Hieruſalem in Hierico, rurſus in Hieruſalem, hoc eſt ad pacis viſionẽ, aſcendit. Huius verò ſcalę ſeptem ſunt gradus, quibus correſpondent pſalmi ſeptem qui dicuntur pœnitentiales.

Primus itaque gradus eſt timor pœnę, à quo primus pſalmus incipit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Secundus eſt dolor culpæ: Hinc eſt qui in ſecundo pſalmo optando dicit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Et hunc peccatorum confeſſio ipſorumque remiſſio ſequitur. Delictum meum inquit, cognitum tibi feci & iniuſtitiam meam à te non abſcondi. Et iterum: Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Tertius gradus eſt ſpes veniæ, hanc timor præcedit, qui rurſus in tertio pſalmo clamat: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripiasme. Et hũc dolor comitatur. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Poſt hęc verò ſequitur ſpes: Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Quartus eſt amor mundiciæ hanc non hominis iuſtitia, ſed Dei miſericordia efficit. Vnde quartus pſalmus ait. Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Ac deinde ſubdit: Amplius laua me ab iniquitate mea. Et iterum: Cor mundum crea in me Deus. Quintus gradus eſt deſiderium cœleſtis patriæ, pro quo orat quintus pſalmus. Domine exaudi orationem meam. Præcedit autem contemptus præſentis vitæ: Quia defecerunt inquit ſicut fumus dies mei. Et iterum: Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Et hunc comitatur conſideratio æternitatis diuinæ. Tu autem Domine in æternum permanes &c. Et rurſus: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Et ex his conſequitur deſiderium habitationis ſupernæ, de qua concludendo ait: Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur. Sextus gradus eſt diffidentia virtutis propriæ. Et hanc iuuat confidentia diuinæ miſericordiæ, pro qua ſextus pſalmus ſuſpirat dicens: De profundis clamaui ad te Domine &c. Et meritò quia ab cœleſtem patriam peruenire propria virtute diffido. Nam ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Sed de copioſitate tuæ miſericordiæ confido: Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Digitized by Google

Septimus gradus eſt exultatio ſpiritualis lætitię. Hãc aſſidua oratio efficit, ideo ſeptimus pſalmus incipit. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam. Per hanc ex diuinorum operum conſideratione, homo in Dei contemplationem aſcendit. Meditatus ſum inquit in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabor. Vnde tãdem exultãdo concludit. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Nos ergo ſi in hanc terram cœleſtis Hieruſalem deduci cupimus; his ſeptem pœnitentiæ gradibus aſcendere; & in his pſalmis aſſidua deuotione meditari debemus, exemplo beatiſſimi Auguſtini, de quo legitur, quod vltima qua defunctus eſt in infirmitate, huiuſmodi pſalmos de pœnitentia, quos ſibi iuſſerat ſcribi, iacens in lecto contra parietem poſitus intuebatur, & legebat, & vbertim ac iugiter flebat. Ideo ex huius ſancti doctoris aliorumque ſententijs ſuper pſalmis pœnitentialibus quaſdam orationes ſeu meditationes deuotas componere dignum duxi, quibus ad pœnitentiam prouocari, & per pœnitentiam in Dei contemplationem humanus animus valeat promoueri. Illud tamen in exordio præmittendum eſt, quod licet ſeptem affectus, quos ſeptem gradibus ſcalæ pœnitentiæ appropriamus dictis ſeptem pſalmis, aptè decenterque (vt oſtenſum eſt) conueniant, tamen (ſicut dicit Hugo in libello de oratione) ſciendum eſt hanc proprietatem in omnibus pſalmis non eſſe, vt per totam ſeriem vnus affectus extendatur, ſed ſæpe ex alio effectu tranſitur in alium, ſicut ex affectu timoris in affectum amoris, vel in ſpei affectum vel conſolationis, ſecundum quod mens orantis diuerſis modis affici ſolet. Hoc autem qualiter per ſingulos pſalmos cognoſcatur, licet non ſit huius operis explanare, tamen quantum ad propoſitum pertinet, ſatis ex ſequentibus apparebit.

MEDITATIO DEVOTA SVPER PRIMO PSALMO POENITENTIALI.

DOMINE Ieſu Chriſte future iudex ſæculi, qui bonos in cœleſte regnũ tuum, malos verò in ignem ęternum es miſſurus. Dum ego reus & indignus peccator horrorem futuri iudicij tui conſidero, timens ac tremens ad te clamare compellor & dicere: *Domine ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me.* Sed væ mihi, quomodo immenſam clementiam tuam ad furorem, quomodo infinitam miſericordiam tuam ad iram prouocare merui. Merui itaque & hoc ſpõte confiteor, alioquin coactus fatebor. Scio tamen Domine, te docẽte, quia tu ſemper idem es, ideo tu in varios affectus non mutabilis es. De te quoque ſcriptum eſt: Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicas. Furis ergo ſẽper tranquillus, iraſceris ſẽper placatus. Non eſt furor tuus non eſt ira tua in te & in tuo affectu, ſed extra te eſt & in affectũ tuo. Furor tuus pœna eſt inferni, ira tua purgatorij pœna. In inferno quaſi furendo arguis, in purgatorio quaſi iraſcendo corripis. In illo per iuſtitiam arguis inſolubiliter in iſto per miſericordiam corripis, ſalubriter & tamẽ ab vtroque opto eripi ab vtroq; deſidero & peto liberari dicens. Domine ne in furore tuo arguas me &c. Sed quo pacto qua fronte, qua hoc præ-
A ſumo audacia? non vtique de mea iuſtitia, ſed de tua miſericordia. Ideo *Miſerere mei Domine,* quare? *quoniam infirmus ſum.* Non meæ virtutis firmitatẽ, ſed meæ vanitatis allego infirmitatem. Ego infirmus tu medicus, ergo: *ſana me Domine.* Hic adhibe quæ tu vis medicamenta. Hic vre, hic ſeca tu tantum à furore tuo & ira, hoc eſt à futurę vitę pœna me libera. Nec à te, ô pie medice, fruſtra peto vt ſanes me: *quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea,* oſſa loquor non corporis ſed animæ. Oſſa animæ meæ vires ſunt animæ meæ, quia ſicut in oſſibus
B corporis ſic in viribus animæ conſiſtit fortitudo. Vires animæ meæ memoria intelligentia & voluntas, in quibus dum ſanæ ſunt ſanctæ Trinitatis vera imago eſt & ſimilitudo. Sed heu me, quoniã per peccatum infirmæ factæ ſunt ideo conturbatæ, hoc eſt intra ſe & contra ſeinuicem conturbatæ ſũt. Et ideo: *anima mea turbata eſt valde.* Quia ergo non modicum, ſed valde conturbata eſt anima mea, quia valde infirmata eſt omnis fortitudo ſua. Dum tibi morbum meum detego, dum
C medico ægritudinis magnitudinem oſtendo oro vt ſanes: *ſed tu Domine vſquequo.* Vſquequo Domine ſanitatem differs? Non eſt dilatio iſta crudelitas tua, ſed ideo differs vt dum diu luctari permittis cum vitijs ex hoc perſuadeas animæ meæ in quæ mala ſe præcipitauit; & vt inde cautior ſit. Nam ex difficultate & dilatione ſanationis fit diligentior cuſtodia receptę ſanitatis. Vel ideo mihi perfectam differs curationem, quia imperfectam tibi offero orationem. Nam hic nondum tam
D perfectè oro vt audire merear, adhuc te loquente dicam: Ecce aſſum. Quare hoc? quia non ſatis perfectè animam meam conuerto ad te, ſed nec hoc poſſum, niſi tu ſuppleas imperfectũ meum. Ideo: *Conuertere Domine & eripe animã meam,* hoc eſt fac me ad te perfectè cõuerti. Durũ enim & laborioſũ eſt mihi ad ſerenitatẽ & tranquillitatem diuinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Eripe ergo animam meam, peccatis illigatã & in ſua conuerſione hoſtibus multis impeditam tanquam inhærentem perplexitatibus huius ſæ-
E culi & ſpinas quaſdam dilacerantiũ deſideriorum in ipſa conuerſione patientem. Ab his quoque malis eripiens, *ſaluum me fac propter miſericordiam tuam,* non propter iuſtitiam meam, quia peccatis & demeritis meis iuſta debetur dãnatio, ſed propter miſericordiam tuam, per quam conuerſus ad te pia promittitur ſaluatio te dicente; Conuertimini ad me, & ego reuertar ad vos. Tu ergo qui auerſus eras, & quem mihi auerſum mea fecerat auerſio, conuertere ad me qui ad te conuerſus ſum, & ſi parum conuerſus: Fac me conuerti
F perfectius, & ſic: Conuertere Domine à vindicta tua, & eripe animam meam, non ſolũ præſenti malitia, ſed ſaluum me fac etiam à futuræ mortis miſeria: *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi.* O pijſſime Domine, non immeritò hic feſtino mihi peccata dimitti, quoniam poſt mortem vel in inferno non erit memoria tui aut confeſſio peccati, quæ ſcilicet vtilis ſit ad veniam, quia nunc eſt tempus conuerſionis, ſed cum hæc vita tranſierit, tempus erit retributionis. Vt ergo ab illa æterna morte, vt ab illa inferni damnatione

Digitized by Google

per pœnitentiam liberer: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis* A *ſtratum meum rigabo.* O f[illegible] Dauid qui has pœnitentię erumnas per tot noctes vtiliter ſuſtinuit. Væ mihi miſero, qui has vna vix hora ſuſtinere valeo aut non volo, & ſi quandoque velle mihi adiacet, quia tamen imperfectè volo perficere non inuenio. Tu ergo Domine da mihi velle, da mihi perficere, da mihi laborare non ſolum in gemitu cordis, ſed lauare lectum meum lachrymis corporis, nec lauare ſolum exterius ſeu ſuperficietenus, ſed etiam rigari intrinſecus, vt fletus meus B non ſolum ad exteriora corporis, ſed vſque ad cordis intima perueniat ibique permaneat. Nec ſolum Domine peto lauari aut lachrymis rigari lectum vel ſtratum meum corporale, ſed etiam ſpirituale.ſ.interioris conſcientiæ, & hoc per ſingulas noctes.i.per ſingula peccata ex ea orientia. Oriuntur quippe mihi alternatim dies ac noctes. Noctes patior, cum carne ſeruio legi peccati. Dies ſentio cum mente ſeruio legi Dei. O vtinam fugatis noctibus peccatorum & abiectis tenebris vitiorum, oriantur mihi & illuceſcant clarius dies C virtutum & lumina gratiarum. Sed heu me miſerum: *Quia turbatus eſt à furore oculus meus.* Heu heu & iterum heu, quia oculus mentis meæ vix poteſt ad ortum diei, & ſpiritualis luminis conſurgere, & hoc quia turbatus eſt à furore. Nec ſolum à furore tuo diuino, tam futuro quem timeo, quam præſenti quem ſentio, ſed etiam à furore meo proprio quem gemo, hoc eſt à furioſa concupiſcentia mea à primo parente transfuſa, per quam quamdiu ſum in hac miſerabili vita, licet non to- D taliter extinctus, tamen multipliciter turbatus eſt oculus. Et meritò, quia *inueteraui inter omnes inimicos meos*, ſcilicet inter omnia vitia mea & peccata mea, quæ verè inimici mei ſunt, dum me ab amore diuino ſeparant & auertunt. Inter quæ inueteraui dum per inueteratam conſuetudinem me eis ſubiectum eſſe conſenſi. Sed tu Domine pijſſime poſt laborem & gemitum poſt imbres creberrimos lachrymarum, da mihi conſolationis tuæ auxilium vt dicere valeam: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit* E *Dominus vocem fletus mei.* Da mihi optare ab operarijs iniquitatis ſeparari, non ſolum à loco, ſed animo, in quorum peccaui conſortio vt ſic & tua in me correptio & mea in te conſolatio innoteſcat vt ſic ſpiritus meus ſentiat, quoniam vocem fletus mei exaudiſti. Da mihi Domine vt iterum atque iterum exultans dicam: *Exaudiuit Dominus deprecationem meam Dominus orationem meam ſuſcepit.* Deprecationem meam pro peccatis deponendis, & orationem meam pro virtutibus adi- F piſcendis. Sed non ſolum Domine da mihi exaudiri pro me, non ſolum pro me, ſed etiam pro meorum proximorum ſalute. Nec ſolum pro amicorum meorum ſed etiam pro inimicorum conuerſione, vt exemplo viri perfecti dicam cum ſeruo tuo Dauid: *Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Erubeſcãt, exemplo meo de actibus ſuis malis, & conturbentur, terrore iudicij ad pœnitentiam, non leuiter, ſed vehemẽter cum gemitu forti, vt ſic: *Conuertantur & erubeſcãt valde velociter*, ne conuerſio ſua & erubeſcentia pœnitentiæ ſuæ differatur damnabiliter, quia niſi in præſenti vita conuertantur & erubeſcant, ſed potius, vt ab iniquis fieri ſolet pœnitẽtes irrideãt, & ſuis irriſionibus infirmos erubeſcere faciant, tandem in finali iudicio erubeſcent & erubeſcentes dicent: Hi ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Tunc ergo conuertentur & erubeſcent, ſed erit hæc conuerſio & erubeſcentia ad damnabilem confuſionem, quia habere noluerunt pœnitentiam ſalutarem. Et hæc omnia fient valde velociter, quia quando minus de iudicio ſperauerint & dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet interitus.

MEDITATIO DEVOTA SVPER SECVNDO PSALMO POENITENTIALI *ſcilicet: Beati quorum.*

DOMINE Ieſu Chriſte qui culpa offenderis & pœnitentia placaris. Tu magiſter optime qui interius docens illuminator es cordiũ, da mihi intellectum, da excæcato cordi meo & tenebroſo intellectui meo lumen tuum quo culpabilem offenſam plenè & perfectè valeã cognoſcere. Da mihi culpam meam offenſamq; tuam taliter cognoſcendo dolere vt eam digneris miſericorditer ignoſcendo delere. Da mihi ergo vt de illorum ſim numero de quibus per prophetam tuum dicitur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* O me beatum ſi à te Domine remiſſæ ſint iniquitates meæ, ita vt mihi dones indulgentiam ex gratia tua cui debes vindictam ex culpa mea, vt mihi dones indebitã gratiam cui iuſtè reddere potes debitam pœnam. O igitur me beatum ſi tecta ſint peccata mea. Quomodo tecta? non ita tanquam in me ſint vt viuant, non ita tanquam in me abſcondita maneant, ſed ita deleta vt tu Deus ea non videas.i.nõ æternaliter punias. Te enim peccata videre, quid aliud eſt quam peccata punire? ſicut ſcriptum eſt. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Tu ergo ea peccata non vides, ſed ab eis faciem auertis quæ non animaduertis.i.quæ non punis. Tu ea non agnoſcis quibus ignoſcis. Tu ea tegis per gratiam, quæ non imputas ad pœnam. Ideo rectè ſubditur: *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Sed cui non imputat? certè ei non imputat ſed ignoſcit qui peccatum ſuum agnoſcit, & agnitũ non defendit, ſed confitendo corrigit, nec meritum ſuum ſibi, ſed gratiæ Dei attribuit, de quo dicitur: *nec eſt in ſpiritu eius dolus*, ſed nec in ore eius, quia ſe accuſat cum ſit peccator, & corde tenet quod ore fatetur. Dolus enim eſt ſi quis peccator iuſtum ſe prædicet qui verò ſe accuſat, dolo caret, talis erat publicanus ille humilis qui dicebat: Propitius eſto Deus mihi peccatori, vnde ſequitur: *Quoniã tacui inueterauerũt oſſa mea, dũ clamarem tota die.* Quoniam tacui quod non erat tacendum ſcil. confeſſionem peccatorum. Inueterauerunt oſſa mea.i.defecit interior fortitudo mea, dũ clamarẽ

tota

Digitized by Google

tota die dicendo quod non erat dicendum ſcili.
iactantiam meritorum. Econtra verò ſi clamaſſem
peccata & tacuiſſem merita, robuſta & firma fuiſ-
ſet virtus mea. Tacui ergo & clamaui, tacui pec-
cata, clamaui merita, tacui vnde proficerem, cla-
maui vnde deficerem. Tacui de peccatis confeſ-
ſionem; clamaui de meritis præſumptionem.
Sana membra medico oſtendebam, vulnerata te-
gebam, & ideo non fui ſanatus, ſed inueteratus,
hoc eſt in peccatorum meorum vetuſtate remãſi,
quia per culpæ meæ confeſſionem gratiæ tuæ no-
uitatem non quæſiui. Et ideo: *Quoniam die ac nocte
grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærũna
mea dum configitur ſpina.* O Domine, ô pie medice,
qui etiam percutiendo ſanas quia manus tua. i.
vindicta, aſſiduè die ac nocte grauata eſt ſuper
me, ad humiliandum me ſuperbum peccata tacẽ-
tem merita iactantem, ideo, tandem conuerſus
ſum in ærumna mea, in miſeria mea, hoc eſt con-
uertẽdo ad meipſum cognoui me miſerum, dum
configitur ſpina, i. dum compungitur conſciẽtia
mea. Sicut enim ſpina dorſi hominem ſurſum eri-
git, ſic ratio vel conſcientia ſpiritum prius ad ter-
rena curuatum ad ſuperna reſurgentem dirigit.
Hac ergo de culpa ſua compunctus peccator hu-
miliatus ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & in-
iuſtitiam meam non abſcondi.* Meritò quidem deli-
ctum meum, quia facienda omiſi, & iniuſtitiam
meam, quia non faciẽda cõmiſi, igitur confitẽdo
aperui & detexi, aperui vt operires, detexi vt tege-
res, vnde ſequitur: *Dixi confitebor aduerſum me iniu-
ſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem pec-
cati mei.* O magna vtilitas cõfeſſionis peccati ma-
xima quoque benignitas miſerentis Dei, quia ad
ſolum cõfitendi propoſitum remittit peccatum,
non enim dixi confiteor, ſed dixi confitebor. i.
propoſui cõfiteri iniuſtitiã meam, aduerſum me,
meipſum & non alium accuſando & ſtatim tu &
non alius, remiſiſti impietatẽ peccati mei, & bene
mei, quia quod peto, hoc meum eſt, quia autem à
peccato reſurgo hoc tuum eſt. Abſit ergo à me vt
imputem peccatum meũ tibi, & dicam, hoc Deus
voluit, hoc fatum hoc ſtellarum conſtellatio mihi
fecit. Non eſt hoc confiteri iniuſtitiam meam ad-
uerſum me, ſed aduerſum te, & te ſumme bonum
de malitia accuſare. Dicam ergo potius: Domine
miſerere mei, ſana animam meam quia peccaui
tibi. Et ne putetur remiſſionem peccati paruum
Dei eſſe donum, ſed tanquam magnum deuotis
precibus expoſcendum, ſtatim ſubiungitur: *Pro
hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno.*
Omnis enim sãctus, hoc eſt per peccati remiſſio-
nem ſanctificatus, pro hac remiſſione orabit ad
te, quia omnis ſanctus eget, auxilio gratiæ & gra-
tuitæ remiſſionis tuæ. Sed quando orabit? in tem-
pore opportuno, hoc eſt in tẽpore vitæ mortalis,
in qua eſt opportunum tempus remiſſionis, quia
poſt eam erit tempus retributionis, vel in tẽpore
opportuno, hoc eſt in tempore gratiæ per Chriſtũ
reuelatæ. De quo ait apoſtolus; Quãdo venit ple-
nitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum
ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Sed
licet omnis ſanctus in tempore oportunè oret:
*Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum
non approximabunt.* Non enim eripit oratio ſan-
ctorum eos, qui per obſtinatam conſuetudinem
A abſorbentur, *in diluuio aquarum multarum*, hoc
eſt in multitudine effluentium carnalium delicia-
rum ſicut voluptuoſi, vel in multiplicitate varia-
rum doctrinarum, ſicut philoſophi, vel in varie-
tate diuerſorum errorum, ſicut hæretici, vel in va-
nitate friuolarum ſuperſtitionum ſicut aſtrono-
mi, qui omnia fatali neceſſitati, aut fortunæ cœle-
ſti attribuũt; vel in numeroſitate cerimonialium
obſeruantiarum, ſicut Iudæi, qui antiquis obſer-
uantijs carnaliter intellectis ſalutem aſcribunt.
Hi inquam omnes qui ſunt in huiuſmodi pro-
B fundo diluuio aquarum multarum, ad eum non
approximabunt, quoniam hæ aquæ diuerſæ ſunt
& amaræ, & à fonte veræ & dulcis aquæ, hoc eſt à
Chriſto, qui fons eſt puræ veritatis, ſunt remotæ.
Quid ergo facturus ſum Domine vt effugiam ab
hoc tam periculoſo diluuio aquarum multarum
& approximem ad te? Certè ſcio te docẽte quod
prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum
in veritate, ideo inuocabo te, non ſolum in voce
corporis, ſed in veritate cordis; hoc eſt in vera de-
C uotione cordis ſe humiliantis, & nihil de ſe præ-
ſumentis, & nil ſuæ potentiæ ſuperbè tribuentis,
& dicam: *Tu es refugium meum, à tribulatione quæ
circundedit me.* Tu ſolus & non alius es mihi refu-
gium à tribulatione huius ſæculi, quæ vndique
circundedit me. Tu ergo, *exultatio mea erue me à
circundantibus me.* Oſtende mihi viam qua eripiar
à diluuio aquarum multarum & à periculo cir-
cunſtantium me malorum. Iam verò Domine
qui non deſeris ſperantes in te, iam quia in te ſpe-
D ro, & in hac ſpe gaudeo à te conſolatus, audio te
dicentem: *Intellectum tibi dabo & inſtruam te in via
hac qua gradieris.* Ne aberres à via Dei, & ne quis
noceat tibi, *firmabo ſuper te oculos meos*, vt in via di-
rigam oculos tuos. Sic ergo dato mihi intellectu,
ipſóque à te inſtructo & in te firmato conuertam
me, humilis ad ſuperbos & obſtinatos, & eruditus
ad ſtolidos & ignaros, & dicam: *Nolite fieri ſicut
equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Per equum
ſignantur ſuperbi erecta ceruice ſua peccata de-
fendentes. Per multum ſtolidi, quælibet pecca-
E torum onera ſine diſcretione portantes. Hi ergo
ſi non corrigantur, ſed velint fieri brutis animali-
bus ſimiles, quibus non eſt intellectus, tu Domi-
ne: *In chamo & fręno maxillas eorum conſtringe, qui
non approximant ad te.* Si enim non corrigantur &
approximent ad te per pœnitentiam, dignum eſt
vt corrigantur & conſtringantur à te per pœnam.
Ideo equus fræno & mulus chamo arceantur. i.
maiori & minori tribulatione iuxta culpæ exi-
gentiam conſtringantur. Si verò fræno non do-
F mentur & chamo, reſtat vt duriori flagello caſti-
gentur. Ideo ſequitur: *Multa flagella peccatorũ*, &
in præſenti vita pariter & futura, *ſperantem au-
tem in Domino miſericordia circundabit.* Nec imme-
ritò in tua miſericordia ſperantem, & non in ſua
humana iuſtitia confidentem circundabit. i. cir-
cunquaque vallabit Dei miſericordia, ne aliqua
ex parte ſibi noceat diaboli malitia. Magna ergo
Domine magna eſt lætitia, magna exultatio, ma-
gna gloria ſperantibus in te. Ideo dicitur eis:
*Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini
omnes recti corde.* Qui ſunt hi iuſti & recti corde?

Hi ſunt qui non in ſe, ſed in Domino ſperant, nec ſuæ ſed diuinæ voluntati ſe conformant, ſicut Chriſtus docuit dicens: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. In capite oſtendens quod futurum eſſe debebat in membris. Hi ergo non in ſe, ſed in Domino lætantur, exultant, gloriantur. Lætantur ſiquidem tacita ſuauitate gaudentes & exultant concitati animi gaudio feruentes, gloriantur feruore charitatis extra ſe in Deum tranſeuntes. O vtinam Domine, vtinam ſic detur mihi, non in me ſed in te lætari exultare & gloriari, vt ſic humiliter capiti me conformans veraciter efficiar membrum Chriſti.

MEDITATIO DEVOTA SVPER TERTIO PSALMO POENITENTIALI: *Domine ne in furore.*

DOMINE Ieſu Chriſte cui nunquam ſine ſpe veniæ ſupplicatur. Cum plura duobus prioribus pſalmis de timore pœnæ ac dolore culpæ colloquendo prædiximus, & nunc aliqua de ſpe veniæ tibi ſupplicando loqui propoſuerim, ſemper tamen ad priora relabor, & pœnæ timore ac culpæ dolore perterritus tibi iterum petere impellor: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ego ſiquidem de peccatis pœnitens, peccati conſcius & inde grauiter afflictus, ego in malis poſitus peiora timens, & inde lugens multis modis crucior, ſed cruciatus gratè amplector tanquam minores meis demeritis, mecum piè actum reputans ſi per eos liberer à pœnis æternis. Ideoque ſupplex oro vt tu Domine arguas & corripias me, non in furore vel in ira ſed in pietate & miſericordia, ita vt pœna mea ſit, non ab ira ad æternam vltionem ſed à miſericordia ad piam correctionem. Sufficiant tibi Domine mala quę patior in hac pręſenti vita, ne in futura infligas peiora: *Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.* Sagittæ tuæ ſunt vindictæ tuæ ſcilicet dolores corporis & animæ, quia ſicut ſagittæ intenduntur & deinde infiguntur, ita vindictæ tuæ intenſæ fuerunt in Adam propter inobedientiam, & inde nobis infixæ ſunt propter originalem culpam & pœnam multiplicem. Ipſe enim huius totius miſeriæ fuit origo, nos propago. Sed væ mihi qui ſagittæ tuæ non ad modicum tempus, nec ad vnicum vulnus infixæ ſunt, ſed diu & vſque in finem ſeculi manent, & multis modis in corpore & anima vulnerãt. Et ſic in ſagittis meis: *confirmaſti ſuper me manum tuam.* i. vindictam tuam, quam prohdolor eo vſque confirmaſti ſuper me, vt poſſim dicere: *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* Porrò enim mortale corpus tot miſerijs ſubditum, quod etiam cum ſanum dicitur non verè ſanum ſit quod leuiter læditur, & ſæpius grauiter infirmatur. Eſt autem hæc multiplex miſeria carnis nec à facie iræ tuæ. i. ab inſtantia vindictæ in Adam inchoatæ originaliter. Quid plura? *non eſt pax oſſibus meis*, hoc eſt in interioribus meis viribus, ſed eſt continua pugna ab infirmitate & rebellione carnis, & hoc *à facie peccatorum meorum*, quia huius miſeriæ meæ cauſa non ſolum eſt originalis culpa, ſed ſimul cauſa ſunt actualia peccata mea. Vnde meritò ſequitur: *Quoniam iniqui-*

A *tates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.* Quia enim iniquitates meæ caput animæ meæ. i. rectam rationem ſupergreſſæ ſunt & eleuauerunt caput meum ſuperbũ contra te Deum meum, ideo tu Domine aggrauaſti me graui onere pœnarum, ſed hoc Domine non tibi, ſed mihi imputo, quia: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Ideo enim iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & grauatæ ſunt ſuper me, quia cicatrices meę. i. plagę peccatorum meorum prius per

B baptiſmum ſanatę, putruerunt cum iam peccato conſenſi, & corruptę ſunt dum iam peccatum in actum produxi, & hoc totum à facie inſipientię meę, quia ſtultè gratiam baptiſmalem perdidi, nec eius viribus ſapienter vſus fui. Et ideo: *Miſer factus ſum*, non vna ſolum, ſed multiplici miſeria, *afflictus & curuatus ſum*, adeò deiectus ad terrena, vt me erigere non valeam ad ſuperna. Et niſi tu Domine me erexeris in hac miſeria & curuitate mãſurus ſum, & hoc: *vſque in finem*. i. vſque ad mortem, *& tota die contriſtatus ingrediebar*, hoc eſt tota

C vita in hac manens miſeria huius vitę gradiens ambulabam, non inueniens ſabbatum. i. mentis requiem quam optabam. Nec mirum: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Heu me miſerum non immeritò ſum contriſtatus, quoniam non ſolum non eſt ſanitas in carne mea, non ſolum tentatus ſum ab infirmitatibus, & rebellionibus carnis, ſed etiã lumbi mei. i. carnalitas & ſenſualitas mea vexantur illu-

D ſionibus diabolicis, nec ſolum pecco per carnis infirmitatem, ſed per diaboli fatigationem. Quid plura? Non ſolum lumbi carnis meę, ſed etiam vires animę meę replentur illuſionibus diabolicis. Illuſiones enim animę infinitę ſũt quę aliquãdo vix orare ſinunt, & ita non eſt in toto homine vnde plena ſit lętitia, plenum cordis ſabbatum, plena requies, donec anima illuſionibus exuatur, & corpus ſanitate immortalitatis induatur. Propterea clamat apoſtolus: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et ideo

E non immerito: *Afflictus ſum*, corpore ſimul & anima, pręfatis vexatus miſerijs, & inde, *humiliatus ſum nimis*, quippe quia prius ſuperbus eram nimis, & propterea, *rugiebam à gemitu cordis mei.* Gemitus corde & rugitus voce fieri ſolet, ego verò non voce ſed gemitu rugiebam. i. cum magno deſiderio animę conſolationem quærebam, non in verbo oris mei, ſed in gemitu cordis prorumpẽs. Eſt enim gemitus cordis & gemitus carnis. Omnis gemitus qui de exterioribus eſt, carnis eſt, qui verò pro ſabbato. i. pro ſpirituali requie quam

F caro non obtinet cordis eſt. Et quia hunc gemitum non homo nouit, ſed Deus, ideo: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus*, ſed meritò exauditus, quia pius eſt, & non pro terrenis, ſed pro cœleſtibus. Sit ergo Domine deſiderium meum ante te. i. tibi gratum & acceptabile, audi & exaudi deſiderium meum cum gemitu meo, accelera Domine & exaudi cito quia: *Cor meum conturbatum eſt*, & pauore ac terrore concuſſum, & hoc ideo, quia *dereliquit me virtus mea.* ſ. virtus illa quam habui ante peccatum meum, ſi enim hæc mãſiſſet nihil terreret.

Digitized by Google

Sed cur hæc dereliquit me quia etiam reliquit, *lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*, quia tu Deus meus, qui es lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum tu qui es ſpirituale lumen oculorum meorum intellectualium, non es mecum per gratiam tuam, ſed dereliquiſti me propter culpam meam. Sed hactenus domine tibi confeſſus ſum mala quæ interius patior, nunc autem plango ea quibus exterius crucior. Nam, *amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt*. Hi qui mihi eſſe debuerant ad humanum ſolatium, ſunt mihi ad cumulum paſſionum. *Et qui iuxta me erant*, tanquam amici & proximi, *à longè ſteterunt*, tanquam hoſtes & aduerſarij. Et meritò receſſerunt à me quia peccando receſſi à te. Meritò perdidi humanam amicitiam, quia perdidi diuinam gratiam. Non ſolum crucior à perſecutione hominum ſed à tentatione dæmonum, nam *vim faciebant qui quærebant animam meam*, Dæmones enim qui animam meam quærunt ad æternã damnationem, vim mihi faciunt per malignam tentationem, & non ſolum per ſeipſos ſed per miniſtros ſuos de quibus dicitur: *Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur*. Hi qui amici & proximi eſſe debuerãt, inquirebant mala mihi meditando contra me doloſa & vana, loquuntur id eſt, falſa & deceptoria verba. Tales autem doloſi & mendoſi miniſterium exercent diaboli, qui pater eſt mendacij. Ecce ergo quibus malis crucior, & his tamen quia maiora meruiſſe fateor, ideo iniurias & opprobria ſine murmuratione patior. Et hoc eſt quod ſequitur: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*. Nihil ad opprobria reſpondebam: *Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones*, quia arguentes me non redarguebam, ſed redargutiones patienter ferebam. Sed quare hæc omnia tam patienter ſuſtinui mala? *Quoniam in te Domine ſperaui*. Ideo propter te patienter ſuſtinui mala, quoniam non in me, ſed in te ſperaui bona, & quia per patientiam pœnæ ſperaui veniam culpę ideo, *tu exaudies me Domine Deus meus*, dando liberaliter veniam culpæ, & conſequenter gratiam & gloriam. O magna patientiæ virtus cui datur venia peccatorum, & per veniam gratia meritorum, & per gratiam gloria præmiorum. O ſalutaris medicina per quam in læticiam mutantur triſtia & aduerſa. Adhuc autem domine ideo exaudies me, non de te deſperando diffidentem, ſed in te ſperando confidentem: *Quia dixi nequando ſupergaudeant mihi inimici mei*. Quia non ex ſuperba præſumptione, ſed ex pia ſpei deuotione dixi quod tu Deus meus exaudies me. Et hoc dixi, ne inimici mei detractores mei, ſupergaudeant mihi, ſi videant me in te ſperantem non proficere, ſed deficere. Meritò enim cauent, iuſti ne de lapſu eorum exultent iniqui. Ideo ſequitur, *& dum commouentur pedes mei*. i. dum affectiones meæ labuntur in peccatum ex humana infirmitate irrident impij, & *ſuper me magna locuti ſunt*, irridendo mihi, & ſuper me magna ſcandala opprobriáque loquendo, vbi potius ſi eſſent pij meæ deberent compati infirmitati, eámque excuſando humanæ miſeriæ humanitus miſereri. Sed adhuc etiam Domine exaudies me: *Quoniam ego in flagella paratus ſum*. Sciens enim quod filium quem amas, & ſi quandoque non ſuauiter tamen ſemper ſalubriter flagellas. Ideo tua flagella paratus ſum patienter ſuſcipere non contra ea murmurando, ſed meipſum accuſando, quia, *dolor meus in conſpectu meo ſemper*, dolor de peccato meo ſemper eſt in conſpectu meo. Semper de peccato meo doleo dum peccatum meum contra meipſum eſſe conſpicio. Et hoc eſt quod ſequitur: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo*, ipſam coram te contra me accuſando, *& cogitabo pro peccato meo*, ipſum in me cogitatione ſollicita corrigẽdo, & à te tuáque miſeratione ſolita curam medicinalem humiliter poſtulando. Sed dum medicinam tuam peto ô pie medice, ecce quid ad curam meã per te fieri permittitur. Ecce enim quid ſequitur: *Inimici autem mei viuunt & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè*. O ſalutaris ſed non ſuauis medicina. O mirabilis, ſed medicinalis cura, per tuam namque permiſſionem ad meam fit probationem. Fit inquam medicinaliter & ſalubriter quod inimici mei proſperè viuunt in hoc mundo, vbi in aduerſitate laboro, & gemens rugio. Et quod grauius eſt, confirmati ſunt ſuper me in perſecutione, & quod grauiſſimum eſt, qui oderunt me iniquè, mala reddentes pro bonis, non pauci, ſed multiplicati ſunt, & quotidie plures fiunt. De quibus ſubditur: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem*. Ipſi verò è contra ſectantur iniquitatem. Sed quia hæc mala eſſent intolerabilia niſi te iuuante & pio medicamine tuo confortante, mihi fierent ſalubria ad curãda peccata. Ideo: *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, ſed vt tu promiſiſti, quoniam in te ſperaui libera me, quoniam cognoui nomen tuum, protege me, quia clamaui ad te, exaudi me, & mecum ſis in tribulatione, eripe me & glorifica me. Et ſi forte ad tempus me aliquando relinquere videaris, tamen *ne diſceſſeris à me*, pęnitus relinquendo me, ſed potius, *intende in adiutorium meum, domine Deus ſalutis meæ*. Adiuua me contra hoſtes in pugna, quia ſine te qui es Deus ſalutis meæ, non poteſt eſſe in me ſalutaris victoria.

Meditatio ſuper pſalmo Miſerere mei Deus.

DOmine Ieſu Chriſte cui eſt proprium miſereri ſemper & parcere. Ego miſer ad te miſericordem accedo & peccatorum catena conſtrictus tuæ pietatis miſeratione abſolui debeo. Ego multarum iniquitatum immundicia maculatus ad te fontem mundiciæ confugio, & meam immundiciam per tuam miſericordiam emundari ſupplico dicens: *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Peto Domine magnam miſericordiam tuam, quia ſentio magnam miſeriam meam. Peto magnam medicinã tuam contra magnam plagam meam. Peto multitudinem miſerationis tuæ contra multitudinem iniquitatis meæ. Ideo ſequitur: *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum*, ab initio ſeculi exhibitarum, quæ ſuperant multitudinem quamlibet peccatorum, *dele iniquitatem meam*, vt nullum remaneat in me peccati veſtigium. Et hoc

eſt quod ſubditur: *Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.* Peto Domine non ſolum peccata deleri, ſed amplius lauari, & lauando purè mundari, vt non ſolum culpam operis, ſed etiam reatum voluptatis abſtergas. Sed hoc peto non propter aliquam iuſticiam quæ ſit in me, ſed propter magnam miſericordiam quæ eſt in te, & multam miſerationem quæ eſt à te. In te enim eſt miſericordia naturaliter in affectu, & à te miſeratio multipliciter in effectu.

Vt ergo miſericorditer ignoſcas, non iuſticiæ meæ meritum allego, ſed maliciæ meæ peccatum agnoſco. Et hoc eſt quod dicitur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Non ergo peto vt propter miſericordiam tuam deſeras iuſticiam tuam, ſcio iuſtum eſſe vt peccatum meum puniatur, ſed ipſum punio, vt tu non punias, ipſum agnoſco, vt tu ignoſcas, *& peccatum meum contra me eſt ſemper.* Quia peccatum meum non pono retro, meipſum negligendo vel diſſimulando, ſed potius oppono contra meipſum cognoſcendo & accuſando, ideo dico: *Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci.* Quid eſt tibi ſoli peccaui? Nonne peccaui, non ſolum tibi, ſed proximo? Nonne peccatum feci, non ſolum contra te Deum meum, ſed etiā contra proximum meum, ſicut & Dauid qui hoc dicebat, non ſolum in te, ſed in Berſabee per adulterium, & in Vriam per homicidium peccauerat? Sed hoc ideo dicitur, quia tu ſolus es qui das legis præceptum per cuius præuaricationem peccatur, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, hoc eſt, quia adeò iuſtus & verax es in verbis tuis quæ præcipis, vt iuſtificeris id eſt, vt iuſtus & verax inueniaris, *& vincas cum iudicaris.* id eſt, ſuperes eos in iuſticia, qui te ex ſuperbia iudicant contra præcepta tua murmurando, & te in eis quaſi rigoroſum & iniuſtum accuſando. Non ſic ego, ſed ad te ſolum tanquam ad iuſtum iudicem confugio, qui non habes in te quod reprehēdatur, ſed ſolus exiſtēns qui omnes iudices ita vincis, vt in tui comparatione nullus iuſtus aut verax reputetur, dicente propheta: Omnis homo mendax. Tu ergo ſolus Deus verax.

Tu ergo Domine qui in tua veritate dixiſti: Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatū eius non recordabor, tu veraciter imple quod promiſiſti, vt iuſtificeris in tuis ſermonibus & conuincas eos à quibus tanquam immiſericors iudicaris. Tu ergo miſerere, tu per miſericordiam iniquitatem meam dele. Tu eam delendo laua & munda me, quoniam de peccatis meis veniam poſtulans ingemiſco dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* O magna miſeria quę ſimul mecum orta eſt ab origine mea, ideo meritò ingemiſcens peto vt cures & ſanes hanc magnam miſeriam meam per tuam magnam miſericordiam. Nec hoc ita dixerim vt licitas nuptias condemnem, ſed quia in omnibus trahitur iniquitas ab Adam. Nam hoc opus caſtum propter bonum prolis excuſatur in coniuge, non habet culpam, ſed origo peccati in prole ſecum trahit debitam pœnam. Ideo autem domine nō ſolum actualem culpam meam, ſed etiam originalem à parentibus traditam tibi humiliter confiteor, quia, *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Non enim in te refundo culpas meæ iniquitatem, ſed me accuſando fateor veritatem,
A quam tu qui veritas es diligis, ideo eam verè confitentibus peccata dimittis. Propterea, *incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Mihi inquam confitenti veritatem, ſecreta tibi certa & nota diuinæ ſapientiæ, ſed incerta & occulta humanæ inſipientiæ manifeſtaſti, quomodo? Dicunt enim homines ſub quadam incertitudine ſicut dicebant Niniuitæ: Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus? Non ergo hoc noui ſicut nec homines cæteri, non hoc noui per humanam
B ſcientiam, ſed hoc certitudinaliter reuelaſti & manifeſtaſti mihi per diuinam ſcripturam te dicente per prophetam: Quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor. In hac ergo promiſſione tua ſecurus & certè dicere audeo: *Aſperges me Domine yſopo & mundabor.* Noui domine te docente, quod yſopus herba eſt parua quantitate, ſed magna virtute. Herba humilis, ſed medicinalis, cuius radix petrę inhęrere dicitur, cuius virtus pulmonem purgat dū inflatur. In qua pœnitentiæ humilitas congruè
C deſignatur, quæ ſæpe parua putatur in conſpectu hominum, ſed ſemper magna eſt ante conſpectū tuum. Et dum illi petræ adhæret, de qua dicit apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus, dum charitati Chriſti radix eius affixa eſt, adeò medicinalis efficitur virtus eius, vt per eam pulmonis inflatio, id eſt, ſuperbiæ pręſumptio & omnis quæ ex ea oritur culpæ inquinatio expurgetur. Aſperges ergo me hac humilitate, & mundabor ab iniquitate, *lauabis me,* per humilem pœnitentiam, *& ſuper niuem*
D *dealbabor,* per ſalutarem gratiam, per quā peccatorum dealbatio fit, ſicut ſcriptum eſt: Si fuerint peccata veſtra ſicut vermiculus, velut nix dealbuntur.

In hoc ergo ſecreto ſapientiæ tuæ prius mihi incerto & occulto quod iam manifeſtaſti mihi: *Audi tui meo dabis gaudium & læticiam.* Et meritò dum audio promiſſionem tuam de remiſſione peccatorum, auditui cordis mei dabis gaudium & læticiam de retributione præmiorum, *& exultabunt oſſa humiliata,* hoc eſt interiores vi-
E res meæ, quæ per culpam maculatæ prius conturbatæ ſunt, nunc per pœnitentiam yſopo humilitatis mundatæ, lauatæ & dealbatæ meritò exultabunt. Sed licet dederis gaudium, læticiam & exultationem propter ſpem veniæ, non tamen deerit mihi ſalutaris quædam triſticia & ſpiritualis contriſtatio propter timorem pœnæ & dolorem culpæ, ideóque ad te clamare non ceſſabo: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quia peccata mea nō pono retro me ſed oppono contra me, nec ea negligendo aut diſſimulando habeo retro dor-
F ſum meum, ſed ante faciem meam, propterea non à me, ſed à peccatis meis auerte faciem tuā, quaſi ea non agnoſcendo, ſed eis ignoſcendo, & ita nō ſolum hoc vel illud peccatum, ſed generaliter, *omnes iniquitates meas dele.* Quibus deletis. *Cor mundum crea in me Deus.* Non peto vt ego homo cor mundum faciam à me, ſed vt tu Deus cor mundum crees in me, quia non eſt hoc opus hominis creati, ſed Dei creatoris. Et quia ante peccatum innocens fui & per peccatum à rectitudine declinaui ideo, *& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis,* id eſt renoua ſpiritum meum faciendo eum rectum,

Digitized by Google

rectum, quem à te recedendo feci obliquum. Nec cordis mundiciam aut ſpiritus rectitudinem peto mihi fieri ſolum in mente ſed etiam in carne & hoc eſt in viſceribus meis, ſcilicet in lūbis vel renibus, in quibus ſedes eſt voluptatis. Vnde ad beatum Iob de diabolo dicitur, quod virtus eius eſt in lumbis & vmbilico ventris: In vtriſque ergo anima ſcilicet & corpore remedium peto curationis. Ideo. *Ne proijcias me à facie tua.* A peccatis meis faciem tuam auerte, ſed à facie tuā ne proijcias me. A peccatis faciem tuam auertis per remiſſionem, ſed peccatores à facie tua proijcis per reprobationem. Remiſſionem poſtulo, ſed reprobationem pertimeſco, propterea ſupplex oro, *Et ſpiritumſanctum tuum ne auferas à me.* Iā enim quodammodo ſpiritumſanctum tuum, hoc eſt ſpiritusſancti donum habere confido, quia peccatum confitendo pœniteo, nam vera peccati confeſſio non eſt in homine ex ſeipſo, ſed ex Dei dono, nō ergo à me auferas ſpiritum hunc, ſed per eum. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,* quam peccando amiſi, lætitiam inquam ſalutaris tui ſcilicet ſalutaris gratiæ ſpiritusſancti, per quam non ſolum eſt culpæ remiſſio, ſed gloriæ retributio. Hanc ergo non ſolum non auferas, ſed redde & confirma, & ſic, *ſpiritu principali confirma me.* Per hoc autem quod propheta ter ſpiritū nominauit. ſ. ſpiritum rectū, & ſpiritumſanctum & ſpiritum principalem, dicunt quidam quod in Deo Trinitatem voluerit oſtendere. Et ſpiritum rectum filium dicunt, ſpiritumſanctum ſuo nomine intelligunt per ſpiritum principalem patrem accipiunt. Hoc verò & quicquid aliud quod ad fidei & morum ædificationem dicitur, ſine contradictione dici permittitur. Vnde etiam non inconuenienter per hanc trinam ſpiritus nominationem trifariam ſpiritusſancti gratiā intelligere poſſumus, vt per ſpiritū rectum accipiamus gratiam quæ in ſeptē virtutibus tribus theologicis & quatuor cardinalibus confertur, quibus anima dirigitur ad operandum rectè. Per ſpiritumſanctum gratiam quæ in eius ſeptē donis tribuitur, quibus anima iuuatur ad operandum faciliter & expeditè. Per ſpiritū principalem gratiam quæ in octo beatitudinibus donatur, quibus eleuatur & quodammodo confirmatur ad operandum perfectè. Hac igitur multifaria ſpirituali gratia rectificari, ſanctificari & cōfirmari meritò deſidero. Et ſi hæc ſpiritus tui beneficia recepero, tibi ingratus non ero. Sed, *Docebo iniquos vias tuas.* Qui prius fuerā peccator, fiam prædicator, quia docebo verbo vel exemplo vias tuas quæ ſunt miſericordia & veritas, & ſic, *impij ad te conuertentur,* per me ſalubriter edocti de miſericordia tua mihi per veniam parcitur & de veritate tua id eſt, iuſticia tua qua peccatum meum per pœnitentiam punitur. Sed vt ſic iniquos docere & impios conuertere valeam, *Libera me de ſanguinibus,* id eſt de peccatis carnis & ſanguinis, quæ de eorum corruptione procedunt. Libera me inquam ô Deus, qui es, *Deus ſalutis meæ,* quæ longè eſt à carnis & ſanguinis corruptione, quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt id eſt peccata quæ ab eis proueniunt. Alioquin niſi ab his prius me libaueris, mihi peccatori improperando dices: Quare tu enarras iuſticias meas?

Sed ſi liberatus fuero ſecurus ero ab hoc improperio, A *& exultabit lingua mea,* id eſt, exultando narrabit, *iuſtitiam tuam.* Et tunc, *Domine labia mea aperies,* prius per peccata clauſa, *Et os meum,* nō ſolum cordis, ſed corporis, *annunciabit laudem tuam,* videlicet quia me creaſti, quia me creatum & genitū per baptiſmum regeneraſti, quia me regeneratū & in peccatis ſæpe relapſum non reliquiſti, ſed pœnitentem ad te reuocaſti, & reuocatū mundaſti. Pro quibus beneficijs non vis tibi offerri ſacrificia pecudum, ſed hoſtias laudum. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem,* ſicut fiebat in veteri lege, B ſed iam in noua lege gratiæ, *vtique holocauſtis non delectaberis,* quoniā illa ſolum erant vmbra & figura legis nouę, ideóque ceſſauerunt adueniente veritate, quod in ſpiritu prophetiæ ſanctus Dauid præuiderat qui hoc dicebat: Quid ergo tibi offerendum? certè non ſacrificium pecoris ſed pectoris ſcilicet ſpiritus contribulati & contriti ac humiliati cordis, quia, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Cor contritum pœnitendo non obſtinatum C peccando, & humiliatū confitendo non elatum me excuſando tu Deus qui cordis ſecreta conſpicis, nunquam deſpicis, ſed vtique in eo tanquam in ſpirituali ſacrificio delectaris. Sed quia hoc acceptabile ſacrificium non in Moyſi ſynagoga, ſed in Chriſti eccleſia eſt maximè offerendum, ideo de ea intelligendum eſt quod ſequitur: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua ſion,* hoc eſt affectum bonæ voluntatis id eſt miſericordiæ tuæ oſtende per effectum piæ benignitatis id eſt, miſerationis tuæ. Hoc inquam fac, *ſion,* id eſt mili- D tanti eccleſiæ per ſion ſpiritualiter intellectę: vt ex tuis viuis lapidibus ſcilicet Chriſti fidelibus, *ædificentur muri Hieruſalem,* non terrenæ, ſed cœleſtis id eſt, eccleſiæ triumphantis. Orat ergo cor contritum & humile non ſolum pro ſua, ſed pro totius eccleſiæ ſalute, vt omnes fideles eius finaliter ædificentur, & fiant muri in ipſa Hieruſalem cœleſti firmiter permanſuri. Cum autem hoc factum fuerit, quod non nunc in præſenti ſeculo, ſed in futuro erit, *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ,* E poſt præſentis ſeculi conſummationē, poſt finalis iudicij concluſionem, acceptabis ſacrificiū; non quidem imperfectę iuſticiæ ſcilicet pœnitentiæ quæ nunc eſt contriti & humiliati cordis ſed perfectæ iuſticiæ in gloria conſummatæ ſcilicet ſacrificium laudis quæ tunc erit cordis, non quidem lugentis & gementis, ſed lætantis & exultantis. Tunc acceptabis, *oblationes & holocauſta,* non carnales ſed ſpirituales id eſt ſpiritus & animas ſanctorum tecum in gloria aſſumptorū, qui erunt holocauſta igne diuino, hoc eſt charitatis F feruore ſuccenſa vel accenſa. *Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Tunc imponent angeli ſanctos vel ipſimet ſancti & ſpiritus beati offerent tibi ſeipſos ſuper altare tuum ſcilicet Chriſtum: in quo tanquam principali fundamento ſuperædificat omne ſanctorum meritum, cui redditur æternum præmium, & in cuius paſſionis virtute ſuperimponitur omne ſacrificium tibi acceptabile. Super hoc altare imponent & offerent vitulos. Non boues antiquos ſub iugo peccati mugientes, ſed vitulos nouellos ſcilicet nouos ſanctorum

Digitized by Google

populos ſub innocentia nouæ ætatis ab omni vetuſtatis ſeruitute liberos, ſummaq; libertate gaudentes. Tu ergo Domine da mihi ab hac ſpirituali ſion, ab hac eccleſia militante, in qua tanquam in via peregrinamur ad illam cœleſtem Hieruſalem ad illam eccleſiam triumphantem, ad quam tanquam ad patriam perducimur cum ſanctis tuis finaliter peruenire. Da inter muros ciuitatis huius firmiter permanere. Da mihi inter ciues eius feliciter te videre videndo amare, amando gaudere, & ita meipſum acceptum tibi ſacrificium & holocauſtum offerre.

Meditatio ſuper quinto pſalmo pœnitentiali ſcilicet: Domine exaudi orationem meam.

DOmine Ieſu Chriſte qui eſt verus rex gloriæ rectorque ſanctæ illius Hieruſalem ciuitatis ſupernæ, cum ea quæ de te & glorioſa ciuitate tua dicta ſunt audio, nimirum ad eam tecum peruenire deſidero. Ideo poſtquam multa in præcedentibus pſalmis dixerim de timore pœnæ, de dolore culpæ, de ſpe veniæ, de amore ſpiritualis mundi, reſtat vt aliquid dicturus ſim de deſiderio glorioſæ ciuitatis Hieruſalem id eſt cœleſtis patriæ. Non enim habemus hic (vt ait Apoſtolus) manentem ciuitatem, ſed illam futuram inquirimus, & ad eam feſtinanter ingredi debemus. Hanc itaque deſiderans ad eamque feſtinans, ſuſpirando clamare & clamando ſuſpirare compellor dicens: *Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat.* Congruit mihi domine huius pſalmi titulus, intitulatur namque oratio pauperis cum anxiaretur, & in conſpectu Domini diffudit precem ſuam. Ego namque pauper & inops in via præſentis miſeriæ vt fiam diues in patria cœleſtis gloriæ feruenti æſtuantique deſiderio anxior, & propterea anxius oro, & precem meam in conſpectu tuo humiliter effundo, ideo exaudi orationem meam & clamorem meum.

Iam enim propter animi magnam anxietatem oratio creuit in clamorem, orans enim clamo. Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt. Heu me quia nimis afflictus ſum in via & nimis elongatus à patria. Et ideo. *Non auertas faciem tuam à me in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam.* Et inſuper: *In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.* Quia domine coram te oro, quia ad te clamo, ideo da mihi faciem tuam, da mihi aurem tuam. Da faciem non iratam, ſed placatam per clementiam, da aurem non indignatam contra me, ſed ad me inclinatam per miſericordiam. Dabis vtique domine, & omnino libenter ac liberaliter dabis, niſi obſtet mihi nubes peccatorum, quæ obſiſtit orationibus iniquorum. Vnde per Eſaiam dicitur: Oppoſui nubem ne tranſeat oratio. Tu ergo rumpe nubem, effunde contra eã lumen vultus tui, & ita non auertas faciem tuam nec declines aurem tuam à me vel orationibus & meis clamoribus, ſed à peccatis & iniquitatibus meis & quia vehementer clamo & inuoco te, ideo velociter exaudi me, quia iam non terrena quaſi terrenus, ſed cœleſtia quaſi cœleſtis deſidero. Cui deſiderio promptus adhuc te loquente dicam: Ecce aſſum. Nec immeritò tam inſtanter peto velociter exaudiri: *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei,* quia ſicut fumus vento citò diſpergi-
A tur, ita dies vitæ meæ velociter deficiunt & velut vmbra fugiunt, *& oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Non ſolum vires corporis deficiunt ſed etiam vires animæ meæ, quæ dicuntur oſſa mea, quia in eis principaliter conſiſtit interior fortitudo mea, ſicut cremium areſcentes contractæ ſunt, vel ſicut frixa in frixorio confrixæ ſunt. Fortitudo quippe animi ex recordatione peccati & timore iudicij quaſi frixa contrahitur, iam enim frigitur homo dum ſe timet arſurum in in-
B ferno.

Ecce ergo domine ecce paupertatem meã pro qua anxior, ecce tribulationem quam patior, ecce qualiter percuſſus ſum. *Percuſſus ſum vt fœnum,* quia omnis caro fœnum. Et ſicut fœnum viret, ſed percuſſum facile ſentit ruinam, ſic caro in iuuentute viret ſenectute vel infirmitate percuſſa & morte ſucciſa areſcens deficit. Nec ſolum percuſſus ſum in carne, ſed in corde, *& aruit cor meum,* ſterilitate peccati. Sed vnde hoc mihi? *quia oblitus ſum comedere panem meum,* id eſt cuſto-
C dire Dei præceptum, quod eſt ſpirituale nutrimentum meum, de quo dicitur: Non ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. Heu me miſerum, quia hunc panem verum qui de cœlo & ex ore tuo deſcendit, comedere oblitus ſum. Quare oblitus? quia nimis ad terrena intentus, neglexi cœleſtia. Et ideo: *A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.* Quia enim cœleſtia oblitus & terrenorum memor non pro ſpiritualibus, ſed pro temporalibus
D gemebam terrena nimium deſiderans, non ſolum corde gemebam, ſed etiam voce, propterea à voce gemitus mei inordinati, adhæſit os meum carni meæ id eſt, vox gemitus oris mei adhæſit carnali meæ affectioni, vel os principalis inter oſſa mea id eſt, principalis fortitudo virium animæ meæ, adhæſit carni meæ, hoc eſt, ratio ſenſualitati conſenſit. Iam verò de me aliter te propiciante fieri cupio. Iam enim non pro terrenis, ſed pro æternis gemere concupiſco, vt dicere valeam cum
E propheta Dauid: Renuit conſolari anima mea in terrenis, memor fui Dei & delectatus ſum in æternis, vtinam non oblitus, ſed memor tui, vtinam non oblitus ſed memor æternorum bonorum tuorum, cum eodem propheta dicam. Annos æternos in mente habui, ſed quomodo poſſunt hæc fieri? Fient vtique te iuuante, ſed propter tui tuorumque æternorum bonorum contemplationem huius ſeculi ſeculariumque & ſeculariter viuentium hominem conuerſationem fugiam, vt eligam abiectus eſſe in domo Dei mei
F magis quam habitare in tabernaculis peccatorum vt fiam ſancto tuo Dauid qui ait: *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.* Et iterum: *Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* O magnum breuibus in verbis myſterium. Tres aues & tria loca hic diſtinguuntur. Tres aues, pellicanus, nycticorax & paſſer. Tria loca ſolitudo, domicilium & tectum. Et dicitur pellicanus in ſolitudine, nycticorax in domicilio, & paſſer in tecto. Pellicano enim aui ſoliuagæ, & quæ in ſolitudine habitat, comparantur

Digitized by Google

rantur eremicolæ. Nycticoraci verò quę habitat in domicilio, aſſimilantur illi qui à publico populorum loco remoti, non in eremo vagi, ſed in vno loco vniti viuunt, dicentes: Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Paſſer autem ſolitarius & vnicus in tecto, ille eſt qui hominem ſocietate non egens, ſed ſoli Deo viuens, & ad alta virtutum tecta fugiens, vbi à laqueis vitiorum tutus eſt, dicit. Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo domini. Nec ſolum in domo, ſed in altiori loco domus ſcilicet in tecto, immo in ipſo domino meo. Ipſe eſt ergo qui habitat in adiutorio altiſſimi, & in protectione Dei cœli commorabitur. Ipſe eſt qui non ſolum pro ſe, ſed pro alijs vigilat, & pro omnibus vigilans orat, vt à mundi, carnis & diaboli laqueis adiuuante protegentéque Deo liberentur. O vtinam his auibus ſimilis fiam, & vt tecum ſim ſeparatus à ſeculi ſollicitudine maneam, ne in tabernaculis peccatorum manens cum peruerſis peruerſus efficiar, nam, *Tota die exprobrabant mihi inimici mei.* Peruerſi enim qui ſunt inimici mei, & ideo inimici, quia peruerſi continuè exprobrabant mihi famæ meæ detrahendo, *& qui laudabant me*, non corde ſed ore mihi publicè adulando, *aduerſum me iurabant*, falsè & proditoriè conſpirando. Sed quare hoc? *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam.* Per cinerem & fletum deſignatur ſtatus pœnitentium quos peruerſi ſæpe irrident, cum eos ante laudarent, dum cum eis ſeculo fruerentur & peruersè viuerent. Cinerem autem tanquam panem manducare, nil aliud eſt quam peccatorum reliquias pœnitendo conſumere. Potum verò cum fletu miſcere, eſt temporalem iocunditatẽ cum lachrymis ſpiritualis preſentiæ iungere. Vel potus iſte intelligi poteſt deſiderium cœleſtis patriæ, qui cum fletu miſcetur, dum pœnitens pro illius dilatione non ſine lachrymarum effuſione triſtatur. Sed vnde mihi eſt fletus iſte? Certè: *A facie iræ indignationis tuæ*, id eſt, ab inſtantia vindictæ tuæ in Adam inchoatæ, cum qua non ego ſolus, ſed omnes qui naturam trahimus de propagine iniquitatis, & de maſſa peccati nati ſumus, propter quod dicit nos apoſtolus natura filios iræ. Ex huius ergo iræ indignatione procedit quod, *eleuans alliſiſti me.* Tu qui me altius eleuaſti creando ad imaginem tuã, in quo me omnia animalia ſuperare feciſti, tu me grauius alliſiſti permittendo cadere in grauem actualis peccati culpam quæ me trahit ad grauiſſimam æterni ignis miſeriam quam ſolus homo & nullum aliud animal timet, quia ipſe ſolus ſuper omnia eleuatus animalia beatæ vitæ æternæque gloriæ particeps eſt. Heu mihi domine quod alliſiſti me, quia, *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui*, Heu mihi quia dies vitæ meæ ſicut vmbra obſcuri & vani quaſi inutiles tranſeunt, & declinando deficiunt. Et meritò, quia à te vero die declinaui, ſimiles mihi facti ſunt declinantes dies mei. Et ego ſicut fœnum arui, ſterilitate culpæ, propter defectum roris gratiæ. Sed quia ego alliſus cecidi, iam de te confiſus per te cupio ſubleuari. Iam terrenus ego & temporalis ac temporaliter declinando pertranſiens ad te cõfugio qui ęternus es ac immutabilis & immutabiliter A durando permanes. Quia ergo, *Tu autem Domine in æternum permanes.* Ideo tu æternus me temporalem & velut vmbra tranſeuntem ad tuã æternitatem eleuando ſalues & liberes, *& memoriale tuum in generatione & generationem.* Quia memoria tua qua noſtri memor es in miſericordia tua eſt omni tempore permanſura, nec vnque deficiet illa promiſſio tua, cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Et ideo: *Tu exurgens miſereberis ſion.* Sion enim ſpeculatio interpretatur, per quam militans eccleſia vel fidelis anima intelligitur B quæ nunc Deum per ſpeculum & in ænigmate ſpeculari nititur. Ad hanc ergo te quęrentem & ad conſurgere cupientem, tu exurgis & quaſi ei clementer occurrens, miſereberis eius te ſibi miſericordem adiutorem & ſubleuatorem exhibens. Miſereberis inquam, *quia tempus miſerendi eius quia venit tempus.* De quo dicit apoſtolus: Cum venit plenitudo temporis. Et iterum: Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies ſalutis. Et verè miſereberis ſion. *Quoniam placuerunt* C *ſeruis tuis lapides eius.* Lapides ſion ſunt fideles militantis eccleſiæ firmi & ſtabiles in Chriſtiana fide, & nihilominus ſpe ſolidi & perſiſtentes in charitate. Hi nimirum placuerunt ſeruis tuis, hoc eſt ſanctis eccleſiæ triumphantis, qui tibi in tua ciuitate cœleſtis Hieruſalem cum ſumma libertate ſeruiunt, quia illa quæ ſurſum eſt Hieruſalem mater noſtra, hoc eſt triumphans eccleſia mater militantis eccleſiæ, apoſtolo teſte, omnino libera eſt, quia ibi Deo ſeruire, regnare eſt. Hi ergo D ſancti tibi in regno tuo ſeruientes, & ideo liberi tecum regnantes, *terræ eius miſerebuntur.* Et meritò miſerebuntur terrę ſion id eſt, terrenæ miſeriæ militantis eccleſiæ nec ſolum ei miſericordes erunt ſed etiam vt tu miſerearis orabunt. Cur ita? quia eandem miſeriam aliquando paſſi & experti ſunt. Sed quid inde ſequitur. *Et timebunt gentes*, quæ prius timere neſcierunt, *nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.* Quia videbunt maiorem eſſe gloriæ tuæ quam ſuperbię ſuæ potentiam, & hoc ideo. *Quia ædificauit Dominus* E *ſion*, id eſt eccleſiam ſuam ædificando magnificauit. Et ipſa quæ prius coram regibus & gentibus viſa fuit in contumelia, *videbitur in gloria ſua*, id eſt, quæ prius ab eis ſuperbis contumelioſè perſequebatur, poſtea ab humilibus his glorioſè honorabitur. Hęc quę olim futura eſſe prędixerat propheta, quotidie eccleſia impleri videt. Sed quare hęc omnia? quia, *Reſpexit in orationem humilium*, ſcilicet Chriſti fidelium, qui in eius fide humiliter orabant vt hęc ſuę eccleſię feliciter F euenirent. Et ideo, *non ſpreuit precem eorum*, quia non ſingulariter pro ſe orabunt, ſed generaliter pro ſalute omnium fidelium quæ vtique eſt oratio perfectorum. Quia verò non decet vt tot tantaque beneficia à Deo eccleſię collata, ab homine quaſi ingrato ſileantur. Ideo, *Scribantur hæc in generatione altera*, vt ſcripturę commendata firmiter teneantur, non ſolum in antiqua lege Moſayca, ſed in generatione altera ſcilicet noua generatione Chriſtiana, *& populus qui creabitur*, eſt Chriſtianus populus quaſi noua generatione in Chriſto regeneratus, *laudabit Dominum.* Et meritò lau-

dabit. *Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo Dominus de cœlo in terram aſpexit.* Sed ad quid de excelſo ſancto cœlo proſpexit & in ima terræ aſpexit? Certè. *Vt audiret gemitus compeditorum*, hoc eſt vt audiret & exaudiret gemitus humilium & pœnitentium, timore Dei & diſciplina quaſi quibuſdam compedibus ligatorum. De quibus compedibus ſapiens dicit: Audi fili mi, & ne abijcias conſilium meum, & inijce pedem tuum in compedes eius, & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis. Et, *vt ſolueret*, à nobis & vinculis peccatorum, *filios interemptorum*, ſcilicet fideles Chriſtianos ſpirituales filios apoſtolorum & martyrum, crudeli interemptione à gentibus & regibus mortificatorum, vt his vinculis ſolutis fidelium eccleſia dicere poſſit: Dirupiſti vincula mea tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ad hoc ergo de cœlo proſpexit & in terram aſpexit, vt humilium Chriſtianorum gemitus audiret & vincula ſolueret: Sed ad quid? *Vt annuncient in ſion*, hoc eſt in eccleſia militante, *nomen Domini*, & fidem Chriſti à quo nominantur Chriſtiani, *& laudem eius in Hieruſalem*; id eſt laudando & glorificando opera eius quæ ſunt in cæleſti Hieruſalem ſcilicet eccleſia triumphante, de quâ dicitur: Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, & hæc ita annuncient vt annunciando proficiant. In quo? *In conueniendo populos in vnum & reges vt ſeruiant Domino.* Hoc eſt vt populos diuerſarum gentium & reges diſperſorum populorum conuenire faciat in vnitatem fidei Chriſti & morum fidelium, non vt ſeruiant mundo, carni vel diabolo, ſed vt ſeruiant Domino Deo ſuo, de quo dicitur: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Sed quid ſequitur? *Reſpondit ei in via virtutis ſuæ*, quis eſt qui reſpondit ei, Quis hic reſpondendo loquitur Domino? In ſuperioribus verbis exprimitur, cui congruat reſponſio. Supra enim commemorantur compediti & interempti reges & populi ſion Hieruſalem. Quod autem ſingulariter dicitur reſpondit ei non ad eos videtur poſſe referri qui pluraliter nominantur. Sed ſciendum eſt quod hi reſpondit vnitas pro pluribus id eſt tota eccleſia quæ in Chriſto vna eſt pro pro cunctis fidelibus. Ipſa quæ vnum eſt corpus pro omnibus membris eius reſpondit Domino. Reſpondit inquam gratias ei agendo quod eam proſpicere, eam audire, eam à vinculis ſoluere, eam ad ſui laudem nominis excitare, eam denique ex varijs populis ad vnius Dei ſeruitutem congregare dignatus eſt. Reſpondit ergo ei, non voce ſed corde, non lingua ſed vita, non in via infirmitatis ſuæ ſed virtutis ſuæ ſcilicet in fidei firmitate, quæ fides via eſt ad patriam, & eſt virtus huius viæ quæ in patria non manebit, ſed eius obſcuritatem euacuabit claritas gloriæ. Reſpondit ergo eccleſia Domino. Et quid dixit? *paucitatem* inquit, *dierum meorum nuncia mihi*. Reſpondendo ergo orat, quaſi dicat: O Deus meus nuncia mihi paucitatem & breuitatem dierum meorum, hoc eſt, quia dixiſti quod eccleſia manebit, & tu cum ea eris vſque conſummationem ſeculi, fac me cognoſcere & diligenter attendere quam breue & exiguum eſt hoc tempus durationis meæ in comparatione æternitatis tuæ. Oro ergo vt adueniat regnum tuum, cupio huius ſe-
A culi finem, vt citò veniam ad regni tui beatitudinem. Deſidero dierum meorum breuitatem, vt citò tranſeam ad dierum tuorum æternitatem. Et ideo. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*, hoc eſt, ne ſinas me reuocari à deſiderio æternorum, vt hæream curæ temporalium in dimidio dierum meorum ſcilicet dierum pręſentium, qui medij ſunt pręteritorum & futurorum, qui omnes ſunt dimidij & imperfecti niſi addantur ęterni. Et meritò peto non reuocari ad terrena, qui tendo ad æterna, quę ideo ſunt auidius appeten-
B da, quia, *in generatione & generationem anni tui*, ſine fine & principio duraturi, ergo non ſunt anni tui ſicut dies mei, quia anni tui æterni, & dies mei exigui, anni tui non tranſeunt ſicut dies mei, ſed ſemper manent, quia ſunt ęternitas tua quæ nihil aliud eſt quam ſubſtantia tua nihil habens mutabile, nil præteritum, nil futurum. Et quia æternitate præcedis omnia quę feciſti, ideo ſequitur: *Initio tu Domine terram fundaſti*, initio ſcilicet temporis, tu qui es ſine tempore, ſine initio,
C ſine fine immutabiliter manens in ęternitate, *& opera manuum tuarum ſunt cœli*. Nec tamen falſum eſt quod alibi dicitur: Verbo Domini cœli firmati ſunt. Nam quod verbo facis hoc etiam manu id eſt, virtute tua operaris. Non eſt enim Deus diſtinctus corporeis membris, verbum autem Dei manus eius. *Ipſi peribunt, tu autem permanes*, Tu enim ſemper ſtabilis dans cuncta moueri immutabiliter, permanens id eſt, in tua ęternitate perſeueranter manes. Sed ipſi cęli qui in tempo-
D re verbo tuo firmati ſunt, non ſicut tu firmi erũt, ſed iubente verbo tuo peribunt. Vnde Petrus ait: Terra autem & cęli qui nunc ſunt eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruandi. De cælis ergo terrę proximis ſcilicet de regionibus aëris, conſtat quod quantum ad eorum qualitatem peribunt, ſed de ſuperioribus cęlis cęlorum non eſt certum, ſi tamen manſerint, non in ſe, ſed in Deo manebunt, quia ſolo Dei verbo perire poſſunt, *& omnes*, ſcilicet tam cęli quã cęterę res mutabiles etiam angeli, *ſicut veſtimentum veteraſcent*, hoc
E eſt quantum in ſe eſt, niſi eos ſeruares verbo tuo, ſicut veſtis quę vetuſtate conſumitur deficerent. Vnde ſequitur: *Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Cęlos qui corporalia & cuncta mutabilia operiunt verbo tuo moues, & ſicut eos mutas localiter, ita ſolo verbi tui arbitrio, ſi volueris totaliter mutabuntur & in nihilum redigentur, *tu autem idem ipſe es.* Tu qui dixiſti: Ego ſum qui ſum, idem ipſe es, & licet omnia ſint ex te & per te, & in te, non tamen ſunt quod ipſe es, qui es mutãs non mutatus, faciens nõ factus, mo-
F uens ſed immutabiliter manens, &, ideo, *anni tui non deficient*, in generatione & generationem erũt & indeſinenter manebunt, quia anni tui æternitas tua ſunt. Dum ergo domine tuam immutabilitatem, dum tuam ęternitatem & creaturarũ omnium mutabilem varietatem vanamq; vanitatem cõſidero, nimirũ ad te venire & tecũ habitare deſidero, nec à deſiderio meo fraudari, aut ſpe mea fruſtrari aut habitatione tua priuari triſtis diffido. Quare? quia lætus audio quod ſequitur, *Filij ſeruorum tuorum habitabunt.* Iam mihi enim læta confidentia

Digitized by Google

fidentia oritur, quia filij ſeruorum id eſt ſanctorũ
tuorum tecum habitabunt ſc. boni Chriſtiani, de
quorum numero eſſe cupio. Qui filij ſanctorum
ſunt non per carnalem propagationem, ſed per
ſpiritualem participationem, ſicut è contra mali,
filij ſunt ſpirituum malignorum, ſicut ſcriptũ eſt:
Vos ex patre diabolo eſtis, non per generationem
ſed per imitationem. Vel filij ſunt opera bona, ſi-
ne quibus nullus habitabit in gloria. Qui ergo ibi
vult habitare non ſit à bonis operibus ſterilis, ſed
præmittat fœtus bonorũ operum quos ſequatur,
vt intret in terram viuentium. Sicut Ioſeph ante-
ceſſit patrem ſuum Iacob in Ægyptum dicens ei
& fratribus ſuis: Ego præueni parare vobis eſcas,
ita præcedant filij tui. i. opera tua tibi parate eſcam
refectionis ęternæ. Quales filios præmiſeris ta-
les ſequeris, & ſemen eorum, ſ. bonorum chriſtia-
norum vel meritoriorũ operum, de quibus ſcri-
bitur: Qui ſeminant in lachrymis. ſ. hic in via, cum
exultatione metent in cæleſti patria. Hoc inquam
ſemen, de quo fructus gloriæ metitur, *in ſeculum*
dirigetur, hoc eſt in cælum directum & erectum in
æternum ibi tanquam in horreo ſeruabitur. Da er-
go mihi domine da, & fac me ita hoc ſemen bene
operando ſeminare, vt inde fructum gloriæ poſ-
ſim moriendo ſucipere. Da & fac hoc ſemen ita in
me per te fructificare, & ad te dirigere vt in tua
æternitate ſine fine habitãdo valeam permanere.

Meditatio ſuper ſexto pſalmo pænitentiali ſcilicet
De profundis clamaui.

DOMINE Ieſu Chrſte fons & origo totius
pietatis & gratiæ, dum ego ſicut ceruus ad
fontes aquarum ad te venire deſidero tanto im-
perfectũ meũ amplius recognoſcens de me meá-
que propria virtute diffido. Ideo per auxilum
miſericordię tuę refugium miſeriæ meæ quærens,
ad te clamando fugio dicens. *De profundis clamaui*
ad te domine. Non ſolum de exterioribus labijs
oris, ſed de profundis & intimis cordis lachrymis
clamaui ad te. Quid clamaui? *Domine exaudi vocem*
meam. Deinde alijs verbis idem repeto. *Fiant aures.*
i. auditus clementiæ *tuæ intendentes in vocem depreca-*
tionis meæ. Nec fruſtra ſæpe, & iterum atque ite-
rum varijs verbis eandem orationis deuotionem
explico, quia ad experimendũ mentis meæ affe-
ctum nõ ſufficit organum meæ vocis, nec deſide-
rium cordis ſatis poteſt depromere lingua car-
nis. Nec immerito ad te clamabo de profundis
cordis & vocis, qui me eſſe ſentio non in vno ſo-
lum profundo, ſed in pluribus profundis fluctì-
bus, tam interioris quã exterioris miſeriæ quam-
diu ſum in via huius miſerabilis vitæ. Nam qui ſic
de profundis clamat, de profundis ſurgit, nec ipſe
clamor eum diu in profundis eſſe ſinit, quia vox
huius clamoris omne profundum penetrat, & ad
Dei aures vſque peruenit. Econtra verò quidam
valde in profundo malorum ſunt, qui nec ad te
clamant, cum ſe viderint quotidianis peccatis &
iniquitatibus obrutos & oppreſſos, ſed potius il-
los irrident qui eos ad te clamare monent, hoc eſt
profundũ malorũ, de quo ſcriptura dicit: Pecca-
tor cum venerit in profundũ, contẽnit abſit hoc à
me domine, ſed ad te clamo de profundis cordis,
omniũq; interiorũ virium, vt me clemẽter eripias

de profundis iniquitatum, quia, *Si iniquitates obſer-*
A *uaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit.* O magnum
profundum ô abyſſus multa profunda valde ni-
miſq; periculoſa. Ecce enim vndiq; omnibus cir-
cumſpectis nullum bonum ſed vbiq; malum vi-
dens, cateruas ſcelerum meorum cernens, nimi-
rum paueſcens exclamo? O Domine, ſi iniquita-
tes obſeruaueris. i. ad vindictam æternam ſerua-
ueris domine quis ſuſtinebit te iudicem? Nõ tan-
tum ego ſolus non ſuſtinebo, ſed nec quis alius,
quia nullus alius eſt, niſi ſeductus & veritate va-
cuus, qui ſe non cognoſcat peccatorem. Nam ſi
B dixerimus, quia peccatum non habemus nos ip-
ſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Nõ er-
go præſumam de mea iuſticia, ſed de tua miſeri-
cordia. *Quia apud te propiciatio eſt.* Si enim iniquita-
tes ſic obſeruares vt earum iudex ſolus eſſe velles,
& eſſe nolles miſericors, vtique nulla mihi eſſet
ſpes, nulla conſolatio. Sed ideo non deſpero, quia
apud te propitiatio eſt, *Et propter legem tuam.* Le-
gem amoris & gratiæ, in qua das reis veniam, *Su-*
ſtinui te domine, patienter ſperans, & ſperando ex-
C pectans tuam miſericordiam. Et hoc Domine,
quia omnia noſti, non ſolum tibi confiteor, ſed
etiam alijs vt omnibus notum ſit manifeſte dicẽs.
Suſtinuit anima mea in verbo eius. Cuius eius? In ver-
bo eius cuius verbum non fallit nec fallitur. Non
in verbo hominis qui mendax eſt, ſed in verbo
Dei qui verax eſt. Vnde ſubditur, *ſperauit anima*
mea in Domino, non in homine, ſed in Deo ſpera-
uit, qui verbo ſuo infallibili per peccatorum ve-
niam regni cœlorum gloriam repromiſit. Spera-
D uit inquam: *A cuſtodia matutina vſque ad noctem,*
ideo dicit, à cuſtodia ſeu vigilia matutina, quæ eſt
principium diei ſperandum vſque ad noctẽ, quia
in domino ſperare debet anima à principio vitæ
vſque ad mortem. Nam qui vſq; ad mortem per-
ſeuerauerit, ſaluus erit. Sic ergo, *ſperet Iſraël in domi-*
no. Non ſolum ſperet vnus ſolus, ſed totus fidelis
populus, quoniam non vni ſoli, ſed multis dictũ
eſt. Sperate in domino omnis cõgregatio populi,
effundite corã illo corda veſtra. Et meritò ſperet
Iſraël ſc. omnis eccleſia & congregatio fideliũ in
E domino. *Quia apud dominum miſericordia*, non ma-
gna ſolum, ſed maxima, nam, *copioſa eſt apud eum re-*
demptio. Sed quomodo verũ eſt quod copioſa fuit
redemptio tempore Dauid, cum nondum tẽpus
redẽptionis adueniſſet: Sanè ſemper copioſa fuit
redemptio, ſed vt ipſe Dauid prophetice innuit,
hæc fuit apud Deum, hoc eſt apud diuinum ſecre-
tum ſemper propoſita ſemperq; prouiſa, ac ęterna
prædeſtinatione diſpoſita, ſed non ſemper copio-
ſè ac plenè apud homines exhibita, quia nõ tem-
F pore legis naturæ aut legis Moſaïcæ, ſed tempore
legis gratiæ, de quo ſcriptum eſt: Quando venit
plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum fa-
ctũ ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret.
Vnde tandem impletũ eſt, quod olim Dauid præ-
dixerat; *Et ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus*
eius. Nunc ergo domine miſericordiæ maximè
opportunũ tempus eſt, vt de profundis fluctibus
miſeriarum ad te fontem miſericordiarũ claman-
do conſurgã, & de me meâq; propria virtute dif-
fidens, de te tuáque gratia & pietate ſperando cõ-
fidam, & ad tuam clementiſſimam propiciationẽ
confugiam. Dignum quoque & iuſtum eſt vt tibi

ô piiſſime Chriſte gratias agam, apud quẽ eſt copioſa redemptio, ideo copioſa ſpecialiter eſſe dicitur, quia tua in cruce paſſio, tuique precioſi ſanguinis oblatio, non ſolum pro vnius aut paucorum hominum ſalute, ſed pro totius Iſraël, pro totius eccleſiæ, pro totius mundi, pluriumque ſi forent mundorum redemptione copioſè ſufficere perhibetur. Per huius ergo paſſionis virtutem, per huius ſanguinis effuſionem te deprecor, vt à peccatis meis & à pœnis quas pro his mereor me redimas, redemptumque ab eis eripias, & ereptum à malis meis, tecum in bonis tuis habitare concedas.

Meditatio ſuper ſeptimo pſalmo pœnitentiali.

DOmine Ieſu Chriſte qui ſperantes in te non deſeris, clamantes ad te non deſpicis, qui quærentes te, non fugis, te deſiderantes non reſpuis, ſed de ſe diffidentes, in te autem confidentes conſolaris. Tibi humiliter ſupplico vt mihi qui in præcedenti pſalmo confeſſus ſum diffidentiam virtutis propriæ, tua potenti virtute largiri digneris ſobriam exultationem ſpiritalis lætitiæ, ad quam impetrandam ſuſpirans dico: *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam.* Quod ſæpe dixi, iterum repeto, vt orationis repetitio ſit deuotionis confirmatio. Nec me tædet ſæpe iterare verba orationis qui ſæpius iteraui opera iniquitatis, nec peto exaudiri in mea iuſticia ſed, *in veritate tua exaudi me in tua iuſticia*, hoc eſt, tu qui verax es, & in veritate tua pœnitentibus veniam promiſiſti, exaudi me pœnitentem non in mea ſed in tua iuſticia ſcilicet in miſericordia tua quæ pœnitentes iuſtificat. Peto enim iuſticiam miſericordiæ quam exerces in præſenti ſeculo, non iudicium illius iuſticiæ quã facturus es in futuro. Ideo ſequitur: *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo.* Ego enim non ſum dignus vocari amicus vel filius tuus, ſed tamen ſeruus tuus ſum, qui miſericordia indigeo ad te fugitiuus redeo, pacem quæro. Non ergo in futuro intres mecum in diſtrictum iudicium, quia ego volo intrare tecum. Intrant in iudicium cum Domino qui iuſticiam ſuam iactantes de ea præſumunt. Quibus per prophetam dicit dominus: Quid vultis mecum in iudicio contendere? Omnes dereliquiſtis me. Non ſic ego ſed iuſticiam meam coram me eſſe nullam reputo, *quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Quia & ſi apud ſe quis ſuo iudicio iuſtificetur, tamen omnis homo in hoc mortali corpore viuens non iuſtificabitur in conſpectu tuo, quia interiora & occulta hominis vides, in quibus nemo bene plenè iuſtus aut mundus eſt tuo iudicio quantumlibet ſanctus hominibus videatur. Ideo Paulus ait: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Vel intelligi poteſt, *non iuſtificabitur in conſpectu tuo*, id eſt, tui comparatione non ſolum omnis homo, ſed nec omnis viuens etiam angelus, quia ſolus Deus eſt in quem peccatum cadere non poteſt, in cuius conſpectu etiam aſtra non ſunt munda. Non ergo intres mecum in iudicium rigoroſè, ſed mecum piè ac miſericorditer age. *Quia perſecutus eſt inimicus*, id eſt, diabolus vel quiſque alius aduerſarius, *animam meam, & hu-*

A *miliauit in terra vitam meam.* Hoc eſt quantum in ſe fuit eam vt cœleſtia relinqueret & terrena ſaperet inclinauit. Et iterum: *Collocauit me in obſcuris*, id eſt, in peccatorum tenebris, *ſicut mortuos ſeculi*, id eſt, ſicut cæteros peccatores non ſpiritualiter viuentes ſed ſeculariter in peccatis morientes. Ideo, *anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* Sed ecce poſtquam triſtia præceſſerunt læta ſequuntur, poſt quam anxiatus fui & turbatus per multiplicem inimici tentationem lætus factus ſum per ſpiritualem

B Dei conſolationem. Quia, *Memor fui dierum antiquorum*, ſcilicet dierum æternorum, hoc eſt tuæ æternitatis diuinæ, cuius memoria maxima cauſa eſt ſpiritualis delectationis & lætitiæ. Vnde ſcriptum eſt: Memor fui Dei & delectatus ſum, nec ſolum in diebus æternis ſeu rebus inuiſibilibus, ſed etiam in creaturis temporalibus te æternum & inuiſibilem Deum contemplatus ſum. Nã, *meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Quæſiui in ope-

C ribus artificem, in creaturis creatorem, in rebus factus te earum mirabilem conditorem. Creatura tua facta eſt mihi ſpeculum vt in ea te cognoſcerem Deum meum, quia vt ait apoſtolus: inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Et ideo, *Expandi manus meas ad te.* Quia in operibus tuis cognoui, quod omnia bona ſunt, & non à ſe ſed à te, tuæque bonitatis participatione bona exiſtunt, ideo tibi gratias agẽs, expandi in oratione manus meas ad te tanquam

D ad bonorum omnium largitorem. Et, *anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Non ſolum ad te expandi manus corporis mei, ſed & omnes vires animi. Et meritò, quia, *anima mea*, à te derelicta eſt, *ſicut terra ſine aqua.* Ideo debet ſe ad te expandere, & non ſibiipſi, ſed tibi adhærere, quia non ſeipſam, ſed tu ſolus eam potes, rore gratiæ irrigare, ſicut autem terra ſine aqua ſterilis eſt, ſic anima ſine gratiæ tuæ pluuia fructum ferre non poteſt. Tu ergo, *Velociter exaudi me Domine*, citò

E dando pluuiam gratiæ, quia ſitiuit in te anima mea, ideo ſi aquam dare longius differas, *deficiet ſpiritus meus*, à te tanquam ſterilis derelictus. Et propter hoc, *Non auertas faciem tuam à me*, ſpiritum meum derelinquendo, & ab eo differendo vel ei differendo gratiæ tuæ donum, alioquin, *ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, hoc eſt in profundũ peccatorũ. Sed potius. *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam.* Fac inquam mihi miſericordiã tuã auditam ſci. à prophetis manifeſtatam in ſcripturis. Fac me interius ſentire quod exterius facis

F audire, & hoc fac mane. i. citò & non tardè, *quia in te ſperaui.* Et ideo ſperaui, quia audiui: Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eũ omnibus inuocãtibus eum in veritate. Et vt citò facias mihi miſericordiam tuam. *Notam fac mihi viã in qua ambulem*, vt ſit lucerna pedibus meis verbum tuum, ad rectè ambulandum in via mandatorum tuorum, *quia ad te*, à quo tanquam à patre luminum deſcendit omne bonum & qui illuminas omnẽ hominem venientem in hunc mundum, ad te inquam & non contra te, *leuaui animam meã.* Et ideo *Eripe me ab inimicis meis domine ad te confugi.* Non à te

Digitized by Google

te fugi contemnendo & poſtponendo lucem tuam, ſed ad te confugi quærendo & poſtulando eam, ideo. *Eripe me de inimicis meis Domine*, ſcilicet à diabolo & miniſtris ſuis, qui tentant me vt ambulem in tenebris. Et vt ab eis eripias me; *doce me facere voluntatem tuam*, quia ſi non doces me faciam voluntatem meam non tuam, & ſic deſeris me Deus meus dum ego te deſero, ergo doce me, *quia Deus meus es tu*. Ad alium currerem ſi alium creatorem haberem. Sed quia tu ſolus es Deus meus, ideo doce me vt magiſter meus, quod vtique facies quia, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. Ecce quia ſupra in memoria æternorum & in contemplatione tua & tuorum operum delectatus ſum, ne magnitudo contemplationis extolleret me, ne ſuperba fieret lætitia mea, lætis miſcui triſtia, ſed iam poſt triſticiam conuertor ad gaudium. Iam enim plenè ſpero quod ſpiritus meus malus non perducet me in terram peruerſam infernalium pœnarum, quia, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, in terram ſcilicet gaudiorum de qua dicitur: Portio mea in terra viuentium. Et hoc non propter meritum medium, ſed, *propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua*, non in iuſticia mea. Ego enim me occidi per peccatum meum, ſed tu me viuificabis propter nomen tuum, quod eſt Ieſus, & interpretatur ſaluator. Vt rem nominis tui impleas, tu eris mihi Ieſus, & me viuificando ſaluabis. Et ſic, *Educes de tribulatione*, huius ſeculi, *animam meam & in miſericordia tua*, non in merito meo, *diſperdes omnes inimicos meos*. Quos etiam inimicos tuos meritò dixerim, quia in me ſeruo tuo te dominum meum, quantum in ſe eſt, perſequuntur, & gloriam nominis tui, cui & non mihi ſalutem meam attribuo, dicens: Non nobis domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Hanc inquam gloriam ſaluti meæ aduerſando auferre conantur. Vnde conuenienter ſubditur: *Et perdes omnes qui tribulant animam meam*, ſcil. diabolum & omnes obſtinatos, & meritò perdes me tribulantes, *quoniam ego ſeruus tuus ſum*. Ad te in mea tribulatione recurrens ſicut ſeruus humilis & fidelis vaſallus recurrit ad dominum.

Ecce ergo huius pſalmi aliorumque pſalmorum pœnitentialium læta concluſio. Ecce ſpiritualis lætitiæ exultatio, quam ſalutaris pœnitentię contriſtatio finaliter operatur. Vnde qui per pœnitentiam affligitur tandem dicit, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Oratio operis huius concluſiua.

DA ergo mihi domine hos quos pœnitentiales pſalmos eccleſia tua nominat, & à pœnitibus tibi pſallẽdos eſſe prædicat, tam dignè ac deuotè non ſolum ore, ſed corde pœnitendo pſallere, vt per contriſtationem pœnitentiæ ſalutaris, exultationem conſequi valeam lætitiæ ſpiritualis, vt poſt ſalutarem pœnitẽtiã tandem per ſpiritualem læticiam exultando dicam: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Da mihi domine hunc ſeptenarium pœnitentialium pſalmorum eſſe remedium contra ſeptenarium mortaliũ peccatorum, mihiq; eſſe auxilium ad ſeptenarium virtutum principalium ad ſeptenarium donorum ſpiritualium, ad ſeptenarium beatitudinum, ad ſeptenarium deniq; petitionũ in oratione dominica contentarum. Da mihi domine in horum pſalmorum meditatione timore pœnæ, dolorem culpæ, ſpem veniæ amorem cordialis mundiciæ, deſiderium cœleſtis patriæ, diffidentiam virtutis proprię, exultationem denique ſpiritualis læticiæ. De hoc enim ſeptenario mentalium affectuũ principaliter agitur in hoc ſeptenario deuotorũ pſalmorum. His ſeptem affectibus quaſi ſeptem ſcalæ pœnitentiæ gradibus ad vitam patriæ cæleſtis aſcenditur, quo me finaliter deduci, & feliciter aſcendere, & tecum habitare, perenniterque regnare tu miſericorditer præſtare digneris. Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen. Finis.

DONATVS MORALIZATVS VENERABILIS MAGISTRI IOANNIS *de Gerſon, Cancellarij Pariſienſis.*

PARTES orationis quot ſunt? Octo. Quæ? cognitio ſubſtantiæ, cognitio qualitatis, cognitio præcepti Dei, cognitio eiuſdem, cognitio hominis ſecundum Deum, & ſecundum naturam, conſideratio futuri iudicij, conſideratio leticiæ electorũ, & conſideratio triſticiæ damnatorum. Nomen quid eſt? Homo, quia homo vocaris, ſi cognoſcis ſubſtãtiam tuam vnde factus es, veraciter ſcis, eſt nomen. Ecce cognitio ſubſtantiæ quæ eſt prima pars orationis, de terra es & in terram reuerteris. Nomini quot accidunt? ſex. Quæ? qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, caſus. Cuius qualitatis homo? Appellatiuæ, quia commune eſt omnibus hominibus de terra fieri, immo de viliori terra ſiue materia. Commune eſt etiam omnibus hominibus eſſe animal rationale. Cuius gradus comparationis. Nullius, quia homo non debet augeri per præſumptionem, nec minui per puſillanimitatem. Et ideo eſt nomen ſubſtantiuum vt ſtare habeat extra nimium timorem, & contra nimiam præſumptuoſam ſpem. Cuius generis: Communis. Quia tam viro quam mulieri conuenit natura hominis. Cuius numeri: Singularis, quia quilibet per ſe rationem reddet ante tribunal Chriſti. Cuius figuræ: Simplicis, quia non poteſt diuidi in plures ſectas. Oportet enim ſi ſaluari debet, quod ſolum fidem Chriſti confiteatur, & ab illa non diuidatur. Qui enim hanc fidem non habent, non homines dici debent ſed bruta, quoniam carent ratione. Cuius caſus: Nominatiui & vocatiui, quia nominatur, iam mortalis qui immortalis erat creatus, & vocatur operarius qui æternæ quieti erat deputatus. Cuius declinationis: Tertiæ, quia declinari & humiliari debet tripliciter, coram Deo, coram proximo, coram ſeipſo. Vnde regitur: Si bene regitur, à Deo regitur, ſi malè diabolo.

Diſcutiamus iam dicta. O homo ſi conſiderare vis quid ſis quoad materiam, ſine dubio inuenies te nobiliſſimum animalium, anima tua ad ſimilitudinem Dei eſt facta, & imagine eius inſignita, habens in ſe virtutem intelligendi, volendi & memorandi. Hæc anima infuſa eſt à Deo in tuum viliſſimum corpus, fætidum & fragile, vt

Digitized by Google

tanquam domina ſapientiſſima, & tanquam hoſpes ſagax domum tuam regat. Ipſa ergo quantum eſt de ſe, ſemper valet agere quæ domino ſuo ſunt placita, & ad hoc dirigit ſenſus exteriores ad exteriora officia, non inducentia quicquam nociuum ad lectionem ſacram vel ad crucem domini intuendam, vel ad alia ſalubria quæ ſibi vtilia videntur. Idcirco ſi voluntatem carnis ſequeris hoſpitem opprimis, dominam occidis, malum ergo & vile eſt hoc hoſpitium in quo tam nobilis hoſpes periclitatur. Si ergo vis ſecundum animam viuere, non ſecundum carnem conſidera quod caro tua terra eſt, terræ ergo conditiones ſerua. Terra enim baſſa & dura omnia portans virtute patientiæ, & quanto plus ab aliquo vexaris, tanto ei plus benefacias, imbrem enim ſalutaris doctrinæ & diuinæ gratiæ inglutire ſtudeas, & ſiccus ſis à fluxu vitiorum, carnis & cupiditatis terrenæ. Habes iam quid ſit nomen & quid ſit ſecundum ſubſtantiam ſcilicet nobilis ſecundum animam. Rogo ergo vt nobiliter & rationabiliter te regas, non viliter & carnaliter.

Quid eſt pronomen. Reſponſio. Sicut homo eſt nomen tuum, ita peccator eſt pronomen. Cum ergo coram Deo orationem fundis, pone pronomen pro nomine, vt dicas: O pater cœleſtis non vt homo te inuoco, ſed vt peccator veniã poſtulo. Pronomini quot accidunt? Sex ſcilicet qualitas, genus, numerus, figura, perſona, caſus. Peccator ergo vt eſt pronomen cuius qualitatis? Infinitæ, propter infinitam & incertam multitudinem delictorum quæ facio, ea numerare non valeo. Cuius generis? Omnis, quia omni generi vitiorum peccando participo ſcilicet mortalium & venialium. Cuius numeri? Singularis, quia ſingulariter peccata mea animam meam cruciant, & conſcientiam meam trucidãt. Cuius figuræ? Simplicis quia non poſſum ea diuidere in diuerſis confeſſionibus, ſed quando volo confiteri, oportet quod omnia ſub ſimplici & ſub vna confeſſione dicam clarè & diſtinctè, cum cordis contritione & cum propoſito emendandi. Cuius perſonę? Primæ. Quia non habet homo iudicare alios, ſed ſeipſum dicendo: Ego ſum miſer ille qui ſic & ſic vixi in conſpectu Dei & angelorum. Cuius caſus? De ſtatu innocentiæ in ſtatum culpæ. Cuius declinationis? A manu Dei in manum diaboli. Quot ſunt declinationes in pronomine? Quattuor. Prima eſt ab odedientia Dei in ſuggeſtionem diaboli, per hanc declinauit Eua. Secunda eſt ab obedientia Dei in conſenſum mulieris, vt Adam declinauit per Euam. Tertia eſt à paradiſo in hunc mundum. Quarta eſt ab hoc mundo in limbum inferni. Quot ſunt caſus in pronomine? Sex. Primus erat ſuggeſtio. Secundus aduertentia. Tertius diſcuſſio. Quartus delectatio. Quintus conſenſus in mente. Sextus conſenſus in opere.

Quæ ſunt pronomina primitiua & deriuatiua? Alij homines omnes ab eiſdem deriuatiua dicuntur. Declaremus præmiſſa. Primò præpoſuit diabolus fructum Euæ ad comedendum. Ecce ſuggeſtio. Secundò vidit Eua illud lignum viſu delectabile & ad edendum ſuaue. Ecce aduertentia. Tertiò dicit quod dominus prohibuerit eis vſum fructus illius ne morerentur. Ecce diſcuſſio. Quartò reſpondente diabolo quod non A morerentur, ſed eſſent ſicut dij ſcientes bonum & malum, cœpit ipſa delectari. Ecce delectatio.

Quintò ipſa ſentiens nullum periculum imminere in vſu illius fructus, conſenſit intus voci diabolicæ. Ecce conſenſus in corde. Sextò ipſa ardens deſiderio in aſpectu illius pulchri fructus & ſuauis, & comedit. Ecce conſenſus in opere. Sic etiam quilibet ad peccatum allicitur. Primò ordinatur in villa quædam chorea. Secundò ego audiens cantus illius vel videns illam, aperio oculos meos ad videndum. Tertiò arguo in meipſo B hoc non eſſe bonum ſcilicet inſpicere illam choream, tamen permanens voluptati indulgeo. Quartò delector non ſolum in aſpectu choreæ & auditu cantus, ſed etiam in aſpectu puellarum. Quintò conſentio intus in corde meo cum aliqua earum coire. Sextò conſenſum illum per deſiderium illud intus conceptum perficio opere, & ecce mortua eſt anima. Et ſicut dixi de iſto vitio, ita de omnibus alijs intelligendum eſt. Auertamus ergo nos ab omni carnali delectatione, C quando nobis proponitur ſicut molendinarius quando videt ventum ſibi non conuenire, vertit molendinum, quia niſi in principio obſtemus, ſine dubio periculum caſus vix euademus, ſicut Dauid, ſi non in ſolatio per feneſtram perſeueranter perſpexiſſet, in concubitum Berſabeæ non cecidiſſet. Quare auertendi ſunt oculi ne videant vanitates. Et tantum de pronomine.

Quid eſt verbum? Reſponſio, quod eſt præceptum Dei ſcilicet vt diligamus inuicem. Verbo D quot accidunt? Septem. Quæ? Qualitas, coniugatio, genus, numerus, figura, tempus & perſona. Cuius qualitatis? Talis videlicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute tua, & proximum tuum ſicut teipſum. Cuius coniugationis? Totius. Quia vna pars non valet ſine altera, nullus diligit Deum qui odit proximum, nec è conuerſo. Similiter in præceptis, qui vnum frangit, factus eſt omnium reus, vt dixit Iacobus. Et ideo oportet quod omnia coniunctim ſeruentur. Cuius E generis? Actiui. Quia oportet nos id opere perficere ſi illud velimus ſeruare, quia auditores legis non iuſtificabuntur apud Deum ſed factores. Cuius numeri? Pluralis, quia ſunt iſta decem. Credere in Deum. Non inaniter iurare per ipſum. Feſta celebrare. Honorare parentes. Non occides. Non furaberis. Non mœchaberis. Non falſum teſtimonium dabis. Non adulterabis. Non concupiſces rem alienam. Vel ſunt iſta duo ſcilicet dilectio Dei & proximi. Cuius figuræ? Simplicis, quia in vnitate puri cordis debet ſer- F uari ſcilicet in charitate.

Plenitudo enim legis eſt charitas, vt dicit Paulus. Cuius temporis? Præſentis. Quia oportet quod in præſenti perficiatur hoc præceptum ſ. quamdiu ſumus in hac vita. Cuius perſonæ? Primæ, 2. & 3. quia ego, tu, ille, omnes tenemur hoc pręceptum cuſtodire. Dixit enim dominus. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Declaremus iam prędicta. O homo tu credis in Deum vnum & diabolus credit & nihil ſibi prodeſt. Si veraciter in eum credis, eum adora, cole, honora; hoc præceptum frangis quando voluptati inſiſtis.

Secunda

Digitized by Google

Secundò non debes inaniter per ipſum iurare, hoc frangis quando periuras, vel conſuetudinaliter iuras, vel quando dubitanter iuras. Ideo Dominus dicit: Non iurabis omnino, ſed eſt eſt, non non, ſit verbum tuum. Tertiò debes feſta celebrare. ſ. eccleſiam frequentando, inſiſtendo orationi, lectioni vel operibus miſericordiæ. Hoc frangis quando otio ludorum, comeſſationum, ebrietatum, colloquiorum non ſpiritualium vacas. Vel quãdo manualiter laboras quod omnino neceſſarium non eſt. Quartò honorabis parentes eis obediendo, reuerentiam exhibendo, & pro poſſe ſubueniendo hoc frangis quando eis maledicis, vel ſpernis vel moleſtatis & inquietaris, nec ſubuenire ſtudes. Quintò, non occides, hoc frangis quando iraſceris proximo tuo ſine cauſa vel quando eum derides, vel fatuum nominando, vel quando mortem alicuius deſideras quam per te inferre non vales vel times. Sextò non furaberis, hoc frangis quando violenter rapis alicuius bona, vel occultè vel manifeſtè, vel quãdo detractione famam & honorem furaris. Septimò, nõ mœchaberis. i. non luxuriaberis aliquo modo, qui ſi continere non poſſis, nube, & tunc licitè potes, hoc frangis non ſolum quando actum ſed etiã quãdo aliquam curioſè & cum concupiſcentia vides, & tunc plus quando virginem vel Deo dicatam deſideras. Octauò, non falſum teſtimonium dices contra aliquem. Hoc frangis quando etiam aliquos conducis vel hortaris vt falſe teſtentur: vel quando aliquos cauteloſis verbis circumuenis vt eos decipias. Nonò, alterius vxorem non concupiſcas, non adulterabis, hoc frangis quando vxorem propriam deſeris, & aliam ducis, vel quando alterius vxorem & non tuam tangis, vel ſi in religione exiſtens mulieri coniungeris, vel ſi presbyter ſæcularis es, mulierem tangens, vxori tuæ quã deſponſaſti. ſ. eccleſiæ iniuriam facis, ſicut religioſus lubricus ſuæ religioni. Decimò, rem alienam non concupiſces, hoc frangis quando commodum alterius impedis pro tuo augendo. Vel ſi abducis alteri ſeruum ſuum vel ancillam vel filiam, vel alterius officium, dignitatem, præbendam, & huiuſmodi deſideras. Non enim nocere debes proximo tuo, ſed prodeſſe, propterea proximo charitatem impende. i. ſeptem opera miſericordiæ, ei ſubueniendo in fame ſiti, nuditate & frigiditate, infirmitate, carcere & tribulatione.

Quid eſt aduerbium quod verbo additur, & ſignificatum eius perficit. Si ergo verbum eſt cognitio præcepti diuini, vt iam dictum eſt. Aduerbium eſt exhibitio operis. Sed adhuc alio modo quam iam ſupra dictum eſt, vt patebit inferius. Aduerbio quot accidunt. Tria. ſ. comparatio, ſignificatio & figura. i. habitudo, ſimilitudo & diſtinctio. Declaremus iam iſta tria. Qui præcepta Dei vult perficere, debet etiam ſeruare habitudinem. i. modum in facto ſuo, vt ſi eleemoſynam vult facere, debet conſiderare, quando, vbi, quibus, qualiter, quid, quantum & ordinatè. Hæc ſunt aduerbia loci, qualitatis & ordinis. Significatio, vides duos pauperes, vnum in luto iacentẽ, alterum oſtiatim mendicantem, da eleemoſynam primo, & alterum dimittas ſi ambobus non vales. Si vis orare, ora primò quod orare debes & horas canonicas, ſi vouiſti, prius perſolue, poſtea lege & ora. Si non vouiſti, lege primò pater noſter, quod A Deus inſtituit legendum, & poſtea quod tibi placet legere poteris. Si vis ieiunare, primò ſerua ieiunia ab eccleſia ordinata, & ſi plus facere velis, poſtea facere poteris. Sic ergo in omnibus attẽde circumſpectionem, & aduerbium debitè ponas iuxta ſuum verbum. Si enim in veſpertino tempore tamdiu comeſſationi, potationi ſeu alteri ineptæ voluptati inſiſtas, quod præ nimio ſopore de mane ſurgere nequeas ad miſſam audiendum, vel ad aliquod aliud bonum opus exercendum, ſic mutando noctem in diem & è contra, ſine du- B bio non ponis aduerbium ritè iuxta ſuum verbũ. Comparatio iſtius aduerbij ſic eſt facienda. Diuites plus quam pauperes inde licentius & largius eleemoſynam dent quantum ditiores ſint. Sic in illis comparatio facienda eſt, qui ſcientia pollent vel poteſtate vel dignitate, vt quilibet ſecundum id quod poteſt, faciat, alij plus, alij minus. Alius poteſt dare aurum, alius aquã frigidam, alius verbum conſolationis, alius ſubuentionem miniſtrãdo, alius in docendo, alius eſt fortis, & omnia C ſeruare poteſt, alius infirmus & miſericordia indiget vt ſibi fiat diſpenſatio, alius ſic charitate feruet quod parum reputat quicquid patitur, alius tam infirmus quod citò cadit peccando & citò reſurgit pœnitendo. Figura huius aduerbij eſt, habenda ſit diſtinctio. Sunt aliqui ſimplices, aliqui compoſiti. Item ſimplices ſunt qui in ſolitudine manent ſeparati ab omni hominum conuerſatione, ſicut Antonius, Ioannes baptiſta, Benedictus & multi quondam eremitæ fuerunt. D Compoſiti ſunt in multiplici differẽtia. Quidam ſunt purè ſeculares, alij religioſi, alij prædicatores, & quotquot ſumus licet diuerſi, tamen ad laudem Dei omnes creati ſumus, ſicut diuerſarum imaginum picturæ ornant thalamum. Hęc de aduerbio dicta ſufficiant.

Quid eſt participium? Reſponſio, quod eſt cognitio hominis ſecundum naturam & ſecundum Deum, videlicet vt cognoſcat quilibet homo quid ſit per ſe & qualiter eſſe debeat ſecundum Deum. Participio quot accidunt. Sex ſci- E licet genus, caſus, tempus, ſignificatio numerus & figura. Cuius generis eſt homo participium? Cõmunis triumque, ab Adam & Eua generati ſumus qui duo Trinitati attribuuntur id eſt Deo qui eſt trinus in perſonis. Sed Adam immediatè ſicut ait Lucas, Enoch fuit filius Sem, & Sem fuit filius Adæ, & Adam fuit filius Dei. Eua verò mediatè, quia de coſta Adæ facta erat. Cuius caſus? Peccati inobedientiæ. Ecce quid ſumus ſecundum nos à peccatoribus proceſſimus & peccatores ſumus, hæc ſunt genera & caſus, hæc duo ſumit participiũ F à nomine. Cuius temporis? Pręſẽtis. Quia in pręſenti tempore pœnitentia agenda eſt, & laborandum eſt pro futuro præmio. Cuius ſignificationis? Primò actiuæ ſcilicet faciendo bona opera. Secundò paſſiuæ patienter ſufferendo mala. Tertiò neutralis ſcilicet coërcendo proprias virtutes & cogitationes. Quartò deponentalis ſcilicet abijciendo omnia vitia mortalia. Quintò communis. ſ. cuſtodiendo præcepta Dei & ordinationes ſanctæ eccleſiæ, hæc duo. ſ. tempora & ſignificationes ſumit hoc participium in verbo, vide ergo quales eſſe ſecundum Deum debeamus. Cuius

Digitized by Google

numeri? Pluralis, videlicet vt in hac eccleſia militante poſſimus computari cum iuſtis, & in eccleſia triumphāte cum angelis. Cuius figuræ? Primò ſimplicis, vt non diſſociemur à fide hic malè viuendo, & non diuidamur à ſaluandis ſupernis in iudicando. Secundò compoſitæ erat & ideo hoc participium capit duo.ſ. numerum & figuram à nomine & verbo. Diſcurramus iam dicta. Nam planum eſt quod à peccatoribus deſcendimus & generati ſumus & quotidie peccando cadimus. Quæ eſt pulchritudo noſtra ſeu puritas, qua Deo placeamus tanquam ſponſa viro ſuo? Quæ etiam fortitudo noſtra, qua diabolicæ ſuggeſtioni reſiſtere poſſim⁹, ſi nec carnis illecebris reluctari ſciamus: Si etiam terra ſumus & in terram reuerti neceſſe ſit, quę eſt nobilitas ſeu celſitudo noſtra ſiue poteſtas quam in nobiſmetipſis vanè confidentes, anmarum noſtrarum ſaluti prouideamus? Et ſi breuis eſt vita præſens & hora incerta, quæ eſt iſta fatuitas cordis noſtri, quam tantum ſollicitamur pro acquiſitione diuitiarum, facultatum, dignitatum & huiuſmodi, quæ omnia in momento à nobis recedunt & nunquam redeunt? Dicit enim Iob in perſona cuiuſlibet hominis. Comparatus ſum luto, & aſſimilatus ſum fauillæ & cineri, quia quid aliud ſumus quam pleni putredine vitiorum? Sicut citò inflammantes & prouocantes alios ad iracundiam, vel eis damnum vel ſcandalum inferentes ſicut fauillæ citò vanitatibus inſiſtentes & citò prouocati ad iram ſeu accenſi auaritia, ſicut cinis qui leuis, ſiccus & paruus & ab igne conſumpto derelictus, quia & leues ſumus ſicci & vani ex defectu humorum diuinæ gratiæ, parui ex puſilanimitate & ab igne concupiſcentiarum carnalium conſumpti tanquā peccatores ad cor redeamus, conſiderantes quod participium eſt eiuſdem ſignificationis cuius generis eſt verbum, ita etiam ſimus conformes voluntati Dei cum ſimus facti ad imaginem Dei, quia vituperio dignus eſt, qui recta docet & malè viuit. Ita & nos multo fortius vituperandi ſumus ſi imagine Dei depicti ſimiles ei dicimur & tamen per enormem vitam ab eo diſcrepamus. Demus ego honorum figulo noſtro voluntatem eius perficiendo.

Quid eſt coniunctio? Reſponſio, quod eſt futuri iudicij conſideratio vel cognitio. Coniunctioni quot accidunt? Tria. ſ. poteſtas figura & ordo. Cuius poteſtatis? Diuinæ. Quia Deus faciet iudicium & primò copulabit. i. per angelicam tubam omnes ad iudicium congregabit. Secundò diſiunget. i. bonos à malis ſegregabit. Tertiò explebit. i. numerum electorum perficiet, & in ciuitatem illam quæ per luceferi & ſociorum eius caſum rupta eſt recuperabit. Quartò cauſabitur. i. cauſabit reprobos, dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Quia eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Sitiui & non dediſtis mihi bibere. Nudus eram, & non cooperuiſtis me. Et rationem iuſtā dabit pro electis, dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui, ſitiui, hoſpes eram, infirmus & nudus eram, & cibaſtis, potaſtis collegiſtis, viſitaſtis & cooperuiſtis me. Item ſunt quandoq; ſpecies huius poteſtatis. Cuius figuræ? Primò ſimplicis quoad imperfectiores. Secundò compoſitę quoad perfectiores, quia omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ſiue ſimplices. i. qui in bona ſimplicitate vixerunt, ſiue qui in mala ſimplicitate viuentes ſeipſos perdiderunt, licet forte alijs non nocuerunt. Compoſiti ſiue bene viuentes. ſ. bene docendo ſe & alios promouerūt, ſiue qui per malam vitam & malas inueſtigationes ſe & alios corruperunt. Cuius ordinis? Primò præpoſitiui. Secundò ſubiunctiui. Quia primò ſaluandi iudicabuntur ſicut ſcriptum eſt, quod poſt prudentes virgines venerunt fatuæ, & poſt illos qui à dextris erant, venit iudex ad ſiniſtros. Ponderemus dilectiſſimi huius regis poteſtatē, ad cuius iuſſionē omnes huius terræ habitatores, reges, duces & comites cuiuſcunque dignitatis hic reputantur, in illo extremo die cum vilibus perſonis æqualiter viles reputabuntur, & qui iam magna palatia ædificant ibi bene ſpeluncam paruam reperire vellēt in qua à facie Domini fugientes tunc latere poſſent. Si enim iuxta ſcripturas, iuſtus vix ſaluabitur, quis non timebit? Si opera. i. cogitationes Deus diſcutiet quid faciemus, qui opera non habemus? Si in illa voce. Ego ſum, omnes qui ad capiendum eum venerant tempore paſſionis ad terram ſunt proſtrati, quid poteſt facere tonitruum horribile, quaſi gladius bis acutus tonabit & ſcindet iudicaturus? O quam timere poteſt quiſque à rege temporali vocatus vt rationem iudicij ponat cum eo, immo licet in nullo ſe fore feciſſe regi ſētiret, tamen adhuc ſub ratione iudicij coram eo trepidaret, quanto magis ergo nos ſollicitari oportet qui certi ſumus ſummi iudicis præſentatione in illo tremendo examine, vbi & angeli contremiſcunt. Sed etiam Paulus qui tanta pro Chriſto vicit certamina quietis, tantæ virtutis erat quod cū libera conſcientia dicebat: Nihil mihi conſcius ſum. Quid eſt quod tam falſa ſecuritate nos ipſos firmamus qui in mille defectibus corruimus? Quis enim gloriatur mundum ſe habere cor, immo nullus ſcire poteſt an odio vel amore dignus ſit habeamus ergo præ oculis cordis noſtri illud horribile quod angelica tuba clamabit: Surgite mortui, venite ad iudicium, & quid tunc reſpondebimus iudici iam præcogitemus.

Quid eſt præpoſitio. Reſponſio, quod eſt conſideratio lætitiæ electorum, quia vt iam dictum eſt) illi præponuntur damnandis. Præpoſitioni quot accidunt? Vnum tantum. ſ. caſus. Non caſus peccati, ſed caſus humilitatis. Et ideo duplex erit in eis caſus. Primus accuſatiuus quo accuſabunt patriam huius ſeculi totius nequitiæ, ſicut ſcriptū eſt: Totus mundus in maligno poſitus eſt, & de hoc humiliabunt ſe coram Deo gratias agendo qui à nequitia huius ſeculi purierunt ſeruati, quādiu hic conuerſati fuerunt. Secundus caſus eſt ablatiuus quo congratulabuntur illi de illa hora qua ablati fuerunt ab hoc ſeculo nequam, & introducti in illam ſupernam patriam, & per hoc humiliabunt ſe coram Deo regratiando, quod eos traxit de labore ad requiem de periculo ad ſecuritatem, de tribulatione ad pacem, de triſticia ad gaudium. Si ergo conſiderare & penſare velimus illius ſupernæ felicitatis quanta ſint gaudia primò recogitemus huius ſeculi mala, & per contrarium quanta ſuperius ſint bona. Et principaliter hic tria abundant, vitia, tribulationes & indigentia.

Digitized by Google